

Universidad de Navarra
Biblioteca

Graefl. Schaesberg'sche
Bibliothek.
Theologie.
A

Universidad de Deusto
Biblioteca

Societatis Jesu Friburgi 83.

COMMENTARIORVM

FRATRIS DOMINICI SOTO

SEGOBIENSIS,

THEOLOGI, ORDINIS PRAEDICATORVM,

CAESAREAE MAIESTATI

quondam à sacris confessionibus, publici apud Salmaticenses Professoris,

In Quartum Sententiarum,

Soc. Jesu emit 1746.

Tomus Secundus.

CVM INDICE COPIOSISSIMO,
ATQVE LOCVPLETISSIMO.

066672



Bibliotheca Facult. Philosophiae Prov. Cast. Orient. S. I.

Bibliotheca Theologorum Prov. Tarrac. S.J. Comprado a Valkenb. en sep. 1956.

Comprado a Valkenb. en sep. 1956.

VENETIIS, 1569.

A

Universidad de Deusto
Biblioteca

PROLOGVS.

VCVBRATIONES, quas in Quartum Sentẽtiarum meditabar, qui busdam publicis negotijs interpellatus intermiseram: verum ubi me primùm ab illis feriatum reperi, ad opus redij, ut eas tandem, Deo auspice, perficerem. Hæc enim funesta plaga, quam nostra tempestate Hispanum nomen accepit, calamum mihi, cunctis q; nobis animum conturbauit. At uerò eadem nos planè procella docuit, sacrosanctæ Theologię studia, plusquam aliàs unquam, esse modò nobis necessaria. Nam etsi Sanctum Inquisitorum tribunal, quod, ceu propugnaculum fidei, tum Apostolica sedes, tum Catholica nostrorum Regum Maiestas omni autoritate consultissimè semper fouet & munit, ad Hęreticorum audaciam retundendam fidum sit, tutumq; presidium: tamen cùm oporteat (ut ait Paulus) ideſt pro mortalium ingenio necessum sit hereses esse: re uera nequeunt, nisi per sacra testimonia, sanctorumque interpretamenta, de corruptis mentibus prorsum conuelli. Sacrę uerò paginę legitima sensa, diuorumq; patrum intelligentia (quod nunquàm inculcare cessabo) non aliter profectò, quàm sedulo Theologię scholasticę studio erui satis, atq; ad ueram lucem perduci ualent. Hęretici nanq; in Sacris Biblijs reuoluendis non sunt nimium negligentes: attamen quia nulla ratiocinatione, nullaq; rerum consequentia, aut Philosophia, quatenus fidei adminiculatur, utuntur, sed diuino Spiritu, quo sunt maximè destituti, omnia intelligenda autumant, atra errorum caligine excęcantur. Atq; eam ob rem nusquàm gentium hereseos patroni ulli prodierunt, qui non primum omnium uniuersam Philosophię cognitionem, cum Scholastica Theologia à sua Republi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ca profligarent. Qua utique rõne uiam sibi, & ad suos errores sternunt, & ad eorum retractationem occludunt, deniq; ad suã obstinationem cõiunt. Abactis.n. à grege canib. (ut ille olim Demosthenes dixit) peruius fit lupis ad ipsum aditus. Sed obijciat nobis fortè quispiam, Theologi sunt, qui hæresum assolent inficiere labe, suaq; subinde alios contagione inficere. Fateor (si tamen naufragi in fide Theologorum erant nomine digni) qm̃. nec in re bellica, nisi miles peccat, neq; in medica, nisi medicus, neque in iure dicundo, nisi qui ius dicit: in summa nemo in arte errat, nisi qui artem exercet: & nemo literas sacras, nisi Theologus profitetur. Tametsi modò dęmonem ex omni piscium genere piscatum cernimus. Veruntamen, eo quòd soleant ignaui milites, desertores esse: & ignari medici, interfectores: & indocti Iurisconsulti, iuris peruersores, clarissima hæc Reipub. nomina tollenda de medio sunt? Oculus ergo, cum primum ophthalmia laborat, effodiatur. Oculus ecclesiæ ad dignoscendas, propulsandasq; errorum pestes, Theologia est: quinuerò, & ad euangelicam legem suis concionib. tum interpretandam, tum persuadendam, & ad populi conscientias suis responsis informandas, suis q; consilijs instruendas, ac demum suis monitis in sacramẽto reformandas. Reliquarum scientiarum professores, hæretici esse possunt, hæresibus mederi non possunt. Theologi, hæretici esse possunt, sed hęresibus soli mederi possunt. Arrius, & cęteri illiusmodi pestiferę classis, Theologi fuere: tamen nisi Augustini, & id genus Theologorum opera & sapientia conuicti fuissent: quo nã se clypeo Catholica protexisset ecclesia? Sacros Decretorum Canones illi Sancti Theologi condiderunt. Igitur si oculus labem contraxit, illa ardenti collyrio prorsum abradatur: oculus uerò qui tam necessarius nunc maximè temporis ẽ, omni fauore seruetur, constabiliatur, & honestetur. Nam si cerebro eruatur, quid reliquum quæsõ, quàm fidei excidium, ecclesiæq; ruinam sperare possimus? Metus me hæc dicere compulit, quem uersutus Satan incutere nostratium animis satagit. Theologi lapsi sunt, Theologiæ sibi quisque studia caueat. Nouit ille Christiani nominis hostis, quanti sibi ad prosternendam ecclesiam referat, Theologorum ac perinde religiosorum professiones infamare, suaque autoritate nudare. Et ideo quo fœliciùs nunc in Hispania florescere pergebant, eo solertiùs eas contaminare, ac labefactare molitus est. Nostrum præsertim ordinem, ceu arcem primum adortus, qui adeò de Christiana republica fuerat bene meritus, ut fidei uexillum eius insignibus esset illustre: unde fortiorem ansam arripuit inuidiam in nos apud populum concitãdi. Christus ergo dominus noster, cuius interest, meliùs per sanctissimum Vicarium suum, perq; nostrum Catholicum Regem, ecclesiæ suæ consultum curet. Nulla enim flammarum uis hæreticorum sufficiet furorem restinguere, nisi terrifico ardente igni, explorandæ orthodoxæ ueritatis syncerus ferueat zelus, & lux candida Theologiæ eidem illustrandæ luceat, ac demum religionum instituta, quæ murum uineæ domini, uelut antemurale, præsepiunt, nitore suo prisco refulgeant. Ista me ratio dicendi inde diuertit, ubi calamum me resumpsisse dicebam, ut hoc intermissum opus absoluerem. Ad finem ergo illud perduxi: nam suis numeris absoluere in mea inope facultate non erat positum. Si de uolumine æstimetur, longum iudicabitur. At tam longam rerum, tamq; uariam supellectilem, nequiui & explicationis luce perfundere, & breuitate perstringere. Sacro sanctę censuram ecclesię in toto opere cupio, & iterum atque iterum postulo. Deus denique Optimus Maximus, si quid boni ad eius laudem & gloriam dixi, largitor fuit, si cubi deliqui, ueniam quoque largiatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SVMMA BREVIS VIGINTISEPTEM DISTINCTIONVM,

quæstionum, & articulorum, quib. hic secundus tomus perficitur.

Aduerte candide Lector, a columnam primam b. columnam secundam significare.

DISTINCTIO uigesimaquarta quęstiones continẽt duas. 1. a

QVAESTIO prima de substantia sacramenti ordinis, & eius qualitatibus articulis elucidatur quatuor.
Primus, utrum ordo in ecclesia esse debeat 5. b
Secundus, utrum in hoc sacramento materia & forma congruè designentur. 8. a
Tertius, utrum conuenientes sint in ecclesia septem ordines. 11. b
Quartus, utrum omnes ordines sint uerè sacramenta, quæ gratiam conferant, & characterem imprimant. 17. b
QVAESTIO secunda de ijs quæ sunt ordinib. annexa, articulis claudit quinq;.
Primus, utrum clerici omnes ordinati debeant coronæ tonsura insigniri. 25. b
Secundus, utrum supra sacerdotalem ordinẽ altior sit episcopalis potestas. 29. a
Tertius, utrum episcopatus sit ordo. 33. a
Quartus, utrũ supra episcopos sit aliquis superior ordo in ecclesia. 35. b
Quintus, utrum in culmine omnium ordinum sit iure diuino unus summus pontifex. 39. a

DIstinctio uigesimaquinta de ordinantibus, & ordinatis & eorum exemptione. 43. a. Quęstiones acquirit duas.

QVAESTIO prima de ordinantibus & ordinandis, cuius sunt articuli quatuor.
Primus, utrum omnis solusq; episcopus sit huius sacramenti minister. 46. a
Secundus, utrũ fœmineus sexus sacramẽti ordinis sit capax. 49. b
Tertius, utrum prẽter defectum usus rationis sint alij, qui ordinibus suscipiendis obstent. 55. a
Quartus, utrum ad ordinum susceptionẽ morum honestas, & scientia requiratur 61. a
QVAESTIO secunda, de potestate ecclẽsiastica & exemptione clericorum articulos tradit duos
Primum, utrum potestas ecclesiastica sit hac ratione suprema: ut cunctis ab ea tanquam eius delegata pendeat. 65. b
Secundus, utrum clerici sint à potestate ciuili exempti 76. a

DIstinctio uigesimasexta, de sacramenti coniugij institutione & ueritate quæstionibus contexta est duabus 79. b

QVAESTIO prima, de sacramento coniugij quatenus est in officium articulos poscit tres.
Primus, utrum matrimonium sit hominibus naturale. 82. a
Secundus, utrum matrimonium semper fuerit maneatq; adhuc sub præcepto. 85. b
Tertius, utrum usus matrimonij, hoc est maritalis complexus, sit licitus, atque adeò esse possit meritorius. 88. b
QVAESTIO secunda de matrimonio secundum rationem sacramenti articulis texitur quatuor.
Primus, utrum matrimonium sit sacramẽtum nouæ legis. 92. a
Secundus, utrum matrimonium fuerit in noua lege in sacramentũ institutũ. 95. a
Tertius, utrum matrimonium gratiam cõferat. 96. b
Quartus, utrum commistio sexuum per copulam sit de essentia & integritate matrimonij. 103. a

DIstinctio uigesimaseptima, de matrimonij essentia deq; sponsalib. & bigamia, quæstiones adepta est tres 105. b

QVAESTIO prima, de matrimonij definitione & cã articulos tenet quatuor.
Primus, utrum definitio qua matrimoniũ describi solet sit idonea. 108. b
Secundus, utrum consensus mutuus sit sufficiens causa matrimonij. 111. a
Tertius, utrum consensus matrimonialis sufficiat internus, an uerò requiratur ut sit exteris uerbis expressus. 115. a
Quartus, utrum matrimonio consummato liceat utriq; coniugum altero inuito ad religionem transire. 122. b
QVAESTIO secunda de sponsalib. articulos claudit quinq;.
Primus, utrum sponsalia conuenienter dicantur futurarum nuptiarum promissio. 131. b
Secundus, utrum septennium tempus sit contrahendis sponsalibus necessarium. 135. a
Tertius, utrum sponsalia iureiurando per uerba de futuro confirmata uim habeãt matrimonij. 136. b
Quartus, utrum carnalis copula post sponsalia de futuro matrimonium perficiat. 138. a
Quintus, utrum sponsalia legitimè ualeãt aliquibus modis dirimi. 140. b
QVAESTIO tertia de bigamia articulos aduocat tres.
Primus, utrum per bigamiam irregularitas contrahatur. 143. a
Secundus, utrum per baptismum bigamia soluatur. 147. a
Tertius, utrum cum bigamo dispensare liceat. 147. b

DIstinctio uigesimaoctaua, de clandestino matrimonio unica quæstione contenta est. 149. a

QVAESTIO unica, de clandestino matrimonio articulos accipit duos.
Primus, utrum clandestinum matrimoniũ sit ualidum. 150. b
Secundus, utrum clandestinum matrimonium nonnunquam sit licitum. 153. b

DIstinctio uigesimanona, de consensu coacto, & de conditionato quæstionibus duabus discutitur. 159. a

QVAESTIO prima de consensu coacto articulos exhibet quatuor.
Primus, utrum consensus aliquis esse possit coactus. 162. b
Secundus utrum metus aliquis possit in uirum constantem cadere, qui eum excuset. 164. a
Tertius, utrum consensus extortus per metum cadentem in constantem uirum sufficiat ad matrimonium. 167. a
Quartus, utrum uel princeps subditum uel pater filium possit ad matrimonium cogere. 176. a
QVAESTIO secunda de consensu conditionato articulis distinguitur tribus.
Primus, utrum consensus conditionatus sit ad matrimonium per se sufficiens. 179. a
Secundus, utrum conditio impossibilis matrimonium tollat. 186. a

Tertius, utrum omnis & sola turpis conditio, quæ contraria est matrimonio ipsum tollat, honesta uerò semper obliget. 188. b

Distinctio trigesima de errore, deque nuptijs beatissimæ uirginis quæstionibus duabus ornata est. 194. a

QVAESTIO prima de errore per articulos duos extenditur.
Primus, utrum error matrimonium impediat. 178. b
Secundus, utrum matrimonium ob turpē causam contractum sit legitimum. 196. a
QVAESTIO secunda de uirginitate & matrimonio beatæ uirginis articulis duobus explicatur.
Primus, utrum condecens fuerit Dei matrem uirginem emisso uoto perpetuò permansisse. 200. b
Secundus, utrum uirginem Dei matrem nuptam simul esse decuerit. 204. a

Distinctio trigesimaprima, De bonis matrimonium excusantibus, Quæstione unica concluditur. 206. b

QVAESTIO unica de bonis matrimonium excusantibus articulos præbet quatuor.
Primus, utrum matrimonium debeat per aliqua bona excusari. 208. b
Secundus, utrum tria sint tantum matrimonium excusantia bona. 211. a
Tertius, utrum absq; istis bonis coniugalis usus uoluptatis causa sit licitus. 214. b
Quartus, utrum liceat coniugibus ad uitandam fornicationem debitum exigere. 218. a

Distinctio trigesimasecunda de mutua coniugum fide in reddendo debito, Quæstionem unicam arripit. 221. a

QVAESTIO unica de mutua coniugum fide reddendi sibi inuicem debitum articulos poscit tres.
Primus, utrum alteruter coniugum teneatur alteri debitum reddere. 223. b
Secundus, utrum in petitione & solutione debiti æquum sit ius utriq; coniugum. 226. a
Tertius, utrum causa uoti aut rationes aut temporis sacri possit coniux debitum negare alteri. 228. b

Distinctio trigesimateria, de Polygamia & repudio quæstionibus duabus instruitur. 231. a

QVAESTIO prima, de uxorib. pluribus unius uiri articulos trahit tres.
Primus, utrum habere plures uxores sit iuri naturæ contrarium. 235. a
Secundus, utrum plures simul habere uxores aliquando licuerit. 237. b
Tertius, utrum licuerit unquā eidem mulieri pluribus simul uiris nubere. 245. a
QVAESTIO secunda, de libello repudij articulos dat tres.
Primus, utrum perpetuitas & inseparabilitas uinculi matrimonij ita sit de iure naturæ, ut nullam admittat dispensationē 246. b
Secundus, utrum aliquando fuerit repudiū uxoris licitum. 249. a
Tertius, utrum dato libello repudij tam uxori quàm uiro liceret ad secundas nuptias transire. 255. a

Distinctio trigesimaquarta, de quatuor prioribus impedimentis matrimonij quæstione unica discussa est. 256. a

QVAE-

QVAESTIO unica de impedimētis matrimonij ex defectu naturæ articulos habet quatuor.
Primus, utrum aliqua sint matrimonij impedimenta. 258. a
Secundus, utrum frigiditas matrimonium conttahendum impediat, & contractū dirimat. 261. a
Tertius, utrum maleficium sit matrimonij impediens, dirimensq; impedimentum. 266. b
Quartus, utrum furia impedimentum sit matrimonium dirimens. 271. a

Distinctio trigesimaquinta, quæstione unica terminatur. 272. a

QVAESTIO unica de coniugio seruorū & puerorum articulis finitur quinq;.
Primus, utrum inter seruos possit absq; licentia dominorum matrimonium contrahi. 273. b
Secundus, utrum seruitutis cōditio aliquo saltem modo matrimonium impediat. 276. a
Tertius utrum seruitus matrimonio superuenire possit. 278. b
Quartus, utrum filij debeant conditionem patris sequi, an potius uentris. 279. b
Quintus, utrum ætas legitima contrahendi matrimonium rectè in uiro statuta sit quartodecimo anno, & in fœmina duodecimo. 281. a

Distinctio trigesimasexta, de impedimento criminis, quo tori fit diuortium, Quæstionem unicam assumit. 284. a

QVAESTIO unica, de diuortio, quod fit formicationis causa articulos complexa est sex.
Primus, utrum propter fornicationem licitum sit uiro uxorem dimittere. 286. a
Secundus, utrum uir teneatur ex præcepto uxorē fornicātem dimittere. 290. b
Tertius, utrum maritus proprio iudicio non expectato ecclesiastico possit uxorem adulteram dimittere. 293. b.
Quartus, utrum uir & uxor in causa diuortij pari iure gaudeant. 295. b
Quintus, utrum celebrato diuortio uiro ius relinquatur aliud ineundi matrimonium. 297. a
Sextus, utrum post celebratum diuortium locum habeat reconciliatio. 302. a

Distinctio trigesimaseptima, de alijs criminibus quę sunt matrimonij impedimenta quęstione unica tracta ta est. 304. a

QVAESTIO unica, de alijs criminibus quæ sunt matrimonij impedimenta articulos obtinet quinque.
Primus, utrum sint aliqua crimina, quæ matrimonium contrahēdum impediāt, contractum uerò non dirimant. 305. b
Secundus, utrum incestus, quo quis cognouit uxoris consanguineā sit impedimentum dirimens matrimonium. 307. b
Tertius, utrum uxorcidium sit in aliquo euentu licitum. 310. b
Quartus, utrum uxorcidium sit impedimētum matrimonium ipsum dirimens. 313. b
Quintus, utrum ligamen sit impedimentum matrimonium dirimens. 316. a

Distinctio trigesimaoctaua, De impedimentis ordinis & uoti quęstiones sibi adsciscit duas. 318. b

QVAESTIO prima de impedimento ordinis articulos petit duos.
Primus, utrum ordo matrimonium impediat. 332. a
Secundus, utrum matrimonio ordo sacer superuenire possit. 325. a
QVAESTIO secunda de impedimento uoti articulis tractatur duobus.
Primus, utrum uotum simplex sit matrimonij impedimentum ipsum dirimens. 328. b

Secun-

Secundus, utrum uotum solenne sit impedimentum matrimonium contractum dirimens. 333. b

DIstinctio trigesimanona de cultus disparitate quæstione unica terminata est. 337. b

QVAESTIO unica articulos ostendit quatuor.
Primus, utrum inter infideles legitimum possit matrimonium contrahi. 340. a
Secundus, utrum fidelibus modò liceat cũ infidelibus inire coniugia. 344. a
Tertius, utrum cõiux ad fidem conuersus possit cum coniuge eandem fidem renuente commanere. 348. a
Quartus, utrum fidelis ab uxore infideli discedens possit aliam ducere. 353. a

DIstinctio quadragesima, de cognatione carnali quęstione unica connectitur. 360. a

QVAESTIO unica de cognatione carnali articulos flagitat quinque.
Primus, utrum definitio consanguinitatis constitui solita rei definitæ competat. 393. a
Secũdus, utrum consanguinitas per lineas & gradus commodè distinguatur. 365. a
Tertius, utrum gradus quispiam consanguinitatis in linea recta, iure naturali matrimonium impediat. 369. a
Quartus utrum aliquis gradus consanguinitatis in linea transuersali impediat iure naturæ matrimonium. 377. a
Quintus, utrum gradus consanguinitatis matrimonia prohibentes potuerit ecclesia usque ad quartum taxare. 384. a

DIstinctio quadragesima prima, de affinitate quę stione unica confecta est. 388. a

QVAESTIO unica de affinitate & eius annexis, articulis ornata est quinque.
Primus, utrum ex matrimonio affinitas aliqua contrahatur. 391. a
Secundus, utrum affinitas uel aliquod matrimonij impedimentum post sponsalia contrahatur. 395. a
Tertius, utrum affinitas matrimonium impediat. 398. b
Quartus, utrum qui extra uerum matrimonium nascuntur sint filij illegitimi. 404. a
Quintus, utrum omne coniugium quod inter consanguineos & affines contractũ est, sit per diuortium dirimẽdum. 408. b

DIstinctio quadragesima secunda, de cognatione spirituali & de legali & de secundis nuptijs Quæstiones gestat tres. 412. a

QVAESTIO prima de cognatione spirituali articulis tribus insignita patet.
Primus, utrum spiritualis cognatio sit matrimonij impedimentum. 415. b
Secundus, utrum per solum baptismum spiritualis cognatio contrahatur. 418. a
Tertius, utrum cognatio spiritualis duntaxat inter baptizantẽ & baptizatum contrahatur. 421. a
QVAESTIO secunda de cognatione legali articulos duos profert.
Primus, utrum adoptio sit iure appositè definita 425. b
Secundus, utrum legalis cognatio matrimonium impediat. 427. b
QVAESTIO tertia de secundis nuptijs articulo unico contenta est.
Primus, utrum secundæ nuptiæ sint licitæ 429. b

DIstinctio quadragesima tertia, de resurrectione carnis quæstionibus duabus constat. 431. a

QVAE-

QVAESTIO prima, de resurrectione carnis & eius causis per articulos quatuor deducitur.
Primus, utrum animam esse immortalem ratione sit naturali cognitum. 434. a
Secũdus, utrum corporum resurrectio sit futura. 442. b
Tertius, utrum resurrectio sit naturalis 449. p
Quartus, utrũ diuina Christi resurrectio nostræ sit resurectionis causa. 455. b
QVAETIO secunda de resurrectionis tẽpore & modo articulos adipiscitur quinque.
Primus, utrum tempus resurrectionis sit finis mundi. 462. a
Secundus, utrum dies & hora resurrectionis sit hominibus uel angelis cognoscibilis. 467. b
Tertius, utrum resurrectio futura sit in instanti eodemq; nocturno. 472. a
Quartus, utrum uniuersi mortales sint resurrecturi. 477. b
Quintus, utrum omnes mortui resoluẽtur in cineres, antequam in iudicium exurgant 483. a

DIstinctio quadragesima quarta de termino & qualitate & quantitate resurgentium quęstione unica elucidata est. 487. a

QVAESTIO unica, de modo & cõditione resurgentium articulos habet. 5
Primus, utrum idem prorsus homo in eodemq; corpore, quo uixerat, sit resurrecturus. 489. a
Secundus, utrum omne quod est de ueritate humanæ naturæ resurget. 495. a
Tertius, utrum cuncta prorsus hominis membra ac perinde humores debeant homini resurgenti restitui. 496. a
Quartus, utrum omnes in ætate iuuenili resurgent. 504. b
Quintus utrum omnes in sexu uirili cum animali resurgent. 507. b

DIstinctio quadragesima quinta de receptaculis animarum & suffragijs defunctorum, sanctorumq; orationibus in quęstiones tres desinit. 511. a

QVAESTIO prima de receptaculos animarum post mortẽ articulos producit quatuor.
Primus, utrum animabus post mortẽ receptacula sint assignanda. 514. a
Secundus utrum purgatorium, limbus patrum & puerorum loco cum inferno cõueniat. 521. b
Tertius utrum statim post mortem quoruncunque animæ in istorum aliquem locorum deducantur. 526. a
Quartus, utrum animæ ex prædictis receptaculis aliquãdo egredi ualeãt. 532. a
QVAESTIO secunda de suffragijs defunctorum ex quatuor articulis emanat.
Primus, utrum suffragia uiuis impensa defunctis prosint. 536. a
Secundus, utrum suffragia pro defunctis oblata quibuscunq; defunctis prodesse ualeant. 541. a
Tertius, utrum solo sacrificio altaris & orationibus & eleemosynis iuuentur de functorum animæ. 548. a
Quartus, utrum suffragia quæ pro singulari defuncto fiunt, plus ei, quàm alijs prosint, aut plusquam si in genere pro pluribus fierent. 552. b
QVAETIO tertia de orandis sanctis in duos articulos surgit.
Primus, utrum sancti sint à nobis orandi 555. b
Secundus, utrum sanctorum preces, quas pro nobis deo fundunt semper exaudiãtur. 560. a

DIstinctio quadragesima sexta, de Antichristo & iudicij signis quęstionibus componitur duabus. 562. b

QVAE-

QVAESTIO prima de signis quę sunt iudicio antecessura ex duobus conflatur articulis.
Primus, utrum expediens sit ut aduentũ Christi ad iudicium Antichristus antecedat. 563. b
Secundus, utrum Antichristus futurus sit omnium malorum caput. 568. a
QVAESTIO secunda de signis iudiciũ antecessuris, duobus articulis constat.
Primus, utrum iudicio finali aliqua sint signa antecessura. 571. a
Secundus, utrum sol & luna circa iudiciũ secundùm rei ueritatem contenebrescent & uirtutes cœlorum mouebuntur. 574. b

Distinctio quadragesima septima de finali iudicio potitur quęstionibus duabus. 577. a

QVAESTIO prima de iudicantibus & iudicandis articulorum est quatuor.
Primus, utrum iudicium finale sit futurũ. 580. b
Secundus, utrum Christo sint alij assessuri iudices. 583. b
Tertius, utrum mortales uniuersi debeãt in iudicio comparere, ut iudicentur. 589. a
Quartus, utrum iudicium in ualle Iosaphat sit futurum. 591. b
QVAESTIO secunda de forma iudicij articulis sex conspicua est.
Primus, utrum Christus in forma humana gloriosa iudicabit. 592. b
Secundus, utrum diuinitas Christi ab iniquis tunc sit conspicienda. 596. b
Tertius, utrum tunc unusquisq; tam electorum quàm reproborum, uniuersa bona & mala tam propria, quæ fecit, quàm aliena uidebit. 598. b
Quartus, utrum iudicium illud. s. tam disceptatio, quàm sententiæ prolatio sit uocaliter, an non nisi mentaliter repræsentanda. 603. a
Quintus, utrum electi & reprobi sint ad dextram & ad sinistram Christi separandi. 604. b
Sextus utrum generale iudicium per sententiam iudicis concludatur. 607. b

Distinctio quadragesimaoctaua de purgatione & innouatione mundi quęstionib. duabus compacta est. 611. b

QVAESTIO prima, de igne conflagrationis & eius effectibus articulos continet quatuor.
Primus, utrum aliqua sit futura mundi purgatio per ignem. 613. b
Secundus utrum ignis ille ante iudicium ueniet. 617. b
Tertius, utrum ignis ille & cælos & omnia elementa perpurgabit 619. a
Quartus, utrum ignis ille inuoluet reprobos in infernum. 622. a
QVAESTIO secunda de mundi innouatione articulis insignita est quatuor.
Primus, utrum mundus sit innouandus. 623. a
Secundus, utrum motus cælestium orbiũ per illam innouationem sit cessaturus 624. a
Tertius, utrum astris corporibusq; cælestibus lux in illa innouatione sit augenda. 626. b
Quartus, utrum elementa per aliquod claritatis augmentum sint innouanda. 628. a

Distinctio quadragesimanona de statu beatorum exposcit quęstiones quinque. 631. a

QVAESTIO prima, in quo beatitudo consistat. 634. a. articulis fulcitur quatuor.
Primus, utrum beatitudo in aliqua re corporea aut sensibili consistat 634. a
Secũdus, utrũ beatitudo cõsistat in aliqua operatione. 638. a
Tertius, utrum beatitudo sit potius intellectus quam uoluntatis operatio. 640. b
Quartus, utrum fruitio sit actus appetitiuæ potentiæ. 648. b
QVAESTIO secunda de adeptione beatitudinis articulis fulget quatuor.
Primus, utrum omnis homo appetat beatitudinem. 654. a
Secundus, utrum homo naturalib. uiribus possit beatitudinem consequi. 661. a
Tertius, utrum essentia Dei ab intellectu creato per aliquam creatam similitudinem ualeat uideri. 667. b
Quartus, utrum intellectus creatus ad uidendum Dei essentiam, aliquo creato lumine supranaturali indigeat. 671. b
QVAESTIO tertia de uisione articulos monstrat quatuor.
Primus, utrum uidentes Deum per essentiam ipsum comprehendant. 677. b
Secundus, utrum uidentium Dei essentiam unus alio perfectius uideat. 681. a
Tertius, utrum uidentes Deum omnia in ipso uideant eademq; simul. 686. a
Quartus, utrum uisio Dei per essentiã omnia eminenter, & in uirtute contineat quæ ad beatitudinem pertinent. 696. a
QVAESTIO quarta de dotib. gloriæ articulos trahit octo.
Primus, utrum aliquæ sint in beatis dotes. 702. b
Secundus, utrum Christo uel angelis dotes competant, an uerò solis hominibus. 705. b
Tertius, utrum tres sint tantum animæ dotes, scilicet uisio, delectatio, & fruitio. 707. b
Quartus, utrum corporib. gloriosis sint futuræ dotes quatuor. 710. a
Quintus, utrum impassibilitas inter dotes corporis glorioſi sit connumeranda. 711. b
Sextus, utrum subtilitas sit inter dotes corporis glorioſi connumeranda. 719. b
Septimus, utrum corpus glorioſum dotem habebit agilitatis. 726. a
Octauus, utrum in corporib. beatorũ erit claritas. 729. a
QVAESTIO quinta, de aureolis articulos adducit duos.
Primus, utrum aureolæ sint in beatis futuræ à fructib. distinctæ. 732. b
Secundus, utrum tantum sint tres aureolæ. 637. a

Distinctio quinquagesima, de statu & pœnis damnatorum Quęstione unica perspicua est. 667.

QVAESTIO unica, de statu & pœnis dãnatorum articulis sex perficitur.
Primus, utrum ignis inferni sit corporeus. 668. b
Secundus, utrum animæ separatæ igne illo inferni corporeo torqueãtur. 751. b
Tertius, utrum damnatorũ corpora absq; ullo uitio incorruptibilia, sed tamẽ passibilia resurgent. 754. b
Quartus, utrum damnati sola pœna ignis punientur. 758. a
Quintus, utrum damnati, aut bona intellectus notitia, aut bona uoluntate uti ualeant. 763. a
Sextus, utrum & damnati beatorum gloriam uideant, & beati ipsorum miseriã. 766. a

Finis Indicis Distinctionum, Quæstionum, & Articulorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LOCA IVRIS CANONICI IN HOC TOMO peculiariter aut declarata aut emendata.

An.duo mala.13.dist. 158.a.b
Can.inter cętera.22. q.4. 174.a
Can. origo. 32. q. 4. 217. a
Can. uir cũ propria. 33.q.4.217. a.
Can.quod proposuisti.32.q.7. 243. b
Can.si per sortiarias.33.q.1. 269.b
Can.uxor à uiro.32. q. 297.b.& 299.b.& sequent.
Can.extraordinaria. 35. q.2.emendatur. 308. a
Cano. qui dormierit. & Can.concubuisti. 32.q.7.309.a
Can.nullus.& Can.illud.31.q.1. 314.a
Can.quoniam.31.dist.327.a. & seq.
Can.plures à Græcis deprauatos.327.b.& seq.
Can.Nicena.31.dist.328.a
Canon.si quis habuerit. 28. q.2. 355.b.& 354.a
Can.olim.dist.95.32.b.& 33.a
Can.quicunq; studet.& can .si quis episcopus.1.q.1.ibid.
Can.duo sunt.96.dist.66.a
Can.quicunque litem. 11.q.1.abrogatus. 76.b.& 66.a
Can.cùm initiatur.27.q.2.104. a
Can.non est dubium.27.q.2.104.b
Can.cùm societas. 27. quæst.2.104.b.& 128.a
Can.sufficiat solus.27.q.2.138.b
Can.statutum.27.q.2.emendatur.129.b
Can.si quis diuinis. 30 q.5.137. b
Can.acutius.26.dist.& 28.q.3.147.a
Can.unius uxoris.26.dist. & can. oportet. 28.q.3.147.a. & seq.
Can.si infidelis.28.q.1. 356.a
Can.super quibus.30.q.3.425. a
Can.primo gradu.35.q.5. 365.b
Can.extraordinaria.35.q. 5. 396. b
Can.ad sedem.35.q.5.368.a
Can.omnes.30.q.1.419. b
Can.peruenit.30.q.1.418. b
Can.adulterij.32.q.7.408. a
¶Cap.super eo.de test.411. b
Cap.consanguinitas.35.q.6.410. b
Cap.quod tua.qui mat.accus.poss. 410.b
Cap.ad audientiam.de sponsa. 397. b
Cap.unicum de cognat.legali.429.a
Cap.literas.de rest.spolia.383.b
Cap.lator.& capi. tenor.de sent.& re iud. 410. a
Cap.Martinus.de cogna.spir.lib.6. 423.a
Cap. 1.ex.de cogn.spir.425. a
Cap.uenerabilis.qui fil.sint legi.407. b
Cap.super eo.de testi.411.a
Cap.iuuenis.de sponsa.315. b
Cap.ut animarum.de consti.lib.6. 155.b
Cap.cùm inhibitio.de cland.despon. 156. a.& 177. b
Cap.1.de his quæ ui met.caus.fiunt. 171.a
Cap.uerum.de iureiu.174. b
Cap.super eo.de condi.appos. 183. a
Cap.si.de condi.appos. 186.a.per totum artic.3. circa conditionem iude uerum intellectum.194.a
Capit. quoniam de coniugio leprosorum. 225.a
Cap.peruenit.eo.tit. ibid.
Cap.gaudemus.de diuortijs.242. & seq.ui de casum pagi. 324. b.& duas concluſ. 354.b. & seq.
Cap.quod sedem.de frigid.& male. 263.b
Cap.literæ.de frig.& malef. 267. b
Cap.ex literis.de diuor. 303. a
Cap. qui presbyterum.de pœni. & remiss. & canonum aliorum usus uigebat duntaxat in foro pœnitentiæ. 307. a
Cap.laudabilem.de conuers. infid. 314. b. in fine.
Cap.in præsentia.de spons. 317. a
Cap.unicum.de uoto in 6.330.a
Cap.rursus.de uoto.ibid. b
Capi.cùm ad monasterium . de statu monach.335.b.& seq.

Cap.

Index Alphabeticus.

Capit.ueniens.de presbyt. non baptizat. 347.a.cuius glossa damnatur.
Cap.si. de præscrip.75. b
Cap.si quis.de uita & honest. cleri. 28.a
Cap.cùm contingat.de ætat.& qual. 29.a
Cap.episcopus.de præb.65.a.b
Cap.quanquam.de censib.li.6. 78.b.in fi.
Cap.cùm locum.de spons.168. b
Cap. ueniens.de presby non bap. 102.b
Cap.si.de conuers.infid.109. a
Cap.tuæ fraternitati.de sponsalib. 115.b. & 116.a
Cap.Dominus.de secund.nup.120.b
Cap.ex literis.de spons. 137. b
Cap.ueniens.de conuers.coniug.131. a
Cap.requisisti.eo.tit.ibid.
Cap.super eo.de bigam.lib.6.148. b
Cap.is qui fidem.de spons. 139. b
Cap.commissum.de spons. 141. a
¶Glossa c.per tuas.de condi.appo.181.a
Glossa.cap.ad eius.dist. 5.227. b
Gloss.c.qui presbyterum . de pœnitent.& remis.307.a
Gloss.can.aliter.dist. 31.324. a
Gloss.cap.rursus.qui cleri.uel uouen.331. a. & 337.b in solu.ad primum .
Glo.can.si quis post uotum.27.q.1.104.a
Gloss.can.omnes.22.dist. 74.b
Gloss.cap.quanquam.de censib.lib.6.77.a
Gloss.cap.desponsatam.27.q.2.129. b
Gloss.cap.Agathosa.27.q.2.131.a
Gloss.cap.unici de bigamis.lib.6. 148. b
Gloss.in can.super quibus.30.q.3. 425.a
Gloss.can.1.30.q.1.324. b
¶Titulus.de frig.& malef.261.a
Titulus.de conuers.infid.348. b
Titulus.de uita & honest.62. a. b

Finis Indicis locorum iuris Canonici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX COPIOSISSIMVS RERVM MAXIME NOTABILIUM, QUÆ IN HOC SECUNDO COMMENTARIORUM TOMO CONTINENTUR, ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS.

A. denotat primam columnam. B. secundam.

A.

ABBATES possunt iure administrare minores ordines. 48. b
Abbates an possint in bigamia dispensare. 148. b
Abbatissæ nequeunt moniales benedicere nec ipsarum confessiones audire nec prædicare. 51. b
Abraham quomodo Agar repudiauerit. 251. a
Abraham absque expressa reuelatione & dispensatione Dei non potuit cum sorore contrahere. 382. a
Abrahæ filij immolatio an fuerit per dispensationem. 247. b
Abrahæ uera uxor fuit Agar. 239. a
Abrahæ bigamiæ mysterium enarratur. 238. b
¶ Absentis coniugis mortui quæ certitudo requiratur, ut coniux possit secundò nubere. 317. per tot.
Absentia coniugis quantumcunq; longa etiam si mortuus credatur non efficit firmum secundum matrimonium, sed illo aduentante secundum est dirimendum. 316 b. & seq.
¶ Abusus loquendi eorum, qui dicunt, parcat mihi Deus & beata uirgo. 559. a
¶ Accidentis ratio est per naturam suam esse in alio. 535. b. uide Eucharistia.
¶ Acolyti siue acoluthi significatio. 15. b
Acolyti officium. ibidem.
¶ Actus coniugalis potest esse apud Deum meritorius gratiæ. 90. b
Actus coniugalis licitus est. 89. b
Actus coniugalis obedientiæ & iustitiæ ac religionis uirtus. 90. b
Actui cõiugali peccatũ accidere potest tripliciter. 91. a
Actus coniugalis non tollit rationis ordinem sicut fornicatoris & ideo alter non est peccatum sicut alius. 91. b
In actu coniugali nimia fruitio coniugib. uitanda. 91. b
¶ Actus bifariam excusatur. 209. a
¶ Accusatio illegitimi matrimonij coram quo fieri debeat & quibus iurib. 409. b
Accusator & testis' quis esse possit in causa matrimoniali. 412. a
Accusare matrimonium quæ personæ possint. 410. b
¶ Adam in qua ætate creatus sit. 505. b
¶ Adoptatio & filiatio legalis habent se ut causa & effectus. 426. b
Adoptio duplex, perfecta, & imperfecta. 426. b
Adoptio quid secundum iurisconsultos & theologos. 426. a
Adoptio quare inuenta. 426. a
Adoptare quæ personæ possint. 427. b
¶ Aduentus Christi duplex. 469. a
Adultera dotem amittit deferendam marito eam publica authoritate occidenti. 313. a. Vide in uerbo Vxoricidium.
Adultera an possit debitum à uiro exigere. 295. a
Adulteræ pœna apud quasdam nationes. 312. a
Adulteram qui petijt ad diuortium in foro ecclesiæ, nequit ad necem postea ob id in seculari foro petere. 313. a
Adulteram Hispani non necessaria morte condemnat. ibi.

Adul-

Adulteram occidens an peccet. 312. b
Adulteram occidendam cur Hispani tradant marito. 312. b. & seq.
Adulteram testib. conuictam potest uir publica authoritate occidere. 312. a
Adulteram an possit maritus propria authoritate occidere. 311. a. Et an excusetur à pœna homicidij. 311. a
Adulteram uxorem num propria authoritate, non expectata ecclesiæ possit maritus deserere. 293. b. & seq.
Adulteram retinens, an in eius crimen cõsentire uideatur. 292. b. & seq.
Adulteram pertinacem nec resipiscentem an debeat maritus deserere. 291. b
Adulteram emendatam consilium est ne uir per diuortium deserat. 291. a
Adulterij cã licitum est diuortium petere. 286. b. & seq. Vide uerbum Diuortium.
Adulterij crimen est mixti fori, ubi discrimen fori assignatur. 313. a
¶ Aetas sponsalib. necessaria. 135. a
Aetas ordinandorum de iure antiquo & de nouiori quæ sit. 54. b
Aetas matrimonio apta, quæ nam secundùm philosophos sit. 281. a
Aetas immatura matrimonio plurima secum fert incommoda. 281. b
Aetas ad matrimonium secundum canones & leges exacta. 281. b
Aetas ad matrimonium requisita, an suppleri possit malitia, & an prudentia. 282. b
Aetatis defectus non solùm est impedimentum propter impotentiam coeundi sed propter defectum usus rationis. 283. b
Aetatis defectus impedit & dirimit matrimonium. 282. a
Aetate minori fœmina cur maturior sit uiro quàm uir fœminæ. 283. b
Affinitas sponsalib. superueniens ea dirimit. 142. b. & 184. b
Affinitas quæ propriè dicatur. 391. b
Affinitas aliqua an contrahatur. 391. b
Affinitas non contrahitur per coitum nefarium. 396. a
Affinitas quoto gradu prohibita. 399. a
Affinitas non contrahitur per osculum & impudicos tactus, imò nec per seminis effusionem extra legitimum uas. 396. a
Affinitas omnis usque ad quartum gradũ impedimentum est matrimonium contrahendum impediens & contractũ dirimens. 399. a
Affinitas per illicitum cõcubitum contrahitur dummodo in uase legitimo copula consummetur. 395. b
Affinitas uel aliquod matrimonij impedimentum utrum post sponsalia contrahatur. 395. a
Affinitas una an aliam trahat. 392. b
Affinitatis gradus an sit aliquis iure naturæ uetitus. 399. b
Affinitatis perpetuum est uinculum. 395. a
Affinitatem cum patre an cõtrahat qui filium Iudæi uel gentilis de fonte leuauit 424. b
Agar uera uxor Abrahæ. 239. a
Agar cum suo Ismaele domo propelli iussa est. 240. a
Agar quomodo repudiata. 251. a
¶ Alimentorum usus non erit post resurrectionem. 509. a
Amicitiæ duo genera. 391. a
Amor & delectatio non est in omnib. beatis æqualis. 684. b
Amor in patria non est liber. 700. a
¶ Ancillam si ducat ingenuus credens liberam, si tamen dicat, quòd eam duceret si esset ancilla, minimè tenet. 277. a
Ancillam herus si ingenuo locet, tunc & libertate donare censetur, & matrimonium legitimum est. 277. b
Ancillam si ducat uxorem herus, matrimonium stabile est. ibidem.
Ancillam si quis ignorans duxerit an ea postea secreto à domino manumissa cõualescat matrimonium. 277. a
Ancillam si quis ducat libertate in tempus donatam, an ualeat matrimonium. 277 b. & seq.
Ancillam si ingenuus duxit, post conditionis conscius matrimonium confirmare cupit, an tunc eadem ipsa consentire debeat. 278. a
Angelus quo pacto Deum comprehendat 680. a
Angelus & anima in quo differant. 441. b
Angeli animas in cælum euehunt. 528. b
Angeli neque boni neque mali sententia Christi iudicabuntur, quantum ad supplicium uel præmium essentiale. 590. a

Angeli nō organizabunt corpus hominis in resurrectione. 473.b
Angelorum bonorum & malorum officia in die iudicij. 461.a.b
Anima Christi uidet in uerbo omnia quæ Deus uidet scientia uisionis. 695.a
Anima separata à corpore eandem naturam & affectionem ad corpus retinet, non è contra corpus ad animam. 485.a.b
Anima an indigeat organo corporeo. 437.a
Anima fœlix, quæ in paradiso inhabitarit, nulla unquam in hanc uitam reuocata fuit. 534.b
Anima separata à corpore utrùm moueatur localiter. 526.b
Anima nostra & brutorum quibus differē tijs distinguuntur. 437.b
Animam esse immortalem an sit ratione naturali cognitum. 434.a
Animam non esse corruptibilem quibus rationibus probetur. 437.b
Animam esse immortalem firmissima eademq; certissima confessio est Christianæ fidei. 435.a
Animam per se subsistere quibus rationibus uenandum sit. 436.b
Animam esse immortalem dubitarunt ali qui propter malè intellectum Aristotelem. 439.b
Animæ puerorum sine baptismo obeuntium deportantur à dæmonibus in limbum. 528.b
Animæ beatorum secundùm beatitudinis positam legem nequeunt è suis receptaculis exire nunquam reuersuræ. 532. a
Animæ defunctorum non quidem necessitate, eo quòd in sua receptacula conferre se ipsæ nequeant, sed alijs de causis deferuntur uel ab angelis uel à dæmonibus. 528.a.b
Animæ defunctorum secundùm permissionem aut dispensationem è suis receptaculis ad nos possunt reuerti. 532. b
Animæ defunctorum in sinu Abrahæ expectant resurrectionem corporum. 525.
Animæ nunquam ab inferno aut limbo ita egrediuntur, ut non sint reuersuræ 532.a
Animæ iudicium mentale. 528.a
Animæ quæ sunt in purgatorio solent apparendo suffragia sibi fieri deposcere. 533.b
Animæ quæ in inferno detinentur, utrū aliquando exeant. 533.b
Animæ separatæ qualiter ab igne inferni pati dicuntur. 751.b
Animæ iustorum illico in cælum euolant 528.a
Animæ damnatorum an fungātur officio dæmonum ad tentandos homines. 533.b
Animarum quinque fuerunt ab orbe cōdito receptacula. 515.a
Animarum status duplex. ibidem.
Animas damnatorum post aliquot mala purgatas regno dei perfruituras putabat Origenes. 750.b
Animas defunctorum falso existimat uulgus in purgatorio detineri quo usq; debitorum restitutio hic fiat. 548.b
Annus probationis an abbreuiari debeat ingredienti religionem post matrimonium ratum. 129.b
Annus integer probationis expectādus est manenti in seculo, nec interim potest alij matrimonio iungi. 129.b
Annus inceptus an sufficiat ad sponsalia. 136.b
Annus inceptus an sufficiat ad matrimonium. 282.a
¶Antichristus quare permittetur persequi familiam Christi. 567.a
Antichristus quanto tempore persequetur ecclesiam. 570.b
Antichristus uera miracula non edet. 570.b
Antichristus aduentum Christi precessurus est. 564.b
Antichristus quare sit dictus. 564. b
Antichristus pessimus omnium futurus est mortalium. 569.a.b
Antichristus per Michaelem extinguetur 570.b
Antichristi natiuitas & mores. 569. a.b
Appetitus duplex, unus naturalis: alius liber. 654.a
Apostata à fide siue clericus siue laicus irregularis est. 59.a
Apostoli creati sunt à Christo episcopi. 31.b
Apostolos resuscitasse gentiles qui in inferno damnati erant, quomodo intelligendum sit. 545.b
¶Argumentum nullum desumi potest ex ueteri lege, nisi quatenus natiuam uim naturalis iuris habet. 371.a
¶Aristot. libro secundo. de Gene. cap. tertio clarissimè dicit animam extrinsecus aduenire & esse diuinam. 441. b
Aristotelem cognouisse animam esse immortalem doctissimè comprobatur. 439.b
¶Arbor affinitatis noua excogitata ab authore. 394.a
¶Astra corporaq; cœlestia incremento lucis in mundi innouatione decorabuntur. 627.a
¶Auditus etiam in corpore glorificato habebit usum fœliciſſimum. 717. b
¶Auerroes quàm delirè & phreneticè Aristotelem interpretetur loquentem de intellectu agente, & possibili. 439 b.& 440.a
¶Aureola quid. 733.a.b
Aureola uirginitatis an sit concedenda sacratissimæ uirgini. 739.b
Aureola non est principaliter in corpore, sed in mente, quanuis per quandam redundantiam refulgeat in corpore. Aureola non competit Christo domino. 744.a
Item nec angelis. 744.b
Aureola doctorum quibus debeatur. 743.a
Aureola Martyrum cæteris anteferenda est. 743.b
Aureolam uirginitatis an ualeant promereri frigidi & eunuchi, ceteriq́ue ad generandum impotentes. 739.a
Ad aureolam uirginitatis requiritur propositum perpetuò uirginitatis seruandæ. 738.b
Aureolæ tantùm sunt tres, scilicet uirginitatis, martyrij, & doctrinæ. 737. a
Aureolæ an sint ab essentiali beatitudine distinctæ. 733. b
Aureolæ utrùm futuræ sint in beatis à fructibus distinctæ. 732. b
Aureolæ subiectum quod. 734. b
Author suorum operum catalogum recē sens quædam animaduerrit & castigat. 768.b.& seq.

B.

Balneari cum parentib. nefas erat filijs apud Romanos. 372. b
Bannum quid. 151. a
Banna unde, origenem traxerint. 152. a
Banna an exigantur ante sponsaliorū contractum. 155. a
Banna non sunt iussa iure communi sub excommunicationis pœna, ibidem. b
Bannorum ritus dissimulandus esset, nec absq; illis contrahentes excommunicandi. 155. a
Bannorum omissio non est mortalis. 157. b
Baptismus est sacramentorum ianua. 341. a
Asque baptismo nullius sacramenti est homo capax. 25. b
Baptizans uel baptizatus bis, est irregularis. 59. a
Baptizans proprium filium, quando debitum petere, & aliud inire coniugiū impediatur. 306. b
¶Beatissima uirgo Maria uide in uerbo, Maria.
¶Beatus non est qui habet quicquid uult, ut uulgus existimat. 661. a
Beati uniuersi uidēt in uerbo omnes quid ditates rerum naturalium, non tamē rerum supernaturaliū, ut opinabatur Durandus. 693. a
Beati uident creaturas uisione matutina & uespertina, quid. 690. b
Beati uniuersi uident omnia quæ sunt formaliter in Deo. 686. b
Beati non omnes æquali beatitudine fruētur. 682. a.b

Beati an possint uidere essentiam dei non uidendo personam.687.a
Beati uident in uerbo quantum ad rerum existentias quotquot ad suum cuiusq; statum pertinent.695.a
Beati in corporibus glorificatis mouebũtur locali motu.727.a
Beati an pedibus gradientur, an uerò alio motu mouebuntur.727.b
Beati damnatorum miseriam & pœnas uident.766.a.b
Beatorum uisiones per quid uariabuntur ut sunt aliæ alijs perfectiores. 682. b
¶Beatitudo in genere cognita necessitatẽ infert uoluntati quantum ad specificationem, non tamen quantum ad exercitium.657.b
Beatitudo perfecta & suprema naturalibus uiribus acquiri non potest.661.a.& 664.b
Beatitudo non consistit in operatione hominis, quæ in hac uita caduca haberi potest.640.a
Beatitudo utrum sit potius intellectus quã uoluntatis operatio.640.b
Beatitudo perfecta semel acquisita amitti non potest.664.b
Beatitudo in nulla re corporea consistit 635.b
Beatitudo practica & speculatiua. 653.a
Beatitudo quid & in quo distinguatur à felicitate & ultimo fine.635.a
Beatitudo est intellectus cognitio per se sufficiens.653.a
Beatitudo est actio immanens.639.a
Beatitudo post resurrectionem erit intensiuè maior.702.a
Beatitudinem in uisione consistere & in fruitione adeò non sunt diuersa ut sint idem.652.a
Beatitudinem sub generali ratione omnis homo suapte natura appetit non solũ naturali inclinatione, sed etiam actu elicito.657.a
Beatatitudinem in particulari cognitam, nemo naturaliter potest appetere actu elicito, nisi supernaturalis cognitione præsupposita.66.a
¶Benedicto ecclesiæ an sit forma matrimonij.94.b
Benedictio nuptiarũ solùm est de solẽnitate, non autem de forma necessaria. 100.a
Benedictiones nuptiales ecclesiæ per consummationẽ matrimonij præuenire an sit peccatum.156.b
Benedicere in deo est benefacere. 608.b
¶Bigamus quicunque irregularis est. 146.b
Bigamus quis dicatur.143.b
Bigamus primus in lege naturæ fuit Lamech, qui duabus uxoribus usus est. 238.a
Bigamus contrahens cum duabus successiuè irregularis est, & huiusmodi irregularitas, an sit de iure diuino. 145.a
Bigamus an sit qui duo matrimonia inualida consummauit.145.b
Bigamus sit ducens unam de iure, & alteram de facto.145.a
Bigamus est qui ab altero cognitam ducit uxorem 146.a
Bigamus non est qui uirginem à se constupratam duxit.146.a
Bigamus sit qui adulteram uxorem scienter post adulterium cognoscit.144.b.& 147.a
Bigamus est qui post solenne castitatis uotum matrimonium de facto contraxit 144.b.& 146.b
Bigami clericali priuilegio non fruuntur 28.a
Bigami septem modis fiunt.144.a
Bigamia significationi sacramẽti contraria est.58.a
Bigamia duob. matrimonijs cõsummatis contrahitur.144.a
Bigamia in omni lege fuit.ibidem.
Bigamiæ duplex genus.ibidem.
Bigamiæ irregularitas non tollitur per baptismum.148.a
Bigamiæ Abrahæ mysterium explicatur 238.b
Bigamia ante baptismum contracta obstat sacramento ordinis susciendo per tot art.147.b
¶Bonum triplex.635.b
Bonum matrimonij sicut et eius finis triplex.236.a
Bonum solum an sit obiectum uoluntatis 657.b
Bona excusantia matrimonium tria tantũ sunt.211.b
Bona matrimonij duplicia.211.b

Bona

Bona huius' seculi quare certis limitib. & lineis distincta sint.695.b
Bona animi in tribus uitæ generib. collocabant sapientes. 663.
Brutæ animantes secundùm Arist. & Plinium etiam maternum congressum exhorrent.374.a
Brutę animantes, quia cognitione finis carent, non sunt animæ capaces.365.a

C

CAelum quiescens præstantius erit post consummationem seculi, quàm mouens se 626.a
Cæli conflagrationem mundi non perpetientur.619.b
Cæli non sunt diuisibiles. 722.a
¶Cadauera quare hodie non crementur. 550.b
¶Calendarij error in assignatione diei cõceptionis Christi.477.a
¶Cardinales quare sic dicti. 37.a
Cardinalium antiquitas. ibidem.
Cardinalium ordo non censetur iure diuino institutus tanquam à presbyteris & episcopis distinctus: sed pontificum iure inuentus ostenditur. 37.a
¶Casus quos possit reseruare superior. ibid.b
¶Castrati nunquid matrimonium contrahere possint. 265.b
¶Castitatis uoto an teneatur infans ante usum rationis ordinib. sacris initiatus. 53.a
Cataphrygæ hæretici mulieres ad sacros ordines admittebant.51.b
¶Catharina filia Fernandi & Elisabet regum Hispaniæ duobus fratrib. regibus Angliæ nupsit.378.b
¶Catholicus uir an teneatur uxorem recõciliatam ecclesiæ in suam domum recipere, & an ea inuita possit religionem ingredi. 359.a
Certitudo moralis quænam sit. 119.b
Certitudo moralis requiritur mortis coniugis ut secũdum matrimonium ualeat. 317.a.b
¶Charactar quare in matrimonio non imprimatur.213.b
Character sacramenti ordinis eo momento imprimitur, quo infunditur gratia, & eo infunditur gratia quo character imprimitur. 19.a
Character sacerdotalis imprimitur ante manuum impositionem.19.b
Character superioris ordinis inferiores non præsupponit.25.a
Character nouus non imprimitur in consecratione episcopi, sed extẽditur sacer dotalis.35.a
¶Christus an fuerit rex temporalis. 68.b, & 70.a.b.ubi latissima disputatio.
Christus nunquid rex iure paterno extiterit.70.b
Christus monarcha totius uniuersi. 70.b
Christus postquàm resurrexit uerè comedit.510.b
Christus etiam quatenus homo constitutus est à deo iudex uiuorum & mortuorum.583.b.& seq.
Christus quare primus resurrexit. 458.a. & 464.a
Christus ad iudicium uenturus est in forma humana.593.a
Christus etiam inquantum homo nouit diem iudicij.472.a
Christum in forma sedentis credibile est iudicaturum. 605.a
Christiani omnes filij dei adoptiui sunt. 426.a
¶Cineres quare dicuntur reliquiæ cadauerum.483.b
Cineres cuiusq; particulæ corporis an ad eandem redibunt.499.b.in fine.
Cinerum nomine intelligitur quicquid sit illud in quod corpus fuerit resolutum. 473.a
Cineribus cadauerum nulla supererit inclinatio animæ resumendæ.485.a
¶Claritas non erit æqualis in omnib. beatis corporib.730.a
¶Clerici non sunt exẽpti circa bona, quæ per negociationem acquirunt.78.b
Clerici in sacris de facto nuptias paciscentes excommunicantur, & beneficijs priuantur.224.a
Clerici & ecclesiæ ministri quare à re uxoria debeant esse alienissimi.322.b
Clerici etymologia.27.b
Clerici eo ipso quòd corona insigniuntur, non censentur patrimonia aut temporalia bona à se abdicare.28.b
Clerici neque iure diuino neque humano sunt omnino à legib. ciuilib. exempti.77.b

Clerici uendentes frumentum contra pragmaticam.77.b
Clerici Græci, Vide Græci.
Clericos quare cæsareos appellauerit Vuitcleff.26.a
Clericos negare esse exemptos à potestate ciuili error condemnatus in concilio Constantiensi.76.a
Clericos papa potuit ab exactionibus & foro secularium principum meritò liberare.73.b
Clericorum exemptio propter eorum crimina remissiùs à prælatis punita frequentiùs uiolatur.79.a
Clericorũ res & bona an sint iure diuino à potestate ciuili libera.77.a
¶Coactio simpliciter dicta in rebus duntaxat inanimis est, &in membris animatorum. Atq; ibi, Vide an sit in appetitu rationali uel sensitiuo.163.a
Coactionis duplex genus.163.a
¶Cogere nequit pater filium ad nuptias, inducere tamen potest.176.b
Cogere potest respublica opificibus destituta eos qui sibi necessarij uidebuntur 88.a
Cogi num possint aliquo casu sacerdotes aut monachi uel moniales ad matrimonium propter sponsalia iurata.138.a
Cogi an quæ possit ut consentiat matrimonio.167.b
¶Cognatio legalis triplex.428.b
Cognatio spiritualis solùm post legem euangelicam uiguit.416.b
Cognatio spiritualis matrimoniũ contrahendum dirimit, non autem contractũ 416.b
Cognatio spiritualis an oriatur ex illicito coitu.423.b
Cognatio spiritualis quid. 416. a
Cognatio spiritualis duntaxat per duo sacramenta baptismi & confirmationis contrahitur.418.b
Cognatio spiritualis solum est ex statuto ecclesiæ.416.a
Cognatio spiritualis quam quis contraxit non per actũ proprium sed per alienũ minimè in eius uxorem transfunditur 423.a
Cognatio legalis, quòd impedimentum sit matrimonij.428.a.& 429.a
Cognatio spiritualis an duntaxat inter baptizantem & baptizatum contrahatur.421.b
Cognatio spiritualis non contrahitur per procuratorem.421.a
Cognatio superius nomen est quàm consanguinitas.365. a
Coitus nefarius non parit affinitatem.
¶Compaternitas quibus modis contrahitur.422.b. Vide cognatio spiritualis.
Comprehensionis nomen quot modis accipitur.678.a
¶Conatus ad copulam citra seminationẽ non consummat matrimonium. 123. a
¶Concubitus coniugalis solius uoluptatis gratia non est mortale aut ueniale. 215. b
Concubinatus semper fuit illicitus sicut & fornicatio.239. b
Concubinarij possunt se mortuis coniugib. mutuò copulare. 314. a
¶Condensatio absque motu qualiter fieri possit in resurrectione corporum. 476 a
¶Conditio turpis habetur pro non adiecta.187.a
Conditio impossibilis duplex. 191. b
Conditio omnis matrimonio contraria ipsum tollit.189.a
Conditio honesta de futuro suspendit cõtractum.ibid.
Conditio si es pulchra, si mecum concubueris quid operetur. 193. a
Conditio impossibilis pro non adiecta habetur.186.b
Conditio, si Papa dispẽsauerit, si patri placuerit quid efficiat.181.a.& 183. a
Conditio de futuro adiecta uerbis de præsenti, an impleta conciliet matrimoniũ absque nouo consensu. 181. b. & 182. b
Conditionum uaria genera. 180. a
Conditionatus consensus an sufficiat matrimonium.179.a
Conditionatus consensus copula subsequẽte redditur purus.191. b
Non confirmatus an possit ordinib. initiari.25.a
¶Cõiux manens in seculo totum annum probationis expectare debet. 129.b
Coniux etiam ante copulam non potest religionem non approbatam altero inuito profiteri.129. a
Coniugi relicto ante copulam non fit iniuria propter religionis statum. 123.b
Coniuges si incipiunt dubitare an matrimonium ab eis contractum sit ualidum, quid agendum. 120.a
Coniugum potest alter altero inuito religionem ingredi ante copulam.123.b
Coniugium non meretur palmam sicut uirginitas quomodo intelligendum. 92.a
Coniugatus quibus modis possit eligi in episcopum. 128.b
Coniugatus de facto aliam ducens nequit cum ea post obitũ legitimæ uxoris contrahere.315.a
Coniugatus si inuita uel ignorante uxore ordinetur in hæresis suspicionẽ incidit. 61.a.& ab ordinibus suspenditur. 326.a
¶Consanguinitas quid 363. a
Consanguinitas per lineas & gradus quomodo distinguatur. 365.a
Consanguinitatis noua arbor excogitata ab autore. 366.b
Consanguinitatis definitio an sit legitimè constituta examinatur.363.a
¶Consensus formalis uel interpretatiuus non requiritur ad susceptionem ordinum.53.b
Consensus mutuus de præsenti est causa efficiens: nempe forma & materia sacramenti matrimonij. 94. a
Consensus formalis in carnalem copulam non est ad essentiam matrimonij necessarius.84.b.& 114.b
Consensus interni etiam de præsenti non sufficiunt nisi exterius per uerba itidem de præsenti uel nutus exprimantur. 115.b
Consensus tacitus quando sponsis præsentibus & non dissentientibus alij pro ipsis respondent matrimonium efficit. 117.a
Consensus utriusque contrahentis an simul tempore cõcurrere debeant. 117.b
Consensus de præsenti in duo matrimonia citra copulam an constituat quem bigamum.144.a
Consensus coactus quando matrimonium inualidum reddat.167.a.& 168.b
Cõsensus si absit nulla uerba quo ad Deũ matrimonium conciliant. 168.b
Consensus coactus an omnes contractus iure naturæ eneruet.169. a
Consensus in matrimonium & in copulam sed uterque metu mortis extortus an efficiat matrimonium.175.a
Consensus de præsenti sub conditione de præsenti an perficiat matrimonium. 180.b
Consensus nouus requiritur post dispensationem Papæ in gradu prohibito. 183.b
Consensus in interiori iudicio nunquam per copulam præsumitur. 138. b. Vide copula.
Consentire an possit alter in matrimonium post longum temporis lapsum. 117.b
Consentire simulans an teneatur alteri uerè consentienti fidem seruare. 121.b
Consensisse dum alter uel uterque negat quid agendum.119.a
¶Consummare matrimonium ante benedictionem ecclesiæ an sit peccatum. 156.b
¶Cõstans qui dicatur & quomodo differt à pertinaci. 165.a
¶Continentia ordinibus sacris annexa est & super ea dispensare non potest papa. 323.b
¶Copula coniugalis est de perfectione secunda matrimonij.103.a
Copula carnalis licèt nõ sit de essentia matrimonij, potentia tamen coeundi de eius essentia est. 263.b
Copula carnalis post sponsalia de futuro, in foro conscientiæ non est sufficiens causa matrimonij.138.b
Copula interpretatiuus consensus est perficiendi quod per sponsalia fuerat inceptum. 138.b
Copula præcedens sponsalia non efficit ea matrimonium. 139. a
Copula præcedens benedictiones ecclesiæ an sit peccatum.156. b
Copula subsequens conditionales contractus eos reddit puros. 190.b
¶Corona optimum & clericis dignum insigne.26.a
Corona clericalis quomodo debeat attondi.26.a
Corona clericalis res antiqua. ibid.b.
Corona clericali plures in Hispania insigniuntur, quo liberiùs delinquant. 28.a
Corona quare Leuitæ non decorabantur 28.b
Coronam nisi aperuerint, qui clericali priuilegio potiuntur excommunicantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

28.a
Coronam an teneantur aperire coniugati clerici. ibidem.
Coronæ clericalis priuilegio non gaudent bigami. 28.a
Coronæ clericalis & monachalis discrimẽ 27.b
Coronæ attonsio quid designet. 27.a
¶Corpus idem quod corruptum est cõtra Durandũ ex ijsdem cineribus resurget 492.a
Corpus gloriosus non mouebitur in instanti sed subitò. 727.b
Corpora beata utrũ à corpore non beato naturaliter uideri possint. 730.a
Corpora electorum cum omnibus suis mẽbris resurgent. 501.a
Corpora quæ cum Christo resurrexerunt, an glorificata resurrexerunt. 466.a
Corpora gloriosa qua uirtute se se mutuò penetrabunt. 724.b
Corpora omnia humana priusquàm resurgant, usque ad elementa resoluentur. 484.a
Corpora obesa, crassa, macilenta &c. qualia sint resurrectura. 498.a
Vide in dictione, Resurgere.
Corpora beata duo poterunt in eodem loco subsistere. licèt philosophiæ naturali repugnet. 723.a
Corpora beata quibus dotibus exornabũtur. 711.a
Corpora damnatorum absq; ullo uitio naturæ resurgent. 755.a
Corpora damnatorum an donabuntur dote subtilitatis. 756.a
Corpore uitiati suscipiendis ordinibus inepti sunt. 56.b
¶Corruptio rei bifariam accidit. 437.a
Corruptum an possit per naturam idem numero redire. 451.a

D

AEmones quare nonnunquam in hominem potestatem exercere permittãtur. 270.b
Dæmones habent uirtutem animam aut corpus mouendi localiter aut aliqua qualitate afficiendi. 267.a
Dæmones quare nunquam formam ouiũ induant. 607.a
Dæmonum maleficia quibus modis fiant. 267.b
Dæmonum fallacia circa maleficos. 268.a
¶Damnati an cum omnibus membris suis resurgent. 592.b
Damnati aliqui utrùm resuscitati postea in cælum euolauerint. 545.b
Damnati uidebunt dotes gloriæ humanitatis Christi nempe claritatem & reliquas. 598.a
Damnati quibus pœnis torquebuntur. 759.a.b
Damnati pœnitentiam non fructuosam sed sterilem & cruciantem habent. 760.a.b
Damnati an experiantur sensum frigoris. ibid. b
Damnati utrum gloriam beatorũ uideant 766.b
Vide plura in uerbo, Corpora, & in uerbo, Animæ.
¶Dauid an fuerit uerus pater Thamar. 380.a
¶Debitum à coniuge petere pridie quàm accedendum sit ad eucharistiam, irreuerentia est, non tamen mortalis. 299.a
Debitum petere non potest qui ut affinitatem cum coniuge contraheret, propriam prolem baptizauit. 306.b
Debitum ab uxore petere non potest reddere tamen tenetur incestuosus. 308.b. Vide incestuosus.
Debitum reddere non tamen exigere potest dubius de morte prioris coniugis. 317.b
Debitum petere non potest, reddere tamen potest, qui post uotum simplex castitatis matrimonium contraxit. 332.a
Debitũ denegare potest uir uxori in adulterio deprehensæ. 293.b
Idem potest uxor uiro adultero. 296.b
Melius tamen est ne deneget. 291.b
Debitum an possit uir denegare uxori propter solam adulterij suspicionem 294.b
Debitum petere an possit adultera à uiro innocenti. 295.a
Debitum exigere siue reddere in loco sacro mortale est. 230.b
Debitum an teneatur reddere coniux sanus

nus insano & furioso. 271.b
Quid etiam in Leproso? 225.a
Debitum reddere tenetur alteruter coniugum de necessitate præcepti. 223.a
Debiti petendi & reddendi an par sit utrique coniugum ius. 226.a
Debitum petere aut reddere an liceat mẽstruatæ. 228.a
Debitum negare an liceat causa uoti aut orationis aut temporis sacri. 228.b
Debitum reddere non tenetur coniux intra duos menses post nuptias. 228.b
Debitum reddere an teneatur coniux qui dubitat an matrimonium sit ualidum. 120.a
Deus potest in hoc seculo ex priuilegio singulari uisionem sui dilectis impartiri. 677.b. in fine.
Deus in ratione speciei unitur intellectib. beatis ad producendum eius uisionem. 670.b
Deus uideri potest totus sed non totaliter 680.b
Deus sine luminẽ gloriæ uideri nequit. 676.a
Deus corporalibus oculis uideri nequit. 670.b
Deus se ipsum comprehendit. 679.a
Deus simpliciter est incomprehensibilis. ibid.b
¶Dextra & sinistra in iudicio quæ sit. 604.b
Dextra Dei duo significat. 594.b
¶Diaconus in peccato solenniter officiũ exercens non peccat mortaliter. 24.a. & 64.a
¶Dies iudicij omni puræ creaturæ tam per causas naturales quàm secundum uiam Dei ordinariam occulta est. 468.a
Dies conceptionis Christi. 477.a
Dies Danielis & Apocalypsis de die iudicij explicantur. 471.b
Diem iudicij qui prænunciauerunt non sunt audiendi. 470.b
Diem iudicij nosse an expedierit ecclesiæ 469.b
¶Dispensatio in gradu prohibito non firmat matrimonium absq; nouo consensu. 183.b
Dispensatio nulla ecclesiæ locum habet super uoto solenni religionis. 335.a
Dispensatum fuit cum hebræis super furto, ut Aegyptiorum uasa surriperent. 247.b
Item super uxorum multitudine. 252.a
Dispensare an possit Papa super gradus in Leuitico prohibitos. 382.b
Dispensare potest episcopus in omnib. in quib. Papa, nisi expresse sit cohibitus. 127.b
Dispensare in quot casibus soleat episcopus. 231.a. 148.b. 154.a
Dispensari an possit cum sacerdote occidentali ut nuptias contrahat. 325.b. & seq.
¶Diuinitas Christi ab iniquis an sit conspicienda in die iudicij. 597.a.b
¶Diuitis Epulonis historia narratur. 749.a
¶Diuortium quoad thorum quib. ex causis fieri possit. 359.b
Diuortium & repudium quid. 249.b
Diuortium unde dictum, & quotuplex. 286.b. 294.a
Diuortium non autem repudium pontificum iure permissum est. 250.b
Diuortium ex iure diuino & naturali ortũ habet. 287.a
Diuortium fornicationis causa in quibus casibus maritus nequit petere. 287.b
Diuortium peti potest propter fornicationem spiritualem: nempe hæresim, apostasiam. &c. 290.b
Diuortium an concedatur propter alia crimina, quàm fornicationis. 290.b
Diuortium petere ab uxore fornicaria in quatuor tenetur maritus. 292.a
Diuortium fieri priuata autoritate non potest. 294.a
Diuortium petere an pariter possit uxor sicut uir. 296.a. & seq.
Per diuortium an matrimonium quo ad uinculum dirimatur. 298.a
Post diuortium si fornicetur uir an possit compelli redire ad uxorem. 303.a
Diuortio faciendo an satis sit nefandum crimen probare. 287.a
Diuortio celebrato utrum possit uir aliud inire matrimoniũ. 297.a. & seq. ubi elegans disputatio.
¶Donatio facta Syluestro Papæ à Constantino Cæsare uerè donatio fuit, non tamen restitutio. 72.b

Dotes quæ futuræ sint in corporib. glorio sis. 710. a
Dotes non nisi in gloria dantur. 704. a
Dotes non erant ante orbem redemptum. 704. b
Dotes utrùm Christo uel angelis competant, an uerò solis hominibus. 705. b. & 706. a. b
Dotes an sint habitus. 709. a
Dotes animæ qua ratione à beatitudine distinguuntur. 709. b
Dotes animæ quot à doctoribus assignentur. 708 a
Dotium fideiussores ex parte uiri dari nō possunt. 132. a
Dotium obligationem non soluit copula subsequens conditionalia sponsalia. 190. b
¶Dubium quando quid dicatur. 119. a
Dubium duplex speculatiuum & practicū 121. b

E.

Lementa qualiter innouabuntur. 616. b. & seq.
¶Eleemosyna quandoque gratior esse potest Deo & acceptior in satisfactionem pro defunctis, quàm longa missarū multiplicatio. 549. b
¶Elias & Enoch in paradiso terrestri reseruantur ad prædicandum euangelium in uniuerso orbe. 565. b
Elias & Enoch in resurrectione non morientur cum cæteris. 483. a
¶Emanuel Rex Portugalliæ duas sorores duxit. 378. b
¶Episcopatus non est sacramentum. 33. b
Episcopus unde dictus. 33. a
Episcopi & presbyteri olim promiscuè uocabantur. 33. a
Episcopus & sacerdos in quo differant. 30. a
Episcopus nequit consecrari antequam sit sacerdos. 34. a
Episcopus licèt characterem non suscipiat, susciput tamen indelebilem potestatem sacramenta administrandi. 47. b
Episcopus excommunicatus irregularis de gradatus, sacramentum ordinis uerè cōfert. 48. a
Episcopus dispensat cum illegitimè natis quo ad minores ordines. 56. a
Episcopus indignos ordinans peccat mortaliter. 65. b
Episcopus cum quibus dispensare possit. 148. b. & 307. a
Episcopos esse omnes promiscuè sacerdotes ganniebat Lutherus. 29. b
Episcoporum nouem indumenta propria atque ibi eorum significatio. 37. b
¶Erasmus in dubium reuocauit an matrimonium sit sacramentum. 94. a
¶Error & conditio in quo differant. 192. a
Error personæ impedit matrimonium. 196. b
Error quando impedit sacramentum. 197. a. b
¶Essentia Dei utrum ab intellectu creato per aliquam creatam similitudinem uideri possit. 667. b
¶Essenorum collegium ante Christi aduē tum morem nostrorum anacoritarum seruabat. 203. a
¶Eunuchi qui sani se castrauerunt fiunt irregulares. 56. b
Eunuchi an possint matrimonium inire. 265. b
¶Excommunicatus non est irregularis, sed tunc fit irregularis quando excommunicatus celebrat. 50. a
Excommunicatus propter omissionem bā norum per bullam cruciatæ potest absolui. 156. a
¶Exequiarum ritus. 551. b
¶Exorcistæ officium. 16. a

F.

Elicitas in quib. rebus posita fuerit à philosophis. 636. a. b
Fœlicitas contemplatiua & actiua. 640. a
Fœlicitas & fortuna circa idem esse quomodo intelligantur. 636. a
¶Fides matrimonij pro qua re accipiatur. 212. b
Fides & proles matrimonij bifariam consideratur. 213. a
Fides data adulteræ quando matrimoniū dirimat. 315. a
Fidelis cùm ab infideli matrimonio discedit, non homo sed Deus illud dissoluit. 355. b
¶Filij illegitimi utriusq; generis siue naturales siue spurij & nothi, honorib. publicis & parentum honoribus priuantur. 405. b
Filij extra uerum matrimoniū nati an dicendi sint illegitimi. 404. a
Filij presbyterorū peculiarib. legib. Hispanorū acriùs ab hereditate paternarepelluntur. 406. a.
Filij à parentib. tria suscipiunt beneficia. 83. b
Filij an cogi possint à patre ut matrimonium contrahant. 176. b
Filij cōtrahentes matrimonium inuitis parentibus, quibus pœnis subijciuntur. 177. b
Filij an debeant conditionem patris sequi an potiùs uentris. 279. a
Filij infidelium altero parentum ad fidē cōuerso utrum sequi debeant, num infidelitatis tenacem. 351. b
Filij quibus modis fiant legitimi. 407. a &. b. & 408. a
Filiorum quadruplex genus. 404. b
Filiorum illegitimorum species. 404. b
¶Finis siue turpis, siue honestus adiungatur, matrimonium tenet. 199. b
Finis matrimonij quotuplex. 199. b. 236. a &. 239. a
¶Forma sacramenti ordinis potiùs characterem, quàm gratiam designat. 9. a
Forma sacramenti matrimonij sunt uerba ipsa contrahentium. 94. a. 100. a
Fornicator quare ad ordines admittatur cum natus ex fornicatione abigatur. 56. a
Fornicatio an sufficiat ad educandas proles. 84. b
Fornicatio est contra eius naturæ. 239. b
Fornicatio Abrahæ cum Agar. 239. a
Fornicationis causa licitum uirum ab uxore diuertere. 286. b. 131. b. uide in uerbo Diuortium.
Fornicationis nomen propriè non nisi carnali turpitudini conuenit. 360. a
¶Frater in infidelitate contrahens cum sorore, si ad fidem conuertantur, non sunt separandi. 337. b
Fraterna connubia an olim fuerint uetita 378. b
¶Frigiditas & maleficium quare impediūt matrimonium. 271. a
Frigiditas quomodo probari possit post triennium elapsum. 262. b
Frigiditas matrimonium dirimit. 123. b
Nisi coniuges cohabitare consenserint. 262. b
Frigiditatis nomine quid intelligatur. 261. a
Frigidi sunt qui seminare nequeunt, quamuis claustrum rumpant. 123. a
Frigidi soluto matrimonio aliud inire nequeunt. 263. a
Frigidi uel impediti iudicati si secundas nuptias consummasse reperiantur, ad priores sunt reuocandi. 263. b. 270. a
Frigidi natura erga omnes fœminas frigēt maleficiati uerò non. 267. a
¶Fructus etsi uirtuti continentiæ peculiaris tribuatur, omni tamen uirtuti congruit. 735. b
Fructus quotuplex reperiatur. 734. b
Fructus tres tribus uirtutis gradibus consignati. 735. b
¶Fruitio duplex: una in re, altera in spe 652. b
Fruitio apud Doctores sacros quid propriè sit. 651. a
Fruitio si accipiatur effectiuè pro actione per quam captatur uoluptas & delectatio non est actus elicitus uoluntatis, sed intellectus. 650. a
¶Funebris pompa ut pullatæ uestes & lamentationes & planctus immoderati nihil defuncto prodest. 551. a
¶Cum furioso an liceat coniugi sano concumbere. 271. b
Furiosos duos an liceat ad carnalem congressum committere. 271. b
Furia an sit impedimentum matrimoniū dirimens. 271. a
Furia si matrimonio anteceserit dirimit, sin autem succeserit, minimè. 271. a
Furiæ duplex genus. ibidem.

G

Audium & lætitia in quo differant. 649. b
¶Gehenna unde dicta. 520. a
Generationum causa post diem

diem iudicij ceſſabit.625.a
¶Gradus conſanguinitatis qualiter computari debeat.368.b
Gradus conſanguinitatis quid ſit.365.b
Gradus eiuſdem ad ſeipſum eſſe non poteſt.365.b
Gradus primus in linea tranſuerſa in primo ortu diſpenſationem accepit.386.a
Gradus primus tam in linea recta,quàm tranſuerſali adeò iure nataræ eſt prohibitus, ut etiam inter infideles nullum ſit.403.b
Gradus ſecundus conſanguinitatis nullo iure ſic prohibitus eſt, quin Papa ſuper eo diſpenſare poſſit.383.a
Gradus quartus hodie ſolùm conſanguineos à nexu coniugali cohibet.387.a
Gradus affinitatis ad normam graduũ cõſanguinitatis exigendi ſunt.394.a.& 399.b
Gradus conſanguinitatis an potuerit eccleſia taxare uſq; ad quartum gradum 384.a
Graduũ prohibitio Leuitici.18 an duret etiam modò.370.b
Gratia eſt arrha gloriæ.704.a
Gratia gratum faciens confertur in ſacramento ordinis & matrimonij.18.b.97.b &.98.b
¶Græci poſt ſuſceptos ſacros ordines neminem nuptias conciliare permittunt 323.b
Græci non habent ordinibus uotum caſtitatis annexum.ibidem.
Græci canones ſuæ opinioni aduerſos depraua runt.261.b
¶Guſtus an uſum habebit in corpore beato.719.b

H

Hæreticam reſipiſcentem ſi eccleſiæ reconcilietur,utrũ catholicus teneatur reconciliatam in ſuam domum & thorum recipere.358.b
Hæreſis Vuitcleff,& Armachani aſſerentiũ uitæ integritatem & miniſtrorum ſanctitatem eſſe de eſſentia ſacramenti ordinis.62.b
Hæreſis Tatianorum & Encratitarum circa uſum coniugij 89.b
Hæreſis Armenorum aſſerentium,quòd ſi primi parentes non peccaſſent, nũquã ad generandum coiſſent.89.b
Hæreſis Lutheri negantis matrimonium eſſe ſacramentum.92.b.& 93.a
¶Hermaphroditus in ſexum fœmineum inclinans ordinum incapax eſt.50.a
¶Homo nequit in hac uita ſuam ſuprem fœlicitatem conſequi.663.a
Homines cur mas & fœmina ſeorſum cõditi.84.b
¶Honeſtas publica quid.397.a
Honeſtas publica utrùm ex quocunq; ſpõſaliorum genere,quomodocunque illa componantur,oriatur.397.a
Honeſtatis publicæ, quæ ex ſponſalibus oritur, nullus iam,aut uix ullus eſt.404.a
¶Honor duplex.701.b
¶Hora diei qua futurum ſit iudicium an certa dari poſſit.476.a
Horas canonicas qui teneantur recitare 22.b.&.23.a
¶Humores omnes & humiditates quæ ad uitæ etiam mortalis neceſſitatem & integritatem ſpectant, erunt in reſurgentibus.504.a

I

Acob contraxit cum Lia per conſenſum nouum in ipſam.198.b
¶Ignorantia uincibilis excuſat à cenſuris particularium prælatorm.155.b
Ignorantia craſſa & ſupina quæ dicatur.155.b
Ignorantiæ nomine quid intelligatur.276.b
¶Impaſſibilitas utrùm inter dotes corporis glorioſi ſit connumeranda.711.b
Impaſſibilitas ſolis beatis eſt propria.712.a
Impaſſibilitas an ſit qualitas.713.b
Impaſſibilitatis dos ſecundum ſe conſiderata nullatenus maior eſt in beata Virgine quàm in infimo beato.715.b
¶Impotentia coeundi duplex.261.a
Impotentia naturalis triplex.ibid.
Impotentia coeundi quomodo poſt triennium probari poſſit.262.b
Impotentia coeundi ſuperueniens matrimonio rato an ipſum dirimat.262.b

Impotentia perpetua uel temporalis quæ dicatur.263 b
¶Impedimentum quando ſit temporale, quando uerò perpetuum.263.b.& 264.a
Impedimentum fœminæ arctæ ſi ſit medicabile matrimonium non dirimit.263.b
Impedimentum quod per magicam amoueri poteſt,an dirimat.264.a
Impedimentum dirimens non eſt fœtor oris.264.b
Impedimentum maleficij, Vide, Maleficium.
Impedimentum ſeruitutis. Vide, Seruitus.
Impedimenta ſex matrimonium impedientia.259.a.306.a.& 307.a.b.
Impedimenta matrimonij alia neceſſaria alia uoluntaria.265.a
Impedimenta matrimonij eccleſia potuit ſtatuere.259.a
Impedimenta quare peculiariùs matrimonio quàm alijs ſacramentis adſcribantur.260.b
¶Inceſtus quid & unde.308.a
Inceſtus cum conſanguinea uxoris quando impediat & quando dirimat matrimonium.306.a
Inceſtus cum cognata uxoris mortuæ non impedit contrahendum.ibid.
Inceſtus occultus non impedit matrimonij contractum.307.a
Inceſtus cum propria conſanguinea an debiti exactionem impediat.310.b
Inceſtuoſus impeditur ne matrimonium uxore mortua inire poſſit.306.b.& 308.b
¶Incubi dæmones poſſunt ſemen aliunde euectum in matricem immittere.510.b
¶Incomprehenſibile perfecto modo eſt proprium attributum Dei.679.a
¶Indulgentias pontificis pro multis an Deus ſemper receptas habeat.551.b
¶Infidelis ad fidem conuerſus an poſſit cum pertinaci una manere.348.b
Infidelis qui in ſua cæcitate primam uxorem repudiauerat, ad fidem conuerſus ipſam etiam reſipiſcentem tenetur admittere relictis iſti quæ poſt repudium duxerat.353.a
Infideles quo iudicio iudicandi ſint.600.b
Infideles qui in gradib.ab eccleſia prohibitis contraxerunt, poſt conuerſionem an debeant ſeparari.352.b.& 353.a
Infideliũ proles ſi alter conuertatur ad fidem quem ſequi debeat.351.b
Infidelium conuerſio multiplex.348.b
¶Infantes uide,Paruuli.
¶Infernus damnatorum ſedes quo loco ſit conſtitutus nondum eſt tanta certitudine compertum.518.a &ſeq.
Infernus & inferi idem.522.b
Infernus quare dicatur gehenna.750.b
¶Ignis quo mundus expurgabitur, an ſit futurus eiuſdem ſpeciei cum elementari & noſtro.616.b.& 750.a
Ignis conflagrationis mundi faciem mundi iudicis antecedet.617.b
Ignis purgatorius iudicij non pertinget ad elementum ignis in ſuo proprio loco exiſtens.621.b
Neque cæleſtes orbes perpurgabit.619.b
Ignis lata ſententia iudicij protinus damnatos corripiet & conuolutos in infernum obtrudet.622.a
Ignis inferni corporeus eſt ab initio mundi creatus.749.a
¶Innocentes omnes occiſi pro Chriſto ab Herode martyres fuere.741.a
¶Intellectus eſt animæ potentia eademque inſeparabilis.439.b
Intellectus poſſibilis nullatenus eſt ſeparatus.440.b
Intellectus agens & poſſibilis,potentia eſt animæ.439.b
Intellectus beatus ad Dei uiſionem concurrit 668.b
Intellectus fœlicium ciuium nullus uidet in Deo diſtinctè omnia quæ in ipſo eminenter continentur.691.a
Intellectus quòd ſit actus præſtantior quã uoluntas quibus probetur argumentis 646.b
Intellectus per lumen naturale nequit niſi lumine gloriæ eleuetur, Deum uidere.672.b

Intelligere simul plura non posse, quomodo accipiendum sit. 694. b
¶Intestina utrùm uacua resurgent. 503. b
¶Ioannes Baptista tantùm increpabat Herodem quòd cum uxore uiuentis fratris adulteraretur. 402. b
Ioanes Baptista utrum resurrexit cũ Christo. 466. b
Ioannes Euangelista uerè mortuus fuit nec resurrexisse constat. 467. a
¶Ioseph & beatissima uirgo Maria ueri coniuges fuerunt. 104. a
¶Irregularitas triplex. 50. a
Irregularitas omnis aboletur per professionem religionis quantum ad ordinum susceptionem, præter illam quæ uel ex homicidio uoluntario uel ex bigamia contrahitur. 56. a
Irregularitas non est pœna iniquitatis. 56. a
Irregularitatis & incapacitatis discrimen. 50. a
Irregularitatem non contrahit qui fœtum in utero nondum animatum extinguit, nec qui uenena sterilitatis propinat. 58. a
Irregularitatem quæ personæ incurrunt. 59. a. b
Irregularis fit contrahens cum corrupta. 146. a. b. Quid autem si ducat corruptã à se prius. ibidem.
Irregularis est omnis bigamus. 146. b
Irregularis episcopus uerum sacramentum ordinis confert. 48. a
Irregularis non est excommunicatus, nisi in excommunicatione celebret. 50 a
Irregularis quare sit illegitimè natus. 50. a
Irregularis est tam qui sibi quàm qui alteri membrum amputat. 58. b
Irregularis est non tantùm qui occidit uel mutilauit, sed etiam qui fuit causa. ibidem.
Irregulares sunt omnes ministri iustitiæ etiam notarij. 58. b
¶Iudicium futurum multi hæretici negabant. 581. a
Iudicium finale an sit peragendum sonora uoce. 459. a. & 603. a
Iudicium duplex discussionis & condemnationis. 449. a
Iudicium nunc est mundi Ioan. duodecimo quomodo intelligatur. 583. a
Iudicium generale per sententiam iudicis concludetur. 608. b. & sequen.
Iudicium generale tam ex parte iudicantium quàm iudicandorum ad homines duntaxat directè pertinebit. 590. b
Iudicium generale celebrabitur in Valle Iosaphat, quæ iacet ad pedem montis Oliueti. 591. b
Iudicij extremi ordinem graphicè depinxit Daniel. 596. a
Iudicij nomen qualiter accipiatur. 581. a
Iudicio discussionis neque uniuersi iusti neque omnes iniqui iudicabuntur. 589. a
In iudicio libri aperientur, quib. causarũ merita legantur. 599. a
In iudicio uniuersi mortales nemine excepto comparebunt 588. b
Iudicare multis modis accipitur. 584. b
Iudicandi munus quibus dabitur in die iudicij. 585. b
Iudicanti Christo qui sint assessuri. 584. b
¶Ius naturæ multiplex. 237. a. & 372. a.
Ius naturæ & instinctus in quo differunt. 235. b
Iuris naturæ tres sunt gradus. 400. b
¶Iurameutum omnis est controuersiæ finis. 137. a
Iuramentum in sponsalib. quo animo apponatur. 141. b
Iurans sponsalia metu mortis an teneatur iuramentum adimplere. 173. b
¶Iustificationis duplex terminus. 456. b
Iustificatus nunquam fuit peccator citra sacramentum aut contritionem. 25. a

L.

Laban quare duas filias Iacob desponsauerit. 242. a
¶Lamech primus bigamus fuit, qui in lege naturę duabus uxoribus usus est. 238. a
¶Lectoris officium. 16. a
Lepra sponsalia dirimit non tamen matrimonium. 225. a
¶Lex uetus solum perseuerat quantũ ad moralia. 378. a
Lex uetus p Christũ antiquata est. 371. a
Lex Leuitici nũquã coniugiũ leuiri cum uxoris ffis defuncti sine liberis. 402. b
Lex Leuitici non erat omnino indispensabilis. 401. b
Leges connubiales an possint statui per principes seculares. 385. a (75. a
Leges fidei noxias potest Papa abrogare.
Leges matrimonio adhibitæ iure gentiũ & ciuili. 95. b
Leges punientes filios contrahentes clandestinum matrimoniũ sunt iustæ. 178. a
Leges & dispensationes futura respiciunt non præterita. 183. b
¶Legitima ætas, uide Aetas.
Legitimandi sex modi à iuribus statuti. 407. a
¶Libertas ad matrimonium iure diuino fundatur. 178. b
¶Libellus repudij, uide Repudium.
Liber de spiritu, falsò attributus Augustino. 752. a
Liber uitæ quis. 599. b
Libri qui in die iudicij aperientur qui sint 600. a
¶Limbus puerorum. 515. a
Limbus patrum supremus erat inter subterranea receptacula. 522. b
¶Ligamen an sit impedimentum matrimonium dirimens. 316. a
¶Linea consanguinitatis quæ sit & quotuplex. 365. b. & 366. b
¶Loth cum filiab. congressus. 238. a
¶Lumen gloriæ duplex. 673. b
¶Luxuriæ septem species. 408. a

M.

Maleficium an dirimat matrimonium. 266. b. & seq.
Maleficium quare peccato cessante ipsum non cesset 270. b
Maleficij & frigiditatis discrimen. 269. b
Maleficio legitimè comprobato uterque coniux liberè potest aliud inire coniugium. 269. b
Maleficio dimouendo quæ nam possint medicamina admoueri. 267. b. & seq.
Maleficia dæmonum non desunt qui negent. 267. a
Maleficia an sint perpetua. 267. a
Maleficia plurib. modis ex parte dæmonũ aut magicorum fiunt. 267. b
Maleficia an liceat per alia maleficia dissoluere. 269. a
Maleficia cur crebriùs circa matrimoniũ quàm circa quosuis alios cõcubitus uagos accidere soleant. 270. b
Maleficiati si habiles ad primas nuptias post secundas reperiantur, an sint ad illas reuocandi. 269. b
Maleficum prece uel pretio rogare licet ut ligaturas dissoluat. 269. a
¶Malitia supplet ætatem matrimonio requisitam. & seq. 282. b
¶Mala quædam sunt quæ dicuntur prohibita quia mala: alia uerò sunt mala quia prohibita. 158. b. &. 166. b
¶Manuum impositio non est pars sacramenti ordinis, neq; uerò de eius essentia. 19. a
¶Maria uirgo ante contractum matrimonium, non emisit absolutum uirginitatis uotum. 115. a
Maria uirgo an sit adscribenda martyrum catalogo. 741. a
Maria uirgo an fuit in cœlum corpore euecta. 466. b
Maria uirgo an habuerit laureolam uirginitatis. 739. b
Maria uirgo tanto plura uidet in uerbo, quanto maiori lumine gloriæ perfunditur. 695. a
¶Marcus Euangelista sibi pollicem abscidit, ne ulli ecclesiæ præficeretur. 57. a
¶Martyr tenetur confiteri si adsit copia confessoris. 740. b
Martyr ut quis dicatur quæ requirantur 745. a. b
Martyres fuere ante legem euangelicam 742. b
Martyres an sint dicendi qui se se interemerunt metu uiolãdæ pudicitiæ ut de beata Apollonia fertur. 743. a

Martyrij tria genera. 741. a
Martyrij meritũ non consistit in passione mortis quatenus ab alio infertur, sed quatenus per ultroneam uirtutis patiẽtiam suscipitur. 740. b
¶ Mater familias unica duntaxat erat etiã quãdo Ethnici pluribus utebantur uxoribus 239. b
¶ Materia sacramenti ordinis. 9. b
Materia sacramenti ordinis an debeat tangere suscipientem. 10. a
Materia sacramenti ordinis non apparet esse de eius essentia. 11. a
Materia diaconi quare sit Euangeliorum codex. 15. a
Materia matrimonij sunt uerba contrahẽtium. 94. a
Vide Matrimonium.
Materiæ sacramentorum diuersa ratio. 9. a
Materiam applicandi in sacramentis diuersa ratio. 9. b
¶ Matrimonium quid. 103. a. &. 108. b. &. 110. b
Matrimonium unde dictum. 108. b
Matrimonium quod post in fide Christi contrahitur soluit matrimonium quod priùs in infidelitate contractum erat. 356. a
Matrimonium semel legitime initum nunquàm dirimitur quo ad uinculum nisi christianismi aut religionis gratia. 359. b. & 416. b
Matrimonium nullatenus soluitur per hæresim aut apostasiam. 358. b
Matrimonium omne quod cùm impedimento dirimente contractum est, dissolui debet. 408. b
Matrimonium inter patrem & filiam utrum sit adeò iuri naturę repugnans, ut nullam ob causam super eo dispensari possit. 374. b. &. seq.
Matrimonium illegitimum accusationi obnoxium est, quanuis per ignorantiã & bonam fidem retineatur. 409. b
Matrimonium quibus iuribus aut defenditur aut accusatur. 410. b
Matrimonium iure naturæ prohibitum inter auum & nepotem. 376. a
Matrimonium duplex ratum & consumatum. 105. a. & 123. a
Matrimonium & naturæ officium est & fidei sacramentum. 83. a
Matrimonium quando dicatur consummatum. 238. a
Matrimonium an sit à natura inditum. 83. b. &. 84. a
Matrimoninm quo pacto sit naturale per duas conclusiones explicatur. 83. b
Matrimonium ante peccatum institutum fuit in officium, post uerò in remedium 85. b. & 95. b
Matrimonium statim post peccatum cœpit prodesse in remedium. 86. b
Matrimonium cur etiam nunc maneat sub præcepto. 87. b
Matrimonium an fuerit sub præcepto tẽpore legis Mosaycæ. 202. a. b
Matrimonium esse sacramentum multis probatur. 92. &. 93.
Matrimonium non propter caduca bona ineundũ est, sed propter uirtutem, quæ amicitiæ coniugatis custos est. 95. b
Matrimonium sicut cætera ecclesiæ sacramenta gratiam confert. 97. b
Matrimonium an sit sacramentum quãdo non administratur per ministrum ecclesiæ. 100. b
Matrimonium inter absentes per procuratorem uel per literas an sit sacramentũ 102. a
Matrimonium infidelium an sit sacramentum. 102. b
Matrimonium baptizati cum non baptizata an sit sacramentum. 103. a
Matrimonium uerum & perfectum fuit inter Ioseph & beatissimam uirginem. 104. a. 190. b. &. 104. b
Matrimonium pro qua re supponat. 109. b
Matrimonium non dicitur consummatum ex copula præcedenti sponsalia. 139. a
Matrimonium an mutuo consensu possit distrahi. 110. b
Matrimonium quare potiùs sic quàm patrimonium dictum. 110. b
Matrimonium ratum per ingressum religionis dirimitur. 123. b
Matrimonium consummare ante benedictiones ecclesiæ an sit peccatum. 156. b
Matrimonium inter infideles metu contractum iure diuino est inualidum. 169. b
Matrimonium ingratum minus malum est, quàm mors. 173. b

Matri-

Matrimonium in gradu prohibito sub conditione si Papa dispensauerit, post dispẽsationem nouo eget consensu. 183. a
Matrimonium sub conditione impossibili contractum, præsumitur tale acsi nulla conditio esset adhibita. 186. b
Matrimonium spadonum, castratorum, & Eunuchorum an sit stabile. 265. a
Matrimonium contrahere an possint uetuli. 265. b
Matrimonium post uotum simplex contractum firmum est. 330 b
An uerò sit peccatum illud consummare? 332. a
Matrimonium non dirimitur per fœtorem & grauеolentiam oris. 264. b
Matrimonium Iudæorum cum plurib. uxorib. dirimitur si ad fidem conuertantur. 242. b
Matrimonium clandestinum bifariam cõtingit. 151. a
Matrimonium clandestinum & minus solenne in quo differant. 151. a
Matrimonium clandestinum iure optimo ab ecclesia uetitum est. ibid.
Matrimonium clãdestinum legib. ciuilib. reprobatum. 152. a
Matrimonium clandestinum si modò per uerba de præsenti fiat ualidum est. ibidem. b
Matrimonium clandestinum inire an sit peccatum. 153. b
Matrimonium clandestinum in quib. casibus licitè contrahatur. ibid. b
Matrimonium clandestinum contrahẽtes quam pœnam incurrant. 156. a
Matrimonium clandestinum noua ecclesiæ prohibitione & decisione indiget. 151. a. & 503. a
Matrimonium infidelium dirimitur altero ad fidem Catholicam conuerso. 127. a
Matrimonium inter infideles rectè contrahitur constatq; quatenus concupiscentiæ remedium. 340. a
Matrimonium infidelium diuersarum sectarum an fuerit licitum. 342. a
Et quid de matrimonio Israelitici populi cum septem illis gentibus prohibito. ibidem.
Matrimonium infidelium diuersarum sectarum an potuerint ipsorum principes irritare. 343. b
Matrimoniũ inter fideles & infideles grauе sacrilegium est & iure positiuo prorsus nullum. 344. & seq.
Matrimonium cum hæretico & apostata contractum ualidum est. 347. b
Matrimonium inter infideles legitimè cõtractum per conuersionem ad fidẽ non dirimitur. 348. a
Matrimonium an sit prohibitum iure naturali uel diuino inter infideles & fideles. 344. b
Matrimonium inter Leuirum & fratriam & inter sororem uxoris & sororium non est ita iure naturali prohibitum quin sub eo cadat dispensatio. 400. a
Matrimonij consortium quare inter homines indissolubile. 84. b. & 340. b
Matrimonij ratio aliqua quocunque tempore cognita. 85. a
Matrimonij institutio triplex. 85. b. & 340. a
Matrimonij sacramentum an à Deo immediatè & quib. uerbis fuerit institutũ. 86. a
Matrimonij præceptum an fuerit naturale. 87. a
Matrimonij præceptum consilio castitatis non aduersatur. 88. b
Matrimonij usum hæretici plures negarũt esse licitum. 89. b
Matrimonij usus potest esse apud Deũ meritorius gratiæ. 90. b
Matrimonij fœdus lege naturæ indissolubile. 95. b. & 246. b
Matrimonij sacramentum qua ratione est sacramentum in noua lege à Christo institutum est. 96. a
Matrimonij gratia sacramentalis triplici concupiscentiæ medetur. 98. b
Matrimonij gratia quando infundatur. ibidem.
Matrimonij duplex integritas & perfectio 103. a
Matrimonij duplex significatio. 105. a. & 144. b
Matrimonij contractus nunquam per negationem uim obtinet. 193. a
Matrimonio illud obstat quod eius fini repugnat. 370, a
Matrimonio rato propter professionem

religionis soluto, liberum est coniugi relicto quam uoluerit sibi in matrimonium sociare. 125. a
Matrimonia inter parentes utrùm fuissent prohibita natura stante integra. 374. b
¶Meditationis nomen si in proprio significatu usurpetur, solus Christus est mediator Dei & hominum. 559. a. b.
Menstruatæ accedere uetitum fuit in lege ueteri duplici de causa. 227. a
¶Metus quid. 164. b
Metus cadens in constantem uirũ quis. ibidem.
Metus cadens in constantem uirum excusat à culpa. 165. b
Metus ut cadere in constantem uirum dicatur, ex duobus perpenditur. 165. b
Metus leuis non excusat à culpa. 166. a
Metus leuis consensum non infirmat. 168. a
Metu mortis peccatum ueniale committens, uel ieiunium aut diem festum uiolans non definit esse constans. 155. b
Metus excommunicationis an censeatur iustus. 167. a
Metus unde oriri debeat, ut censeatur iustus. 172. a. b
Metus ab extrinseco non impedit nec uitiat matrimonium. ibid. b
Metus cadens in constantem uirum, alio fine illatus non impedit matrimonium. ibidem.
Metu mortis compulsus sponsalia iurare an teneatur iuramentum seruare. 173. b
Metu coactus matrimonium consummare, an censeatur uerè contrahere. 173. b
¶Metropolitanus idem qui Archiepiscopus. 36. a
Meritum de condigno & meritum de congruo quantum differant. 537. a
¶Mimi cuiusdam apud Augustinũ inepta facetia reprehensa. 657. a
¶Mixta omnia in die iudicij purgabuntur, sed omnia igne consumentur. 621. b. & latius. 629. a
¶Monachi choro addicti quare coronę tõsura insigniantur. 27. a
Monachi laici seu conuersi cur in modum coronæ non tondeantur. ibid.
Monachi num aliquo casu cogi possint matrimonium inire. 88. b
¶Mortui quare aliquando uiuis appareãt 533. b
Morientur uniuersi qui in die iudicij superstites fuerint ut cum cæteris resurgant. 478. a
Mosayca præcepta an obligent. 371. b
¶Motus tripliciter potest esse naturalis. 453. b
Motus cæli in mundi innouatione cessabit. 624. b
¶Mulier quædam reperta fuit Papa. falsa 51. a
Mulier non dicitur irregularis sed incapax. 50. a
Mulier si ordinem sumere pręsumeret, nullus esset. 51. a
Mulieri nunquam licuit etiam per dispensationem pluribus uiris simul nubere. 245. a. b
¶Mundus non expurgabitur per aquas quemadmodum tempore Noe. 616. a
Mundus quo die conditus. 477. a
Mundus in die iudicij innouabitur ut perpetuò maneat innouatus. 623. b
¶Mundi innouatio non erit solùm purificatio, sed nobilitatio tam in perspicuitate elementorum, quàm in lucis incremento. 623. b
¶Mutilatio mẽbri & mutilator. 56. & 57
¶Mysterium incarnationis Christi quare diabolo celatum. 206. a

N.

Nero uirum duxit in matrimonium. 110. a
Nisi, potest facere sensum cõditionalem. 195. a
¶Noe cogere potuit filios suos & nepotes ad matrimonium. 88. a. b
¶Noticia & species in quo differãt. 670. b
¶Nouatiani & Cataphrygæ secundas nuptias condemnabant. 419. b
¶Nubes in qua uenturus est Christus an erit naturalis. 595. b
¶Numerus trigesimus sexagesimus centesimus quid apud sacros autores denotat. 736. a

Numerandi ratio per digitos, quid indicabat. 736. b
¶Nuptiæ sunt uerum sacramentum confereus gratiam 430. b
Nuptiæ secũdæ utrùm sint licitæ. 430. a. b
Nuptiæ iure naturæ inter fratres erant uetitæ. 379. b
Nuptiæ in quibus gradibus uetitæ erant in ueteri lege. 370. a
Nuptiæ unde dictæ. 109. a
Nuptias quare sua præsentia honestauerit Christus. 96. a
Nuptiarum solennitas quo tempore interdicta. 231. a
Nuptijs contrahendis meritò potui ecclesia certos præscribere gradus. 384. b

O

Ccultum duobus modis qd dicitur. 191. a
¶Odoris sensus erit perfectissimus i corpore beato. 719. a
¶Officium Diaconi, subdiaconi, acolyti ostiarij, lectoris, exorcistæ. 14. 15. 16
¶Omnis homo naturaliter scire desiderat, quomodo intelligendum sit. 646. b
¶Omnes qui in die iudicij reperientur uiui morientur, ut cum cæteris resurgant 478. & sequent.
Omnes tam probi, quã reprobi qui superstites in uita reperientur, & qui mortui fuerint, eodem temporis momento resurgent. 431. b
¶Ordo Ecclesiasticus an expediat, ut sit in ecclesia. 5. b. & 6. b
Ordo quid sit. ibidem. b. &. 6. a
Ordo gradibus ministrorum per antonomasiam accommodatur. ibidem.
Ordo ecclesiasticus est sacramentum. 7. b
Ordo duplex sacer & non sacer. 22. b
Ordo Cardinalium an sit de iure diuino 36. b. uide in uerbo, Cardinales.
Ordo sacer matrinonium non dissoluit. 128. b
Ordo sacer num matrimonio superuenire possit. 325. a. b
Ordo sacer non diuino sed positiuo iure matrimonium dirimit. 30. a
Ordinis sacerdotalis origo. 7. b
Ordinis materia & forma. 8. b
Ordinis sacramentum non præsupponit characterem confirmationis. 25. a
Ordinis sacramentum hæreticus quicunque uerè conferre potest. 47. a
Ordini suscipiendo ætatem legitimam præuenire peccatum est mortale. 54. b
Ordines quatuor minores non sunt sacramenta, 22. b. 48. b. neq; characterem imprimunt, nec gratiam infundunt, neque impediunt matrimonium. 322. a. b. neque ad horarũ recitationem tenentur. 22. b. 29. a
Ordines minores quare non iterabiles. 23. a
Ordines minores simplex sacerdos potest ex commissione papæ, non autem episcopi conferre, non item maiores. 48. b
Ordines maiores quare dicantur sacri. 23. a. &. 323. a
Ordines per simoniam collati uerum sunt sacramentum 46. b. 48. b
Ordines suscipere potest coniugatus post diuortium. 131. b. &. 301. b
Ordines duos uno die suscipiens fit irregularis. 60. a
Ad ordines sacros non est admittendus qui patrimonio caret. 65. a
Ordinum septenarius numerus congruẽtissimus. 12. b. contra Vuiteleff duos tantùm ordines a Christo institutos asserentem. ibid. &. 13. a
Ordinum singuli an sint sacramenta 16. b & 21. a
Ordinum tres gradus. 21. a
Ordinum impedimentum non semper est irregularitas. 50. a
Ordinum sacrorum susceptio utrũ matrimonium in infidelitate contractum dirimat. 357. b
Ordinibus suscipiendis aptus est Hermaphroditus in quo uirilis sexus præualet. 51. b
Ordinibus suscipiendis morum integritas non est de essentia est tamen de præcepto. 61. b
Ordinibus sacris in peccato initiari peccatum est. 63. & 64
Ordinari quæ personæ possint. 25. a. 52. a 53. b
Ordinatus ante usum rationis aut per metum an teneatur uoto castitatis. 53.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a.b.& an insaneat suspensus ab exequutione ordinum. ibid.
Ordinatus ab episcopo excommunicato est irregularis. 59. b
Ordinatus ab alio episcopo citra licentiã proprij est suspensus. 59.b
Ordinatus extra tempora est suspensus. 60.b
Ordinandorum ætas iure antiquo & nouo præfinita quæ. 54. b
Ordinandorum qualis scientia & prudentia requiratur. 64.a
Ordinantis indignos delictum quod sit. 65. b
¶Operam rei illicitæ dare quomodo quis dicatur. 58.b
Opera nostra bona quæ ex gratia procedunt bifariam sunt apud deum pretiosa 537.a
Opera omnia reproborum in eorum conscientia omnib. in die iudicij patefient. 600. a
Opera omnia iustorum tam sibi quàm alijs uniuersis propalabuntur. 601.a
Operum examinatio quę ad conuincendũ improbos & præmiandum sententiam iudicij antecedet, mentaliter duntaxat perficietur. 603.b
Operatio sensitiua siue sit potentiæ apprehensiuæ, siue appetitiuæ non potest dici in beatis corporibus esse beatitudo. 639.b
¶Orare pro damnatis est peccatum. 543.b
Orare sanctos tanquam patronos nostros qui apud deum nobis suffragentur, religio est Christiana. 556.b
Orandus quomodo solus Deus. 556.b
Orandi sic sunt sancti, ut tamen non in ipsis sed in dei misericordia unici salutis nostræ authoris confidendum nobis sit 559.a
Orandi non sunt existentes in purgatorio. 559. b
Orationes sanctorum qui hæretici negauerint. 556.a
Orationes sanctorum suapte ratione semper exaudiuntur, sed ex parte nostra sæpe euenit, ut non exaudiantur. 560.a
¶Oseas cuideus fornicari uti uxore iussit à crimine excusatur. 239. b. & 247.b

P

Palingeniasis priscorum philosophorum 450.a
¶Papa an possit filios spurios, quantum ad successiones legitimare. 408.a
Papa potest dispensare super omnibus gradibus affinitatis, excepto primo. 403.b
Papa an possit dispensare super ullum casum Leuitici. 402.a
Papa uicem gerit Christi in terris, quem ideo ecclesia tollere non potest. 41.b
Papa an debeat esse episcopus Romæ. 42.a
Papa an sit dominus totius orbis in temporalibus. 68.b. 71.a.& seq.
Papa potest leges ciuiles fidernoxias abrogare. 75.a
Papa an possit mutare sedem ab urbe Romana. 42.a
Papa an possit dispensare super uoto solemni castitatis aut religionis. 335.a
Papam habere utrunque gladium quomodo sit intelligendum. 74.b
¶Paruuli absque baptismo mortui resurgent quidem: sed non euigilabunt. 448.b
Paruuli in limbo utrum post mundi innouationem educendi sint in superficiem terræ. 630. b
¶Passionis nomen dupliciter accipitur. 712.a
¶Patriarchæ in primitiua ecclesia quatuor extitere, hodie uerò plures sunt. 36. a
Patriarcharum honore quatuor olim ecclesiæ insignitæ, & quænam illæ fuerint ibidem.
Patriarchæ quare pluribus uxorib. usi fuerint. 240.a
¶Pater an teneatur alere filium spurium. 406. b
Pater an possit cogere filios ad matrimonium. 176.a
¶Pauhis non potuit dei essentiam uidere nisi lumine gloriæ perfusus. 677.a
Paulus non intellexit sua ætate futurum diem iudicij contra quam multi opinati sunt. 480.a.b
¶Paupertas duplex. 585. b
Paupertatis dignitas. 586. a
¶Peccatum minus committere an liceat ad euitandum maius. 158. a
Peccare mortaliter potest homo ante septennium. 136.a
¶Pœna contrahentium clandestinas nuptias. 156.a.& 177. b
Pœna legis. 49. Tauri non habet locum in masculis. 178. b
¶Pertinax quis dicatur, & in quo differat à constanti. 165.a
¶Persarum mos fuit, ut ait Augustus. ut mortuo patre, filius nouercam duceret. 403. b
¶Petri nomen & dignitas enarratur. 39. b
¶Platonici quid senserint de corporum resurrectione. 441.a. b
¶Polygamia post latam legem euangelicam illicita. 353. a. Vide in uerbo, Vxores.
¶Pontifex an solus esse debeat. 41.b. uide in uerbo Papa.
¶Portæ inferni quæ dicantur. 521. a
¶Postliminium quid. 358. a
¶Potentiæ animalis uitæ in resurrectione erunt absolutissimæ, & perfectissimæ. 509. a
¶Potestas ecclesiastica an sit ita suprema ut ciuilis ab ea tanquam delegata pendeat. 66.a. b
Potestas humana à diuina deriuata est. 72. a
Potestas pontificis maximi non est merè temporalis. 73. a
Potestatem clauium esse circa regem primum in Anglia orta fuit hæresis. 67. a. b
Potestatem & imperium populus in principem transtulit. 72.a
¶Præceptum eleemosynæ affirmatiuum est. 88.a
Præceptum matrimonij an etiam nũc maneat. 88. b
Præcepta prohibitoria Leuitici an apud nos rigorem. 370.b.& 371. a
Et an sint omnia iuris naturæ. ibidem. 372. a
Ad Eliæ prædicationem utrùm sit conuertendus uniuersus orbis. 565. b. & 566. a
¶Pregnans coniugali officio utens an peccet. 217.a
¶Præmium accidentale & essentiale quod dicatur. 734. a
¶Præscriptio uim habet in iure percipiendi decimas, quanuis spirituale quid habeant annexum. 409. a
¶Presbyterorum nostrorum figura præcessit Aaron. 33.a
¶Principes qui patroni ecclesiæ dicantur. 76. b
¶Procurare matrimonium pro alio contrahente illud uerè sacramentum est. 118. a
¶Puerperij tempore an liceat debitũ uel petere uel reddere. 228
¶Purgatorius locus & limbus puerorum nondũ satis inter doctores constat quo ordine dispositi sunt. 523.a
¶Pythagorici aiebant in centro terræ elementum ignis conclusum, quem Iouis custodiam appellabant. 520. a

Q

Qualitas quomodo definiatur à philosopho. 111.a
Qualitates primæ utrum restituentur corporib. resurgentium. 509. b
¶Quies delectatio & gaudium in quo differant. 649.a
¶Quinta essentia locum non habet in elementis. 721. a
Quinta essentia an detur in corporib. gloriosis. 712. b

R

Rabbi Moyses negabat mundum factum propter hominem. 626.b
¶Raptor matrimonio sibi associare potest raptam. 176. a
Raptus alienæ sponsæ matrimonium contrahendum impedit. 306. b
¶Receptacula animarum utrùm in unica contineantur cauerna. 514.a
Receptacula animarum quare numero quinario terminantur. 515. b
Receptaculorum animarum distinctio. 523. b
¶Reconciliatam uxorem an teneatur uir catholicus in suam domum & thorum recipere. 358.b
Reconciliare uxorem per diuortium dimissam semper potest uir si emendata fuerit. 302. a
Si uerò incorrigibilis est non licet. ibid. b

¶Regni cælorum possessio quæ.609.a
¶Religionem an possit profiteri sponsa ui oppressa ab sponso.129.b
Religionem profiteri non potest alter coniugum altero inuito ante copulam. 123.b
¶Remedium contra concupiscentiam duplex.105.a
¶Reprobi non uidebunt deitatem in seipsa in die iudicij. 597.b
Reprobi à bonis localiter disgregabuntur in die iudicij.605.b
Reprobi utrum cum integritate membrorum resurgent.502.a
¶Repudium est contra ius naturæ. 247.a
Repudium nulli gentium licitum fuit sub lege naturæ.249.b
Repudium ex parte utriusq; coniugis Imperatorum leges concedunt.250.a
Repudium an fuerit Iudæis licitum. 250.b.& seq.
Repudium Moyses tanquam minùs malũ fieri permisit impunè.253.a.& 254.b
Repudium gentilium quas ob causas fiebat.253.a
Repudium sola fornicationis causa semper fuit licitum, non autem alias. 256.a
Repudij Iudæorum & Romanorum forma.253.b
Repudij libello dato an liceret tam uxori quàm uiro aliud inire connubium. 255.a.b
Repudiare uxorem etiam apud Romanos uitio dabatur.250.a
¶Requies præstantior est motu.626.a
¶Restituitio quãtum differat à satisfactione.58.
¶Resurrectio Christi fuit futuraque est causa resurrectionis nostræ. 456.b.& 457.a
Resurrectio an sit futura in instanti.472.b & 473.a
Resurrectio finalis nequit rationibus naturalibus probari, imò nec persuaderi. 454.a
Resurrectio corporum celebranda est summo diluculo dum aurora clarere incipiet sole existente in oriente, & luna in occidente.476.b
Resurrectio futura utrùm sit aliquo pacto naturalis.450.a.& 451.a
Resurrectio Christi an fuerit causa resurrectionis damnatorum.457.b
Resurrectio corporũ quàm uariè à uarijs prodita fuerit, tùm philosophis, tùm hæreticis.443.a.b
Resurrectio respectu principij actiui est supernaturalis.453.b
Resurrectio non est simpliciter naturalis sed secundum quid.454.a
Resurrectio omnium in quibus locis fieri debeat.485.b
Resurrectio electorum fiet cum omnibus membris quæ ad integritatem naturæ spectant.500.b
Resurrectionem necessariò futuram quibus rationibus demonstrandum.444.a.b.& sequentibus.
Resurrectionem carnis futuram nos fides catholica docet.ibidem.a
Resurrectiones duas Papias Ioannis discipulus commentus est: cuius errore intinctus fuit Lactantius.467.a
Resurgere quid sit.490.a
Resurget quidquid est de ueritate humanæ naturæ, tam in corpore quàm in anima.495.a.b.& 498.a
Resurgent homines in utroque sexu. 508.a
Resurgent omnes in ætate iuuenili, etiam si senes mortui fuerint.505.a
Resurrexit nullus cum Christo ratione sanctitatis.464.b
Resurgemus omnes in eo loco in quo mortui fuerimus.485.b
Qui resurrexerunt cum Christo an iterũ mortui sint.465.a
Qui resurrexerunt cum Christo erant in limbo.464.b
Resurrecturus in uitam est idem homo qui per mortem cecidit.490.a
Resurgentes in corporibus gloriosis utrũ possint uti hac animali uita, comedere scilicet & bibere.510.a
Resurgentes recipient eundem uultum colorem & effigiem & quantitatem quã uiuentes retinebant. 506.b.& 507.a
¶Respublica ciuilis spirituali subseruit. 73.b
Respublica opificib. destituta eos cogere potest quos sibi necessarios uidet. 88.a
Respublica Socratis de habendis uxoribus communibus meritò ab Aristotele repudiata.85.a

¶Roma

¶Roma an sit necessaria sedes pontificis maximi.42.a
Romana sedes, Vide sedes.

S

Sacerdos non baptizatus absoluere non potest pœnitentem, nec conficere. 24.b
Sacerdos per saltum promotus omnium ordinum functionem exercere potest.25.a
Sacerdotes legis naturæ, ueteris & nostræ in quo differant.24.a
Sacerdotes an aliquo casu cogi possint uxores ducere.88.b
¶Sacramenti nomen tripliciter usurpatur 341.a
Sacramentorum defectus num Deus suppleat quantum ad ultimos effectus. 24.b
¶Salamon an licite potuerit cum alienigenis prohibitis contrahere.342.b
¶Sanguinis communicatio unde considerata consanguinitatis nomen non obtinet.365.a
¶Sancti utrum pro ijs orent qui sunt in purgatorio.562.a.uide Orare.
In sanctos sic affecti esse debemus, ut in dominum Christum præ cunctis debeamus esse deuotum.560.a
¶Sara consobrina fuit Abrahæ. 382.b
Sara an fuerit soror & coniux Abrahæ. 380.b
¶Satanam deligatum à deo per mille annos quid sit.467.b
¶Satisfacere potest quis pro alio. 537.a
¶Sedere à dextris dei quid significet. 594.b
Sedes Christi in iudicio quæ.605.a
Sedes Romana tanto tempore durabit quanto duratura est fides euangelica. 566.b
¶Seminatio extra uas quod sit peccatum. 220.b
¶Sensus omnes utrum habebunt omnes suos usus in corporibus gloriosis. 717.a
Sensationes in corporibus beatificatis quibus modis fiant.ibid.
Sensationes an erunt in anima separata à corpore.751.b
Per sensationes utrum corpora gloriosa concipient noua rerum iudicia. 719.b
¶Sententia illa, Venite benedicti, & Ite maledicti an sit uocaliter pronuntianda 604.a
Sentẽtia ecclesiæ an sit necessaria ad dissoluendum matrimonium cum ancilla ignoranter contractum.277.b
¶Sepultura opus est misericordiæ. 551.a
Sepulturæ officium uiuis & defunctis utile.550.b
¶Seruus si ordinetur sacramentum suscipit, ordinum tamen usu caret. 57.a.b
Seruus non est heri in his quæ sunt naturalia.275.a
Seruus de consensu heri contrahens cum ancilla potest eo inuito cum illa habitare.275.a
Seruus coningatus in quibus teneatur hero seruire.ibi.
Seruus inuito domino non potest religionem profiteri: potest tamen uotum castitatis simplex emittere. 275.b
Serui an possint inter se matrimonium contrahere absque licentia dominorũ 273.b
Seruum coniugatum an possint herus uẽdere.275.a.b
Serui Christianorum infideles an possint cogi ad baptismum.349.a
Seruitus duplex naturalis & legalis. 274.a
Seruitus an sit contra naturam. 278.a
Seruitus an matrimonio superuenire possit.278.b
Seruitus quando matrimonium impediat uel non.275.277.b.&.278.b
Seruitus impedimentum non est necessarium sed uoluntarium.176.b.uide impedimentum.
¶Signum Christi ad iudiciũ aduentantis 669.a
Signa quindecim diem iudicij anteceßura refert diuus Hieronymus.573.b
Signa quænam sint diẽ iudicij antecessura 571.a.&.seq.
Signa præcedent diem iudicij non solùm in astris, uerùm in elementis, ut in aere in mari & in terra.576.a

Sinus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sinus Abrahæ est quicunq; locus quo animæ compurgatæ requiescunt, qui ideo paradisus cælestis est. 524.b
Sinus Abrahæ secundùm Tertulianum locus est non cælestis, sublimior tamen inferis, interim refrigerium animarum iustorum. 529.a
Sinus Abrahæ unde dictus. ibid.
¶Sponsus quare sic dictus. 132.a
Sponsi non coguntur ab ecclesia propter sponsalia iurata. ad matrimonium. 138.a
Sponsa ui ab sponso oppressa an eo inuito possit religionem profiteri. 129.b
Sponsa sponsum admittens putans eũ uelle matrimonium consummare excusatur à peccato. 157.b
Sponsalia quid. 132.a
Sponsalia unde dicta. ibid.
Sponsalia de futuro an alia uia quàm per carnalem copulam sine expresso consensu de præsenti censeatur in matrimonium transire. 140.b
Sponsalia quot modis dirimuntur. 141.b 142.b.& sequen.
Sponsalia iurans si uelit postea religionẽ ingredi an teneatur priùs contrahere 141.a
Sponsalia de futuro transfuga sunt in matrimonium de præsenti per superuenientem carnalem copulam. 117.a
Sponsalia neutiquam sufficiunt ad matrimonium nisi nouus de præsenti consensus accesserit. 133.b
Sponsalia non sunt de essentia matrimonij 133.b
Sponsalia ante septennium non sunt ualida. 135. a
Sponsalia de futuro iureiurando firmata uim non habent matrimonij de præsenti. 137.a
Sponsalia de futuro contrahens cũ duab. & cum secunda fallaciter congressus, cum qua cogi debeat matrimoniũ inire. 140.a
Sponsalia quot modis contrahantur. 134. b.& seq.
Sponsalibus de futuro si accedat copula, ecclesia cogit ad matrimonium. 113. b
¶Spurius non tenetur in conscientia hæreditatem filio legitimo restituere. 406.a
Sol & luna circa diem iudicij re uera obscurabuntur. 575.a. b
In solis quiete tempore Iosue utrum omnes orbes quieuerint. 625. b
¶Soni quales sunt futuri in die iudicij. 460.b. & seq.
¶Status temporis in homine triplex. 281.a. b
Status religionis perfectior est longè quã status nuptialis. 334. b
¶Stipes affinitatis sunt maritus & uxor. 391.a
Stipes consanguinitatis quis. 364.a
¶Subdiaconus ad horarum canonicarum recitationem tenetur. 22.b
Subdiaconi officium. 14. uide Diaconus.
¶Subtilitas in corpore glorioso duplex. 720. b
Subtilitas an sit inter dotes corporis glorioſi connumeranda. 720.a
Subtilitas & impassibilitas in quo differãt. 721. b
Subtilitatis dos in beatis corporib. an occupabit locum. 725. a
Subtilitatis dotes. ibid.b
¶Suffragium aut satisfactorium opus nemo potest suo nomine præstare quod sit apud Deũ meritorium nisi sit in grãtia & amicitia Dei. 538.b
Suffragium pro multis oblatum nulli eorum tantum prodest, quantum si pro illo solo offerretur. 554. b
Suffragia mortuorum quàm antiqua fuerint in ecclesia. 549. a
Suffragia an damnatis prosint uariæ opiniones. 542.& 543
Suffragia quæ quis pro altero offert utrũ sibi ipsi qui offert prosint. 540. a
Suffragia quæ dicantur. 538. a
Suffragia uiuentium non prosunt pueris in limbo. 546.a
Suffragia uiuorum nõ solùm uiuis prosunt si pro illis offerantur: uerùm etiam mortuis. 538. a
Suffragia peculiariter oblata pro singulari defuncto licet ratione charitatis in qua fundantur prosint quibuscunq; in ea existentibus, nihilominus similiter plus prosunt illi pro quo offerũtur. 553. b
Suffragia quæ defunctus fieri iussit, si tot tantaque sint, ut pœnæ purgatorij persoluendæ sufficiant, an postmodum mora & retardatio ea persoluendi defunctorum remoretur ne tam citò pœnas euadat. 554.a
Suffragia nostra nihil prosunt beatis animabus. 546.a
Suffragia quæ uel ecclesia uel alius offert pro aliquo uiuente, non prosunt nisi is quoque pro quo offeruntur sit in gratia 539.b
Suffragia & preces damnatorum Deus solet exaudire, non quidem ob eorum dignitatem & meritum, sed si iusta petant. 541.a
Suffragia peccatorum per uitiosum ministrum exhibita nihil ualoris amittunt, qui ex opere operato prouenit. 537.b
Suffragia particularia illa magis sunt singularia & plus adiuuantia quæ ipse defunctus fieri iussit. 554.a
Suffragijs ecclesiæ fruuntur peccatores. 554.a
Suffragiorum tria genera. 549.a
¶Supputandi gradus affinitatis in ecclesia qualis usus. 368.b
¶Supranaturalia à nobis intelligi non possunt. 662. b
¶Susceptor esse iure prohibetur, qui non est baptizatus, non tamen hæreticus. 422.a
Susceptores plures an contrahant cognationem. 420.b

T

TACTVS sensus in beatis corporibus erit usui: poterũt enim se mutuo tangere. 719.a
¶Temporibus sacris an liceat debitum petere. 229. b
¶Tenebrarum tria genera. 522.b
¶Testes in accusando matrimonio necessariò adhiberi debent: quia coniugum assertione non debet matrimonium dirimi. 411.b
¶Testamẽtum quod non ualeat nisi quinque testibus confirmatum an sit contra euangelium. 75.a
¶Tonsura clericorum non est de essentia sacramenti ordinis. 27.b
Tonsura prima an sit propriè ordo. 28.b uide in uerbo corona.
Tonsura prima an possit à paræciano conferri. 48.b
¶Traianus ab inferis in uitam resuscitatus precibus D. Gregorij in cælum euolauit. 545.b
¶Tubam canere in die iudicij quid sit. 459.a
¶Turpitudo duplex una pœnæ altera culpæ. 91.b
Turpitudo coniugalis officij non est culpæ sed pœnæ. 91.b

V

VElaminis nuptiarũ ratio optima. 109.a
¶Verba non sunt necessaria etiam in ualentibus loqui sed sufficiunt nutus. 116.b
Verba nulla citra interiorem consensum matrimonium quo ad Deum perficiunt 168.b
Verba consensum exterius exprimentia an sint de essentia matrimonij 116.b
¶Vetuli & decrepiti senes an iure possint matrimonio coniungi. 265. b
¶Vestes episcoporũ & sacerdotum, quid quæ earum unaquęq; significet. 37.b
Vestes pontificis maximi antiquæ legis 38.a.b
¶Videre Deum sicuti est quid. 680.a
Videre non satis est ad comphrehẽsionẽ 680.a
Videre aliquid in uerbo quid sit 686.a
¶Visio beata suapte natura est perpetua 698.b
Visio quæcũq; beata est notitia simplicissima eademq; apphrehensiua. 693.b
Visio beata in sua natura & essentiali uirtute includit uoluntatis rectitudinem quæ est ad beatitudinem necessaria. 699.a
Visio beata siue animæ Christi siue alius cuiuslibet non representat per modũ habitus, sed per modum actus. 693.a
Visio beata eminenter continet perpetuũ & honestissimum gaudium, & fruitionẽ 700.b
Visio beata nulli subditur contrario. 698.b
Visio post resurrectionem non erit intensior. 702.b
¶Visiones in beatis an sint omnes eiusdẽ speciei 683.b
¶Vinum nuptiarum coniugalem lætitiam significat. 84.b.& 94.a

¶Violentia quid. 163. b
Violentiæ duplex genus. 164. a
Violentia conditionata in sola uoluntate & brutorum appetitu reperiri potest 163. b
¶Violatio ecclesiæ nisi legitimè constiterit non est à celebratione abstinendum. 230. b
¶Vipera & aliæ serpentes partu non disrumpuntur contra opnionem Plinij & Dioscoridis 83. b
¶Vir & uxor æquali iure gaudent æquali tate non quantitatis, sed proportionis. 225. b. & 226. a
Vir potest quæcunq; uota uxoris irritare. 229. a
Vir an possit uxore inuita & relicta militare. ibi. b
Vir potest inuita uxore se in seruum uendere, uxor uerò non item. 278. b. & seq.
Vir si fornicetur post diuortium an possit compelli ad uxorē redire? 303. b. Quid in conscientia? ibidem b.
¶Virginitas quid. 738. b
Virginitas post sufficientem hominū propagationem semper fuit matrimonio præstantior. 203. a
Virginitatis aureola fortè non donantur in cælo nisi qui uoto illam confirmarūt. 743. a. uide aureola.
Virginitati tempore legis Mosaycæ an præferretur coniugium. 202. a
In uirginitate tria consideranda. 738. b
¶Virgo Maria an in cælum corpore eueĉta fuerit. 466. b. uide plura in uerbo Maria uirgo.
Virgines prudentes & imprudentes. 606. a
Virtutes cælorum commouendas in die iudicij quomodo intelligendum. 576. b
¶Vitæ æternæ nomine quid intelligatur in sacra scriptura. 643. a
Viui qui tempore iudicij probi reperientur non tantùm tormentum in conflagratione sustinebunt sicut mali. 618. b
Viuos, in die iudicij rapi obuiam Christo quomodo intelligendum sit. 480. b. & 481. a
Vnio triplex. 705. b
¶Vniuersitas an possit quem de fonte leuare. 421. a
¶Vocis iudicij uirtus. 460. a
Voces aliquæ an sint futuræ in die iudicij. 458. b
¶Vocalis sermo an sit futurus in beatifica to corpore. 718. b
Votum uerbis non indiget sicut matrimonium. 122. a
Votum metu emissum an sit ualidum. 171. a
Votum uirginitatis à beatissima uirgine ortum habuit. 204. a
Votū non reddendi debitum cōiux emittere nequit altero inuito. 228. b. & seq.
Votum simplex castitatis potest seruus in uito domino emittere. 275. b
Votum castitatis semper fuit a lata euangelica lege ordinibus sacris annexum. 326. b
Votum solenne à simplici quomodo differat. 329. b. & 334. a
Votum bifariam fit solenne. 330. a
Votum præcisè non contrahendi matrimonium, non est uotum castitatis, neq; per simplicem fornicationem uiolatur. 330. b. & seq.
Post uotum simplex si matrimonium contrahatur, ratum est. 330. b. licet graue peccatum est. 307. a
Quis uerò dispensęt. 309. & quid remedij adhibendum. 332. a
Votum quid. 329. b. & seq.
Votum quotuplex. 329. b
Votum solenne à neophytis susceptum utrum habeat uim dirimendi matrimonium antiquum ac si nouum ipse paciscereturn. 356. b
Voto castitatis obstricti num aliquo casu cogi possint matrimonia inire. 88. a. b
Vouere continentiam coniuges quib. modis possint. 130. b
Vouere castitatem an possit uxor dimissa sine licentia coniugis. 302. b. & 303. a
¶Vsus rationis in quibus sit necessarius. 52. a
Vsus matrimonij quot modis acciderepossit ut sit peccatū. 91. a. & latissimè. 220. & seq.
Vsus coniugalis potest esse apud Deū meritorius gratiæ. 90. b
Vsum matrimonij illicitum qui dixerint 89. a. b
¶Vxor propter quid ducenda. 84. b. & sequent.
Vxor an sit restituenda uiro uitæ restituto, an uero per mortem naturalem coniugium dissoluatur quo ad uinculum. 130. a
Vxorē fratris an quis possit ducere. 399. & seq. Vide plura in uerbo, Matrimonium.
Vxorem prostituens non potest ab ea diuortium petere. 289. b
Vxorem interficere an liceat uiro in aliquo casu. 311. a. b
Vxorem adulteram interficere non licet uiro priuata autoritate quantumuis in flagranti delicto deprehensam. 311. a
Si tamen occiderit nullum est decretum publicum supplicium. 311. b
Vxore quatenus licitum sit uti. 220. a
Vxore uti sanitatis gratia an sit peccatum ibidem.
Vxores plures nulli unquàm habere licuit nisi cui fuit diuina reuelatione concessum. 241. a
Vxores plures ducēs infamis est, & de hæresi suspectus. 243. b
Vxorum pluralitas an sit cōtra finem matrimonij. 236. b. an licita fuerit ante legem euangelicam. 238. a. b
Vxoribus pluribus qui apud Ethnicos utebantur, unicam illarum habebant, quæ esset materfamilias. 239. b
Vxoricidium quot modis matrimonium impediat, aut contractum dirimat. 314. b

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISTINCTIO VIGESIMAQVARTA

DE SACRAMENTO ORDINIS ET EIVS ANNEXIS.

TEXT. CA. I.

EXPEDITO *sermone Sacramẽtorum quinque, ad singulos Christianos pertinentium, sextum locum sibi uendicat sacramentum ordinis, quod ecclesiasticæ Reipublicæ ad procreandos spirituales filios necessarium est.*

Definitio ordinis.

Est enim ordo, Sacramentum, quo potestas spiritualis significatur & traditur in ordine ad Sacrosanctum corpus Christi consecrandum. Quod quidem sanctum ordinis Sacramentum, qui ecclesiæ subtrahunt, hæretici planè sunt, eius nimirùm pulchritudinem & decorem contenebrare molientes

Psalm. 44.

tanquàm regina sedet à dextris principis in uestitu deaurato, circundata uarietate. Splendet enim ecclesiæ corpus, uti ait ad Corinth. Paulus, membrorum diuersitate: Vt aliud sit oculus, aliud auris, aliud verò manus uice, atque aliud fungatur officio pedis. 1. Cor. 12.

Vnde & ad Ephes. Alios, inquit, dedit (scilicet Christus) apostolos, quosdam prophetas, alios Euangelistas, alios pastores & Doctores in opus ministerij. Ad Eph. 4.

CA. II.

¶ Quocirca iuxta septiformem spiritus sancti gratiam septem sunt ecclesiastici ordines, quorum munera Christus seruator noster per semetipsum exercuit, ac subinde partim instituit, partimq; instituenda insinuauit. Hæc autem, uti in Epistola ad Gudifredum autor est Isidorus, sunt ostiarius, lector, exorcista, acolytus, seu acoluthus, subdiaconus, diaconus presbyter. Ostiarij cura est, claues

Can. Per le tis. 25. di.

Ostiarius.

habere eccleſiæ, & quæ intus ſunt cuſtodire, cymbalo populum conuocare, genus immundum infidelium ingreſſu arcere. Quo utique officio Chriſtus, qui oſtium, inquit, ſum, per me ſiquis introierit, ſaluabitur, functus eſt, quando flagello de funiculis confecto uendentes & ementes eiecit de templo. Qua propter eiuſmodi ordo in traditione clauiũ & cymbali confertur. ¶ Lectoribus autem incumbit catechumenos prima fidei rudimenta erudire, & uetus teſtamentum legere. Quorum igitur ordinatio in traditione lectionarij conſiſtit. Horum exemplar præbuit Chriſtus, quando in medio ſeniorum librum Eſaiæ aperiens diſtinctè ad intelligendum legit. ¶ Exorciſtæ officium eſt energumenos dæmonum expulſione emundare, quibus ideo exorciſmorum liber in ſua ordinatione exhibetur. Quod quidem beneficium Chriſtus præſtitit, tum ſurdo & muto, cui ſaliua ſua delinitis auribus ait: Epheta, quod

Ioan. 2.

Lector.

Lucæ. 4.

Exorciſta.

Marci. 7.

eſt, aperire: tum etiam Magdalenæ atque aliis, de quibus dæmonia eiecit. ¶ Acoluthus, ſeu acolytus idem græcè quod ſubſequens, huic potiſſimùm miniſterio adducitur: ut ſubdiacono uinum & aquam porrigat. Quare licèt & ceroferarij ſint, per traditionem tamen urceolorum ordinantur. Atq; iſti ordines quatuor, minores dicuntur. ¶ Quinto aſcenſionis gradu locatur ſubdiaconus: græcè hypodiaconus, quaſi diaconi miniſter, quippe cui calicem cum materia conſecrãda ſubminiſtrat, quem ille ſacerdoti miniſtret. Hi autem Moſayca lege Nathinæi dicebantur, ut apud Eſdram legitur: quia erant Leuitarum miniſtri, quibus Leuitis diaconi apud nos reſpondent. Debent præterea aquam, bacile & manutergium ad lotionem presbyteri habere parata: tametſi per ſuſceptionem uacui calicis cum patena caracter eis imprimatur, ut Synodus nos ſancta Florentina admonuit: cum illa forma. Videte cuiuſmodi

Acolytus.

Ca. III.

Subdiaconus.

1. Eſd. 2. & lib. 3. ca. 8.

mini

Diaconus. miniſterium uobis traditur &c. ¶ Super his ſunt diaconi: hoc eſt, miniſtri, nam ipſi ſunt qui presbytero proximè adminiſtrant. Quorum idcirco figuram Leuitæ olim præferebant, in miniſterium ſacerdotum aſſumpti: adeò ut & leuitarum nomen diaconi modò retineant. Eorum ergo muneris eſt materiam conſecrãdam ſacerdotibus porrigere, ſed potiſſimum, euangelium legere, illudq; per modum catechiſmi abſq; ſolennitate prædicare. Quapropter tunc diaconus ordinatur, dum librum euangeliorum ſub forma ab epiſcopo prolata recipit. ¶ Denique

Presbyter. presbyteri, hoc eſt, ſeniores, ob ſacramentorum adminiſtrationem ſacerdotes: ut pote, ſacra dantes, appellantur. Quo

Sacerdos. rum ideo ordinatio tunc perficitur, dum ordinator materiam eis præbens conſecrandam, Accipe, inquit, poteſtatẽ offerre ſacrificium Deo, miſſasq; celebrare tam pro uiuis, quàm pro defunctis. Congruit autem ut priùs eius manus oleo benedictionis ad illã muneris ſublimitatem conſecrentur. Et poſtmodum per manuum impoſitionem, facultas qua remittendi peccata funguntur, deſignetur. ¶ Ex his commemoratis ordinibus ſacerdotium procul dubio ſacramentum eſt, quod utique citra hæreſeos labem inficiari nõ licet. Quamobrem & characterem imprimit, & gratiam confert. Fuit enim à Chriſto Domino in ultima cœna, quantum ad poteſtatem conſecrandi, inſtitutum, & poſt reſurrectionem facultate remittendi peccata, quæ antea fuerat Petro promiſſa, cumulatum. Sed & de diaconatu idem ſentire congruit: nam ut in Actis apoſtolorum memoriæ proditũ eſt per manus impoſitionem ſeptem fuerunt diacones ordinati, quorum cùm ſanctos mores Paulus in priori Epiſt. ad Timoth. tam anxie depoſcat, citra dubium altaris miniſterio per ſacramentum ex Chriſti inſtitutione ſunt addicti, & in diaconos & ſubdiaconos diui-

Ca. IIII.

Actuũ. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

si. Igitur tres isti ordines, qui id circo & maiores dicuntur & sacri, votoq; continentiæ, oneriq; diuinum officium persoluendi obnoxij sunt, inter sacramenta ecclesiastica referuntur. Reliqui uerò quatuor minores, ecclesiæ sancto decreto instituti creduntur. Quare ea tenus sacramenta censentur, quod sunt sacramentorum præambula. ¶ Omnium autem clericorum insigne, corona est quam Petrum in memoriã spineæ coronæ Domini gestasse, tum Beda in lib. de gestis Anglorum, tum & alij nobiles autores scripto retulerunt. Prima uerò tonsura inter ordines propriè non habetur, sed est quoddam ordinum rudimentum, ut pote per quod clericus nulli officio ecclesiastico mancipatur, quo laicus fungi nequeat. Deputatur enim non nisi diuinis laudibus canendis. ¶ At uerò sacerdotũ duo sunt ordines: nempe, eorum, qui simplices sunt presbyteri, & eorum, qui episcopali dignitate fulgent, atque adeò sacerdotum apicem obtinent. Nam etsi sacerdotum munus sit, sacromentorum administratio, tamen simplices neque omnia possunt perficere ut sacramenta confirmationis & ordinis, neque templa, altaria, & uasa consecrare, quæ quidem episcoporum sunt propriæ functiones, atque adeò, ceu consummato sacerdotio pollentes, summi sacerdotes appellantur. Quo fit, ut episcopatus, licet ordo ea ratione sit, qua altior est dignitatis gradus, non tamen sit per se sacramentum, sed sacerdotalis sacramenti perfectio, cuius character per episcopalem consecrationem ad alia munera exequenda protenditur, quæ simplex sacerdos præbere nequiuerat. At qui discrimen hoc episcopi & presbyteri diuino iure per Christi institutionem semper fuit in ecclesia designatum. Apostolos quippe Christus in Episcopos creauit, ut inter quæstiones ueteris & noui testamentum. Aug. pro constantissimo ducit, quibus subinde episcopi successerunt: cum tamen presbyteri non nisi septuaginta duorum discipulorum uicem gerant, ut Anacletus papa autor est. Tametsi Apostolus Paul. alterutro sæpè nomine utrumque comprehendat. ¶ Ad hæc & episcopis tum archiepiscopi, tum & superiùs patriarchæ præferuntur, & cardinalium senatus, ut pulcherrima hæc membrorum compago in unum summum Pontificem cõsummetur, qui uice Christi omnium sit culmen & caput. Quos quidem uniuersos ordines sacrosanctæ ecclesię, ut locorum dignitate, sic & indumentorum uarietate, & decore meritò decuit esse dignotos.

Ca. V.

Beda.

1. Tõsura.

Epiſcopatus.

Aug. c. 93.

Ca. VI.

Can. In nouo. 21. dis.

CA. VII.

DISTINCTIO VIGESIMAquarta. Quæstio 1.

De substantia Sacramenti ordinis & eius qualitatibus.

SECVNDVS tomus nostri huius instituti operis: tribus erit partibus distributus. Nam cùm primus quinq; nobis Sacramentorum disputationem præstiterit, quæ singulis personis coaptantur, in hoc præsenti reliqua duo tractãda supersunt, quæ non singulis membris, sed toti reipublicæ & ecclesiæ in commune bonum sunt necessaria. Ea uerò sunt ordo & matrimonium, quorum prius ad procreationem filiorum spiritualium attinet, posterius uero ad propagationem filiorũ secundùm carnem. Quibus denique tertium est membrum adhibendum de statu resurgentium. Atqui tractatus Sacramenti ordinis duas occupabit distinctiones, quarum hæc uigesimaquarta circa eius substantiam, partes & qualitates uersabitur. Secunda uero de ijs, qui ordinare quiq; ordinari possunt, continebit sermonem. Quocirca distinctionis præsentis duæ erunt quæstiones, prima de substantia & partibus sacramenti ordinis, & secũda de quibusdam, quæ eidem sunt sacramento connexa.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm ordo in ecclesia esse debeat.

IGITVR quæstionis primæ articulus primus est, an sit: hoc est, an esse debuerit ordo in ecclesia. Et arguitur id non decere. Primò. Ordo dicit prælationem eorum, qui subditos habent: ecclesiam uero id non decet: quia uidetur libertati repugnare, qua nos Christus donauit, iuxta uerbum Ioan. 8. Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. ¶ Secundò. Christus Matt. 10. uidetur huiusmodi ordines condemnare dicens, Principes gentium dominantur eorum, uos autem non sic, sed quicunq; uoluerit inter uos maior fieri, sit uester minister, sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare. Et ad Ephes. 2. Apostolus, Inferiores, inquit, inuicem arbitrantes. ¶ In contrarium autem est illud eiusdem apostoli ad Roma. 13. Quæ à Deo sunt, ordinata sunt: unde colligitur quòd in ecclesia, quæ à Deo est, quippe quam ipse suo sanguine ædificauit, ordo esse debeat. ¶ Primùm omnium hic de nomine ordinis fortasse quispiam hæsitet, cur isti ecclesiæ gradus & magistratus sic appellentur: nam ordinis nomen latius multò patet ad res uniuersas. Ordo enim autore Augustin. 19. de ciuita. cap. 13. est parium disparium; rerum sua cuiq; loca tribuens dispositio. Dicuntur nanq; & religiosorum ordines, & connugatorum, atque uirginum. Quin uerò

Partis negatiuę argumẽtum primum.

Secundum argumentum.

Pars affirmatiua.

Decisio articuli.

Ordo qd.

uerò in republica ciuili sunt ordines. Vnde Cicero & alij, senatum, ordinem amplissimum appellant. Erant enim tres ordines: scilicet, senatorius, equestris & plebeius. Et modò in republica est ordo opificum & nobilium, ut comitum, ducum: & in militia ordo peditum & equitum. Quin uerò uulgatum dictum est, tum rempublicam bene habere, cũ unusquisque suum seruat ordinem, ut Homil. 2. super libr. Numer. ait Origenes, ubi hos diuersi generis ordines connumerat.

Origenes.

Solutio tacitæ obiectionis.

¶ Ad hoc respondetur, nomen latissimæ significationis sanctos patres per antonomasiam gradibus ministrorum ecclesiæ, accommodasse, ut docerent quòd quanuis ad omnes alios magistratus ciuilis rei publicæ, ad aliosq; uirtutum gradus diffundatur, tamen inter Christianos per excellentiam ministris ecclesiæ secundùm diuersas eorum dignitates competeret.

Ordo ecclesiasticus quid.

Atqui ordo secundùm proprium significatum relationem & habitudinem inter superiores & inferiores significat uel personas ipsas & status diuersos. Quam ob rem Thomas Vualdensis tomo. 2. De sacramentis cap. 116. Ordo, inquit, est sacramenta ministrantium habitudo legitima, cuique ratione ministerij sui conueniens. Inde tamen tractum est ad significandum illud sacramentum, quo ijdem ministri initiantur, & per gratiam ad ritè administrandum sacramenta consecrantur.

Definitio ordinis.

¶ Vnde ut Petrus Lombardus definit, ordo est signaculum ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato: puta, ut in textu dicebamus est sacramentum, quo potestas spiritualis significatur & traditur in ordine ad sacrosanctum corpus Christi consecrandum. Itaq; signaculum non accipitur pro charactere ordinis, sed pro sacramento, quo character imprimitur, qui est potestas illa spiritualis. Quocirca ordo idem est in præsentiarum quod ordinatio. Atque adeò non est tam exacta definitio illa Scoti, quòd sacramentum ordinis sit potestas spiritualis: nam potius est ordinatio, per quam eadem potestas acquiritur.

Signaculũ quo accipiatur.

Definitio Scoti reprobatur.

Hæretici hoc sacramẽtũ negant.

¶ Hoc ergo sanctum ordinis sacramẽtum de medio tollere conantur hæretici. Vuitcleff siquidem, ut est uidere apud Vualdensem tomo. 2. De sacramen. cap. 7. & 28. sacramentum ordinis abnegat, quanuis postmodiumdem Vualdẽsis cap. 116. referat eundem concessisse, in primitiua ecclesia fuisse presbyterum & diaconum, non tamen sacramento sensibili initiatos, sed per internam Christi inspirationem, ut cap. postea. 123. commemorat. De qua re dist. sequenti nobis resumendus est sermo.

¶ Eandem hæresim ab orco suscitauit Lutherus, qui in suo illo pestilenti libro de abroganda missa priuata, omnes istos ordines ecclesiasticos prosternit, pessundatq; dicens, hierarchiam ecclesiasticam, in qua constituitur summus sacerdos, deinde episcopi & sacerdotes, esse similem gentilitiæ constitutioni de sacerdotibus Iouis, Veneris & Saturni. Christianus enim, inquit, populus debet esse omnino simplex, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus laicus, nullus clericus, nullus monachus esse debet, sed tantùm prædicatores. Ecce monstrificam Lutheri ecclesiam sine capite & membrorum uarietate. Contra hanc autem hæresim satis superq; dist. 13. q. 1. ar. 1. locuti sumus, ad demonstrandam ecclesiæ hierarchiam episcopis, presbyteris atque alijs ministris distinctam, quasi reginam, ut est in Psal. 44. circundatam uarietate à dextris Christi sedere.

Lutherus?

Vide locũ.

Psal. 44.

¶ Et ideo nihil est reliquum, quod hic possimus adhibere, sed satis est duas concluſiones simpliciter ponere. Prima. Decentissimum fuit, imò necessarium, ordines in ecclesia existere. Potissima huius ratio est, quòd Christus omnia sua opera tam naturæ quàm gratiæ ad similitudinẽ uirtutis suæ produxit, ut per ipsa eadem opera cognosceretur, iuxta uerbum apostoli ad Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: in Deo autem sicut intus inter personas ordo est originis, ut pater à nullo procedat, & filius à patre, & spiritus sanctus ab utrõ que: ita & in uirtute, qua cuncta procreat, ordinis pulchritudo lucet, ut per superna infima gubernet, disponat & administret. Quare in supra cælestibus spiritibus idem est ordo, ut per superiores inferiores illuminet, præter beantem uisionem, qua cũcti essentiam contuentur. Et in operibus naturalibus elementa cælestibus orbibus subdidit, quorum terra in infimo loco sub sideret, ut omnis inferiorum uirtus, ut ait in Meteor. Aristo. à cælestibus lationibus gubernaretur.

1. Concl.

Rõ cõclu.

Pau. Ro. 1.

Ordo in reb. omnibus.

In naturalibus.

Aristo.

gubernaretur. Quocirca & omnem ciuilem rempublicã lumine naturali docuit, ut caput sibi instituerent & digniora membra, per quæ inferior populus iustitiam reciperet. Barbari ergo sunt & humano nomine indigni, qui hoc ordinis micante luce & pulchritudine ecclesiam Christi, quæ inter mundi politias optima est, denudare contendunt. Sanè cùm non solùm in lege ueteri Deus summum sacerdotem, ac sub ipso alias, & præterea Leuitas instituerit, qui diuino cultui essent mãcipati: uerùm & gentes naturæ radio docuit, nullum, siue Dei ueri, sine Deorum cultum siue sacrificijs & sacerdotibus uigere posse. Quapropter Dionysius ecclesiasticam hierarchiam instar cælestis depinxit, episcopis, presbyteris & diaconibus distributam.

Dionysius.

Ratio alia.

¶ Accedit autem particularis ratio in ecclesia, quòd cùm sacramenta sint instrumenta passionis Christi, quæ ab ipso uirtutem habent supranaturalem conferendi gratiam, ratio subsequenter postulabat, ut eorum ministri in ordine sanctitatis constituerentur, & quo eadem sacramenta idoneè administrarent, gratia suffunderentur. Quam ob rem nisi hæretici prius uirtutem sacramentorum supranaturalem negassent, nunquàm ordines sacros inficiarentur: sunt enim uirtutes sacramentorum & ministrorum connexæ, sed quia omnia deturbant, indigni sunt cum quibus disputemus. Paulus enim ad Ephes. 4. ordinem eundem ecclesiæ depingens ait, Christum quosdam dedisse apostolos, quosdam prophetas, alios uerò euangelistas, alios autem pastores & Doctores.

Paul. ad Ephes. 4.

Lutheri obiectio.

¶ Sed aiunt Lutherani non nominasse illic sacerdotes, quare ipsos plebanos appellant pastores ob solum officiũ prædicandi, quos quidem inter eos ciuilis respublica creat.

Dilutio obiectionis.

Attamen eorum calumnia eo retunditur, q̃ nomine apostolorum, episcopi eorum successores, intelliguntur, & pastorum appellatione sacerdotes, qui sacramentorum pabulo, quod potissimum est in ecclesia, populum pascunt: & ideo subiungit, pastores & Doctores: hoc est, sacramentorum administratione & uerbo doctrinæ plebem imbuentes. Quare cùm respublica ciuilis nulla polleat supranaturali potestate, dericulum est dicere, q̃ ipsa possit spirituales pastores instituere. Idem ex illo Pauli. 1. Corinth. 12. Confirmatur, ubi ait q̃ diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, & diuisiones ministrationum, idem uerò Dominus, & diuisiones operationum, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Et subnectit analogiã corporis, q̃ sicut in uno corpore multa sunt membra, ita & in una ecclesia multi sunt ordines. Vnde. 1. ad Timoth. 3. postquàm episcopi mores delineauit, quos in cunctis sacerdotibus requirebat, de diaconibus uerbũ subiunxit. Ac subinde ca. 4. Noli, inquit, negligere gratiam, quæ in te est, quę data est tibi per prophetiã, per impositionem manuum presbyterij. Et cap. 5. Ad uersus presbyterum, inquit, accusationẽ noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Et infrà. Manus citò nemini imposueris. Et epist. 2. ad eundem cap. 1. Admoneo, inquit, te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Et ad Timoth. 1. Huius inquit, causa reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & cõstituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Ac demum Act. 14. expresè habetur, q̃ apostoli constituebant per singulas ciuitates presbyteros.

Paulus.

Paul. 1. ad Timot. 3.

Ad Timothe. 1.

Actu. 14.

¶ Canones autem, immensum esset opus, hic omnes hac de re citare. Satis autem sit unus pro omnibus Anacleti Papæ discipuli beati Petri In nouo. dist. 21. ubi ait q̃ post Christum dominũ in Petro sacerdotalis cœpit ordo, cui Christus pontificatum in ecclesia dedit dicens, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Apostoli namq;, cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, scilicet apostolicam, quorum loco successerunt episcopi: sed postmodum dominus alios septuaginta duos discipulos elegit, quorum typum gerunt presbyteri. Cætera loco citato latiùs disseruimus.

Canõ Anacleti.

¶ Secunda conclusio. Ordo ecclesiasticus est sacramentum. Probatur. Sacramentum, ut dist. 1. dictum est, nihil aliud est quàm sacræ rei signũ: hoc est, signum gratiæ hominem sanctificantis: sed ordo est eiusmodi, non enim accipitur, pro ea habitudine & relatione, quæ est inter superiores & inferiores: sed pro ipsa ordinatione, quæ est sensibile signum spiritualis potestatis, quæ illic confertur, ut cùm episcopus oblato calice cũ hostia ait, Accipe potestatem offerendi sacrificium

Secunda conclusio.

Ratio.

crificium &c. Per illa enim uerba & traditionem materiæ confert potestatem: nempe, characterem ad consecrandum, ac subinde, nisi obex obstiterit, gratiam ad ritè & rectè idem obeundum munus. Ex quo

Scoti opi. fit, gratis Scotum præsenti dist. negasse hoc esse propriè sacramentum, eo ꝙ non est uisibile signum, sed solùm, inquit, est sacramentum accipiendo pro signo inuisibili: nempe, pro charactere. Quod enim hoc gratis dicatur, patet: nam materia illa, quæ exhibetur ab episcopo, & forma, qua traditur, ut arti. proximo notius fiet, signum sensibile est potestatis, quæ confertur, & gratiæ. In subsequentibus uerò de isto effectu gratiæ iterum dicendum est. Deinde examinandum an singuli ordines sint sacramenta: atq; adeò utrùm omnes simul sint unum sacramentum, & utrùm omnes sint de iure diuino

Corollarium. à Christo instituti. Fit ergo ex his consequens, ꝙ neque ordo, qui est inter angelos, sit sacramentum, neque uerò unctiones, quibus reges unguntur, uel abbates, quia per illas non confertur potestas supra corpus Christi uerum. De ordinatione uerò episcopi infra fiet sermo. ¶Ad

Solutio argumentorum. utrumque igitur argumentũ in capite propositum respondetur, ꝙ ordo subiectionis, qua quis ut seruus alteri subditur, libertati repugnat, sed tamen ille non est ecclesiasticus ordo: imò qui in ecclesia præsunt, non debent dominari tanquàm domini seruis, sed tanquàm subditorum ministri: non enim potestatem habent in bonum proprium, sed in bonum Christianæ reipublic. Et hoc est, quod Christus admonebat apostolos. Paulus uerò persuadebat, ut licet prælati sint officio superiores, existimentt tamen se meritis, inferiores.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm in hoc sacramento materia & forma congruè designentur.

Partis negatiuæ argumẽtum primum. VAERITVR secundó de partibus huius sacramenti, quibus constat. Et arguitur ꝙ forma eius non sit conueniens, Sacramenta ordinantur ad sanctificationem illius, cui applicantur, quæ quidem applicatio fit uirtute diuina: ergo debet in forma exprimi eadẽ sanctificatio & uirtus, per quam fit, sicut in baptismo cùm dicitur, Ego te baptizo in nomine patris &c. & in confirmatione, Ego te confirmo &c. & in extrema unctione, Indulgeat tibi Deus &c. in forma uerò huius sacramenti dum dicitur, Accipe potestatem &c. nec sanctificatio susципientis, neque uirtus, qua sanctificatur, exprimitur: ergo non est apta. ¶Secundò

Secundum argumentum. de materia arguitur. In materia sacramenti debet esse uirtus sanctificandi per applicationem eius, ut. 1. dist. diximus: per ablutionem enim baptismi instrumentaliter abluitur anima: unde Hugo ait, ꝙ sacramentum est elementum exterius internam sanctitatem significans: sed in illis, quæ traduntur eis, qui ordinibus initiantur, ut in calice cum hostia non cõsecrata, & in libro Euangeliorum, qui traditur diacono, nulla inest uirtus, quæ effectum sortiatur sanctitatis internæ: ergo illud non est legitima materia.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium tamen est, quòd omne sacramentum debet constare ex uerbis & rebus: & usus habet uniuersalis ecclesiæ, per huiusmodi uerba, & traditionem rerum sacramentum hoc administrare.

¶Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Forma sacramenti

Prima cõclusio. ordinis optimè exprimitur per uerbum imperatiui modi. Conclusio est concilij

Florẽtina synodus. Florentini in instructione Armenorum, ubi forma sacerdotij ponitur hæc, Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro uiuis & mortuis in nomine patris & filij & spiritus sancti. Et similiter aliorum ordinum formæ, prout in Pontificali Romano latè continetur. Ratio autem

Rõ optima. sumitur ex discrimine inter hæc atq; alia sacramenta: nam quia gratia cuiusque sacramenti ad effectum eiusdem proprium refertur, materia & forma debent eundẽ effectum subnotare: effectus autem proprius aliorum sacramentorum, quæ consistunt in usu, est sanctificare hominem secundùm se ipsum inquantum est priuata persona, quemadmodum de quinq; præcedentibus dictum est: ut quia effectus baptismi est abluere animam, eamq; regenerare, fit ut per illam ablutionem & uerba, Ego te baptizo, illa regeneratio significetur. Et idem in eucharistia & confirmatione, reliquisq; sacramentis ostenditur.

Sacramẽti huius institutio quò tendat. ditur. Institutio autem huius sacramenti non fuit per se ordinata ad sanctificationẽ hominis, cui adhibetur, quatenus est quædam priuata persona, sed in ordine ad populum, qua ratione ipse est pars Christianæ Reipublicæ, in qua constituitur minister & persona publica. Et ideo sicut creatio regis aliusq; cuiusque magistratus fit per uerbum imperatorium, Accipe potestatem, tradendo illi sceptrum, uel pileũ, uel claues, uel quodpiam aliud insigne rei publicæ: sic dum ordinatur ecclesiæ minister, forma ordinandi esse debet, Accipe potestatem, tradita materia, circa quam usus eiusdem potestatis uersatur. Et quia potestas per usum eius designatur, optimè dicitur in forma, Accipe potestatem offerendi sacrificium: nam ille est facultatis usus. Et similiter in cæteris ordinibus, ut suis cuiusque locis uidebitur.

Obiectio. ¶Quòd si contra arguas. Imperare est actus habentis autoritatem: sed autoritas effectus sacramẽtalis non est, nisi in Deo, ut distinct. 1. dictum est: in ministro nanque non est nisi ministerium: ergo episco po ordinanti non congruit dicere, Accipite potestatem, sicut Christus dixit, Accipite spiritum sanctum. Respondetur ꝙ

Dilutio. quanuis in Episcopo non resideat prima autoritas, quia est tantùm Christi minister, habet nihilominus potestatem: hoc est, ordinis characterem similem illi, quẽ

Discrimẽ inter hoc sacramentũ & alia. confert. Differt tamen hoc à reliquis sacramentis, quòd nullũ aliorum ad hoc cõditũ est, ut minister similem facultatẽ ei, quam habet, conferat susципienti: sed hoc huic sacramento est peculiare, quòd per ipsum similis potestas ipsi, quæ est in ministro, traducitur in susципientem, sicut ignis in subiecto similem sui formam producit. Itaq; effectus aliorum sacramentorum est susципientem per gratiam assimilare Deo, non autem ministro, qui sæpe assolet illa carere: effectus autem huius sacramenti est, ut ordinans per characterẽ assimilet sibi susципientem: & ideo congruentissimè dicit, Accipe potestatem: uidelicet, qua ego polleo. Hoc enim nõ profert nisi tanquàm Christi minister: sicut in baptismo baptizans ait, Ego te bap-

Argumẽ. optimũ. tizo. ¶Valentius autem argumentum est, quòd cùm inter effectus sacramenti gratia sit præstantior charactere, apparet quòd potius forma deberet designare gratiam, quàm characterem: & tamen illa facultas, quæ per formam exprimitur, non est nisi character. Huius autem re-

Solutio. sponsum ex ijs, quæ modò dicebamus, colligitur: uidelicet, quòd quanuis gratia secundùm se sit excellentior, ut pote per quam susципiens iustificatur, nihilominus finis huius sacramenti non fuit sanctificare susципientem, quatenus est persona priuata: nam ad hoc alia sacramenta sufficiebant, sed dare ei publicam potestatem: & ideo illam potiùs debuit formam explicare. ¶Aliud hic dubium restat soluendum, utrùm impositio manuum sit pars

Dubium. formæ huius sacramenti. Sed huius examen artic. 4. inter tractandum de singulis ordinibus commodiùs fiet. ¶Quòd autẽ

In noĩe patris &c. an sit de essentia formæ. in præfato concilio additur formæ, In nomine patris & filij & spiritus sancti, non est de essentia eiusdem formæ, sed de decentia. Nam ut dist. 7. articu. 4. dictum est, sola sacramenta baptismi & confirmationis, quia in illis fit professio fidei, inuocationem trinitatis tanquàm de essentia requirunt. ¶Ex his colligitur de materia, secunda conclusio priori similis.

Secunda conclusio. Materia huius sacramenti est res illa, quæ susципienti ordines traditur, ut calix cum hostia, uel euangeliorum liber, & urceoli & claues ecclesiæ, ut in alijs ordinationibus dicturi sumus. Conclusio, ueluti

Rõ conclusionis. præcedens, est assertio eiusdem Florentinæ synodi, cui & ratio hæc suffragatur, quòd materia debet esse formæ coaptata: cùm ergo forma sit imperatoria, Accipe potestatem, applicatio materiæ debet esse traditio uasorum, & instrumentorum, quibus usus eiusdẽ potestatis designatur.

Ratio Sancti Thomæ. Penitiùs uerò eandem rationem speculatus S. Tho. ex eodem principio prioris conclusionis & hanc quoque elicuit. Enim

Nota. uero sacramentorum, quæ in usu materiæ consistunt, materia debet significare effectum sacramenti extrinsecus aduenire, sicut ablutione baptismi significatur, per illam, adiuncta forma, animam ablui. Secus in sacramento pœnitentiæ, ubi materia sunt intrinseci actus ipsius pœnitentis, qui ideo ab intrinseco ad eius sanctificationem concurrunt. Eiusmodi autem materiarum, quæ forinsecus admouentur, diuersa est ratio. Nam cùm alia

Materiarũ ratio diuersa. sacramenta ordinentur ad sanctificeandum susципientem per gratiam, quæ quidẽ gratia

tia à Deo ipso deriuatur, & non à gratia, quæ est in ministro: siquidem existens in peccato uirtute sacramẽti, quod confert, sanctificat hominem, necesse est ut materia per sui applicationẽ uirtutem habeat sanctificandi, sicut aqua in baptismo per ablutionem, & chrisma in confirmatione per unctionem: ad denotandum, quòd minister non sanctificat nisi per uirtutem Dei, quæ est in materia. In isto autem quia per se primo non ordinatur nisi ad conferendam potestatem, quæ est character, quæ quidem deriuatur à Deo per ministrum habentem similem characterem, tota uirtus sacramentalis est in ministro & in forma, quam profert. Quare materia non applicatur sicut habens uirtutẽ, ueluti aqua in baptismo, & chrisma in cõfirmatione, sed ad determinandum intentionem ministri, & ad designandam explicandamq; facultatem illam, quam elargitur: quare materia potiùs significat usum potestatis exhibitæ à ministro, quàm ipsam potestatem. Idq; deinde luculentiùs confirmatur ex diuerso modo applicandi materiam: nam in cæteris sacramentis debet materia tangere suscipientem per modum causæ efficientis, ut abluendo, ungendo &c. ut suscipiens patiatur ab illa: in hoc uerò sacramento potiùs suscipiens agit tangendo & accipiendo materiam. ¶Cauendus est hic tamen error, ne quis putet traditionem illam materiæ non concurrere ad utrumque sacramenti effectum: scilicet, gratia & characterem: imò concurrit simul cum forma: quia est pars sacramenti. Sed solùm ait S. Tho. quòd non concurrit per modum rei, in qua fit uirtus, sed ad determinandam & designandam potestatem, quæ confertur. Quod quidem discrimen inde præterea patescit, quòd materia aliorum sacramentorum, ut chrisma in confirmatione, & oleum in extrema unctione, & aqua baptismi, dum solenniter fit, benedicuntur & consecrantur, & præ omnibus materia eucharistiæ: materia uero huius sacramenti minime. ¶Vnum autem hic suboritur dubium, utrum materia debeat tangere suscipientẽ, sicut in reliquis sacramentis, seu potiùs suscipiens debeat eam tangere, cùm ei ab episcopo porrigitur. S. Tho. in præsentiarum refert duas opiniones, arguit enim sic tertio loco. In quolibet sacramento habente materiam necessarius est contactus materiæ ad eum, qui suscipit sacramentum: sed, ut à quibusdam dicitur, contactus materiarum in hoc sacramento ab eo, qui illud suscipit, non est de necessitate sacramenti, sed eorum porrectio: ergo in hoc sacramento nulla reperitur materia. Est tamen litera responsionis mendosissima, & uix intelligibilis: debet ergo hoc pacto uel legi, uel intelligi, quòd sustinendo dictum illud: nempe, illorum opinionem, scilicet contactum non esse necessarium. ratio eius potest ex dictis colligi, uidelicet, ꝙ cùm in reliquis sacramentis effectus, ut dictum est, qui est gratia, non accipiatur a ministro, qui ea potest carere, sed a materia, necesse est, ut materia tangat suscipientem. In sacramento uerò ordinis, effectus: nempe, character non suscipitur à materia, sed à ministro habente characterem, ut expositum est: & ideo porrectio materiæ ab episcopo magis est de essentia sacramenti, quàm suscipientis contactus. At uerò S. Tho. propensiùs inclinat in alteram opinionem: apparet enim, inquit, ꝙ contactus materiæ sit de essentia sacramenti: nam uidetur forma ipsa, Accipe potestatem, id exigere. Et confirmatur. Accipere est correlatiuum huius, quod est dare: cùm ergo episcopus det potestatem, & iubeat, ut alter accipiat, uidetur necessarium, ut manibus tãgat. Fatemur ergo hanc opinionem multò probabiliorem altera: nam cùm episcopus non tradat potestatem solo uerbo, sed offerendo materiam, certè probabilissimum est, ꝙ suscipiens debeat eam tangere. Imò Caietanus quodli. 1. q. 16. duo asseuerat. Primum, ꝙ non opinatiuè, sed assertiuè dicendum est requiri contactum. Secundum, ꝙ necessarium est illum contactum simul fieri dum episcopus formam profert, sicut in cæteris sacramentis, in quibus requiritur simul concursus materiæ & formæ. Veruntamen in summa. uerb. Ordinandi, seipsum uidetur retractasse, dicens, non esse necessarium contactum: quia neque in concilio Florentino, neq; in Pontificali ponitur tanquàm necessarius. Et re uera non usq; adeò uidetur opinio S. Thomæ necessaria: nam hoc discrimen, quod pro altera opinione attulit inter materiam huius sacramenti & aliorum

Materia, quæ applicat, quid significet.

Diuersus modus applicãdi materiam.

Traditio materiæ cõcurrit ad utrũq; sacramẽti effectum.

Discrimẽ.

An materia debeat tangere suscipientẽ.

Prima opinio.

Solutio argumenti.

Secunda opinio.

Argumentum.

Sententia autoris.

Caietanus.

Autoris sententia.

aliorum multùm eidem opinioni faciet. Materia siquidem huius sacramenti non hẽt uirtutẽ eo modo, quo materia aliorũ ad aliquam actionem erga susciepientem: puta, ad abluendum, ungendum &c. Sed solùm ad determinandam intentionẽ agẽtis: illa autem determinatio posset significari per id, quod episcopus ostendat præsentem materiam: nempe, calicem & hostiam, ut suscipiens usum illius potestatis intelligat. Et tunc dicendum esset ꝙ materia per ostensionem concurreret ad effectum sacramentî. Item quia in sermonibus familiaribus cùm quis dõnat equum alteri, alter solo nutu uel uerbo potest accipere illum, licet non tangat. Et sic certè non uidetur omnino necessarius contactus. Quod si quis contra arguat. Sequeretur ex hoc, ꝙ sine oblatione materiæ posset episcopus solo uerbo dicere. Accipe potestatem offerendi sacrificium &c. Negatur consequentia: nam cum in omni sacramento sit necessaria materia & forma, non sufficit, ꝙ Pontifex suam intentionem solo uerbo patefaciat, sed ostendendo præsentem materiam, ut actu intelligatur tunc potestas traduci. Hæc dixerim, non quòd negare contenderim cõtactum requiri, imò requiri comprobo. sed ad tollendos eorum scrupulos, qui arbitrantur nisi tetigerint calicem & simul hostiam nullatenus esse ordinatos. Nam cùm contactus ille non sit nisi cæremonia, quomodocunque tangant sufficit. Imò fortasse licet non attingant hostiam, sed solum calicem tangant, illic censentur totum, quod ibi datur, pertingere: nam sicuti qui tangit calicem censetur tangere uinum, quod est intus, ita & hostiam, quæ est supra patenam. Tametsi non negauerim, quin sit adhibenda diligentia contingendi etiam hostiam ad modum in Pontificali Romano præscriptum.

¶Quod autem Caietanus ait, requiri simul concurrere contactum cum forma, non intelligitur mathematicè, ut non finiatur uerborum prolatio antequàm tactus fiat, ut in materia baptismi diximus: sed satis est quòd sint simul more loquendi humano. Nam qui dicit, Ego te baptizo, si statim baptizet, simul censetur dicere & facere. Quin uerò in præsentiarum forma multò minus requirit, ut contactus simul fiat: nam ad uerificandum illud uerbum, accipe, non exigitur ex ui significationis, ut antequàm præcipiens mandatum proferat, alter adimpleat, sed quòd statim accipiat.

¶Ad primum igitur argumentum iam responsum est per discrimen inter hoc sacramentum & reliqua: nempe, ꝙ per alia assimilatur suscipiens per gratiam Deo, & ideo necesse est, & materia ipsorum per applicationem habeat illam uirtutem diuinam, quæ explicatur in forma, Ego te baptizo: id est, applico uirtutem diuinam. Effectus autem huius est, ut ordinans assimilet sibi suscipiẽtem per uirtutem, quæ est in ipso: nempe, per characterem: & ideo est actio uniuoca, qua agens assimilat sibi passum. Atque adeò non requiritur, ut forma explicet aliquam uirtutẽ, quæ est in materia, sed traditionem uirtutis, quæ est in ministro per uerbum imperandi, Accipe potestatem &c. ¶Et per hoc ipsum dilutum restat secundum argumentum.

Confirm.

Obiectio.

Dilutio.

Nota omnino.

Nota.

Caietanus.

Solutio primi argumẽti.

Solutio secundi argumẽti.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm conuenienter sint in ecclesia septem ordines distincti.

SERIES legitima exposcere uidebatur, ut post considerationem substantiæ & partium sacramenti, de eius effectibus diceremus. At quoniam non eadem apparet ratio in omnibus ordinibus eosdem proferendi effectus, ne sit opus eadem pluries resumere, congruentius est, ut de ordinum distinctione & numero præmittatur sermo. Arguitur ergo ꝙ ordinum multiplicatio non erat decens. Virtus enim quantò maior, tanto minus est multiplicata & ideo non est nisi unicus Deus, unicus Dei uicarius, ac in republica rex unus: qua de causa Arist. 8. Ethic. regiam potestatem prætulit omnibus alijs, in quibus plures gubernant: ordo autem ea ratione, qua homines constituit in altiori gradu, quàm sit reliquus populus, dignior est reliquis sacramentis, quæ non multiplicantur: non enim est nisi unicus baptismus, unica confirmatio &c. ergo multo minus decuit in plures diuidi. ¶Secundò. Si plures essent ordines, aut diuisio sacramenti ordinis

Partis negãtiuæ argumẽtum primum.

Secundũ argum.

dinis in plures, esset ueluti totius in partes integrales, sicut homo diuiditur in caput, manus & pedes: aut totius uniuersalis in partes subiectiuas: scilicet, generis in species, ut animalis in hominem & equum. Si primum dederis, tunc sequitur q̃ sacramentum non uerificatur de aliquo in speciali: totum enim non prædicatur de parte integrali: quia nec caput nec manus est homo: si secundum admiseris, tũc singuli per se ordines sunt sacramenta, atque adeò omnes simul sunt septem sacramenta: nam genus pluraliter prædicatur de speciebus simul iunctis: siquidem homo & equus sunt plura animalia. Quòd si uerum esset, plura essent quàm septem sacramenta: nam prꝛeter hæc sunt sex alia, baptismus, confirmatio &c.

Tertium argumentum.

¶ Tertiò. Estò plures deberent esse ordines, apparet non congruere, ut essent numero septem: nam ordinum numerus secundum actiones hierarchicas multiplicã dus est: secundum autem Dionysium de ecclesia. hierarch. tres sunt tantùm hierarchiæ actiones: scilicet, purgare, illuminare, & perficere: quare tres duntaxat ordines distinguit, diaconatus, presbyteratus, & episcopatus.

Quartum argum.

¶ Quarto ab aduersa parte arguitur, quòd deberent esse plures, scilicet saltem nouẽ. Virtus, ut modo dicebamus, quo altior est, minus & multiplicabilis: sed hierarchiæ angelorũ, quæ sublimiores sunt quàm hierarchiæ ecclesiæ militantis, sunt nouem: ergo in ecclesia deberent esse nouem.

Pars affirmatiua.

¶ In contrarium est usus orthodoxæ ecclesiæ, quæ ordines in septem diuidit.

1. Concl.

¶ Ad quæstionem præsentem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Congruentissimum fuit, ut ordines ecclesiastici plures essent, triplici ex causa.

Prima rõ.

Prima fuit, ut pulchritudo diuinæ sapientiæ in ecclesiastico cultu fulgentius splendesceret. Sapientia enim Dei licet in se una sit maxime, eadémq; simplicissima, extra se tamen multiiuga effectuum uarietate promicat, ut patet in orbium cælestiũ, astrorumq; concinnentissima multitudine, & in elementorum compositione, & in numerosissima fructuum, animalium aliarumq; rerum copia. Eodem ergo modo ecclesia diuersis gradibus, ordinibus, & hierarchijs diuinam refert sapientiam.

Regina Saba.

Inde enim regina Saba, ut 3. Reg. 10. legitur, admirata est Salomonis sapientiã, quòd domum Dei tanta ministrorum uarietate extructam decorasset. Et Dauid psalmo. 44. ecclesiam contemplatus est tanquàm reginam à dextris sedentem circundatam uarietate. Secunda ratio sumitur ex subuentione humanæ infirmitatis. Nequiuerant enim omnia, quæ ad diuinum cultum attinent, per unum ministrorum genus commodè expleri, ob idq; plura adhibita sunt. Quam ob rem & antiquitus, ut Numeri. 11. legitur, Moysi dominus septuaginta senes in adiutorium adhibuit, & Christus in Euangelio septuaginta duos discipulos adiunxit apostolis.

Nume. 11.

Rõ tertia.

Tertia denique ratio fuit secundùm Dionysium loco citato, ut multiplicatis ministris diuini cultus, amplior hominibus pandetur uia eodem modo proficiendi.

2. Concl.

¶ Secunda conclusio. Septenarius ordinum numerus fuit congruentissimus, qui sunt, presbyter, diaconus, subdiaconus, acolytus, seu acoluthus, exorcista, lector, & ostiarius. Hanc conclusionem negauit Vuitcleff, ut est uidere apud Vualdensem tomo. 2. de sacramen. cap. 116. dicens, Christum non instituisse nisi duos ordines: scilicet, apostolorum, qui erant sacerdotes, & septuaginta duorum discipulorum, Lucæ. 10. qui erant sicut diaconi: hoc est, ministri apostolorum. Redarguitur autem eius error testimonijs multis sanctorum, quos illic Vualdensis in testes accersit. Extat enim inter canones apostolorum cap. 42. & 43. Septenarius iste numerus ministrorum altaris, qui quidem canon semper fuit habitus in ueneratione, ut autor imperfecti Homil. 53. super Matth. edocet. Et Clemens apostolis proximus, imò coætaneus in Epist. 3. ad uniuersos eosdem septem ministros recensет. Et Anacletus sub id ferè temporis etiam Pontifex cap. 2. suorum decretorum in solennibus diebus diaconos iubet episcopo assistere, & subdiaconos atque reliquos ministros. Et Ignatius apostolorum quoque coæuus in quadam epistola ad suos Antiochenos. Saluto, inquit, sanctum presbyterum uestrum, saluto sanctos diaconos, subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, exorcistas &c. Et Cornelius papa in epist. ad Fabianum Antiochenum eosdem prorsus ordines septem commemorat. Atqui & Eusebius lib.

Vuitcleff.

Error Vuitcleff redarguitur.

Autor imperfecti.

Anacletus.

Ignatius.

Eusebius.

lib. 6. historiæ Ecclesiast. cap. 33. refert epistolam Cornelij, qui fuit ducentis annis à Christo, ubi eosdem septem ordines commemorat. Et Ambos. super illud ad Ephes. 4. Dedit quosdã apostolos &c. officia istorum ordinum septem denarrat. Et Hierony. in prologo epistо. Pauli ad Thessa. ait illas Apostolũ missile ab Athenis per Titum & Onesimum acolytum. Mittimus Isidorum atque Rabanum, qui in suis libris de offic. eccles. istorum septem ordinum & numerum & rationem satis explicant. Et idem Isidorus in Epistola ad Ludriferum singulorum ordinum officia describit: & refertur. dist. 25. can. Perlectis. Et distin. 23. can. Presbyter, & pluribus subsequentibus ex Concilio Carthaginensi. 4. de singulorum septem ordinum promotione amplior fit sermo. Et tandem Hugo lib. 2. de sacrament. par. 3. c. 5. quem Magist. senten. imitatur, eosdem septem ordines quasi per ecclesiam receptissimos enumerat. Est ergo conclusio nostra catholica qua affirmatur, hos septẽ ordines antiquissimos: nempe, à tempore apostolorum semper in ecclesia fuisse celebres. Error ergo est dicere septuaginta duos discipulos fuisse diaconos: quippe cùm presbyteri fuerint, quos dominus in adiutorium apostolorum, ac subin de episcoporum cooptauit: nam de institutione diaconorum arti. sequenti dicemus.

Ambrosius.

Hierony.

Isidorus.

Hugo.

Conclusio Catholica.

Rõ septenarijnumeri.

¶ Rationem autem huius numeri sunt qui uelint ex adaptatione ad gratias gratis datas uenari, quas Apostolus. 1. Corint. 12. connumerat, dicentes sermonem sapientię conuenire episcopo, qui est aliorum ordinator: ordinare enim, actus sapientiæ est. Sermonem uerò scientiæ sacerdoti competere, qui claui scientiæ in sacramento pœnitentiæ utitur: sed fidem competere diacono, qui legit euangelium fidei. Virtutum autem opera tribuunt subdiacono, in quo incipit continentiæ uotum, quæ omnium est uirtutum genitrix. Interpretationem sermonũ acolyto, qui lumine, quod defert, interpretationem scripturæ significat. Et gratiam sanitatum exorcistæ, qui dæmones expellit. Et genera linguarum psalmistæ, & prophetiam lectori, & discretionem spirituum ostiario, qui quosdam repellit, & quosdam admittit.

Adaptatio non apta.

¶ Attamen adaptatio hæc non est apta. Primùm, quia gratiæ gratis datæ secundùm apostolum non dantur eidem, sed diuersis, & tamen ordines eidem conferuntur. Item quia episcopatus, ut uidebimus, non est ordo: neque uerò psalmistæ officium. Sed quæ præcipuè aduersus istos ratio pugnat, est, quòd ordinum functiones nullis indigent gratijs gratis datis.

Ratio aliorum.

¶ Propterea alij aliã rationem comminiscuntur, ut numerum ordinum instar cælestis hierarchiæ conditum uelint. Officia quippe angelorum sunt purgare, illuminare, & perficere. Aiunt igitur, quòd ostiarius purgat exterius, arcendo malos ab ingressu ecclesię, & admittendo bonos: interius uerò purgat acolytus: quippe qui lumine cerei, quem defert, expulsionem mentis tenebrarum designat. Exorcista uerò utroq; modo purgat pellendo dæmonem, qui intus & foris conturbat hominem. Sed illuminatio, quæ fit per doctrinam, quantùm ad propheticam fit per lectores, quã tùm ad euangelicam per diaconũ, & quantùm ad apostolicam per subdiaconum.

Purgare.

Illuminare.

Perfi cere.

Perfectio autem communis, quæ fit per sacramentum baptismi, pœnitentiæ, extremæ unctionis & eucharistiæ pertinet ad presbyterum. Alia uerò excellentior per confirmationem plebis, & ordinationem sacerdotum, & consecrationem uirginum, incumbit episcopis. Ac demùm suprema, quæ est episcopos creare, attinet ad Papam, in quo plenitudo residet potestatis.

Purgare.

Ratio aliorum.

Adaptatio pbatur nõ legitima.

¶ At uerò neque speculatio ista, legitima est. Primùm, quia ordines cœlestis hierarchiæ non distinguntur per illas actiones: nam cuilibet hierarchię in suo gradu conueniunt omnes, ut in materia de angelis disputatur. Præterea quia perficere solis episcopis secundùm Dionysium conuenit, eo, quòd chrismate in confirmatione & ordinibus utuntur, quæ quidem sacramenta exuberantem copiam fragrantis gratiæ conferunt, quæ in balsamo designatur. Illuminare autem conuenit presbyteris per alia quatuor sacramenta: nam matrimonium non competit ad hierarchiam. Sed purgare conuenit diaconibus & alijs inferioribus ordinibus, quatenus plebem ad Eucharistiæ functionem præparant.

Perficere.

Illuminare.

Purgare.

Ratio aliorum.

¶ Ob idq; alij ordinum seriem septem donis spiritus sancti assimilare contendunt: ut donum sapientiæ, quod suprenum est, sacerdotibus

tibus adscribatur: illud quippe donum pa ne uitæ & intellectus homines cibat, quos perinde sacerdos eucharistia reficit. Donum uerò timoris, quod est infimum, attribuunt ostiario, qui in ingressu ecclesiæ bonos per timorem à malis separat. Ac subinde alia media dona alijs intermedijs ordinibus accommodare pergunt. ¶Sed re uera neque ista distributio est germana: nam in quocunque ordine, qui est sacramentum, septiformis gratia confertur. ¶Legitima ergo ratio distinctionis ordinum ex ordine & respectu ad sacrosanctam Eucharistiam, ad quam omnes referuntur, sumenda est. Enimuerò, ut loco citato autor est Dionysius, ut templa & altaris uasa, ministrorumq; ornamẽta propter dignitatem eucharistiæ consecrantur: ita & omnes ministri ratione eiusdem sacramenti initiantur. Vnde quò quisq; istorum ordinum propinquius ad eandem eucharistiam accedit, eo præstantior & sublimior. Quo fit, ut sacerdotum ordo, quorum munus est eucharistiam ipsam consecrare, sit omnium dignissimus. Quapropter dum ordinantur, tanquam materiam, accipiunt calicem cũ uino, & patenam cum pane, ubi, ut forma ipsa significat, potestatem accipiunt consecrãdi offerendiq; altaris sacrificium. Reliqui uerò ordines hanc uirtutem non attingunt, sed omnes sunt in ministerium sacerdotis, cui cooperantur, instituti. ¶Eorum autem ministeria aut sumuntur in ordine ad eandem eucharistiam, aut in ordine ad populum, qui ad ipsam apparatur. Prior ordo est tripertitus, in quo diaconi sunt supremi: quia sunt sacerdotis proximi cooperatores, & ideo tenent Leuitarum locum, qui antiquitus erant diuino cultui mancipati, ceu sacerdotum ministri. Ministrant enim ei in suis manibus consecrandam materiam. Et in primitiua ecclesia, quando mos uigebat ministrãdi sanguinem populo, diaconus id exequebatur. Quapropter per antonomasiam dicuntur diaconi: id est, ministri: id enim Græcum nomen sonat. Ob idq; Paul. 1. ad Timoth. 3. post mores episcoporum, quo nomine omnes presbyteros comprehendit, subdit, & quibus debent esse uirtutibus diaconi imbuti: eo quòd tam propè ad sacra mysteria accedunt. ¶Per quã tamen episcopi cæremoniam ordinatio eorum fiat, & characteris impressio, inter Doctores controuertatur. Scotus nanque dist. præsenti arti. 2. ait, proprium actũ diaconi non esse legere euangelium, neque subdiaconi legere epistolam. Vbi insinuat eius ordinationem non consistere in acceptione libri euangeliorum, neque illic imprimi characterem. Similiter Duran. ead. dist. q. 3. ait non imprimi characterem in traditione libri, sed cùm episcopus manum ei imponens ait, Accipe spiritum sanctum ad robur &c. eo quòd tunc ad ministerium applicatur, ut dist. 23. can. Diaconus. decernitur. Probatq; id præterea quia non est usus uniuersalis ecclesiæ tradere ei librum. Imò ait, in ecclesia Anicensi, cuius ipse fuit põtifex, non fuisse in more tradere diacono librũ, sed ipsum illum statuisse. Ricardus uerò ead. dist. arti. 4. q. 3. contrarium censet: scilicet, in traditione libri imprimi characterem. Sed litem concilium Florentinum in instructione Armenorum diremit, affirmans, diaconatum per libri euãgeliorum dationem conferri: ob idq; tũc character imprimitur, & infunditur gratia. Idq; adeò inde confirmatur, quod cap. Presbyter. de sacram. non iterand. manuum impositio asseritur non esse de essentia. Vnde episcopus, sicuti presbytero ait, Accipe potestatem offerendi sacrificium pro uiuis & defunctis, ita ait diacono, Accipe potestatem legendi euangelium pro uiuis & defunctis, quæ ideo est eius ordinationis forma, qua infunditur gratia, & character imprimitur, quod est indicium illum esse præcipuum eius actum. ¶Quòd autem in sua ordinatione diaconi admonentur eorum officium esse baptizare & prædicare, in superioribus expositum reliquimus. Nam dist. 4. art. 1. secundum S. Tho. 3. par. q. 67. ar. 1. ostendimus baptizare ex proprio officio non incumbere nisi sacerdotibus, ut can. Diaconos. dist. 93. ait Gelasius, & can. Constat. de consecra. dist. 4. Isidorus. Diacono enim, & nomen eius sonat, & ut idem Isidorus can. Perlectis. di. 25. admonet non incumbit nisi sacerdotibus assistere & ministrare. In primitiua autem ecclesia, ubi raritas erat sacerdotum, ex commissione poterant baptizare, ut eod. can. Diaconos. habetur. Et fortasse cũ aliqua catechismorum & exorcismorum

Adaptatio non congrua.

Rõ legitima distinctionis ordinum.

Sacerdotij ordo omnium dignissimus.

Paul. 1. ad Timoth. 3.

Diaconi officium.

Doctorũ controuersia.

Ricardus.

Cõcil. Florenti.

Diaconi non baptizant solenniter.

cismorum solennitate. Et tunc quoq; propter eandem ministrorum inopiam permittebatur eis prædicare, ut Ambros. super. 4. c. ad Ephes. autor est. Veruntamẽ ex officio, ut eodem loco ait S. Tho. non cõuenit diacono nisi recitare euangeliũ & per modum catechismi articulos fidei & decalogum exponere. Et ita intelligendus est Isidorus in dict. can. Perlectis. & Greg. in can. In sancta. dist. 92. officium prædicandi diacono tribuentes: nam ex officio prædicare docendo exponendoq; euangelium solis episcopis incumbit: quia prædicare est perficere, quod officium episcoporum est, ut Dionysis ca. 5. de eccles. hierar. autor est, quod & nos latius di. 1. q. 5. art. 5. commonstrauimus. Quare neque sacerdotibus hoc conuenit ex officio. Ob idq; in eorum ordinatione hoc illis munus non adscribitur. Vnde euidens est argumentum multò minus debere diaconibus attribui: sed solùm catechizare sine solennitate concionis. Et ideo. 16. q. 1. can. Adijcimus. prohibentur alij prædicare quàm presbyteri. Nam plebanis in sua parœcia id conceditur, atque alijs etiam committi potest. Quinuerò & diacones, si sint idonei, facultate suorum prælatorum possunt id muneris quandoque etiam solenniter exercere.

¶Post diaconum est subdiaconus, græcè hypodiaconus: hoc est subministrer: quia est ministrer diaconi: offert enim ei nomine populi materiam consecrandam, quam diaconus de manu eius accipiens porrigit sacerdoti. Quapropter, ut ait Hugo, subdiaconi sunt sicut in ueteri lege Nathinæi, qui, ut legitur lib. 1. Esdræ cap. 2. & lib. 3. cap. 8. erant Leuitarum ministri ducenti uiginti. Quocirca eis traditur calix uacuus cum patena superposita, & per archidiaconum traduntur subinde urceoli cum uino & aqua, ac bacile cum manutergio: nam ipsius munus est lotionem manuum presbyteri habere paratam, uinumq; & aquam calici infundere.

¶Hærere tamen hic dubius quispiam posset, utrùm in illa calicis & patenæ traditione, an uerò in traditione libri epistolarum subdiaconi ordinatio consistat, per quam & character imprimatur. Nam si exemplum à diacono duxeris, per traditionem libri epistolarum eadem fieri uidetur ordinatio: similiter enim tunc dicit episcopus. Accipe librum epistolarum, & habeto potestatem legendi, &c. Atque idem de lectoribus & exorcistis dicturi sumus. At uerò D. Tho. dist. 25. q. 1. ad 2. ait subdiaconum characterem non suscipere nisi dum calicem cum patena recipit. Atque eiusdem sententiæ author est loco citato Richardus, & Palud. distinct. præsenti, & omnes sanè docentes. Nam eodem Florẽtino concilio sic definitum est. Et ideo ad argumẽtum oppositum respondetur, quòd quemadmodum ordinatio presbyteri in traditione materiæ consecrandæ consistit: ita & ordinatio cuiusq; ministri in actu eius principali. Est autem ille principalis, qui ministerio eucharistię propinquius accedit: propinquius autem ei ministrat subdiaconus cùm materiam consecrandam diacono porrigit. Diacono uerò non potuit similis materia in eius ordinatione tradi: nam cùm presbytero calix cum uino, & patena cum hostia tradatur, subdiacono uerò eadem uasa uacua, modus non restabat medius, quo posset tradi diacono. Quam ob causam & propter euangeliorum dignitatem per eorum traditionem suscipitur diaconatus.

¶Tertiò loco ordinatur acolytus, seu acoluthus: nam utrunque nomen rei congruit. Acolytus nanque græcè idem est, quod non prohibitus, id est, qui à sacris non cohibetur, sed permittitur ignem aut quid aliud ministrare. Acoluthus uerò idem quod famulus & ministrans, uti est pediſſequa: nam licèt cum cereo antecedat presbytero prodeunti ad altare, ministrat nihilominus post modum subdiacono, cui debet ampullas cum uino & aqua offerre. Et ideo quanuis primò acoluthis tradantur cerei, quia sunt etiam ceroferarij, quasi lumen fidei ad illuminandam plebem deferentes, postmodum tamen traduntur urceoli uacui. Et in illa traditione rum illa forma, Accipe urceolum ad suggerendum uinum & aquam in eucharistiã sanguinis Christi, consistit eorum ordinatio. Et uiguit olim usus, ut archidiaconus tam subdiacono quam diacono materiam præberet, & episcopus proferret formam ut loco citato dist. 25. ait S. Tho. Iam uerò in Pontificali Romano scriptum est ut episcopus illam tradat. ¶Alij uerò tres ordines sumuntur ex ordine ad populum, quem ad eucharistiam præparant. Hæc autem

Diacono conuenit, euãgelium recitare.

Gregorius.

Can. Adijcimus. 16. quæst. 1.

Subdiaconi officiũ.

Dubium.

Solutio argumenti.

Nota.

Acolytus

Antiquus mos.

Tres ordines minores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

autem, præparatio est immundorum emũdatio, ut eucharistiæ susciendæ idonei fiant. Est autem immundorum, ut Dionysius loco citato edocet, triplex ordo, infimus: scilicet, infidelium, credere renuẽtium, qui ideo omnino sunt à sacris cohibendi, quod quidem munus ostiariis conuenit, quorum ordo infimus omnium est. Tametsi, ut ait loco citato Hugo lib. 2. par. 3. cap. 6. hoc officium dominus in sua persona susceperit quando flagello ex funiculis facto ementes & uendentes de templo eiecit. Marci. 11. Ad quos ideo ostiarios spectat cymbalum ad conuocandum populum pulsare, & aperire ecclesiam, cohibereq; infideles, ne ad sacra irridenda ingrediantur. Et ideo traditur eis cymbalum cum clauibus. ¶Secundum immundorum genus est eorum, qui fidem utique suscipere annuunt, sed nondum sunt satis instructi, ut catechumeni, quorum emundatio & instructio officium est lectoratus: nempe, prima fidei rudimenta eos docere, præsertim aliquid ex ueteri testamento, quod est uelut inductio ad legem nouam. Quod quidem munus dominus usurpasse uidetur, ut illic etiam adnotauit Hugo, quando in medio seniorũ librum Esaiæ aperiens distinctè ad intelligendum legit. Lucæ. 4. Quapropter lectoribus, etiam si non sint subdiaconi, ex officio competit cantare in ecclesia prophetias & lectiones, quæ canuntur in hebdomada sancta, & maximè in sabbato. Quare non est necesse ut qui illas canunt sint dalmaticis induti, sed satis eis sunt superpellicia. Quod si quis arguat, psalmistatum eadem ratione debere institui diuersum ordinem, negatur consequentia. Psalmi enim pars sunt ueteris testamenti: quare psalmistatus non addit rem, sed modum: scilicet, psallere, quod est canere. Lectorum igitur ordinatio consistit in traditione lectionarij & illa forma, Accipite & estote uerbi dei relatores. ¶Tertium denique genus immundorum est eorum, qui quamuis fidem susceperint, sunt tamen energumeni: hoc est, à dæmonib. obsessi, quos exorcistæ, eosdem dæmones pellendo, emundant, quibus traditur liber, quo scripti sunt exorcismi sub illa forma, Accipite, & habete potestatem imponendi manum super energumenos. Quod quidem beneficium contulit Christus ut Marci. 7. legitur, quando saliua sua tetigit aures surdi & muti dicens, Epheta, quod est, aperire. Et quando de Magdalena septem eiecit dæmonia. Est enim officium exorcistæ dæmones pellere, ne aures obstruant baptizando, ne audiat fidem, neue linguam alligent ad eandem confitendam. Omnes ergo à minimo connumerando sunt, ostiarius, lector, exorcista, acolytus, subdiaconus, diaconus, & presbyter. ¶Ad primum igitur argumentum negatur consequentia: quoniam reliqua sacramenta non sunt instituta, nisi ad recipiendum unicum effectum sacramenti, hoc autem est collatiuum potestatem ad agendum: & ideo quia sunt diuersæ potestates ministeriales: scilicet, legendi apostolicam doctrinam, uel euangelicam, uel consecrandi, sunt diuersi ordines. ¶Secundum argumentum præsupponit difficultatis examen, utrùm singuli ordinum sint sacramenta. De qua arti. proximo. Interim tamen suppositâ, disputationis gratia, parte affirmatiua saltem quantum ad tres ordines maiores, rñdetur prædictam diuisionẽ ordinum non esse in partes integrales, sicut diuiditur sacramentum eucharistiæ in consecrationem panis & sanguinis, quæ sunt duæ partes integrales eiusdem conuiuij, & ideo neutra per se est totum sacramentum, sed ambo simul, sicuti nulla pars hominis, sed omnes simul, sunt homo. In præsentiarum nanque non solùm omnes simul, uerùm & sacerdotium ipsum est sacramentum, & diaconatus & subdiaconatus. At neque est diuisio generis in species: nam tunc, ut argumentum concludit, omnes simul ordines essent plura simpliciter sacramenta. Sed est, inquit S. Tho. diuisio totius potestatiui in suas partes, cuius nonnullũ exemplum lucet in anima & eius potentijs: scilicet, intellectu & uoluntate, quæ quidem potentiæ dicuntur quodammodo partes animæ, quamuis sint eius accidentia propria. Natura autem huiusmodi diuisionis est, quòd totum secundum completam rationem sit in uno, tamen participatiuè in reliquis: sicut tota uirtus secundum essentiam est in animo, cuius potentiæ sunt participes. Eodem enim modo tota ratio sacramenti ordinis est in sacerdotio, in reliquis uerò ordinibus est quædã participatio, quatenus ad ipsum omnes referuntur

Ostiarij officium.

Lectoris officium.

Nota.

Obiectio.

Dilutio.

Ordinatio lectorum.

Exorcistæ officium.

Epilogus.

Solut. primi argum.

Solu. secundi An singuli ordinũ sint sacramenta.

S. Thomas.

runtur. Atq; hac ratione nõ dicuntur simpliciter plura sacramenta, sicut si esset diuisio generis in species, sed omnes sunt unum, non tanquàm partes integrales, ut in sacramento eucharistiæ, sed quia reliqui sunt supremi sacerdotij participationes. ¶Ex hac autem sententia S. Thomæ Durandus dist. præsenti quæst. 2. colligit contra ipsum, reliquos ordines, præter sacerdotium, non esse sacramenta, sed sacramentalia quædam, sicut exorcismi sunt dispositiones quædam ad baptismum, atque adeò per illa nullam conferri gratiã. Sed certè illatio nulla est, ut artic. proximo uidebimus. Imò uerò ex hoc quòd ratio sacerdotij participatur ab alijs, colligitur, quòd quidpiam gratiæ in illis conferatur, saltem in diaconatu, & subdiaconatu, ut latius illic commõstrabimus. ¶Ad tertiũ respondetur, quòd Dionysius non loquebatur illic de ordinibus secundum quòd sunt sacramenta, sed secundùm quòd ad hierarchicas actiones attinent. Et ideo omnes tres actiones attribuit episcopo, licèt episcopatus non sit sacramentum. Nã solus ipse chrismate in confirmatione utitur, & ordines confert, ad significandum gratiæ copiam, quod est perficere. Illuminare uerò & purgare adscribit sacerdotibus, qui per administrationem baptismi illuminant: nam unus effectus gratiæ baptismalis est illuminare lumine fidei: & per gratiam pœnitentiæ, & extremæ unctionis purgant animam, ac demum per eucharistiam pascunt. Id autem, quod est purgare tantùm, adscribit diaconis, quia eis ex officio non incumbit sacramenta administrare, sed populum ad eucharistiam disponere, quod est quoddã purgationis genus. Sed tamen nomine diaconi: hoc est, ministri, oẽs inferiores intelligit. ¶Et per hoc soluitur aliud argumentum, quod est huiusmodi. Diuersorum ordinum diuersa debent esse officia: sacerdotibus autem competit populum ad eucharistiam per sacramentum pœnitentiæ disponere: eum scilicet emundando: ergo præter hoc officium non opus erat alios inferiores ministros ad disponendum populum adhibere. Respondetur quòd populum emundare & disponere contingit dupliciter. Vno modo dispositione remota, ut in minoribus ordinibus explicatum est. Et pariter diaconus & subdiaconus plebem disponunt & præparant legendo illi doctrinam euangelicam & apostolicam. Sed alia dispositio & emundatio proxima, qua quis fit idoneus ad suscipiendam illico eucharistiam, quæ est remissio peccatorum. Et hæc per sacramentorum gratiam baptismi & pœnitentiæ incumbit sacerdotibus quibus competit eucharistiam consecrare & ministrare: nam & rerum natura eidem agenti, cui conuenit principalem formam ingenerare, subinde congruit & proximam dispositionem inducere. ¶Ad quartum denique respondetur, quòd ordinum hierarchiæ in angelis sumũtur secundùm diuersam eorum naturam, in hominibus uerò non nisi secundùm ministeria gratiæ, quæ ad unam consecrationẽ corporis & sanguinis Christi referuntur: & ideo non opus est utrobique parem esse numerum.

Durandus contra S. Thom.

Refutatur illatio Durandi.

Sol. tertij.

Aliud arg.

Solutio.

Sol. quarti argumẽti.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm omnes ordines sint uerè sacramenta, quæ gratiam conferant & characterem imprimant.

ORDINVM distinctione præuisa duplex eorum effectus subsequitur explorãdus. Arguitur ergo quòd ordinis effectus non sit gratia gratum faciens. Etenim si ordinatio gratiam conferret: maximè ut ordinatus ad ordinum executionem idoneus fieret: sed nemo ad suscipiendos ordines est admittendus antequam eandem probitatẽ & idoneitatem habere cẽseatur, quæ quidem probitas non nisi per gratiam obtinetur: ergo illa gratia non confertur per sacramentum ordinis, alioqui causa suum præsupponeret effectum.

Partis negatiuæ argum. primum.

¶Secundò arguitur, quòd non omnis ordo imprimat characterem. Character non imprimitur, nisi ut homo idoneus fiat ad sacramenta uel susciptenda uel cõferenda: per characterem autem baptismalem homo fit potens suscipiendi omnia sacramenta, & per characterem sacerdotalem fit idoneus ad omnia conferendum: ergo per aliquos ordines nullus imprimitur.

2. Argum.

¶Tertiò. Si sacramentum ordinis chara-

3. Argum.

cterem imprimeret, sequeretur, quòd præ supponeret sacramentum baptismi: quia qui non est Christianus, nullius est sacramenti capax: consequens tamen inde apparet falsum, quòd aliàs si quis non baptizatus, licet bona fide crederet esse baptizatum, ordinibus initiaretur, nullum characterem susciperet, atque adeò quicquid in executione ordinum vel consecrando uel absoluendo attentaret, cassum esset & uanum: quod quidem graue periculum & nocumentum afferret ecclesiæ. ¶In

Pars affirmatiua. contrarium tamen est, quòd ordo ut dictum est, censentur sacramentum: & omnium sacramentorum proprium est gratiam conferre: atqui cùm omnia sacramenta, quæ characterem non imprimunt, sint iterabilia, si hoc characterem non imprimeret, esset iterabile, quod est falsum.

Decisio articu. ¶Huic quæstioni tres aliæ connectuntur, ut sint numero quatuor: scilicet, utrùm omnis ordo sit iure diuino sacramentum, à Christo institutum, gratiam conferens, & characterem imprimens. Omne enim sacramentum iure diuino, ac perinde ex Christi institutione, id habet, qui solus potuit sacramenta instituere. Atque adeò si est sacramentum, gratiam confert: & si est sacramentum ordinis, characterem imprimit.

¶Ad quæstionem ergo octo conclusionibus respondetur. Atqui ut á primo omnium fundamento exordiamur, quod citra ullam controuersiam chatolicis omnibus est in confesso, prima sit. Ordo sa-

1. Conclusio. cerdotalis est sacramentum. Enimuerò cũ omnes fateantur ordinem esse sacramentum, & sacerdotalis sit omnium caput & finis, quò omnia referuntur, certum est illum esse propriè & potissimum sacramentum, cui maximè definitio suprà posita adaptatur. Est enim signum rei sacræ: nempe, spiritualis diuinæque potestatis, in quo sacerdos constituitur ad conficiendum corpus Christi uerum, qui quidem effectus opus est supranaturale. ¶Hinc

2. Conclusio. continuò consequitur secunda conclusio. Sacerdotium est de iure diuino, atque adeò institutione Christi constabilitum: quippe qui solus potuit sacramenta instituere. Instituit autem ipsum quantum ad potestatem consecrandi in cœna, ubi tradens proprium corpus & sanguinem consecratum subiunxit. Hæc facite in meam commemorationem. Potestatem autem priori annexam remittendi peccata tradidit Ioan. ulti. dicens, Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata &c. quæ omnia copiosiùs distin. 20. exposita. ¶Subsequitur deinde conclusio tertia: nempe, quòd per sa-

3. Conclusio. cramentum sacerdotalis ordinis confertur gratia gratum faciens. Etenim cùm Dei opera; ut Deutero. 32. legitur, perfecta sint, cuicunque potentiam tribuit ad aliquid agendum, auxilium subinde speciale fert, ut dignè huiusmodi potestatis munus exequatur. Nam in naturalibus, quibus natura dat potentiam, dat & membra, quæ ad eius usum sunt necessaria. Animalibus nanque, quibus potentias tribuit sensitiuas, consequentia membra & organa accommodat necessaria. At uerò sicut ad dignè & rectè suscipiendum sacramenta requiritur gratia: ita & ad eadem dispensanda: ergo sicut per baptismum confertur gratia ad dignè reliqua sacramenta suscipiendum, ita per sacramentum sacerdotalis ordinis infunditur gratia gratum faciens ad sacramenta administranda. ¶Ex his denique colligitur

4. Conclusio. quarta conclusio: uidelicet, quòd per idẽ ipsum sacramentum imprimitur character. Enimuerò ut distinct. 1. quæst. 4. dictum est, character nihil aliud est, quàm potestas protestandi fidem per susceptionem uel collationem sacramẽtorum: cùm ergo ob sacramẽtum sit signaculum potestatis supranaturalis conficiendi eucharistiam, aliaq; sacramenta dispensandi, fit ut per ipsum imprimatur character, qui signum eiusdem potestatis est: quin uerò ipsa potestas, per quem ideo ordinati à reliquo uulgo Christiano præeminenter sercernuntur. Et confirmatur conclusio au-

Conci. Floren. thoritate concilij Florentini, ubi tria decernitur sacramenta characterem imprimere, quorum unum est hoc.

Argumentum. ¶Quòd si scisciteando arguas. Nonne satis esset gratia ad sacerdotalem functionem absque charactere? Respondetur, non satis esse: nam in naturalibus prius consideratur potentia nudè, quæ est animæ coæua, ut intellectus, & uoluntas, deinde accidentariè adhibentur ei habitus ad ritè & rectè operandum. Pari ergo modo character est potestas ad operandum simpli-

Solutio.

citer, siue bene siue malè: nam sacerdos extra gratiam uerè consecrat, & uera sacramenta administrat: sed gratia facit, ut sit administratio idonea. ¶Quin

5. Conclusio. ta conclusio. Eodem puncto, quo infunditur gratia, imprimitur character, & quo imprimitur character, infunditur gratia, nisi obex opponatur. Momentum autem illud est, quando sacramentum perficitur: perficitur autem quando materia & forma applicantur: uidelicet, ubi episcopus calicem tradens & hostiam, ait, Accipe potestatem consecrandi &c. Quapropter illo momento uti ait S. Tho. distinctio. præsenti quæst. 2. artic. 3. & doctorum cœtus, uterque subsequitur effe-

Corollarium. ctus. Ex quo fit, ut unctiones, quæ oleo fiunt in manibus & capite non sint sacramentum, sed sacramentalia quædam: qua re per illas nec gratia confertur, nec character imprimitur. Ridiculum enim esset dicere characterem sacerdotalem in manibus uel in capite, dum consecrantur, im-

Character in intellectu imprimitur. primi: est enim in intellectu, ut dist. 1. q. 4. monstrauimus, ubi est fides, ad cuius protestationem imprimitur.

Argumentum optimum. ¶Argumentum autem nec parum molestum contra hanc conclusionem est, quòd apparet impositionem manuum cum illis uerbis, Accipe potestatem remittendi peccata, ad formam, tanquam eius partem pertinere: quoniam character ordinis duplex est potestas: scilicet, consecrandi, & remittendi peccata, quarum prior exprimitur in traditione calicis & hostiæ: posterior uerò in manuum impositione: quocirca apparet illuc usque nec gratiam infundi, nec characterem imprimi. Et

Confirmatio argumenti. confirmatur, quia Christus, ut modò dicebamus, diuersis temporibus has duas potestates apostolis impartitus est. Et Accedit præterea argumentum potissimum,

Aliud argumentũ. quòd tempore apostolorum non legitur forma alia consecrandi sacerdotes, quàm

Pauli testimonia. per manuum impositionem. Vnde Paulus. 1. ad Timoth. 4. Noli, inquit, negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Et cap. 5. Manus citò nemini imposueris. Et in Epistola. 2. cap. 1. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearũ. ¶Argumenta sunt minimè infirma: imò non desunt, quos in talem sententiam co-

Argumen. S. Thomæ. gant: scilicet, quòd usque ad manuum impositionem non perficitur sacramentum. Quinetiam nec S. Thom. loco proximè citato sententiam suam satis declarat. Arguit enim, quòd non imprimitur character usq; ad manuum impositionem: propterea quòd tunc dedit Christus apostolis sacerdotalem potestatem dum dixit, Accipite Spiritum sanctum. &c. Et respon-

Solutio. det nihil aliud, quàm quòd Christus dedit illam potestatem quantum ad principalem actum: scilicet, consecrandi in cœna, & quantum ad secundarium: uidelicet, remittendi peccata. Ioann. Et inferiùs distinct. proxima quæst. 1. artic. 1. ad primum argumentum, ait, quòd in impositione manuum non datur character sacerdotalis ordinis, sed gratia, qua ad exequendum ordinem sint idonei. ¶At

Dilutio argumenti. uerò his non obstantibus respondetur sacramentum perfici in traditione calicis & hostiæ cum forma tradendi potestatem consecrandi, atque adeò & illic characte re sacerdotem insigniri, & gratia donari.

Ratio prima. Primùm, quia hæc est opinio communis, à qua non est temerè recedendum.

Ratio secunda. Secundò, quia Florentina Synodus has duntaxat esse decernit materiam & formam, nulla alius formæ mentione facta.

Ratio tertia. Idemque hic prorsus S. Thom. docet. Tertiò: quia characteri sacerdotali annexa est indiuiduaque potestas remittendi peccata si adsit iurisdictio: cùm ergo tũc homo fiat sacerdos cum ei traditur potestas consecrandi corpus Christi uerum & sanguinem, illic imprimitur character, qui est consecrandi potestas, ac subinde remittendi peccata. Alioqui dicendum esset, aut quòd potestas consecrandi non conceditur usque ad manuum impositionem, quod est contra ueritatem formæ, Accipe potestatem offerendi, &c. quæ pro eodem instanti debet esse uera: aut quòd priùs imprimitur character unus ad consecrandum, & postea alter ad remittendum peccata, quod esset ad euitandam Charybdim, in Scyllam incidere. Est enim præter omnium opinionem duos characteres ad illas duas facultates fingere.

Nota. Scio posse quempiam opinari characterem priùs impressum applicari extendique pòst ad munus absoluendi, sicuti sacerdotalem characterem dicturi sumus extendi, dum con-

Similitudo non legitima.

Illatio.

Paluda.

Manuũ impositio nõ est de essẽtia.

D. Thom.

Postremũ argumẽtũ.

D. Thom.

Sententia autoris.

Opinio quorundã.

seratur episcopus, ad conferenda sacramenta confirmationis & ordinis. Attamen similitudo nõ est legitima: quoniam episcopus suscipit potestatem illa conferendi sacramenta, quam non habebat dum erat simplex sacerdos: quod impræsentiarum dici nõ potest de potestate absoluendi. Alioqui fieret consequẽs, quòd si tradita priori consecrandi potestate moreretur episcopus, nec esset alius qui posset manus postmodùm imponere, ordinatus ille non esset simpliciter sacerdos, atque adeò neque (quanuis haberet iurisdictionem) posset subditos à peccatis absoluere. Paluda. distin. 25. quæst. 1. concedit, quòd posset absoluere ex commissione, non tamen ex propria potestate. Sed nescio quo fundamento hoc possit fulciri: nam certè si non habet potestatem ordinis ad absoluendum, per nullam commissionem id posset facere. Adde quòd, ut capit. Presbyter de sacrament. non iteran. definitur, manuum impositio non est de essentia sacramenti, sicuti neque in subdiacono: quare licèt omittatur, non est iterandum sacramentum, sed postmodum illa cæremonia supplenda. Atqui D. Thomas hanc impræsentiarum insinuat sententiam. Dicens enim quòd Christus in cœna tradidit potestatem sacerdotalem quo ad principalem actum, sensit quòd tunc qui ordinatur, simpliciter fit sacerdos, atque adeò utramque potestatem suscipit. Nam ut postremum adhibeamus argumentum, Christus per potestatis excellentiam potuit illas facultates diuisim apostolis tradere, quod re uera eius ministris episcopis non est concessum. Quod autem D. Thom. ait, priùs characterem imprimi, & postmodum gratiam conferri, intelligere non ualeo. Neque suspicor, quòd in summa si hucusque peruenisset, illud affirmasset: nam gratia non infunditur sacramentalis nisi dum applicatur materia & forma sacramenti, ubi character imprimitur. Præsertim quòd tam est necessaria ad idonee consecrandum, quàm ad dignè absoluendum. Quòd si quis dixerit, in traditione materiæ consecrandæ conferri unum gradum gratiæ, & in impositione alterum, (ut quidam de sumptione corporis & de sumptione sanguinis opinantur) redarguitur primò illam opinionem de gratia in sumptione sanguinis non esse tam probabilem, quàm quòd unus tantùm, idemque in sumptione corporis conferatur. Et secundò non esse simile: quoniam sumptio sanguinis uerè est sacramentum, essetque adeò quãuis sumptio corporis non præcessisset: & tamen impositio manuum nullum est per se sacramentum. Adde quòd similiter imposita manu diacono ait episcopus, Accipe Spiritum sanctum, &c. & tamen illic nemo censet infundi gratiam.

Redarguitur.

Secunda ratio.

¶ Ad argumentum ergo supra factum respondetur, quòd per manuum impositionem & illam formam, Accipe potestatem remittendi peccata, nulla traditur noua potestas, sed explicatur illa, quæ prius collata fuerat. Nam quia simul non potuit decenter utraque forma coniungi, & decebat Christi uerba referre, institutum est, ut seorsum proferrentur. Sed tamen secunda forma referenda est ad illud momẽtum, quo prima fuerat prolata. Neque uerò ad essentiam sacramenti necessaria est, sed tamen est de necessitate præcepti. ¶ Ad aliud, quo argutum est, apostolos per manuum impositionẽ ordinasse presbyteros, respondetur, quòd licèt certum sit manuum impositione fuisse usos, non solùm in ordinatione presbyterorum uerùm & diaconorum, tamen neque ambigere licet, quin formam, qua ecclesia utitur, per traditionem eorundem apostolorum didicerit, qui à Christo eandem edocti fuere. Qua propter illa manuũ impositio non erat sacramentum, sed sacramentale quoddam, sicut & hæc, quæ modo ecclesiæ in more est, ut ait impræsentiarum S. Tho. Simile enim argumentum fit de confirmatione: nam & tunc, ut Actuum. 8. & 19. legitur, manus apostoli imponebant, & tamen sacramenti materia non est nisi chrismatio. ¶ Hinc fit, solam traditionem calicis & hostiæ esse de essentia sacramenti: impositio uerò manuũ episcopi, & unctio manuum sacerdotis non sunt de essentia, sed de præcepto. Et ideo licèt absq; illis imprimeretur character, nihilominus si omittãtur, supplenda sunt postmodum. Esset enim, ut ait Siluest. uer. Irregularitas. q. 12. peccatum mortale ministrare in ordine suscepto antequã illud suppleretur, quãuis non inde contraherẽtur irregularitas. Intelligitur aũt quãdo illud

Solutio argumenti.

Soluitur, aliud argumentum.

Manuũ impositio qd.

An omnes ordines sint sacramenta.

S. Thom. Prima opinio.

Secunda opinio.

Tertia opinio.

Magister sentent.

Primũ argumentum Durandi.

Exẽplum.

lud omissum res est præcipua, ut impositio manuum & unctio, ut cap. 1. & fi. de sacrament. non iteran. secus si esset res parui momenti, ut si quis forsan canonem cũ episcopo nõ legerit, licèt peccauerit, non tamen necessarium est suppleri: quia neq; est res magni momenti, neque episcopus illud omisit, sed ordinatus. ¶ His de sacerdotio constitutis dubium de alijs ordinibus emergit, an omnes sint uerè sacramenta. Vbi septem ordines in tres gradus distinguere oportet, quorum primus sit sacerdotium, & in secundo collocentur diaconatus & subdiaconatus, qui sunt etiam ordines sacri: & in tertio quatuor minores, qui non censentur pari ratione sacri. Vnde ut D. Tho. dist. præsenti. q. 1. arti. 2. refert, tres fuerunt opiniones. Vna scilicet quorundam, qui dixerũt in solo sacerdotio characterem imprimi, atque adeò solum esse propriè sacramentum ordinis. Atque hanc opinionem, ceu probabiliorem sustinet Durandus ead. dist. q. 2. Sed alij dixerunt omnes solosq; tres ordines sacros imprimere characterem, ac perinde esse sacramenta. Quorum opinio ueritati propiùs accedit. Tertij dixerunt omnes septem ordines uerè esse sacramenta, characterem imprimentia. Et hæc fuisse uidetur sententia in hac dist. Magistri sententiarum, quam proinde pleriq; eius interpretes complexi sunt, ut S. Tho. D. Bonauentura, Ricardus, & cõplures alij. Quãuis Magister pugnantia dixisse uideatur, dicens quòd subdiaconatum & reliquos ordines post tempora apostolorum ecclesia instituit: & tamen quòd omnes conferunt gratiam, ut uera sacramenta, & characterem imprimunt: nam ecclesia nõ potest instituere sacramẽtum. ¶ Atqui rationes Durandi adeò profectò non sunt despicabiles, ut plurimum habere uideantur energiæ. Arguit enim sic primò. Quando plures actiones ad unum referuntur spirituale effectum, quarum non nisi una eũdem effectum attingit, reliquæ non uidentur sacramenta, sed sacramentalia: nam sacramenta ab spirituali supranaturalique effectu rationem sacramenti sortiuntur. Exemplum est in baptismo, ubi catechismi & exorcismi ad deletionem peccati referuntur: sed quia illum effectum solus baptismus attingit, reliquæ actiones non sunt sacramenta, sed sacramentalia quædam. Ordines autem omnes gratia eucharistiæ consecrandæ & remittendi peccata instituti sunt: cùm ergo illos spirituales effectus solus sacerdotalis ordo attingat, fit consequens, ut reliqui non sint sacramenta. Secundò. Sacramenta, & potissimùm quæ characterem imprimunt, non sunt instituta nisi ad aliquem supranaturalem effectum uel cõferendum uel suscipiẽdum, ut in baptismo imprimitur character ad reliqua sacramenta suscipienda, & in ordine ad conferenda: sed per solum ordinem sacerdotalem tribuitur potestas conferendi sacramenta: nam diaconus, qui est aliorum ministrorum supremus, nõ habet ex officio sacramenta consecrare uel administrare: ergo ad functiones ministrorum sub sacerdote nullo opus est sacramento, quo ministri gratiam & characterem suscipiant, tanquam supranaturalem potestatem suscipientes. Porrò argumentum non est parùm urgens. Tertiò. Per sacramẽta accipitur potestas ad simpliciter aliquid suscipiendum uel administrandum: itaque sine illa potestate si illud attentaretur suscipi uel administrari, totum esset cassum & irritum: etenim per baptismum sic accipitur potestas suscipiendi alia sacramenta, ut si quis ante ipsum aliqua attentaret suscipere, nihil susciperet: & per sacerdotium sic fit consecrandi facultas, ut si absque illo quis consecrare præsumeret, nihil faceret: sed tamen ordines inferiores non sunt huiusmodi: nam diaconus per suum ordinem solùm accipit potestatem ritè legendi euangelium, non tamen simpliciter legendi: nam si quis sine suscepto diaconatus ordine illud solenniter caneret, quanquam peccaret nihilominus uera esset lectio. Et quartò, ut suprà diximus, accedit argumentum, quod ex concessione S. Thomæ sumitur, ubi ait, quòd sacramentum ordinis secundùm completam rationem est in sacerdotio, in alijs autem est quædam participatio ipsius. Vnde collectio fieri uidetur, non opus esset tot characteribus. ¶ Præterea, ut eidem opinioni nos quoque patrocinemur, arguitur sic. Si aliquis ordinum sub sacerdotio esset sacramentum, maximè diaconatus, propterea quòd in actis apostolorum & apud Paulum mentio fit crebrò huius ordinis: attamen hoc non inde satis colligitur:

Secundum argumentum. Durandi.

Tertium argumentum. Durandi.

4. Argumen.

Authoris argu. in fauorem Durandi.

nam diaconi nomen nihil aliud ſonat, quàm miniſtrum, & tempore apoſtolorum apparet diaconos non fuiſſe niſi paucos miniſterio addictos, iuxta illud Actuum. 6. Non eſt æquum nos derelinquere uerbum Dei & miniſtrare menſis: quare conſtituti ſunt ſeptem uiri boni teſtimonij, qui illi ſunt muneri mancipati, quorum Stephanus fuit primicerius. Atque his accedit maximè argumentum, quòd materia & forma in ordinandis diaconibus & ſubdiaconibus per traditionem libri non uidetur à Chriſto inſtituta, nec tempore apoſtolorum in more fuiſſe, ſed ſola manuum impoſitio, ut apparet Actuum. 6. quia tunc non erant libri euangeliorum, aut epiſtolarum. ¶Reuera qui opinionem Durandi ſuſtinere uellet, non eſſet magna reprehenſione dignus. Nihilominus non eſt tam facilè à communi antiquorum opinione deflectendum: eſſet enim nonnulla temeritatis nota. Ob idque ſubiungitur ſexta concluſio. Diaconatus & ſubdiaconatus ſunt uerè iure diuino ſacramenta, characteris ſubinde & gratiæ efficacia. Probatur, de diacono primùm, antiquiſſimi authoritate Dionyſij, qui de diaconibus ceu de altaris miniſtris identidem meminit. Et, quod urgentius mouet, Paul. 1. ad Timot. 3. depicta ſuis moribus epiſcoporum imagine (quo nomine omnes presbyteros comprehendit) de diaconibus extemplo ſubiungit dicens, Dioconos ſimiliter oportet eſſe pudicos, non bilingues, non uino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes miniſterium fidei in conſcientia pura: ubi illos ceu altaris miniſtros egregijs uirtutibus præditos requirit. Ex quo ſubſequitur, quòd uero ſacramento initiari debent, ubi gratia ad id muneris perfundantur, ac ſubinde charactere exornentur. Id quod præcipuè Actuum. 6. confirmatur: nam apoſtoli ſeptem illis diaconibus in ſuo conſpectu conſtitutis orantes manus impoſuerunt, quod erat ſacramenti ſignum. Quare ad munus altaris inſtituti ſunt. Atque inde in more habet eccleſia manus imponere diaconis, & non hypodiaconis. ¶Et quanuis de ſubdiaconibus non adeò habeatur in antiquis memoria expreſſa, tamen nomine diaconorum re uera intelligun-

2. Argum.

Sententia authoris.

6. Concluſio.

Ratio de diacono.

Paul. 1. ad Timot. 3.

Actuũ. 6.

Nota.

De ſubdiacono.

tur: tum quia ut ait D. Thomas, cum in primitiua eccleſia non eſſet tanta miniſtrorum copia, diaconi perſæpe & euangelium & epiſtolas legebant, ut modò crebrò propter inopiam fieri aſſolet: tum etiam, quòd cùm diaconus idem ſit, quod miniſter, nominis amplitudine intelligitur & ſubdiaconus. Accedit eccleſiæ authoritas & uſus', quæ ſubdiaconatum cõnumerat inter ordines ſacros, quos ad recitanda ſoluendaque diuina officia compellit, qui ceu miniſtri adeò altari mancipantur, & (quod uehementer urget) à laicorum ſtatu ſeparantur, ut ſint matrimonio contrahendo prohibiti: & ideo Dalmatica & manipulo utuntur. ¶Septima concluſio. Reliquos quatuor ordines minores abſque erroris periculo ſuſtineri poteſt non eſſe propriè ſacramenta, quibus uel gratia infundatur, uel imprimatur character. Hanc opinionem inſinuat Magiſter ſentent. dicens, hos ordines fuiſſe inſtitutos ab eccleſia. Quin uerò de ſubdiaconatu idem cenſere uidetur. Quam ſubinde opinionem Caietanus in illa quæſtio. de ritu ſuſcipiendi ordines, in additio. ad 3. partem approbat. De ſubdiaconatu uerò, ut modò oſtendebamus, alia eſt ratio. Sed de alijs quatuor ordinibus minoribus probatur concluſio: quoniam de illis in eccleſiæ primordijs non ita expreſsè reperitur mentio facta, neque illi miniſtri eis officijs dedicantur, quæ ad dignitatem conſecrandi euchariſtiam attinent, ſed ad diſponendum populum. Atque adeò licet in peccato uſum ſuorum ordinum exerceant, nullatenus peccare cenſentur: quare neque opus eſt, ut gratiam ad id muneris ſuſcipiant, ac perinde nec characterem. Quod inde præſertim confirmatur, quod à ſeculari cœtu non ea tenus abdicantur, quin abſque ulla diſpẽſatione poſſint matrimonia contrahere. Et quod urgentiſſimè mouet, ad nullas obligantur horas recitandas, ut ſubdiaconi, neque uerò ad canticum graduum, quod nonnulli abſque ullo fundamento fingunt. Neq; arbitror profectò, q; ſi D. Tho. ad hunc locum in ſumma peruenisſet, in cõtraria perſtitiſſet opinione, quã in Quarto, uulgus ſecutus, tenuit. Et confirmatur per id concluſio, quòd ſubdiaconatus & ordines ſuperiores dicuntur ſacri, inferiores uerò non ſacri: nam etſi S. Thom.

Alia ratio.

7. Concluſio.

Magiſter ſentent.

Caieta.

Ratio concluſionis.

Nota.

Alia ratio.

Confirmatio concluſionis.

Solut. S. Thom.

Thom. reſpondeat omnes ſecundùm ſe eſſe ſacros: quia omnia ſunt ſacramenta: ſed ſuperiores dici ſacros ratione materię ſacræ, circa quam exercentur: gratior tamen ſolutio eſt, quòd ſuperiores dicuntur ſacri: quia uerè ſunt ſacramenta, reliqui uerò nõ niſi ſacramentalia quædam. Atq; hac de cauſa, ut inferius uiſuri ſumus, ſimplex presbyter poteſt ex commiſſione minores ordines conferre, non tamen maiores. ¶Et per hoc ſoluitur argumentum Bonauenturæ, quo ſic arguit. Illi ordines minores non ſunt iterabiles: ergo imprimunt characterem. Conſequentia quippe hæc nulla eſt, ſed ſi ſic argueretur. Sacramentum hoc non eſt iterabile: ergo imprimit characterem. Concedimus nãq; illos quidem eſſe uerè ordines, non tamen propriè ſacramenta ordinis, ſed ſacramẽtalia ad ſacramentũ diſponentia: & ideo non ſunt iterabiles, non quia ſacramẽta ſunt, ſed quia per quandã conſecrationem celebrantur, ut conſecrationes altaris, & uaſorum, ac ornamentorum, quæ eidem ſunt deputata.

Solu. optima authoris.

Solu. argu. Bonauenturæ.

Nota.

Ordines minores quare non iterabiles.

¶Et eodem modo ſoluuntur argumenta Paludani aſſeuerantis omnes iſtos ordines eſſe uerè ſacramẽta. Arguit enim contra Durãdum, quod ſi non eſſent ſacramẽta, ſed ſacramentalia, non deberent diuerſis temporibus conferri, ſed ſimul omnia cum presbyteratu, ſicut exorciſmi & catechiſmi in baptiſmo. Item ſequeretur, q; ſi quando presbyter ordinatur, error contingeret, ut ſacramentum eſſet nullum, poſtmodum quando iteraretur, deberent iterari omnia. Reſpondetur, inquam, eiuſmodi ordines non eſſe ſacramentalia inſtar omnino exorciſmorum & catechiſmorum, ſed ſunt conſecrationes & dedicationes miniſtrorum ad aliqua officia: quare & longè ante presbyteratum conferri poſſunt, & nunquàm ſunt iterandi.

Solut. argumentorum Paludani.

Aliud argumentũ.

Solutio.

Argumenta Durandi diluuntur.

¶Argumenta uerò Durandi quatenus ꝓbant, quatuor ordines non eſſe ſacramenta, admittuntur, ſed quatenus contendũt diaconatum, & ſubdiaconatum à ſacramentorum ratione excludere, non neceſſariò concludunt. Et ideo ad primum reſpondetur, quòd etſi illi ordines ad euchariſtiam conſecrandam referantur, quem quidem effectum ſolus presbyteratus attingit, non tamen inde ſubſequitur, non eſſe ſacramenta: quia non ſunt ſicut exorciſmi, ſed conſecrationes & dedicationes ad certa officia. Et quanquam illa officia legendi Euangelium uel epiſtolam, etiam ſi non ordinatus excqueretur, re uera eſſent lectiones: nihilominus ad eadem officia cum idoneitate exercendum & dignitate ordinãtur ꝓ ſacramẽtũ miniſtri. Quare non opus eſt, ut ꝓ quodlibet ſacramẽtũ accipiatur poteſtas ad ſimpliciter agẽdũ, ſed ad dignè agẽdũ. ¶Et ad authoritatem S. Thomæ dicentis, quòd ſacramentum ordinis totum ſecundùm completam rationem eſt in ſacerdotio, in alijs uerò ſecundùm participationem, reſpondetur, non eſſe ſenſum, quòd gratia & character ſolùm ſit in ſacerdote, ſed quòd gratia & characteres aliorum ſint participationes eorundem effectuum, qui ſunt in ſacerdotio. Non quòd eadem gratia diuidatur, ut una pars ſit in ſacerdote, & alia in diacono, ſed quòd gratiæ inferiorum referuntur ad miniſterium ſuperioris, iuxta illud Numer. 11. ubi dominus dixit Moyſi, ut ſeptuaginta uiros congregaret, qui ei eſſent auxiliares, & ſubdit, Auferam de ſpiritu tuo, & tradam eis, ut ſuſtentent tecum onus populi. Non enim intellexit quòd partem ſpiritus, quem Moyſi aſpirauerat, eſſet ei adempturus, ſed quòd ſimilem alijs ſpiritum traderet, licet non tam egregium. ¶Ad aliud uerò, quod nos fecimus, iam reſponſum eſt, diaconos non ſolùm in miniſterium menſarum ſecularium, uerùm etiam ſacri altaris fuiſſe inſtitutos. Et quanuis in initio ſtatim non eſſent libri epiſtolarum & euangeliorum, nihilominus tradebatur eis poteſtas ad legendum & fortè ſcripta charta. Et ita apoſtoli docuerunt eccleſiam, ut ſub utraque forma & materia illam traderet.

Ad S. Th.

Numero. 11.

Authoris argumento ſatisfit.

¶Duo autem reſtant argumenta ſoluenda. Primùm, quòd cùm omnia ſacramenta ex inſtitutione Chriſti habeant efficaciam: & ſacramentum ordinis quantum ad omnes eius partes non inueniatur à Chriſto inſtitutum, non eſt ſacramentum. ¶Secundum. Si in diaconatu & ſubdiaconatu confertur gratia, conſequitur ut quotieſcunque ſolenniter ſuis ordinibus funguntur legendo euangelium uel epiſtolam extra gratiam peccent mortaliter, quod creditu durum cenſetur.

Primum argumentum.

2. Argum.

Solut. primi

¶ Ad primum autem respondetur, quòd presbyteratum, iam dictum est, à Christo fuisse in cœna institutum, atqui & diaconatum postquàm apostoli expressam de illo fecerunt mentionem, certum est ex institutione Christi id habuisse, licet non ille, sed ipsi ordinem promulgauerint, ut

Magist. sent. opin.

de extrema unctione dictum est. Subdiaconos uerò & alios inferiores ministros ait impræsentiarum senten. Magister ecclesiam pro tempore instituisse. At uerò de subdiaconatu, si est, ut diximus, uerum sacramentum, non est ambigendum quin apostoli ex Christi institutione illum susceperint diuidentes diaconum: hoc est,

Minores ordines ecclesia instituit.

ministrum in duos. Sed minores ordines credendum est ecclesiam postmòdum instituisse: & hoc est nouum argumentum non esse sacramenta, sed sacramentalia.

Solu. secundi argu.

¶ Ad secundum distinct. 1. quæst. 5. art. 6. diximus, nonnullos ita sustinere, quòd sit peccatũ mortale diacono & subdiacono solenniter altari in peccato ministrare. Sed re uera oppositum est ualde probabile, & forsan probabilius: quia ad concludendum peccatum mortale, habendus est respectus ad obiectum & materiam operis. Quod ex S. Thoma. 3. part. quæst. 64. articu. 6. ad 1. si bene intelligatur, colligitur. Nõ enim cõstituit regulam, quòd quando minister est consecratus per gratiam ad aliquam actionem, tunc exercendo illam extra gratiam peccet mortaliter, sed quando est dedicatus ad aliquam

S. Tho. opinio.

actionem, quæ in se ipsa habet sanctificationem, qualia sunt sacramenta. Vbi duntaxat sentit, quòd administrare sacramenta in peccato mortali, sit peccatum. Et ita

Nota.

est intelligendus illic Caietanus, si est auscultandus. Vnde cum legere euangelium uel epistolam non sit actio habens in se sanctitatem: quia non est administrare sacramentum, per quod populus sanctificetur, fit ut quanuis illi ministri gratiam ad id muneris susceperint, non inde eliciatur peccare mortaliter. Satis enim est quòd sit ueniale. In minoribus autem ordinibus, quia functiones illę multo sunt minoris momenti: non est gratia necessaria, & ideò eorum administratio extra gratiam nullum est peccatum. ¶ Ad pedem tandẽ istorum subnectitur octaua conclusio. Ordines ecclesiastici sunt peculiaria sacramenta legis euangelicæ. Nam etsi apud Ethnicos in lege naturæ fuerint Pontifices & sacerdotes suorum Deorum, nunquam tamen erant propriè sacerdotes: nã ubi idola colebantur, non erat uera, sed falsa religio. Et licubi uerus colebatur Deus, non tamen illi sacerdotes per sua sacrificia conferebant gratiam: quia neque illa, ut distinct. 1. dictum est, erant sacramenta. Atqui in lege ueteri erant quidem, ut illic diximus, uerè sacramenta, nõ tamen eius muneris efficacia, cuius nostra: quia non conferebant gratiam. Ob idq; sacerdotes illi nullo initiabantur sacramento ordinis, quo gratiam characteremve reciperent: quia cùm neque ipsi per sua sacrificia animam per gratiã emundarent, nulla pollebant potestate, quæ uerè esset spiritualis. Erant autem figura & umbra nostrorum ordinum prognostica. ¶ Ad primum igitur argumentum ex capitalibus respondetur, quod ante susceptionem ordinum requiritur illa gratia in suscipiente, quæ toti plebi est cõmunis, qua scilicet homo sit iustus: sed per sacramentum ordinis confertur gradus excellentior, quo sacerdos alijs emineat. ¶ Ad secundum uerò respondetur, quòd licet solus sacerdos habeat administrare sacramenta, diaconus nihilominus & subdiaconus, quia ei administrant, suis quoque characteribus indigent. ¶ Ad tertium tandem respondetur, ut expressè docemur cap. Veniens. de presbyt. non baptiza. quòd absque baptismo, qui ianua est sacramentorum, nullius est homo sacramenti capax. Atque adeò si quis inuentus fuerit ante baptismum ordinatus, baptizandus est, & iterum omnibus ordinibus initiandus. Et hoc ipsum hic D. Tho. fatetur. Addit tamen quòd licet eiusmodi sacerdos non baptizatus nec conficere possit sacramentum, nec absoluere in foro pœnitentiali, & si in Episcopum promoueatur, & ordinare alios attentauerit, uerum sacramentum non conferat: tamen piè, inquit, credi potest, quòd quantum ad ultimos effectus sacramentorum summus sacerdos Deus suppleret defectum, neque permitteret hoc ita latere (scilicet, non esse baptizatum,) ut periculum ecclesiæ immineret. ¶ Hoc autem, quod de supplemento Dei hic adhibet S. Thom. suprà distinct. 5. art. 2. generaliter tractauimus de omnibus casibus,

Sacerdotes legis naturæ.

Sacerdotes legis ueteris.

Solut. primi argum.

Soluti. secundi.

Solut. tertij

S. Thom.

Quòd Deus suppleat sacramentorum defectus.

casibus, quibus doctores nonnulli Deum supplere sacramentorum defectum opinantur. Est enim res ex quadam potius piorum existimatione orta, quàm ex legis ullius certitudine. Nam uel ex euangelio, uel ex ullo loco sacræ paginæ elici nequit ullus modus obtinendæ augendæue gratiæ Dei, quàm uel per sacramentum, uel per contritionem, aut alium actum meritorium. Quare si sacerdos non uerè absoluit, & pœnitens non est contritus, credere quòd tunc Deus supplebit defectum, & cõferet gratiam, cùm sit omnino præter legem, nullum habet fundamentum. Quocirca non dubito, quin S. Thom. in summa nunquam tale uerbum dixisset. Est enim dicere, quòd Deus peccatorem sine sacramento & contritione iustificat, quod esset manifestarius error.

Nota.

Nota.

Responsio lepida.

¶ Alia est aliorum magis lepida responsio, quòd quando quis attritus accedit ad sacramentum, si minister, uel non est sacerdos, uel non habet rectam intentionẽ conferendi sacramentum, tunc Deus specialius opitulabitur attrito, ut eius actus obiectum mutet, ut qui erat dolor propter pœnas inferni, fiat uera contritio: scilicet, dolor propter Deum. Est enim somnium absque ullo prorsus fundamento. Deus siquidem semper est promptus concurrere ad ueram contritionem: sed si pœnitens prius illo auxilio non utitur, figmentum est dicere, quòd solum defectus ministri sit in causa, ut uel pœnitens eodem auxilio moueatur, uel Deus specialius concurrat. De alio denique dicto S. Thomæ: scilicet, quòd Deus non permittet diu latere errorem illum, ut qui non est uerè sacerdos permittatur sacramenta administrare, nulla est lex certa, quòd id non permittet: alia enim maiora mala permittit. ¶ Quòd si interroges, utrùm sacramentum ordinis præsupponat characterem confirmationis, respondetur, illum non præsupponere de necessitate, sed de congruitate. Quapropter sine confirmatione esset uerum sacramentum ordinis: nihilominus nonnullum peccatum esset, si quis scienter non confirmatus ordinaretur, etiam in episcopo, si eum ordinaret, quanuis nulla ratio cogat, ut creda tur esse mortale. ¶ Vtrùm uerò character superioris ordinis inferiores præsupponet, titulus de clerico per saltum promoto respondet, quantum ad necessitatem negatiuè: mandatur enim illic, ut ille, qui sine susceptо ordine diaconatus in sacerdotem est ordinatus, non iterum ordinẽ sacerdotalem suscipiat: quia sacramentũ fuit ualidum. Sed ordinetur in diaconum. Imò ut ait S. Thom. in primitiua ecclesia multi, antequam reliquos susciperent ordines, sacramento sacerdotali initiabantur: quia sunt per se potestates distinctæ, quarum sacerdotalis reliquas omnes includit. Quocirca sacerdos, licet alios ordines non susceperit, potest omnium functionem exercere. Sed institutum ecclesię fuit, ut gradatim ordines susciperentur, neque liceret superiores absque inferioribus conferre.

Nota de sacerdote per saltum promoto.

Autoris ratio.

Dictum S. Thomæ.

Ordinibus initiandus an esse debeat confirmatus.

An character superior inferiorem supponat.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆ QUARTÆ, Quæstio secunda.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm clerici omnes ordinati debeant coronæ tonsura insigniri.

QVAESTIO secunda mouetur de ijs, quæ sunt ordinibus annexa: nempe, de corona, & episcopatu, & uestibus sacris. Arguitur ergo ꝙ corona clericis non congruat: nam Hierem. 49. attonsi sub his uerbis maledicuntur, Dispergam in omnem uentum eos, qui in comam attonsi sunt: ministris autem ecclesiæ potiùs benedictio congruit, quam maledictio. ¶ Secundò arguitur. Si coronæ ullum esset fundamentum, maximè illud Nazaræorum, quod distinctio. præsenti adducit. Magist. sentent. Nazaræi autem, ut Numer. 6. legitur, non attondebantur in mysterium altaris, sed ex uoto, quo Deo consecrabantur, etiam si nõ essent Leuitæ: ergo inde nullum deducitur argumentum tonsuræ clericorum. ¶ Tertiò. Si tonsura cunctis clericis conueniret, consequeretur, ꝙ omnes clerici, eo ipso ꝙ tondentur, renunciarent temporalibus bonis, quod & ipsa detonsio significat, & uersiculus psalmi, quem dum tondentur proferunt, Dominus pars hæreditatis meæ. super quo ait Hieronymus, ꝙ dominus cum istis temporalibus pars fieri

Partis negatiuæ argumẽtum primum.

Secundum argumentum.

Tertium argumentum.

ri dedignatur: non autem omnes abdicationem bonorum faciunt, sed retinere possunt patrimonia & alia bona. ¶Quartò denique arguitur. Si tonsura insigne esset clericorum, sequeretur, quòd etiã prima tonsura esset propriè ordo: est enim corporale signum ab ecclesia ministris altaris institutum, per quod clericus in altiori gradu constituitur quàm sit laicus: quapropter à solo episcopo prima fit tonsura: consequens autem est falsum, alioqui plures essent ordines quàm septem. ¶In contrarium autem est, quòd corona regalem dignitatem significat, & ut ait Grego. seruire Deo regnare est: cùm ergo clerici peculiari quodam excellentioriq; modo seruitio Dei adscribantur, insigne hoc coronæ eis meritò adaptatur.

¶Clericorum tonsurã VVitcleff, ut est uidere apud VValdens. Tomo. 5. de sacram. sub titu. 9. cap. 80. abominabatur, quem Lutherani secuti subsannando appellant, catholicos clericos rasos & tonsos. Idemque VVitcleff eosdẽ appellat Cæsareos, non quod cæsariem detondeant, ut nonnulli arbitrantur, sed à Cæsare Constantino, ut idem refert VValdensis in initio eiusdem tomi ueritate. 7. & tomo. 2. cap. 120. Inde nanque quòd pientissimus ille imperator ecclesiam ditauit, clericatumque honoribus extulit, ac perinde hæreticos contra sacerdotes obgannientes extirpare curauit, in inuidiam eorundem clericorum hæretici appellabant eos Cæsareos, quasi ab illo Cæsare procreatos.

¶Ad quæstionẽ ergo duabus conclusionibus respondetur. Prima contra hæreticos hęc asserit. Optimũ est & clericis dignum insigne, detonsa corona. Probatur primò antiquitatis dignitate. Petrus em apostolus eadẽ ferẽ insignitus in memoriã spineæ coronæ, quã Christi crucifixores eius capiti imposuerunt. Quare præcipua cã huius ritus non fuit illa, quã à Nazaræis antiquæ legis Magister sentent. adfert, sed hæc, quòd cùm hostes Christi ad ignominiam & dedecus eum coronauerint, religiosissimum duxerunt apostoli idem insigne ad suum ipsorum decus, & gloriam Christi usurpare. Quo fit, ut corona non sit pars illa in uertice rasa, sed capillorum circulus, qui capiti circunstat. Ob id enim & capitis uertex supernè abraditur, & capilli infernè in circulum attondentur, ut in modum coronæ capilli restent. Vnde priscus clericorum mos non fuit capillum in uertice radere, & de missam comam habere: nam tunc capilli non haberent effigiem coronæ, sed tondebantur eodem prorsum modo, super aures, quo nunc religiosi. Atqui de hac tonsura, ut illo citato cap. 80. VValdensis commemorat, schismata in primæua ecclesia oborta fuere. Refert enim Beda. li. 5. de gestis Anglorum Colfridum abbatem, illius controuersiæ meminisse, qui post multa subdit, nullam magis sequendam nobis amplectendamq; iure tonsuram ea, quam in capite suo gestabat Petrus apostolus. Et infernus. Neque uerò, inquit, ob id demum coronam attondemur; quòd Petrus in memoriam Dominicæ passionis attonsus est. Et subditur. Sicut enim omnis ecclesia, quia per mortem sui uiuificatoris facta est, signum sanctæ crucis in fronte portare consueuit: ita oportet eos, qui monachi uotum, uel gradum clericatus habentes altioribus se continentiæ frenis adstringunt, coronam in capite gestare. Et rem prosecutus uenerabilis Beda tonsuram, inquit, quam Magum ferunt habuisse Simonem, quis rogo fidelium non statim cum ipsa magia detestetur? Radebat enim ille anteriorem partem capitis super frontem, sed ubi ad ceruicem declinabat, tonsuram faciebat strictiorem, ut ab apostolis discriminaretur. Contra quam ritus peruersitatem Anitius Papa can. Prohibete. 23. distin. prohibet ne clerici, aduersus Apostolum, comam nutriant. Reprehendit enim. 1. Corinth. 11. uiros, qui comam nutriunt. Et subiungit Papa. Sed desuper caput in modum sphæræ radant. Extat & in concilio Toletano. 4. sub Isidoro capit. 41. coronæ decretum hoc uerborum tenore. Omnes clerici & lectores, sicut Leuitæ & sacerdotes detonso superiùs toto capite, inferiùs solam circuli coronam relinquant. Attende quemadmodum capillorum circulus coronę nomine denotatur. Quare subditur. Non sicut hucusq; in Galetiæ partibus facere lectores uidentur, qui prolixis, ut laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispanijs hucusque hæreticorum fuit. Hæc ibi. Idemque

Quartum argumentum.

Pars affirmatiua.

Hæreticorum error.

Prima conclusio.

Ratio præcipua coronæ clericalis.

Beda de gestis Anglorum.

Beda. Simonis Magi tonsura.

Anitius papa.

Conci. Tole.

Rabanus. Hierony. Auguſt. Hugo. Coronares antiqua Caſſiodorus.

demq; narrando confirmat Rabanus li. de institutio. clerico. ca. 3. Et Hierony. in quadam breui epistola ad Augustin. Dominum meum, inquit Allipium, & dominum meum Euodium ut meo nomine salutes, precor coronam tuam. Et idem Aug. Proculianum. Honorant, inquit, nos uestri, honorant uos nostri. Per coronam nostram nos adiurant uestri, per coronam uestram uos adiurant nostri. Ac denique Hugo. libr. 2. de sacrament. par. 3. cap. 5. Primum, inquit, signaculum clerici corona est. Corona ergo res est antiqua à temporibus usque apostolorum. Vnde Donysius libr. de ecclesia. hierar. cap. 6. part. 2. ait, quòd episcopus dum quem libet sacris initiat, consignans eum crucis signo tondet. Inde ergo seruatus est mos, ut episcopus eum, quem prima tonsura donat, in apice capitis tondeat. Vbi Linconiensis: signat, inquit, crinium detonsio omnium materialium ab amore decisionem, quæ uariè formantur, ut clericus intellectu puro ad Deum pertingat, & eius simplicitate formetur. Et Cassiodorus super illud psalmi. 39. Multiplicati sunt super capillos capitis mei. Non frustra, inquit, in comparatione delictorum capilli adducti sunt: nam in ueteri testamento sacerdotes ipsa similitudine radebantur. ut tali emundatione purgati carnis uitia deposuisse uiderentur.

¶Vt ergo ex his tandem rationes conclusionis eliciamus, ex qnintuplici mysterio congruitas coronæ colligit. Primò ex memoria Dominicæ coronæ. Secundò, quia corona, ut diximus, regiam dignitatem designat, quæ ecclesiæ ministris competit, ut Hieronym. ait. 12. quæst. 1. can. duo sunt. Quòd enim Petrus apostolus generaliter Christianos omnes appellat genus electum, regale sacerdotiũ, per antonomasiam clericis congruit. Tertio ratione figuræ, quæ cùm sit circularis, imaginẽ perfectionis præsefert, quam altaris administri adipiscuntur & profitentur. Quartò denique ratione detractionis capillorum ex parte superiori per rasuram, ne clericorum mens temporalibus occupationibus oppressa, à diuinorum contemplatione præpediatur: & ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obuoluantur. Qua utique ratione detonsio illa, super aures fieri debet, ne sensum auditus operiant. Adhuc quoq; potest & quinta causa: quia decet clericatus ordinẽ à reliquo uulgo illo publico signaculo discerni.

Congruitas coronę

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Ratio quarta.

Ratio quinta.

¶Per hoc soluitur obiectio, quam obmoliri quis posset. Si capillorum abscisio superfluorũ abiectionem significat, omnes prorsus pili deberent abradi. Respõdetur, inquam, q̃ cùm plures aliæ causæ concurrant, necesse est sic circuncidi, ut coronæ figura appareat. ¶Ex his tandem colligitur tonsuram omnib. clericis, licet non in eadem amplitudine competere. Atq; hinc nominis etymologia ducitur: nam clerus Græcè, ut. 7. etymologiarum ait Isidorus, & refertur dist. 21. can. Cleros. & ab Innocentio ca. Cùm secundùm Apostolum. de præbend. idem est quod sors latinè: & clerici càducis rebus posthabitis Dei hæreditatem singulari quadam præemitentia sortiti sunt. Vnde clerus idẽ est, quod sors Dei, seu cui Deus sors est, & ut est in præ nominato uersiculo psalmi, pars hæreditatis. Quo etiam nomine allusio fit ad electionem Mathiæ apostoli, quæ sorte facta est. ¶Sed nihilominus, ut suprà allegatus Beda autor est, uniuersi religiosi, qui choro addicuntur, licèt nullis sint ordinibus initiati, tamen propter seculi renunciationem eadem coronæ tonsura cõsignantur. Reliqui uerò conuersi, qui alijs monasterij seruitijs mancipantur, licet propter eandem renunciationem tondeãtur, non tamen in modum coronæ, eò q̃ non uitæ contemplatiuæ, quę per uerticis rasuram designatur, sed actiuæ uacare debent. ¶Præfixæ tamen conclusioni secũda eius moderatrix adhibetur. Clericorum tonsura hoc est pilorũ abrasio & circuncisio, non est de sacramenti essentia, imò qui intonsus ordinaretur, etiã in præsbyterũ uerum sacramentum susciperet. Nã sacramentũ ordinis, ut dictum est, in collatiõe materiæ cũ prolatione formę p ficitur: quare reliqua cæremonialia sunt & sacramẽtalia. At uerò tã episcopus, qui ordines intonso conferret, quàm ipse, qui ordines susciperet, grauiter peccaret, ut bene in præsẽtiarũ ait Ricardus. Et, ut arbitror, in sacris ordinibus: nẽpe, subdiaconatu & superiorib. esset peccatũ mortale. Grauius enim esset ordines sacros sine rasura susciperę, quàm post susceptos comã nutrire. Non dico, sine prima tonsura, sed

Obiectio.

Dilutio.

Monachi

Monachi laici.

Secunda conclusio.

Qui intonsus ordinatur, grauiter peccat.

sed absque ulla capillorum tonsura. Et nihilominus dist. 23. & de uita & honestat. clerico. multis capitibus clerici prohibentur comam nutrire. Quin uerò utrobiq; Gregorius capit. Si quis. ait, quòd si quis ex clericis comam relaxauerit, anathema sit. Intelligitur autem, ut bene ait Glossa, non quòd ipso facto sit excommunicatus, sed quòd si præmonitus inobediens perstiterit, excommunicetur. ¶ Rursus huiusmodi censuræ intelligendæ sunt eos tãtùm clericos ferire, qui priuilegio gaudẽt clericali: nam clerici primæ tonsuræ uel in minoribus ordinibus, tenendo nõ esse propriè sacramenta, si nullum habeant ecclesiasticum beneficium, & uoluerint publicè in statu seculari, clericatui repugnante, uiuere, non tenentur apertam habere coronam, imò peius facerent si illam aperirent: nam in contemptum ordinis cederet. Quare dum admoniti priuilegijs clericatus renunciant, tunc nec tenentur, nec debent eam ferre, ut patet ca. Contingit. 2. de sent. excom. Et multò minus tenentur clerici coniugati, si eisdem uoluerint priuilegijs abdicari, ut in titul. de clericis coniugatis sancitur. Si uerò uoluerint priuilegijs gaudere, tonderi tenentur. Quare si tertiò admoniti, ut in dict. ca. Contingit. decernitur, noluerint corona & habitu clericatum profiteri, immunitatis effici untur extorres. Et arbitror nullam consuetudinem in contrarium ualere: nam reges & principes semper reclamãt, admonentq; suos ministros ne priuilegium immunitatis eis seruent, qui habitu clericali nõ sunt induti. Quod quidem, idq; in Hispania præsertim seruandum esset, ubi in more est secularibus, nobilibus, & militibus, absque ullo proposito ascendendi ad ordines sacros, sed solo animo consulendi sibi in suis digladiationibus & criminibus & foro se seculari subducendi, primam tonsuram suscipere: qui quidem abusus non esset ferendus, sed iure & ordine emẽdandus. ¶ Quo fit, ut bigami: quoniam eisdẽ priuilegijs non fruuntur, non solùm non teneantur, imò nec licitè possint clericali tonsura insigniti incedere, ut dist. 84. caue tur, can. Si quis clericus. & de bigamis, c. Altercationis. ¶ Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd dominus per Prophetam dispersionem eis comminatur, qui in religionem idolorum se etiam detondebant, ueluti Iudæi ob religiõnem ueram. ¶ Ad secundum respondetur, Ꝑ in ueteri lege, non erat uerum sacramentum ordinis, sed imperfecta quædam eius imago & figura, & ideo illa Nazaræorum religio non urgebat duntaxat inter Leuitas & templi ministros, sed in omni populo. Quare neque abrasio fiebat in modum coronæ: quia nec illic erat tanta contemplatio, nec repræsentatio coronæ Christi, sed omnes capilli radebantur ad significãdum temporalium contemptum. ¶ Ad tertium respondetur, quòd clerici per capillorum abiectionem non censentur omnino propria patrimonia & temporalia bona à se abdicare: quia non repugnant diuino cultui, sed anxium affectum & solicitudinem eorum deponere: & hoc profitentur dicentes, Dominus pars hæreditatis meæ. Debent enim in hoc, præsertim sacerdotes, & qui sunt in sacris, plebi præeminere. Tametsi iam rarissimi sint qui hanc religionem profiteantur, id quod in comis, quas longiores quàm religiosi nutriunt, præseferunt. ¶ Vtrùm etiam per contrarium liceat eos sacris ordinibus initiare, & potissimum sacerdotio, qui nullã prorsus habent substantiam unde uiuant, dist. sequenti disputabimus. ¶ Ad quartũ non desunt qui censeant primam tonsurã esse propriè ordinem, in quibus est Maior distin. 24. quest. 1. ubi adijciens, etiam episcopatum esse ordinem, nouem ordines connumerat. Cui subscripsit Ekius in quadam homilia de ordinibus. Sed bene fatetur Maior paruis rationibus fuisse motum: quia nullius sunt momenti. Cùm enim tam celebris sit sanctorum & ecclesiæ traditio, septem tantùm esse ordines, effigies quædam temeritatis est asserere primam tonsuram esse ordinem, aut episcopatum, de quo statim dicturi sumus. Prima ergo tonsura, ut D. Thom. impræsentiarum, & D. Bonauentura, & Ricardus & omnes fatentur, non est ordo, sed quædam ad sacros ordines dispositio, quasi media inter laicos & ecclesię ministros. Veluti in religione nouitius, & in Christianissimo catechumenus, qui nondum suscepit characterem. Et ratio est, quòd huiusmodi clerici non sunt in diuino cultu ad aliqua officia destinati, quæ nõ possint seculares præstare, sed ad solas diuinas laudes decantandas: quare ad hoc nõ exigi-

Cap. si quis, quomodo sit intelligendũ

Qui clericali priuilegio potiũtur, excommunicantur nisi coronam a peruerint.

Clerici cõiugati an teneantur aperire coronam.

Consuetudo non ualet.

Nota attẽtẽ.

Bigami.

Sol. primi argumenti.

Sol. secundi argumẽ.

Solu. tertii argum.

An qui nõ habent unde uictitẽt, ordinari possint.

Sol. quarti argum.

Ekius.

Prima tonsura nõ est ordo.

Ratio.

exigitur specialis aliqua potestas. In cuius signum ad conferendam primam tonsuram non expectatur missæ celebratio, sed quacunque hora confertur. Et quod maximum est argumentum, dum prima corona quis tondetur, nulla fit mentio ullius potestatis. Adducit autem pro se Maior uerbum Innocentii capit. Cùm contingat. de ætate & qualita. scilicet, Per primam tonsuram iuxta formam ecclesiæ datam clericalis ordo confertur. At uerò illic ordo non usurpatur pro sacramento, sed pro dispositione, qua primus fit ad ordines introitus. Colligito ergo ex supradictis, quòd tres tantùm ordines, qui peculiariter dicuntur sacri, sunt uerè sacramenta: quatuor uerò minores ordines quanquam non sint sacramenta, & ideo propriè non dicantur sacri, sunt tamen sic sacramentalia, ut potestates illic ad certas functiones conferantur, atq; adeò propriè dicuntur ordines. At prima tonsura hac ratione nõ est ordo, sed quædam præparatio ad reliquos ordines. Neque uerò est essentialis dispositio, ut sine prima tõ sura alij ordines collati non ualeant, sed pertinet ad rei congruentiam. ¶ Vnde ad argumentum quartum respondetur consequentia perempta: prima enim tonsura non est potestatis spiritualis signum ad aliquid, quod laici facere nequeant, sed quædã ad id partucularis deputatio, quæ ideo fieri debet per episcopum. Quo circa et si hniusmodi clericus sit in statu altiori quàm laicus, tamen (ut uerba refera mus. S. Thom.) non habet ampliorem potestatis gradum.

Argumentum optimum.

Cap. Cum contingat. de ætat. & qual.

Tres ordines sacri sunt sacramenta.

Nota.

Sol. quarti argum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm supra sacerdotalem ordinem altior sit episcopalis potestas.

POst primam tonsuram, quæ est omnibus clericis cõmunis, & per se reliquis inferior, sequitur de episcopali dignitate disquirere, utrùm sit sacerdotali sublimior. Et arguitur à parte negatiua. Veritas debet respondere figuræ, sacerdotium autem Aaron fuit sacerdotij euangelici umbra, quo utique sacerdote nullus erat in illa lege superior: ergo neque in ecclesia ulla est dignitas sacerdotali eminentior. ¶ Secundò Dignitas ministrorum dignitatem functionum insequitur: functio autem sacerdotalis est uerum corpus & sanguinem Christi confi cere, quo utique mysterio nullum est in ecclesia excellentius, ergo neque ulla est altior dignitas. ¶ In contrarium tamen est, quod illa potestas & dignitas est præminentior, quæ cæteris paribus ad plura se extendit: sed episcopatus secundũ Dionysium. 5. cap. ecclesiasti. hierarch. extendit se ad plura, quia sacerdoti tantùm incumbit illuminare per administrationem baptismi, & purgare per pœnitentiam & eucharistiam: episcopo autem super hæc incumbit etiam perficere chrismate confirmando, & alios ministros ordinando & prædicando, ergo est excellentior potestas. ¶ Duo sunt sensus præsentis quæstionis. Vnus, utrùm re uera ullum sit discrimen inter episcopum & simplicem sacerdotem aliquo iure, siue diuino siue humano. Alter uerò utrùm hoc discrimen sit de iure diuino. Et ideo quæstioni duabus conclusionib. fiet satis. Enim uerò de priori sensu nemo orthodoxorum ambigit, sed hæretici sunt, qui huiusmodi discrimen inficiari pergunt, quorum fuit Vuitcleff, ut est cernere apud Vualdẽ. tomo. 2. de sacrament. cap. 117. & tom. 1. de sacramentalibus lib. 2. cap. 60. ubi ait, nullum esse prorsus discrimen, sed promiscuè omnes sacerdotes esse episcopos, atque adeò quemlibet posse confirmare & ordinare, habereque plenam iurisdictionem in sua parœcia. Eundem errorem sequuntur Lutherani, imò nequiorẽ: quia omnes, quos ciuilis respublica creat pastores, censent esse presbyteros & episcopos. At uerò cum Lutheranis superuacaneum est disputare: quia nec ueros sacerdotes habent, cùm uerum sacramentum eucharistiæ non agnoscant, neque ueros episcopos: quia neque cõfirmationem neque ordinationem admittunt. Probat autem suam perfidiam Vuitcleff primùm ex apostolo. 1. ad Timotheum. 3. ubi dicens episcopum oportere esse irreprehensibilem &c. oẽs presbyteros comprehendit. Et è conuerso ad Titum. 1. in illis uerbis. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per ciuitates presbyteros, nomine presbyterorũ episcoposintelligit. Secundò, id præsertim confirmat autoritate D. Hie-

Partis negatiuæ, primum argumentum.

Secundum argum.

Pars affirmatiua.

Dionysius.

Vuitcleff.

Lutherus.

Ratio Vuitcleff.

Universidad de Diseño Biblioteca

Hieronymi autoritas.

D. Hieronymi super eundem locum ad Titum, & refertur can. Olim. distinct. 95. Olim enim, inquit, idem erat presbyter qui & episcopus. ¶ Contra hanc tamen hæresim statuitur prima cõclusio. Quicquid sit de iure diuino, tamen certissimum est, saltem apostolorum traditione discrimen esse inter episcopos & simplices presbyteros. Id quod Hieronymus adeò non inficiatur, ut planè affirmet eodem etiam citato loco. Subdit enim. Antequam diaboli instinctu studia uel schismata in religione fierẽt, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autẽ Cephæ, communi presbyterorum consilio ecclesia gubernabatur. Postquam autem unusquisque eos, quos baptizauerat, suos esse putabat, & non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris superponeretur omnibus, & schismatum semina tollerentur. Ecce Hieronymum affirmantem instituto apostolorum præfectos esse presbyteris episcopos. Vnde super Esaiam lib. 2. idem Sanctus Pater, Inter senes, inquit, & principes hoc discrimen fuisse reor in ueteri populo, quod nunc est inter presbyteros & episcopos. Fuit ergo uafricies Vuitcleff rescindere unam partem pro se uerborum Hieronymi, Olim idem erat presbyter qui & Episcopus, atque alteram dissimulare, ubi adiecit, Toto deinde orbe decretum est, ut unus de presbyteris superponeretur omnib. Manifestaria ergo hæresis est ecclesiasticam hierarchiam Episcoporum & presbyterorum distinctione fundatissimam & specio sissimam confundere, dicendo nullum esse inter episcopos & simplices clericos discrimen. Eodem enim commento & supremam pontificis Maximi potestatem abnegant, atque adeò schismatum semina serunt, quæ Hieronymus ibidem ait per episcoporum electiones fuisse deleta. Igitur aduersus hæreticos satis hæc sint.

Prima conclusio.

Hieronymi uerba.

Idem Hieronymus.

Vafricies Vuitcleff.

Hæresis manifestaria.

Augustinus namque lib. de hæresibus hæresi. 53. Aerium quendam commemorat qui cum presbyter esset, doluisse fertur, quòd non potuerit esse episcopus: quam ob rem, in Arrianorum hæresim lapsus proprium adhibuit dogma, quòd presbyter ab episcopo nulla differentia deberet discerni. Et simile ait loco citato cap. 60. Vualdensis Vuitcleffo usu uenisse: quia episcopatum, quem ambierat, obtinere nequiuit. ¶ Alius uerò sensus multũ nobis propter Hieronymum maiorem obijcit scrupulum, utrùm semper iure diuino fuerit inter episcopos & simplices presbyteros discrimen, ita ut hoc præfecturæ genus, non ab apostolis ad sedanda schismata fuerit inuentum, sed ex institutione Christi semper obseruandum. Verba enim Hieronymi uehemẽter mouent illam eius fuisse opinionem, quòd non semper fuerit idem discrimen, atq; adeò non esse de iure diuino, sed ex traditione apostolorum post aliquantulum temporis institutum.

August.

Alter sensus quæstionis.

¶ Nihilominus subiungitur secunda conclusio. Discrimen hoc & præeminentiam inter episcopos & simplices presbiteros non ex sola traditione apostolorum susce pit ecclesia, sed iure diuino ex institutione Christi. Hæc est sententia San. Tho. 2. 2. quæst. 184. artic. 6. omniumque sanctorum patrum, & doctorum, ut Turre cremata lib. 1. de summa ecclesiæ capit. 69. ait. Et est expressa sententia Dionysij, apostolorum discipuli cap. 5. De eccle sia. hierar. ubi ponit tres ordines hierarchicos, ut sunt purgantium tantùm: nempè, diaconorum quibus conuenit catechumenos catechizare: & illuminantium: scilicet, presbyterorum administrantium baptismum, pœnitentiam, & eucharistiam: & perficientium: scilicet, episcoporum, quibus conuenit confirmare & ordinare & prædicare: & cùm istæ functiones sint de iure diuino, palàm edocet eosdem gradus eodem fuisse iure distinctos. Hoc autem artic. 4. apertius fiet, ubi Petrum à Christo fuisse institutum caput ecclesiæ monstrabimus. Etenim quo iure unus est, qui in ecclesia apicem tenet, eodem concecuit, ut singulæ urbes diœceses, prios haberent antistites, qui rempublicam tã presbyterorum quàm secularium administrarent, ut à capite per maiora membra ad minora influxus charismatum descenderet. Sic enim in corpore naturali per maiores arterias in minores uenas alimẽta dispensantur. Sed præter ea, urgentissimum argumentum est hoc. Multa episcopi facere possunt, ad quæ presbyterorum facultas non pertingit: ita ut si presbyteri simplices id attentarent, nihil re uera facerent: idque præcipuè in sacramentis: ergo illa distinctio est de iure diuino. Probatur

Secunda conclusio.

S. Thom.

Dionysius.

Vrgentissimum arg.

Eusebius papa.

batur antecedens, nam ut ait Eusebius papa can. Manus. de consecra. dist. 5. episcopi possunt confirmare: si tamen presbyteri, saltem sine licentia id attentarent, totum esset irritum & uanum, & inter ecclesiastica sacramenta non reputaretur. Idẽque mos, ait papa, tempore apostolorum erat celebris. Et eadem ratione si simplex sacerdos conferret maiores ordines, nullum perficeretur sacramentum. Et idem est de consecratione chrismatis & templorum, &c. Ecclesia uerò non potest sic potestatem sacramentorum uariare: ergo illa descendit de iure diuino. Non enim potest ecclesia facere, ut qui non est sacerdos consecret, aut absoluat. Et quamuis possit sacerdotem prohibere ne consecret, non tamen potest facere ut eius consecratio non sit ualida. Si ergo sacerdotes de iure diuino possent omnia perficere quæ Episcopi, nequiret ecclesia facere, ut sacramenta confirmationis & ordinis per ipsos administrata non essent ualida: nam ista pertinent ad potestatem ordinis, sicut consecrare: huiusmodi ergo potestas de iure diuino competit episcopis, & non simplicibus presbyteris. Quinimò & de iurisdictione arguitur. Si quilibet sacerdos plebanus tam plenam haberet lege diuina iurisdictionem in sua parœcia, quàm episcopi, iniuria eis irrogaretur ab ecclesia, si prohiberet ne excommunicandi ius aliaque iudicia tam plenè exercerent quàm episcopi: in hoc autem non solùm nulla eis fit iniuria, imò optimus lucet ordo: ergo a iure diuino institutum est. Haud enim credendus est Christus in re tanti momenti non per se ecclesiæ suæ consuluisse. Est ergo de iure diuino discrimẽ inter episcopum & simplicem presbyterum, tam quantum ad potestatem iurisdictionis in iure dicundo, quã secundùm potestatem ordinis in administrationibus quorundam sacramentorum. Itaque, ut discriminis punctum attingamus, non differt episcopus à presbyteris solo merito & electione, ut locis citatis Vuitcleff opinatus refertur. Aiebat enim ille hæreticus, quòd episcopus non est nisi quem propter merita presbyteri eligunt. Neque ob id solùm erat olim episcopus q̃ erat presbyterorum antiquissimus, sed instituebatur consecratione & manuum impositione quamuis fortè non tam longo cæremoniarum ritu, quàm modo. Id quod ex dictis Pauli ad Titũ & ad Timoth. palã fit: nã apostoli p̃ impositionẽ manuũ episcopos creabant. Et de unctione, qua epi̇ chrismate ungunt̃, meminit Clemens Papa apostolorũ coæuus in Epist. 3. ad uniuersos dicens. Omnis pontifex sacro chrismate perunctus & in ciuitate constitutus, scripturis sacris eruditus, charus & pretiosus hominibus oppidò esset debet. Et illius unctionis figuram in Aaron in summis sacerdotibus præcessisse, qui similiter ungebantur.

Argum. de iurisdict.

Punctum discriminis.

¶ Vnum tamen argumentum obuiare nobis apparet, quod dist. præsenti. q. 5. facit Durandus. In euangelio nullibi leguntur episcopi seorsum a presbyteris ordinati: ergo discrimen non est de iure diuino. Probatur antecedens. Christus nunquã ordinasset apostolos episcopos antequã eos sacerdotes fecisset: fecit tamen eos sacerdotes in cœna, quibus & potestatem remittẽdi peccata post resurrectionem contulit dicens, Quorum remiseritis peccata &c. postmodum uerò non legitur eis superiorem episcoporum dignitatem contulisse: ergo presbyter & episcopus iure diuino non differunt. Respondetur primò, multa, ut ait Ioan. fecisse Christum, quæ euangelistæ scripto non demandarunt. Secundò, q̃ Christus per potestatem excellentiæ prætermisso ordine, qui nunc seruatur, potuit apostolos cùm eos ad apostolatum assumpsit, eos creasse quantum ad eorum peculiares functiones, licèt postmodum uirtutem consecrandi & absoluendi contulerit. Certo enim certius est, siue ante sacerdotiũ, siue postea apostolos ad̃ fuisse in eos à Christo institutos, quã doquidẽ summa eis ecclesiæ gubernatio incũbebat: apostolis autem episcopi successerunt. Augustinus enim in lib. de quæstionibus noui & ueteris testamen. ca. 97. Nemo, inquit, ignorat episcopos saluatorem ecclesijs instituisse. Ipse enim prius quam in cœlos ascenderet, imponens manum apostolis ordinauit eos episcopos. Hoc apostolus sancto spiritui deputat cũ dicit, Attendite uobis & omni gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam domini Iesu. Et Anacletus papa, Petri discipulus in epist. citata de patriarchis & primatibus & reliquis episcopis, quæ refertur causa. In nouo distin-

Argumentum Durãdi.

Solutio prima.

Solutio secunda.

Apostoli à Xpo̅ creati episcopi.

Augst.

Anacletus

distinct. Vnde apostolus ad Ephes. 4. post quam dixit quòd Christus quosdam dedit apostolos, quosdam prophetas &c. ad denotandum reliquos presbyteros subiunxit, Alios pastores & doctores &c. ¶ Superest autem ad obiecta respondere: nempe, non solùm ad Hieronymum, sed & ad apostolum Paulum: nam. 1. ad Timoth. 4. nomine episcoporum omnes presbyteros intelligit. Recensitis enim moribus, quibus episcopum instruit dicens, Oportet episcopum irreprehensibilem esse, &c. nulla presbyterorum interiecta mentione ad diacones commigrat, quos ait debere esse pudicos, non bilingues &c. Presbyteros ergo uniuersos appellauit episcopos. Et ad Philippenses. 1. Paulus & Timotheus omnibus sanctis, qui sunt Philippis cum episcopis & diaconibus gratia uobis & pax. si autem presbyterorum medius esset ordo, illos non præteriisset. Et ad Titum. 1. admonet Titum, ut per ciuitates presbyteros constituat. episcopos illo nomine intelligit. Et 1. ad Timoth. 5. dicés, quòd qui bene præsunt præsbyteri duplici honore digni sunt, episcopos quoque significat. Et Actum. 20. presbyteris Ephesi loquens (nam in una ciuitate non erant plures episcopi) Attendite uobis, inquit, & uniuerso gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos: presbyteros quoq; designat, licet interprete Augustino, præcipuè episcopos. ¶ Ad hæc loco citato. S. Tho. 2. 2. q. 184. ar. 6. ad 1. breuiter respondet, quòd de episcopo & presbytero uno modo loqui possumus quantũ ad nomen: quoniam olim omnes promiscuè uocabantur & episcopi & presbyteri. Nam presbyteri, ut Aug. 19. de ciuit. inquit, idẽ est græcè, quod Latinè seniores, quod qui dem nomen aptissimè cõgruit episcopis: & episcopus idem est græcè, quod superintendens seu uigilans, quæ etiam appellatio presbyteris accomodatur. Siquidẽ unusquisque, cui animarum cura incumbit, etiã si parœcialis sit, debet super gregem uigilare. Sed re uera inter ipsos presbyteros erat in diœcesi unus iuxta Christi institutum præpositus, qui erat episcopus. Quare licèt honoris gratia omnes presbyteri dicerentur episcopi, & ne episcopi superbirent, etiam dicebantur presbyteri, nihilominus in re erat distinctio.

Dilutio obiectionum.

Ad Paulũ.

Solutio Sãcti Thomę

Presbyteri etymologia.

Episcopi etymon.

Nota.

¶ Et quidem solutio hæc ad respondendum Apostolo efficacissima est: quippe qui nusquã significat neque innuit re non fuisse dignitates distinctas, sed duntaxat promiscuo nomine appellari. Itaq; Paul. non dignitatem, sed sola nomina ait episcopis & reliquis presbyteris fuisse communia. Vnde Chrysost. Hom. 11. super eandem epistolam ad Thimoth. ob id dicit apostolum illic substituisse presbyteros: quòd non multùm differunt ab episcopis, sed sola inthronizatione episcopi super reliquos presbyteros ascenderunt. Et illic Aymo, Omnis enim episcopus presbyter est, sed tamen non omnis presbyter episcopus est. ¶ Attamen profectò uerba Hieronymi nõ satis hoc responso diluuntur: haud enim solũ ait quòd presbyter & episcopus eodem nomine uocabantur, sed quòd idem omnino erant, neque aliud habebat episcopus quàm presbyter. Et subdit quòd communi presbyterorum consilio tunc ecclesiæ gubernabantur. Sed postmodum toto orbe decretum est, ut unus superponeretur. Non ait, solùm decretum fuisse, ut diuersis nominibus appellarentur, sed ut re uera distinguerentur, ubi insinuat antea nullatenus discriminatos. Et ad rem præsertim subiunxit, quòd episcopi nouerint se magis consuetudine quàm dispensationis Dominicæ ueritate presbyteris esse maiores. Ec quid apertius? Et in epistola ad Euandriũ, quæ à Gratiano citatur dist. 23. can. Legimus. eandem prorsus sententiam sequitur, autumans tempore apostolorum non nomine tantùm, sed re eundem fuisse episcopum, qui erat presbyter. Quare Scotus in 4. dist. 7. hanc censet fuisse opinionem Hieronymi, quam & probabilem iudicat. Et Durandus distin. 24. q. 5. non dubitat quin Hieronymus fuerit huius sententiæ, tametsi in eam ipse non subscribat. Et ut ego ingenuè fatear, porrò arbitror Hieronymum in ea fuisse opinione, q̃ primitus de iure diuino nullum erat discrimen. Nihilominus licet hoc quispiam de Hieronymo suspicatus fuerit, non ideo, salua egregia autoritate, quæ sacro Doctori debetur, negare debet, quin discrimen hoc fuerit de iure diuino. Hieronymus nanq; ad contundenda episcoporum supercilia, illam edidit doctrinam, quam tamen non probat. Neque ex uerbis apostoli colligi potest, sed hoc tantùm, quòd nomina essent

Appositissima solutio.

Chrysost.

Aymo.

Verba Hieronymi.

Hierony.

Scotus.

Durãdus.

Sententia autoris.

Nota.

promiscua, & communia. Et idem est respondendum Ambrosio, qui super. 4. c. epistolæ ad Ephes. idem ferè cum Hieronymo sentiens ait, quòd primi presbyteri episcopi appellabantur, ut primo recedente sequens ei succederet. Quare apud Aegyptum, inquit, presbyteri cõsignant: hoc est, confirmant, si non sit præsens episcopus? Falsum enim est unquam fuisse presbyterum sine noua consecratione episcopum. Quocirca si Aegyptij illum ritũ seruant, errore tenentur.

¶ Ad primum igitur argumentum in contrarium respondetur, quòd quamuis in ueteri lege non essent omnino episcopi & presbyteri sicut in noua: quia non conferebant gratiam, nec aliquo sacramento initiabantur, tamen in Aaron præcesserit nostrorum sacerdotum figura, quatenus sacrificia, sicuti cæteri sacerdotes, offerebat, & præterea episcopi umbra nam fuit pontifex maximus, cui aliqua congruebant singulariter tum indumenta, tum etiam & munera, ut introire semel in anno in sancta sanctorum, quæ quidem reliquis sacerdotibus non licebant. Hoc autem euangelicum discrimen à Christo exordium sumpsit, qui omnium ecclesiasticorum officiorum exemplar extitit. Gerunt eius ergo typum simplices presbiteri quantum ad ministeria, quæ ipse cõpleuit, ut conficere corpus & sanguinem suum: episcopi uerò quantum ad illam potestatem, qua ministros in ecclesia instituit, in qua quandam habuit eminẽtiam. ¶ Ad secundum autem respondetur, quòd quamuis nullum sit altius munus in ecclesia quàm corpus & sanguinem Christi cõsecrare, in quo episcopi presbyteris non antecellunt, nihilominus cùm & hoc illis competat, præcellunt in alijs functionibus, ut ordinare sacerdotes, qui consecrare possint, & altare, uasa, & indumenta ad confectionem eiusdem sacramenti benedicere.

Ambrosio satisfit.

Solut. primi arg.

Sacerdotum figura.

Episcoporũ figura.

Solu. secundi argu.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm episcopatus sit ordo.

Partis affirmatiuæ ar.

EX quæstione proximè decisa exurgit altera, utrùm episcopatus sit ordo. Etenim si sit sacramento sacerdotij præstantior, consequens apparet, ut sit ipse sacramentum: nam sacramento nihil uidetur præstantius, nisi sit aliud sacramentum: præsertim eùm loco citato Dionysius episcopatum, presbyteratum, & diaconatum tres ordines appellet. ¶ In contrarium autem est, q̃ si episcopatus esset ordo, plures essent quàm septem, contrà quam usus habet ecclesiæ. ¶ Sunt qui huius quæstionis partem affirmatiuam tueantur, quibus ut supra diximus, Maioris & Ekius adhærent. Alij verò arbitrantur quæstionem nominalem esse potius quàm realem, utrùm scilicet sit appellandus ordo, necne. At uerò profectò ad quæstionem commodius cũ D. Thoma, sub distinctione, unica conclusione respondetur. Nomen enim ordinis usurpari uno modo pro eo propriè consueuit, quod est sacramentum ordinis, & altero modo, ut est nomen officij, dignitatis & gradus. Sit ergo conclusio. Episcopatus non est sacramentum ordinis, est tamen ordo: hoc est, dignitas & gradus altior sacerdotio, cui eminentiora officia sunt annexa. Secunda hæc pars articu. præcedenti satis demonstrata est, ubi discrimen ostensum est inter presbyteros & episcopos, qui sunt reliquis dignitate, gradu & officio superiores. Prima uerò: scilicet, quòd episcopatus non sit per se sacramentum, probatur primò: quia contrarium asserentes sine causa aduersantur communi opinioni & ecclesiæ usui, quo non celebrantur nisi septem ordines. Secundò & potissimùm. Ordines omnes ad sacrosanctum eucharistiæ sacramentum referuntur, & in ordine ad ipsum distinguuntur: episcopatus autem neque est ordo ministrandi sacerdoti in eucharistia: quia est altior, neque uerò quantum ad potestatem consecrandi est ei superior: quia sacerdotum quisque æqualem potestatem habet, & quantum ad substantiam sacramenti inde pendentem ab episcopo: nam quicunque sacerdos per se potest consecrare: ergo non est sacramentum, tametsi quantum ad accidentarias cęremonias dependeat sacerdos ab episcopo, qui habet uasa & uestes consecrare. Tertiò Si episcopatus esset per se sacramentum superius sacerdotio, sequeretur quòd nouum characterem imprimeret, consequẽs tamen est falsum: nam tunc subsequere-

Pars negatiua.

Decisio articuli.

Cõclusio.

Nomen ordinis.

Secunda pars conclusionis.

Probatur prima.

2. Argum.

3. Argum.

tur quòd si quisquam antequam fieret sacerdos consecraretur in episcopum eundem episcopalem characterem cum gratia gratum faciẽte susciperet: siquidem in susceptione sacramentorum non est essentialis ordo, ut superius ab inferioribus pẽdeat: potest enim fieri diaconus qui non erat subdiaconus, & presbyter ille, qui nõ erat diaconus, ut patet per titulum de clerico per saltum promoto: consequens tamen est falsum: quoniam si episcopus ante quam fieret sacerdos consecraretur, nihil
4. Argum. fieret. Quin uerò quartò arguitur. Si in cõsecratione episcopi imprimeretur character, esset profectò superior charactere sacerdotis, atque adeò potestatem includeret consecrandi, ueluti character diaconi characterem subdiaconi includit, ex
5. Argum. quo fieret consequens, ut non alio opus fuisset præcedenti ordine sacerdotali. Accedit quintò, quòd sacramentum ordinis in sabbatis quatuor temporum confertur: episcopus uerò non nisi diebus Dominicis consecratur. In summa, in tota episcopi consecratione nulla apparet forma & materia sacramenti, siue unctiones siue traditionem baculi & impositionem mitræ & alia omnia speculeris.

¶Eandem conclusionem affirmare uide-
Vualdẽsis. tur Vualdensis loco citato lib. 2. de sacramentalibus, ubi ait quòd in episcopo duo consistunt, potestas & ordo. Ordo quidem episcopo in parte cum cæteris sacerdotibus communis est, sed episcopus in culmine eorum consistit: & ita non tam alius ordo est, quàm alius gradus in eo-
August. dem ordine. Et August. in quæstio. ueter. & noui testamenti cap. 101. explicando uerbum Apostoli ad Timoth. quomodo promiscuo nomine appellauerit presbyteros & episcopos, concludit. Quid est enim episcopus nisi primus presbyter: hoc est, summus sacerdos?

Sol. cõtrarij argum. ¶Et per hoc ad argumentum in contrarium respondetur: non enim si dignitas & gradus est superior, subinde fit consequens ut sit nouum sacramentum: alioqui eadem ratione archiepiscopatus & papatus essent noua sacramenta. At uerò Dionysius ac subinde alij, ubi non est disputatio de sacramento, illum gradum & dignitatem episcopalem appellant ordinem, & meritò: nam gradus & dignitas superior, respectu inferiorum significantissimè ordo dicitur.

¶Alia uerò sunt argumenta, quibus fautores aduersæ opinionis contendere possunt episcopatum esse sacramentum. Secundò igitur arguitur. Episcopus reliquis presbyteris non solùm iurisdictionis amplitudine antecellit, uerùm & ordinis potestate: nam potest, ut dictum est, sacramentum confirmationis & ordinum administrare, qui non sunt actus solius iurisdictionis: aliàs posset uicario suo ea committere, sicut alia iurisdictionis officia, sed pertinent ad potestatem ordinis: quare nisi episcopus sit consecratus non potest illa exequi. Tunc sic arguitur. Sacramentum ordinis nihil aliud esse uidetur, quàm signum potestatis, uel ministrandi sacerdoti in eucharistia, ut diaconatus & subdiaconatus, uel administrandi sacramenta: sed per consecrationem episcopi confertur ei potestas administrandi sacramenta, quæ non potest simplex sacerdos: ergo illa eius consecratio est singulare sacramentum imprimens characterem. Tertiò arguitur ex eodem fundamento, quo suprà nos usi sumus. Diaconatus & subdiaconatus propterea sunt sacramenta, quòd immediatè ordinantur ad eucharistiam: puta, ad sumministrandum sacerdoti: sed functiones episcopi, ut ministros ordinare, uasa & uestes consecrare, referuntur ad sacramentum eucharistiæ consecrandum: ergo episcopatus est sacramẽtum. ¶Quartò. (Quod est omnium maximum) arguitur. Sacramentum est gratiæ signum & causa suscipientem ad sua officia exercenda sanctificantis: sed episcopus ad ea, quæ super sacerdotem dispensat, altiori gradu sanctitatis indiget, cùm amplior illi administratio ecclesiæ incumbat: ergo per suam consecrationem recentẽ gratiam recipit, atque adeò illa est sacramentum. ¶Ad secundum argumentum S. Tho. loco citato præsenti dist. respondet, quòd licèt episcopo detur aliqua potestas non solum iurisdictionis, sed etiam ordinis supra illam, quam habet simplex sacerdos, nihilominus illa non habet rationem noui characteris: quia omnis character ordinis ad sacramentum eucharistiæ ordinatur: episcopatus uerò non tam ordinari dicitur ad illud sacramentum, quàm eius facultatẽ præsupponere. Et ideo licèt dia-

Argu. contrariæ opinionis.

2. Argum.

3. Argum.

4 Argum.

Sol. S. Thomæ ad secundũ argumen.

Episcopatus imprimit characterem. conatus, quia per se põt esse diaconus: antequã sit presbyter, characterẽ per se imprimat, tamẽ episcopatus, quia nõ est uia ad sacerdotiũ, sed illud pſupponit, illudq; perficit, nõ imprimit characterẽ nouum, sed ipse idem character sacerdotalis, dum sacerdos in episcopũ consecratur, fit extẽsior & amplior: extenditur, inquam ad aliqua munera exequenda, quæ antea ne
Solu. tertij argu. quiuerat. ¶Et per hoc respõdetur ad tertium. Negatur enim episcopatum propriè ad sacramentum eucharistiæ ordinari: quia non ordinatur ad sacerdotiũ, sed est eius perfectio: eps enim non est nisi quidam consummatus, & ut ait Aug. primus sacerdos, qui simpliciter omnia sacramenta conferre ualet, & uasa consecrare &c. Tametsi illa ratione dicatur ordinari ad eucharistiam, quòd eps cõfert sacerdotiũ, quæ est potestas illã consecrandi. Hic aũt ordo non est proximus & immediatus ad eucharistiã, ceu diaconi & subdiaconi sacrificio ministrantium, sed remotus ad conferendam potestatem consecrãdi.
Solu. quarti argum. ¶Ad quartũ argumentum. Posset quispiã dicere, quòd sicut character sacerdotalis extenditur in epo: ita & gratia per eius consecrationem augetur. Attamen hoc ueritati non consonat: quoniã gratia non augetur, nisi nouus producatur intensionis gradus, qui si uirtute operis producatur, necesse est illud opus esse sacramentum, ueluti gratia baptismalis augetur per confirmationem: cùm ergo consecratio episcopi non sit sacramentum, fit ut nec gratiam adaugeat. Notandũ ergo quòd
Gratia in hoc sacramento ad quæ confertur. gratia in sacramento ordinis non confertur ad illa officia exercenda, quæ spectãt ad iurisdictionem & gubernationẽ, sed ad illa, quæ ad potestatem ordinis attinent: hoc enim sonat gratia sacramenti ordinis, quæ ideo annexa est characteri, nisi opponatur obex. Alioqui dicendum esset copiosiorẽ gratiam conferri archiepiscopo, dum cõsecratur, quia ampliore fulget iurisdictione, ac longè ampliorẽ summo pontifici, cui amplissima competit gubernatio. Gratia uerò, quæ ad potestatẽ characteris ordinis attinet, completè per sa-
Gratia cõpletè in sacerdotio confertur. cramentum ordinis' sacerdotalis confertur ad omnia administranda sacramenta, quæ quocunque tempore sacerdos administrare debuerit. Et ideo licèt dum conferatur in episcopum, extendatur eius potestas ad alia tradenda sacramenta: scilicet, confirmationẽ, & ordinem, non tamẽ indiget noua gratia sacramentali, tametsi per morũ meritorumq; augmentum debeat conniti, ut cumulatiori prouehatur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum supra Episcopos sit aliquis superior ordo in ecclesia.

POst hæc quæritur de Archiepiscopis & alijs Pontificib. usq; ad summum. Et arguitur nullum esse ordinem in ecclesia episcopatu superiorem. Episcopus enim nihil aliud est, quàm consummatus & summus sacerdos, secun- Partis negatiuæ argu. primã.
dùm illud Ambrosij super epistolam ad Ephes. ca. 4. In episcopo oẽs ordines sunt quia primus sacerdos est: hæc ille. potest enim omnia sacramenta simpliciter dispẽsare, in quo summa ratio potestatis ordinis consistit: ergo episcopatu nullus est superior ordo: qua propter Romanus pontifex nõ aliud se quam episcopum Romanum nominat, ac subinde episcopum totius orbis. ¶Secundò arguitur. Superior 2. Argum.
potestas per inferiorẽ non confertur, neque æqualis per æqualẽ: quia ut ad Hebr. 7. ait Paul. sine ulla cõtradictione qd' minus est, à maiori benedicitur: quare simplex sacerdos neq; episcopum ordinat, neq; alium simplicẽ sacerdotem, sed epm sacerdotem episcopus autem quemcunq; alium potest promouere & consecrare, etiam Pontificem maximum: nam Hostiensis epm consecrat Papam: ergo episcopatu nullus est excelsior ordo. ¶In cõtrarium autem est autoritas Isidori. dist. 21. Partis affirmatiuæ.
cano. Cleros. ubi pluribus epis Archiepiscopus præficitur: & super archiepiscopos est patriarcha, ut 80. distin. cano. Vrbes. definitur.

¶Ad quæstionem præsentem tribus con- 1. Conclusio.
clusionibus respondetur. Prima. Inter episcopos & Summum Pontificem interstant alij ordines per gradus ascenden- Archiepiscopi.
tes. Sũt enim primum archiepiscopi: hoc est, principales episcopi, ut canonibus citatis asseritur, & usu ecclesiæ obseruatur, qui pluribus episcopis præficiuntur, atq; adeò pallio super humeris insigniuntur, quod episcopis nõ conceditur, can. Quo-

Metropolitanus.

niam quidam.dist.100. Quapropter Metropolitanus idem est quod archiepiscopus, solo nomine differens:ob certam.n. ciuitatum mensuram, quibus debet præsidere,sic appellatur,ut eo. cano. Cleros, & can.Stitote.6.q. 3. legitur Archiepiscopis præponitur patriarcha,quod græcum nomen,idem sonat latinè, quod principalis pater. Patriarchæ autem sunt post summum Pontificem dignitate & authoritate primi.10.dist.cano.Vrbes, & can. Diffinimus. Quare patriarchæ & primates solo nomine differunt,ut ibidem legitur. Fueruntq; instituti instar protoflaminũ, qui fuerunt inter gentiles sacerdotum primores,ut eod.can.habetur,& Magist.senten. affirmat. Non autem sic est intelligendũ, quòd illa ratione ecclesia hos ordines instituerit,sed quòd cùm religio Iudæorum nõ fuisset per diuersa regna & prouincias diffusa,sicuti gentiliũ ritus,sed erat in una gente conclusa, apparet uarietas ordinũ in lege euangelica quantùm ad eius effusionem, potius gentilitatis imaginem referre,quàm Iudaismi : cæterùm quantum ad rei ueritatem non fuerunt ijdem ordines instituti nisi propter decorum ecclesiæ & necessitatem. ¶Et quidem prope a-postolorum ætatem quatuor ecclesiæ patriarcharũ honore sub Romana Sede insignitæ sunt,nempe, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana,ut eod.cano. Diffinimus,refertur: nam in gratiam Constantini Cæsaris Cõstantinopolis dicta est noua Roma. 22.distin.can.Constantinopolitanæ. Iam uerò plures sunt,ut in Hispania patriarcha noui orbis: nam ut ait Annicetus Papa can. Nulli.dist.99. dum gens aliqua ad fidẽ cõuertitur, potest præ multitudine Primas ibidem constitui. ¶Secunda cõclusio. Isti ordines nec sacramenta sunt ordinis, neque potestate ordinis differunt,sed sola iurisdictionis amplitudine. Primam partem iam supra monstrauimus:nã si ẽpatus non est per se sacramentum, multò minus uel archiepiscopatus uel papatus. Imò qui autumant episcopatum esse sacramentum, non aliud nouum agnoscũt in papa. Quod autem non differant potestate ordinis inde constat,q̃ nullum sacramentum potest papa administrare,quod nõ possit & quicunq; eps. Templa,etiam, altaria, uestes, uasa & uirgines possunt oẽs episcopi sicut papa cõsecrare & benedicere,atque adeò cõsecrare episcopos & archiepiscopos, & ipsum papã. Quapropter si qui in papam eligitur,eps erat, nõ denuò cõsecratur in papã:quia papa nõ est nisi summus episcopus. ¶Ex his ergo argumentorum solutio colligitur. Ad primũ.n.conceditur,episcopatum quantùm ad potestatem ordinis ẽsse summam ecclesiæ dignitatem. Differũt ergo prædicti ordines solo iurisdictionis ambitu & latitudine. Dicuntur, inquam, ordines diuersi propter gradus dignitatis diuersos. ¶Et simili modo ad secundum respondetur, quòd potestas epi excellit potestatem sacerdotis, quasi potestas altioris generis, & ideo non quicquid potest episcopus,potest simplex sacerdos. Non autem eadem episcopalis dignitas à superioribus excellitur tanquàm a potestatibus celsioris generis, & ideo quicquid põtest papa pertinens ad potestatẽ ordinis, potest quicunq; episcopus. Sed potest ratione iurisdictionis eligere & confirmare episcopos, quod alij episcopi non ualent.

¶De ordine uerò Cardinalium est dubiũ utrùm sit per se ordo ab his cõnumeratis iure diuino distinctus. Etenim Cardinalis de Turre Cremata lib.1.de summa ecclesiæ.ca.80. affirmat ordinem esse iure diuino cæteris ecclesiæ sublimiorem. In cuius confirmationem nescio quam distinctionem in apostolis comminiscitur. Ait siquidem primùm in illis considerãdum, quòd ante ascensionem Christi principaliter ei astiterunt,iuxta illud Lucæ.22. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Deinde & post eius ascensum assistebant Petro tanquam eius uicario admi nistrationem papalis ministerij gerenti. Sed tertiò considerantur, ut a Petro separati ab inuicemq; adeò in diuersas regiones distributi ad prædicandum, iuxta illud, Euntes in mundum uniuersum prædicate euangelium omni creaturæ. Ait ergo quòd quantùm ad primam & secundam cõsiderationem Cardinales Pontifici maximo assistentes repræsentant apostolorum statum. Sed quantum ad tertiam episcopi successerunt apostolis. Vnde infert primò, quod apostoli prius fuerunt Cardinales quàm episcopi:nam priùs fuerunt Christi consiliarij, quàm pastores & prædicatores instituti,atq; adeò priùs fuerunt

Patriarcha.

Primas.

Quatuor patriarchę in primitiua ecclesia.

Patriarcha noui orbis.

2. Conclusio.

Prima pars conclusionis probatur.

Secunda pars conclusionis.

Nota.

Sol. 1. arg.

Sol. secũdi argumen.

Ordo Cardinalium.

Turre Cremata.

Luc.22.

Adaptatio distinctionis.

Corollarium.

runt Cardinales orbis,quàm episcopi urbium. ¶At uerò licet placuerit uiro alioqui doctissimo ordini suo nimium indulgere & fauere,certe cõmentatio hæc non nititur solido fundamento:& ideo subiungitur tertia huius articuli conclusio. Cardinaliũ ordo non censetur iure diuino in stitutus tanquam a presbyteris & epis distinctus,sed est iure põtificio introductus. Prior pars probatur, quia in sacra pagina non habet firmius fundamentum,quam illud Turre Crematæ,quod quidem est infirmissimum. Sed dicti sunt Cardinales, id est, principales, siue episcopi, sint presbyteri,siue diaconi,siue subdiaconi, imò & acolyti: eo quod Romæ resident summo Pontifici assidentes,quasi ecclesię cardines. In qua subinde meritò splendorem habent, tum quia in summo eius consistorio considerent,tum præsertim quia electio summi pontificis ad eos de iure spectat,ut patet per decretum Nicolai papæ secundi in sexta synodo can. In nom. domin. 23. dist. ¶De antiquitate uerò eiusmodi cardinalatus non satis constat quanta fuerit. Quod enim Hieronymus fertur Cardinalis fuisse, nondum est ab ecclesiasticis uel historicis uel doctoribus satis exploratũ. Sunt uerò qui censeant eundẽ ordinẽ antiquissimum: nam in concilio Lateranensi sub Gregorio secundo Anno Domini, DCCXXIIII. post episcopos subscripserunt presbyteri Romani. At cùm non sint appellati cardinales,sed fuerint episcopis posthabiti, non est certum an de cardinalibus,quales sunt modò, id sit intelligendum. Alij autumant iam tunc tempore Syluestri hunc fuisse ordinem constitutum:nã in Romana Synodo ait,q̃ presbyter cardinalis nisi quadraginta quatuor testib.non damnabitur.2.q.5.cã. Præsul.Et postea,A subdiacono,inq̃t,usq;ad lectorẽ omnes subditi esse debent diacono cardinali.93. dist. can. A subdiacono. At uerò nescio utrùm nomen cardinalis in hoc significato illic usurpauerit, an uerò pro eo simpliciter,quod est principalis:ut presbyter cardinalis idem sit quod archipresbyter,& diaconus cardinalis,idem quod archidiaconus: pluris enim Papa æstimat illic episcopum, quem nisi in septuaginta duobus testibus damnari non permittit.quàm presbyterum cardinalem,quem in quadraginta quatuor condemnandum censet. Qua utique ratione & Archiepiscopus potest episcopus cardinalis appellari: idest, principalis, quo alludit Grægorius,qui.7.q. 1. can.Pastoralis. appellat Ioannem Squillitanæ ecclesiæ episcopum cardinalem. Et certè neque in concilio Niceno, neque in Synodis Constantinopolitanis usque ad sextam sub Nicolao secundo inuenitur hoc nomen. Tametsi canone illo,In nomine domini,qui a quinta gentis hinc annis conditus est, cardinales sint appellati,non tanquam res noua, sed tanquam res longè uetustior. Quare Cardinalium ordo antiquior est multò quàm nonnulli censent. Hoc autem alius fuerit loci prefsius disputare.

¶Huiusmodi autem episcoporum & archiepiscoporum ordinibus uestes, ornatus gratia adaptauit ecclesia, quæ eorum dignitatem illustrarent, idoneitatemq; designarent, quæ in in eis requiritur ad tractandum diuina. Horum uerò indumentorum quædam sunt episcopis,sacerdotibus eiusque ministris communia,quę sunt sex:scilicet, amictus, & talaris uestis alba linea, cingulum, manipulum, stola, casula. De quorum significatione dist.13. q.2.artic.4.fusè dictum est. Præter hæc autem epis adhibentur nouem propria, ut uestium numerus numero functionum respondeat. Conuenit enim episcopis pro priè supra sacerdotum munera populum confirmare,clericos ordinare,uirgines benedicere,basilicas dedicare, Synodos celebrare, chrisma conficere, uestes & uasa consecrare, sacram paginam prædicandó interpretari, ac demum ius dicere. Primum igitur eorum ornamentum sunt caligæ, quibus gressuum rectitudo designatur. Secundum sandalia quæ pedes contegunt, ad significãdam pulchritudinem pedum, uti est apud Esaiam, annunciantium & prædicantium pacem, annunciantium bonum, & prædicantium salutem. Hæc autem sandalia,ut Hugo.lib.2. de sacramen.part.5. cap. 14. autor est, subtus habent integras soleas, ad admonendum episcopos ne terrena affectibus tangant, sed despiciant: supernè uerò locis quibusdam aperiuntur, aliisq; conteguntur, ad significandum mysteria fidei non omnib. esse propalanda,sed quibusdam, iuxta illud,Vobis datum est nosse mysterium regni Dei,cæteris autem in parabolis. Ter-

Tertia cõclusio.

Cardinales quare sic dicti.

Cardinalium antiquitas.

Tempore Syluestri an creati fuerint cardinales.

Episcoporum & sacerdotum uestes.

Episcoporum nouẽ indumenta propria.

Eorumq; functiones nouem.

Primum ornamentum.Secundum.

Sandalia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertium. tium est succinctorium, quo stola ligatur cum alba sacerdotali, in signum amoris honestatis, quo candor uestis ad lumbos succingitur. Quartum est tunica serica talaris, significans uirtutum, & potissimùm honestatis, perseuerantiam: nam & castissimus Ioseph talari tunica usum fuisse scribitur: demissio enim usque ad talos, perseuerantiam usque ad uitę extremitatem designat. Quintum est dalmatica, largitatem operum misericordiæ repræsentans. Sexto loco traditur ei baculus pastoralis uncus, ut illa curuitate uagas & errantes oues colligat, stipite autem infirmos sustentet, sed extremitatis cuspide segnes & desides ad opera uirtutis stimulet. Quo utiq; Papa propter plenitudinem potestatis nõ utitur. Carmen ergo sic episcopos admonet. Collige, sustenta, stimula, uaga, morbida, lenta. Septimum traditur ei quasi ecclesiæ sponso anulus benedictus, qui est sacramentum fidei, qua ecclesia desponsatur Christo, ipseq; subinde episcopus eidem ecclesiæ. Octauum ornamentum est mitra duo habens cornua, quæ scientiam utriusque testamenti referunt, qua utique uelut galea salutis, ut ait Paulus, cõmunitus episcopus hostibus ueritatis terribilis apparere debet. Nonum denique sunt chirothecæ, quibus manus operiuntur, ad significandum prudentiam & splendorem operum, iuxta illud Matth. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui in cœlis est. Ac demum ut uelut Iacob hædorũ pelliculis manus contectus benedictionem paternam accepit, sic episcopus sacrosanctam hostiam altaris offerens, diuinam benedictionem impetrare mereatur. ¶Super hæc archiepiscopo confertur pallium propter honoris augmentum, ut. 100. dist. can. Prisca. & can. Rationis. quod habet torquis effigiem. Quo insigni aureo egregiè certantes olim donari solebant. Quapropter eo Romanus Põtifex in missarum solennijs semper & ubique utitur propter plenitudinem potestatis, quæ in pallio significatur. Archiepiscopus uerò non nisi in sua ecclesia & suffraganeis & quibusdam solennibus diebus. c. Ad honorem. extra de autor. & usu pallij. ¶Aduersus hæc autẽ forsan quis obijciat ritum Mosaycæ legis: nam episcopatus euangelici figuram præferebat tunc Pontifex maximus & tamen alijs ornamentis induebatur quàm noster episcopus. Etenim ut Leuit. 28. legitur, & Iosephus lib. 3. de antiquitatibus c. 11. interpretatur, decem ornabatur uestibus, quatuor scilicet, quæ cunctis sacerdotibus erant communes. Istæ erant fœminalia linea, & tunica de byssо, & baltheus. i. cingulum, & tiara siue mitra de byssо supernè acuta. Atqui cùm fœminalia sacerdotem castitatis admonerent, quam euangelici prę illis seruare tenentur, illis deberent modò simili ter uti. Præterea sacerdotium noui testamenti dignius est quàm illud ueteris: ergo deberent omnes, sicut illi, mitras in signum dignitatis gestare. ¶Ad primum loco citato respondet Hugo, qꝺ illis non indicebatur cõtinentia, nisi illo tẽpore, quo templo ministrabant: nam erant coniugati: & ideo tunc fœmoralibus succingebantur. Nostri uerò perpetuæ castitatis cultores, non indigent illo habitu, dum ad altare accedunt. Sed loco illorum calciat se episcopus noster sandalia. Ad secundum respondetur, qꝺ mitra sacerdotum non erat dignitatis insigne, sed ut ait Herony. erat sicut quoddam galerum. Cidaris autem, quam pontifex maximus illi superponebat, erat indicium dignitatis, cui ideo mitra nostrorum episcoporũ successit. ¶Vestes autem summi sacerdotis erant propriæ sex aliæ: scilicet poderis, quæ erat uestis byssina usque ad pedes, quo etiam talari indumento utitur noster episcopus. Deinde tunica hyacinthina cui in episcopo respondet dalmatica. Nam quia in episcopo, qui alios ministros creat, origo eorum, existit, dalmatica diaconi & subdiaconi utitur subtus casulam, sacerdos uerò minimè. Item gestabat superhumerale, cuius loco episcopus utitur stola: nam illud humeris impositum onus euangelij, interprete Beda, ut modò stola, significabat. Quartò præferebat & in pectore rationale, cuius locum refert pallium archiepiscopi. Quintò gerebat & cidarim: hoc est, mitram byssinam, ueluti & nostri episcopi. Ac denique in fronte laminam, ubi Dei nomẽ scriptum erat tetragrammaton, pro qua noster pontifex gerit crucem, ut lib. de officio missæ ait Innocentius. Sunt qui addant ephot, pro quo episcopi utuntur amictu, tametsi alij autument non aliud fuisse quàm superhumerale.

Quintum. Sextum.

Septimũ.

Octauum.

Nonum.

Pallium archiepiscopi.

Pontificis maximi antiquæ legis ornamenta.

Primũ argumẽtum.

Secundum argumẽtũ. Solutio primi argum.

Solutio sẽcũdi argu.

Vestes sũmi sacerdotis.

ARTI-

ARTICVLVS. I.

Vtrùm in culmine omnium ordinum sit iure diuino unus summus pontifex.

Partis negatiuæ argumentũ.

Onsequitur hic tandem, ut de primatu Summi Pontificis supremus adhibeatur articulus. Arguitur enim a parte negatiua. Si unus esset huiusmodi summus Pontifex, id maximè esset: quia Christus aliquid uni præ cæteris apostolis singularis dignitatis tribuerit, ut Petro apostolo, Mat. 16. Quodcunque solueris &c. Sed ipsum Matth. 18. concessisse legitur cunctis apostolis, Amen dico uobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c. & apostolis episcopi successerunt: ergo præter episcopos nullus est qui iure diuino apicem ecclesiæ teneat.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium tamen stat autoritas Constantinopolitani concilij, ubi legitur. Veneramur secundũ scripturas & canonum definitiones sanctissimũ antiquæ Romæ episcopũ primũ esse & maximũ episcoporũ, & post ipsum Constantinopolis episcopum.

Decisio articuli

¶Quæstio hęc inter orthodoxos nulla est quippe qui affirmatiuam ueritatẽ ceu catholicam uenerantur. Quare qui eam abnegãt meritissimò ut hæretici & schismatici habentur. De qua multi nobiles autores tum antiqui, tum ẽt iuniores luculenter disputarunt, quorum sunt Caietanus inter sua opuscula, & EKius in suo opere, quod de hac re non minus egregiũ quàm amplum edidit. At qm̃ S. Tho. & reliqui hoc loco eã tractant, non debuit a nobis intacta præteriri. Respondeẽ ergo unica affirmatiua eademq; catholica cõclusiõe. Vniuersis ecclesiæ ordinib. supereminet dignitas Pontificis maximi, qui apicẽ totius ecclesiæ obtinet. Ratio cũ primis est, quam art. 2. insinuabamus. Instituit enim Christus ecclesiã instar monarchiæ, quæ optimum est omnium regiminum: in monarchia uerò oẽs ordines consummantur in unum culmen, quod sit particularium omniũ uniuersale: nã ut. 1. Ethic. author est Philosophus, in omnib. uirtutibus & actibus secundùm ordinem finium sumitur & artificum præeminentia: arti enim

Caietanus EKius.

Conclusio

Ratio conclusionis.

Aristote.

fræni factiuæ imperat equestris, & ei quæ est extruendarum nauium, imperat ars nauigandi: eadem ergo similitudine in ecclesiastica republica paræciarũ plebani subdũtur episcopo ciuitatis, episcopi uerò plures uni archiepiscopo, ac demũ uniuersalis ecclesia uni summo Pontifici, qui est Christi uicarius. Id quod præterea inde confirmatur, quòd Christus ecclesiam exemplo optimæ politiæ fundauit: optima autem, ut 2. Polit. autor est Philosophus, est regalis, cui unus præest. Quod exemplo apum Hierony. can. In apibus. 7. q. 1. demonstrauit. ¶Eadem catholica ueritas præclaro testimonio Christi confirmatur, Matth. 16. ubi Petrum fundamentum instituit ecclesiæ, dicens ei, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meã, & tibi dabo claues regni cœlorum, & Quodcunq; solueris super terram, erit solutũ & in cœlis, & quodcunq; ligaueris, erit ligatũ. Sed quãuis alij hunc locum locupletissimè edisserant, quorum est EKius lib. 3. de primatu pontificis, nõ erit superuacaneũ hic nos tãtisper immorari. Sunt enim qui uerbũ illud, Super hãc petram, non ad Petrum referant, sed uel ad Christum ipsum, qui est lapis angularis totius ecclesiastici ædificij, de quo. 1. Corinth 3. ait Paul. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præterquàm quod positum est, quòd est Christus Iesus: uel ad ipsam confessionem Petri, Tu es Christus filius Dei uiui, quæ prima est petra: hoc est, articulus, cui fides nostra subnititur. Quorum utramq; expositionem Augustinus aliquib. locis sequitur. Alij item, Tibi dabo claues regni Cœlorum, non Petro singulariter dictum autumant, sed uel toti apostolorum collegio, uel ecclesiæ in communi. Porrò autem euangelico contextu attentius inspecto ad Petrũ singulariter totũ pertinere constat. Enim uerò nõ sine mysterio interrogante Christo apostolos, Quem dicunt homines esse filium hominis? Omnes responderunt, Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam &c. Sed rursus scisciranti, Vos autem quem me esse dicitis? Non omnes, sed singulariter Petrus respondisse fertur, Tu es Christus filius Dei uiui, quasi confessio illa ipsius esset propria: nam aliorum corda, in quibus latebat fides, quomodo ipse Petrus habere potuisset cõperta? Præsertim qꝺ in-

Ratio 1.

Ratio. 3.

EKius.

Super hãc petram.

Augusti.

Tibi dabo claues &c.

ter illos erat Iudas, qui fidem nondum ebiberat. Vnde cùm postmodum idem Petrus, non satis cunctorum pectora exploratus omnium nomine fidem cõfiteretur, dicẽs, Nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus, respõdit Iesus, Nonne ego uos duodecim elegi, & ex uobis unus diabolus est? Quasi dixisset, nõ satis omnium pectora inspexeris, ut pro omnibus respõdeas. Quocirca Leo papa in sermone. 3. de passione Dominica. Vnus inquit, de toto mundo eligitur Petrus, qui cunctis ecclesiæ patribus præponatur. Et causam subdens ait, Omnes apostolos, quid de se opinentur homines, Christus interrogat, & tandiu respondentium cõmunis est sermo, quandiu humanæ intelligentiæ explicatur ambiguitas (scilicet alij Ioãnẽ &c.) At ubi quid sensus habeat discipulorum exigitur, primus est in domini cõfessione, qui primus est in apostolica dignitate & potestate. Confessio ergo Petri, sua ipsius fuit singularis. Id quod & ex subiunctis uerbis firmius confirmatur. Nam ei singulariter respondit Christus dicens, Beatus es Simon Bariona. i. filius Ioannis: quia caro & sanguis: hoc est, pater iste tuus carnalis, non reuelauit tibi, sed pater meus, qui in cœlis est. Vbi opponendo patrem suum patri Petri reuelationẽ edocet esse illi peculiariter factã priusquam cæteris apostolis: ob idq; adeò eum singulariter beatum appellat. Quæ quidem sñia est Clementis Papę in epist. 1. ad Iacobum fratrem domini, ubi Petrum fundamentum fidei à Christo positũ esse cõmonstrat, cuius ideò ore cognominatus est Petrus: nam & primũ, inquit, Petro Deus pater filium reuelauit, cui & Christus competẽter beatitudinem contulit. ¶Sed age & de noĩe ipso Petri rẽ apertiùs pandamus. Quid. n. in causa esse potuit, ut nullum aliorum, sed Simonẽ solum, Petrum nuncupauerit, nisi ut de petra fidei, quam ore protulerat, nomen duceret, quo deinceps appellaretur? Quam quidem nois mutationem ei prædixerat Io. 1. Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas, quod quidẽ non est nomẽ græcum, ut κεφαλὴ hoc est, caput, sed (ut ait in interpretatione Hebraicorum nominum Hieronymus) Syrum, idem sonans quod solidum: hoc est, stabilis & immobilis petra. Ob idq; subdit euangelista, ꝙ interpretatur Petrus, acsi petra masculini generis esset. Fatemur ergo ingenuẽ confessionem illam, Tu es Christus, primam esse fidei petram: nam nisi quis Christũ primùm agnouerit esse Deum, qui mentiri nequit, neutiquam quę ipse nos docuit, firma fide tenebit. Qui autem illud semel fundamentum supposuerit, cuncta subinde credet ꝙ ipsum reuelata. Veruntñ non dixit, super hanc petram ædificabo fidem meã (quanquam & hoc sit uerissimum) sed ecclesiã, hoc est politiam & rempublicam meam, quæ prælatorum administratione gubernatur: atq; sup uno summo prælato fundari debet. Fuit ergo legitimus sensus, Eo ꝙ tu cõfessus me es filium Dei, atq; adeò primam petram & fundamentũ, ut uerè sum, ecclesiæ quam fabricare pergo, ego te uicissim Petrum (. i. petram) instituo, qui uice mea petra eiusdem sis & fundamẽtum in terris. Atq; hoc significat collusio illa uerborum & concẽtus. Tu es Christus. & Tu es Petrus. Vnde qđ sibi ꝙ naturã competit, id Christus per gratiam tribuit Petro. Quapropter dum ait, Tu es Petrus, & sup hanc petram, &c. demonstratio pronominis non refertur ad confessionem Petri. ſ. Tu es Christus, aliàs non opus erat inferere, Tu es Petrus. sed refertur ad ipsum Petrum, Acsi dixisset, tu es petra & super hanc petram, &c. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam (. ſ. ecclesiã) super te fundatam. Et sicut ego habeo clauem Dauid, qui occlusos cœlos aperturus modò sum, eorundem cœlorum ego tibi claues cõcredam, ut quidquic tu uice mea solueris super terram, sit solutum & in cœlo: & quicquid ligaueris, ligatum. Atq; huius sententiæ sunt quotquot præcesserunt patrum, qui eiusdem fuerunt ecclesiæ columina. Origenes homilia. 5. super Exod. Magno illi, inquit, ecclesiæ fundamento, petræq; solidissimæ, super quam Christus fundauit ecclesiam suam, uide quid dicatur, Modicæ fidei quare dubitasti? Et in epistola ad Iubaianum Cyprianus, Super Petrum, inquit, Christus ædificauit ecclesiam suam, unde unitatis haberet originẽ. Et Hieronymus super eundẽ locũ Matth. Quid est, inquit, quod ait Christus, Et ego dico tibi? Quia tu mihi dixisti, Tu es Christus filius Dei uiui, & ego dico tibi, nõ sermone cassо, nec nullum opus habente, sed dico tibi, quia meum dixisse, feciſſe est: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Sicut ipse lumen apostolis donauit, ut mundi lumẽ appellarentur, cæteraq; ex dño sortiti sunt uocabula: ita & Simoni, qui credebat in Christum, Petri largitus est nomen, ac secundùm metaphoram petræ rectè dicitur ei, Aedificabo ecclesiam meam super te. Idem Ambrosius in sermone de natali Petri & Pauli, & in sermone de fide Petri, & in multis alijs locis. ¶Atqui Augustinus ipse, licèt eius ingenium fuerit cuncta uariaq; adeo euangelij sensa explorare, ut le ctoribus optionem relinqueret, & ideo quandoq; petram ibi pro Christo, qñque pro fide accipiat, nihilominus tandem in eam se recipit suiam, ut referatur ad Petrum, ut in sermone de cathedra Petri, & expressiùs sermone. 26. de sanctis, Audistis, inquit, frequẽter ipsum Petrum à dño petram nuncupatũ, sicut ait, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est, sup quam ædificatur ecclesia, rectè pedes sanat, &c. Extant & decreta plurima, tunc conciliorum, tum & Pontificum, quale est illud citatum Leonis, & aliud Anacleti, cã. In nouo. dist. 21. In nouo, inquit, testamẽto post Christũ dñm à Petro sacerdotalis cœpit ordo: quia ipsi primo pontificatus in ecclesia datus est, dicẽte dño ad eum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. ¶Sed & ille alius locus Ioãnis ulti. nihilo minorem habet energiam ad id constituendũ. Haud. n. temerè Christus Petrum interrogauit, Diligis me plus his? sed quia aliquid ei præ alijs singulare committere uolebat: nempe, Christiani orbis gubernaculum: ob id. n. præmisit eius examẽ, an dignior reliquis esset. Quo præmissio subiunxit, Quia diligis me plus his, pasce oues meas: hoc est (interprete illic Chryso.) præpositus & caput esto fratrum ut ipsi te in loco meo assumentes ubiq; terrarum te in throno tuo sedentem prædicẽt, & confirment. Qua utiq; de causa & fidem ecclesiæ, propriam Petri appellat Lucæ. 22. ubi eum à reliquis secernens ait, Ego rogabo pro te ut non deficiat fides tua, tu autẽ aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et ea ꝓpter Matthęus & Marcus inter referendum apostolorum numerum à Petro incipiunt, quanuis, ut patet Io. 1. non ille fuerit prius uocatus, sed Andreas. Neq; simpliciter eum nominant, sed dicendo, Primus Simon, qui dicitur Petrus, acsi dicant, qui est capitis dignitate primus. Accedit ꝙ in concilio Niceno & alijs antiquis, summus est Romano pontifici delatus honos. Et beatus Cyrillus eps Alexãdrinus inter sua decreta, Vt membra inquit, maneamus in capite nostro apostolico throno Romanorum pontificum, à quo nostrum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ipsum uenerantes, ipsum rogantes prę omnibus: qñ ipsius solius est, reprehendere, corrigere, statuere, disponere, soluere & ligare loco illius, qui ipsum ædificauit, & nulli alij, quòd suum est plenum, sed ipsi soli dedit: cui omnes iure diuino caput inclinãt, & primates mundi tanquam ipsi Dño Iesu Christo obediunt. Idemq; Anacletus can. In sancta. dist. 22. ¶Igitur ad argumẽtum in capite obiectum rñdetu, ꝙ quanuis oĩbus apostolis, quinuerò in ipsis omnibus sacerdotibus cõmuniter data sit potestas ligandi & soluedi. tñ ut deriuationis ordo quidam designaretur, primò promissa est Petro. Vnde Leo Papa in sermone illo citato de passione post uerba, quæ suprà retulimus. Magnũ, inquit, & mirabile huic uiro, dilectissimi, consortium potentiæ suæ diuina tribuit dignatio, & si quid cõe cũ eo cæteris uoluit esse principibus, nunq̃ nisi ꝑ istum dedit, quicquid cæteris non negauit. ¶Ex his planè fit consequẽs, in facultate ecclesiæ non esse positum sic gubernationem Christianę reipublicę mutare, ut non esset Papa, sed diœceses per eꝑos, archiepiscopos & patriarchas gubernarentur: qñ Papam Chŕs diuino iure sibi subrogauit uicarium, quẽ ideo de medio tollere ecclesia non ualet, sed tenetur illum ceu caput suum colere. ¶Quòd si contra arguas. Si ecclesia eum non eligeret, nullus esset Papa: posset autem ecclesia ꝑ bono pacis, aut alia bona causa, nullũ creare: ergo hoc est in suã positum facultate. Rñdetur concessa maiori: nam electio papæ ad ecclesiam pertinet, & ideo nisi ea ipsum legitimè creasset, nullus esset, sicut nullus esset eꝑs nec presbyter, nisi eius autoritate ordinibus initiatus. Attamen ecclesia nullo iure posset ab electione pontificis abstinere, & ideo Spiritus sanctus eã non ꝑmittet in talẽ erroris foueã collabi. ¶Quòd si perconteris utrum posset saltẽ duos aut tres Romanos pontifices eligere

Leo Papa

Nota.

Clemens Papa.

Petri nomen.

Legitimus sensus.

Origenes.

Cyprianus.

Hierony.

Ambro.

Auguſt.

Decreta conciliorum.

Locus Io. ulti.

Cyrillus.

Anacletus Sol. argu.

Leo papa.

An ecclesia posset facere, ut non esset Papa.

Obiectio.

Dilutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

re, quorũ alter occidentali eccleſiæ, alter uero orientali præſideret. Haud. n. defuerunt, quib. hoc probabile ſit iudicatũ. Vt ſi inter Romanã & Cõſtantinopolitanam eccleſias diſſidiũ oboriretur, quod aliter pacari nõ poſſet, q̃ ſingulis earũ ſingulos cõcedendo põtifices. Apparet enim nil di uini iuris tali inſtituto aduerſari: quia uterq; eſſet Chriſti uicarius alteri minimè ſubditus. Atqui ſi totus orbis orthodoxã fidẽ ſuſcepiſſet, adeò non apparet incongruum, ut uideri cuiq̃ poſſet congruentiſſimũ unũ uni Hemiſpherio atque alterũ alteri præficiendũ. Nihilominus reſpondetur hmõi opinionẽ eo uſq; eẽ errorẽ, ut ſit ẽt hæreſis: qm̃ Chriſtus unicã monarchiam inſtituit, cui unũ ſui uicariũ prætulit, ſicut ipſe unicus eſt rex regni cœlorũ, quẽ ideo conſtituit eſſe ſummũ caput, cui uniuerſalis eccleſia pareret. Repugnat aũt duos eſſe, & utrunq; ſummũ. ¶ Sed forſan moroſus & importunus ſic nos redarguat. Quãuis conſtet Chriſtũ dñm perſonã Petri ſuo ſibi loco ſubſtituiſſe paſtorẽ, non tamẽ inde palã colligitur inſtituiſſe, ut eius ſucceſſores apicẽ illũ ſemper tenerent. Rñdetur tamen, q̃ uerba ipſa, ſuper hãc petrã ædificabo eccleſiã meã, & Tibi dabo claues &c. & paſce oues meas, palàm demõſtrant illa rõne eccleſiã uſque ad poſtremũ diem orbis duraturam fundaſſe, ut Petri ſucceſſores perĩde ac Petrus ipſe uice Chriſti fungerẽtur, atque adeò unuſquiſq; eorũ ſummũ in eccleſia faſtigiũ teneret. Põt tamẽ ſuos legatos ad diuerſas eccleſias delegare cũ plenitudine poteſtatis, ut ſæpe aſſolet, nõ tamen ſupremam à ſe poteſt abdicare poteſtatem, quin illos ualeat amouere, & cauſas, ſi ab illis appellaretur, cognoſcere.

¶ Vtrùm autem culmen hoc ſummæ dignitatis iure diuino in eccleſia Romana conſiſtat, ita ut epiſcopus Romanus & Sũmus Pontifex ſint diuino nexu coniuncti non eſt tam certũ quàm nonnulli arbitrãtur. Porrò Caietanus cap. 3. apologiæ de primatu papæ adeò hoc pro conſtanti habet, ut cenſeat iure diuino electionem põtificis maximi ad clerico Romanos ſpectare, ſicuti & eligere ſuum epiſcopũ. Idq; per illam hiſtoriã cõfirmat, quæ narrat, q̃ cùm Petrus carcerib. abſolutus ab urbe exiret, obuius ei Chriſtus dixit, Vado Romã iterũ crucifigi: quã utiq; hiſtoriã Inn. cap. per uenerabilẽ. Qui filij ſint legitimi. ad idẽ ꝓpoſitum allegauit. Inde em̃ colligit Caiet. mandatum fuiſſe Petro diuinitus, ut urbẽ reuerſus illic uitam finiret, atque adeò morte ſua ſummũ orbis ep̃atum ſibi cõmiſſum ſtabiliret eſſe ep̃atum Romanũ. Ita q̃ epiſcopatus orbis & ep̃atus urbis non ſunt duo cõiuncti, ſed ep̃atus urbis in ep̃atum orbis fuerit erectus. Hæc autẽ ſubtiliter quidẽ dicta ſunt, in quib. amplectendis nihil fortè ſubeſt periculi. Attamen primũ hiſtoria illa, quã Egeſyppus lib. 3. de excidio Hieroſolymitano, & Ambroſ. lib. 5. epiſto. refert, non tanta pollet autoritate. ut rei tanti momenti ſolidũ ſit fundamentũ. Quare nec Innoc. ut ſacram refert. Præterea quanuis hiſtoria infirma nõn eſset collectio tamen nõ eſt ſatis firma. Nam etſi inde utrunq; colligatur, uoluntatẽ Chriſti dñi fuiſſe, ut apoſtolus Romã ſui ſanguine rubricaret: tenuiſſima tñ eſt rerũ conſequentia, ut ſubinde uoluerit ſedem Romanã ſic eſſe ſedem Pontificis ſummi, ut nulla ratione eccleſia poſſet illas ſeiungere. ¶ Duo ergo ad quæſtio nẽ dicenda uidentur. Primum, rem eſſe impendio decentiſſimam, ut Romana ſedes Petri ſanguine decorata, ſit ſedes ſucceſſorum Petri. Id quod hactenus oĩm conciliorum ſanctionibus, & pontificum decretis qui hucuſq; præceſſerunt, confirmatur. Et hoc eſt quod Inn. uoluit docere. Sed hac non obſtante ueritate, nulla profectò ex euangelio prohibitio planè colligitur, quominus poſſet eccleſiæ conſtitõe fieri, ut eps orbis ſedẽ ſuã ab urbe demutaret. Imò ut nullã ſibi particularẽ eccleſiã applicaret, cui' diceretur antiſtites, ſed eẽt uniuerſalis mũdi ep̃us, cui oẽs particulares ſubijcerẽtur. Primũ, qa ĩ hoc more exẽplũ apoſtolorũ referret, q inquã tũ apoſtoli, ep̃i fuerũt uniuerſales totius mũdi, quãuis re uera fuerint in orbẽ nutu ſpũs sãcti diſperſi. Secũdo, qa cùm Petrus qñ inſtitutus fuit a Chro uniuerſalis eccleſiæ caput, nulli fuerit particulari addictus, nullã rõ cõuincit, ut p eius mortẽ fuerit iure diuino adſtrictus eccleſiæ Romanæ. Quapp ſicut ipſe Antiochię ſeptẽ annis ſedit, & poſtmodũ ſe Romã cõtulit, ita unus qlibet ſuorũ ſucceſſorũ, nullo uetãte diuino iure, uidetur poſſe ſedem mutare. Hæc aũt ſic à me dicta ſint, ut tñ ſemper Romanis pedibus meum ſubmittã caput.

Sol. dubij.

Redargutio.

Dilutio.

Legati papæ.

An papa debeat eſſe epiſcopus Romę.

Caieta.

Hiſtoria Petri.

Caietã.

Sententia authoris.

Egeſyppus. Ambroſ.

Sol. ſecũdi.

Primum dictum.

Secundum dictum.

Ratio. 1.

Ratio. 2.

Diſtin-

DISTINCTIO uigeſimaquinta de ordinantibus & ordinatis & eorum exemptione.

Textus. Cap. j.

HIVS autem ſacramenti miniſter omnis ſolusq; epiſcopus cenſetur. Sunt etenim qui pontificia dignitate funguntur, ueluti publici adminiſtratores politiæ eccleſiaſticæ, quibus de priuatis miniſtris ac miniſterijs diſponere incumbit. Et cum autore ſuper Ioan. Auguſt. ſacramentorum adminiſtri non ſua propria, ſed Chriſti facultate illa diſpenſent (nam ea fuit facta Baptiſtæ reuelatio. Super quem uideris ſpiritum deſcendentem &c. ipſe eſt qui baptizat) conſequens ſit, ut quacunque fuerint epiſcopi crimi nis labe, etiam hæreſis, intincti, & quomodocunque ab eccleſia fuerint præciſi, ueram et ſolidam ſacramenti ſubſtantiã conferãt: tametſi ſuſcipientes, qui id uel non ignorant, uel noſſe tenentur, gratiam ſacramenti minimè ſuſcipiant. Quę quidem ueritas confeſſio eſt eiuſdem Aug. lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani, quæ refertur can. Quod quidam. 1. quæſtio. 1. ac perinde Greg. di. 68. can. Sicut ſemel. Nihilominus qui per ſimoniam hoc ſacramento initiantur, irregulares iure ſunt, atque uſu ordinis ſuſpenſi, ut Leo Papa can. Gratia. & Gregor. can. Quicunque ea. can. & q. admonitum curarunt. Cap. 13.

Tract. 5.

¶ Qua uerò parte res ad ſuſcipientes ſpectat, fœmineus ſexus huic ſuſcipiendo ſacramento ſic eſt ineptus, ut etiam ſi id fœminæ attentent, nullum ſuſcipiant: eſt enim ſacramentum hoc prælationis, quæ fœminas ſuopte ſexu non decet. Vt enim Chriſtus, autore Paulo, caput eſt uiri, ita et uir mulieris. Vſus autem rationis non eſt de eius neceſſitate: at quia maiores ordines uotum habent annexum, illos ante rationis lucem ſuſcipere, meritò Cap. ij. 1. Corin. 11.

eccleſia

Universidad de Deusto
Biblioteca

ecclesia uetat. Quocirca qui illos tunc susciperet, nullo colligaretur uoto. De ætate uerò ordinandorum in concilio Viennensi sub Clemente pontifice c. Generalem. eod. titu. sancitum est.

Cap. 3. Cap. ut filij de fil. presbyter. ¶ Arcentur quoque ecclesiæ cohibitione, ut absque dispensatione hoc sacramento non fruantur, primum illi, qui non sunt legitimo matrimonio nati. Mox qui insigni corporis uitio fœdati sunt, aut membro mutilati. Deinde & serui. Ac demum ab eodem sacramento repellitur, tum bigamus, tum & homicida, & membri mutilator, ut tit. de homicidio cauetur. Polygamia nanque significationi sacramenti desponsationis Christi & ecclesiæ contraria est, & homicidium eius dignitati repugnat. Præter hæc demum alia sunt impedimenta, à diuersis delictis emanantia, quæ homines à regula excipiunt & excludunt, quam ecclesia ad ordines promouendis præscripsit. Unde irregularitatis nomina sortiun-

Distin. 14. per totam.

tur. De quibus sacri canones ac decretales nos admonent. Hæc autem omnia impedimenta non quidem substantiam sacramenti auersantur, sed sunt præceptis aduersa.

¶ Ad hæc & morum integritas, & iusta scientiæ copia, unicuilibet ordini accommoda, necessaria est, ut Gregor. in Pastorali docuit. Idq; illo Leuitico testimonio confirmauit. Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam, non offerat panem coram domino. Cap. iiij.

Quin uerò Paulus ipse ad Timoth. pulcherrimam morum honestatem ab illis requirit, qui uel ad presbyterorum ordinem, uel ad diaconorum ascisCuntur. Iustam uerò lineam hæretici hac de re iniquè transcendunt dicentes, lætalem quamuis labem clericum de suo ordine deijcere. Sed satis pestilentem eorum errorem testimonium illud citatum Ioan. interprete ibidem August. condemnat. Super quem uideris spiritum descendentem etc. ipse est, qui baptizat. Colligitur enim

1. Ad Timothæum 3.

enim inde gratiam non à ministro, sed à Christo pendere, quam ipse per sacramentum infundit: & ideo ministri uitiositas, dummodò characterem sit insignitus, neque sacramenti substantiæ obstat, neque uerò effectui gratiæ.

Cap. v. ¶ Omnes igitur, qui ordinum sacramentis illustrati sunt, ad ecclesiasticam rempublicam pertinent, quæ utique potestas est & facultas à ciuili distincta, illiq; adeò superior: siquidem Petrus uniuersalis pastor beneficio Christi institutus fuit totius eius familiæ. Quam ob rem Pontifex maximus, licet non absolutè, ut ciuilis protentatus uniuersalis sit rex regnorum omnium temporalium, tamen in ordine ad spiritualem ecclesiæ administrationem ea fungitur in omnes reges & regna facultate, ut possit bonis omnium temporalibus uti, cunctosq; principes ac reges, etiam usque ad eorum priuationem, cogere. Qua utique ratione meritò cẽsetur utriusque gladij potentia pollere: hanc enim potestatem & Christus assumpsit, et nisi uicario suo commisisset, non satis ecclesiæ consultum curasset.

¶ Quocirca ecclesiæ ministri in suis rebus & causis ecclesiasticis & spiritualibus eo ipso diuino iure, quo ecclesiastica potestas instituta est, censentur à ciuili potestate exempti. Sed & quòd eorum personæ in alijs criminibus & causis secularibus sint à foris secularibus liberę, quàm maximè est eidem diuino iuri consentaneum. Imò uero quanuis ius diuinum de re hac non esset expressum, in summo pontifice ea est diuina potestas, ut ualeat clericorum ordinem, & uniuersa eorum bona à ciuilibus iudicijs, tributis & exactionibus prorsum excipere, iuxta tenorem sacrorum canonum, quibus. 11. quæst. 1. et alibi frequenter res hæc sancitur. Cap. vj.

Distin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISTINCTIONIS uigesimæquintæ, Quæstio prima, de ordinantibus & ordinandis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm omnis, solusq; Episcopus sit huius sacramenti minister.

COnstituto ordinis sacramento cum suis annexis, subsequitur de ejus causa efficiente & suscipiente, ac de ecclesiæ potestate & libertate dicere. Hæc ergo distinctio duas cupit quæstiones. Arguitur igitur, quòd non solus episcopus possit ordinare. Partis negatiuæ argu. primũ. Ordinantis proprium munus est materiam tradere ordinato, & manus ei imponere: uiget autem ecclesiarum multarum usus, ut archidiaconus materiam subdiacono, acolyto, & inferioribus tradat: item sacerdotes omnes adstantes manus post episcopum presbytero, qui ordinatur, imponant (dist. 23. can. Presbyter.) Ergo non solus episcopus minister est conferendi ordines. 2. Argum. ¶Secundò. Ea quæ sunt ordinis non possunt alteri committi, quàm eis quibus ex officio incumbit: sed ex commissione papæ presbyteri cardinales minores ordines conferunt, imo potest hoc simplicibus presbyteris committi: ergo nõ solus episcopus potest ordinare. 3. Argum. ¶Tertiò arguitur, quòd non omnes episcopi quidem sunt, quod uerò ordinare nequeant, uidetur affirmare Innoc. in can. Arrianos. 1. quæstio. 1. ubi ait, Arrianorũ clericos non esse suscipiendos tanquam habentes sacerdotij aut alius ministerij dignitatem: quia solùm eorum baptisma ratum esse permittitur, quod in nomine patris, & filij & spiritus sancti perficiuntur. Quartum argumen. ¶Quartò. Episcopus, qui per simoniam sacros ordines diuenderet, uidetur nullum perficere sacramentum: nam qui sacramentum contra eius naturam dispensare contendit, nullum perficit, ut si ecclesiæ intentioni contraueniret: natura autem & institutum sacramenti est gratiam conferre: uendere autem est non gratis dare, quod gratiæ opponitur, ergo ille intentioni Dei contrarius est, atque adeò eius sacramentum non exhibet. ¶In contrarium autem: scilicet, quod solus episcopus sit huius sacramenti minister, est q̃ sacramentum ordinis excellentius est confirmatione: sed confirmare; ut dist. 7. conclusum est, soli episcopi ualent: ergo & ordinare illis solis competit. Quòd autem omnis episcopus ordinare possit, inde patet, quòd etiam hæretici baptizare ualẽt: ergo & ordinare.

Pars affirmatiua.

¶Quæstio hæc de ministro huius sacramenti, quoniam dist. 1. q. 5. abundè de ministris sacramentorum in genere discussa est, fastidium nunc generaret si prolixiùs deduceretur. Sub compendio ergo quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Solus episcopus ex officio est huius sacramenti minister. Probatur ratione optima S. Thomæ. Episcopi dignitas est in ecclesiastica republica id, quod politica: id est, ciuilis & publica potestas in republica seculari respectu inferiorum artium & artificum: ad publicam autem ciuitatis potestatem, ut 1. Ethico. autor est Philosophus spectat commune bonum dispensare, atque adeò de artibus & magistratibus reipublicæ disponere: hoc est, instituere quã quisque debeat artem exercere, & quem administrare magistratum: ergo episcopi munus est unum quemque in diuinis ministerijs collocare. Quam ob rem eius functio est, populum confirmare: eo quòd per illud sacramentum Christianus instituitur Christi miles ad protegendam fidem uirginesq; benedicere, quæ imaginem præse ferunt ecclesiæ Christo desponsatæ, cuius scilicet ecclesiæ cura ipsi potissimùm incumbit: & fortiori ratione ei congruit eiusdem ecclesiæ ministros sacris ordinibus initiare, templaq; subinde, uasa & uestes, quibus utuntur, benedicere: instar secularis principis, qui publica officia & magistratus inter ciues distribuit.

Decisio articuli.

Prima conclusio.

Ratio conclusio.

Aristote.

¶Quòd si quis arguat. Plus est corpus & sanguinem Christi conficere, q̃ ordines conferre: sed simplex presbyter põt prius: ergo & posterius. Negatur consequẽtia; fallax. n. est regula, ut quicunq; potestma ius, possit minus, qñ illud minus præsupponit potestatem maioris. Potestas enim ordinandi præsupponit potestatem consecrandi, & quidpiam super addit.

Obiectio.

¶De

¶De hæreticis autem & ab ecclesia discissis fuerunt opiniones tres errantium autorum. Prima dicentium hæreticos, quandiu ab ecclesia tolerantur, posse conferre ordines, non tamen postq̃ sunt præcisi: id est, publica sñia condemnati & excommunicati. Alij uerò dixerunt, q̃ etiã si sint abscisi dũ tñ ante labem hæreseos fuerint ab ecclesia legitimè promoti, post eandẽ labem, si sua fungantur dignitate, ordinati ab eis uerum sacramentũ obtinent. Si tamen non ab ecclesia legitimè, sed ab hæreticis fuerint promoti, & sacramẽtum ordinis administrare tentent, nullum præbent. ¶Aduersus has tamẽ contrarias opiniones statuitur secunda huius articuli cõclusio. Hæretici quicunq;, etiam præcisi, quanuis non ab ecclesia prius legitimè, sed ab hæreticis fuerint promoti, uerum ordinis sacramentum, si id attentent, utique conferũt: tametsi iure sint ab ecclesia prohibiti, & ideo dum conferunt, mortaliter peccent. Postrema hæc pars certissima est apud omnes: scilicet quod peccent. Ambæ tamen priores probantur. Nam, ut Aug. tract. 5. super Ioan. ait, sacramentorum ministri non sua propria potestate. sed facultate Christi sacramenta conferunt, iuxta illud Ioanni Baptistæ reuelatum, Super quem uideris spiritũ descendẽtem, &c. ipse est qui baptizat: ergo in ministro essentialis qualitas est, ut intentionem habeat conferendi id, quod Christus ac perinde ecclesia intendit, atque adeò formam legitimam & materiam obseruet: probitas autem morum, ac subinde persistentia in fide, non est nisi accidentaria, quæ ideo uirtutẽ principalis agentis impedire non ualet, si suscipiẽs sit dispositus, ut habetur de can. Nõ nocet. 1. q. 1. & can. Baptismus, de cõsec. dist. 4. atq; alijs quos in illa nostra. q. art. 5. allegauimus. Quòd si qs diuersã excogitet eẽ rõnẽ inter baptismũ & sacramẽtũ ordinis, ut cã. Quod qdã. 1. q. 1. §. Opponit aũt insinuatur. s. q̃ apud hæreticos manet ius baptizãdi, nõ tñ cõferendi ordines, Augustinũ eõsulat. li. 2. contra epist. Parmeniani. ca. 13. & defertur eod. can. Quod quidã. ubi docet, nullã esse cãm, ut qui baptisma inter hæreticos retinet, ius dandi amiserit, uel baptisma, uel ordinis sacramentũ. Vtrũque enim, inquit, tam baptisma, quàm sacer ordo sacramentũ est, & ideo neutrũ, quanuis ab hæreticis suscipiatur, iterare licet in ecclesia catholica. Et infra. Quia sicut baptisma in eis, ita mansit ordinatio integra. Et inferius. Sicut in baptismo, est ius, quod per eos dari possit: sic in ordinatione ius dandi est, utrunque quidem ad perniciem suam: quia peccant dando. Aliud est enim, inquit, habere, aliud perniciosè habere, aliud salubriter habere. Atque idem lib. 2. de unico baptismo repetit. Et Grego. dist. 68. can. Sicut semel. Qñ dicitis, ut ordinatus ab hæretico iterum ordinetur, ualde ridiculosum est. Accedit ratio manifesta: nam potestas, quæ per consecrationem suscipitur, nullo accidenti euentu deleri potest, aut tolli, sicut neque ipsa consecratio: quia nec consecrationes altar s & ornamentorũ delebiles sunt: ubi autẽ potestas permanet, usus etiã quamquam illicitus sit, suũ sortitur effectũ: nam ut supra dictũ est, character dicit nudã potentiã ad operandum, gratia uerò est habitus ad rectè operandum: episcopus ergo, qq̃ sit extra gratiam, sacramenta administrare potest, quanuis perniciosè. ¶Sed arguat forsan quispiam contra. Episcopus, ut dictũ est, characterẽ nõ suscipit, ergo nec indelebilem potestatẽ. Respondetur autem, quòd etsi non recipiat nouum; extenditur tamen in eo sacerdotalis character ad noua sacramenta dispensanda, atque adeò suscipit indelebilem potestatem.

Prima opinio.

Secunda conclusio.

Probatur postrema pars.

Ioan. 1.

An sit differentia inter hoc sacramentũ & baptismum. August.

Gregor.

Ratio.

Obiectio.

Dilutio.

¶Alia uerò secunda opinio, quæ aiebat, quòd qui ordines ante hæresim susceperunt, retinent in hæresi potestatem ordinandi, non tamen si illos ab hæreticis susceperint, sibi ipsi non constat, sed pugnantia dicit. Nam si ordines, quos quis in ecclesia catholica susscepit, postea in hæresi retinet, consequitur, ut qui ab ipso eodem hæretico fuerint ordinati, ueros quoque suscipiant ordines, atque adeò ipsi alios subinde ordinare queant.

Secunda opinio.

¶Tertia opinio in aliud peccabat extremum: nempe, quòd hæretici non solùm uerum sacramentum ordinis conferunt & characterem, uerùm supremum etiã effectum gratiæ. Contra quos subiungitur tertia conclusio, quæ sit quarta, eademq; uerissima, opinio. Illi, qui ab hæreticis ordinantur, gratiam non suscipiunt: quia cùm illis interdicta sit sacramentorum administratio, sit ut

Tertia opinio.

Tertia cõclusio.

qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui illis seſe ordinandos ſubmittunt, eorum ſint participes criminis, atque adeò obicem gratiæ opponant. Quapropter ſicut illi perniciosè conferunt, ita & hi perniciose ſuſcipiunt, atque adeò ſic charactere ſacramentali inſigniuntur, ut tamẽ eius gratia fruſtrentur. ¶ Quod autem de ſacramentis hæreticorum dictum eſt, id de ſacramentis quomodocunque ab eccleſia præciſorum eſt intelligendum. Qui cunque enim uerè epiſcoporum, quanuis excommunicatus ſit, uel ſuſpenſus, uel irregularis, uel degradatus, uel ſchiſmaticus, uel apoſtata, ſi ordines adminiſtrare attentet, uera ſacramenta perhibet. Et eadem ratione ſi baptizat, confirmat, conſecrat, uel extremam unctionem adminiſtrat. Secus autem de ſacramento pœnitentiæ: nam ad alia conferenda ſacramenta, ut uerè ſint ſacramenta, ſufficit poteſtas ordinis per indelebilem characterẽ, ſed ad abſoluendum requiritur præterea iuriſdictio. Quocirca qui iuriſdictione orbatus eſt, aut ab eius uſu ſuſpenſus, neminem abſoluere iure ualet, neque abſolutio tenet. ¶ Hic tamen decreti Conſtantienſis concilij meminiſſe oportet, cuius tenore euitare non tenemur niſi nominatim excommunicatos (in quibus comprehenduntur hæretici) & præterea manifeſtarios clericorum percuſſores, ut diſtin. 22. dictum eſt. Quòd ſi hæretici uera ſacramenta conferunt, multò id minus impedit aliorum quoruncunque morum corruptio, ut Auguſ. tract. 5. ſuper Ioan. qui refertur can. Baptiſmus. de conſecra. diſtin. 4. autor eſt. Non enim, inquit, timeo adulterum, non ebriosum &c. quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic (ſcilicet Chriſtus) eſt qui baptizat. Imò uerò & iſtorum ſacramentum gratiam conferre poteſt: quia ab illis ſuſcipere non eſt peccatum, ſicut ab hæreticis.

Conciliũ conſtantiẽſe.

Auguſt.

Quarta concluſio.

¶ Quarta demum fuerit hic conſtituta cõcluſio. Quanuis epiſcopus per ſimoniacã ſacramenti uenditionem ordines contulerit, & alius ſimiliter receperit, nihilominus uerum eſt ſacramentum: tametſi recipiens ſi aut ſimoniam fecerit, aut nouerit, lumine gratiæ non infundatur. Concluſio liquidò ex ſuperioribus conſequitur: nam illic omnia, quæ ſunt de eſſentia ſacramenti conueniunt: ſcilicet, materia, forma, & intentio tam ſuſcipientis quàm conferentis: ob idque neutrius iniquitas, ut quæ ad eſſentiam ſacramenti accidentaria eſt, poteſt eius ſubſtantiam & characterem impedire, ſed ſolam gratiã. Adde quòd infidelitas & apoſtaſia grauiora ſunt crimina, quàm ſimonia: ſi ergo illa non obſtant, quominus uerum ſit ſacramentum, ſit ut nec ſimonia. Attamen qui per ſimoniam ordinibus initiantur, irregulares iure Pontificio fiunt, atque adeò à ſuorum ordinum uſu ſuſpenduntur, ut cauetur decreto Leonis, can. Gratia. & can. Quicunque. qui eſt Gregorij, & can. Si quis epiſcopus. qui eſt concilij Chalcedonenſis. 1. q. 1.

Simoniacè ordinati irregulares ſunt.

¶ Ad primum igitur argumentum reſpondetur, quòd quanuis quibuſdam eccleſijs in more habeatur, ut archidiaconus materiam uel ſubdiacono, uel inferioribus ordinatis præbeat, nihilominus epiſcopus eſt, qui formam profert, & ſacramentum perficit. Præſertim cùm hæc conſuetudo ſecundùm Pontificale Romanum iam modò non perſeueret. Impoſitio uerò manuum, quæ fit ab alijs presbyteris, non eſt ſacramentum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd etſi ſacramentum ordinis conferre epiſcopis ex propria facultate incumbat, nihilominus papa ex plenitudine poteſtatis poteſt illam functionem delegare, quippe cùm ad euchariſtiam ordinem immediatum non habeant. Quam ob rem, ut diſtin. 17. dictum eſt, poteſt & ſacramentum confirmationis ſimplici presbytero committere, & eadem ratione, ut minores conferat ordines, non tamen ut exhibeat maiores: ſcilicet, ſacros ordines, qui ad euchariſtiam proximè referuntur. Vnde bonum ſumitur argumentum, minores ordines non eſſe ſacramenta. Epiſcopus uerò nullam huiuſmodi commiſſionem facere ualet. ¶ Abbatibus autem iam eſt facultas iure conceſſa, ut minores ordines adminiſtrent, diſtinct. 19. cano. Quoniam. & de ætate & qualit. capi. Cùm contingat. quanuis illic non fiat mentio niſi de oſtiariatu. Sed tamen presbyteri cardinales id faciunt ex conſuetudine, quæ eſt legis interpres. Atqui. Hoſtien. ſuper eod. ca. Cùm contingat cẽſet primam tonſuram poſſe à presbytero parochiali conferri, cui Panor. cap. Quanto. de conſuetudi. adſtipulatur. Vſus tamẽ eccleſiæ reclamat: & ideo non eſt tenendum.

Solu. 1. ar.

Solu. ſecundi argum.

Abbates nequeunt ordines minores conferre.

Prima tonſura an poſſit à parœciano conferri.

Sol. tertij argum.

dum. Poteſt id tamen presbyter ex commiſſione papæ, ſicuti ordines minores dare. ¶ Ad tertium uerò reſpondetur, Innocentium id duntaxat intelligere, quòd ordinati ab hæreticis non ſuſcipiunt ordinum dignitatem, quantum ad eorum exe cutionem: quia prohibiti ſunt ſacramenta adminiſtrare. Et hoc eſt quod inferius dicit, epiſcopos hæreticos non dare ordines ſecundùm plenitudinem, id eſt, debitè cum gratia. Idemq; ait can. Si perfectionem. eadem. & quæſt. quia ſicut ipſi plenitudinem ſpiritus ſancti perdiderunt, ne poſſint adminiſtrare ſacramenta, ita neque illam plenitudinem ordinatis impertiuntur. At quia non ſunt prohibiti baptizare in extrema neceſſitate, poſſunt conferre plenitudinem baptiſmi: ſcilicet, gratiam. Et hoc eſt, quod ait Papa, ſolum baptiſma illis concedi. Simili interpretatione ad alia teſtimonia reſpondendum, quæ Magiſt. ſentent. diſtin. 25. refert, & Gratianus. 1. q. 1. Vt eſt illud Gregorij can. Superueniente. ubi hæreticorum ſacramẽta appellat perfida & ſacrilega. Et illud Cypriani cano. Si quis inquit. ubi ait, quæcunque faciunt hæretici carnalia eſſe, & inania, & ſacrilega. Quanuis Cyprianus in hoc nimius fuerit: quippe qui illa hæreſi quandoq; ſorduerit, ut baptizati ab hæreticis eſſent rebaptizandi. Et illud Hieronymi in Aegæum prophetam, & refertur ibidem cano. Si hic populus & can. Illi offerunt. ubi ait, omnia, quæ ab hæreticis fiunt, in conſpectu Dei eſſe contaminata & polluta. Atq; illud Leonis papæ can. Manifeſtum, quo ait in Alexandrina ſedę propter hæreſim omne cœleſtium ſacramentorum lumen extinctum, & chriſmatis ſanctificationem, atque alia myſteria eſſe ſubtracta. Hiſce, inquam, omnibus atque his ſimilibus hoc tantum admonemur, quòd hæreticorum ſacramenta quãtùm ad gratiæ fructum ſunt inania, Deoque ingrata, quia culpæ ſordibus maculata & polluta: non tamen negantur eſſe uera ſacramenta. ¶ Eodem tenore reſponde tur ad quartum: uidelicet, quòd & ſi qui contra ſacramenti naturam ſacramentum tentaret perficere, nihil faceret, ut ſi intentionem eccleſiæ non haberet, aut legitimam materiam & formam non applicaret: tamen qui huiuſmodi ſubſtantiam ſeruans effectui ſacramenti contrarius eſt, nihilominus ſacramentum confert, ſed ſine gratia.

Gregor.

Cypria.

Hierony.

Leo Papa.

Sol. quarti argum.

¶ Labes autem ſimoniæ ſolùm eſt obex gratię, non tamen characteris. Attamen quia qui per ſimoniam ordines ſuſcipiũt, uſu eorum interdicti ſunt, perinde de illis quandoque loquuntur canones, acſi non eſſent ordinati. Et ſic intelligendum eſt illud Gregorij cano. Quicunque. 1. quæſt. 1. Quicunque ſtudet per pretij dationem ſacrum ordinem ſuſcipere, ſacerdos non eſt, ſed inaniter tantummodo dici concupiſcit. Et inferiùs. Quicunque ſacros ordines emunt aut uendunt, ſacerdotes eſſe non poſſunt. Senſus enim eſt, quòd qui alios ordines ſimoniacè ſuſcepit, irregularis ſit, ut non poſſit fieri ſacerdo. Qui uerò ſacerdotium per huiuſmodi nequitiam ſuſcepit, dicitur non eſſe ſacerdos, quia prohibitus eſt, ut ſacerdotem ſe gerere. Et eodem ſenſu intelligitur illud cano. Si quis epiſcopus. Qui per ſimoniam ordinatus eſt, nihil ex hac ordinatione proficiat, ſed ſit alienus à dignitate: hoc eſt, ab eius uſu. Similiter can. Qui per pecuniam, ex octaua ſynodo, alienus à ſacerdotio iubetur eſſe. Eodem modo intelliguntur reliqui canones, ubi ſimoniacè ordinati pronunciantur dignitate carere.

Simoniæ.

Gregor.

¶ Occaſione huius particulæ ſimoniæ, quæ in ſacris ordinibus accidere poteſt, Sententiarum interpretes totam hic concitant ſimoniæ materiam, cui profectò ineptè & præter ordinem hic datur locus. Eſt enim materia non ordinum, ſed iuſtitiæ, de qua S. Tho. 2. 2. q. 100. copioſe diſputat, & nos longè lateq; li. 9. De Iuſti. & Iure pro captu noſtro diximus, ubi q. 8. artic. 1. quæ ad hanc ordinum ſimoniam ſpectant, ſcripta reliquimus.

Simoniæ materia.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm fœmineus ſexus ſacramenti ordinis ſit capax.

SVbſequitur ſermo de ſubiecto ordinum: nempe, de qualitate & ætate ordine præficiẽdorũ, ut titulus haber decretaliũ: q ſcilicet ſint quos ordinare liceat ac de-

Impedimẽta ordinandorum.

ceat. Vbi adnotandam est, impedimenta, quę ordinandis obstant, quædam esse naturalia, ratione quorum personæ dicuntur ordinum incapaces, ut sexus fœmineus & hermaphroditus in talem sexum inclinans, & monstrum, quod sine legitimis membris ad obeunda ordinum ministeria nasceretur, & perpetuò amentes. Alia sunt impedimenta, quæ irregularitates dicuntur: & sunt illa, quæ ex facto aut defectu accidũt. Vnde Irregularitas est canoni cum impedimentum ex facto seu defectu proueniens ad ordines sacros, uel suscipiẽdos uel exercendos. Et dicuntur irregularitates: quia homines à regula excipiunt, quam in ordinibus suscipiendis ecclesia præscripsit. Itaque irregularitas capacitatem naturalem supponit: quare mulier siue bigama sit siue homicida, non est irregularis: quippe quæ ut non est ordinis capax, ita nec irregularitatis. Ex quo fit non omne impedimentum ordinum esse irregularitatem: nam excommunicati & suspensi ordines nec suscipere nec exercere ualent, & tamen non ideo irregulares sunt: quia illud impedimentum non in ipsis per modum habitus inest, sed est ecclesiæ prohibitio in tempus, quo cessante homo fit habilis, sed si excommunicatus celebret, tunc fit irregularis ratione delicti. Subsequitur secundò, irregularitatem non diuino aut naturali iure, sed solo Pontificio esse impedimentum, ut Innocentius capi. Nisi cùm pridem. de renunciatio. adnotauit. & Syluest. uerb. Irregularitas. q. 28. Quocirca illegitimè natus, quanquam habeat impedimentum naturæ, irregularis nihilominus dicitur: quia iure diuino & naturali capax est, nisi ecclesia eum à regula excipiat. Itaque inter incapacem & irregularem hoc est discrimen, quòd incapaces diuino naturalique iure inepti uel ad ordines sunt, uel ad eorum usum, ut in subsequentibus luculentius explicabitur: irregulares uerò iure sunt canonico excepti & exclusi. Quapropter qui cum aliqua deformitate nascitur uel in oculo uel in naso, perinde est irregularis acsi casu ei accideret: quia non diuino, sed ecclesiastico iure uitium reputatur. Irregularitas autem in tria membra diuiditur. Contrahitur enim aut ratione defectus, aut ratione sacramenti, aut ratione delicti. Defectus, ut tam in-

Irregularitates.

Irregularitatis definitio.

Irregularitas unde.

Fœmina non dicitur irregularis.

Nota.

Irregularitas iure Pontificio statuta.

Illegitimè natus.

Incapacis & irregularis discrimen.

Nota.

capacitates: hoc est, naturales ineptitudines, quàm irregularitates comprehendamus, sunt sex: scilicet, sexus, rationis, libertatis, ætatis, corporis & animæ. Defectus nanque religionis: uidelicet, defectus baptismi, quo suscipitur Christianismus, non particularis defectus ad hoc sacramentum, sed ad omnia alia suscipienda existit. & ideo hic cum alijs non connumeratur. Ex parte uerò sacramenti: nempe, quia dignitati aut significationi eius obstant, sunt tres irregularitates: putà, bigamia, homicidium, & mutilatio membri. De his ergo octo defectibus & irregularitatibus articuli isti duo tractant. In quorum calce irregularitates ratione delicti summariè appendentur.

¶ Qualitates igitur eorum, qui huic sacramento inepti sunt, partim ad naturam spectant, partim ad conditionem fortunæ, & partim ad morum & scientiæ dignitatem. Arguitur ergo, quòd fœmineus sexus non sit ab ordinibus sacris arcendus. Ordinũ potestas non corpori, sed animæ inest: in anima uerò nulla est sexuum discrepantia, ergo etiam fœminæ sunt ordinibus suscipiendis idoneæ. ¶ Secundò. Donum prophetiæ & prælationis officium, præstantiora esse uidentur ordinibus sacris: prophetiæ autem donum mulieribus concessum est, ut 4. Reg. legitur, & Debora, ut Iudic. 4. refertur, iudex fuit in Israel: ergo & mulier ad ordinum gradum assumi potest. ¶ Tertiò. Si sexus fœmineus suscipiendis ordinibus incongruens esset, multò magis puerilis ætas, cui rationis lumen nondum affulsit: defectus autem ætatis nõ obstat, ut extra de clerico per saltum promoto sancitur.

¶ In contrarium tamen est quod. 1. ad Timoth. 2. Apostolus, mulierem docere in ecclesia non permittit nec dominari in uirum: unde colligitur, quòd neque ad ordinis sacramentum, quod eminentiam super uiros significat, sit admittenda.

¶ Pro solutione quæstionis notandum est in suscipiente sacramenta quædam esse de necessitate requisita, quibus deficientibus non solùm res sacramenti: hoc est, gratia, uerùm nec sacramentum suscipitur. Quædam uerò etsi non sint de necessitate sacramenti, sunt tamen de necessitate præcepti, quæ ideo si desint, recipitur quidem sacramentum, non tamen res

Defectus sex.

Defectus baptismi.

Ex parte sacramenti tres.

Partis negatiuæ argumentum primum.

Secundum argum.

Tertiũ ar.

Pars affirmatiua.

Decisio articu.

sacramenti.

1. Conclusio.

sacramenti. ¶ Ad quæstionem ergo quatuor conclusionibus respondetur. Prima Sexus uirilis est de iure diuino de necessitate, non solùm præcepti, sed etiam sacramenti. Ita ut quauis mulier ordinem suscipere præsumeret, nullus esset, siue ex ordinibus sacris, qui sunt sacramẽta, siue ex minoribus. Quemadmodum de extrema unctione diximus, quam si quis in sanitate susciperet, nullum esset sacramentum. Probatur conclusio ratione potissima, quæ ex Christi institutione sumitur: quippe qui neque in cœna, dùm potestatem exhibuit consecrandi, neque Ioan. ulti. dum facultatem contulit absoluendi, fœminam ullam, sed solos uiros ordinauit, quauis sacratissima eius mater omnium esse dignissima. Et solos uiros fecit episcopos: nempe, apostolos. Ratio autem fuit congruentissima: nam qui sacris initiatur, in præeminenti gradu constituitur, quo alijs præsit: sexus autem fœmineus lege naturæ subditus est uirili, quam quidem legem Deus initio statim, quo uirum & fœminam condidit expressit dicens Gen. 3. sub uiri potestate eris, & ipse dominabitur tui: quare non decuit fœminam ad ullos ordines suscipiendos admittere. Et ideo si fœmina ordinari tentaret: quia sacramentum est signum rei sacræ: & hoc sacramentum est signum cõsecrationis ad gradus præeminentiam, esset signum falsum, atque adeò nullum esset sacramentum, ut de quadam papa refertur, quòd reperta fuit mulier. Quare inter hoc sacramentum & reliqua omnia nõ intercedit similitudo, ut si reliqua sint utriq; sexui communia, sit etiam & istud. Secundò, quia pulchritudinem ecclesiasticæ hierarchiæ maximè sexus fœmineus dedecebat. Etenim sicut teste Apostol. 1. Corint. 11. Christus caput est uiri, ita & uir caput mulieris: quia non uir ex fœmina primò, sed fœmina ex uiro sumpta est: in cuius signum mulier uelamen gestare debet super caput suum, cui ideo turpe est tonderi, aut decaluari: uir autem potest caput detegere, & tonderi: & cùm tonsura, ut dictum est, sit clericorum insigne, meritò à clericatu sunt fœminæ exclusæ. Tertiò quia ordines ecclesiastici inter alia officia ad docẽdũ sunt instituti: mulier autem, ait loco suprà citato Apostolus, in silentio discat cum omni subiectione, do-

Ratio conclusionis.

Ratio consequentissima.

Ratio secũda Paul. 1. Corin. 11.

Ratio tertia.

cere autem mulieri non permitto. Quartò, quia qui ordines suscipit, eo ipso habilis fit, ut fieri possit episcopus, qui quidem est ecclesiæ sponsus: mulierem autem non decet sponsum esse ecclesiæ, Christum repræsentantem. Atque hac de causa non solum maiorum ordinum non est capax, uerùm neque minorum, nec primæ tonsuræ, quanuis non sint sacramenta: quia sũt sacramentorum ordinis præambula. Et reuera lumen ipsum naturæ prima facie abfurditatem offert in fœmina, uel ad consecrandam & ad confessiones audiendas promoueretur: nam etsi aliquæ sint prudentes, sexus tamen ipse quandam rationis inopiam, & animi lenitatem præ se fert, atque adeò dedecus ad munia ecclesiastica obeunda. Vnde cap. Noua. de pœnitent. & remiss. tanquam execrabile condemnatur, quòd abbatissæ mouiales proprias benedicant, & ipsarum confessiones in criminibus audiant, aut quòd etiã legentes euangelium publicè prædicare præsumant. Quocirca can. Sacratas. dist. 23. uasa sacra, & sacratas pallas contingere, & incensum circa altare deferre etiam sanctimoniales prohibentur.

Quòd si quis canonem obijciat, Diaconissam. 27. quæstione. 1. ubi Diaconissæ ante quadragesimum annum ordinari inhibentur: & distinctio. 32. can. Mulieres. fit mentio de mulieribus, quæ apud Græcos erant presbyteræ, qua occasione Cataphrygæ illo tenebantur errore, ut mulieres ad sacros ordines admitterent. Respondetur, Diaconissas appellari illas sanctimoniales, quæ inter cæteras aliqua forsan benedictione erant lectionibus homiliarum & euangeliorum destinatæ in choro: nam diaconissa nihil aliud est quam ministra. Et similiter presbyteræ erant matronæ uiduæ: nam presbyter, ut diximus, idem est quod senior, quæ forsan apud Græcos eligebantur, ut curam haberent aliquam de rebus ecclesiæ. Sed prædicto can. cauetur, ne tam quam ordinatæ constituantur. ¶ Hinc fit hermaphroditum non licere ordinibus initiari, quousque constiterit quisnam sexus in ipso præualeat, tũ quia mõstrũ est, tum quia anceps, ut possit fœmineus sexus in eo præualescere. Si autem præualuerit uirilis, tunc uir est censendus. l. Quæritur. ff. de statu hominũ: atq; adeò huic sacramento:

Ratio quarta.

Ratio naturalis.

Cap. Noua.

Obiectio.

Dilutio.

Universidad de Deusto Biblioteca
Biblioteca Facultatis Philosophiae Provinciae Cast. Ord. Soc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cramento idoneus tunc orit.

Sol. 1. arg. ¶Vnde ad primum argumentum respondetur, quòd quanuis character in anima imprimatur, tamen quia non imprimitur nisi per sacramentum, quod debet esse eminentiæ signum, non imprimitur nisi in anima, quæ est corpori uirilis sexus coniuncta.

Sol. 2. arg. ¶Et per. hoc respondetur ad secundum, quod cùm prophetia non sit sacramentum, sed Dei donum, potest quidem mulieribus conferri. Debora autem præfuit in temporalibus.

An pueri ante usum rationis possint sacris initiari. ¶De pueris autem ante usum rationis Durandus distin. præsenti quæstio. 2. sustinet, nullos ordines posse suscipere. Opinatur quippe usum rationis esse de necessitate in suscipiente, non solùm præcepti, uerùm & sacramenti ordinis: ita q; si quisquam illud prius reciperet, nullum putat esse sacramentum. Et ratio eius prima est,

Ratio. 1. quòd absurdum uidetur, ut infans ante usum rationis possit uel sacerdos fieri uel episcopus. Secundò, quia ad susceptionẽ, inquit, cuiuslibet sacramenti requiritur intentio suscipientis uel propria, uel interpretatiua ex consensu parentum: infans uerò propriam habere non ualet: interpretatiuam autem habere ex consensu parentis non potest, nisi in ijs, quæ sunt de

Ratio. 2. necessitate salutis, qualis est baptismus: cùm ergo sacramentum ordinis non sit de necessitate salutis, non uidetur sufficere consensus parentum. Et confirmatur,

Ratio. 3. quia baptismus ad deletionem originalis culpæ institutus est, quam non propria uoluntate, sed peccato primorum parentũ contrahimus, & idcirco ad baptismum sufficit uoluntas parentum: quæ quidem ratio in sacramento ordinis non reperitur. ¶In contrarium autem statuitur con-

2. Conclusio. clusio, quæ sit huius articuli secunda. Ad suscipiendos minores ordines non requiritur, ut puer annos discretionis attigerit: imò usus rationis nec est de necessitate sacramenti, neque uerò expresse de necessitate præcepti, quemadmodum impręsentiarum ait S. Thomas: sed solum de honestate: quæ habet quandam præcepti rationem ne sine necessitate id fiat.

Prima pars Prima pars definita est, in titulo de clerico per saltum promoto, ubi ille, qui ordines minores ante annos discretionis suscepit, censetur non iterum eisdem initiandus, sed ad diaconatum promouendus. Et ad illud capitulum Durandus nõ respondet, eò fortasse, quòd non censuit esse sacramenta, quod nos supra similiter concessimus. Secunda uerò probatur, quia tanta posset ingruere necessitas, quæ primitiuæ ecclesiæ in usu erat, ut posset puer nondum rationis lumen ingressus minores ordines suscipere. Tertia demum pars, quòd sit contra honestatem & decentiam admonetur canon. Pueri. 1. quæstione. 1. Pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur: tametsi illic forsan sacri ordines non nominentur, nisi maiores. Ve-

Secunda pars conclusionis.

Tertia pars. runtamen cùm etiam per minores homo adscribatur diuinis officijs, non decet ante rationis lucem quempiam illis insigniri: nisi adsit necessitas. At uerò iam non est in usu ullam admittere necessitatem, ut ante usum rationis alicui huiusmodi ordines conferantur.

¶Tertia conclusio. Vsus rationis ad maiores suscipiendos ordines, quanuis non sit de necessitate sacramenti, est tamen de necessitate præcepti ecclesiæ: quare illic tunc collati uerè erunt sacramenta, tamen conferens mortaliter peccabit. Sententia est Ricardi distinctione præsenti. articu. 4. quæstion. 2. & Bonauenturæ, qui ait esse opinionem S. Thom. distinctio. præsenti. Vbi prioris partis rationem hanc subdit. Sunt enim, inquit, quædam sacramenta, quæ actum suscipiẽtis requirunt, ut pœnitentia, ubi requiritur contritio & accusatio: & matrimonium, ubi requiritur consensus: & ista non possunt ante usum rationis suscipi: illa uerò, quæ characterem imprimunt, nullum requirunt actum in suscipiente: quoniam uirtutes infusæ, sicut character, quæ sunt potentiæ supranaturales, sunt priores suis actibus: eo quòd non gignuntur ex actibus, sed ipsos gignunt: tametsi uirtutes acquisitæ sint actibus posteriores, quippe ex quibus generantur: prius autem suapte naturæ esse potest, sine posteriore: ergo nil uetat quominus ordines, etiam maiores, quæ sunt sacramenta, per quæ character imprimitur, cõferãtur puero ante usum rationis. Secũdò arguitur: quia confirmatio etiã si antè usum rationis conferatur, est uerũ sacramentum, ut dist. 7. diximus, imò eucharistia solebat

3. Conclusio.

Ratio. S. Tho.

Ratio. 2.

Ratio pro hibitionis. bat olim in aliquibus ecclesijs infantibus tanquàm uerum sacramentum porrigi. Præceptum autem ecclesiæ id propterea prohibet, quòd huiusce modi ordinibus uotum est castitatis annexum, quod nemo ante usum rationis emittere potest: ob idq; ordinans iniuriã instituto ecclesiæ facit. ¶Quod si roges utrùm huiusmodi ordinatus teneatur seruare castitatis uotum. Ricardus loco citato perplexè respondet, ait quippe secundùm aliquos cõtinentiam non esse annexam ordinibus, nisi sponte susceptis: sed secundùm alios esse annexam. Diuus uerò Thomas nihil ad hoc respondet, ob id fortasse, quòd rẽ ceu claram reliquerit. Et ideo non est credendum eiusmodi ordinatum teneri uoto castitatis, ut bene ait Paludanus distinctione præsenti quæstio. 3. licet uerum sacramentum susceperit, sed potest matrimonium contrahere: quoniam uotum natura sua requirit consensum. Secus de baptismo: nam quia est sacramentum professionis fidei, iure diuino paruulus baptizatus tenetur postmodum seruare fidem. Addiderim tamen, quòd nisi adueniente usu rationis in uotum ille castitatis consenserit, ab usu ordinum debet manere suspensus, maximè uerò qui matrimonium contraxerit, propter indecentiam.

Ordinatus ante usum rationis an teneatur uoto castitatis. D. Thom. Sententia authoris. Paluda.

Sol. tertij. argum. ¶Ad tertium igitur argumentum eorum, quæ in initio huius articuli proposita sunt, respondetur non esse parem rationem, ut quemadmodum defectus sexus, sic & defectus ætatis impediat sacramentum ordinis. Et ad primum argumentum Durandi conceditur indecentissimum esse infanti ordines maiores conferre, non solum propter præceptum ecclesiæ ad uotum annexum spectans: uerùm & propter ordinum dignitatem: quare utraque ratione esset peccatum, at nihilominus esset sacramentum. Episcopus autem, quippe cui populus committitur, nemo creari potest, nisi consentiens, atque adeò post rationis usum: quia episcopus dum constituitur, fit sponsus ecclesiæ, cuius cura nemini, nisi consentienti, concredi potest. Quanquam si re uera ante usum rationis consecraretur, extensionem sacerdotalis characteris modo expositio susciperet, non tamen animarum curam, donec consentiret. Quinimò neque presbytero eadem ratione potest animarum cura, nisi post usum rationis consentienti imponi. Vnde de præbendis capit. Si tibi absenti. libro sexto. censetur, quod si absenti beneficium conferatur, quousque ratum habeat, ius illi non acquiritur.

Diluitur primum arg. Durandi.

Sol. arg. 2. Durandi. ¶Ad secundum eiusdem Durandi argumentum, negatur, quòd ad susceptionem sacramenti ordinis, quantùm ad substantiam sacramenti, consensus exigatur, uel formalis suscipientis, uel interpretatiuus parentum, sed quemadmodum si renuentibus parentibus puer baptizaretur, sacramentum teneret, quia sufficit intentio ecclesiæ: ita si postquam baptizatus est, ordinaretur: quanquam utrunque, ut distinctione præsenti, quæstione. 3. bene ait Paludanus, iniustè fieret, si parentes reclamarent.

Episcopus creari debet consentiens.

Discrimen Durã. nullum. Neque quidpiam ualet Durandi discrimen, quòd quia baptismus est de necessitate salutis & contra originale peccatum, sufficiat consensus interpretatiuus ecclesiæ, non tamen in sacramento ordinis: nam postquam utrobique character imprimitur, utrobique sufficit ut suscipiens ipse non renitatur.

Obiectio. ¶Contra hanc uerò conclusionem quis forsan obijciat, inde consequi, perpetuò amentes posse quoque ordinari: quos tamen supra diximus esse iure diuino incapaces. Respondetur autem, quòd licet quispiam discrimen meditari forsitan possit inter pueros ante usum rationis, & perpetuò amentes, re uera tamen nullum est quantum ad substantiam sacramenti: sed si quis mente captus ordinaretur, ordinem susciperet, sicuti baptismum, si baptizaretur. Quòd autem diximus, iure diuino esse incapacem, intelleximus quantum ad usum. Quapropter peccatum esset mortale, idemque grauissimum sacrilegium, talem hominem in ludibrium sacramenti ordinare, quippe qui perpetuò esset usu carituDilutio. rus. Quod pueris ante usum rationis non accidit.

An in adulto requiratur consensus. ¶Hinc aũt emergit alia ambiguitas, utrũ in adulto requiratur cõsensus ad hoc suscipiẽdum sacramentũ. Ad quod respõdetur, quòd quis potest ordinari uel ui, uel metu. Si per uim renitẽs cogatur, certum

Ordinatus per uim.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ordinatus per metũ.

est sacramentum non susci pere, sicut nec reciperet baptismum, ut patet capitul. Maiores, de baptismo & eius effectu. Si uerò per metum, qualiscunque ille sit, consentiens ordinetur, uerum suscipit sacramentum, & eius characterem: imò & gratiam, si alium obicem non opponat: quia cùm illic re uera sit consensus, nihil eorum deest, quæ ad substantiam sacramenti exiguntur. Sed quantum ad uoti uinculum castitatis distinguendum est: nam si metus non fuerit cadens in constantem uirum, constat eiusmodi ordinatum illo uoto ligari. Si uerò fuerit illorum metuum, qui cadere in uirum constantem assolent, tunc in dubium reuocatur, utrùm uoti obligationem annullet. De qua re libro septimo. De Iustitia & Iure. quæstion. secunda, articul. primo, copiosiùs disputauimus. Non enim desunt Iurisconsulti, qui aiunt, uotum in foro conscientiæ apud Deum ualere, non tamen in foro ecclesiæ. Nam si ecclesia, inquiunt, eiusmodi uota irrita habet, ut capitul. Perlatum. De ijs quæ ui metuue cau. fiunt. est, quia ubi eiusmodi metus intercedit, præsumit nullum subesse consensum, & est opinio Panormitani in capitul. Cum locum. de sponsalibus. & Syluestri uerb. Metus. §. octauo. Quapropter idem Syluester in præsenti proposito uerbo. Ordo. 4. §. primo. recitat alios tenentes simpliciter eiusmodi uotum non tenere, moderatur ipse opinionem, dicens: quòd si coniugatus est per huiusmodi metum promouetur, non tenetur continere, imò potest licitè uxore uti. Si tamen sit uxore solutus, constringitur uoto. Et probat per Canon. De Iudæis. distinctione. 45. ubi qui per huiusmodi metum sunt baptizati, iubentur in religione Christiana uiuere. Et est sententia Hostien. At uerò contraria sententia, quam loco citato sustinuimus, semper est nobis probatior: uidelicet, in nullo foro huiusmodi uotum tenere, ut distinct. 29. quæstione. 1. articul. 3. iteratò monstrabimus. Neque est idem de baptismo: quia baptismus nõ est tam propriè uotum, quàm professio religionis, quæ non requirit alium consensum, quàm ecclesiæ, ut patet in infante dum baptizatur: & ideo ex mera natura sacramenti enascitur obligatio Christianæ religionis. Et re uera si qui non est coniugatus teneretur in illo casu uoto, ut Syluester concedit, pariter si esset coniugatus, non posset petere debitum, quod ipse non admittit: & ideo eius discrimen non est legitimum.

De uoto castitatis.

Iurisc̃ōsul torum opinio.

Sententia authoris.

Discrimen Syluc. nullum.

¶ Quo autem ad rem de ætate ordinandorum redeamus, adijcitur hic conclusio quarta. Quanuis iure diuino ad substantiam sacramenti nulla sit ætas distincta, nihilominus iure pontificio eiusmodi ætates decretæ sunt, & præfinitæ. Et iure quidem antiquo longiora ætatis tempora exigebantur, ut patet distinctione. 77. & 78. per plures Canones: nam ut habetur capitul. In singulis. dicta distinctio. 77. Ab infantia: hoc est, à primò septennio poterat quisque nomen ecclesiasticis ministerijs dare: hoc est, primam tonsuram accipere. Sed tres minores ordines non usque ad annum duodecimum, neque acolytatum usque ad quartumdecimum. Subdiaconus uero nemo quiuerat minor uiginti annis completis fieri, ut patet ex sexta Synodo cano. Subdiaconus. Neque diaconus ante uigesimumquintum, quod fuit decretum concilij Carthaginensis, Canon. Placuit. Neque uerò presbyteratum obtinere minor triginta annis, ut tota distinctione. 78. decernitur. Postmodum uerò in Concilio Viennensi sub Clemente quinto huiusmodi tempora decurtata sunt & in breuiora redacta, ut patet in Clemen. Generalem. De ætate & qualitate. libro sexto. uidelicet. ut non modò prima tonsura, uerùm & omnes minores ordines à septennio statim suscipi possint, tametsi hoc non in textu, sed in glossa notatum est. Ad subdiaconatus uerò ordinem promoueri potest, cùm primùm decimum octauum annum fuerit ingressus, & ad diaconatum postquam inchoauerit uigesimum: & ad presbyteratum, dum attigerit uigesimum quintum. Sed ad episcopatum requiritur trigesimus annus, ueluti canon. Episcopus. eadem distinctione. 77. sancitum est, & capitul. Cùm in cunctis. de electione. libro sexto.

4. Cõclus.

Ordinãdorũ ætas de iure antiquo.

Aetas ordinandorum iure nouiori.

Tempora ordini suscipiẽdo p̃fixa præuenire peccatũ est mortale.

¶ Ex quo fit, ut ordines citra prædictas ætates aut conferre, aut suscipere crimen sit mortale: quippe cùm in rẽ graui trãsgressio sit ecclesiasticæ præceptionis.

Pœna ordines ante legitimã ætatem suscipientium.

ceptionis. Vnde eiusmodi ordinator per annum à collatione clericalis tonsuræ ob huiusmodi culpam suspenditur, cano. Nullus. de ætate & qualitate lib. 6. Qui uerò ante easdem ætates ordinis sacramentum suscipit, uerum characterem & sacramentum suscipit, etiam presbyteratus, non tamen ordinum executionem, imò ipso iure est ab eiusmodi executione suspensus quousque legitimam ætatem attigerit. capitu. Vel non est. de temporibus ordinand. Atque adeò quoties quis uel subdiaconus, uel diaconus solenniter priùs suis fuerit ordinibus functus, mortaliter delinquit, & multò magis presbyter si celebrauerit: qui quidem celebrans fit irregularis, ut notatur capitulis Sanè, &, Cum quidam, Consultationi, de temporibus ordinandis. Tametsi illic mentio non fiat nisi de ijs, qui ordinantur extra quatuor tempora ab ecclesia statuta. Sed iam per extrauagantem. Cùm ex sacramento, Pij secundi, & per regulas Cancellariæ statutum est, ut eiusmodi presbyter fiat irregularis, ut ait Syluest. uerb. Irregularitas. §. 10.

Celebrans ante ætatẽ legitimãfit irregularis.

Extrauag. Pij. 2.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm præter defectum usus rationis sint alij, qui ordinibus suscipiendis obstent.

NON solùm rationis defectus: uerùm & alia sunt suscipiendis ordinibus obstacula, tam naturæ & fortunæ, quàm etiam criminis. Arguitur ergo, quòd illegitimè nati non debeant ab ordinis sacramento arceri: quia, ut Ezechielis. 18. habetur, filius non debet iniquitatem patris portare: quam tamen contraheret, si qui illegitimus est, ab ordinibus suscipiendis abigeretur.

Partis negatiuę arg. 1.

2. Argum. ¶ Secundò arguitur, quòd nec membrorũ labes nec mutilatio ullum sit ordinib. suscipiendis impedimentum quantùm ad substantiam sacramenti. Defectus discretionis non obstat, ut à nobis iam suprà dictum est, ergo nec membrorum uitium, quod est minus, dummodò ea membra nõ desint, quæ ad executionẽ sunt necessaria.

3. Argum. ¶ Tertiò arguitur, quòd nec seruitus huic sacramento impedimento esse debeat: quoniam corporalis subiectio spirituali prælationi non repugnat: in seruo autem non est subiectio nisi corporalis: ergo ordinum dignitari non est contraria.

4 Argum. ¶ Quartò arguitur, quòd propter homicidium nullus sit ab ordinibus repellendus: nam propter actum uirtutis nemo debet culpari, atque adeò nec inhabilis reddi ad quamuis obeundam dignitatem: sed quandocunque iudex aut miles uel uirtute iustitiæ uel fortitudinis homicidium facit, actus uirtutis est: ergo illi non debet ordinum honos denegari.

Pars affirmatiua. ¶ In contrarium autem est ecclesiæ usus, quæ has omnes maculas ordinibus suscipiendis obstare censet.

1. Conclusio. ¶ Ad hanc quæstionem iuxta numerum argumentorum quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Legitima natiuitas, licet non sit de necessitate sacramenti, est tamen de necessitate præcepti: quare si illegitimè natus ordines absque præuia dispensatione suscipiat, sacramentum quidem uerè suscipit, est tamen mortale peccatum tam ipsi, quàm conferenti, nisi per ignorantiam excusentur. Quare natiuitas illegitima, irregularitas quædam, ut suprà diximus, est: quia non est impedimentum iure diuino, sed pontificio, idemque ad defectum corporis attinens. Et est audienda conclusio generaliter de quibuscunque, qui non ex legitimo matrimonio fuerint progeniti, siue ex adulterio, siue simplici fornicatione nati sint, & multò magis si ex sacrilego concubitu clerici concepti, ut habetur cap. Vt filij. & cap. Nimis. de filijs presbyter. & cap. Is qui. eodem titul. libro sexto. & cap. Consuluit, de seruis non ordinandis. Et ratio præcepti est, quòd cùm ordinati in quadam dignitate præ alijs constituantur, condecet ut sint honestate clari: qui autem ex sordido concubitu gignuntur, sordes contrahunt, & generis obscuritatem. Accedit & alia causa in detestationem paterni criminis cuius assolent filij imitatores esse. Et addit Ricardus præsenti distinctione, quòd plurimùm esse solent malè morigerati, eo quòd à parentibus non ita solicitè, atque legitimi, educantur. Quare si ordinentur, ab ordinum sunt executione suspensi.

Conclusio generaliter intelligenda.

Rõ prima præcepti.

Ratio. 2.

Rõ tertia. Ricardi.

Episcopus dispensat.

Illegitimi nequeunt eligi episcopi.

Per ingressum religionis tollitur irregularitas.

Potest tamen episcopus cum huiusmodi personis, quantùm ad minores ordines, dispensare, sed quantùm ad maiores, non nisi summus Pontifex, ut in allegato capitu. Is qui. libro sexto. decernitur. Et tantò esse debet difficilior dispensatio quantò turpior fuerit eorum origo. Ex quo colligitur, ut ad episcopatum obeundum fortiori ratione sint illegitimè nati inhabiles, ut patet capitu. Cùm in cunctis, de electione. Qui uerò religionem profitentur, licèt sint illegitimi possunt absque alia dispensatione, ordinibus promoueri, ut distinctione. 56. canone. Presbyter. habetur. Quanuis uerba canonis non insinuent cum eis esse dispensatum, sed quòd sit cum illis facilè dispensandum. Attamen in allegato capitul. Vt filij. de filijs presbyter. apertiùs asseritur, quòd si monachi fiant, ordinari possint. Et idem ait loco citato Ricardus secundùm glossam capitu. Nimis. eodem titulo. Prælationem tamen absq; dispensatione obtinere nequeunt, ut eodem capitu. Vt filij. subiungitur. At uerò mos nunc in religionibus seruatur, siue iure communi, siue consuetudine uel priuilegio fuerit obtentus, ut per professionem omnis irregularitas, quantùm ad ordinis susceptionem aboleatur, præter illam, quæ uel ex homicidio uoluntario, uel ex bigamia contrahitur: non autem quantùm ad prælationem.

Nota.

Sol. 1. arg.

¶ Vnde ad primum argumentum respondetur, quòd irregularitas non est pœna iniquitatis, & ideo illegitimus non contrahit iniquitatem patris, contrahit tamen quidpiam turpitudinis & sordium, quod suscipiendos ordines impedit. Qua re Deuteronomij. 23. Manzer: hoc est de scorto natus in ecclesiam Dei usque in decimam generationem, ingredi prohibebatur.

Deute. 23.

Obiectio.

¶ Quòd si arguas. Potius deberet homini proprium uitium, quàm alienum officere: fornicator autem à clericatu non abigitur: ergo neque ex fornicatione natus esset abingendus.

Dilutio.

Respondetur, ad maiorem, quòd quantùm ad mores plus officit propria culpa, illa tamen per contritionem deleri potest: sed quantùm ad claritudinem & dignitatem plus officit uitium naturæ, quod de illegitimo conceptu deriuatur.

2. Conclu.

¶ Secunda conclusio. Corpore uitiatus ordinum promotioni ineptus est. Ratio huius conclusionis est altera duarum, uel quia uitium membri fœditatem aliquam ad susciendam potestatem ordinis oculis offert, quia dignitatem deturpat, uel quia ineptum reddit clericum ad ordinum usum. Prioris generis sunt amputatio nasi, uel insignis macula in oculo, quæ horrorem aspicientibus obijciat. Posterioris uerò, ut si digitis careat quibus hostiam frangere impeditur, aut si sit adeò tremulus, ut calicem absque periculo effusionis eleuare nequeat. Huiusmodi autem membrorum uitium aut mutilatio non obstat substantiæ sacramenti, quominus uerè suscipiatur, sed est contra præceptum ecclesiæ, sicut dictum est de puero ante usum rationis. Confirmatur conclusio exemplo ueteris legis: iubebatur etenim Leuitici. 22. ut quodcunque animal offerretur Deo, omni careret macula. Et Deuteronom. 23. non intrabit eunuchus attritis uel amputatis testiculis ecclesiam domini. Atqui uitium propter fœditatem, quandam habet irregularitatis rationem, quia sola est ecclesiæ prohibitio. Sed quando est membri mutilatio ad usum necessarij, iure diuino & naturali facit hominem incapacem. Et hoc quoque impedimentum, sicut natiuitas illegitima pertinet ad defectum corporis. De hac re extat titulus de corpore uitiatis. ubi capitu. Presbytero. ait Papa, quòd qui partem digiti amiserat: quia non erat tanta, ut usui sacramenti obstaret, poterat fieri presbyter. Et cano. Cùm de tua, idem censetur de illo, qui maculam habebat in oculo, qui iudicio prælati commissus fuit, ut perpenderet quanta esset eiusmodi macula.

Rō duplex

Deformitates.

Pars digiti

¶ De eunuchis autem & sectis extat decretum Niceni Concilij, Si quis à medicis, & concilium sub Martino, Si quis pro ægritudine. distinctione. 55. quòd si quis à medicis sanitatis gratia fuerit sectus, non fiat ideo ad sacros ordines inhabilis. Si uerò sanus castrauerit, etiam si id ad reprimendam concupiscentiam fecerit, irregularis sit ad clericatus officium: quòd si iam tunc susceperit, sit à ministerio prohibitus. Tametsi dum id ignorans fecerit credens se obsequium præstare

Eunuchi.

Qui se castrauit.

D. Marcus

præstare Deo, faciliùs sit cum illo dispensandum, ut capitul. Significauit. eodem titulo, ait Clemens. De beato uerò Marco, qui legitur sibi pollicem consultò abscidisse humilitatis gratia, & tamen postea ad Alexandrinam sedem assumptus fuit, respondendum, quòd uel non totum pollicem, sed partem abscidit, uel Diuus Petrus tunc pontifex cum eo dispensauit.

Sol. 2. arg.

¶ Ad secundum igitur argumentum iam responsum est, non sufficere hominem aptum esse ad usum ordinum, uerùm & ad dignitatem & decorem, qui in clericatu requiritur.

3. Conclu.

¶ Tertia conclusio. Seruitus licèt substantiam sacramenti non tollat: impedit tamen ex præcepto ecclesiæ, adeò ut tam ordinans quàm ordinatus, nisi inuincibili ignorantia protegantur, grauiter peccent. Et est irregularitas ex defectu libertatis prouenies. Ratio conclusionis est, quòd licèt libertas non sit de substantia sacramenti, sicut neque integritas membrorum, est tamen ad ordinum ministerium & usum necessaria. Etenim cùm per ordinis susceptionem, homo diuinis officijs mancipetur, debet esse sui iuris, ut liberè possit seruitio ecclesiæ uacare: seruus autem quia non est sui iuris, sed heri sui, non potest se ecclesiæ ministerio adscribere: quandoquidem dare quod suum non est nequeat, nisi herus uoluerit eum manumittere, aut facultatem ei facere. Conclusio est quæ distinctione quinquagesimaquarta, per totam sancitur. & extra per totum titu. de seruis non ordinandis.

Rō cōclus.

Solutio tertij argum.

¶ Et per hæc solutum restat argumentum tertium: concludit nanque seruitutis conditionem potestati ordinum & substantiæ non obstare quominus sit sacramentum, obstare tamen usui. Quod si contra priorem partem obijcias, quòd cùm sexus fœmineus plus habeat libertatis, quàm seruitus, & nihilominus sit ordinibus susciendis ineptus, adeò ut sacramentum sit nullum, tantum erit obstaculi in seruitute. Negatur consequentia: quoniam sexus fœmineus suapte natura includit subiectionem, quæ obstat formæ sacramenti præeminentiam ex eius natura significanti: in seruo uerò non est nisi legalis subiectio. Præterea ex secundo membro responsi argui tur contra primum. Vana est potestas, quæ perpetuo caret usu: si ergo seruitus ordinum ministerio fungi nequit, nullam est sacramentum. Ad hoc respondet tota ferè distinctio. 54. Decretorum, si enim seruus sciente neque contradicente hero ordinatur, eo ipso fit ingenuus, ut habetur illic, cano. Si seruus sciente. Si uerò domino nescіente Episcopus sciens eum esse seruum, ordinauerit, tenetur duplo pretio hero satisfacere, ut seruus libertate donetur: quemadmodum in dicto capit. Si seruus nesciente. deciditur. Et à fortiori si dominus cōtradixerit. Idemq; adeò iudicium est de præsentante & ordinante, ut ibidem ait Gelasius Papa cano. Ex antiquis. Quod si tam domino quàm præsentante & episcopo ordināte inscijs, seruus se ingesserit, si habuerit peculium, tenetur se redimere: sin minùs à seruitute nō eripitur, ut habetur cano. Frequēs, eadem distinctione. 54. Quare nisi per heri facultatem non potest ordinum ministerio uacare. Imò si est fugitiuus, & callidè se ordinibus initiandum insinuauit, sperans inde libertatem consequi, deponendus est, ut habetur capit. De seruorū. de seruis non ordinandis. Neque uerò licet ordinibus insignito, saltem sacris, se se in seruitutem tradere, esset enim contra ordinum dignitatem, nisi aliqua insignis pietas interceserit, ut de Paulino Nolanæ Episcopo refert libro tertio dialogorum capitu. 1. Gregorius, qui se se, ut subditos redimeret, tyrannis uendidit.

Obiectio.

Dilutio.

Argumen.

Solutio. Not. distinctionem.

Præsentās & ordinās seruum.

¶ Quod autem de seruitute dicitur, & de illis etiam intelligitur qui ratiocinijs sunt obnoxij, ut concilio Aurelianensi cautum est, De obligatis ad ratiocinia ordinand. uel non. capit. Vnico. Attamen non est eadem prorsus ratio: nam huiusmodi homines, liberi simpliciter sunt, sed quia ecclesia eorū ordinatione infamatur, non sunt ordinandi, si tamen ordinentur nihil obstat, quominus possint sua officia administrare, nisi ecclesia propter insignem infamiam id eis interdixerit.

Obligati ad ratiocinia.

Ratio optima.

4. Cōclus.

¶ Quarta conclusio. Homicidium uoluntarium & membri mutilatio etsi substantiæ sacramenti non obstet, si suscipiatur, uetat tamen susciendum ex ecclesiæ præcepto. Prior pars manifesta

festa est, quoniam homicidium non tollit significationem sacramenti, in qua eius substantia consistit.

Ratio conclusio.

Secunda uerò ratio est, quòd omnes ordines ad sacrosanctum eucharistiæ sacramentum referuntur, quod est sacramentum pacis, sanguinis Christi effusione confirmatæ, cui quidem paci homicidium & mutilatio è diametro opponuntur, imò facto eorum qui Christum crucifixerunt assimilantur. Quapropter condecens maximè fuit, ut ecclesia homicidas & mutilatores ab ordinibus sacris arceret, atque inhabiles decreto suo redderet, quod est esse irregulares. Atque eam ob rem irregularitas hæc non ad primum genus trium supra positorum spectat, ut scilicet nascatur ex defectu, sed ad secundum: quia oritur ex ratione sacramenti, cuius dignitati opponitur. Conclusionem hanc titulus de homicidio uoluntario constituit. Ob idque ratio huius irregularitatis non emergit ex ratione delicti: sed quia dignitati sacramenti aduersatur. Sicuti bigamia eius significationi contraria est, quæ ideo irregularitas etiam ratione sacramenti sumitur, de qua distinctione. 27. quæstio. 3. articu. 1. habendus est sermo. Quapropter non solùm iniquum homicidiũ, quod contra ius priuata authoritate perpetratur: uerùm & legitimum, dummodo sit spontaneum & post baptismum commissum, irregularitatem inducit, cano. Aliquantos. distinctione quinquagesimaprima. Qua ratione quartum argumentum supra factum solutum restat.

Sol. 4. arg.

Vt si iudex aut miles Reipublicę hostes interimat, aut mutilet: mutilatio enim ad partiale, ut fertur, homicidium reducitur: quia cùm anima omnia membra uiuificet, in membro aliqua pars uitæ demitur. Debet autem ut irregularitas contrahatur, factum subsequi: nam licet quis sagitta animo occidendi hominem. aut fuste ipsum aut gladio percusserit, si non sequatur mors, quia non est homicida, non est irregularis. Et qui a mors non est nisi uiuentis, qui fœtum in utero ante aduentum animæ extinxerit, irregularitatem non contrahit, quanuis peccèt mortaliter, & quantum ad peccatum reputetur homicida, sicuti & qui impedit ne mulier concipiat, capitul. Si aliquis. de homicidio. Atqui non modò qui alteri, sed & qui sibi membrum aut membri partem notabilem amputat, irregularis fit, ut qui digitum uel digiti partem detruncauerit. Neque solùm qui per se uel occidit, uel mutilauit, uerùm etiam qui in causa fuit, uel consilio uel ope adiuuit, irregularitatem incurrit, ut habetur de clericis pugnãtibus in duello capitu. secundo. & de homicid. capitul. Sicut dignum. Quare & omnes ministri iustitiæ, etiam notarii, efficiuntur irregulares. Nec refert an occisio sit Christiani, uel infidelis, ut eodem titulo. capitulo. Petitio, declaratur. Debet autem homicidium esse uoluntarium, & non casuale: dicitur enim casuale, quod occidens non intendebat, sed casu fecit: quẽ admodum, si quis inter uenandum adhibita circunspecta diligentia iaculum iecerit, quo hominem imprudens interfecerit. De hac autem re totus fermè titulus de homicidio uoluntario loquitur. Sed quia nos latissimè libro quinto. De Iustitia & Iure. quæstione prima. articu. 9. de eadem re disseruimus, nihil præterea hic duximus adhibendum. Illic enim habes hoc potissimùm expositum, quando laicus uel clericus dicatur dare operam rei illicitæ, ut homicidium, quod aliàs diceretur casuale, dicatur uoluntarium. Hinc fit effusionem sanguinis citra homicidiũ uel mutilationem per se non inducere irregularitatem, quoniam pœnæ non sunt ampliandæ, sed restringendæ, capitulo. Odia. & capitu. In pœnis. De regulis iuris. libro sexto. & Canones non loquuntur nisi de homicidio uel membri mutilatione. Tametsi clericis interdicta sint negotia, ubi periculum esse potest effusionis sanguinis, ut patet per totum titulum, Ne clerici uel monachi secularibus negotijs se immisceant. qui si illis se immiscuerint, officio sunt priuandi, ut patet capitulo. Clericis. & capitulo. Sententiam sanguinis. eodem titulo.

Irregularitas non contrahitur nisi actu homo interficiatur.

Ministri iustitiæ sunt irregulares.

Quando quis dicatur dare operam rei illicitæ.

¶Ex his igitur irregularitates, siue quæ ex defectu naturæ, aut fortunæ, aut corporis, siue quæ ratione sacramenti accidunt, satis tibi exploratæ relinquuntur. Aliæ quàm plures sunt, quæ ratione delicti contingunt, quas apud Summistas non tam ne ordine dispositas, quàm absque ordine

Irregularitates ratione delicti.

coaceruatas inuenies. Et notandum primum omnium, quòd subsequentes omnes irregularitates hoc modo intelliguntur esse impedimentum ordinum, quòd si irregularis ordinatur, ordinem quidem suscipit & characterem, peccat tamen graviter contra ecclesiæ præceptum. Quare gratiã non suscipit, manetq; subinde suspensus, atque adeò quoties in ordinibus administrat, grauissimè peccat. Sũt autem huiusmodi delicta in triplici differentia: nam alia ordinationem præcedunt, & alia in ordinatione committuntur, atq; alia post ordinationem. Delicta si quidem quæ ante ordinationem hominem faciunt irregularem, sunt quatuor singularia. Primum, si quis apostotatauit à fide: nam si erat ordinatus: fit irregularis quo ad usũ, cap. Iulianus. undecima quæstione tertia. & si laicus, fit irregularis quo ad susceptionem, capitu. Presbyteros. distinctione quinquagesima. De quo Innocentius capitu. primo. de apostatatis. Secundùm, rebaptizatio, ut si quis bis scienter quenquam baptizauit, aut baptizatus est. De baptizante est textus in cap. Eos quos, & de rebaptizatis, cano. Qui bis. De consecratio. distinctione quarta. Quos quidẽ Canones cum alijs supra distinctione tertia. articul. 9. expositos reliquimus. Iterantes autem alia sacramenta, etiam characterem imprimentia, quanuis sit sacramentum confirmationis, nullam irregularitatem incurrunt, quicquid alij contra comminiscantur. Quoniam irregularitas propter anabaptistas hæreticos decreta est, qui baptizatos ab hæreticis iterum baptizabant, aut baptizatos ante rationis usum post annos discretionis rursum in iniuriam prioris baptismi, quasi non sufficeret, baptizabant. Tertium, ut si quis religiosus gratia audiendi leges, aut physicam: id est, artem medicam, monasterium exierit, nisi infra duos menses fuerit reuersus. capitu. Super speculam. ne clerici uel monachi. capitu. Ad aures. de ætate & qualitate. Quartum, si quis in eo ordine administrat, quem non habet, capitu. primo. & secundo. De clerico non ordinato ministrante. Quod intelligitur, si sit administratio in ordine sacro: nam in quatuor minoribus laicum administrare, non est irregularitatis causa. In maioribus autem, quanuis meré laicus sit, illã incurrit, ut bene cõtra quosdam ait Syluester uerb. Irregularitas. §. 12. Item requiritur, ut seriò & solenniter administret. Aliud generale ponitur, quãdo quis enorme delictum commisit. distinctione uigesimaquinta, cano. Primum, de quo Innoc. cap. Ex tenore. de temporibus ordinando. Syluester uerb. Irregularitas. quæstione decimaquarta.

Ante ordinationem. Primum.

Secũdum.

Nota.

Tertium.

Quartum.

¶In ordinatione committuntur alia delicta, quibus irregularitas contrahitur. Primò simpliciter ex parte ordinati, ut si excommunicatus excommunicatione maiori ordines sacros susceperit, cap. primo. de eo qui furtiuè ordines suscepit, & capit. Cùm illorum. De sententia excommunicationis libro sexto. Non quòd excommunicatio, sed quòd delictum suscipiendi tunc ordines, fit irregularitas. Et aliqui uolunt, quòd etiam suscipiens ordines minores in excommunicatione maiori efficiatur irregularis, ut ait Syluester uerbo, Irregularitas. quæstione decimatertia. Sed nescio quid ueritatis habeat. Deinde delictum committitur in ordine ad episcopũ ordinantem, ut si quis ordinetur ab episcopo, qui episcopatui renunciauit, non solùm loco & diœcesi, sed etiam dignitati, capi. primo. De ordinato ab episcopo &c. Secùs si tantùm loco, non autem dignitati renunciauit. Quod intellige, si maiores ordines ab eo suscepit, secùs si minores ex licentia proprij episcopi. Item si ab episcopo excommunicato contra tenorem concilij Constãtiensis ordinetur. Scilicet qui excommunicatus est nominatum, aut propter manifestam manuum iniectionem in clericum. can. Gratia. & can. Statuimus. 1. quæstione prima. Et quæstione septima. can. Daibertum. Et idem est si ordinetur ab hæreticis uel schismaticis: nam omnes censentur nominatim excommunicati. ¶Tertiò, post susceptos ordines alia multa committuntur delicta, quæ secum irregularitatem adferunt Primum. Si suspensus ab usu ordinum, in illis ministrauerit, fit irregularis. Etenim secundùm antiquos Canones, ut ait Glossa super capitu. Cùm medicinalis. De sententia excommunicationis libro sexto. non nisi ille, qui excommunicatus maiori excommunicatione, in sacris ordinibus administrabat, efficiebatur irregularis, sed tamen Innocentius quartus eadẽ Decretalis,

In ordinatione.

Ex parte ordinati.

Suspensus ab officio.

Nota.

eretalis, eandem censuram ad omnes suspensos extendit. Igitur, ut hinc exordiamur, si quis ab alieno episcopo citra licentiam proprij ordinetur, ordinatio illa rata non habetur, sed irrita, ut can. Episcopum. 9. quæstione secũda. Irrita, inquam, non quod ordinatio non ualeat, nam character imprimitur, sed tamen ordinatus suspensus est ab usu ordinum, quos recipit, quousque episcopus prius eum recipiat. Episcopus enim potest eis facultatẽ facere administrandi, ut can. Lugdunẽsis. eadem. cau. & quæstio. Ordinator uerò p annum à collatione ordinum ipso facto est suspensus. Et subditi horum suspensorum possunt tunc absque eorum licentia ab eorum uicinis episcopis ordinari, can. Eos qui. de temporibus ordinandorum libro sexto. Suspensio tamen illa non est irregularitas, quia non est impedimentum aliorum suscipiendorum ordinũ, sed peccabit suspensus mortaliter, si in susceptis absque licẽtia proprij prælati administrauerit. Aiunt uerò nonnulli, quòd tunc administrando non efficietur irregularis: quia hoc non est expressum in iure. Et ita tenet Syluester uerb. Irregularitas. quæst. 9. Et fortasse hoc uerum est: quia ordinari sine licentia proprij Episcopi, non censetur propriè papalis suspensio, sed solùm inhibitio, ne ille administret sine licentia sui prælati. Sed est nihilominus per eundem prælatum suspendendus illa suspensione, quam si transgressus fuerit, efficiatur irregularis. Quæ quidem tunc irregularitas p solam Papæ dispẽsationem tollitur, ut notauit Glossa super eodem cap. Eos qui. Et est tex. expressus, in cap. Quod translationem extra eodem titulo. Nam qui simpliciter est suspensus, administrans fit irregularis per Decretalem citatam, Cùm medicinalis. Alius suspensionis casus est, quando quis una die ordines minores & subdiaconatum recipit, capit. Cùm H. de eo, qui furtiuè ordines suscepit. Vel si duos simul susceperit sacros ordines, cap. fina. eodem titulo. In primo enim casu ordinatus ille suspenditur, ne in superiori ordine, sed tãtùm in minoribus administret. In secũdo uerò, in nullo potest: quia ambo sunt facti. Veruntamen de ambobus distinguendum est. Etenim si ordinandi non fuerant sub anathematis sententia præmoniti ne illos simul ordines susciperent, tunc cum huiusmodi ordinatis utroque casu, si aliquam religionem ingrediantur, poterit Abbas dispensare. Ex quo fit, quòd etiam si non ingrediantur, poterit episcopus eãdem facere dispensationem. Si uerò sub tali sententia fuerant prohibiti, tunc solus Papa poterit dispensare: quia excommunicatione maiori irretiti ordines susceperunt: qui ideo si sine dispensatione administrent, efficiuntur irregulares. Et idẽ est de eo, qui furtiuè contra prohibitionem episcopi etiam sub anathematis sententia absque eius facultate & examine ordines susceperit, ut eodem titulo capit. primo. habetur.

¶ Tertius suspensionis casus eos tangit, qui per saltum promouentur, can. Solicitudo. distinctione quinquagesima secunda. Quare si illi sic promoti in ordine superiori administrauerint, quicquid alij dicant, efficiuntur irregulares, ut bene ait Syluester uerb. Irregularitas. quæstione undecima. quia omnis simpliciter suspensus administrans saltem in sacris ordinibus, ut bis iam diximus, eo ipso fit irregularis, per citatum cap. Cùm medicinalis. de sententia excommunicationis lib. 6.

¶ Quartus subsequitur suspensionis casus de illis, qui extra tempora legitima ordinantur, distinctione. 75. cap. fin. & de temporibus ordinandorum. cap. Sanè. & cap. ultimo. Et antiquitus huiusmodi non erãt suspensi, sed suspendẽdi, ut cap. Literas. & cap. Cum quidam. eodem titul. Iam uerò iure nouo sunt ipso facto suspensi, & si celebrent, fiunt irregulares à solo Papa absoluẽdi. Et possunt ipso iure beneficijs priuari per extrauagan. Pij secundi, quæ incipit, Cùm ex sacramento. cõfirmatam per regulas Cancellariæ Innocentij octaui. & Alexandri sexti, & per alia iura, quæ notauit Syluester uerb. Irregularitas. quæstione decima. ¶ Quintus casus est, si suspensus, excommunicatus, uel interdictus ingerat se diuinis officijs celebrando uel administrando in aliquo ordine, saltim maiore, solenniter, ut notatur cap. de clerico excommunicato ministrante. & cap. fina. de excessi. prælato. Isti enim non solùm sunt suspensi, sed irregulares, quia iam officia prohibita exercent. Quare solus Papa potest cum illis dispensare cap. primo. de re iudicata. libro 6. Ait uerò Syluester uerb. Irregularitas. quæstione duodecima. quòd

Episcopus dispensat.

An sit irregularitas.

Suscipiens uno die duo ordines.

Primus casus.

Secundus.

Epi dispensatio.

Tertius casus.

Suspensus.

Quartus casus.

Quintus casus.

Sylvest.

Sententia autoris.

quòd etiam si ádiniſtret in minoribus eandem irregularitatem incurrit. Sed tamẽ id non facilè crediderim: nam qui nõ facit nisi ea, quæ merus laicus potest facere: ut cantare, Requiem æternam, aut aliquem psalmum, non efficitur irregularis, ut habetur cap. Tanta, eodem titulo. lib. sexto. Officia uerò minorum ordinum ẽt laicus exercere potest. Dixerim solenniter, cum uestibus illi ordini deputatis.

¶ Circa omnes has irregularitates hoc est animaduertendum, quòd cùm uniuersæ, ut dictum est, non nisi ex iure Pontificio oriantur, super omnibus potest summus Pontifex dispensare, nisi quando ius diuinum attigerint. Cùm illo enim, qui truncus est manibus, aut mutus, dispensari nõ posset, ut presbyter fieret. ¶ Adhæc matrimonium contractum inter irregularites propriè non connumeratur, quia nec delictum est, nec defectus, sed potest largo modo dici irregularitas, seu potiùs incapacitas ratione status: quia coniugatus nequit ad sacros ordines promoueri, idq; ut reor, diuino iure prohibente, ut libro septimo, De Iustitia, & Iure, quæstione sexta. diffusè dissertum curauimus. Nec sufficit uxoris licentia, nisi approbatam religionem fuerit professa, uel diuortium inter eos fuerit celebratum, ut distinctione trigesimaquinta, dicturi sumus. Quare qui uxore relicta in seculo ordines sacros susceperit, perpetuò erit suspensus quousq; ipsa uel uita fuerit perfuncta, uel religionem professa: imò esset tanquàm de hæresi suspectus in iudicium deferendus. Hoc præsertim tpe, quo Lutherani cõiugatos arbitrantur esse diaconos & sacerdotes & episcopos. Quanuis illi nullum, quod uerum sit ordinis sacramentum, agnoscant. Alij sunt casus, quos non opus est hic per sequi: hi enim sunt, in quibus potissimùm potest esse difficultas. Cæteros Summistæ in uerbo, Irregularitas, multiplicant.

Matrimonium.

Si cõiugatus ordinetur.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm ad ordinum susceptionem morum honestas & scientia requiratur.

POST illas ordinandorũ qualitates, quæ ad mores non attinent, sequitur, ut de eorum probitate & scientia dicamus, an sit etiam necessaria. Et arguitur à parte negatiua. Per ordinis sacramentum instituitur homo sacramentorum minister: sed sacramẽta administrare tam mali possunt, quàm boni, & Christus ipse mulierẽ peccatricem & infamem, ut legitur Lucæ septimo. à suo ministerio non repulit: ergo probitas uitæ non est necessaria. ¶ Secundò præterea arguitur, quòd nec requiratur in ipso scientia scripturæ sacræ: quia multi absque eius prorsus cognitione ad sacerdotium promouentur, & in uitis patrum multi simplices referuntur monachi ad sacerdotium promoti, qui tamen erant sanctissimæ uitæ. ¶ Tertiò arguitur. Si probati mores, ad ordinum susceptionem essent necessarij, quo melioribus quis esset imbutus: eo esset ad id munus magis idoneus. Cùm ergo paupertas sit opus cõsilij, quantò quis esset indigentior, tanto deberet faciliùs ad ordines assumi: consequens tamen est contra ritum & consuetudinem ecclesiæ, quæ non permittit, quẽquam sacris initiari, nisi uel titulum habeat sacerdotij, uel patrimonium, quo se possit alere. ¶ Quartò arguitur. Si dignitas aliqua esset in susciente necessaria, sequeretur, quòd Episcopi indignos promouentes, grauiter peccarent: consequens tamen inde apparet falsum, quòd alioqui deberent solertissimum examen facere morum & scientiæ ordinandorum, quod certè non faciũt: potissimum quòd, cum multis ministris & auxiliaribus indigeant, si non possunt in tanta cõpia idoneos inuenire, excusari quodam modo uideantur. ¶ Quintò denique arguitur. Si probitas uitæ ad ordines esset requisita, sequeretur, quòd qui susceptis ordinibus in peccato mortali uteretur: mortaliter peccaret: consequens tamen uidetur falsum: nam aliàs qui sacramenta ab illo susciperet, eiusdem esset peccati particeps, quod uidetur durum. ¶ In contrarium est exemplum antiqui testamenti: dicitur enim Leuitici. 21. Homo de semine Aarõ, qui habuerit maculas, non offerat panem coram Domino: maculæ autem nomine, ut ait glossa, omne uitiũ intelligitur, quo altaris ministri impinguntur. Inter defectus artic. 2. propositos, postremus erat ad animam pertinens, qui ad scientiã spectat & mores, de quo præsens articulus instituitur.

Partis negatiuæ argumẽtum primum.

Secundum argumẽt.

Tertiũ argumentũ.

Quartum argumentum.

Quintũ argumẽtum.

Pars affirmatiua.

¶ Ad

Prima cõclusio.

¶Ad quæstionem ergo tribus conclusionibus respondetur. Prima. Quanuis morum integritas non sit de essentia sacramenti, est tamen præcepto diuino maximè necessaria. Nam etsi non eodem gradu, quo apostoli, eorumq; successores episcopi, sunt tamen omnes clerici, & potissimum sacerdotes lumen ecclesiæ, & sal terræ, ut Christus ait Matthæi. 5. Atqui cùm ordinẽtur, ut eodem sint gradu, quo possint esse pastores, debent in charitate Dei esse progressi, ut Petri nõnullum exẽplum referant, quem Christus non antea uicarium suum instituit, quàm tertio interrogaret, an se plus cæteris diligeret, Ioannis ulti. Nam bonus pastor, ut ait, Ioannis. 3. animam suam debet ponere pro ouibus suis, quod certè nisi charitate prouectus perficere non potest. Quocirca Paulus. 1. ad Timotheum tertio episcopum (quo nomine presbyteros omnes comprehendit) plurimo uirtutum ornatu decoratum desiderat, & à diaconi bus non qualemcunque morum probitatem requirit. Vnde tertio capit. Cœlestis hierarchiæ, ait Dionysius, quòd ut subtiliores & clariores essentiæ (nempe cœlestia sydera) repletæ influxu solarium splẽdorum, lumen in eis supereminens ad similitudinem solis, in alia corpora inuehunt: sic in ordine diuino nemini audendum est alijs ducem esse, nisi secundùm omnem habitum suum factus sit Dei firmissimus, & Deo simillimus. Cùm ergo qui sacris initiantur ordinibus, duces se aliorum esse profiteantur, necessum est eis, ut diuino sint lumine imbuti, ac perinde Deo simillimi. Facere autem homines simillimos dei officium est charitatis: nam, ut ait Ioannes. Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet: & Deus in eo. Vnde ad Colossenses. 3. Paulus. Super omnia charitatem habete, quod est uinculum perfectionis charitas autem sanctis moribus colitur: hæc est ergo prima ordinandorum qualitas. Quocirca Gregorius in prima parte Pastoralis, & refertur distinctone. 49. can. Hinc etenim, uitæ integritatem, quæ in sacerdotibus est necessaria, citato illo testimonio ueteris legis confirmat. Qui habuerit maculam, non offeret panem Deo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, &c. ubi in corporis uitiis spirituales labes depinguntur, quæ hominem sacris ordinibus indignum reddunt. Et D. Hieronymus. 8. quæstione prima. cano. Qualis, ait, quòd presbyteri & diacones debent summa diligentia prouidere, ut cunctum populum, cui præsident, conuersatione, scientia, ac sermone præeant. Imò & qui sunt in minoribus ordinibus id etiam debent curare. Vehementer enim, inquit, ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos, quàm clericos. Operosum autem esset nimis, canones recensere, qui de uita & honestate clericorum loquuntur, quos Gratianus à distinctio. 25. usque ad 50. & 81. compillauit. Sed super omnes conspicuus est in libro de sacerdotali dignitate Chrysostomus, qui sacerdotes docet tanto morum interuallo debere reliquo populo antecellere, quanto brutis ouibus rationalem pastorem: imò ceu cœlestes angelos debere inter homines uiuere. Tractant enim, tum reliqua sacramenta, tum præsertim sanctissimum corporis & sanguinis Christi, quod angeli tangere non est indultum.

Dionys. Paulus. Gregor. Hierony. Chryso.

¶At uerò hæretici fucato religionis prætextu adeò hanc ueritatem extollunt, ut in foueam falsitatis corruant. Enimuerò Vuitcleff, ut est uidere apud Vualdensem secundo Tomo, de sacrament. capit. 3. & 4. & subsequentibus. Et capitu. 144. & 145. aiebat sanctitatem ministrorum ecclesiæ esse necessariam, non solùm de præcepto, sed tanquam de essentia sacramenti: ita ut non susceptio sacramenti, sed meritum uitæ in gradu ecclesiastico hominẽ suscipiat. Quapropter aiebat quòd nec malus homo dum sacris initiari contendit, ullum suscipit sacramentum, neque sacerdos, dum est in peccato sacramenta eucharistiæ conficit, aut alia uerè administrat. Quem errorem secutus est Armachanus lib. 11. capi. quarto. falsò dogmatizans, per quodcunque peccatum mortale amitti omnem potestatem non solùm spiritualem, sed etiam ciuilem. Et ideò inferebat loco citato capit. 145. Vuitcleff, quòd nisi qui habuerit sanctitatem Petri, non fungitur eius clauibus. ¶Contra hunc autem errorem statuitur secunda conclusio. Quanuis honestas uitæ sit in sacerdotibus & alijs ministris: scilicet, diacono & subdiacono neces-

Hæretici. Vuitcleff. Error Armachani. Secũda cõclusio.

sariа necessitate præcepti: non tamen est de necessitate & essentia sacramenti, neque ad eorum usum. Imò licèt quis in peccato ad susceptionem ordinum accedat, si modò intentionem habeat suscipiendi sacramentum, quanuis gratiæ beneficio frustretur, nihilominus uerum susçipit sacramentum. Et pari ratione si postea in peccato sacramenta administret, uera confert: conclusio satis articul. 1. confirmata est per illud testimonium Augustini. tract. 5. super illud Ioannis. 1. Super quem uideris spiritum descẽdentem, &c. Sacramenta quippe sunt instrumenta Christi, quibus ipse operatur, & ideo nullatenus ex sanctitate & iustitia ministri pendent. Gratia enim tanquam à proprio autore non à ministro, sed à Christo ipso, in quo est gratiæ plenitudo, confertur. Cui ideo suscipiens sacramentum per gratiam assimilatur: minister autem non confert gratiam, nisi conferendo sacramentum, quod quidem per characterem confert, licèt gratia careat. Quare perinde malus ac bonus uerè baptizat, & consecrat & absoluit, & ordinat: imo & gratiam confert si suscipiẽs obice gratiæ non obstet. Et quanuis eundem opponat obicem, uerum potest absque gratia suscipere sacramentum, tam ordinis, quàm alia. At uerò quoniam hanc ueritatem supra distinctione. 1. quæstione. 5. quàm plurimis sanctorum autoritatibus constabiliuimus: non opus est nos hic amplius morosos esse. Congessit huius nonnulla testimonia Gratianus. 1. quæstio. 1. ex Hieronymo can. Sicut Christus. & ex Augustino can. Intra catholicam. & can. Omnia sacramenta. & can. Vt euidenter. ¶Et quando contra istos hæreticos nullum aliud extaret argumentum, hoc unum pro omnibus satis esset, quod secundum ipsos nihil certi in sacramentorum effectibus haberemus, sed omnia uerarentur in ambiguo. Nam cùm nemo sciat an minister, à quo sacramenta suscipit, in gratia sit, non sieret certior sacramentum suscepisse, quàm si ab uno quolibet laico susciperet.

Aug. trac. 15. sup Io. Argumentum cõtra hæreticos.

¶Vnum autem testimonium uiderur in superficie huic ueritati aduersari ex opere imperfecto Homilia. 45. & refertur distinctio. 40. cano. Multi. Multi enim, inquit, sacerdotes, & pauci sacerdotes, multi nomine, & pauci opere. Non omnis sacerdos est sanctus, sed omnis sãctus est sacerdos. Vbi insinuatur, quòd qui non est sanctus, non est sacerdos, & quòd omnis sanctus, etiam laicus, sit sacerdos. Sed probè Sanctus Thomas impræsentiarum respõdet, allusionem illic fieri ad etymologiam nominis sacerdotis: est enim sacerdos idem, quod sacra dans. Et ideo quicunque etiã laicus sanctus, quatenus sacra sua meritæ amicis communicat, dicitur generali nomine sacerdos iuxta illud Apocalypsis. 5. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes. Sed tamen sacerdotes sacramentorum ministri, quia non operantur in sua uirtute, sed Dei, absque sanctitate possunt sacerdotio fungi impertientes gratiam de plenitudine Christi.

Obiectio ex Chrys. Dilutio. S. Thomæ. Apocal. 5.

¶Dubium ergo ex his emergit. Vtrùm quicunque sacris ordinibus in peccato initiatur, mortaliter delinquat, ac perinde sacerdos ille, qui in peccato sacramenta administrat. Hæc autem ambiguitas per ea, quæ dicta sunt, facilè diluitur. Enimuerò quicunque sustinuerit, omnes septem ordines esse sacramenta gratiam conferentia, dicere subinde cogitur, quòd quod cunque illorum quisque suscipiat in peccato mortali, peccat mortaliter, eo quòd opponit obicem gratiæ. Si autem non sint sacramenta, nisi tres ordines sacri, ut à nobis suprà dictum est, quanuis quispiam alios quatuor ordines minores existens in peccato suscipiat, non peccat mortaliter. Administrare uerò sacramenta in peccato mortali, mortale est, eo quòd & presbyter ad eorum idoneam administrationem gratiam suscipit, & administratio ipsa sacramenti est actio sanctificans. De functione autem ordinis diaconatus & subdiaconatus supra moderatiùs locuti sumus. Nam etsi eiusmodi ministri per gratiam ad suam functionem sanctificentur, tamen quia ipsæ functiones non sunt sanctificatrices, durum esset, ad peccatum mortale illos adigere, qui extra gratiam illas exercent.

An qui initiat in peccato, mortaliter peccat. Dubij solutio. Administrare sacramenta in peccato est mortale.

¶At uerò quod articu. præsenti de idoneitate eorum, qui sacris sunt ordinibus initiandi, definitur, non est generalis illa dispositio, quæ in suscipiente quodcunque sacramentum requiritur, ne sacramentalis gratia obicem inueniat, est enim illa quædam actua-

Quæstio p̃ sens.

lis

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis præparatio. Sed definitio præsens ad morum habitus attinet. Enimuerò quoniã per sacramentum ordinis homo non solũ gratiam suscipit, sed ad sublimiorem statũ conscendit, requiritur in eo morum honestas, & uirtutum claritas, ut testimonia p̃cedentia testantur: nempe, ut sit prudens, ut ait Paul. ornatus, pudicus &c. Quapropter ad aliorum sacramentorum susceptionem nullum prærequiritur examen uitæ, sicuti ad ordinum susceptionem. Debet enim, ut loco citato ad Timotheum ait Pau. presbyter & diaconus testimoniũ habere ab ijs, quæ foris sunt. ¶ Tertia conclusio. Præter morum compositionem requiritur in suscipiente ordines scientia & prudentia, quanta sit suo ministerio sufficiens. Probatur, quia cum facultas operandi sit propter usum, nemini illa permitti debet & concredi, nisi qui ea uti sciuerit: sciẽtia enim est quæ opus dirigit. Hinc fit, quòd ad minores ordines suscipiendos satis sit, ut ordinandus legere saltem sciat, & commodè pronunciare: quia eorum munus non est, sacram scripturam intelligere. Ad sacros uerò ordines exigitur, ut diaconus, & subdiaconus latinè sciat: nempe, ut quæ legit, intelligat: quanuis mysteria non adeò Theologicè calleat. Ad presbyteratum autem aliquanta scripturæ intelligentia exigitur. Sunt enim duæ presbyteri functiones, una præcipua supra corpus Christi uerum, atque altera secundaria supra corpus Christi mysticum. Prima conuenit in uniuersum omnibus sacerdotibus, secunda uerò non nisi plebanis. Igitur quando quispiam ad solùm priorẽ actum presbyter ordinatur, ut usu uenit in ter religiosos, qui animarum curam nõ habent, non requiritur alia sciẽtia, quàm ut mysterium sacramenti intelligat. Indignè enim profectò presbyter diuina illa mysteria tractat, quorum sensum & gustum non percipit: neque illum sine aliqua mysteriorum cognitione habere, aut percipere potest.

Tertia cõclusio.

Ratio conclusionis.

Diaconi & subdiaconi sciẽtia.

Duę presbyteri functiones.

Solutio secũdi argu.

¶ Et per hoc responsum putato ad secundum argumentum. Illi enim sancti eremitæ & alij simplices sacerdotes: quia se prius ab animarum cura sequestrabant, non multa indigebant scripturarum scientia. Qui uerò paroeciæ in pastorẽ præficitur, debet, ut idoneus habeatur, ea scire, quæ plebi sunt cognitu necessaria: nempe, illa quæ sunt de necessitate salutis. Vt uidelicet docere suos subditos sciat fidei articulos, & decalogum, & ordinaria peccata, quæ ei per confessionem deteguntur, & ut pœnitentibus salutaria consilia præstare ualeat. Etenim ut Malachiæ. 2. legitur, debet populus de ore sacerdotis legem requirere. Non tamen tenentur eiusmodi presbyteri eo usque esse Theologi, aut Iurisconsulti, ut ardua uel sacræ scripturæ, uel sacrorum canonum penetrent: huiusmodi nanque scientia Episcopis, qui sunt maiores sacerdotes, incumbit. Et pari modo admonitio illa. 1. Petri. 3. intelligenda est: ut scilicet parati simus semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est spe: longè enim altius & perfectiùs tenetur ratione fidei reddere Episcopus, quàm plebanus presbyter. Presbyteris nanque satis est, ut arduas causas ad peritiores referãt, quos quid eis agendum sit, consulant. ¶ Ad primum igitur argumentum iam responsum est, illud concludere in peccato mortali uerum sacramentum, tum recipi, tum etiam administrari: tametsi tam recipere illo modo, quàm administrare, sit peccatum mortale. Neque est par ratio de ministerio corporali, quod Christo in sua persona impẽdebatur, ac de ministerio spirituali, Etenim quia Christus ceu peccatorum medicus uenerat, non renuebat sed amplectebatur peccatores ad se aduentantes. Qui uerò in spiritualibus sacramentis ministrat, mediatorem agit inter Deum & homines, ut per suum ministerium gratiã Deus populo impertiatur. Et ideo dignè eiusmodi ministerium, nisi ab eo, qui est in gratia, non exibetur. Quãquam & peccatores ad Christum properantes, & potissimũ Magdalena, iam tunc digito Dei attacti accedebant. ¶ Ad tertium respondetur, quòd si fieri modò posset, ut sacerdotes ea sanctitate pollerent, qua Diuus Nicolaus, aut alij id genus sancti patres, & populus eo charitatis igne flagraret, quo primitiui Christiani, congrueret fortasse, ut sacerdotes essent pauperes: tamen cùm modò fieri nequeat, ut in tanta clericorum multitudine ea reperiatur sanctimonia, necesse est, ut clerus aliquem honestatis habeat splendorem in uictu & uestitu. Imò & aliqua sint clericis præmia decreta, quibus ad literarum studia alliciantur. Ob idque è re

Malac. 2.

1. Petri. 3.

Solutio primi argum.

Solutio tertij argum.

Ecclesiæ decoris interest ne ullus ordinetur citra beneficium aut congruens patrimonium.

è re ecclesiæ ẽ, ut nemo ad sacros ordines assumat absq; titulo bñficij, aut patrimonij, ne alia incommoda clericatui indigna accidant: nẽpe, ut tã immodicus sit sacerdotum numerus, ut nequeant nisi mendici uenire. Qua utique ratione usu iam in magnum scandalum cedere. Nam præterquam quòd pro missa, non pretium, sed eleemosyna sit eroganda, quæ, ut nomen ipsum sonat, libera esse debet, cur non poterit sacerdos, etiam gratis pro amico sacrum facere, sicut & aliud beneficium ei impendere? Quòd si gratis, cur non & pro quacũque parua eleemosyna? Certè si Augustinus talia mandata audijsset, non potuisset non execrari. Est enim mandatum (si ullibi est) iniquum, atq; iniquius si sententiam excommunicationis habeat annexam. Quare nullus sacerdotum ei parere tenetur. Satis enim esset admonere populum, ut in uictum sacerdotũ largiores pro sacrificijs erogaret eleemosynas. Sed dicunt episcopi. Nequeunt sacerdotes minori subsidio sustentari. Hi uellem tria responsa adnotarent. Primum: quòd decimæ, sacerdotia, & beneficia in alimentum sacerdotum sufficiunt, quare si illi, qui fructus donauerant, residerẽt, quæcunque eleemosynæ sufficerent, sed quia eiusmodi beneficia absque ulla residentia perinde ac propria patrimonia possident, ac subin de ecclesias proprio patrimonio, quod sacerdotum stipendium erat, expoliant, in causa sunt, ut mercenarij mendicatis eleemosynis cogantur uiuere, & omnium literarum ignari seruitio ecclesiarum deputentur, quarum fructibus alij impinguantur, qui cùm non laborant, nec manducare, ut ait Apostolus, deberent. Secundum est, quòd episcopi iure prohibiti sunt quẽquam ad sacros ordines admittere, nisi beneficium habeat, uel patrimonium, quo sustentari possit. Huius autem prohibitionis nullam ferè rationem habent. Quare cùm sua sit culpa, qui mendicos ordinant, pergunt onus imponere populo, qui illos, acsi decimas non soluerent, insuper alant. Sed accipe tertium, cum absque ullo ferè examine & delectu quoslibet ad clericatus ordines suscipiant, fecerunt iam presbyteratum merum officium de pane lucrando. Quo circa non pro deuotione ordinis, sed, ut ociosius in clericatu, quàm in alijs opificijs uiuant, ordinantur. Qua ratione numerus pauperum sacerdotum, adeò creuit, ut ecclesiæ nullum adferant decorem, sed populo multum oneris. ¶ Ad quartum respondetur, concesso peccatum esse mortale sacramenta in peccato administrare. De recipientibus autem ab indignis sacerdotibus, & præsertim à præcisis, latè diximus distinctione. 1. quæst. 5. arti. 6. & latius distinct. 22. quæstio. 1. articu. 4. quibus in locis constitutionem Concilij Constantiensis explicuimus.

Contra episcopos qui prohibent ne sacerdotes minoripretio sacra peragant.

Solut. quarti argum.

Episcoporum obiectio.

Primũ responsum. Nota.

Episcopus indignos ordinans grauissimè Peccat.

Secũdum. Nota.

Ordinandorum dignitas de iure diuino est.

Tertium. Nota.

Suscipiens sacramenta ab indignis.

QVAESTIO SECVNDA, *De potestate ecclesiastica & exemptione clericorum.*

ARTICVLVS. I.

Vtrùm potestas ecclesiastica sit hac ratione suprema, ut ciuilis ab ea, tanquam eius delegata, pendeat.

Præ pretium duximus in calce huius materiæ ordinum de pãte ecclesiastica respectu ciuilis quæstionem adhibere, in duos articulos

articulos distinctam. Quotum primus sit utrum potestas ecclesiastica sit hac ratione suprema, ut ciuilis ab illa tãquam eius delegata dependeat. Arguitur enim à parte affirmatiua, Christus ecclesiã ceu optimam rempublicam instituit: optima uerò ea respublica est, quæ instar regni unico summo capite gubernatur, ut. 3. Politi. autor est Philosophus: summum uerò caput esse non potest in ecclesia, nisi potestas ciuilis sit prorsus ecclesiasticæ subiecta, ut Papa sit dominus omnium tã temporalium quàm spiritualiũ. Alioqui duo essent capita, quod 12. Meta. idem reprobat Philosophus. Et confirmatur ex illo ad Roma. 12. &. 1. Corinth. 12. ubi Paulus ait, Christianos omnes esse unum corpus ex diuersis membris constans: unius nanque corporis, ne sit monstrum, unicum debet esse caput. Quod exemplo apũ Hieronymus declarat cano. In apibus. 7. q. 1. ¶Secundò arguitur. Christus illam potestatem suo uicario reliquit, quam ipse habuit: ipse autem etiam inquantum homo non solùm fuit Dominus regni cœlorum in spiritualibus, uerùm etiã rex temporalium: ait quippe Ioan. ult. Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra: quare in Apocalypsi capit. 18. pronunciatur Rex regum, & Dominus dominantium. ¶Tertiò id è iure canonico colligitur: nã à quocunque iudice seculari in quacunque causa potest ad sedem apostolicam appellari. 11. quæstio. 1. cano. Quicunque item. & potest Papa deponere reges: nam Zacharias Papa Regem Francorum tanquam regno inutilem deposuit. 13. quæst. 6. cano. Alius. & Innocentius Federicum, distin. 96. cano. Duo sunt. ¶In contrarium autẽ est autoritas Pelagij Papæ eod. citato cano. Duo sunt. ubi ait, Duo sunt, Imperator Auguste, quibus hic regitur mundus, autoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.

Partis negatiuæ argumẽtum primum.

Secũdũ argumentũ.

Tertiũ argumẽtum.

Decisio articuli.

¶De hac lite, ut lib. 2. ca. 113. ait Turre Cremata, duæ sunt è diametro distantes opiniones, inter quas media est tanquam catholica constituenda. Sunt etenim qui eo studio, & (ut putant) religionis zelo, extollere contendunt dignitatem apostolicam, ut arbitrentur Romanum Pontificem summum iudicem tam in temporalibus, quàm spiritualibus, atque adeò ad ipsum pertinere reges ac principes seculares instituere, qui ideo sunt sicut eius uicarij delegati. Hãc opinionem ebibit Augustinus de Anchona in tract. de potesta. eccles. quem Sylueſter uerb. Papa. §. 2. secutus est. Cuius etiam patronus fuit Panormitanus, atque alij iurisperitorum complures. Alij in alterum extremum collapsi omnem prorsus temporalem potestatem summo Pontifici detrahunt. Imò in tẽporalibus ciuili omnino potestati subijciunt, neque ullam clericorum exemptionem iure diuino permittunt. De qua hære si sequenti artic. copiosiùs dicturi sumus. ¶Ad quæstionem ergo præsentem quinque conclusionibus respondetur. Prima. Potestas ecclesiastica & ciuilis sunt duæ distinctæ. Assertio est Pelagij citato can. Duo sunt. At quia materia hæc ad ius diuinum attinet, ex testimonijs scripturæ sacræ est colligenda. Nam quia (ut bona uenia dixerim) interpretibus sacrorum canonum non datum est de iure diuino & naturali ad amussim tractare, nil mirum si impræsentiarum hallucinentur. Canones enim sacri, qui hac de re loquuntur, per sacram scripturam ex qua collecti sunt, ueniunt elucidandi. Probatur ergo conclusio, Potentiæ & artes, ut. 2. Ethi. autor est Philosophus, per actiones differunt, & actiones per obiecta & fines, quò actiones diriguntur: sed in corpore mystico Christiano sunt duo fines, unus naturalis, quò ciuilis administratio tendit: nempe, pax & tranquillitas reipublicæ: & alter supranaturalis, qui in diuino conspectu possidetur, quem uti ait Paulus, neque oculus uidit, neque auris audiuit: ergo sunt potestates diuersæ ad illos consequẽdos. Ratio est Hugonis par. 2. de sacrament. ubi ait, quòd cùm duæ sint uitæ, una terrena & altera spiritualis, ut utraque in iustitia seruentur, & utilitas proueniat, necessaria est duplex potestas ad conseruationem iustitiæ: una, quæ præsit terrennis ad gubernandam ciuilem uitam, atque altera, quæ præsit spiritualibus ad cõponendam uitam spiritualem. Eadem autem ueritas secundò probatur. Potestas ecclesiastica est facultas clauium regni cœlorum, ut patet Matth. 16. & 18. ac perinde remissionis peccatorum, ut habetur Ioann. 20. & insuper potestas conficerandi corpus Christi uerum & sanguinem: hæc autem facultas non est potestati

Prima opinio.

Augustin. de Anchona. Sylueſter.

Secũda opinio.

Prima cõclusio.

Ratio conclusionis.

Ratio secunda.

Ratio secunda.

Ratio tertia.

Rõ quarta.

Rõ quinta

Obiectio.

Matth. 22.

Diluti.

Obiectio.

Dilutio.

Dilutio.

Sapient. 7.

1. Cor. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ait Paulus,ex uarijs membris compactũ,

Secunda conclusio.

¶Secunda conclusio. Potestas spiritualis præstantior est ciuili. Conclusionem hãc nomina per se ipsa declarant,ut capit.Solitæ.de maior.& obedien.autor est Innocentius. Reprehendit enim illic Pontifex Constantinopolitanum Imperatorem,

Innocent.

qui propter illud testimonium. 1.Petri.2.

1. Petri.2.

Subiecti estote omni um humanæ creaturæ propter Deum, siue regi tanquam præcellenti,siue ducibus tanquam ab eo missis ad uindictam, &c. opinabatur regiam potestatem cæteris præcellere. Reprehendit,inquam,obijciens, illic Apostolum solùm significare præcellentiam Regum in temporalibus respectu ducum & aliorum, qui ab illis illa recipiunt.Sed nihilominus Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori. Itaque sicut anima corporis est uiuificatrix, & spiritus corporis dux:ita & spiritualis potestas debet temporalibus præeminere. Cui & aliam similitudinem aptissimam subiecit,

Similitudo optima.

quòd Deus pontificalem & regalem auctoritates instituit ueluti duo luminaria magna:nempe, solem & lunam: sicut enim sol præest diei, ita & Pontifex spiritualibus:& sicut luna præest nocti, ita & rex tẽporalibus,quæ noctis imaginem præferunt. Adde quod sicut luna à sole,ita & ab spirituali potestate ciuilis recipit lumen: nam sic rex tẽporalia regere debet, & gubernare,ut spirituali religioni subseruiãt.

Ratio secunda.

¶Secundõ id probatur ex fine utriusque potestatis:nam ut 1.Ethic.autor est Philosophus, qualis est ordo inter fines, talis est inter facultates & artes, quæ illos habent propositos fines. Ob id enim equestris ars præstantior est frænifactiua, & nautica superior arte extruendarum nauium,quòd fines illorum sint finibus istarum superiores:& ideo equestris præcipit frænifactiuæ qualiter debeat frænum fabrefacere, & nautica nauium factiuæ qualiter debeat nauim conficere:cùm ergo finis spiritualis potestatis sit, ut diximus, sempiterna beatitudo, & finis potestatis secularis sit tranquillus status reipublicæ,qui ad illam supernam beatitudinem retertur,fit ut ecclesiastica potestas sublimior sit. Exemplo id præterea confirmatur Pauli ad Hebræ. 7. ubi probat, quòd sacerdos Melchisedech superior fuit,quàm secularis Abraham, propterea quòd ut legitur Genes.14. Melchi sedech Abrahamum benedixit, & sine dubio maior,inquit,est qui benedixit,quàm qui benedicitur. ¶Tertia conclusio. Excellentia potestatis ecclesiasticæ respectu ciuilis non est huius rationis, ut papa sit dominus totius orbis in temporalibus. Non loquimur de peculiari regno, si Pontifex Maximus earum urbium & prouinciarum, quarum habet in temporalibus supremum dominium,uerè sit rex temporalis,cùm in illis nullum in terris superiorem agnoscat.Hoc enim adeò non inficiamur,ut fateamur,ad eius munimẽ & splẽdorem pertinere.Sed de uniuersali regno orbis,aut totius,aut Christiani. Conclusio hæc ex prima consequitur: nam si Papa esset supremus dominus omnium, non essent duæ potestates,sed una: tunc enim sicut antistites omnes subduntur pontifici summo, & duces regi, eadem ratione & forma reges subderentur Pontifici maximo,ab illoq; prorsus eodem modo penderent:quare sicut tota potestas ecclesiastica est una,& tota ciuilis una, pari modo tunc ambæ simul essent una.

Tertia cõclusio.

Ratio conclusionis.

¶Quò autem conclusio hæc & subsequentes per primum earum fundamentum elucescant, adnotandum est, non aliam Christum suo uicario reliquisse potestatem,quàm ipse inquantum homo, orbisque redemptor accepit: nullum tamen regnum temporale assumpsit, sed illum rerum temporalium præcisum dominium, quod ad finem redemptionis erat necessarium. Dixerim, inquantum homo: nam quatenus Deus erat, uniuersis mortalibus nedum Christianis, confessissimum est & receptissimum, iure creationis absolutum esse orbis dominum & regem. Domini enim, ut est in psalmo, est terra & plenitudo eius, & ut legitur Sapientiæ. 8. per ipsum reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Quare Ioan. Faber qui super legem Cunctos populos. C. de summa trinitate. adstruere contendit Christum fuisse Regem, quia erat Deus, nihil ad rem attulit. Disputamus enim de ipso, qua ratione homo erat. Atqui inquantum homo poterat quidem, si uoluisset, uniuersale dominium orbis etiam seculare accipere.Sed tamẽ,quod nos asserimus,

Fundamentum conclusionum

Sapient. 8.

rimus est, non accepisse eiusmodi dominium & regnum, sed solùm spirituale, & de temporalibus quãtum ad illud erat necessarium. Est enim spirituale regnum illud, quod supra diximus habere pro fine proximo uitam æternam:& temporale illud,quod circa pacificum Reipublicæ statum uersatur. Probatur ergo primò conclusio. In toto euangelio nulla fit mentio regni Christi temporalis: igitur uanum est,ne dicam temerarium, illud asserere: quoniam rem tanti momẽti, si uera esset, nunquàm euangelistæ siluissent: solùm autem meminerunt de spirituali, quod appellatur regnum cœlorum. Quare prothema prædicationis præcursoris Ioannis ac subinde Christi fuit Matth.4. Pœnitentiam agite,appropinquabit enim regnum cœlorum,& Matth.5.Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Atque id genus plura. ¶Secundò id plana ratione confirmatur. Christus, qui cùm Deus esset,ut ait Dauid, bonorũ nostrorum non egebat, humanitatem nostram sola ea ratione & fine induit,ut nostram redemptionẽ perficeret: hac enim ratione, & fidẽ nobis prædicauit, & leges instituit,& Apostolos,ac Pontifices creauit,qui nostri essent pastores, ut ad illam nos beatitudinem perducerent:hæc enim est regni cœlorum facultas: ergo cùm Christus nihil superfluum assumpserit, & potestas temporalis regni, quàm latè & absolutè patet in regibus secularibus, ad illum finem non fuerit illi necessaria, consequens fit, ut neutiquam illam assumpserit. ¶Sed aiunt patroni contrariæ sententiæ, potestatem regiam totius orbis Christum propter suam eximiam excellentiam & dignitatem usurpasse.Ve runtamen in contrarium stat ratio, quòd hoc minimè ad eandem eius excellentiã pertinebat. Quæ etenim rogo honoris accessio fieret Christo cum per se ipse Deus esset, & inquantum homo rex etiã regni cœlorum, si temporalia dominia & regna: hoc est, eorum potestatem assumpsisset? Profectò nulla. Quin verò longè altiùs eius maiestas inde commendatur, quòd præter id, quod ad suum ipsius munus erat necessarium, totum mundum despectui habuit: nam in paupertate uixit, & humiles abiectosq; in apostolos elegit, & contra mundi gloriam & pompam semper prædicauit: paupertatemque,humilitatem, & mundi abrenunciationem, tum docuit, tum & laudibus extulit.Quæ quidem uita post lapsum Adę optima est, & paucioribus periculis peruia. Vnde Pau.ad Philippen.3.Hæc omnia tanquam stercora arbitratur. ¶Tertiò arguitur. Nunquam Christus munere hoc regiæ potestatis functus est, imò semper se ab huiusmodi usu subtraxit, quod contrariæ opinionis fautores fatentur, quoniam diffiteri nequeũt: nam ut ipse de se ait Ioan. 3. Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Et quando adultera illa ei delata fuit, cuius causam iudicaret, nullam sententiam, ut iudex tulit, qua illam uel condemnaret uel absolueret', sed tãtùm ius naturale ac diuinum explicuit, Qui sine peccato est uestrùm, primum in eam lapidem mittat. Et quando numisma census illi oblatum fuit, noluit se iudicem exhibere, deberetur ne Cæsari tributum nec ne, sed illud eorum iudicio reliquit: ius duntaxat naturale & diuinum commendans, ut si quid Cæsari deberetur,ei solueretur, sicut & Deo quod suum est.Et quando alij eum conuenerunt,ut inter ipsos iudex sederet, munus illud detrectauit dicens, Quis me constituit iudicem inter uos?igitur si nunquam regis munere functus fuit, fit ut neque talem potestatem assumpserit: nam superuacanea est & uana potestas,quæ nunquam reducetur in actum. Oculus enim uel auditus nullã dignitatem homini adiungeret, nisi propter usum. Quare si Christus nunquam illa potestate, erat usurus, nulla ei inde accrescebat dignitas. Adde quòd cùm potẽtia per actus innotescat, si euãgelium nos docet nullum habuisse uel usum uel splendorem regiæ potestatis,absque fundamẽto asseritur illam assumpsisse. Nam si propter suam dignitatem illam accepisset,debuisset illam per usum hominibus propalare. Id quod ab eius proposito tantum abfuit, ut quando eum turbæ in regem eligere adornabant, se eorum conatui subduxerit. Futile ergo commentum est lepida illa quorundam cogiratio dicentium in Christo fuisse potentiam regiam, non autem usum. ¶Quartò etiamnum euidentiùs arguitur. Christus, ut euangelico testimonio docemur, non fuit nisi rex Iudæorum:

Ratio prima conclusionis.

Ratio tertia.

Ioan.3.

Matth.4.

Ratio secũda.

Matth.22.

Lucæ. 23.

Obiectio.

Dilutio.

Quartum argumentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dæorum: rex autem Iudæorum non erat futurus rex temporalium bonorum, sed spiritualis sempiternæq; hæreditatis: ergo non fuit rex in temporalibus, ut sunt seculares reges. Hoc planè confirmatur ex illo Ioan. 18. ubi cùm de hoc ipsum coram Pilato accusassent, quòd regem se fecisset, interrogatus à præside an rex esset, scisciatus est uicissim eum utrùm à se ipso id diceret, an uerò alij id dixissent de illo: acsi quæreret, de quonam regno id intelligeret: de illo ne seculari quo Romani & cæteri gentium regnant, an de alio altiori? Et cùm Pilatus respondisset, non à se, sed relatione gentis Iudaicæ id dixisse: concedens Christus illum ipsum se esse regem quem illi expectabant, adiecit, regnum suum non esse de hoc mundo: hoc est, illius generis, cuius sunt regna temporalia & caduca. Quapropter præsesterium illud non intelligens eum ab obiecto crimine absoluit. Et postmodum quasi spiritu prophetico epitaphium illud cruci affixit, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. ¶Quòd si prisca prophetarum uaticinia consulamus, id palàm manifestant. Ait enim ipse per prophetam psalmo. 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo (hoc est, à Deo) super Sion montem sanctum eius (nempe, super ecclesiam) prædicans præceptum eius. Ecce regnum eius in sola fidei prædicatione constitisse regni cœlestis. Cui & ipse Matth. 28. consonat ubi ait, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c. ubi potestatem non aliam sibi datam affirmat, quàm quæ ad regnum cœleste pertinebat. Et Hieremiæ. 23. Ecce dies uenient, dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. In diebus illis saluabitur Iuda: hoc est, solùm erit rex ad saluandum Iuda. Et Esaiæ. 9. Super solùm Dauid, & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud amodò in sempiternum. Sic enim ait Dauid de sua prole psalmo. 144. Regnum tuum, regnum omnium seculorum: quia non finitur ut seculare per elapsum mortalis uitæ, sed absque interpollatione durat in æternum. Atqui hoc ipsum exposuit angelus ad Mariam dicens, Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. ¶Quòd autem alij fingunt fuisse regem iure paterno: quia Ioseph descendit à Dauide per Salomonem, & beata uirgo per Natham, nihil ad rem. Primò, quia illud non erat regnum nisi peculiare illius prouinciæ: loquimur autem de regno uniuersali totius orbis. Deinde quòd regnum illud temporale Dauidis in Sedechia prorsus extinctum fuit iuxta prophetiam Hieremiæ. 22. ut 4. Re. 24. scriptum est. Vnde Ambrosius lib. 3. super Lucam ait quòd licet Christus rex à Ieconia descenderit, cui comminatum est per prophetam, neminem suæ sobolis futurum regem, nulla tamen (inquit) est contradictio: quia non regnauit seculari honore, neque sedit in sede Ieconiæ, sed in sede Dauid. Imò licet Ieconias sederit in sede Dauid, non tamen in eadem, qua Christus: quippe qui regnum habuit æternum, quale neque Dauid ipse habuit.

¶Postremò denique eadem ueritas omnium sanctorum patrum testimonio confirmatur, quibus res fuit semper indubitata, non aliud Christum assumpsisse regnum, quam spirituale cœlorum. Vnde Aug. libr. 83. quæst. 61. & ubilibet de hac re. differit, non ait nisi quòd Iesus Christus fuerit rex noster, eo quòd nobis pugnandi & uincendi monstrauit exemplũ, cuius ducatu ab Aegypto liberamur, & in cœlestem Hierusalem, tanquàm in terrã promissionis, introducimur. ¶Quòd si quispiã nobis D. Tho. obiecerit opusculo. 20. li. 3. ca. 3. ubi cõtrariam nonnullis apparet docuisse opinionem, respondetur q̃ nemini eum attentè inspicienti talis fuisse opinionis apparebit. Id enim tantùm illic constituit, q̃ Christus fuerit monarcha totius uniuersi. Id quod ex illo psalmo. 8. deduxit. Omnia subiecisti sub pedibus eius: & ex illo Malachiæ, Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen eius. Hæc autem testimonia solùm de regno suo cœlesti intelliguntur, cuius respectu omnia sunt illi subiecta. Quod ipse S. Tho. fatetur subdẽs, dominiũ illud. & regnum Christi ad salutem animæ ordinari, & ad spiritualia bona, licet à temporalibus, inquit, non excludatur eo modo, quo ad spiritualia ordinantur. Non ergo affirmat fuisse regem in temporalibus nisi præcisè in ordine ad spiritualia. Et ita sunt intelligenda postrema eius uerba in 2. sententiarum. ¶Burgensis uerò additione. 3. super primum cap. Matth. contrariã commiscit opinionem: nempe, fuisse regem in temporalibus. Tametsi fateatur ex prophetarum uaticinijs minimè colligi: quippe qui non nisi regnum æternum illi adscribunt. Sed ait, quòd quia Iudæi expectabant eum fore regem etiam temporalem, ordinauit Deus ut eandem quo que Christus haberet dignitatem. Est autem cõiectura hæc adeò tenuis, ut potius nostram confirmet sententiam. Existimatio enim illa Iudæorum falsa erat & erronea: nam præter testimonia citata habebant illud clarum Zachariæ, Ecce rex tuus uenit tibi mansuetus sedens super asinam, quo docebantur absque regia pompa uenturum. Non ergo decuit, ut propter illum errorem Christus regnum assumeret temporale.

¶Boni consulat lector si hoc ueritatis fundamentum tam multis confirmauerim. Ex quo iam ad confirmationem tertiæ cõclusionis positæ reuertamur. Enimuerò quanuis Christus regnum temporale simpliciter assumpsisset, non tamen inde fieret protinus consequens, ut parem potestatem suo uicario commisisset: nam dicere possemus illud ad potestatem eius excellentiæ attinuisse, ut sacramenta instituere, & absque illis gratiam conferre, quod munus papæ non commisit. At cùm neque ipse huiusmodi regiam potestatem assumpserit, planissimum est, neque illam suo contulisse uicario. ¶Sed præterea eadem ex illo ueritas elucescit, quod Christus ait Matthæi. 20. & Lucæ. 22. Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos: non ita erit inter uos. Sed qui maior est inter uos (nempe Petrus, qui futurus erat ecclesiæ caput) sit sicut minister uester. Filius enim hominis nõ uenit ministrari, sed ministrare, & animã suã dare in redẽptionem pro multis. Quem locũ Bernardus lib. 2. de considera tione ad Eugeniũ inducẽs ait. Nã quid tibi aliud dimisit Apostolus? Quod autem, inquit, habeo, hoc tibi do. Quid illud? unũ scio, non est aurum nec argentum. Esto ut alia quacunq; ratione hoc tibi uendices, sed non Apostolico iure: nec enim ille tibi dare quod non habuit, potuit: quod habuit dedit, solicitudinem (ut dixit) super ecclesiã, Nunquid dominationẽ mundi? Ipsum audi. Nec dominantes, inquit, in clero, sed forma facti gregis. Et ne fortè putes sola humilitate dictũ, non etiam in ueritate, uox domini in euãgelio est, Principes gentium dominantur, &c. Planè apostolis interdicitur dominatus. Quomodo tu & tibi usurpare audes aut dominans apostolatum, aut apostolus dominatũ? planè ab alterutro prohiberis. Si utrumq; si mul habere uoles, perdes utrumq;, alioqui non te exceptum illorum numero putes. Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui. Forma apostolica hæc est. Dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Et infra, Exi in agrum, ager mundus est: exi: non tanquã dominus, sed tanquam uillicus. Hæc ille. Non potuit Christus Bernardo interprete, luculentius hoc temporale dominium ab Apostolis abalienare. Quare figmentum est dicere Papam habere potentiam huius duminij absque usu. Multò enim efficacius de illo, quàm de Christo arguitur, frustraneam esse potentiam, quæ non potest reduci ad actum. ¶Item. Si talem potentiam haberet, posset etiam Papa citra iniuriam principum iurisdictionem usurpare, atque reges, etiam extra causas fidei amouere, & instituere: quod certè sanctissimi pontifices, quicquid assentatores eius affirmauerint, nunquam attentare audebunt. Agnoscit enim Innoc. citato can. Duo sunt. duas esse potestates distinctas imperatoris & papæ. Neq; aliã tribuit Papæ super reges quàm pastoris, ut illos possit excõmunicare, & causa fidei amouere. Et can. Si imperator. ait, imperatorem priuilegia habere suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est. Et cap. Per uenerabilem. qui filij sint legitimi. ingenuè fatetur se non habere potestatem in temporalib. super regẽ Franciæ. Et quicquid alij somnient, id de omnibus regibus intelligit. Et can. Cùm ad uerũ. Nicolaus expresse ait, quod nec imperator iura pontificatus unquàm arripuit, nec põtifex nomẽ imperatoriũ usurpauit: quoniã mediator Dei & hominum homo Christus Iesus actibus proprijs & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discreuit. ¶Hæc præterea patentius cõfirmantur. Administrationes reipublicæ ecclesiasticæ & ciuilis

Ioan. 18.

Testimonia prophetarum.

Psalmus. 2

Matth. 28.

Hiere. 23.

Esaiæ. 9.

Psal. 144.

Christus an fuerit rex iure paterno.

Hiere. 22.

Sanctorũ testimonia

Augustin.

Obiectio.

Dilutio.

Psalm. 8.

S. Thom.

Burgensis.

Burgensis coniectura leuis.

Zacharia.

Confirmatio tertiæ conclusionis.

Alia confirmatio.

Lucæ. 22.

Bernar. li. 2. de considerationeadEugenium.

Osee. 8.

Argumentum.

Aliud arg.

Innocen.

Nicolaus.

Confirmatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

adeò sunt diuersæ,ut ecclesiastica per negotia secularia maximè impediatur: quapropter omnia canonica iura clericalem ordinem, ne se negotijs secularibus implicet,instanter admonent. Quam ob rẽ iustissimum fuit,ut à re uxoria essent alienissimi:nam,ut ait Pau.qui uxores habẽt, quærunt quomodo placeant uxori. Qua utique de causa eod. can. Nicolaus ait,ꝙ sicut imperator non debet se diuinis negotijs immiscere,ita nec papa, Deo militans,secularibus negotijs implicari,ne nõ diuinis rebus, sed secularibus præsidere uideatur. ¶Sed ut patentiora etiamnum hæc fiant,rursus arguitur.Potestas tam ciuilis quàm ecclesiastica diuinitus est instituta:non est enim potestas, ut ad Rom.3. ait Apostolus,nisi à Deo:quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt;& ideo qui potestati resistit siue ciuili,siue ecclesiasticæ, ordinationi Dei resistit. Diuersimodè tamen Deus sapienter eas disposuit: ciuilem ennim potestatem per ius naturæ,cuius ipse autor est,unicuique Reipublicæ concessit,ut libro.4.de iusti.& iure quæst.4. art. 1.copiosè monstrauimus: cuicunq; enim reipublicæ sua ipsius gubernatio competit,ueluti rebus uniuersis sua ipsarum cõseruatio:uidelicet,ut se uel optimatũ potentia,uel populari regat,aut regali:quare suapte sponte in principem omne suum imperium & potestatem transtulit, ut l. Quod principi.de constitutio.principum. ff.legitur.Ecclesiasticam uerò potestatem Christus per se suo uicario contulit: Regia ergo potestas à Deo per rempublicam deriuatur:in quo sensu illud Sapient. 8.intelligitur,Per me reges regnant,& legum conditores iusta decernunt: sed potestas ecclesiastica & euangelica à Christo est Petro collata:non ergo aut Petro aut eius successoribus secularia regnorum dominia simpliciter commissa sunt. ¶Ad hæc deinde manifestè arguitur. Lex fidei legem naturæ non destruit, sed perficit: lege autem naturæ, & gentium, quæ ab æterna Dei lege deriuantur, ante aduentum Christi dominabantur reges: unde Daniel.2. legitur, Deum cœli imperium & regnum Nabuchodonosor tradidisse:& Pilato respondit Christus, Nullam in me haberes potestatem,nisi tibi data esset desuper:regna ergo Christus non mutauit: unde eodem loco ad Roma.Apostolus uniuersim de potentatibus etiam infidelium loquens,Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit: quibus & tributa præstare admonet:& 1.Pet. 2.iubet Christianis uniuersis Petrus,ut subiecti sint omni humanæ creaturæ propter Dominum,siue regi,inquit,tanquam præcellenti. Et infra. Serui subditi estote in omni timore dominis non solùm bonis & modestis,sed etiam discolis:unde colligitur,quòd etiam infidelibus regibus, quandiu absque periculo fidei & iniuria saluatoris regnant, parere debeant Christiani:nullò ergo liberiùs Christianorum reges per se suis funguntur potentatibus independenter à Papa, quandiu nullam fidei iniuriam irrogant. ¶Est ergo merum commentum sic Papam dominum constituere ordinarium regnorum temporalium,& regum,uti est supremus iudex rerum prælatorumq; ecclesiæ, aut sicut secularis rex suorum est ducum, & comitũ & aliorum magnatum iudex. Quare neque omnes iurisprudentes illa intincti sunt opinione.Nam Ioan.Andr. Hugo,atque alij nobiscum sentiunt.Neque Syluester contrariæ debuisset adhærere sententiæ,cùm D.Thomas (cuius ille discipulum agit) quanuis fuerit sedis apostolicæ studiosissimus protector,nullibi tale commentum reliquerit.¶Ea propter minoris etiam probabilitatis argumento adstruũt præfati patroni illius opinionis, donationem factam Syluestro à Constantino (si qua fuit) uel à Philippo Cæsare, non fuisse donationem,sed restitutionem. Quinuerò uice uersa Syluestrum bono pacis orientale imperium Constantino donasse. Item quod Papa,si non utitur administratione bonorum temporalium in toto orbe Christiano,non est defectu potestatis, qua reuera pollet, sed propter confirmandam cum filijs suis tranquilitatem & pacem. Nil ergo mirum si alij cordatiores, ceu nugamenta hæc respuant. Si enim simpliciter & absolutè ius haberet omnium temporalium, citra iniuriam posset habere usum, quod nemo illorum fateri audet.¶Quarta conclusio.Non solùm Papa non est dominus temporalium regnorum,imò nec sic superior, ut reges possit instituere:dicere enim quispiam fortè posset, quòd quanuis non sit dominus simpliciter temporalium regnorum, potest tamen uia ordinaria reges ubique instituere, sicut instituit episcopos, licet non sit Episcopatuum simpliciter dominus,uel sicut rex instituit duces & magnates,quanuis non sit illorum patrimoniorum simpliciter dominus:cõtrarium autem asserit hæc nostra conclusio.Quare neque potest inter reges uia ordinaria citra causas fidei iudicare, sicut inter ecclesiæ præsules,uel sicut inter duces.Nisi fortè eorum dissidia in detrimẽtum fidei,aut in religionis perniciem uergerent:tunc enim optimè posset, non tantùm per uiam correctionis fraternæ, ut cap.Nouit,de iudic.ait Innocentius, uerum & coactiuo iudicio.Hæc ex superiori colligitur: quoniam utraque potestatum per se est sufficiens, & diuersimodè diuinitus instituto, ita ut regum quisque in regno suo sit in temporalibus supremus iudex à sua republica creatus. Quocirca eodem capi.idem Pontifex protestatur se non intromittere ad usurpandum iudicium regium.Et Alexander 3.ca.Cum sam in 2.qui filij sint legitimi fatetur non ad ecclesiam de possessionibus iudicium pertinere,sed ad regem. ¶Ex ijs denique fit consequens,quòd quanuis rex in tyrãnidem prorumperet: citra iniuriam fidei, non Pontifici,sed reipublicæ incumberet illum regno depellere.¶In summa,ut cuncta complectamur, in Papa nulla est potestas merè temporalis, ut in regibus, præterquàm in terris sibi seculariter subditis.Id quod Caietanus fidus eius sedis defensor,in apologia de potestate Papæ cap.6.adstruxit.Et ratio est, quia huiusmodi potestas merè temporalis non est ad regimen ecclesiæ necessaria.

¶Ad horum tamen tum maiorem claritatem,tum & firmitatem adhibetur quinta eademque catholica conclusio contra eorum hæresim,qui omnem abdicant Pontifici temporalem potestatem. Potestas quæcunque ciuilis eatenus est ecclesiasticæ subiecta in ordine ad spiritualia,ut Papa possit per suam spiritualem potestatẽ, quoties ratio fidei & religionis exegerit, non solum ecclesiasticarum censurarum fulminibus aduersus reges agere, eosque cogere: uerùm & cunctos Christianos principes temporalibus bonis priuare, & usque ad eorum depositionem procedere.Dixerim,per suam potestatem spiritualẽ:quia potestas Pontificis, quatenus Pontifex est,non est merè temporalis, sed tẽporali utitur:ut spiritualis ministra. Atqui conclusio hæc non est eadem, quæ fuit secunda:illa quippe id duntaxat asserebat,quod ecclesiastica sit superior. Vnde forsan quispiam id duntaxat colligeret,quòd tenetur princeps secularis suas leges & acta fini spirituali admetiri, & obedire pontifici in censuris spiritualibus. Hæc autem asserit præterea, quòd potest Papa uti bonis temporalibus ad suum ipsius finem,& spirituale propositum & per temporales pœnas principes coercere. Ad cuius elucidationem notandum, quod potestas ecclesiastica non solùm est præstantior ciuili,eò quòd eius finis,qui est æterna beatitudo,est perfectior & sublimior fœlicitate ciuili: sed ea insuper ratione quòd felicitas ciuilis non est satis in se perfecta, atque adeò per se est ordinata & relata ad cœlestem beatitudinem. Volo dicere, non esse ceu duas respublicas omnino distinctas & diuersas, quarum nulla pendet ex altera,quales sunt Gallorum & Hispanorum, uel quales erant Romana & Athenienſis:nam ex h s quanuis una esset præstantior & perfectior altera,tamen neutra tenebatur alteri inseruire.Non sic inquam,conferendæ sunt potestates spiritualis & ciuilis: sed ciuilis quæcunque sit, refertur ad spiritualem, quæ unica est omnium Christianorum, eo quòd humana fœlicitas per se est ad diuinam ordinata.Neque sunt ut duæ artes prorsum diuersæ:scilicet, ut ferraria & lignaria,sed sicuti ars armorum fabrifactiua ordinatur ad militarem, & nauiũ structoriæ ad artem nauigandi:quarum inferior tenetur arma & naues taliter fabricare, ut non deuient à fine artis superioris,atque adeò ut ait.1.Ethico.Philosophus,superior artifex præcidit inferioribus qualiter debeant operari: quia ipse est iudex inferiorum artium. Pari enim modo ciuilis respublica ad spiritualem refertur:ambæ enim simul in unum corpus mysticum compinguntur,quod ex ambabus constat,ut ad Rom. 12. & 1. Corin. 12.luculenter declarat Paulus: in uno autem corpore omnia membra debent ad unum caput referri,non autem spiritualia ad temporalia ordinantur, quæ minùs perfecta sunt: ergo è diuerso temporalia

Aliud argumentũ.

Nota.

Opinio alia.

Quarta conclusio.

Conclusio ex superiori colligitur.

Regem tyrannum respublica expellit.

Caieta.

Ratio.

Quinta conclusio.

Potestas pontificis non est merè temporalis.

Potestas ecclesiastica præstantior ciuili.

Ciuilis respublica spirituali subseruit.

Pau.Ro. 12.

Sapient. 8.

Daniel. 2.

ralia debent ſpiritualium iudicio ſubeſſe. Vnde idem Apoſtolus. 1. Corinthi. ſecundo. comparando temporalem facultatem ad ſpiritualem ait, quòd animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed ſpiritualis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Neque uerò obſtat quod ſupra diximus: ſcilicet, regem in temporalibus ſupremam habere poteſtatẽ, quia cum hoc ſtat ſic ſubordinatam eſſe ſpirituali, ut ab illa deuiare non debeat.

Pau. 1. Corinth. 2.

Argumentum. ¶Hoc ergo ſubiecto fundamento arguitur ſic. Ad debitum regimen, & adminiſtrationem Reipublicæ ſpiritualis neceſſarium eſt, ut ſecularis omnis poteſtas illi obtemperet: ergo & neceſſaria ſubinde eſt in præſidente ſpirituali facultas utendi temporalibus, quatenus ad eius finem ſunt neceſſaria, atque adeò cogendi principes dum oportuerit, etiam uſque ad eorum depoſitionem, tanquam membrorum, quæ iam tunc ſunt putrida & peſtifera. Chriſtus autem non defuit in ijs, quæ ſuæ eccleſiæ erant operæpretium: ergo eiuſmodi temporalem poteſtatem ad ſpiritualem relatam tum ipſe in ſe aſſumpſit, tum ſubinde uicario ſuo concredidit.

Secundum argumẽtũ. ¶Secundò ad eandem ueritatem arguitur. Pontifex maximus, paſtor ſummus atque uniuerſalis à Chriſto conſtitutus eſt totius Chriſtiani gregis: paſtoris autem officium eſt errantes oues cuiuſcunque ſint ordinis & dignitatis in uiam reuocare, & quacunque ratione compellere: ergo per illam paſtoralem poteſtatem poteſt, dum opus illi fuerit, temporalibus uti. Atque hac ſe ratione aduerſus Imperatorem Conſtantinopolitanum coarmauit Innocentius in capit. Solitæ. de maior. & obedi. ad illum coercendum. Nobis enim, inquit, in beato Petro ſunt oues Chriſti commiſſæ nullo diſcrimine inter has & illas interiecto: & quod ad Petrum Chriſtus dixit, in ipſo ad eius ſucceſſores dixit, Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. nihil excipiens. Atqui in eodem ſenſu intelligendus eſt Nicolaus Pontifex cano. Omnes. 22. diſtinctione. ubi ait: quòd Chriſtus beato Petro æternæ uitæ clauigero terreni ſimul & cœleſtis imperij iura commiſit. Per iura enim terreni imperij intellexit poteſtatem terrenam bonorum & principum temporalium, non abſolutè, ut falſò putant ſupra citati autores, ſed in ordine ad ſpiritualia. Et ſic intelligenda eſt Gloſſa, ut ueritati ſit conſentanea, quæ inde illic colligit, Papam habere utrunque gladium: quia deponere poteſt reges, ut. 15. quæſtione. 6. cano. Alius. &. 96. diſtinctione, cano. Duo ſunt. Et eodem moderamine audiendus eſt textus Bonifacij in Extrauag. Vnam ſanctam, de maiorit. & obedien. ubi ait, in poteſtate Romani Pontificis duos eſſe gladios, ſpiritualem, ſcilicet, & temporalem. Tametſi dum hunc ſenſum illo uerbo apoſtolorum adſcribit Lucæ. 22. Ecce duo gladij hic, nõ intelligit talẽ ſenſum facere articulum fidei: nam fortaſſe illic Chriſtus dum dixit, Qui non habet gladium, emat illum, non aliud ſignificare uoluit, quàm calamitatem, quæ illis imminebat. Quare Petrus, qui de gladio materiali illud intelligens auriculam Malchi amputauit, culpatus fuit. Nihilominus probè etiam ad propoſitum adaptatur. Quare nunquam niſi cauſa fidei regna per pontificẽ mutata ſunt: hac enim de cauſa Stephanus Papa tranſtulit imperium à Græcis ad Germanos, ut patet, capit. Venerabilem, de electione. & capit. Licet. de foro competenti. Et Innocentius. 4. Regi Portugalliæ regni adminiſtrationem interdixit, ut in capit. Grandi, de ſupplenda negligentia prelatorum, libro ſexto. ¶Oportet autem diſcrimen inter hãc & duas præcedentes concluſiones exemplis aperire. Quanuis enim rex alijs iniuriarum generibus, citra periculum fidei, regni gubernacula adminiſtret, nihil ad Papam, niſi per uiam correctionis fraternæ. Si uerò, ut uerbi gratia dicamus, aut leges in detrimentum fidei rex Chriſtianus conderet: ſcilicet, ſacramentis uel quomodolibet religioni Chriſtianæ aduerſas. Aut ſi Papa concilium indiceret, quod rex contra ius, & fas impediret, aut ſi hæreticis, infidelibus ue fidem noſtram oppugnantibus, aut ſchiſmaticis ſuppetias iret, aut aliam quamuis perniciem uel ſedi apoſtolicæ uel eccleſiæ obmoliretur, tunc Papa poſſet non ſolùm ſpirituali, uerùm etiam temporali gladio aduerſus eum agere. ¶Sed arguis primò contra, Nonne ſatis eſſet, gladio ſpirituali: nempe, anathematis aliarumque cenſurarum fulmina in illos iaculare: uide

Ir no. capi. ſolitæ.

Nicolaus Pontifex.

Gloſſa ca. omnes. 22. diſt.

Extrauag. Vnam ſanctã. de maio. & obe.

Lucæ. 22.

Exempla.

Obiectio.

tur enim non alia habere arma: nam ut Paulus. 1. Corinth. 10. ait, Arma militiæ noſtræ non carnalia, ſed ſpiritualia ſunt. Reſpondetur quòd non ſatisfuiſſet eccleſiæ conſultum, niſi rebus eius per potentatus ſeculares afflictis, dum arma ſpiritualia non ſufficiunt, temporali quoque gladio poſſet illos urgere: quia tunc non haberet uim prorſus coerciuam, qualis eſt illi neceſſaria. ¶Sed rurſus quis forſan ſciſcitetur, utrùm in eiuſmodi euentibus poſſet Papa illico, prætermiſſo ſpirituali gladio tẽporalem eximere: uidetur enim poſſe, quia utrumque habet ex æquo. Reſpondetur id nec decere, nec licere, niſi præſentaneum eſſet in mora periculum: quoniam uia ordinaria Pontificis eſt paſtorale baculum: gladius uerò ſecularis eſt extraordinarius. Debet autem uia ordinaria antecedere, neque gladio uti temporali niſi ingruente exigenteque neceſsitate: uidelicet, dum uires ſpirituales expertus, cognoſcit illas non eſſe ad rem ſatis. Imò uerò niſi eſſet in terris proprijs, quarũ eſt temporalis dominus, ad illas defendendũ in reliquis non cõdecet Papam per ſe bella gerere, ſed quando unus princeps eſt eccleſiæ, aut fidei rebellis & iniurius, alteri debet principi armorum negotium exhibere. Eatenus enim uerũ eſt quod ait Paulus, arma militiæ Chriſtianæ non eſſe carnalia. Quanuis legitimus ſenſus ſit de bellis, quæ quiſque aduerſus dæmones, & propriam carnem ſuſtinet.

Dilutio.

Nota omnino.

Leges fidei noxias põt papa abrogare.

¶Quia uerò diximus, leges, quæ fidei eſſent noxiæ, poſſe Papam abrogare, intelligendum eſt quando apertam afferrent peſtem. Nam illa lex principum, ut teſtamẽtum niſi quinque teſtibus confirmatum non ualeat, non prorſus uero ſcripturæ ſacræ Matthæi. 18. & Ioannis. 8. contradicit. In ore duorũ uel trium ſtat omne uerbum: illud nanque intelligitur ubi ſynceritas humani generis efflоreret: quoniã ubi adeò eſt corrupta humana fides, nil illi uerbo repugnat, plures exigere teſtes: quia lex illa euangelica illud non uetat. Idem, lex, quæ in deceptione intra dimidiam iuſti pretij non permittit actionem, ut leg. 2. C. de reſcind. uenditio. & capit. Cùm dilecti. & capit. Cùm cauſam. de emptione, & uenditione. non eſt iuſtitiæ contraria: quia non abſoluit deceptum in foro conſcientiæ, ſed ſolùm intendit ſopire lites. At uerò ſi rex legem ferret, ut poſſeſſor malæ fidei præſcriberet, illa eſſet tum contra conſcientiam, tum plurium fraudũ dolorumque nutrix: quæ ideo eſſet per põtificem abroganda: ſicuti meritò abrogata legitur, capit. Vigilanti. & capit. fina. de præſcriptionib. Atque idem de alijs id genus, quas conderet peſtilentes.

Nota.

¶Primi ergo argumenti ſolutio ex ſuperioribus facilè colligitur. Poteſtas enim ciuilis & eccleſiaſtica duæ ſunt diſtinctæ, ut dictum eſt: Chriſtus autem ſolam eccleſiaſticam inſtituit ſub uno capite uniuerſi orbis: ciuilem uerò à iure diuino & naturali deriuatam; reliquit, ut unicuique regno ſuum eſſet caput: ſed uoluit ciuilem ſic ſubordinatam eſſe eccleſiaſticæ, ut eius iura non aduerſarentur fidei, & legi, quam ipſe prædicauit: atque hac ratione Põtifex eſt unicum caput omnium Chriſtianorum regum. Et ille eſt ſenſus Pauli dicentis, omnes Chriſtianos eſſe unum corpus Chriſti myſticum. Nam de infidelibus nihil amplius ad papam ſpectat, quàm fidei cõcionatores ad ipſos mittere, qui eis more & ordine legitimo fidem perſuadeant. Sed de hoc nihil ad locum præſentem, neque de imperatore, an ſit unus totius orbis: quod, libro quarto, De iuſtitia & iure. copioſe tractauimus.

Soluti primi a.

¶Ad ſecundum uerò ſatis reſponſum eſt, Chriſtum non aſſumpſiſſe regnum niſi ſpirituale, & de temporalibus quantum ad illud erat neceſſarium. Et hoc eſt, quod citata teſtimonia ſacra docent.

Solutio ſecundi arg.

¶Ad tertium denique reſpondetur, quòd canon ille, Quicunque litem. 11. quæſtione prima, abrogatus eſt, ut bene ait Gloſſa, quod multis decretis probat, ut capit. Si duobus, de appellationibus. &. 2. quæſtione ſexta. can. Non ita, ac pluribus alijs. Eſt enim ille textus non ſacra determinatio eccleſiæ, ſed Theodoſij imperatoris, qui uoluit ſe erga ſedem Apoſtolicam pientiſsimum exhibere. Iam ergo nunc tẽporis in cauſis ciuilibus nulla eſt appellandi neceſsitas ad eccleſiam.

Solutio tertij argum.

¶Quòd ſi arguas, Omnium peccatorum Papam eſſe iudicem: reſpondetur, hoc eſſe uerum in foro ſpirituali, ſed in foro exteriori non niſi cauſarum eccleſiaſticarũ: ciuiles autem per iura ciuilia ſunt iudicandæ, niſi dum inter reges iuribus omnibus ciuilibus conſultis conueniri non poſſet: tunc

Obiectio.

Dilutio.

tunc enim Papa per uiam correctionis fraternæ posset se in medium inducere, iuxta tenorem capit. Nouit. extra de iudicijs.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm clerici sint à potestate ciuili exempti.

SVperiori articulo adnectitur disputatio de exemptione clericorum: apparet eũ neque in suis esse personis, neque uerò in suis bonis exemptos. Primùm, quia si expediret illos ea libertate donari, Christus in euangelio id admonuisset, & tamen nullus est in Euãgelio apertus locus, quo eximantur.

Partis negatiuæ argumẽtum primum.

Secũdũ argumẽtum.

¶Secundò arguitur, Clerici quãuis sint sacrorum ministerio addicti, nihilominus sunt ueri ciues: ergo tenentur legibus Reipublicæ, quatenus ecclesiasticis officijs non obstant, obtemperare: & eadem ratione onera eiusdem Reipublicæ, ubi bonum publicum id exegerit: sustinere: ergo neque in personis, neque in bonis sunt exempti. ¶In contrarium est, quòd potestas spiritualis, ut dictum est, ciuili est superior ergo per se est sufficiens, neque ciuili subiecta, atque adeò est exempta.

Pars affirmatiua.

Decisio articuli.

¶De hac quæstione partim cum hæreticis nobis est, & partim inter catholicos nõ satis conuenit. Ad quam ideo quæstionẽ sex conclusionibus respondetur. Prima sit generalis aduersus hæreticos. Negare clericos esse ullo iure ulloque pacto exemptos à potestate ciuili: est error condemnatus, tum contra Ioannem Vuitcleff in concilio Constantiensi, tum etiam contra Marsilium de Padua, & Ioannem de Landino per Extrauagantes Ioannis. 22. Qui quidem quatuor errores sustinebant: primũ scilicet, quòd cùm Christus soluit tributum, hoc non fecit liberalitate & condescensione, sed necessitate coactus. Secũdum quòd ad imperatorem spectat corrigere Papam & instituere. Tertium, quòd unus sacerdos maiorem habeat autoritatem quàm alius, ab imperatore emanauit, & sicut illam autoritatem contulit, potest tollere. Hi, inquam, errores locis citatis damnati sunt, &. 11. quæstione prima per totam, & capit. Non minus. de immunitate ecclesiarum. & capit. Quanquam. de cẽsibus, libro sexto. & multis alijs canonib. quos operosum esset percensere. Solum ergo est nobis explorandum, quo nam iure eiusmodi exemptio nitatur.

Prima conclusio.

Error Vuitcleff cõdẽnatus.

Primus error.

Secundus.

Tertius.

¶Secunda conclusio. Aliquam esse iure diuino clericorum exemptionem à potestate ciuili, constantissimum est: nempe in creandis Episcopis, & sacerdotibus. & in distribuendis diœcesibus & parœcijs: & in litibus inde emergentibus, atque in id genus alijs. Probatur. Potestas ecclesiastica, ut superiori artic. præfati sumus, est non solùm à ciuili distincta, uerùm & ea superior: ergo saltem in causis, quæ merè ecclesiasticæ sunt, nihil à ciuili pendet, atq; adeò nullatenus hac ratione ciuili subijcitur. Secundò arguitur. Potestas ciuilis, ut illic itidẽ dicebamus, à sola republica originem trahit, seu potius, à Deo per rempublicam: potestas uerò ecclesiastica est à Christo immediatè Petro collata dum dixit Matthæi. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, Quodcunque ligaueris super terram, &c. & Ioannis ulti. Pasce oues meas: ergo potestas ecclesiastica quãtùm ad suas proprias causas nullatenus à ciuili deriuata est, atque adeò neque illi subordinatur. Imò uerò e conuerso, ut Innocentius in capitu. Nouit, de iudicijs. ait, in spiritualibus Papa est supremus pastor non solùm clericorum, uerùm & omnium secularium, nemine excepto. Quare seculares principes cohibiti sunt iure diuino de illis causis iudicare, sed ab ecclesia sunt iudicandi, iuxta uerbum Pauli. 1. Corinth. secundo. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritùs Dei, spiritualis autem iudicat omnia. Ob idque apostoli sola Christi authoritate, nulla à principibus secularibus expectata, munere apostolico fungebantur. Quo fit, ut si modò principes aut alij inferiores magnates potestate fungantur præsentandi Episcopos uel alios sacerdotes ad sacerdotia ecclesiastica, totum habeant ex indulto & priuilegio ecclesiæ. Quanquam, uti ait Caietanus in Apologia de potestate Papæ. capitul. 27. non sit principibus neganda illa tyrannidi resistendi potestas, quam iure naturali & gentium habent, etiam in rebus ecclesiasticis. Etenim si (quod absit) summus Pontifex, uel episcopi ecclesiastica bona manifesta tyrannide dissiparent, & sacerdotia in perniciem ecclesiæ prouiderẽt, possent principes

Secũda cõclusio.

Ratio conclusionis.

Secũdũ argumentũ.

Matt. 16.

Ioan. ulti.

Innoc.

Paul. 1. Corinth. 2.

Principũ aliqui sunt patroni ecclesiæ priuilegio Pontificum.

Nota casum.

principes possessiones prohiberè, & ecclesiæ ipsi contra huiusmodi pestem adiutrices manus porrigere. His tamen euentibus exceptis cõclusio est ueriſsima. Et cõfirmatur tertiò ex uerbis & facto Magni Constantini in synodo Nicena, quam historiam Rufinus libro decimo. ecclesiasticæ historiæ capitu. secundo. refert. Et Gratianus cano. Continua. undecima quæstion. prima. citat: nempe, quòd cùm episcopi ei libellos causarũ obtulissent, quæ inter ipsos agitabantur, respondit, Deus nos constituit sacerdotes, quibus & potestatem dedit de nobis quoque iudicandi: & ideo nos à uobis rectè iudicamur: uos autem iudicari ab hominibus nõ potestis. Quæ quidem uerba quanuis (quia nõ sunt nisi Cæsaris) non habeant diuinam authoritatem, est tamẽ uero simillimum instructum à Syluestro & alijs sanctis patribus illa protulisse. Accedit & capit. Quanquã. de censibus. lib. 6. ubi habetur, quòd ecclesiæ ecclesiasticæq; personæ, & res ipsarũ non solùm iure humano, sed diuino sunt ab actionibus secularium personarum immunes: quanuis hoc infra exponamus. Et distinctione. 96. cano. Si imperator. ait Papa, quòd si imperator catholicus est, filius est, non præsul ecclesiæ, discere ei conuenit, non docere.

Rõ. 3. conclu.

Cõstantini Cæsaris uerba.

Authoritatio.

3. Conclusio.

¶Tertia conclusio. Quod res, & bona clericorum sint à potestate ciuili libera, non planè constat ex iure diuino. Nam imprimis, quod Glossa prædicti capit Quanquã & Gratianus can. Tributum. 23. quæstione octaua. ex Genes. 47. in illius confirmationem adfert, uidelicet Ioseph omnem terram Pharaoni præter terram sacerdotum subiecisse, ad confirmandum ius diuinum non ita multum confert: nam sacerdotes Aegyptij non erant propriè sacerdotes, ut nostri, quia neque uera ministrabant gratiæ sacramenta: imò neque uerũ Deum colebant: quare solo iure gentium erant exempti. Tametsi in lege naturæ, ubi ueri dei cultus uigebat, radius illè fidei tunc reuelatæ admonebat sacerdotes instituì. Ius ergo diuinum hoc ex euangelio est perpendendum.

Glossa ca. Quanquã.

Matth. 17.

¶Est autem ad hoc propositum adduci solitus locus ille Matthæi. 17. ubi cùm didrachma à Christo fuisset exactum, ait Petro, Reges gentium à quibus accipiunt tributum uel cẽsum, à filijs suis, an ab alienis? Etrespondit ille: Ab alienis: unde intulit Christus, Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, uade ad mare, & mitte hamum, & eũ piscem, qui primus, &c. Hinc ergo colligi solet Christũ clericorum libertatem, etiam quoad tributa, pronunciasse. At uerò diuus Thomas. 2. sententiarum distinctione. 44. quæstione secunda. artic. secundo. & illic Bonauẽtura, atque alij Theologi, non interpretãtur illum locum, nisi de ipsa persona Christi & de sua familia, eo q̃ non solùm erat filius Dei, uerùm & inquantum Messias & uerus Rex regni cœlorum, erat liber ab omni censu. Quo utique priuilegio diuino iure soli illi gaudent, qui apostolicam uitam secuti statum paupertatis elegerunt. Quapropter super illud ad Romanos. 13. Ideo & tributa præstatis (scilicet principibus) inquit, A solutione tributorum clericos esse exemptos, priuilegio principum, quod naturalem æquitatem habet. In cuius confirmationem citat allegatam historiam Ioseph, qui terram sacerdotum liberam Pharaoni reliquit: quam quidem nõ adducit tanquam testimonium diuini iuris, quod Canonistæ faciunt, sed alludit ad naturalem æquitatem: quià scilicet clerici diuinis uacantes laborem principum compensant, qui administrationi ciuilis reipublicæ insudant.

Loci Mat. declaratio.

S. Tho. super illud ad Roma. 13.

Historia Ioseph.

4. Cõclusio.

¶Quarta conclusio. Personæ ecclesiasticæ neque iure diuino neq; humano sunt omnino à legibus ciuilibus exemptæ. Probatur, Clerici non obstante clericatu sunt ciues Reipublicæ, & eius membra: sed respublica ciuilis non gubernatur, nisi legibus principum: ergo quatenus prædictæ leges ad pacem & tranquillitatem Reipublicæ spectant, clerici tenentur eis parere. Alioqui clerici Hispani non magis tenerentur legibus Hispanis obtemperare, quàm Gallicis, quod est falsum. Enimuerò si rex pretia frumenti, aut olei, aut quarumcunque rerum lege moderetur, clerici carius uendentes mortaliter delinquunt, & ad restitutionem, sicuti laici tenentur. Et idẽ est de multis alijs legibus. Tametsi à pœnis iuris, quæ sunt corporales, sint excepti. Non enim clerici propter homicidia uel furta suspenduntur.

Rõ cõclusio.

Clerici uẽdentes frumentũ cõtra pragmaticam peccant.

¶Sed dubium est, utrùm transgressores legum ciuilium sint ab ipsis principibus & iudicibus secularibus iudicandi, & punien-

di.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. Conclusio.

di. Et ideo adhibetur quinta conclusio. Quòd personæ ecclesiasticæ non sunt ad seculare iudicium deferendæ, sed sint ab huiusmodi iudicijs exemptæ non expressè constat esse de iure diuino: licet maior sit æquitas quòd personę eximãtur, quàm quòd earũ bona secularia. Imò quòd personæ eximantur est iure naturali & diuino maximè consentaneum. Probatur conclusionis prior pars, quia in euangelio nullum tale testimonium reperitur expressum, Et ideo adduci illud psal. 104. consueuit, Nolite tangere Christos meos. Verum tamen uerbum illud in sensu literali non adaptatur solis clericis Euangelicis: nam & reges sunt uncti, quod Christorum nomen sonat. Et peculiariter uidetur illic Psalmista de prophetis loqui, & de omnibus patriarchis. Neq; aliud uolebat Deus illic explicare, quàm quòd nulla suis ministris irrogaretur iniuria: esset enim atrocior, quam quæ priuatis personis impingitur. Quare licet possit ad clericos applicari, non tamen est in sensu literali testimonium diuinum exemptionis illorum, quandoquidem nulla illic fiebat mentio de administratione iustitiæ.

Psal. 104.

R6.2. Partis cõclusio.

¶Secunda uerò pars probatur. Cùm iure diuino sint ecclesiæ ministri constituti, eidem iuri proximũ esse uidetur, ut nequeãt à iudicibus seculãribus euocari: nam per id maximum obijceretur illis impedimentum, ne idoneè possent ministerijs ecclesiasticis uacare: nemo enim potest duobus dominis seruire. Qua de causa ait Paul. 2. ad Timotheum secundo. Nemo militans deo implicat se negotijs secularibus. Secũdò, quia cùm in causis ecclesiasticis, ut dictum est, iure diuino sint à foro seculari immunes, contingere sæpe posset, ut simul cum illis causæ etiam seculares concurrerent: quare cùm tunc ad diuersa tribunalia euocarentur, perplexi essent cui nam iudicum deberẽt esse audientes. Adde tertiò, quòd non esset decorum, ut ministri ecclesiæ, qui pastores sunt secularium etiã iudicum & regum, tanquam rei coram ipsis sisterentur. ¶Imò uerò quartum argumentum etiam urget, quòd cùm potestas ciuilis & ecclesiastica sint omnino distinctæ, ut supra diximus, necesse est, ut quemadmodum utraque suos habet ministros, ita utriusque ministri habeant suos distinctos præpositos: absurda enim esset nimiũ confusio si episcopi, qui principes in spiritualibus habent iudicare, ab ipsis in secularibus uicissim iudicarentur: plurimum enim inde ecclesiastica authoritas tum obscuritatis tum detrimẽti cõtraheret. Quatuiq; de causa Apostol. 1. Corint. 6. Christianos interdictos curauit, ne apud Ethnicos causas suas tractarent. Audet enim, inquit, aliquis uestrum habens negotium cõtra alterum iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? Tametsi ad Roma. 12. admoneat, ut sint suis potestatibus subiecti. Quare non negat, quin si Christianus conueniretur corã principe ethnico, cui erat subiectus, compareat, sed admonet ut lites euitent, ne actores sint coram ethnicis. Atque hanc conclusionem uerba illa Magni Constantini Cæsaris in supra citato, cap. Continua. 11. q. 1. multùm corroborant, quibus sacerdotes Deos appellat, à suo tribunali exemptos.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Ratio. 4.

Paul. 2. ad Timoth. 2.

Paul. 1. ad Corinth. 6.

6. Conclusio.

¶Sexta conclusio. Quanuis clericis neque in suis personis neque in suis bonis essent iure diuino liberi, nihilominus Papa potuit, etiam inconsultis principibus, & debuit eos ab eorum exactionibus & foro excipere: cui quidem exemptioni principes contrauenire nequeunt, nisi ad uim uirepellendam, sicubi fortè eiusmodi priuilegia in tyrannidem uergerent. Probatur. Potestas ecclesiastica, ut diximus, est per se sufficiens, à ciuili inde pendens: ergo potest per se condere leges, quæ suæ administrationi sunt, uel necessariæ, uel congruẽtes: exemptio autem clericorum non solùm est congruens, uerùm certè moraliter loquendo ad debitam ecclesiæ administrationem necessaria: ergo illos potuit & debuit eximere. Quòd enim quantùm ad personas fuerit necessaria, iam probatum est. Sed quantum ad bona etiam probatur illa superiori ratione S. Thomæ: nam cùm tributa & uectigalia regibus ad suam ipsorum sustentationem pro laboribus, quos in administratione Reipublicæ perferunt, exoluantur, & clerici non minores operas rei ecclesiasticæ impendant, æqua fit recompensatio, ut alia tributa ab eis non exigantur. Atque hæc conclusio fundamentum est canonum, ut 11. quæstione prima & aliorum, quibus clerici eximuntur.

Rõ cõclus.

Bona clericorum exẽpta.

11. q. per totam. Bonifacius. cap. Quanquã. de censib. in 6.

¶Per hæc ergo exponendum est & temperandum uerbum Bonifacij ca. Quanquã, de

de censibus in 6. nempe, quòd personæ ecclesiasticæ cum suis bonis sint iure diuino exemptæ, ut intelligatur primùm in rebus & causis ecclesiasticis: mox quantum ad personas est maximè iuri diuino consonum. Cæterùm quantùm ad bona secularia, quòd Papa per potestatem, quam diuinitus suscepit, potuit & debuit clericos eximere. Fuit enim priscum, ut ait Vrbanus cano. Tributum. 23. quæstione octaua quòd clerici de bonis, non quidem ecclesiasticis, sed secularibus, quæ possidebant, tributa soluerent, sed postea omnia fuerunt exempta, præter illa, quæ per negotiationem acquirerent, ut præfatum ca. Quanquam. affirmat.

Vrbanus.

Nota.

¶Iam uerò in eiusmodi priuilegijs ecclesiasticis & exemptionibus obseruãdis plurimùm potestas ecclesiastica obnubilatur. Cui rei causam negligentia prælatorum suggessit, qui iusto remissiùs clericorum crimina ulciscuntur. Sed tamen ex altera parte prætores etiam nonnunquam exorbitant: nam licet clerici aliquam uim Rei publicæ ciuili uideantur obijcere, rex est qui debet suæ reipublicæ consulere, admonendo summum Pontificem, ut remedium adhibeat. Verbi gratia. Si clerici primæ tonsuræ impunè sanguinem passim fundunt, & cędes faciunt, deberet ad sanctam sedem recurri. Et quando Papa nollet prouidere, posset rex se se protegere. Sed tamen prætoribus, quandiu leges durant, nefas est eas non seruare. Præsertim quòd quanuis rex potestatem habeat uim repellendi, non tamen semper liquidò constat, an in facti contingentia, uis uerè illa sit, quæ uis iudicatur. Et in re dubia ecclesia est iudex. At de ijs quæ ad concursum duorum magnorum luminariũ spectant hęc pauca sufficiant: oportet enim seruum plura scire quàm loqui.

Negligentia prælatorum.

Prętores ciuitatũ.

DISTINCTIO uigesimasexta, De sacramenti coniugij institutione & ueritate.

Textus. Cap. 1.

QVemadmodũ ordinis sacramentum procreandis Dei filijs secundum spiritum idoneum est, ita & matrimonium propagando generi nostro necessarium. Est enim non qualecunque inuentum: nempe, aut iure gentium, aut ciuili positum, sed uinculum natura magistra, eiusque parente Deo præcipiente institutum: ante peccatum quidem in officium, post uerò in remedium. Legitur enim in Genesi, quòd Adæ priùs de terra psalmato Euam, quam de eius latere Deus efformauit, in adiutorium adiunxit. Ob idque spiritu Dei ille afflatus, Hoc nunc os, inquit, ex ossibus

Genes. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sibus meis, & caro de carne mea. Quam ob rem relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erũt duo in carne una. Quibus Deus & mandatũ adiecit dicens, Crescite, & multiplicamini. Vbi Aug. super Gen. Non video, inquit, ad quod aliud adiutorium mulier data sit uiro, si generandi causa subtrahatur. Sed quia concupiscentia, quæ ante peccatum rationi prorsus obediens fuisset, post lapsum exorbitare a recto cœpit, idem ipsum matrimonij uinculum in remedium permansit, ut genitricem naturam à culpa excideret. Utriusque enim sexus infirmitas (ut ibidem subdit Aug.) propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis posset esse in officium, sit ægrotis in remedium.

Cap. 2. ¶ Illud autem coniugale præceptum, tanquam naturæ necessarium, suum etiam semper uigorem retinet, ut quoties humanum genus fuerit periclitatum, nuptiarum beneficio reparetur. At verò ubi generis propagatio abundat, quia dei prouidentia est, ut non desint, qui rei uxoriæ operas impendant, præceptio hæc minimè castitatis virginitatisq; votum auersatur, imò singulis liberum est sancta hæc consilia sequi, iuxta verbum Pauli, Volo omnes vos esse sicut me ipsum, sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Dico non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego.

Cap. 3. ¶ Meritissimò ergo hæresis dãnati sunt Tatiani & Encratitæ, & quicunque Marcionem & Manichæum secuti coniugalem torum, ceu rem illicitã & absurdam, repudiabant, contra decretum Pauli, Virgo non peccat si nubat. Hoc enim cæco errore, ut natura nostra, quam deus bonas condidit, absumeretur & periret, contendebant. Quos ideo Spiritu prophetico Paul. ad Timoth. uituperabat, & ut

1. Corin. 7.

1. ad Timoth. 4.

ab illis caueremus, admonebat. In nouissimis enim, inquit, temporibus quidam discedent à fide in spiritu dæmoniorum prohibentium nubere, & iubentium abstinere à cibis, quos deus creauit. Adeo ergo verum est coniugum torum non esse prohibitum, ut Dei ope ualeat ad meritum apud ipsum.

Cap. 4. ¶ Hoc autem coniugij fœdus, quod ab orbe condito originem duxerat, Christus in lege gratiæ in sacramentum instituit, ut coniuges sacramentali gratia sanctificaret. Hanc enim ut induceret religionem nuptijs conuiua interesse perrexit. Nempe, ut aqua in uinum conuersa illam designaret gratiã per quam id, quod erat in officium, ubi amor coniugum solis caducis rebus inmixus frigere solet & languere, uirtutem nouam & uim ad procreandos dei filios acquireret. Unde interrogantibus Pharisæis, an liceret uxorem dimittere, uetus institutum nouo mandato confirmauit.

Ioan. 1.

Matth. 19.

Ait enim. Non legistis, quia qui fecit hominem à principio masculum & fœminam fecit eos? Et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: iam enim non sunt duo, sed una caro. Quos ergo Deus coniunxit, homo non separet.

¶ Signum ergo mysteriumque hoc sacramentum est duplicis significatus: quippe quod & desponsationem Christi cum ecclesia extrinsecus designat, & gratiam, quam continet, & intus confert. Unde Apostolus, Sacramentum hoc, inquit, magnum est: ego autem dico in Christo & ecclesia. Quapropter tum coniugum dilectio amorem, quo Christus ecclesiam ad mortem usque dilexit, representat: tũ & commistio sexuum, unionem, qua nostram sibi copulauit naturam. Quocirca Paul. Vir, inquit, caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ. Et infra. Viri diligite uxores uestras sicut Christus

Cap. 5.

Ad Ephe. 5.

Ad Ephes. 5.

stus dilexit ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. Ad hunc ergo conglutinãdum amorem hoc gratiæ sacramentum instituit, quæ de eius latere, unde ecclesia, sicut Eua de costa Adæ educta est, promanauit.

Cap. 6. *¶ At uerò quamuis finis matrimonij propagatio sit generis nostri per generationem, tamen consummatio carnalis copulæ non est de essentia: quippe quæ solo spontaneo contractu constat.*

DISTINCTIONIS vigesimæsextæ, Quæstio. 1. de Sacramento coniugij quatenus est in officium.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm matrimonium sit hominibus naturale.

POstremum deniq; Sacramentorum est matrimonium, ut quod minimum quàm reliqua spiritualitatis habet. Sortitur autem ampliſſimam disputationis ſuppellectilem: quæ ideo materia per distinctiones non pauciores, quam decem & septem de Tractatus curret. Est autem tractatus tripertitus, in quinque enim distinctionibus usque ad trigesimam protenditur sermo de eius cau sis, quibus innititur & perficitur: nempe, de consensu & eius qualitatibus & conditionibus. In tribus subsequẽtibus usq; ad trigesimãtertiã de bonis coniugij, quibus res uxoria excusatur, ac de legibus, quę ad eius usum attinent. Ac demum in nouem ultimis usque ad quadragesimam secundam de impedimentis, quibus coniugium uel, ne fiat cohibetur, uel etiam celebratum dirimitur. tripertitus.

¶Igitur ut ad præsentem distinctionem descendamus, quamuis sacramenta, omnia sint sacramenta fidei, quæ supranaturale donum est, tamen quædam sic sunt sõlius fidei, ut omnino sint supranaturalia, ut baptismus, cõfirmatio, eucharistia &c. Alia uerò sunt, quæ admixtum quidpiam habent naturæ, ut pœnitentia, quam de malefactis natura docet: qua utique ratione diximus esse uirtutem, cui natura præter lumen fidei & institutionem sacramenti inclinationem tribuit. Pari ergo modo coniugium habet quòd sit tum officium naturæ, tum sacramentum. Et ideo licet initialis quæstio in cæteris sacramentis sit de eorum ratione sacramentali, tamen sicuti in materia pœnitentiæ disputatũ est, priùs de ipsa sub ratione uirtutis, & deinde sub ratione sacramenti: ita præsens distinctio duas exigit quæstiones: unam de officio, atque alteram de sacramento matrimonij. Nota.

¶Quæritur ergo primùm, an matrimoniũ sit hominibus naturale. Et arguitur a parte negatiua. Ius naturale, ut institu. eod. titu. & ff. de iusti. & iu. habetur, est quod natura omnia animalia docuit: in cuius exẽplum subditur, maris & fœminæ coniunctio, quæ fit generationis causa: in brutis autem animantibus non est coniunctio maris determinatè ad hanc fœminam, instar matrimonij, sed promiscuus temerariusque concubitus: ergo matrimonium, quod est uinculum inter certas personas indissolubile, non est de iure naturæ: quandoquidem concubitu uago, ut patet in fornicationibus, posset humanum genus propagari. ¶Secundò arguitur. Ad id natura propensiùs inclinat, quo amplior charitas & amicitia custodiri potest: sed si mulieres essent uiris omnibus communes, & uiri uiciſſim mulieribus, qui promiscuè generarent, Partis negatiuæ argu. 1. 2. Argum.

Socratica respublica. nerarent, ut Socrates, referente. 2. Politi. Aristotele, rempublicam instituebat, amplior esset & protensior amicitia: quando quidem non esset distinctio inter meũ & tuum, quæ pronoia amicitias dissoluunt, sed unusquisq; seniorum quemcunq; iuuenum appellaret filium, & iuuenes oẽs maiores, patres: unde dist. 1. can. Ius naturale. cõis oĩum possessio, & oĩum una libertas asseritur esse naturalis: ergo appropriatio uxoris per matrimonium non est de iure naturæ. ¶Tertiò. Ius naturale, ut eo. can. author est Isidorus, oĩum est natio num cõe: sed ut. 1. lib. de inuentione testatur Cicero, homines in principio syluestres erant, neq; nuptias celebrabant legitimas, neq; certos quisquam inspiciebat liberos: ergo matrimonia non sunt iure naturæ instituta. ¶In contrarium autem est illud Aristotelis. 8. Ethic. Homo magis naturaliter est animal coniugale, quàm politicum: est aũt, ut ibi docetur, politicũ & ciuile: ergo & coniugale, atque adeò coniugium est iuris naturę. ¶Naturalis ordo exposcere hic uidebatur, ut à noſe & definitione matrimonij exordium sumeremus. Attamen ob prædictam cãm: quia. s. & officium est, & sacramẽtum, ex istis priùs expositis conditionibus commodiùs deinde põt tam nomen elici, quàm definitio. Præterquàm q̃ sentẽ. Magist. interpretes in sequent. dist. hæc ponunt, quorum ordinem inuertere nolumus. Vtrùm uerò matrimonium sit licitum, quod hæretici negãt, art. 3. inter agendum de officio coniugali contra ipsos constituetur. Nunc aũt ad naturam matrimonij expendendam eius cãm exploramus: uidelicet, utrum sit à natura inditum. Neq; uerò interrogamus: utrum coitio maris & fœminæ causa generationis sit naturalis: quoniam neq; hoc in dubium euocari põt, eo q̃ affectus instinctusque naturæ in rebus caducis & corruptioni obnoxijs, sit per generationem speciẽ propagare. Sed quod hic disputatur est, utrum inter animalia hoc sit hominib. peculiare, & suapte natura inditum, ut ad illud officium destinati mas & fœmina nodo indissolubili coniungantur. Hoc. n. ut dist. sequenti patebit matrimonij noſe intelligimus. ¶Ad quam utique quæstionem sub distinctione duabus conclusionib. respondetur. Naturale. n. dupliciter dicitur, uno modo prout distinguitur contra libe- Pars affirmatiua. Decisio articuli. An matrimoniũ sit licitum. Naturale dupliciter dicitur.

rum, quod. s. ex principijs naturæ quadã necessitate prouenit, ut igni moueri sursum, & graui deorsum. ¶Atque isto pacto palàm est matrimonium non esse naturale, quæ sit hic prima conclusio. Si quidẽ liberè alioqui mortalium matrimonio copulantur, à quo alij abstinent. Alio modo aliquid dicitur naturale, quia ad id natura inclinat & instigat, tametsi per liberũ arbitrium compleatur: quemadmodum cibum sumere, & uirtutum officia exercere, ad quod rõnalis natura stimulat, naturalia censentur. ¶Sit ergo secunda cõclusio. Matrimonium hoc modo est naturale, ut distinguitur contra ius humanum & gentium: nou. n. est quoddam inuẽtum ex hominum condicto, sicuti tributorum leges, aut aliæ ciuiles, nec sicut possessionũ diuisio iure gentium introducta, sed res ex naturæ instinctu profecta. Probatur. Primarũm, ut Aristoteles. 2. Physico. sapienter docuit, ex qua naturæ opera perpenduntur, est finis, eo q̃ Deus & natura quicquid agunt, in finem aliquem referunt: nõ enim, ut Democritus a iebat, molares dentes obtusi sunt, & ante riores acuti, aut plãta pedum plana, rõne materiæ, sed certè rõne finis: quia id aptæ manducationi & ambulationi cõgruebat. Neq; pluit temerè, sed ad procreanda terræ nascentia, quibus opus est pluuia: unde quia in Aegypto non pluit, diuina naturaliq; prouidentia Nilus sua redũdantia terram irrigat. Qua utiq; rõne Albertus Magnus in lib. de animalibus Plinij, Dioscoridisq; opinionem refellit dicentium, uiperam nonnullasq; serpentes partu disrumpi. Est quippe fabula, quoniam cùm natura intendat effectus suos ad perfectum perducere, & conceptio sit propter partum, fit ut quibus dedit concipiendi, dederit & pariendi facultatem. Finis autem concubitus maris & fœminæ inter homines, non est prolem in hoc tantùm edere, ut sit, & uiuat, sed ut debita nutritione & educatione ad perfectum secundùm corpus & animam perducatur. Vnde, ut eod. loco præmisit Philosophus, filij a parentibus tria suscipiunt maximè beneficia: nempe, esse, ali, & educari. Finis autem hic & intentio naturæ nequiret modo debito obtineri, nisi singulariter uir & uxor arctissimo nexu copulati uicarias operas ad proles nutriendas & educandas sibi præstarent. In- 1. Conclusio. 2. Conclusio. Rõ cõclu. Albertus Magnus. Filij a parẽtib. tria suscipiunt beneficia.

Universidad de Deusto Biblioteca

aliquibus enim necessarium est opus uxoris, & in alijs mariti: quibus ideo si liberum esset societatem dissoluere, nequiret proli bene esse consultum: est ergo matrimonium de iure naturæ. Secundò id probatur alia eiusdē Aristotelis ratione. Homines hoc etiam brutis animantibus præstāt, quòd illa consortio maris & fœminæ non egent, nisi solius procreationis causa: homines uerò non solùm propter illam, sed & eorum gratia, quæ ad uitam cōferunt: habent enim officia diuersa: uxori nanque illa congruunt officia, quæ domi exercentur, ut nere, & res domesticas curare: uiris autem ea incumbunt, quæ foris exercentur, ut uictum procurare, & publica gerere negotia. Vnde concluditur, quòd cùm homo quatenus pars est domus, sit coniugalis, & quatenus pars ciuitatis, sit politicus, quanto domus prior est & ad uitam magis necessaria quàm ciuitas, & procreatio filiorum animalibus cōmunior, tanto magis sit natura sua coniugale animal quàm politicum. Eadem deinde conclusio authoritate diuina confirmatur. Vbi enim Deus primùm homines plasmauit, marem condidit & fœminam, qui essent duo in carne una. Imò quanuis sacra nos pagina id non docuisset, ratio ipsa naturalis ostenderet, matrimonium esse de iure naturæ. Quin uerò marem Deus & fœminam non aliter copulauit, quàm docendo quid nam ius postularet naturæ. Quapropter ut arctiùs doceret interesse uinculum matrimonij inter homines, quàm societatem inter bruta, & si in singulis brutorum speciebus marem & seorsum fœmellam condiderit, tamen in specie humana unicum priùs hominē de terra plasmauit, ex cuius latere sociā eius fœminam eduxit: nō quidem de pedibus, ut esset serua, nec de capite, ut esset domina, sed de latere, ut esset par naturæ consors: nempe, ut edoceret quāta inter eos, non solùm corporū, uerùm & aīorum necessitudo esset interceſſura, quātoq; subin de amore deberent conglutinari. Quo fit ut summus amicitię nexus, qui inter homines esse debet, sit coniugalis uiri & uxoris. Hoc. n. admonitum Adam nobis, imò per ipsum Deus eē uoluit illis uerbis. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hanc relinquet homo patrē & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hoc est, quæcunque alia naturæ uincula huic posthabebit. Vnde Paul. quod quæst. seq. latiùs diſserendum est, ad Ephes. 5. permulta inculcatione exaggerat quàm debeat uir uxorem diligere: nempe, sicut Christus ecclesiam. Propositum ergo, quod præcipuè in matrimonio contrahendo condecens est, eò tendere debet, ut non propter temporaria caducaque bona, qualia sunt uel dotis amplitudo, uel habitudo formæ, sed propter uirtutū honestatem celebretur: alioqui in medio nuptiarum conuiuio uinum: hoc est, coniugalis lætitia, deficiet.

2. Ratio ex Aristo.

3. Cōclusio.

Nota hoīs creationē.

Vxor ducenda non pp bona temporalia, sed pp honestatē.

¶ Ad primùm igitur argumentum optimè Diuus Thomas per distinctionem respondet. Naturale enim est id, ad quod natura inclinat: est autem in homine considerare & naturam generis, quod est, animal, & naturam speciei, quam habet ratione differentiæ, quæ est, rationalis. Genus autē, quia non reperitur nisi contractum per diuersas differentias, non nisi secundùm illas inclinat. Brutis uerò animantibus nulla est necessaria coniunctio, nisi solùm generationis causa: & ideo simpliciter in omnibus requiritur, ut coeant in actu generationis. Ob idque in illis speciebus, in quibus proles solo subsidio fœmellæ nutritur, nulla alia societas maris est necessaria. Sed ubi subsidium maris etiam requiritur (ut in quibusdam auium speciebus) aliquanto protensior inuenitur societas ad nutriendam prolem in paruum tempus, quo tempore par maris & fœminæ simul conuiuit. In hominibus autem, quia non solùm nutritio prolis quantum ad corpus, uerùm & educatio quantum ad animā, & maris & fœminæ fauore & opera in longum tempus indiget, non solùm coitio ad generandum naturalis est, uerùm & indissolubile consortium, quæ est matrimonium. Vnde in prædicta lege tanquam exemplum naturalis iuris non modò ponitur coniunctio maris & fœminæ, quæ brutis etiam communis, sed liberorū successio, & puerorum educatio, quæ naturalem finem matrimonij explicant.

Sol. 1. arg.

Necessaria indissolubilis societas in hominib.

Quòd si quis morosus redarguat, fornicationem ad procreandas proles sufficere, imò & sæpe ad educandas: respōdetur, ad generationem sufficere, sed tamen quòd ad educationem quandoq; sit satis, est accidentarium. Et præterea habēt homines cunctis animantibus secundam conditionem, quatenus sunt animalia politica, q propter mutuas operas, quibus in re domestica & politica inuicem se mas & fœmina iuuant, perpetua egent societate.

Obiectio.

Dilutio.

¶ Ad secundum respondetur, illam Socraticam rempublicam meritò Aristotelem multis nominibus repudiasse. In statu. n. naturæ integræ, quādo omnibus cura fuisset communia curare, congruens erat illa in communi rerum possessio. Corruptæ uerò naturæ, in qua unusquisque non quæ rit nisi quæ sua sunt, optimum fuit ius gētium, quo fuerunt dominia diuisa. Vnde licet meum & tuum nunc lites foueant, illis tamen exclusis multò peius haberet rerū guberhatio. At quicquid sit de alijs bonis, quæ ad rem præsentem non attinent, tamen communis uxorum liberorumq; possessio tam absurdam præ se fert deformitatem, ut neq; in statu naturæ integræ locū habuisset. Multò enim minor amicitia per illam promiscuam possessionem firmaretur, quàm nunc est: quōniam, uti ait Philosophus, licet omnes complexim possent se appellare patres, & filios, & fratres, nemo tamen singulariter aut diuisim suum cognosceret liberum, ac patrem, quod etiā in statu innocentiæ fœdum esset: nam & tunc ius paternum & uxorium uiguisset. Et præterea in statu naturæ corruptæ innumera essent incesta inter patres & filios, fratres & sorores, multaq; impia bella & rixæ inter huiusmodi incertos cognatos. Supernacaneum autem est omnia recensere incommoda, quæ eiusmodi rēpublicam consequerentur.

Sol. 2. arg.

Meum & tuum.

Aristo.

Sol 3. arg.

¶ Ad tertium denique respondetur, meritò Ciceronem ibidem nationes illas cum bestijs contulisse: quippe quæ uictu ferino uitam propagabāt, & bestiarum more uagantes nihil ratione animi, sed uirib. corporis omnia administrabant, & ideo nec nuptias legitimas, nec certos liberos inspiciebant. Quare ex illa corrupta natura nullum sumitur contra nostram ueritatē argumentum, nec uult sentire Tullius, q in toto orbe illa esset corruptio, sed in aliquo fortè angulo. Nam ut historia sacra & aliæ profanæ tradunt, nullum fuit tempus, quo non fuerit aliqua matrimonij ratio cognita.

Cicero.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm matrimonium semper fuerit mineatque adhuc sub præcepto.

HAbemus ergo matrimonium rem esse naturalem, consequitur autem, ut perscrutemur, an ille instinctus naturæ uim habuerit præcepti, uel saltem sit rei huius diuinum mandatum positum, quod etiam nunc permaneat. Et arguitur à parte affirmatiua. Verbum illud Gene. 1. Crescite, & multiplicamini, formam præ se fert præcepti, quod nullibi legitur reuocatum, imò per Christum Matth. 19. apparet confirmatum, ubi ait, Quos Deus coniunxit, homo non separet: ergo etiam nunc perseuerat.

Partis negatiuæ arg. 1.

¶ Secundò. Præcepta naturæ irreuocabilia sunt quandiu ratio eadem iuris permanet: perstitit autem eadem ratio multiplicandæ speciei, sicut conseruandi indiuiduī: ergo sicut præceptum naturale alimenti ad conseruandum indiuiduum permanet, ita & mandatum coniugij ad propagandam speciem.

2. Argum.

¶ In contrarium existere illud uidetur. 1. Corinth. 7. qui nō iungit matrimonio uirginem suam melius facit (scilicet, quàm qui iungit) consilium autem nullum est uanidū contra præceptum, alioqui illud non esset præmio dignum: ergo nunc uidetur præceptum matrimonij non uigere.

Pars negatiua.

¶ Quæstio præsens nonnullas habet partes, scilicet utrùm hoc sacramentum fuerit diuinitus institutum, & quando, & an sub præcepto, & utrùm præceptum fuerit naturale, & utrùm nunc duret. Ad horum autem intellectum supponendum est, matrimonium institutum esse & in officium. scilicet, ad procreandas proles, & in remedium concupiscentiæ, & præterea sub ratione sacramenti. Est ergo prima conclusio. Matrimonium institutum fuit duntaxat in officium in statu innocentiæ ante peccatum. Post lapsum uerò hominis illico institutio perstitit nō solùm in officium, uerùm etiam in remedium. Doctrina est August. libro nono super Gen. ad literam cap. 7. Et Hugo. lib. 2. de sacramentis part. 11. Vbi ait August. Vtriusque sexus infirmitas propendens in ruina turpitudinis rectè excipitur

Decisio art.

1. Conclusio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

honestate nuptiarum. Quæ quidem uerba Magister distinctione presenti retulit, ubi nonnulli pro, excipitur, substituunt excusatur, non intelligentes uim uerbi: nam excipi à culpa, idem est quod à culpa, quæ esset in actu, per matrimoniũ, excusari. Vnde subdit, Vt quod sanis possit esse in officium, sit ægrotis in remediũ. At uerò nondum satis; inter Scholasticos constat, utrùm à Deo immediatè, & quibus uerbis fuerit institutũ. Magister quippe sentendistinct. præsenti insinuare uidetur, illic fuisse institutum, dum dixit Adã, Hoc nũc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, Quam ob rem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Quem modum sequi uidetur Scotus, dicés, ꝙ indissolubilem obligationem instituit Deus per illa uerba Adæ, Propter hãc relinquet homo patrem & matrẽ, & adhærebit uxori suæ. At Bonauentura sustinens institutum fuisse per instinctum internum ipsius Dei instigantis Adam, ut illa uerba proferret. Ricardus autem distin. præsen. art. 1. q. 3. ait, quòd facto instituit illud, cùm Euam ex costa Adæ produxit, sed uerbo benedixit dicens, Crescite & multiplicamini. ¶ Nihilominus S. Th. hic & quæst. sequenti artic. 2. & communis opinio, quæ etiam est Magistri, si sanè inspiciatur, aiũt illo uerbo Gen. 1. Crescite & multiplicamini, fuisse à Deo, tum institutum, tũ etiã præceptum. Nam etsi postmodum capit. 2. modus referatur eductionis Euæ de costa uiri, id tamẽ per recapitulationem (ut aiunt) fit: nam quando dixit, Crescite, iam ambo erant producti.

¶ Probatur conclusio. Matrimonium est ad procreandam speciem ita necessarium, ut ad conseruationem indiuidui alimẽta, nisi, quòd magis est unicuiq; necessaria cõseruatio sui indiuidui, quàm conseruatio speciei: ergo sicut præceptũ naturale est, ut homo ad suam ipsius conseruationem alimentum sumat, ita est illi præceptum conseruandæ speciei: illud autem non alibi expressiùs habetur, quàm in illis uerbis, Crescite & multiplicamini: institutione autem nulla alia opus erat, quàm ipsa præceptione: sic enim eucharistiam instituit, Hoc facite in meam commemorationem: ergo illic fuit simul tum institutum, tum etiam iussum.

¶ Secundò id probatur. Cùm matrimonium non fuerit institutum nisi propter finem propagandæ speciei: & illic illum finem Deus expresserit: illic certè sacramẽtum tum instituit, tum simul præcepit: ob idque sub forma benedictionis eandem institutionem & præceptionem expressit: nã Deum nobis benedicere, benefacere est: quare quæcunq; rerum procreatio benedictio Dei censetur.

¶ Est præterea doctrina hæc Augustini. 14. de ciuita. Dei cap. 22. ubi ait, Nos nullo modo dubitamus secũdùm benedictionem, Crescite & multiplicamini, & replete terram, donum esse (hoc est, institutionem) nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando masculum & fœminam. Non quòd creatio illa fuerit institutio sacramenti, ut Ricardus censet, sed ꝙ fuerint creati, ut connubio copularetur. Et subdit, Adam autẽ Deo instigante institutionem matrimonij specificauit, & explicuit. Non ꝙ illa instigatio fuisset institutio, ut Bonauentura intellexit, sed ꝙ instigauit, ut institutionẽ Dei explicaret dicens, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, Quã ob rem relinquet homo, &c. Non enim opus habebat Deus institutionẽ per uerba Adę facere: sanè cùm longè esset decentius, ut suis ipse uerbis illud instituere t. Sed illis uerbis Adam explicuit institutionem, quã Deus facturus erat dicẽs, Crescite, & multiplicamini: apparet enim quòd uerba Adæ antecesserint uerbis Dei.

¶ In secundo uerò membro conclusionis diximus illico post peccatum cœpisse matrimonium prodesse in remedium, Diximus, id inquam, ad eis obuiandũ, qui suspicari possent non fuisse positum in remedium usque post diluuium, quando eadem uerba Gen. 9. Deus repetijt, Crescite, & multiplicamini. Nam remedium illico debet occurrere dum morbus illo opus habet. Quare dum Adam primò genuit, iam usus est matrimonio in remedium, quia ante peccauerat. Quocirca loco citato Scotus & Ricardus aiunt institutum fuisse in remedium, cùm Deus dixit Euæ, In dolore paries filios, & sub uiri potestate eris: & uiro, Quia audisti uocem uxoris tuæ, &c. Attamen uerba illa nullam uidentur præferre imaginem instituendi matrimonij, sed maledicendi eius conceptus & partus. Dicendum ergo

Instit. huius sacramenti quando.

Scotus.

S. Tho. & cõis opinio.

Ratio conclusionis.

Rõ secunda.

Augu. 14. d ciui. dei.

Creatio illa non fuit institutio sacramenti.

Instigatio illa nõ fuit institutio sacramenti.

Matrimoniũ statim post peccatũ cœpit ꝓdesse in remedium.

Gene. 9.

Scotus, & Ricardus.

go illud ipsum præceptum antea, natura integra, fuisse positum, ut cuicunque statui pro eius ratione seruiret: scilicet, ante peccatum ubi nulla erat concupiscentia, in officium, & post etiam in remedium. Hinc fit consequens post diluuium non esse positum aliud præceptum quàm priùs, sed illud repetitum & cõfirmatum per modum etiam benedictionis propter necessitatem, quæ tunc ingruebat sicut priùs procreandi humanum genus, quod aquis fuerat submersum. Attamen tanquam uerum sacramentum non potuit institui nisi à Christo in lege euangelica, de quo. q. proxima adhibendus est sermo.

¶ Contra hanc autem conclusionem est argumẽtum, quo inquiramus oportet an illud præceptum fuerit naturæ: arguitur enim sic. Instinctus ipse naturalis & delectatio illi adiuncta per se sufficiens erat ad propagationem nostri generis: redundabat ergo præceptum Dei. Et confirmatur. De alimento sumendo non uidetur aliquod extitisse præceptum: nam illud Gene. 2. Præcepit ei dicens, Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, non uidetur in priori mẽbro uim habere præcepti, sed permissionis, acsi dixisset, Præcipio tibi, ut licèt ex omnibus alijs comedas, de hoc tamen ne comedas. Scotus distin. præsenti non uult admittere, matrimonij præceptum esse omnino naturale: quia non admittit esse naturale nisi sit uel principium practicum per se notum, uel conclusio euidenter ex illo collecta. Et tamen coniunctio matrimonij per indissolubile uinculum, neque est principium per se notum, neque conclusio inde euidenter illata: nam licèt sit euidens, procreationem speciei esse bonam: uidit enim Deus omnia, quæ fecit, & erant ualde bona, non tamen euidenter colligitur ad id necessarium esse matrimonium, cùm quicunque sufficiat concubitus. De hac autem re hoc uerum est, quod Scotus affirmat: nempe non esse ius naturæ tanquam principium per se notum, aut tanquam euidentem conclusionem. Nihilominus non est negãdum, quin simpliciter sit de iure naturæ: nam ut in Posterio. & 1. Ethi. autor est Philosophus, sunt in scientijs euidentiæ gradus diuersi, quorum summus est in mathematicis, sed nihilominus non est negandum scientias etiam naturales & morales esse scientias: licet nõ tanta cùm euidentia concludant. Cùm ergo lex matrimonij sit cognitio quædam, sat est ut dicatur ius naturæ, quod ex principijs naturæ per se notis efficaci consecutione inferatur. Sic scilicet probabili, ut uiri eam sapientes inficiari nequeant. Et sanè hoc pacto ex fine nutriendæ procreandæq; prolis matrimonij nodus indissolubilis elicit.

¶ Atq; eam ob rem cùm duplex sit ius diuinum: nempe, positiuum, quod naturæ superponitur, ut sunt sacramentorum mãdata & fidei, aliud uerò diuinum naturale: præceptum matrimonij non est prioris, sed posterioris generis: Deus enim nõ supra naturam, sed tanquam naturæ autor & parens illud posuit, Crescite, &c. tanquam uim instinctumque naturæ explicans. Quocirca licet Deus ipse præceptum illud non expressisset, natura nos ipsa obligaret. Tale etiam fuit & illud, Dominamini piscibus maris: nam iure naturæ, per Deum conditæ, homo, quia rationalis est, suiq; adeò suarumq; actionum dominus, dominium subinde aliarum rerum obtinet.

¶ Vnde ad prius argumentum modò factum respondetur, ꝙ quãuis instinctus naturæ sufficeret, ut homines non delicerẽt, qui liberos procrearent, nihilominus posset accidere, ut ingruente generationis necessitate peruersitas hominum nollet generationi uacare, & ideo fuit necessarium præceptum. ¶ Ad secundum eodem pacto respondetur: nempe, simile extare naturæ præceptum alimenta sumendi, quatenus fuerint seruandæ uitæ necessaria. Itaque quanuis Deus id non expressisset, natura nos ipsa compelleret sub reatu culpæ, quę alioqui in Deum, naturæ autorem cõmitteretur. Et ideo non est necesse dicere illud prius membrum, Ex omni ligno paradisi comede, esse præceptum, sed permissionem: quia non tenerentur tunc homines uniuersos fructus gustare: ob idq; nota uniuersalis permissionem solum sonat. Nihilominus illa permissio fuit signum præcepti sustentandi uitam per esum aliorum fructuum. ¶ De alio membro quæstionis, utrùm scilicet nunc præceptum illud permaneat, Bonauentura distinctione præsenti artic. primo quæstio. 3. dicit, quòd cessante necessitate multiplican-

Sententia autoris.

Appẽdix.

Argumentum cõtra conclu.

Argumenti confirmatio.

Nota.

Scotus.

Aristot.

Ius diuinũ duplex.

Solutio primi argum.

Solutio secundi arg.

Ex omni ligno paradisi comede.

An ꝺceptũ matrimonij maneat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

di humani generis, cessauit & hoc præceptum. Alij aiunt cessasse quando Christus laudauit cœlibatum eorum, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum, Matth. 19. ¶Nihilominus hic adhibetur secunda

Secũda cõclusio.

conclusio. Præceptum illud semper ab orbe condito durat, durabitq; usque in finẽ sub eodem tenore & uigore. Et est conclusio Sancti Thomæ distinctione præsenti quæst. 2. artic. 2. ad. 1. cui ideo falsò à quibusdam contraria sententia imponitur.

Conclusio S. Thom.

Probatur, primò argumentis duobus in fronte quæstionis factis. Deinde quia hoc

Ratio conclusionis.

est præceptum iuris naturæ ad propagandam speciem: posset autem nunc etiam necessitas generationis accidere: ergò semper manet præceptum. Nam non est dicendum, quòd quando ingrueret necessitas, tunc præceptum exurgeret, & quando illa cessaret, tunc præceptum sopiretur. Enimuerò præceptum succurrẽdi per

Præceptũ eleemosynæ.

eleemosynam extrema patienti, non exurgit tunc nouum quando illa necessitas occurrit, sed semper manet tanquam præceptum affirmatiuum, cuius natura est, ut obliget semper, sed non pro semper.

¶Ad huius autem maiorem explicationẽ notandum, præceptorum uim ex eorum fine esse perpendendam: necessitas autem naturalis dupliciter homines inclinat: uno modo ad finem cuiusque particularẽ, ut conseruatio indiuidui, & huiusmodi necessitas obligat singulos ad sumendum cibum, non semper, sed quando & ubi oportet: alia uerò est necessitas non singulis, sed toti reipublicæ incumbens, & hæc nõ obligat singulos, sed rempublicam in communi, atque adeò principes, qui eius sunt administratores, ut necessitas agriculturæ, ædificatoriæ, atque aliarum artium: nõ enim singuli tenentur esse agricultores, aut ædificatores, aut milites &c. sed unusquisque suapte sponte unamquamlibet sequitur artem. Sed si fortè contingeret, ut

Republica opificibus destituta cogipossunt, q necessarij principi uidebuntur.

aliqua earum artium esset artificibus destituta, tunc princeps compellere posset eos, qui essent necessarij, pari ergo modo lex matrimonij non singulos, sed collectim rẽpublicam obligat. Vnde in initio conditi orbis, quia Adam erat tota respublica, illi posita est lex, quaquidem filios suos cogere etiam poterat, ut connubii inter se conciliarent, quousque iusta esset generis facta propagatio. Et pari lege Noe, suos filios & nepotes potuit compellere. Quando uerò illa necessitas non ingruit, prouidentia Dei est, naturæq; instinctus & uoluptas sufficit, ut non desint qui absq; coactione rei uxoriæ operam impendant.

Noe.

Matrimonij præceptum cõ filio castitatis nõ aduersatur.

¶Hinc colligitur, præceptũ matrimonij, licet semper duret in republica, nullatenus consilio castitatis esse aduersum. Vtrũ uero in omni ætate ab orbe condito uirginitas fuerit laudabilis, disputabimus dist. 30. quæstione. 2. ¶Sub lege autem euangelica, quando iuxta cõsilium Christi, uti ait Paulus, uirginitas celebratur, dubium

Dubium.

est utrùm si aliqua natio eo usque uel peste uel alia calamitate deuastaretur, atque ad eam hominum raritatem esset peruentum, ut periculum immineret, ne genus humanum deperiret, possent cogi etiam sacerdotes & religiosi & sanctimoniales connubia celebrare. Respondetur, quòd

Solutio dubij.

eos, qui non se uoto adstrinxissent, posset deberetq; rex cogere. De monachis autẽ

Paluda.

Palud. distin. præsenti. q. 3. quosdam refert dicentes, quòd etiam tunc non tenerentur, nec possent ad id cogi: quia credi tunc posset numerum electorum esse completum, ac perinde finem mundi adesse. At uerò opinio hęc non est tam uero similis, quàm sua contraria: quoniam

Sẽtẽtia autoris.

quando sit cessatio mundi futura, non est in cognitione humana positum: horam quippe illam nemo scit, nec filius hominis. Et ideo nisi specialis reuelatio affulgeret, ius naturale & commune seruandũ esset. Ob idq; si casus (qui non uidetur possibilis) eueniret, etiam illi, qui se uoto castitatis obstrinxerãt, ad matrimonia tenerentur: quia uotum semper includit conditionem illam, nisi ius naturæ conseruandi humanum genus obstet.

Nota.

¶Per hæc argumenta in capite quæstionis proposita, soluta restant. Concedimus enim cum S. Thoma præceptum matrimonij non esse reuocatum, sed obligare rempublicam, ut expositum est. Cum quo tamen stat ut unus quilibet singulatim possit castitatem uouere. ¶Et eodem modo

Solutio secũdi argu.

soluitur argumentum secundum.

Solutio primi argum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm usus matrimonij: hoc est, maritalis complexus, sit licitus, atque adeò esse possit meritorius.

CVM

VM potentia sit propter actum, atque adeò matrimonium propter usum: & matrimonium, ut dictum est, natura naturęq; autor Deus instituerit, compertum inde fit coniugum conuersationem & generationis actum licitum esse. At uerò, ut hæreticis respõdeamus, tertius hic adhibetur articulus. Arguitur ergo congressum illum coniugalẽ non esse licitum. Quicquid rationis usum corrumpit, quæ omnium uirtutum fons & origo existit, illicitum est & uitiosum: exuberantia uerò sensualitatis, quæ in coitu ebullit, eiusmodi usum absorbet, adeò ut 7. Ethi. Philosophus asseruerit, impossibile esse hominem illo tũc articulo, aliquid intelligere: ergo ille actus est illicitus.

Patris negatiuæ argumẽtum primum.

Qua de causa Exodi. 19. præcipiebatur populo, qui Deum erat uisurus, ne uxoribus se tunc commiscerent. Et August. 2. lib. Soliloquiorum ait, nihil sic deijcere animã ab arce uirtutis suæ, sicut contactum illũ corporum, sine quo uxor haberi non potest. Et Hieronymus super Matthæũ, quod refertur. 32. quæstione. 2. can. Connubia. ait: tempore concubitus præsentiam spiritus sancti non dari, etiam si propheta uideatur, qui officio generationis obsequitur. ¶Secundò illud quod secundùm se est turpe, fieri nequit honestè: sed officiũ coniugale habet concupiscentiam cum turpitudine coniunctam: ergo nũquam fieri potest honestè. ¶Tertiò arguitur, quòd huiusmodi actus esse nequeat meritorius.

Hierony.

Secũdũ argumẽtum.

Tertiũ argumẽtum.

Ait enim Chrysostomus super Matthæũ cap. 19. Matrimonium & si utentibus sepœnam non inferat, mercedem tamen nõ præstat: meritum autem non est nisi respectu mercedis: unde Magister sentent. ait, quòd coniugium non meretur palmam: ergo non est meritorius. ¶Quartò. Id quod sine peccato ueniali fieri nequit, esse non

Quartũ argumẽtum.

valet meritorium: sed actus matrimonialis semper habet adiunctam uenialem culpam: quia non potest esse sine motu sensualitatis, cuius primus etiam motus est saltẽ uenialis: ergo officium illud non potest esse meritorium. ¶In contrarium autem est uerbum Apostoli. 1. Corinth. 7. Virgo nõ peccat si nubat. ¶De hac re nulla inter catholicos est controuersia, imò hæreticorum dogma adeò fuit absurdum, & humanis conceptibus dissonum, ut ipsum suam

Pars affirmatiua.

De cisio articuli.

proderet falsitatem. August. lib. de hæresib. capit. 35. Tatianos & Encratitas facit illius hæresis autores, quòd actus coniugalis, atque adeò nuptię in illum usum nõ sint licitæ, sed permissæ ad uitandas alias peiores absurditates, iuxta uerbum Pauli, Propter fornicationem unusquisque suam habeat uxorem: melius enim est nubere, quàm uri, Hieronymus uerò lib. 1. contra Iouinianum, Marcionem, & Manichæum Tatiano antiquiores, inuentores eiusdem erroris refert. Et Tertullianus aduersus Marcionem de eodem errore eum reuincit. Atqui Guido Carmelita Armenis etiã eundẽ adscribit: quippe qui aiebant, quòd si primi parentes nostri non peccassent, nunquam ad generãdum coijssent, sed aliter genus nostrum multiplicaretur: scilicet, per creationem singulorum hominũ. Sed propter peccatum, aiebant, mutatam fuisse propagationis formam per generationem. Qua utiq; ratione appellati sunt Adamiani. Eorum hæresim refert lib. de bono coniugali Augu. cap. 2. quam reprobat. Occasionem errandi inde nacti sunt, quòd primus parens obscœnum motum non nisi post peccatum sensit. Hanc phrenesim susciteuit postmodum tẽpore Innocentij tertij Almaricus quidam Parisiensis doctor. Atque hic error est, quem idem summus Pontifex cap. Damnamus. de summa trinita. & fide catholi. insinuat dicens. Reprobamus etiam & condemnamus per uersissimum dogma impij Almarici, cuius mentem sic pater mendacij excæcauit, ut eius doctrina non tam hæretica, quàm insana sit censenda. ¶Contra hos ergo uesanos errores duæ statuuntur orthodoxę cõclusiones. Prima. Negare complexum coniugalem licitum esse fuisseq; necessarium in statu naturæ integræ est non modò impietas aduersus scripturam sacram, uerùm & stupida dementia aduersus naturæ lumen. Probatur primùm ex uerbo domini Gene. 2. Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. In quem locum Augusti. lib. 9. super Gene. ad literam cap. 7. Non, inquit, uideo ad quod aliud adiutorium mulier facta sit uiro, si generandi causa subtrahitur. Imò uerò dominus ipse Matth. 19. & Marci. 10. interrogantibus Pharisæis, an liceret uxorem dimittere. Non legistis, inquit, quia qui fecit hominem ab initio masculum

Hæreticorũ error.

Hierony.

Tertullianus.

Guid. Carmelita.

Armenorum error.

Almaricus hæreticus.

Prima conclusio.

Ratio conclusionis. Augusti.

Matt. 19.

lum & fœminam fecit eos? Et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, ubi indissolubilem matrimonij nexum illic constitutum fuisse declarat. Et clarum est, illa uerba ante peccatum fuisse prolata. Quare in statu innocentiæ eadem fuisset generatio. Item, dicere quòd præter Adam alij essent creâdi homines, est contra illud Ecclesiasti. 8. Qui uiuit in æternũ creauit omnia simul, quasi dixisset, non alia ampliùs creaturus, præter animas rationales, quæ de materia per generationem educi nequeunt.

Armenorũ error conuincitur.

Aliud argumẽtum.

Præterea, natura per peccatum in officijs naturalibus non est mutata, ut patet in nutritione, & in alijs: ergo si nunc species nostra, ueluti aliæ uniuersorum animalium, per commistionem masculi & fœminæ propagantur, manifestũ est hoc esse naturale opus, atque adeò simile in statu naturæ integræ fuisset. ¶Deinde contra alios hæreticos dicentes, illi citam nunc esse generationem, sit argumẽtum, quòd Deus creauit naturam nostram tum in suis naturalibus bonam, tum & ad suam fœlicitatem aptam: eius ergo multiplicatio non solùm naturæ maximè consonat, uerùm & Dei proposito implet, qui eã ad reparandas angelorum ruinas condidit. Quinimò quanuis angeli non cecidissent, eam in illum finem creasset. At uerò stultum est aduersus hanc stultitiam pluribus agere. Multa de hoc tum Hierony. tum etiam Augustinus adnotarunt. Et extant decreta plurima Pontificum & conciliorum, ut apud Leonem in epistola ad Termilum cap. 7. & in concilio Bracarensi & Toletano. 1. atque alijs multis.

Argumentũ contra alios hæreticos.

Hierony.

Imò fuit error adeò à naturę ingenio abhorrens, ut Paulus ad exaggerandam hæreticorum absurditatem hanc spiritu prophetico prædixerit. 1. ad Timoth. 4. Spiritus enim, inquit, manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus (uel illa uocat nouissima tempora, uel fortè rursum eadem hæresis repullulascet) quidam discedent à fide in spiritu dæmoniorum prohibentium nubere, & iubentium abstinere à cibis, quos Deus creauit. Vide quomodo duo officia naturæ coniunxit ab hæreticis reprobata: scilicet, cibos sumere ad conseruationem indiuidui, & nuptias celebrare ad conseruationem speciei. Quocirca sicut cibatio modo & mensura temperata actus uirtutis est, ita & generatio. Ex quo fit præfatas hæreses nullum potuisse habere fundamentum præter Manichæorum blasphemiam, dicentium corpoream naturam non à bono, sed à nequam Deo dimanasse. Aduersus quã non uacat hic modò disputandi locus. Eandem ueritatem Apostolus. 1. ad Corinth. 7. edocet ubi ita uirginitatem & carnis abstinentiam profuso iam nunc satis humano genere matrimonio præfert, ut tamen illud non condemnet, sed prorsus approbet, admonens ut unus quisq; suam uxorem habeat, ne se defraudent.

Paul. 1. Corinth. 7.

¶Secunda conclusio. Actus coniugalis potest esse apud Deum meritorius gratiæ. Probatur primò, quia est actus obedientiæ, iuxta illud Gene. 1. Crescite & multiplicamini: ergo si non alia uitietur praua circunstantia, & fiat extra charitatem, erit moraliter bonus, sicut ubi & quando oportet, comedere ad conseruandam uitam, & si fiat ex charitate, erit simpliciter uirtus, atque adeò apud Deum gratus & meritorius. Imò uerò non solùm est obedientiæ officium, sed etiam iustitiæ, si fiat ad reddendum coniugi debitum, iuxta uerbum Pauli, Vxori uir debitum reddat. Et insuper esse potest uirtus religionis, si fiat ad procreandos liberos in cultum Dei. Neque uerò oportet, ut actu coniuges istos fines dum congrediuntur, meditentur, sed satis est uirtualis relatio, ut pote si nullam apponant malam circunstantiam. Nam actus ipse de se refertur in bonum honestũ, ut sit moraliter bonus, & si fiat ex charitate, ut sit meritorius.

Secũda cõclusio.

Ratio conclusionis.

Actus coniugalis obedientiæ & iustitiæ uirtus.

Virtus religionis.

¶Quòd si quis inde inferre contendat, consulendum esse, ut crebrò coniuges amplexus illos frequentent, quandoquidem sunt meritorij, negatur consequentia. Nam ita sunt bona officia, ut tamen non sint optima. Stat enim bonum esse aliquando comedere, & sanctius abstinere. Eodem modo ait Paulus, quòd licèt bonum sit, ut non se defraudent, nihilominus melius est, ut communi consensu aliquando abstineant orationis gratia. Et eadem ratione propter alios honestos fines. Præterquam quòd ad probitatem moralis actus oportet, ut suis sit appendicibus & circunstantijs circumseptus: & una circunstantiarum est quantitas & modus: & ideo si frequentia modum

Obiectio.

Dilutio.

Paulus.

modum exuperet, ut conseruationi indiuidui noceat, uirtutis lineam transgredietur.

S. Tgom.

¶Adiunxit hic tamen Sanctus Tho. quæstione. 1. artic. 4. tria alia, quibus asserit posse peccatum actui coniugali accidere.

Primus casus.

Primus casus est, si fieret ociose: hoc est, absque ullo fine formali uel uirtuali: quod quidem omni actioni generale est. Nam ut ipse. 1. 2. q. 18. artic. 9. demonstrat, nullus datur actus indifferens in indiuiduo: quia si fiat absque ullo fine, est ociosus & malus, atque adeò uenialis culpa.

Secundus casus.

Secundus casus est, si coniux sola libidine moueatur, tamen infra bona matrimonij. Itaque uir accedat ad uxorem ob solam Venerem, sic tamen affectus, ut non accederet ad aliam. Et est opinio Magistri dicentis, quòd coniugium est permissio de minoribus bonis: coitus uerò coniugum, qui fit causa incontinentiæ, est de minoribus malis.

Opinio Magistri sent.

Et Magistrum sequuntur ferè doctores. Inferiùs tamen distinct. 30. emunctiùs uenit hoc examinandum: nempe, utrùm præcisè gratia euitandæ fornicationis liceat propria uxore uti. Cuius pars affirmatiua fortasse probabilior est, ut uidebimus, quàm altera.

Tertius casus.

Tertium dictum est, quòd si coniux libidine extra bona matrimonij efferatur, ut scilicet cum quacunq; muliere id facere proponeret, esset peccatum mortale.

Assertiõis intellectus

Quæ quidem assertio sanè intellecta, uera est: non enim dicit, quòd accessus ipse ad uxorem sit mortalis, sed propositum accedendi ad alienam: nempe hoc, Etiam si hæc non esset mea, accederem ad illam, quod quidem specimẽ fornicationis induit.

Solutio primi argum.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur per distinctionem maioris. Redundantia nanque passionis, quæ tollit nõ modò rationis usum, sed rationis ordinem, illa quidem est peccatum: quia est peruersio rationis. Illa tamen, quæ tollit rationis usum, non tamen ordinem, non est peccatum, alioqui somnus esset peccatum. Delectatio ergo contactus maritalis licèt in paruum tempus rationem eclipset, ne altiori rei uacare possit, tamen non tollit rationis ordinem: imò ratio generationis exposcit, ut ob illum finem tantillo illo temporis rationem ad aliam rem homo non applicet. Nam & esus ciborum, & quandoque medicinæ, ferè eundem habent effectum. Vnde licèt actus fornicatoris & actus coniugalis sint eiusdem naturæ ad tollendum rationis usum, non tamẽ in genere moris ad tollendum rationis ordinem: & ideo prior est peccatum, posterior uerò non item. Qui autem uult orationi, ut ait Paulus, & alijs stultijs uacare, uel uxorem non ducat, uel de eius consensu abstineat in tempus.

Nimia frequentio cõiugi busuitãda.

¶Sed & hoc rursus ratio flagitat, ne in illo actu coniux nimiam procuret fruitionem, id quod Paul. loco citato admonet dicens. Qui nubunt, sint tanquam non nubentes. Non enim uult ut nubentes ab illo actu prorsus abstineant, sed consulit, ut studeant sic eum exercere, ac si non exercerent: quemadmodum subdit, Qui utuntur hoc mundo, sint tanquam non utentes.

Solutio secũdi argu.

¶Ad secundum respondetur, turpitudinem, alteram esse culpæ, atque alteram pœnæ. Prior quidem semper est peccatum, posterior uerò non utique. Turpitudo autem coniugalis officij non est culpæ, sed pœnæ ex peccato primorum parentum prouenientis: propterea quòd membra corporis & sensualitas non obediunt rationi ad nutum, ut scilicet non moueantur, nisi quando ratio iusserit, quod fieret in statu naturæ integræ.

Argumen.

¶Quòd si rursus arguas. Si actus huiusce modi genere suo licitus prorsus est: quidnam opus habet excusari? Et tamen, ut infra uidebimus, multa bona adferuntur matrimonium excusantia.

Dilutio.

Respondetur, illa opera ex merito excusari, quæ ullam præ se ferũt effigiem mali, quorum utique aliqua in partem, aliqua uerò in totum excusantur. Et quia actus coniugalis continet ex una parte concupiscentiæ turpitudinem modo exposito, excusatũr in totum, ut infra uidebimus,

Solutio tertij argum.

¶Ad tertium respondetur, quòd radix meriti quantùm ad præmium substantiale est charitas: accedit autem ei aliqua etiam merendi ratio ex difficultate: quia uirtus, ut ait Aristoteles, circa difficile uersatur.

Aristot.

Et hanc mercedem, ait Chrysostomus, non sic accedere huic uirtuti, sicuti alijs difficilibus: quia delectatio illa tollit difficultatem laboris, tametsi non tollat difficultatem ponendi medium inter extrema, in quo ratio uirtutis consistit.

Chrysost.

Quinuerò & nonnunquam est difficultas laboris, ut in uiro, qui languore & debilitate laboraret, & nihilomi-

nus

Universidad de Deusto Biblioteca

aus generationis gratia rei uxoriæ insiste ret. Atque hoc pacto intelligendus est Magister ubi ait, coniugium non mereri palmam: quia non est difficile sicut uirginitas. ¶ Ad quartum denique negatur minor. Motus enim primus concupiscentiæ, non est peccatum ueniale, nisi quando est de aliquo delectabili præter rationis ordinem, uelut motus primus fornicationis. Id quod à legitimo usu coniugij alienum est.

Solu. quarti argum.

QVAESTIO SECVNDA *de matrimonio secundum rationem sacramenti.*

ARTICVLVS. I.

Vtrùm matrimonium sit sacramentum nouæ legis.

Otissima ratio matrimonij, præterquàm quòd est in officium & in remedium, est esse sacramentũ. Sed nihilominus à parte oppositа arguitur. Omne sacramentum nouæ legis constat ex materia & forma: quia benedictio sacerdotis in nuptijs nõ est de essentia matrimonij: neq; uerò ulla est materia: quia nulla est illi c materia sensibilis: & tamen Hugo ait, q̃ sacramentũ est materiale elementum: ergo matrimoniũ non est inter sacramenta. ¶ Secundò arguitur. Omne sacramentum nouæ legis efficit quòd figurat: matrimonium autem figurat coniunctionem Christi cum ecclesia, quam tamen non efficit: ergo non est sacramentum. ¶ Tertiò. In omni sacramento distinguuntur tria: scilicet, id quod est sacramẽtum tantùm: putà, signum sensibile, & id quod est res tantùm, ut gratia: & aliquid quod sit res & sacramentum simul, quod non potest in matrimonio signari, cùm non imprimat characterem, ergo non est sacramentum.

Partis negatiuæ argumentũ primum.

Secũdũ ar.

Tertiũ ar.

Pars affirmatiua.

¶ In contrarium est uerbum Pauli ad Ephesios. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & ecclesia.

Decisio articuli.

¶ Quæstio inter catholicos q̃ facillima est. Non autem defuerunt hæretici sacramentum hoc abnegantes. Cuius erroris autores, ut ait Guido Carmelita, fuerunt Armeni. Et nostris temporibus patroni sunt Lutherani, qui negant ulla ratione sacramentum esse: quia nunquam fuit, inquiunt, institutum in signum cuiuspiam gratiæ, atque adeò neque illam confert. Hunc enim effectum omnibus sacramentis subtrahunt. ¶ Igitur cum omne sacramentum nouæ legis gratiam conferat, duo sunt impræsentiarum examinanda. Primum scilicet, utrùm matrimonium sit sacramentum, accipiendo nomen generaliter: ideſt, signum & mysterium alicuius sanctitatis, siue illam conferat, siue non conferat, quod quidem nomen est commune tam sacramẽtis ueteris legis, quàm nouæ. Et secundum, an gratiam conferat. Vtrunque enim Lutherani negant. De hoc autem secundò membro articulus nos tertius erudiet. ¶ Sed ad primum, q̃d hic disputatur, unica conclusione respondetur. Matrimonium est sacramentum ecclesiæ. Probatur. Nomine sacramenti, ut distin. 1. prædiximus, intelligitur mysterium aliquod sanctitatis, nouæ legis, quá sacramenta uetera significabant futuram, nostra uerò significant præsentem: sed matrimonium est huiusmodi: ergo est sacramentum. Minorem docuit nos loco proximè citato Paulus admonens, ut subiecti inuicem Christiani sint in timore Christi. Mulieres enim, inquit, uiris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam uir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ. Ecce mysterium, quòd coniunctio mulieris cum uiro, qui sunt quasi membrum & caput, sit signum coniunctionis ecclesiæ cum Christo, sub quo quasi sub capite suo uiuit. Et quia ex hac coniunctione pullulat mutuus amor, subinfert. Viri diligite uxores uestras, sicut Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. Quocirca dilectio uiri & uxoris signum est etiam dilectionis Christi & ecclesiæ. Vnde sicut Christus diligit ecclesiam, ueluti caput suum proprium corpus ita & uiri sicut propria corpora debent uxores diligere. Imò qui uxorem, inquit, diligit, seipsum diligit. Vide quanta cum exaggeratione & emphasi commendat unionem uiri & uxoris ceu sacramentum unionis Christi & ecclesiæ. Quocirca omnes

Hæreticorum error.

Conclusio.

Ratio conclusionis.

Probatio minoris.

Mysteriũ matrimonij.

Commendatio unionis coniugum.

nes, inquit, membra sumus Christi de carne eius & de ossibus eius, alludens ad Euam, quæ de ossibus Adæ fuit fabricata. Atque adeò subdit uerba Adæ, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Ex his ergo catholicam ueritatem concludit dicens, Sacramentũ hoc magnum est: ego autem dico in Christo & ecclesia: ubi duas coniunctiones, si consideratè perspexeris, tam in coniugibus, quàm in Christo designauit Apostolus. Sunt enim coniuges unum unitate naturæ: quia duo in carne una, per commistionem copulę. Ac subinde unum unitate charitatis: quia debent se ambo mutuò sicut uterque seipsum, diligere. Quarum ptior unio significat unitatem naturæ Christi & ecclesiæ, quia nostram naturam induit. Et posterior significat item charitatem Christi, qui se pro ecclesia morti exposuit, ¶ Duplici uerò cauillo abigere conatur Lutherus Paulinum hunc sensum. Primò, quòd Apostolus græcè scribens non dixit sacramentum, sed mysterium. Attamen hoc futile est: quoniam idem est mysterium & sacramentum, ut in fronte primæ distinctionis præmonstrauimus. Quare interpretes Latini utroque nomine promiscuè utuntur. Secundò sensum præuaricatur dicens, Paulum nõ affirmasse de matrimonio, quòd sit sacramẽtum aut mysterium, sed de coniunctione Christi & ecclesiæ: illam enim, inquit, appellat sacramentum sanctificationis per fidem. At uerò præuaricatio hæc ex uerbis ipsis Pauli falsitatis conuincitur. Nam cùm coniunctionem tam naturæ quàm amoris uiri & uxoris, ita multis uerbis conferat cum coniunctione & amore Christi & ecclesiæ, palàm demonstrat arctissimam illam communionem uiri & uxoris esse signum desponsationis & amplexus Christi & ecclesiæ, in quo consistit ratio sacramenti. Quocirca potuisset optimè Caiet. illam adnotatiunculam excusare, quam adiecit in expositione huius Paulini loci: nempe, quod ex illo uerbo, sacramentum hoc magnum est, non colligitur matrimonium esse sacramentum: quia non dixit, nisi mysterium. Nam re uera idem est mysterium & sacramentum, si modo de collatione gratiæ non cõtendamus. Leo enim Papa in epistola. 11. ad Constantinopolitanos in hoc sensu adduxit hoc uerbum: nempe, quòd ab exordio generis humani prænunciatus est Christus per coniugium primorum parentum, dicente Apostolo, sacramentum hoc magnum est. Et concilium Florentinum hoc Pauli testimonio probat, matrimonium esse sacramentum. Et Ambrosius super eundem locum, Mysterij, inquit, sacramentum grande in unitate uiri & fœminæ esse significat. Ac demum Magister sententiarum, eodem ipso testimonio eandem cõfirmat ueritatẽ. Quin uerò expressè ibidem Augustinus, Non tantùm, inquit, fœcunditas, cuius fructus in prole est: neque tantùm pudicitia, cuius uinculum est fides, uerùm etiam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis. Vnde dicit Apostolus, Viri diligite uxores uestras sicut Christus dilexit ecclesiam. ¶ Hæc uerò cauenda est hic fallacia, nequis uerbis Pauli seducatur arbitratus uoluisse dicere, illo tunc temporis articulo, quo dixit Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. illam eius coniunctionẽ cum Eua fuisse sacramentum, sicuti est modò: tunc enim, quia nullum uigebat peccatum, nullo opus erat sacramento. Sensus ergo Apostoli est, quòd tunc fuit sacramẽtum: hoc est, mysterium & figura futuræ unionis Christi & ecclesiæ, sed postquam ex latere eius in cruce emanauerunt noua sacramenta, ac subinde ecclesia quasi de eius costa, sicuti Eua ex Adam plasmata fuit, idem ipsum coniugale uinculum uim obtinuit sacramenti. ¶ Secundò eadem ueritas confirmatur. Sacramentum nouæ legis est signum alicuius occulti remedij contra aliquod peccatum: sed matrimonium est huiusmodi: nam cùm propagatio humani generis, quod ad æternã beatitudinem creatum est, & per Christum recreatum, fuerit ad illum finem necessaria, quæ quidem sine concupiscentia carnis fieri non potest, decentissimum fuit, ut matrimonium in remedium illius concupiscentiæ institueretur. ¶ Quòd si arguas Alia sunt peccata grauiora, contra quæ nullum est institutum sacramentum: ergo nec debuit contra concupiscentiam. Respondetur, quòd concupiscentia, quia est uitium totius naturæ, idq; homini quasi natiuum, indigebat præ alijs remedio, potissimùm in re tam necessaria, quàm est nostrã

Duplex cauillũ Lutheri.

Refutatur error Lutheri.

Secundus error Lutheri.

Caietan.

Paulini loci sensus.

Germanus sensus Apostoli.

Secunda confirmatio.

Obiectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Matrimonium est sacramẽtum

noſtri generis propagatio. Sed de hoc latius articulo. 3. ¶Veritas præterea hæc: nempe,quòd matrimonium ſit ſacramentum,multis eſt canonibus conſtituta. Primùm capit. Ad abolendam.de hæretic. demnantur qui aliter quàm eccleſia Romana de ſeptem ſacramentis eccleſiæ ſenſerint,inter quæ numeratur matrimoniũ.

Conci. Cõſtantienſe.

Et in concilio Conſtantienſi ſeſſione. 15. de hoc inter alios errore condemnatus fuit Ioannes Hus,quòd ſeptem ſacramenta eccleſiæ inficiabatur. Ac ſubinde in Cõcilio Florentino & hoc quoque in ordine ſacramentum collocatum eſt. Quapropter,quicquid ſit de collatione gratiæ, de quo ſtatim dicturi ſumus,manifeſtaria hęreſis eſt,negare hoc eſſe ſacramentum eccleſiæ nouæ legis perinde ac reliqua ſex.

Eraſmus.

Atque adeò ſemper,inter ſacramenta nouæ legis fuit cultum. Et ideo. Eraſmus cõſultiùs feciſſet hoc non reuocare in dubium,qui in antidoto epiſtolæ Hieronymi ad Gerontiam ait,'Haud ſcio an ætate Hieronymi eccleſia matrimonium inter ſacramenta numerauerit. Neque Dionyſius,inquit,lib. 3. eccleſia. hierar. inter alia ſacramẽta mentionẽ huius facit. Cùm enim,tum Hieronymus contra Iouinianum, tum Auguſtinus tam latè de fideliũ matrimonio diſputauerint, proculdubio erat ſacramentum,fuitq; ſemper ex inſtitutione Chriſti.

Solutio primi arg. Durandus Paludanus

¶Ad primum igitur argumentum reſpondetur cum D. Tho. Durandus quippe in 4. diſtin. 1. q. 3. fateri renuit proprie in matrimonio materiam & formam diſtinguiſſe: nam dicere,ut Paludanus commiſcitur ead. diſtin. q. 4. quòd materia ſint ipſi contrahentes, non eſt conſentaneum: propterea quòd materia debet eſſe pars ſacramenti: & tamen contrahentes non ſunt pars eius,ſed ſubiectum. Item neque dicere, quòd materia ſint interni conſenſus, forma uerò extera uerba, rationi conſonat: qm̃ tam materia q̃ forma debent eſſe res ſenſibiles. Si ergo dicatur,q̃ uerba aut nutus alterius ſint formæ, contra redarguit Durandus, Primò, quia materia ſolet dici reſ, ſicut ablutio baptiſmi, forma uerò uerba: è rebus enim & uerbis ſacramenta perficiuntur: in matrimonio uerò non diſtinguuntur materia & forma ut res & uerba: quia in utroque contrahentium ſunt tantùm uerba uel nutus. Secundò, quia illa uerba ex æquo ſe habent in utroque: quare non poſſunt diſcerni,ut præcedentia ſint materia, & ſequentia forma. Hoc præter alia argumento mouetur Durand. ut non ſatis planè affirmet matrimoniũ eſſe ſacramentum nouæ legis. De hoc autem ar. 3. aduerſus eũ acturi ſumus. Interim tamen reſpondetur, contrahentium uerba, aut nutus, qui eorum loco ſubſtituuntur, eſſe materiam & formam, ut diſt. 1. q. 1. art. 6. latiùs diſſertum à nobis eſt. Neque refert præcedẽtia ne ſint, an ſubſequentia, ut illa ſint materia, hæc uerò forma, ut Ricard. diſt. præſenti art. 4. q. 2. autumat. Sed ſiue uir priùs conſenſum exprimat, ſiue uxor, amborũ uerba ſint ſibi inuicẽ materia & forma; nam utriuſque uerba per uerba alterius informantur, uimq; obtinent ſignificandi, colligandiq; coniugalem nodum. Quo circa quando D. Thom. ſuperiùs diſtinct. 1. artic. 3. ad quintum, dixit, formam in matrimonio eſſe uerba exprimentia conſenſum, & iterum benedictiones ab eccleſia inſtitutas, non intelligit ex æquo, ſed quòd uerba exprimentia conſenſum ſunt forma eſſentialis, benedictio uerò accidẽtaria ad ſolennitatem pertinens, ut expreſsè hic ait. Verba enim, inquit, quibus matrimonialis conſenſus exprimitur, ſũt forma huius ſacramenti, non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam ſacramentale. Et ſtatim in ſolutione ſecũdi cõfert hoc ſacramentum cum ſacramento pœnitentiæ dicens, quòd quia utrunque per actum eius perficitur, qui ſacramento utitur, non eſt in iſtis alia materia præter actus ſuſcipientis. Id quod diſtinct. 14. q. prima, articul. 1. latiùs expreſſerat. Reſpõdetur ergo ad Durandum, quando dicimus materiam eſſe rem, nõ accipi ſic ſtrictè, ut res diſtinguatur à uerbo, ſed utriuſque uerba poſſunt eſſe materia reſpectu uerborum alterius, ſiue præcedant ſiue ſequantur. ¶Non autem deſunt qui arbitrẽtur uerba ſacerdotis, dum nuptiæ ſolenniter contrahuntur, eſſe formam eſſentialem. Sed de hoc articu. 3. Ad illud autem Dionyſij reſpondetur, quòd non fuit eius mens omnia ſacramenta percenſere, ſed illa, quæ ad actus hierarchicos attinent, qualia ſunt quinque, & ideo uti de pœnitentia, ita & de matrimonio ſubticuit. ¶Ad ſecundum reſpondetur, quòd hoc ſacramentum

Secundum argumentum Durãdi.

Autoris diſſolutio.

D. Thom.

Benedictiones eccleſiæ an ſint forma.

Nota.

Diluitur argum. Durandi.

Ad illud Dionyſij.

Solu. 2. ar.

ſacramentum ſignificat & aliquid exterius, quod eſt deſponſatio Chriſti cum eccleſia, & aliquid interiùs, quod eſt gratia, & hæc eſt res contenta. Sacramentum autem non debet efficere id quod exteriùs ſignificat. ſed rem contentam. At uerò Magiſter ſententiarum, ut hic ait Sanctus Thomas, quia erat illius opinionis, quòd in hoc ſacramento nulla eſſet res contenta, non aſſeruit per ipſum ſignificari niſi rem exteram: ſcilicet, deſponſationem Chriſti & eccleſiæ.

Magiſter ſentent.

Solu. 3. ar.

¶Ad tertium reſpondetur, quòd ſacramẽtum tantùm in præſentiarum ſunt actus & conſenſus contrahentium exteriùs ſignificati. Res autem & ſacramentum eſt unio & nexus maritalis, qui ex illis actibus reſultat. Sed res tantùm contenta eſt gratia.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm matrimonium fuerit in noua lege in ſacramentum inſtitutum.

Partis negatiuæ. ar. 1.

ARticulo proximo hic adeius expoſitionem adnectitur de eius inſtitutione, qua tenuſ ſacramentum eſt. Et arguitur, quod non fuerit in noua lege inſtitutum, atque adeò quod non ſit ſacramentum nouæ legis. Vnum ſacramentum pluribus inſtitutionibus non indiget: matrimonium autem, ut quæſtione ſuperiori dictum eſt, fuit inſtitutũ ante peccatum, & poſt peccatum in lege naturæ: ergo non fuit inſtitutum à Chriſto.

2. Argum.

¶Secundò. Non apparet in euangelio locus ubi de nouo fuerit inſtitutum: nam Matthæi. 19. antiquam inſtitutionem retulit Chriſtus dicens, Nõ legiſtis, quia ab initio qui fecit hominem, maſculum & fœminam fecit illos? ¶In contrarium eſt, quòd omnia ſacramenta habent uirtutẽ à paſſione Chriſti, atque adeò ipſo authore inſtituta ſunt.

mars affirmatiua.

1. Concluſio.

¶Quæſtio eſt facilis, ad quã tribus cõcluſionibus reſpondetur. Prima. Matrimoniũ fuit in officium inſtitutum ante peccatũ. Matrimoniũ enim, ut prædictum eſt, naturali inſtinctu & præcepto eſt hominibus inditũ: Deus autẽ & natura in bonũ ſemper ſua opera refert, & ſecundũm illum bonum finem eadem opera admetitur: tria autem ſunt bona in matrimonio, quorum primum & naturæ inclinationi proximũ eſt procreatio humani generis, quod quidem & ante peccatum erat neceſſarium: & ideo in hoc officium illicò condito homine inſtitutum eſt matrimonium.

Tria bona matrimonij

¶Secundum bonum eſt remedium contra peccatum, & de hoc ſubiungitur ſecũda concluſio. Illico poſt hominis lapſum manſit idem matrimonium remedium cõtra concupiſcentiam, ut quæſtione præcedenti articulo. 2 latè expoſitum eſt. Et ideo quantum ad hæc duo tantum beneficia uigorem habuit in lege naturæ. Et præterea ſub lege Moyſi aliqua huic ſacramẽto adiuncta fuit perſonarum determinatio. Nam quanuis lex naturæ iuberet, ut matrimonij fœdus indiſſolubile eſſet, qđ quidem ubicunque naturæ lumen emicabat, ſeruabatur, & ſicuti dirimebatur, ut uiuente priore cõiuge alter alias nuptias iniret, hoc erat propterea quòd eiuſmodi lumen contenebreſceret. Nihilominus quòd una non niſi uni uiro nuberet, & matrimonia in certis conſanguinitatis gradibus non permitterentur, non fuit ita liquidum, & ideo lex Moſayca de huiuſmodi perſonarum cautione nonnulla adhibuit mandata. Quanuis uiris uxorum multitudo non fuerit uſquequaque interdicta, ut diſt: 33. diſputabimus. ¶Tertium munus matrimonij eſt myſterium deſponſationis Chriſti cum eccleſia indicare, atque adeò, tanquàm eiuſdem redemptoris inſtrumentum, gratiam ad idoneum eius uſum infundere. Et de hoc ſubditur tertia concluſio. Sacramentum matrimonij, qua ratione eſt ſacramentum, in noua lege à Chriſto inſtitutum eſt. Et ratio eſt huic cum reliquis ſacramentis communis: quoniam omnia ſacramenta, eo quòd inſtrumenta ſunt paſſionis Chriſti, ab ipſo fuerunt inſtituta. At uerò quantùm ad alia commoda, quæ ex hoc coniugali fœdere in rempublicam pullulant, quale eſt mutuum obſequium, & uicaria officia coniugum, quibus eorum amicitia colitur, iure etiam gentium & ciuili nonnullæ adhibẽtur leges, quibus nuptiarum conciliatio decoratur, & conſtabilitur, ut de dotibus. Nam reipublicæ intereſt dotes mulierib. conſeruari, ad ſobolem procreandam, &

2. Concluſio.

Lege naturæ nexus matrimonij indiſſolubilis.

3. Concluſio.

Ratio.

Iure gentium & ciuili leges adhibitæ circa matrimoniũ.

replendam liberis ciuitatem.l.1. ff. solut. matr. Et de libero bonorum usu, qui competit uiro, de successione uxoris in parte bonorum, & de legatis, & iure hęreditatis, &c. Vnde inter leges ciuiles extat titulus de sponsalibus. ff. & de iure dotium atque alij. ¶Ex quo fit consequens hoc peculiare esse huic sacramento, quòd cùm reliqua in noua lege tanquàm res prorsus nouæ & ante illam nunquàm auditæ fuerint institutа, hoc, cùm res uetus fuerit, nouam rationem sacramenti per Christi institutionem acquisiuit. Primitus enim Christus hac fortè de causa, si coniectari licet, nuptias sua præsentia honestare uoluit: & primo, quod in mundo ededit, miraculo insignire, ut illic facto ipso insinuaret, illud quod antea solùm erat officium & remedium, per suam legem celebrandum fore ut sacramentum. Præscius, inquam, illucusque nuptiarum uinum: hoc est, amicitiam, gaudium & gustum plurimum defeciſſe: quia sine gratia Dei omnis humana necessitudo ueluti aqua friget & languet: iuit conuersum aquam in uinum, quo futura gratia sacramenti designata fuit. Vbi & coniuges uniuersos admonito. curauit, ne matrimonialia fœdera in bonis caducis: hoc est, in amplis dotibus, aut alijs formis & causis fundarent, quæ facilè dilabuntur, sed in sola uirtute, quæ perpetuæ lætitiæ & amicitiæ coniugalis custos est. Deinde uerò, ut Matthæi. 19. legitur, à Pharisæis rogatus, liceret ne hominibus uxorem quacunque de causa dimittere? quæ quidem interrogatio indicabat lumen naturæ, quo indissolubilis cõiugalis nexus admonetur, obscuratum illis iam tunc fuisse, contrarium eos docuit non quidem denuò naturam matrimonij instituens, sed ostendens ab orbe condito à Deo naturæ conditore fuisse institutam. Et ideo, Non legistis, inquit, quia qui hominem fecit à principio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: hoc est, Adamũ instigauit, ut diceret, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Itaque iam non sunt duo, sed una caro: hoc est, indiuisibilis. Non autem hæc Christi euangelica institutio solùm fuit, (ut quidam uolunt) declaratio naturalis iuris, sed insuper confirmatio. Quare subdit, Quos Deus coniungit, homo non separet: quasi diceret, Hanc, quam Deus coniunctionem sanxit, ego, quatenus orbis redemptor, nouo iure & præcepto meo confirmo. Quo quidem loco id, quod antea erat in officium & remedium, fecit esse sacramentum, ut per suam deinceps passionem uim nouam diuinæ conferendæ gratiæ obtineret. Nam licet illuc usque sic fuisset in remedium, ut maritalis concupiscentia non esset peccatum, imò posset esse meritum, non tamen singularem habebat ad id muneris fauorem diuinæ gratiæ.

Nota.

Christus quare nuptijs interfuerit.

Vinum nuptiarum.

Nota.

Matth. 19.

Quos Deus coniunxit.

¶Per hæc ergo argumentis responsum est. Concèdimus enim ad primum, nullũ sacramentum, quatenus sacramentum est plurium egere institutionum, sed tamen hoc, quia non est solum sacramentum, sed etiam naturæ officium, decuit ut postquã sub una ratione priùs fuerat institutum, denuò fieret sacramentum, in locis euangelicis modò designatis. Per quæ secundò argumento satisfactum est.

Solut. argumentorũ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm matrimonium gratiam conferat.

NOn satis concluditur matrimonium esse sacramentum nouæ legis, quousque ostendatur conferre gratiam, qđ nostrorum sacramentorum priuilegium est. Arguitur ergo à parte negatiua. Omne sacramentum, quod gratiam confert, per materiam suam & formam eam infundit: materia autem & forma sacramenti huius sunt actus contrahentium: dicere uerò quod nostra propria opera sint causa gratiæ hæresis est Pelagaina contra Paulum. nam si ex operibus, iam non esset gratia: ergo matrimonium gratiam non confert. Et augetur dubium de matrimonio, quod inter absentes conciliatur, aut per epistolam, aut per internuncium, non enim uidetur quomodo gratiam conferat, cùm usu uenire possit, ut dum posterior consentit, prior dormiat.

Partis negatiuæ. arg. 1.

¶Secundò arguitur. Si gratiam conferret, maximè contra concupiscentiam: at per matrimonium concupiscentia potiùs inflammatur, quàm extinguatur, sicut ignis alio appositо igne. Vnde Philosophus. 3. Ethicor. Concupiscentia, inquit, uoluptatum insatiabilis est, & sua ipsius ratione tâquam sui simili augetur: ergo matrimonium non est remedium concupiscentiæ.

2. Argum.

3. Argum.

¶Tertiò. Si tale remedium gratia præstaret, cum concupiscentia omnibus sit mortalibus commune malum, salubre consilium cunctis esset matrimonium: quod est contra consilium Pauli. 1. Corinth. 7. ergo non est remedium concupiscentiæ.

4. Argum.

¶Quartò arguitur. Si sacramentum matrimonij conferret gratiam, hoc esset fidelibus baptizatis: nam baptismus est ianua omnium sacramentorum: hoc autem apparet falsum: quia ut capit. Gaudemus. de diuortijs. decernitur, sacramentum coniugij apud fideles & infideles existit, iuxta uerbum Pauli. 1. Corinth. 7. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum eo, non illam dimittat.

Pars affirmatiua.

¶In cõtrarium aũt est, ꝙ matrimoniũ est per Christũ institutũ tanquàm remediũ, iuxta uerbum Augustini libr. 9. super Gen. ad literã ca. 7. Matrimoniũ, quod sanis est ad officium ægrotis est ad remedium: Christi autẽ remedia aduersus peccata non sunt nisi per gratiam: ergo matrimonium confert gratiã.

Decisio artic.

¶De hac quæstione, ut hæreticos prætereamus, qui effectum gratiæ in sacramentis non agnoscunt, etiam inter catholicos controuertitur. Durandus nanque distinct. præsenti. quæst. 3. quanuis affirmet matrimonium. esse hac ratione sacramentum, quòd est signum, ut ad Ephes. 5. ait Paulus, desponsationis Christi & ecclesiæ, ait tamen citra periculum hæresis licitum esse opinari nõ esse sacramentum gratiam conferens, atque adeò non esse sacramentum uniuocè, ut ait, cum alijs sacramentis nouæ legis.

Durãdus.

Paulus ad Ephes. 5.

Probatio opinionis.

Quam quidem opinionem, ceu probabiliorem sustinet. Non tamen aliter probat, quàm quià ex interpretibus sacrorũ Canonum nõnulli sic opinati sunt, ut Gaufredus in summa sub titulo de sacramẽtis non iterandis. & Hostien. sub eodẽ titulo. & Bernar. in apparatu extra de simonia super ca. Cum in ecclesiæ corpore. Et est præterea Glossa. 32. q. 2. can. Honorantur. Et ratio omnium istorum est, quia ꝑ matrimonio cõtrahendo potest pecunia in dote paciſci, ut eodem can. permittitur. Et extra de condit. appositis. c. de illis. Ait uerò Durandus se non determinare,

Durãdus.

an istorum opinio sitæq; allegationes uerè uel falsæ sint, sed hoc solum accipere ut uerum, quod cum iura canonica nouerint, neq; eorũ scripta reprobentur, nõ sit eorum opinio, ut erronea censend. 1. Adiũgit aliud fulcimentũ ex Magistro senten. in 4. distinct. 2. ubi ait, ꝙ quædam sacramenta sunt remedium contra peccatum, & gratiam adiutricem conferunt, ut baptismus: alia in remedium tantùm sunt, ut coniungiũ, alia gratia & uirtute nos fulciunt, ut eucharistia & ordo. At uerò S. Tho. tres hic opiniones refert. Vnam negantium omnino in matrimonio ullam suffundi gratiam. Aliam dicentium, quòd confert gratiam in ordine ad recessum à malo: puta, ad excusandum actum peccati, non tamen ad auxiliandum in bonum. Quibus reprobatis subiungit tanquam probabilius, quod simpliciter conferet gratiam. ¶Duabus ergo conclusionibus ad quæstionẽ respondetur. Prima. Matrimonium, sicut cætera sacramenta ecclesiæ, gratiam confert. Hæc est opinio communis theologorum: uidelicet, S. Thom. Scoti, Bonauẽturæ, Ricardi & aliorũ dist. præsenti. Et probatur. Matrimoniũ ab ecclesia inter sacramenta nouæ legis connumeratur, ut dist. 1 referebamus: sacramentum autem nouæ legis, ut ead. dist. monstrauimus, gratiam confert. Id quod concilium Florentinũ expresè decernit. Et est sẽia Augu. super psal. 73. dicentis, ꝙ uetera sacramẽta promittebant tantùm & significabant, hæc uerò dant salutẽ. Vnde concilium intulit, ꝙ nostra sacramenta in hoc ab illis differunt, atq; abundant, ꝙ illa gratiã significabãt, non autẽ conferebant: ergo matrimonium confert gratiã. Atq; hinc colligitur, quàm Magister sent. non fuerit sibi constans, sanè qui cùm distin. 1. hoc ipsum discrimẽ inter illa & nostra usqueadeò agnouerit, ut sacramentum sic diffinierit, quòd sit signum inuisibilis gratiæ, cuius imaginẽ gerit, & causa existit. Postmodum distinctione secunda. septem sacramenta ecclesiæ confessus, cõiugium, quod illis adnumerat, ait, in remedium tantùm fuisse institutum.

Magister senten.

S. Tho. 1. Opinio.

2. Opinio.

3. Opinio uera.

1. Conclusio.

Ratio concluſ.

Magister nten.

Tametsi fortasse, non simpliciter gratiam huic sacramẽto subduxerit, sed illã secundam opinionem, quàm hic refert Sanctus Tho. fortè insinuauit, ꝙ gratia matrimonij nõ sit nisi in remediũ ad recedendum

Cpinio Magister sentent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Refutatur moderatio

à malo, gratia uerò aliorum sacramentorum sit adiutrix ad promouendum bonũ. Attamen neq; moderatio hæc ueritati cõ sonat, tum quòd cùm gratia auxilium dei sit, nulla est, quæ non in utranq; parte iustitiæ sufficiat, tũ etiam quia hac ratione nullatenus matrimoniũ in noua lege illi præstaret, quod sub lege naturæ decurrebat: quoniam matrimonium eatenus fuit semper in remedium, ut coniugalis torus nullam impingeret culpæ maculam, imò posset meritum accumulare. Christus aũt illud denuò in remedium eiusdem concupiscentiæ confirmauit, ut Apostolus. 1. Corinth. 7. admonét dicens. Propter fornicationem unusquisque suã uxorem habeat, quæ debitum uiro reddat, & uir uxori: & infra. Ijs, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, uxorem à uiro non discedere, &c. Et 1. ad Thessalo. 4. Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione, ut sciat unusquisque uestrum uas suum possidere in sanctificatione & honore, ad matrimonium alludens, quo hæc sancta & honorifica possessio coniugum perficitur: ergo certum est Christum nouam uim matrimonio ad id adiunxisse, quæ esse non censetur alia, quàm gratia, qualis est in cæteris sacramentis. Et ideo S. Tho. in expositione literæ distinctionis. 2. aliter exposuisse uidetur Magistrum: scilicet, quòd non aliud senserit, quàm quòd principalis finis matrimonij fuerit in remedium, non tamen negauerit ad illum finem conferre gratiam. Citat enim Magist. distin. præsenti illud inter alia Augustini in lib. de bono coniugali cap. 18. In nuptijs plus ualet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas uentris. Non autẽ sanctitatem appellasset, nisi sacramentalẽ gratiam. Re uera qui negat matrimonium conferre gratiã, in uirtute negat esse sacramentum nouæ legis. Et idcirco Durandus negans conferre gratiam, simul in priori æditione, ut in præsentiarum refert Capreolus, negauit esse simpliciter sacramentum nouæ legis: sed in posteriori æditione, quia de hac hæresi malè audiebat, ut periculũ sibi caueret, concessit quidem esse sacramentum, sed tamen negando conferre gratiam, si id simpliciter negasset, asserendoq; subin de non esse cum alijs nouæ legis uniuocũ, parum sibi cauisset. Et ideò solùm dixit,

S. Tho. expositio.

Durãdus.

non censeri hæreticum. Fallit tamen, hoc ceu probabile sustinendo. Nam si non diceretur sacramentum, nisi ob id duntaxat q̃ significat unionem Christi & ecclesiæ, illam profectò rationem ab initio cõditi orbis habuit: de illo enim matrimonio primorum parentũ ait Paulus fuisse magnum sacramentum: hoc est, mysterium Christi & ecclesiæ, quia illud significabat: tamen asserentes esse sacramentum ecclesiæ, quidpiam ei noui attribuũt. ¶Et confirmatur hoc planè, quia sicut Eua tunc è costa Adæ educta fuit in officium matrimonij: ita & de latere Christi in cruce educta est ecclesia, ut per sacramentũ matrimonij Christiani filij procrearentur, q̃ eius colerant religionẽ, atq; adeò in spirituales Dei filios adoptarentur: ergo matrimonium gratiã ex eodem latere promanantẽ ueluti reliqua sacramenta confert. Quocirca non concludimus nos, ut censet Durandus, ex hoc solùm esse sacramẽtũ, quòd sit remediũ contra peccatũ: nã hoc antea habebat, sed inde q̃ est à Christo institutum, ut idoneè cõiugale officiũ exerceretur, ueluti sacramẽtum ordinis, ut idoneè sacerdos sacramenta administret.

Durandus fallitur.

Alia ratio

Matrimonium quare sacramẽtum.

¶Hæc autẽ sacramentalis gratia contra trinam concupiscentiæ peruersitatẽ, ut ait Bonauentura, fert opem. Concupiscentia nanq; nec numerum personarum moderatur, quia impudicus quaeunque promiscuè optat, neque commoditatem, sed delectationem procurat, ac demum satiatus fœminas fastidit. Gratia uerò sacramẽtalis adminiculatur, ut uir sua sit contentus, & uxor suo, ut officiũ debitum cõiugio utantur, neq; ubi opus fuerit ob satietatem à debito reddẽdo abhorreant. Guilielmus Parisiensis in materia matrimonij. ca. illo, ubi tractat de eius uirtute, plurimũ energiæ ei tribuit aduersus cõcupiscentiam. Tametsi malitia possit huic gratiæ prævalere. ¶Quòd si sciscitaris quãdo nã eiusmodi gratiã conferat, respondetur, q̃ tunc, dum consensus de præsenti amborum coniugum simul concurrunt, ut paulò inferiùs repetetur. ¶Si uerò quis interroget, utrùm eum gradum hæc ueritas obtineat, ut sit habenda tanquam catholica, eiusque negatio tanquam hæreti ca, profectò utrinque sunt angustiæ. Nihilominus adhibetur secunda cõclusio. Quãuis hoc non sit in sacris biblijs, uel in sacris

Gratia matrimonij.

Gratiæ sacramentalis effectus.

Guilielmus Parisiẽsis.

Nota.

2. Conclusio.

eris concilijs expressum, tamen ægrè defensari posset non esse erroneum, imò hæreticum id negare, saltem est temerarium & ualde periculosum. Vtimur hoc moderamine, eo quòd Canonistæ opinãtes matrimonium non conferre gratiam, non sunt de hoc condemnati, nec Durandus eorum patronus. Imò uerò Diuus Thomas, Bonauentura, Scotus & reliqui solum aiunt, partem affirmatiuam esse probabiliorem. Sed ex altera parte extat ca. Ad abolendam. de hæreticis, anathematis mucrone eos confodiens, qui de septẽ sacramentis aliter quàm ecclesia Romana senserint. Et in concilio Florentino illud, iuxta uerbum Augustini, constitutum est discrimen inter uetera & noua, quòd illa significabant tantùm salutem & gratiam, nostra uerò dant illam, uirtutemq; conferendi in se continent. Profectò adeò urget argumentum, ut si Sanctus Thomas & antiqui patres hoc concilium ætate attigissent, non tantùm asseruissent, ut reor, esse hoc probabile, uerùm & esse catholicum. Nam negare illud concilium non fuisse legitimè congregatum, non esset tutum: quandoquidem celeberrima illa in eo fuerit celebrata conciliatio Armenorum cum ecclesia Romana. Imò uerò Canonistæ, ut arbitror, suam opinionem recantassent. Præterquàm quòd miror Durandum tantam authoritatem eis de hac re præter suum morem detulisse. Primùm, cum hoc ad ius diuinum spectet, cuius ipsi nõ sunt adeò docti fidiq; interpretes. Secundò, quòd manifestum est nõ maiorem habere in hac parte authoritatem, quàm ratio ab eis allata illis arrogat: & tamen rationem illorum palam est nullius esse uigoris. Omniũ enim unum hoc fundamentum est, quòd pro matrimonio confertur pecunia: & tamen debuissent attendere sacramentum matrimonij propter ea quòd conferat gratiam, rationem nõ exuere contractus ciuilis. & ideo nil uetat, quominus ista ratione pecunia possit inter cõtrahentes interuenire uictus causa, sicut in emptione & uenditione, & alijs contractibus: licet illa non detur pro matrimonio, quatenus res est sacra. Igitur sic illi, qui concilium Florentinum antecesserunt, non sunt hæresis damnandi, ut iam sint uehementer suspecti qui gratiam matrimonio negauerint. Præsertim quòd illa negata debẽt dicere non esse propriè & simpliciter sacramentum. Adde quòd Lutherani etiam de hoc sinistrè audiunt, quòd huiusmodi gratiam in hoc sacramento dissentur. Quocirca authores, qui contra eos scripserunt, ut Rossensis & Eckius, & concilia Parisijs & Coloniæ congregata tanquam errorem eum uituperant. Et si œcumenica Synodus Tridenti fuisset progressa, id ipsum definisset: nam sic erat patribus in animo.

Capit. Ad abolẽdam.

Cõcil. Florentinum.

Sententia authoris.

Cõcil. Florentinum legitimè congregatum.

Nota.

Canonistarum fundamentum.

Qui gratiã matrimonio negant suspecti sunt.

Lutherani

¶Circa materiam uerò primi argumenti capitalis posset quispiam fortè comminisci actus contrahentium: nempe, expressos consensus non esse materiam & formã sufficientes ad conferendum gratiam, sed formam necessariam, per quam confertur, esse uerba ministri: nempe, sacerdotis, qui amborum celebrat coniunctionem. Cuius magnum argumentum ex uerbis concilij Florentini duci posset, quibus asseritur omnia sacramenta tribus perfici: uidelicet, rebus tanquàm materia, uerbis tanquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit ecclesia. Inde enim sunt qui colligant præter contrahentes necessarium esse sacerdotem ministrum, cuius uerba sint forma necessaria sacramenti. Id quod reliquorum omnium sacramentorum exemplo confirmatur. Accedit quòd actiones sacramentorum, ut distinctione prima. in fronte expositum reliquimus, sunt actus religionis, quibus profitemur diuinitus sanctificari: actus uerò religionis absque ministri benedictione non reperitur, qui quidem minister, ut arguit Durandus, debet esse sacerdos, nisi ubi sacramentum tantæ necessitatis est, ut eadem laicum permittat ministrum, ut in baptismo. Tertiò arguitur, quòd cùm matrimonium, quod erat tantùm in officiũ, institutum sit in sacramentum, decentissimum fuit nouum illi ministrum, nouamque formam necessariam adscribere: uerba enim contrahentium non uidentur uim habere, nisi contractus cuiusdam & pacti, sicut in emptione & uenditione: neque habent præscriptam formam, nam & nutus satis sunt. Concedendum ergo secundum istos esset nunquam per matrimonium conferri gratiam quando priuatim, & clanculum absq; ministro contrahitur,

De 1. arg.

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

Appendix

trahitur,nisi sacerdos cum sua forma interuenerit. Atqui Sanctus Tho.4. lib.contra gentes capitu.78.ait, quòd matrimonium inquantú ad bonum ecclesiæ ordinatur, oportet quod subiaceat regimini ecclesiæ:ea aút quæ populo per ministros ecclesiæ dispensantur, sacramenta dicuntur. Vbi insinuat matrimoniú non esse sacramentum, nisi quando per ministrum ecclesiæ dispensatur. Et Guillielmus Parisiensis capi.citato de matrimonio, ait q forsitan matrimoniú, dummodo nuptialis benedictio non contemnatur, sacramẽtum est,sed uirtutem sacraméti talem nó habet,nec ueri nominis est sacramentum, nisi sicut diximus. Hæc ille. Vbi insinuat absq; benedictione sacerdotis non esse uerú sacramentú. ¶Hanc autẽ opinionẽ, qa singularis eẽt,nullú arbitror habuisse hactenus assertorẽ,sed disputatorem:nã præterquàm q nemo eorú,qui hucusq; scripserunt,eius meminerit,nó apparet quem admodum sit sustentabilis.In primis.n.de benedictione nuptiarum, qua in ecclesia spósi solenniter benedicuntur, affirmari nequit, quòd sit forma necessaria. Nam S.Thom.& uniuersi, nemine excepto,fatentur impræsentiarum non esse de essentia,sed de solennitate sacramenti:quippe quod iam antea per consensus de præsenti fuerit confirmatum. Id ergo sustinere quis fortè contendat, de forma ministri, dú sponsalia de præsenti (quæ matrimoniú sunt) publicè in forma ecclesiæ celebrantur:tunc etenim ad interrogationem sacerdotis uterq; coniugum respondet se alterú in coniugẽ accipere, & sacerdos addere solet,Ego igitur uos cóiungo in nomine patris, &c. ¶Quòd autem hæc non sit necessaria forma, demonstratur: quia si esset necessaria, procul dubio ecclesia illam expressisset tanquàm necessariò ubique seruandam, & tamẽ nullibi inter sacros canones talis extat forma:cùm tamẽ sæpissimè de hoc sacramento fiat mẽtio: & potissimùm cap.Licet de sponsa.duorú exprimitur forma solennis exprimẽtium consensus,Ego te accipio in meam, & Ego te accipio in meum: licet neq; hæc,ut Glossa bene ait, sit necessaria: si ergo & forma sacerdotis esset necessariò adhibenda,eius illic certè facta fuisset mentio.Sed & concilium ipsum Florentinum,quod recitata opinio sibi suffragari censet,ei maximè refragatur:nam licet priùs in genere ministrum omnium sacramentorum nominauerit,tamen dum in specie[ad matrimonium descendit (unde potissimum debet argumentum peti) solùm ait quòd causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per uerba de præsenti expressus. Vbi cùm in reliquis omnibus expresse materiam explicuerit & formã, si qua esset matrimonij alia præter uerba contrahentium,necessaria forma,ambigere non licet,quominus illam expressisset. Cùm ergo de illa nihil meminerit,manifestè colligitur non aliam posuisse, quàm contrahentium uerba.Nominauit autem illa,non formam,sed causam efficientem: quia compertissimum habebat Synodus easdem causas efficientes,quibus sacramẽtum perficitur,rationem habere materiæ & formæ, quæ sunt necessariæ: sed quia non habebant illam imaginem extrinsecam materiæ & formæ, quæ est in cæteris sacramentis,appellauit eas causas efficientes,sicut actus pœnitentis appellauerat quasi materiam, non quòd non sint uerè materia,sed quia non sunt extrinseca,ut in cæteris. ¶Præterea. Forma sacramentorum,quæ á sacerdote apponitur, significat effectum sacramenti, ut patet in baptismo,Ego te baptizo &c.Et in cæteris effectus autem matrimonij est coniunctio coniugum:hanc autem consensus ipsi expressi contrahentium satis significát: uerba ergo ipsa contrahentiú sunt sibi mutuò pro materia & forma. Quæ quidẽ,ex presa sententia est Hugonis lib. 2. de sacramẽtis.part.11.ca. 5.ubi interrogatus, quãdo cõiugium esse incipiat, respondet, quòd ex quo consensus inter masculum & fœminam factus fuerit,ex eo statim cõiugiú est.Quare licet sacerdos adijciat,Ego uos coniungo,forma illa non potest accipi in sensu,quẽ sonat,quasi per illã cõiugantur,sanè cùm illi per suos consensus fuerint cõiuncti, sicuti tempore antiquo antequã matrimoniú esset sacramẽtú,sed in hoc sensu,Ego approbo, uel benedico coniunctionem uestram.

¶Et confirmatur hoc maxime. Opinio illa non negat, quia nec negare potest, absque forma sacerdotis coniungi coniuges per suos consensus, atque adeò matrimonium fieri tunc indissolubile, sed ait, non esse sacramentum.

Arguitur

Opinio singularis.

Benedictio nuptialis solum est de solennitate.

Verba sacerdotis sint forma.

1. Argum.

Conci.Florentinum.

2. Argum.

3. Argum.

Hugo.li.2. de sacram.

Arguitur ergo sic contrà.Ergo quando sacerdos ait,Ego uos coniũgo,non applicat coniunctrices causas:nam illas contrahẽtes ipsi sibi inuicem applicant,Ego te accipio,&c.ergo sacerdos non uerè eos coniungit,quippe qui iam sunt coniuncti: ergo nec tunc facit sacramentum coniugij: nam idem est facere sacramentum coniugij: & facere coniugium,sicut idem est facere seu administrare sacramentum baptismi,& ministrare baptismum, & sic in cæteris:quare nec sacerdos est agens, sed ipsi contrahentes sunt sibi mutuò agentes & recipientes.Quocirca forma illa sacerdotis non est de essentia,imò neque est uniuersalis in ecclesia,sed alij dicunt, Ego uos sponso,& sacramentum confirmo, & alij.Quos deus coniunxit, homo non separet,atque alij aliter. ¶Arguitur demũ. Excludere omnia clandestina matrimonia,quibus sacerdos non interest, à ratione sacramenti,cùm nullo ecclesiastico iure id expressum sit: imò neque hactenus ab aliquo sanctorum assertum,temerariũ est.Et certè cùm clandestina matrimonia sint iure prohibita,ut patet eodem titu.si illa non essent sacramenta,ab ecclesia quidem fuisset admonitum. Accedit quòd tunc non solùm iure pontificio, sed & diuino essent interdicta, tanquam non habentia legitimam formam, nec gratiam conferentia:& tamen solo pontificum iure inhibentur,& propter solam inobediẽtiam & excommunicationem ecclesiæ nõ conferunt gratiam.Imò uerò si non essent sacramenta, deberent postea solenniter iterari,ut ratificatis consensibus forma sacramenti accederet: quod tamen non fit. Accedit & Sanctus Thomas distinctione. 28. articu. 3. ubi secundo loco arguens, quod cum in cæteris sacramentis requiratur ecclesiasticus minister,idem uidetur in matrimonio necessarius, negat consequentiam:quoniam in cæteris, ut in pœnitentia actus nostri licet sint de essentia, tamen non sufficiunt ad inducendum effectum sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis sine sacerdote: sed in matrimonio actus nostri sunt sufficiẽtes causæ proximi effectus,scilicet, colligationis: & ideo benedictio sacerdotis non est necessaria.Vbi insinuat, quòd quia actus nostri sunt causa coniunctionis, in qua consistit substantia matrimonij, sunt subinde causa gratiæ absque sacerdotis munere. Sed non opus est pluribus.

Forma diuersa.

5. Argum.

5. Ratio.

6. Ratio.

7. Ratio.

¶Respondetur ergo ad argumentum cum Sancto Thoma,quæ omnium est uniuersalis responsio,ut articul.1.expositum est, quod actus illi contrahentium: nempe, uerba exprimentia consensum, eo quòd directè faciunt nexum, qui est sacramentum matrimonij, non quidem tanquàm meri actus humani,ut aiebant Pelagiani, sed ex institutione Christi conferunt gratiam,quæ ideo tunc confertur dum amborum consensus coeunt:nempe,in illo momento, quo posterior consensus accedit priori.Neque alia expectatur forma.Quo fit,ut ubi spósalia de futuro præcesserint, illo post articulo, quo amplexu maritali se se per copulàm commiscent,sacramentalis gratia conferatur:quia tunc consensus perficiuntur. Ex quo secundò subsequitur, quòd quando dicitur per matrimonium conferri gratiã, intelligitur per causas,quibus fit matrimonium: uelnempe, per consensus, quibus fit obligatio & uinculum,quod est matrimonium.

Sol. 3. arg.

¶Vnde ad argumentum primum contrariæ partis respondetur, quòd concilium ipsum,quod prædixerat,in omni sacramẽto requiri ministrum,& materiam & formam,se in matrimonio explicuit docens, mutuos consensus per uerba de præsenti qua ratione causa sunt efficiens matrimonij,materiam esse & formam, atque adeò nó esse alium necessarium ministrum præter ipsos contrahentes,qui materiam applicant & formam. Cùm enim Christus hoc instituens sacramentum nihil aliud fecerit,quàm antiquum fœdus sanctificare,neque nouam materiam neque formã instituit, sed eosdem actus uoluit esse ad hæc officia destinatos & sanctos.

Sol. 1. arg.

¶Et per hoc ad aliud de religione respondetur, quod actus ipsi, qui antea non erant nisi legitima quædam pactio & merus contractus,iam nunc in lege euangelica sunt uerè actus religionis,ueluti materia & forma in baptismo,licet per laicum applicentur.Tametsi benedictiones ecclesiæ,quibus sponsi in nuptiali missa consecrantur,eiusdem religionis sint maximum documentum. Atq; hoc pacto Guiliel.Parisiensis est intelligendus:palàm enim est eum non loqui de uerbis sacerdotis dum sponsalia fiunt de præsenti,sed de

Sol. 2. arg.

Benedictiones ecclesiæ. Guiliel. Parisiensis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

benedictionibus, quibus in templo sponsi benedicuntur: nam fortasse suo tempore matrimonia non celebrabãtur nisi illo temporis articulo. Constat autem communi omnium consensu illas non esse de essentia, sed eas commendauit doctor ille ita fieri in testimonium religionis Christianæ, ut si contemnantur, maneat matrimonium quodammodò sine solennitate imperfectum, nihilominus uerum sacramentum. Atque id ipsum sentit loco citato Sanct. Tho. probat enim esse sacramentum: quia regimini ecclesiæ subditur, ut materia eius determinetur non constare inter consanguineos, & benedictio per ministros ecclesiæ nubentibus adhibeatur. Et ideo ait hoc sacramentum dispensari per ministros ecclesiæ. ¶ De matrimonio autem inter absentes aut per epistolam aut per internuncium maior offertur dubitandi occasio: sed hæc disputatio distinct. sequenti suum habet locum. ¶ Ad secundum principale argumentum respõdetur, quòd quanuis concupiscentia absolutè considerata, quo magis exercetur, eò ardentiùs ferueſcat, tamen dum eius necessarius usus rationis ordini per matrimonium subijcitur, illam reprimit, quatenus illæ actiones habitus, qui aliàs essent uitiosi, studiosos generant. Matrimonium ergo concupiscentiæ medetur tam ex parte actus, quàm ex parte ipsius concupiscẽtiæ. Ex parte quidẽ actus ea rõne qua est legitimũ uinculum in officiura naturę per bona sibi annexa. Et hoc dupliciter. Vno modo quia facit actum licitum ratione generationis, qui, si esset concubitus uagus, esset illicitus. Secundò quia cùm per ipsum homo concupiscentiæ satisfaciat, cohibetur ab alijs turpibus congressibus & immunditijs, iuxta uerbum Pauli, melius est nũbere, quàm uri. Sed tamẽ ex parte concupiscentię secundum se opem fert cõiugiũ quatenus est sacramentũ: quippe qđ per gratiam, quatenus est ex natura gratiæ, concupiscentiam in sua radice extinguit & eneruat ad actus illicitos. ¶ Ad tertiũ aũt, quo inferebatur consiliũ esse omnib. matrimonia cõtrahere, negatur consequentia. Nã alia sunt salubriora remedia, ut carnẽ ieiunijs & uigilijs macerare, cõtẽplationi & orationi uacare, quæ opera eẽ debẽt uirginũ, & eorũ, qui in cœlibatu uiuũt. Ob idq; Paul. consulebat, ut oẽs

S. Tho.

Matrimoniũ inter absentes an sit sacramẽtum 2. Argumen. Solutio.

Ex parte actus.

Ex parte concupiscentiæ.

Tertij arg. dilutio.

essent sicut ipse, si tamen possent: nam ut Christus Matth. 19. apostolis dicentibus. Non expedit nubere, dixit, Non omnes capiunt uerbum istud: scilicet, consilium non nubendi, sed quib. datum est: & ideo qui potest capere, capiat. ¶ Ad quartum argumentum Adria. in materia de matrimonio quæst. 1. sub dubio respondit, utrùm matrimonium infidelium sit sacramentum nouæ legis. Tametsi gratiam illis eo non infundant, quòd obicem opponunt. Ac perinde sub iudice relinquit, utrum fidelibus non baptizatis: nempe, catechumenis, gratiam conferat, pro eo qđ in capi. Veniens. de presbytero non baptizato. quasi arguendo ait Innocentius q̃ uideatur sacramentum matrimonij, eucharistiæ, & ordinum absque baptismo susçipi posse. At uerò non est cur huiusmodi dubitatione, quæ nulla est, conturbemur. Enimuerò si nomen sacramenti accipiatur pro legitimo uinculo in officium & pro mysterio, quo significatur unio Christi & ecclesiæ, liquidum est matrimonium infidelium esse sacramentum: quia hac ratione ab orbe cõdito fuit institutum. Et hoc est quod prædicto capit. Gaudemus. definitur. Hanc enim ob causam docet Apostolus uxorem infidelem posse cum marito ad fidem conuerso manere, si fiat citra periculum fidei. Si uerò nomen accipiatur pro sacramento nouæ legis cõferente gratiam, certissimum est matrimonium infidelium non esse sacramẽtũ. Neq; contrarium affirmat in dicto capi. Veniens. Innocentius. Primùm, quia solùm disputando ait, baptismum non esse fundamentum omnium sacramentorum, Et forsan accipit sacramentum matrimonij ut est duntaxat uinculum in officium. Quare concludendo diffinit cum concilio apud compendium capit. Si quis presbyter. eodem titu. ut clericus non baptizatus, iterũ susçepto baptismo de integro ordineturr: nẽ absq; baptismo, qui est ianua sacramẽtorum, nullũ susçipitur sacramentũ nouæ legis. Quapropter licet catechumenus, qui per fidem sacramẽti formatam est iã membrum Christi, matrimonium contrahat, tamen non susçipit sacramẽtalem gratiã: quia neque illud est sacramentum: sicut neque esset sacramentũ si ordinaretur, aut confiteretur. ¶ Sed hoc forsan dubitabit curiosus lector, utrũ si bapti-

Matth. 19.

Quarti arg. dilutio.

Ca. Veniens.

Innoc. exponitur.

Dubium.

si baptizatus contraheret cum muliere nõ baptizata, quę esset catechumena, esset uerum sacramentum nouæ legis. Apparet enim non esse, quia aliàs esset claudicans ex altera parte. Attamen nulla apparet absurditas si dicatur esse sacramentum ex parte uiri, qui est aptum subiectum, non tamen ex parte fœminæ, quæ est ineptum.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm commistio sexuum per copulã sit de essentia & integritate matrimonij.

TAndem, ut perfectio matrimonij innotescat, quæritur, utrùm actualis commistio cõiugum sit de eius essentia. Et arguitur à parte affirmatiua. Primò ex unionis natura. Dictum est in eius institutione, Erunt duo in carne una, quod nõ fit nisi in maritali complexu.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Argum.

¶ Secundò ex fine: est enim tam in officiũ generandi, quàm in remedium: & tamen neutrum coniuges assequũtur, nisi per carnis commistionem.

3. Argum.

¶ Tertiò ex significatione: significat enim coniunctionem Christi & ecclesiæ in unitate naturæ: hæc autem non designatur, nisi per corporum copulationem in actu.

Pars negatiua.

¶ In contrarium autem est, quòd inter primos parentes ante lapsum fuit uerum matrimonium, quando tamen nulla fuit copula consummata: quia iam tunc dictum fuit. Erunt duo in carne una, & Crescite & multiplicamini.

¶ Circa hanc quæstionem in eo fuit errore Vuitcleff, ut crederet ante coniugũ carnalem copulam matrimonium non esse solidum nec firmum, quemadmodum Thomas Vualdensis tomo. 2. de sacramen. capit. 130. refert. Quin uerò & Gratianus. 27. q. 2. can. Institutum. §. Potest, & aliter. & can. Sic quippe. §. Ex his. ex quibusdam sanctorum autoritatibus id ipsum sibi uidetur elicere. Hæc tamen assertio non tam tùm falsa opinio, sed error censenda est.

¶ Ad quæstionem ergo distinctions præmissa per duas conclusiones facile respondetur. In matrimonio enim, sicut & in qualibet re naturali, duplex integritas, & perfectio consideratur. Vna quæ consistit in essentia rei & definitionis comple

Matrimonij duplex integritas & perfectio.

mento. Atque hæc dicitur perfectio prima ipsius substantiæ & speciei: ueluti est ignis, licet in uacuo positus non calefaceret. Altera uerò est perfectio, quæ attenditur penes operationem, & illa est perfectio secunda, per quam res suum assequitur finem.

¶ Prior ergo conclusio sit. Matrimonium per mutuum consensum de præsenti conciliatum, est integrum & perfectum integritate prima & essentiali.

Prior conclusio.

¶ Posterior autem. Matrimonium non est perfectum perfectione secunda quousque commistio carnalis copulæ accedat. Hæc per se manifesta est, sed prior, in qua est difficultas probatur. Matrimonium, ut habetur ca. Illud. de præsumptio. & citatur à Gratiano in fronte. 2. quæstionis, causa 27. ubi hæc materia compilatur, est maris & fœminæ coniunctio individuam uitæ consuetudinem retinens: quare essentialis natura matrimonij est nodus & uinculum quo, personæ sibi se mutuò tradunt: tunc enim contrahere dicuntur matrimonium, quia tũc contractus celebratur: hoc autem fit dum amborum consensus de præsenti concurrunt: ergo tunc matrimonium in sua substantia perficitur. Idq; inde secũdò confirmatur, quòd cùm usus & operatio rei non sit de eius essentia, fit ut ante copulæ consummationem sit legitimum matrimonium. ¶ Tertiò arguitur, quia alias matrimonium sterilium, & senum non esset uerum matrimonium: quoniam coniugalis copula non refertur, nisi ad prolis generationem: consequens tamẽ est falsum. ¶ Quartò. Internus finis sacramenti est homines per gratiam sanctificare: sed tunc, ut prædictum est, dum consensus amborum interueniunt, gratia sacramentalis confertur: ergo tunc fit sacramẽtum. Atq; hinc dis. sequenti q. 1. art. 3. col lecturi sumus, consensum in carnalem copulam non esse ad essentiam matrimonij necessarium. ¶ Quintò ueritas hæc catholica multis canonib. ead. cã & quæst. comprobatur. Ait enim can. Matrimonium. Chrysostomus super Matth. Matrimoniũ non facit coitus, sed uoluntas. Et alludit ad illud Pauli. 1. Corinth. 7. Præcipio non ego, sed dominus, uxorem à uiro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam: ubi docet, separationem tori nõ dissoluere matrimonium. Hinc ergo eui-

Rõ secunda.

Rõ tertia.

Rõ quarta

Cõfirmatio ex sacris canonibus.

Paul. 1. Corinth. 7.

dens sumitur argumentum: Si enim post copulam separatio tori non dissoluit matrimonium, fit ut etiam si ante copulam, ut uacent orationi, ut ait Pau. constituerent perpetuò abstinere, nihilominus esset uerum matrimonium. Vnde in lib. de bono cõiugali cap. 18. Augustin. in nuptijs, inquit, plus ualet sanctitas sacramẽti, quã fœcunditas uentris, ubi ante coniugalẽ cõgressum matrimonium nominat. Cui consonat Nicolaus papa can. Sufficiat. ea. cau. & quæst. ubi ait solum consensum matrimonium facere, ut sint ueri coniuges.

Augustin.

Nicolaus.

Verũ mrimoniũ inter Ioseph, & beatam uirginem.

¶ Præterea id patet, quia inter Ioseph & Deiparam uirginem fuit uerum matrimonium, ut dist. 30. quęst. 2. uidebimus, idẽq; docet Augustin. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia capit. 9. & refertur can. Beata Maria. ead. cau. & quæst. iuxta uerbum angeli Matth. 1. Noli timere accipere Mariã coniugem tuã. Vnde infert, quòd coniux uocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus. Quo uerbo condemnatur erroris glossa Gratiani locis citatis ubi ait, coniuges consuetudine scripturæ non appellari nisi spe futurorum: quia scilicet in animo habent coniũgi carnali commercio. Esset enim hæresis dicere, quòd beata Maria & Ioseph in proposito habuerint illam carnalem copulam, cùm priùs illud diuinæ uoluntati commiserint, & postea uoto continentiæ confirmauerint. Sed de hoc uirginis matrimonio inferiùs. Vnde Ambrosi⁹. Ambros. lib. de uirginibus, & citatur can. Cùm initiatur. Defloratio, inquit, uirginitatis non facit matrimoniũ, sed pactio cõiugij. Quod profectò pessimè Gratianus can. Sic quippe. interpretatur dicẽs, quòd coniugalis pactio facit, ut mulier in defloratione suæ uirginitatis nubere uiro dicatur: imò antea per consensum uerè nubit; fitq; uerè coniux. Id ipsum Isidorus lib. 9. Etymologiarum censet, ut ibidem causa. Omnis res. ¶ Falsus autẽ fuit Gratianus, primùm nõ distinguens secundùm philosophiam inter perfectionem essentialem, quæ consistit in natura rei, & accidentariam, quæ ad eius attinet operationem. Deinde quia inter citandos Doctores sacros non satis eorum sensus penetrauit. In primis enim canon ille, Non est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commistio sexus non docetur fuisse, nescio an in Augustino reperiatur, quanuis Magister etiã, ceu illius ipsum citet. Hugo nãq; li. 2. de sacramen. part. 11. illum non tribuit Augustino. Cuiuscunque tamen ille fuerit, non facit illũ sensum, in quo Gratianus illum citat, cùm sępissimè Augustinus docuerit, matrimonium ante carnalem copulam esse uerum sacramentum. Et ideo uel intelligitur, ut ait Diuus Thomas, quòd non est perfectum perfectione accidentali secundùm operationem. Vel quantum conijcio, commistio non accipitur illic pro copula & congressu carnali, sed pro uinculo, quod per mutuum cõsensum innodatur, ut à ratione matrimonij non excludatur matrimonium non consummatum, sed concubi natus. Hic enim est legitimus sensus Leonis can. proximo, Cùm societas. secũdùm expositionem Hugonis in summa sententiarum tracta. 7. capit. 6. quod Gratianus animaduertere debuisset. Extat enim ille textus in epistola eius. 70. capit. 5. ubi tractat discrimen inter ueram uxorem & cõcubinam, & inter uerum & falsum hæredem, ubi citat historiam de Sara & Agar, quam adducit Paul. ad Galat. 4. At uerò Agar, licet dicatur Gen. 25. concubina: nõ tamen taliter, ut non fuerit uxor, sed quia erat ancilla, ut infra dist. 33. q. 1. ar. 2. pleniùs explicabitur: & ideo nec eius filius fuit legitimus hæres: ob idque præcepit Deus Abrahæ dicens, Eijce ancillam & filium eius, Gen. 21. Ex his ergo concludit Pontifex dicens, quòd cùm præter commistionem sexuum: nempe, per matrimonialem consensum, non habeant in se nuptiæ coniunctionis Christi & ecclesiæ sacramentum, non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse nuptiale mysteriũ, ubi non est legendum, nuptiale ministerium, sed mysterium: hoc est, nuptiale sacramentum. Insinuat. n. illic Pontifex, ꝑ solerent pacta turpia inter concubinarios interuenire perpetua instar matrimonij: & hæc sunt, quæ illic cõdemnat. Hugo uerò loco citato idem exponens ait, quòd ubi copula carnalis non interuenit, nõ est integra significatio desponsationis Christi cum nostra humana natura, quam induit, nihilominus est uerum coniugiũ, uerumq; sacramentum significans eandem unionem Christi per amorem. Et inde illud

Glossa Gratiani.

Gratianus reprehenditur.

Isidorus.

Hugo.

Intellectus can. Nõ est dubiũ. 27. q. 2.

Leo.

Pau. ad Galat. 4.

Hugonis interpretatio.

Innocent. lud desumpsit Innocentius cap. Debitũ. de bigamis non ordinan. Verum est tamẽ quòd Origenes, ut refertur can. Inuenta. beatam uirginem non uult simpliciter appellari uxorẽ Iosep. Neque Hieronymus, ut refertur can. Genuit. neque Gregorius can. Sic quippe. appellant illas ueras nuptias: quia nuptiarum nomen coaptari nõ censet nisi carnali copulæ, sed tamen non negant quin citra illam sit uerum sacramentum. ¶ Atque hæc de causa matrimonium per consensus firmatum dicitur ratum, attamen nisi adueniente copula, non est consummatum. Et eapropter illud per ingressum religionis alterutrius coniugũ dirimitur, hoc uerò minimè, nisi per mortem, id quod inferius examinaturi sumus distinct. proxima.

Origenes.

Hierony. Gregorius

Matrimoniũ ratũ.

Solutio primi arg. ¶ Ad primum igitur principale argumentum respondetur, quòd Adam uerbis illis, Erunt duo in carne una, naturam sacramẽti secundùm utramq; perfectionem explicuit. ¶ Ad secundum autem respondetur, quòd finis rei non est de eius essentia: & ideo quanuis matrimonium non nisi per copulam finẽ assequatur prolis, nihilominus antea est uerum sacramentum. Prẽter quàm quòd & alterum assequitur finem, qui est cohabitatio & mutua coniugũ obsequia. ut in de bono coniugali ait Augustinus. Remedium autem contra concupiscentiam est duplex, alterum in habitu & proxima potẽtia: & hoc præstatur per gratiam ante copulam, ut scilicet idoneo affectu coniuges dum libuerit possint se amplecti. Alterũ autem est in actu & in usu, per quem homo satisfaciendo concupiscentiæ ab alia cauet turpitudine. Sed hoc non est de essentia. ¶ Ad tertium denique respondetur, duplicem esse in matrimonio significationem Christi & ecclesiæ. Vnam scilicet per affectum, & unionem charitatis, quemadmodum admonet Paul. ut coniux coniugem, sicut Christus ecclesiam, diligat. Et hęc essentialiter in mutuo consensu consistit, qui est ante copulam. Sed alia est significatio per commistionẽ carnalem, per quam significatur unio hypostatica Christi cum nostra natura. Atqui hæc pertinet ad secundam perfectionem, quæ non est de essentia.

Solutio secundi arg.

Remediũ contra cõcupiscentiam duplex.

Solutio tertij argum.

DISTINCTIO VIGESIMAseptima, De matrimonij essentia, deq; sponsalibus & bigamia.

Textus. Cap. j.

CÆterũ quo huius sacramenti naturam penitùs speculemur, matrimonium dicitur quasi matris munium. Primum enim fœtus in utero, & deinceps tenera proles materno subsidio potiùs fouetur, quàm paterno, à quo ideo, ut Gregor. 9. autor est, matrimonij contractus nomen sortitur. Deinde uerò paterna potitur hæreditate, quæ ob id patrimonium nuncupatur. Sed nuptiæ dicuntur à nubendo, quod proprium est fœminæ, sicuti uxorem ducere, proprium uiri. At uerò coniugium ab utroque denominatur, quorum est uinculum. Matrimonium ergo, ut Alexan. tertius ait, est uiri mulieris que maritalis coniunctio, indiuiduam uitæ consuetudinem retinens.

Ca. fi. de conuer. in fideli.

Ca. illud, de ꝑsump.

¶ Hoc igitur matrimonij fœ- Cap. ij.

dus

Universidad de Deusto
Biblioteca

dus & nexus (vt de eius causa dicamus) solo contrahentium mutuo q; consensu de præsenti connectitur verbis aut nutibus expresso, alioqui esse nequit mutuus. Est enim nuptialis contractus, non quidem simplex donatio aut traditio, sed permutatio, Do, vt des, quæ ideo suapte natura deposcit, vt vtrique contrahentium mutua eorum voluntas innotescat. Unde Nicolaus Papa, consensus, inquit, contrahentium sufficit, quo deficiente nihil fit.

Can. Sufficiat. 27. q. 2.

Id quod inter Armenorum institutiones Florentina Synod. decernendo repetijt. Nam præterquam quòd omnibus sacramentis generale est, ut intentio suscipientis in adultis requiratur, hoc huic, quatenus contractus existit perpetui vinculi, est quodam modo peculiare. Quod enim quis non eligit, nec optat, id profectò, ut ait Sanctus ille Pontifex, minimè diligit: quod autem non diligit, facilè contemnit: atque adeò

Conci. Florent.

Cano. præsens. 20. 3.

matrimonium nisi animi assensione confirmaretur, perpetuò durare nequiret, neque uerò procreandis pro-libus satis esset aliter consultum.

¶ Consensus autem huiusmodi non est necessarium vt in carnalem copulam formaliter feratur, quando quidem illa essentiam matrimonij non ingreditur, sed satis est vt sit in perpetuam indiuiduamque consuetudinem & consortium, in quo, ut idem ait Nicolaus, essentia matrimonij cõsistitit: vbi in virtute facultas illa implicatur, quam sibi inuicem coniuges suorum corporum faciunt in rem vxoriam. Quod in matrimonio beatæ Virginis, de quo inferiùs recurret sermo, perspectum est. Unde Chrysosto. Matrimonium non facit coitus, sed voluntas: & Ambros. Cùm initiatur coniugium, coniugij nomen nascitur: nam defloratio virginitatis non facit matrimonium, sed pactio coniuga-

Cap. iij.

Cano. Sufficiat.

Cano. Cũ initiat. ibidem.

lis.

Cap. 4.

lis. ¶ Atqui præfatus iste consensus non est necesse vt eodem temporis articul. ab ambobus proferatur: quippe cum nihil obstet, quin per literas & internũcios matrimonialia fœdera concilientur. Quocirca cum Christus matrimonium simpliciter in sacramentum erexit, fas non uidetur, ullum quod uerè sit matrimonium, quamuis inter absentes, à ratione sacramẽti excipere. ¶ Vinculum huius sacramentalis contractus adeò est, postquàm per copulam consummatum fuerit, diuino naturaliq; iure firmum & solidum: ut, nisi per mortem, sicut ad Rom. ait Paul. sit prorsus indissolubile. Illud uerò quod ratum, minimè tamen cõsummatum fuerit, per religionis professionem eodem diuino iure distrahitur, quo religionis status tanquam auctoris charitatis vinculũ institutus est, vt per August. 33. q. 5. perq; Alexand. de conuer. coniug. & per Nicolai, aliorumq; Põtificum decreta. 27. quæst. 2. de

Cap. 5.

Roma. 7.

Can. Qd Deo placet Cap. ex publico. Can. Scripsit. 27. q. 2.

finitum est. Nam tunc, eodem interpte Nicolao, quos Deus cõunxit, non homo, sed Deus ipse sancto suo flamine separat. Quapropter ei, qui in seculo permanet, (quo utique inuito alter potuit statum fœlicioris frugis optare) liberum est aliud inire coniugium. Attamẽ cum per susceptionem sacrorũ ordinum matrimonium non dirimatur, vt Joann. 22. in sua extrauaganti decreuit, nequit uir post matrimonium ratum, nisi de consensu uxoris, illis initiari. Imò neque ante quàm religionem fuerit professa, nisi sexagenariam ætatem attigerit. ¶ Hinc fit, ut sponsaliorum consensum, quæ mutuam in futurum sponsionem designant, matrimonium non contrahatur, etiam si sponsionem fides iureiurando fuerit stabilita, vt nos Alexand. Papa docuit, nisi vbi fuerit carnalis copula affectu maritali sub secuta. Quæ quidem tunc copula perfecti consensus interpres est, vt Gregor. nonus suo nos commonuit decreto.

Antiquæ, de uoto.

Cap. 6.

Cap. De illis, de spon salib.

Ca. Is qui fi dẽ de spõs.

Adhæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 7.

Gene. 4.

¶ Adhæc & de bigamis hoc adhibendum, quòd quãuis polygamiam Lamech primus sub lege naturæ introduxerit, lexque subinde Mosayca usu & more admiserit, tamen cum ante euangelicam legem nullũ fuerit uerum ordinis sacramentum, sub ipsa primum irregularitas est ei adnexa, eademq; non iure diuino, sed Pontificio, quo omnis irregularitas inuenta est.

1. Ad Timoth. 4.

Admonitionem enim Pauli, ut episcopus: hoc est, omnis sacerdos, sit unius uxoris uir, non ceu Apostolus quasi ius diuinum promulgans fecit, sed ceu pastor & antistes ecclesiæ. Quam igitur ob rem, ubi causa occurrerit legitima, in facultate summi Pontificis est super omnem irregularitatem dispẽsare, ut decreto Martini distinct. 34. docti sumus. Quinuerò & ad minores ordines suscipiendos eadem quoq; in episcopis uiget dispensandi facultas.

Cano. lector dist. 34.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆSEPTIMÆ, Quæstio prima. De matrimonij definitione & causa.

ARTICVLVS. I.

Vtrũm definitio, qua matrimonium describi solet, sit idonea.

TRES quæstiones præsens distinctio desiderat, quę sũt de matrimonio, de sponsalibus, & de bigamia. Videtur ergo matrimonium nõ recte sic definiri, ut in. ca. Illud. de præsumpt. & apud Petrum Lombardum præsenti dist. definitur, ut sit, uiri mulierisq; maritalis coniũctio indiuiduã uitæ consuetudinem retinens. Et arguitur primò de nomine. Denominatio à digniori parte sumenda est: sed pater præstantior est matre: ergo non matrimonium, sed patrimonium dicendum esset. ¶ Secundò arguitur de genere. Coniunctio est nomen relationis: coniugium autem non ponitur in genere relationis: quia est uinculum, & uinculũ est causa coniũctionis: nã est funiculus quo res colligantur: ergo matrimoniũ non est coniunctio. ¶ Tertiò arguitur quòd non sit maritalis coniunctio. Enimuerò mariti ratio per matrimonium definitur: est enim maritus uir mulieri matrimonio coniunctus: ergo maritale nomen non est in definitione ponendum, aliàs daretur in definitione circulus. ¶ In contrarium est authoritas tum Iurisc̃onsultorum in prædicto cap. tum maximè theologorũ distinctione præsenti. ¶ In hoc sacramento, ut ait D. Tho. tria est considerare: scilicet, essentiam, quæ est cõiunctio & nexus: atque hac ratione dicitur coniugium. Deinde causam, quæ est desponsatio: & hac de causa dicuntur nuptiæ à nubendo. Præterea effectus, qui est proles, & inde sortitur nomen matrimonij. Sed ut uice uersa hæc apertiora fiant, etymologia matrimonij multiplex accumulatur. Dicitur enim matrimonium: matris munium: quia prolem munit, uel matrem muniens: quia & uicissim proles est matris munimen: uel matrem

Matrimonij definitio.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Argum.

3. Argum.

Pars affirmatiua.

Decisio ar.

Matrimonij etymo.

matrem monens: scilicet, ne uirum deserat. Sed tamen quæ ad rem pertinet, hæc dũtaxat est interpretatio, ut sit matris munimen: quia mater prolem munit. Ad alẽdam nanque educandamq; prolem uterq; coniugum suas operas confert, diuersimodè tamen. Qui enim generat est pater, sed tamen nec generatio nec conceptio dicitur munimen, sed officium quod proli iã genitæ impenditur. Primum autem munimentum est matris, quæ priùs in utero, & deinde uberibus filium nutrit, & alia infantilia officia ei præstat. Postea uerò adulta prole sequitur munimentum patris nõ solũm educationis, sed protuisionis bonorum, in quibus proles succedat. Et ideo matrimonialis cõtractus à munimine matris tanquam à priori & magis necessariò sortitus est nomen, ut cap. Ex literis. de cõuersione infidelium. ait Grego. Sed hæreditas appellata est patrimonium. Quãuis & altera ratio eidem nomini suffragatur.

Altera rõ.

Cùm enim pater sit causa efficiens generandi, & mater quasi materialis, non tam pater adiutorium est matris, quàm mater patris. Vnde priùs productus fuit Adam, deinde adiuncta est ei fœmina quasi eius adiutorium, ut Gene. 2. legitur. Itaq; non uir propter uxorem, sed uxor propter uirum producta est. Quapropter pater dicitur adiungere sibi matrimonium: hoc est, adiutorium matris, & matrimonio sibi copulare uxorem: sed mulier nõ dicitur adiungere sibi patrimonio uirum.

Genes. 2.

Nuptiæ unde.

¶ Nuptiæ uerò à nubendo dicuntur: est enim nubere proprium fœminæ, cui antequam tradatur uiro caput obnubitur: hoc est, uelatur: nubere enim est quasi nube tegere, in signum obedientiæ, quam debet uiro. Inde enim & nuptiæ dictæ, quòd pudoris gratia se puellæ obnuberent, ut ait Ambr. cano. Nec illud. 30. q. 5. Quapropter uelamen, quod sponsæ caput tegit, non nisi humeris sponsi imponitur: quippe qui onera matrimonialia sustinere debet. Et Paul. 1. Corinth. 11. uitio dat mulieri caput non uelare. Præterea uelatur caput sponsæ in signum uerecundiæ & pudoris, quem præ se fert officium illud coniugale, quo mulier uiro seruit. Id quod Rebbecca, ut legitur Gene. 23. documẽto monstrauit: quippe quæ uiso Isaac pallio se operuit. Quocirca nuptiæ, ut sancti patres canonibus proximè citatis aiunt, non adipiscuntur

Velaminis ratio.

hoc nomen usque ad traditionem, qua uxor traditur uiro, ad consummandam copulam. Et ideo nomen hoc conuenit uinculo matrimonij à suo effectu. Atque hac ratione negant inter Mariam & Ioseph celebratas fuisse nuptias. Propriè ergo mulier est quæ nubit uiro, sicut proprium est uiri uxorem ducere, nisi fortè figuratè dicatur, uir nubere uxori: qui tam mollis est ut sit uxori subditus. Sed ut ad definitionẽ descendamus, prænotare oportet pro qua re nomen coniugij & matrimonij supponat. Etenim hic quinque considerare: scilicet, consensus inter nos, & contractus exteriores: uidelicet, uerba, & obligationem seu uinculum inde resultans, & facultatẽ, quam uterque alteri facit sui, & carnalem copulam. Matrimonium autem seu coniugium non supponit pro interiori consensu, qui non est sensibilis: quippe cùm omne sacramentum debeat esse sensibile. Neque pro contractu externo: scilicet, pro uerbis, quibus consensus exprimũtur: quoniam consensus interni per uerba exteriora expressi non sunt matrimonium aut cõiugium, sed causa ipsius. Neque facultas, quam uir haberet in mulierem ad concubitum sufficeret ad matrimoniũ. Si enim Deus facultatem faceret alicui licitè uti di aliqua muliere, non ideo esset matrimonium: neque si faceret utrique mutuam facultatem ad illum actũ, sed requiritur mutua, perpetuaq; coniunctio ad indiuiduam uitam peragendam, in omnibus officijs tã ad procreandas proles, quàm ad mutua alia obsequia domestica. Quare nomen cõiugij & matrimonij supponit pro uinculo, nexu, & obligatione mutua, quæ ex mutuo consensu exteriùs expressio, ad cõmunem uitam enascitur. Quocirca cùm matrimonium dicitur uinculum, non accipitur nomen causaliter, ut aiunt pro re, quæ cõiuges copulat & uinculat, illi enim sunt consensus, sed formaliter pro nodo, qui per tales consensus fit. ¶ Ex his ergo colligitur conclusio, qua ad quæstionem respondetur. Definitio matrimonij, à doctoribus assignata, est optima. Cùm enim res per suas causas debeat definiri, illa, quæ datur per causam formalẽ & finalem, primatum obtinẽt: talis autem est hæc, Matrimonium est uiri mulierisq; cõiunctio maritalis indiuiduam perpetuamq; uitæ consuetudinem retinẽs: ergo hæc est optima.

Coniugiũ & matrimoniũ pro qua re supponunt.

Cõiugiũ & matrimonium.

Cõclusio.

Ratio conclusionis.

Proba-

Minor probatur. Genus.

Probatur minor. Causa enim formalis idē est quod species, quæ constat ex genere & differentia: genus autem matrimonij est quòd sit, formalis coniunctio, quòd significantius nomen est, quàm obligatio: quoniam quamuis non se obligarent per mutuos consensus, sed Deus illos coniungeret, ut inferius explicabimus, quia traderet unum alteri, & alterum alteri in perpetuam societatem, esset matrimonium: nisi dixeris, quòd etiam tunc esset obligatio, licēt non per consensus. Differentia autē, quæ constituit speciem, est quòd sit mari talis: nā si esset aliud genus pactionis aut contractus, quo se mutuò masculus & fœmina obligarent, ut sibi inuicem seruirēt: scilicet, propter pretium, uel aliam ob causam, non esset matrimonium. Et quamuis idem ferè sit, aptiùs tamen dicitur, uiri & mulieris, quàm maris & fœminę: nam mas & fœmina remotius genus significāt: quippe qđ & inter bruta reperitur: uir autē & mulier non nisi inter homines. Pudet autem adnotare, inter personas eiusdem sexus non posse matrimonium contrahi. l. Cùm uir nubit. C. ad legē Iuliam de adulter. Id quod de nefando Nerone scribit Sueto. qui uirum duxit in matrimonium. Quod autem Magister senten. adducit. Inter legitimas personas (quod quidem, ut creberrimè solet, ex Hugone lib. 2. de sacra. par. 11. cap. 14. desumpsit) quamuis ad maiorem expressionem subiecti fuerit adiectum, non tamen erat usque adeò necessarium: quoniā maritalis coniunctio id satis exprimebat: inter personas quippe illegitimas nulla intercedit maritalis coniunctio. Adiectio autem alia, indiuiduam uitę consuetudinem retinens, explicatio fuit causæ finalis: ad hanc enim consuetudinē eiusmodi coniunctio refertur. Quòd si arguas, non semper coniuges eorundem esse morum, respondetur, satis esse in officijs coniugalibus conuenire, & inter Christianos neutrum fidei repugnare. Quare inter fidelem & infidelem non permittitur, ut matrimonium contrahatur, nisi antea fuerit contractum, ut. C. de Iudæis. l. Ne quis. De hoc autem latiùs dist. 39. Sed præter has causas etiam uerbum, retinēs, expiicat proximum effectum matrimonij. scilicet, perpetuum uinculum & indissolubilem nexum: hoc enim impræsentiarū sonat retinere, qđ perpetuò tenere. ¶ Quòd si quis arguat. Res, & potissimùm contractus per contrarias causas colligatur, & dissoluitur, ut si mutuo consensu celebrata fuerit emptio & uenditio, utroque consentiente potest quod factum est, infectū redi. §. fi. insti. quib. mod. tollit. obliga. ergo sic erit in matrimonio. Negatur consequētia: qm̄ cōtractus matrimonialis, ut suprà diximus, non est merè ciuilis à solo dependens humano consensu in fieri & conseruari, sed à lege quoque diuina. Vnde licēt conciliatio matrimonij ex mutuo consensu contrahentium pendeat: lege tamen diuina, qua institutum est sacramentum, fit illico indissolubile, ut per contrarias uolūtates dissolui nequeat. Vnde Aug. can. Solet. 32. q. 2. siquis, inquit, aliquam sibi ad tempus habuerit adulter est. ¶ Hugo uerò lib. 2. de sacram. par. 11. cap. 4. dicens, coniugium esse consensum masculi & fœminę &c. orationem usurpauit in sensu causali: putà quòd coniugium sit cōiunctio per consensum facta. Sicuti & alia definitio, quæ solet per solum effectum & finem designari, debet similiter interpretari. Aiunt enim quidam, quòd matrimonium est cōsortium communis uitæ & communicatio diuini & humani iuris. ff. de ritu nupt. l. 1. intelligitur nanque ut sit uinculum & obligatio ad huiusmodi consortium, quæ quidem obligatio sit diuino, humano que iure firmata ad differentiam aliorū cōtractuum, qui solo ciuili iure confœderātur. ¶ Ad primum igitur argumentum iam responsum est, quòd licet pater sit præstantior matre, tamen mater prius magisq; necessarium munimen confert proli, à quo ideo inditum est matrimonio nomen. ¶ Ad secundùm autem negatur, matrimonium non collocari in genere relationis. Accipitur enim uinculum non efficienter pro consensu, qui facit uinculum, sed formaliter pro ligamine, quod ex consensu nascitur, quod quidem est relatio rationis, ut bene ait Scotus distinct. 26. permanens per modum habitus perpetuò. Nam si uinculum accipiatur pro causa: hoc est, pro consensibus, quibus fit colligatio, res est momentanea & transitoria. Relatio autem rationis nihil aliud est, quàm mutuus respectus unius ad alterum, qui ex utriusque uoluntate pullulat. Quare non opus est esse rem realiter distinctā à subiecto. ¶ Ad tertium denique respondetur,

Differētia.

Viri & mulieris.

Inter legitimas personas.

Indiuiduā uitæ consuet. retinens.

Obiectio.

Retinens.

An mutuo cōsēsu matri. possit distrahi.

Hugonis definitio.

Alia definitio.

Solutio primi argumē.

Solutio secūdi argu.

Solutio tertij argum.

detur, non inconueniret, ut priora, quæ sunt nominata, per aliqua, quæ sunt posteriora simpliciter, nobis autem priora & notiora, definiantur. Maritus autem est quid posterius simpliciter, quàm matrimonium, nam per matrimonium fit maritus. Nobis autē est prius & notius: & ideo matrimonium definitur per maritum à posteriori, sicut maritus per matrimoniū à prioti. Neque iste est uitiosus circulus: definitur enim qualitas à philosopho, quòd sit res, quales dicimur, & quale est, quod qualitate afficitur.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm cōsensus mutuus sit sufficiens causa matrimonij.

AD pleniorem intellectum substantię matrimonij, quę rit de eius causa, an sit mutuus consensus. Et arguitur à parte negatiua. Sacramenta non sunt à uoluntate humana: consensus autem emanant ab illa: ergo isti nō sunt illius causa. ¶ Secundò arguitur, quòd non sit sufficiens causa. Alioqui enim sequeretur, quòd sicut consensus de præsenti expressus sufficit ad matrimoniū de præsenti: ita consensus de futuro sufficeret ad matrimonium de futuro: nam sicut uoluntas præsens se habet ad præsens, ita & futura ad futurum: consequens autem est falsum: quia isti consensus, Accipiam te in meam, & Accipiam te in meū, per se non faciunt matrimonium in futurum. ¶ Tertiò. Si consensus esset causa matrimonij, tunc uel eius obiectum includeret carnalem copulam: & hoc nō: quia ut distinctione præcedenti quæst. 2. conclusum est, carnalis copula non est de essentia matrimonij, alioqui inter sacram uirginem & suum coniugem non interces sisset uerum coniugium, quod, ut distinct. 30. quæst. 2. latiùs patebit, falsum est: uel sufficeret consensus in indiuiduam uitæ consuetudinem sine respectu ad copulam: quòd autem hoc non sufficiat inde apparet, quòd alioqui illis, qui uoto se uirginitatis obligarunt, fas esset uera matrimonia contrahere, imò & fratribus inter se: quoniam secluſa copula reliqua omnis cohabitatio est illis licita: consequens tamen est contra Hieronymum, qui refertur. 27. distinct. Vouentibus enim inquit, uirginitatem non solùm nubere, sed etiam uelle, damnabile est. ¶ In contrarium autem: scilicet, quòd consensus de præsenti sit causa sufficiens matrimonij: est decretum Nicolai papæ can. Sufficiat. 27. q. 2. ubi ait, sufficere consensum, qui solus si defuerit, cætera fruſtrantur. ¶ Ad præsentem quæstionem quatuor cōclusionibus respondetur. Prima. Consensus hominum, si de potentia Dei absoluta loquamur, nulli sunt ad matrimonium necessarij. Probatur, primò per causam physicam. Consensus sunt matrimonij efficiens causa: Deus autem potest cuiuscunque efficientis causæ uicem se solo supplere: potest enim absque sole illuminare, & sine alimento animalia sustentare, quemadmodum sine ulla causa (præter se) efficiente mundum de nihilo condidit: ergo potest matrimonium inter duos absque eorum consensibus perficere. Secundò probatur morali ratione. Deus est absolutus dominus non solùm nostrorum bonorum, uerùm & nostrorum etiam corporum & uitæ: ergo sicut potest bona unius ipso inuito alteri tradere: quin uerò & principes diuina autoritate sibi collata id facere possunt: ita potest mulieris facultatem uiro facere, & uirum in potestatem mulieris tradere, ipsis etiam inuitis, non solùm in officium generandi, uerum etiam ad perpetuam uitæ consuetudinem, quod ad rationem matrimonij satis est. Essentia enim matrimonij, ut dictum est, consistit, ut sint uir & fœmina ad perpetua obsequia addicti & deuincti, quod re uera arbitrio Dei ipsis renuentibus fieri potest. Tertiò. Ambigere non licet, quin Deus maiorem habeat in hominem potestatem, quàm homo in seipsum: homines autem suis proprijs uoluntatibus se inuicem possunt matrimoniali pacto colligare: ergo Deus, qui dominus est naturæ, atq; adeò uoluntatis nostræ id potest absq; humana uoluntate efficere. ¶ At quia cauillare qs rem posset dicens, q talis coniunctio non haberet tunc matrimonij rationem: quippe quę secum intrinsecus adfert, ut ex mutuo consensu nascatur, arguitur sic. Sola causarum uarietas non tollit in effectu eādem naturam: calor enim solis eiusdē speciei

Partis negatiuæ argumētum primum.

Secundum argumen.

Tertiū argumētum.

Hieronymi.

Pars affirmatiua.

Rō prima.

Prima conclusio.

Rōsecūda.

Rō tertia.

Argumentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciei est cum calore ignis: quare ille nõnun quam ignem generat: & Adã à solo Deo productus, & reliqua animalia, eiusdẽ spe ciei fuerunt cum illis, quæ per generationem proferuntur: cùm ergo essentia matrimonij sit indissolubile uinculum, quo coniuges obsequio mutuò tenentur sibi morem gerere, à quacunque id causa fiat, erit uerum matrimonium: potissimùm si à solo Deo rerum conditore & domino fiat.

An aliquã do Deus aliquos citra ipsorũ cõsensum matrimonio sociauerit.

Certè non est cur concluſio in dubium reuocetur. ¶Hoc autem in litem euocari potest, utrùm re vera id aliquando Deus fecerit, ut absque humano consensu matrimonio aliquos coniunxerit. Legitur enim Oseæ. 1. quòd Deus illi præceperit dicens, Vade, sume tibi uxorem fornicationis, & fac tibi filios fornicationis, &c. Respondetur bifariam id Deum ualuisse prophetæ præcipere. Vno modo faciendo illi facultatem, ut posset uti muliere. Et tunc licèt neuter illo usu peccaret, non tamen esset matrimonium: quia non esset mutua & perpetua copulatio ad omnia obsequia. Atque hoc certè uidentur sonare uerba, Fac tibi filios fornicationis, ut esset præsagiũ quòd fornicatura esset terra. Secundò, quòd ipsis inuitis illam mutuam & perpetuam coniunctionem efficeret, & tunc certè esset matrimonium, de quo loquimur. Sed re uera non est credibile, Deum, qui omnia suauiter disponit, sic fecisse, imò in illorum animos induxit, ut in matrimonium consentirent. Sed dicti sunt filij fornicationis propter turpitudinem, qua prius mater sordebat. ¶Perplexius autẽ dubium exurgit ex historia primorum parentum, inter quos apparet matrimonium interfuisse, non ex eorum cõsensu, sed Dei iussu, eo modo, quo conclusio nostra loquitur. Quoniam si ipsi more communi matrimonium cõsentientes cõfœderassent, historia id retulisset: & tamẽ non refert, nisi quòd educta Eua de costa soporati uiri experge factus ipse dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis &c. Id quod ut supra ex Augustino retulimus, spiritu prophetico locutus est. Ergo uidetur matrimonium illud solo Dei iussu perfectũ.

Sẽtẽtia autoris.

Aliud argumẽtũ ex historia Adã & Euæ.

Ratio secũda.

Atque hoc inde satis probabiliter confirmatur, quòd non aliter uidentur sibi inuicem obligati, quàm illa Dei iussione, Crescite & multiplicamini, quæ certè absque aliquo eorum consensu ad uinculum suffi ciebat. Et tertiò id corroboratur ex uerbo Christi Matth. 19. ubi cõiugalẽ nexum primorum parentum referens, de alio modo illius contrahendi non meminit, sed solùm dixit, Quos Deus coniunxit, homo non separet, insinuans nõ aliter quàm per Deum esse coniunctos. ¶Veruntamẽ quãuis hoc probabilitate non careat, ratio tamen suauissimæ prouidentiæ Dei multò probabilius esse docet, quòd dum illis præcepit, ut genus suum propagarent, tũc eis inspirauit, ut in matrimonium consentirent, & ista ratione ait Christus, Deum eos coniunxisse. Potestatem ergo hic diuinam de eius potentia absoluta constituimus, qua absque humanis consensibus copulare homines matrimonio ualet. Quòd autem ea usus fuerit potestate, fortasse citra temeritatem non liceret adstruere.

Rõ tertia.

Sẽtẽtia autoris.

Nota.

Dubium

¶Sed hoc tamen rursus in disputationem posset produci, utrùm eandem prorsus facultatem Deus Christianę Reipubicæ uel ecclesiasticæ uel ciuili contulerit, ut dũ expediret inuitas dissentiẽtesq; personas in matrimonium cogeret. Nam quòd id facere ualuerit nemo sapientum absolutæ eius omnipotentię denegaret. Quod autem eã tribuerit, arguitur. Dedit enim potestatẽ Reipublicæ & principibus, ut ciues ad cõtractus compelleret, quos prorsus abhorrent, ut ad uendendum frumenta tempore necessitatis, & ad alios, qui eorum bona & nonnunquam honores etiam & uitam attingunt: nam potest rex compellere ciues ad militandum in bello cum mortis periculo quando id Reipublicæ expediẽs est: sed usu quoque uenire potest, ut reipublicæ expediat, propter bonũ fidei catholicæ uel pacis, ut rex uel alius nobilis hãc uel illam illustrem matrimonio sibi adiungat: ergo è re Christiana fuit, ut talem facultatem Christus ecclesiæ reliquerit cogendi tunc homines: quod si expediens fuit, credibile est fecisse. Responsio autem quòd non est par ratio de matrimonio & alijs contractibus, eo quòd matrimonium est uinculum indissolubile, & ideo requirit partium consensus, non est sufficiens: nam & princeps alios cogit ad indissolubiles contractus: quare in casu, quo hic communi bono expediret, uidetur ratio probare, ecclesiam, cui incumbit cura Reipublicæ, ad id posse compellere. ¶Secundò arguitur. Deus dominium, quod habet non modò

Partis affirmatiuæ argumen.

Solutio.

nostrarum rerum, uerùm & nostræ uitæ, uidetur per ius naturæ Reipublicæ cõtulisse: ait enim. 2. Politic. Philosophus, ciues potiùs esse Reipublicæ quàm suos ipsorum, ueluti membra totius sunt corporis, cui seruire tenentur: ergo eadem ratione habere respublica hanc in suos ciues facultatem cogendi ad matrimonia. ¶Tertium argumentum ex ijs, quæ inferiùs dicturi sumus, cõpertius fiet: Videtur enim ecclesia hac autoritate pollere, & sæpe uti: nam ubi duo sibi se per uerba de futuro desponsarunt: si copula se postea commiscuerint, coguntur ab ecclesia in matrimonio perseuerare, neque admittitur exceptio reclamantium, quòd non consenserint. Item ubi quis sub conditione impossibili consensit in matrimonium, licèt consensus suapte natura non uideatur legitimus nihilominus iudicio ecclesiæ ad matrimonium restringitur, ut patet capi. Si conditiones. de conditio. appositis: hæc autem non uidetur ecclesia facere posse, nisi haberet autoritatem compellendi ad matrimonia inuitas etiam personas. ¶Quartò arguitur. Status religionis præstantior est statu coniugatorum, atque adeò ibi tãta exigitur libertas: & tamen ecclesia uidetur ad religionem compellere: nam si quis ultra annum habitum indutus in claustro perstiterit, licèt alium consensum non habuerit, ad professionem constringitur: ergo potest eadem ad matrimonium fieri cõpulsio. ¶Ob hæc fortasse argumenta posset quis nouorum inuentor, neque omnino absque apparentia, hanc tutari partem: ueruntamen plus temeritatis, quàm probabilitatis suboleret. Et ideo subiungitur secunda concluſio. Deus eiusmodi facultatem Reipublicæ non tribuit, ut possit absque consensu contrahentium connubia firmare. Nam præter hoc quòd matrimonio rationem sacramenti adiunxit, cæterùm expedientissimum fuit, ut illud sic relinqueret quemadmodum per ius naturæ ipsum instituit: ius autem naturæ res omnes ad suum finem admetitur: finis uerò matrimonij id quàm maxime exposcit, ut coniuges libentissimè in suam societatem conueniant: nam nisi sibi inuicem perplaceant, non possunt individuam uitam perpetuò uiuere: esse autem sibi inuicem grati nequeunt, nisi sua sponte consentiant: quod enim quis non eligit, nec optat (ut. 20. quæstione. 3. cano. Præsens, ait Nicolaus papa) profectò non diligit: quod autem non diligit, facilè contemnit: qua utique ratione neque ad religionem illic iubet pontifex ullum esse cogendum. Quocirca qui compulsi, contraherent, nõ possent proles suas, qui finis est matrimonij, prouidenter nutrire & educare. Quod si quis arguat, eadem ratione consequi, Deum id facere non posse: negatur consequentia: quoniam Deus quos coniungeret, posset per suam inspirationem ad mutuum amorem allicere.

3. Argum.

Confirmatio.

4. argum.

1. Concluſio.

Ratio. 1.

Nicolaus.

Obiectio.

Dilutio.

¶Et per hoc ad primum argumentum responsum putato: nempe non fuisse expediens facultatem hanc Reipublicæ esse cõmissam: quoniam licèt sæpe conduceret, ut personæ illustres matrimonio copularentur: quod tamen Reipublicæ potissimũ confert, est, ut coniuges amore mutuo cõglutinentur. Quare commodum hoc non est propter quodcunque aliud uiolãdum. Et hoc est inter hunc atque alios contractus discrimen: nam alij cùm non referantur ad communem conuictum, licèt non sint ultronei, nihil periculi adferunt. ¶Ad secundum autem respõdetur, eatenus rẽpublicam habere dominium in ciues, ut ea men eis debeat libertatem, quam ius naturæ docet, seruare: docet autem id maximè ratione iam dicta ut liberè matrimonia contrahantur. Membra uerò tertij argumenti suis locis dissoluentur Si enim dum sponsalibus de futuro accedit copula, ecclesia ad matrimonium cogit, est, quia præsumit affectu maritali fuisse complexos. Conditionem autem impossibilẽ pro non adiecta ducit: & ideo iudicat fuisse absolutum consensum. Si tamen re uera consensus non præfuit, ecclesia facere nequit, ut uerè sit matrimonium. Et pari modo respondetur ad quartum, quòd in eo, qui ultra annum durauit in religione, ecclesia interpretatur habuisse in uirtute consensum, postquam sciens & prudens permansit: ob idq; eum censet professum tacitum. ¶Vtrùm uerò parentes possint inuitos filios matrimonio copulare, in calce distin. 29. uidebimus. ¶Tertia ex his colligitur concluſio. Ad matrimonium requiritur mutuus de præsenti consensus contrahentium in individuam perpetuamq; uitam tanquam necessaria causa, ex qua indissolubile uinculum nascitur. Probatur, Bo

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

Sol. 3. arg.

Sol. 4. arg.

3. concluſio.

Ratio conclusionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

na unius non possunt in alterius potestatem transire, nisi uel cogente lege, uel accedente ipsius domini consensu. Vnde. l. Consensu. ff. de actio. & obligat. consensu fiunt obligationes in emptionibus, uendi. &c. & Institu. de rer. diuis. §. Per traditionem. &. ff. de acqui. rerum dom. l. Qua ratione. §. Literæ. Nihil est tam conueniés naturali æquitati, quàm uoluntatem domini uolentis rem suam in alium transfere, ratam haberi: sed per matrimoniú mulier tradit potestatem sui uiro, & uir potestatem sui mulieri: nam, ut ait Apostolus 1. Corinth. 7. mulier sui corporis potestatem non habet, sed uir: & similiter uir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: &, ut prima conclusione ostensum est, nulla lege possunt homines ad id compelli: ergo necessarius est mutuus amborum consensus. ¶ Veritas est non solùm apud Theologos, uerum & utroque iure celebratissima, ut cano. citato Nicolai, Sufficiat. 27. q. 2. & can. Tuas. de sponsa duo. & can. Cùm locum, & cùm apud, de sponsa. & l. Nuptiæ. ff. de ritu nuptiarum. quanuis illic insinuetur requiri consensus etiá parentum: sed hoc intelligitur de honestate, non tanquam de essentia. Est etiam decretum concilij Florentini in instructionibus Armenorum, ubi decernitur, regulariter mutuum consensum per uerba de præsenti esse causam efficientem matrimonij. Sed additur, regulariter propter sponsalia de futuro, quæ, ut infrà dicemus sufficiant accedente copula. Quod uerò dictum est, requiri consensum in perpetuam consuetudinem: hoc est, indissolubilem, artic. præcedenti declarauimus. ¶ Quarta cõclusio de obiecto consensus sit. Non requiritur consensus formalis & expressius in carnalem copulam, sed satis est illam implicitè & in uirtute in illo consensu contineri. Istam conclusionem Magister senten. dist. sequen. posuit, sed tamen iste est eius proprius locus, neque articulum exigit distinctum: quoniam distin. præcedenti q. 2. art. 4. satis est contra Vuitcleff demonstrata: nempe. quòd carnalis copula non sit de essentia matrimonij. Inde enim planè fit cõsequens, non requiri consensum formalé, & expressum in eandem copulam. Et est conclusio Hugonis li. 2. de sacramen. par. 11. & in tract. beatæ Virginis, & Aug. can. Beata Maria. & Chrys. can. Matrimoniũ. 27. q. 2. ubi ait, Matrimonium nõ facit cõitus, sed uoluntas. Quod quidem uerbum in. ff. inter regulas iuris. l. Nuptias. relatũ est. Et ratio est plana: quia substantia matrimonij, ut loco citato dictum est, & Nicolaus papa can. Sufficiat. docet, consistit in traditione mutua propriorum corporũ & animorum, qua scilicet unus alteri potestatem sui facit, tum in reliquis obsequijs rei familiaris annexis, tum etiam implicitè in illo usu & cõmercio carnali, ad quod matrimonium ordinatur, iuxta uerbũ Pauli. 1. Corinth. 7. Mulier non habet potestatem sui corporis, sed uir. Quare substantia matrimonij exprimitur in illa forma, Accipio te in meam, & trado me in tuum, & uice uersa. Quæ ideo substantia in hoc cõsistit, ut uterque coniugum potestatem habeat & ius utẽdi altero ad illum finem, & sine alterius consensu neutri abstinere liceat, neq; cum alieno commisceri. In hoc autem consensu non exprimitur formaliter consensus in copulam, sed tantùm implicitè, si alius uoluerit. Quo fit huiusmodi consensum matrimonij perfectæ uirginitati aut corporis aut mentis minimè repugnare. Nam licèt quis tradat potestatẽ sui corporis alteri, si tamen scit alterum illius potestate nunquam usurum, nihil firmo proposito uirginitatis contrarium admittit. Et ita dicendum restat distinct. 30. q. 2. de beata uirgine: erat enim certa de Ioseph, quòd nunquam esset ab ea debitum exacturus.

¶ Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd licèt princeps causa sacramentorum sit diuina uirtus, quæ in eis operatur salutem, nihilominus causæ instrumentales sunt nonnunquam nostræ actiones per diuinam institutionem ad gratiam cõcurrentes, ut sunt contritiones pœnitentium, & contrahentium cõsensus. ¶ Quòd si quis rursus arguat. Vnius rei unica debet esse causa: matrimonium autẽ est unú: ergo non requiruntur duo consensus. Respondetur, quòd licèt cõsensus sint plures ex parte consentientiũ, est tñ unus ex parte obiecti: quia ambo in eandẽ rem & uinculũ consentiunt. ¶ Ad secundum negatur cõsequentia: nã licèt uerba tã de præsenti, q̃ de futuro in præsenti tpe proferãtur, non tñ eandem uim habent: si quidem uerba de præsenti pre tpe, quo proferuntur, uinculum perficiunt: tamen per uerba de futuro

Paul. 1. Corinth. 7.

Probat cõclusio iure.

Cõcilium Florent.

4. Conclusio.

Magist. sẽten.

Nota.

Hugo.

Ratio.

Substantia matrimonij.

Consensus in copulã implicitè.

Sol. 1. arg.

Obiectio.

Dilutio.

Sol. 2. arg.

fituro tunc cùm proferuntur, matrimoniũ minimè contrahitur: quippe qđ in rei traditione consistit, sed solùm uerba illa gignunt obligationẽ promissoriã: & ideo nõ sufficiunt matrimoniũ cõpingere, sed duntaxat obligant ad cõtrahendum in futurum. Hoc aũt q. seq. quæ est de sponsalibus, apertiùs fiet. ¶ Ad tertium argumentum per quartam cõclusionem satis respõsum est. Includit. n. coniugalis consensus copulam implicitè, non tamen est id necessarium explicitè. Et ideo nõ repugnat perfectæ uirginitati: attamen repugnaret uoto emisso uirginitatis: nam uouentibus uirginitatem non solùm nefas est in copulã carnalem consentire, uerùm & potestatem sui corporis in eum usum alteri tradere: quia tunc ponit in alterius uoluntate id facere, quod uoto repugnat. Quocirca Deipara uirgo, ut Augustt. cano. citato, Beata Maria. ait, & distinct. 30. quæst. 2. explicabitur, ante contractum matrimonium non emisit absolutum uotum uirginitatis, sed post ambo coniuges communi consensu illud susceperunt.

Sol. 3. arg.

Vótũ beatissimę uirginis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm consensus matrimonialis sufficiat internus, an uerò requiratur, ut sit exterius uerbis expressus.

VONIAM consensus & internus est, & per uerba exprimi pót, quæritur utrũ hæc expressio sit ad matrimonium necessaria. Et arguitur à parte negatiua. Votum tãtam inducit obligationem apud Deum, quãtam matrimonialis contractus apud homines: uotum autem nulla indiget forinseca expressione, sed sola mentis ifieri potest: ergo neque consensus matrimonialis eandẽ requirit expressionem. ¶ Secundò. Si uerba exprimentia internum consensum essent requisita, sequeretur quòd illa sine intrinseco consensu non sufficerent: consequens tamen inde apparet falsum, quòd fraus & dolus nemini, ut iura cauent, suffraganturr: & tamen si uerba sine interiori consensu nõ sufficerẽt, & fraus illa pferẽti suffragaretur: ergo cõsensus nõ requiritur expressus. ¶ In contrariũ aũt est autoritas Alexandri cap. Licèt. de sponsa duorum.

Partis negatiuæ argumẽtum primum.

2. argum.

Pars affirmatiua.

¶ Circa istam quæstionem Vuitcleff, ut refert Vualdensis tomo. 2. de sacramen. cap. 31. & 33. ait sufficere internos consensus contrahentium: quia Deus, qui uidet corda, illos potest approbare consensus. Et uidetur Panormit. eandem tenuisse opinionem super uerbo, Sufficit. cap. Cùm locũ. de sponsalib. Quin uerò & Innocentius ipse cap. Tuæ fraternitati. eo. tit. uerba quædam perplexa de hac re protulit dicens, matrimonium in ueritate contrahi per legitimum uiri & mulieris consensum, sed quantum ad ecclesiam necessaria esse uerba consensum exprimentia de præsenti. Et potest apparenter idem confirmari: nã si contractus exterior per uerba uel nutus esset necessarius, id præsertim quia omne sacramentum debet esse signum sensibile: hæc tamen ratio minimè uidetur cogere, eo quòd circa matrimonium nihil Christus super iure naturæ mutauit, præterquã quòd gratiam conferret: si ergo iure naturæ sine uerbis matrimonium erat solidũ, nihil obstat quominus etiam sit sub lege euangelica. Dicere autem, quòd ut cõstet ecclesiæ, requiruntur uerba, uthil ad rem: quia aliud est matrimonium in se esse firmum & legitimum, atque aliud esse notũ: modò autem nõ quærimus de uia, per quã debet innotescere, sed de ratione, per quã sit ualidum. ¶ Veruntamen his non obstantibus sit prima conclusio. Non sufficiunt interni consensus etiam de præsenti, nisi exteriùs per uerba itidem de præsenti uel nutus exprimãtur. Conclusio est uniuersalis omnium Theologorum in præsenti dist. nempe, Magistri senten. S. Thomæ, Bonauenturæ, Scoti, Ricardi & cæterorum: imò, uno excepto hæretico Vuitcleff, arbitror neque Panormitanum, neq; alium quempiam Canonistarum, si sanè intelligatur, eandem negare: quia neq; potest, ut dist. 1. q. 1. artic. 4. dicebamus. Et ratio est plana. Matrimonium nanq; non est simplex donatio, sed mutuus contractus, do, ut des: & ideo non sufficit simplex consensus, ut oĩbus est in cõfesso, sed mutuus: scilicet, Consentio si consentis, aut quia consentis: huiusmodi autẽ consensus natura sua requirit, ut uicissim utrique constet alterũ consentire, aliàs non consentit quia alter consentit. Vnde Hugo in summa Sẽtentiarum tract. 7. c. 6. Eos, inquit, qui coniunguntur, sic oportet consentire, ut inui-

An soli cõsensus interni efficiant matrimonium.

Innocent.

Ratio parũ urgens.

Nota.

Prima conclusio.

Cõmunis conclusio.

Ratio conclusionis.

Hugo.

Universidad de Deusto Biblioteca

cem se spontaneè recipiunt. Quo alludens Gratiauus. 29. q. 1. Consensus, inquit, est, duorum sensus in idem: id est, simul cum alio sensu. Id quod ipsissimus Alexand. cap. Licet. de sponsa duorum. egregiè docuit dicens, oportere ut uterque in suo mutuo consensu uerbis consuetis expresè alterum recipiat. Et confirmatur quia Christus, ut diximus matrimonio quatenus erat de iure naturæ nihil detraxit: iure autem naturæ est contractus quidam ueluti emptio & uenditio, & reliqui, qui absque mutuo consensu atque adeò expresso uigorem non habent. Ex quo fit nomine consensus non intelligi uoluntatem, qua quis uult contrahere, sed quod uere per consensum contrahat. Aliud enim est, uolo facere, atq; aliud uere facio. Atq; hinc sumitur nouum argumentum, quod non sufficit internus consensus, sed requiritur locutio de præsenti saltem per nutus, capio te. Vnde fit, quod licet Deus uiro reuelaret, mulierem uelle illum accipere, & eidem mulieri uiri uoluntatem patefaceret, nõ sufficeret ad matrimonium. ¶ Postremò tandem arguitur. Si consensus interior sine externa expressione sufficeret, sequeretur, quòd quando duo loco distantes consentiunt in matrimonium, & mittunt sibi inuicem nuncios uel literas, antequam eas alteruter recipiet, esset uerum matrimonium: quia præcesserunt consensus: consequens tamẽ est falsum: quoniam quousq; utriq; de alterius uoluntate constet, non est mutuus cõsensus. Quando ergo pontifices & doctores, dicunt solum consensum sufficere, necesse est, ut intelligant consensum mutuũ. Quapropter non excludunt, quin sint necessaria uerba, signa uel nutus, quibus fiat mutuus, sed excludunt à necessitate sacramenti alia circunstantia, quæ ibidem Panormi. se se exponendo percenset: nempe quòd non requiritur consensus parentũ, aut carnalis copula, aut consensus in copulam, ut patet in beata uirgine, neque benedictio ecclesiæ: imò neq; certa uerborum forma, sed sat est quocunq; alterutrũ suos consensus exprimat. Innocẽtius uerò nihil aliud dicere uoluit, q̃ q̃ quomodocũq; cõstaret, consensus internos esse mutuos, id sufficeret, ut si mẽ aliter sibi possent loqui tanq̃ angeli: sed tñ quia id de lege fieri nequit, requiruntur signa exteriora tanquàm necessaria, ut consensus sint mutui. Et ideo probè dixit, matrimonium in ueritate cõtrahi per legitimum cõsensum: mutuum s. Quod autẽ adiecit, necessaria esse uerba quantum ad ecclesiam, intellexit de uerbis expressis, ut distinguũtur à nutibus: scilicet, Ego te accipio in meam, &c. hæc enim in eo qui loqui põt, licet non sint de essentia sacramenti, requiruntur tamen in foro ecclesiæ ad obuiandum litibus. Et quòd is fuerit eius sensus: subiuncta eius uerba declarant: scilicet, Nam surdi & muti possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine uerbis: scilicet, per nutus. ¶ Secunda conclusio. Sicut consensus interni sine externis uerbis uel nutibus non sufficiunt, ita neque è diuerso uerba sine interno cõsensu. Conclusio est eiusdẽ Innocentij eo. cap. citato. Tuæ fraternitati. ait quippe in puero ante legitimam ætatẽ uerba nõ sufficere, quia nec legitimum consensum habere potest. Et cap. statim Tua nos. ad eundem casum respondens ait, q̃ quæcunq; uerba interuenerint, si propositum & consensus matrimonij non sit in animo, nihil fit: quia, ut dictum est, uolũtas est, quæ matrimonium facit. Et. ff. de pact. l. 1. Vlpianus, Stipulatio, inquit, quæ uerbis fit, nisi habeat consensum, nulla est. ¶ Atqui hoc confirmatur ratione etiã generali sacramentorum, quæ quidem nulla sunt si intentio ministri & susceipientis, si sit adultus, defuerit: in matrimonio autem cõtrahentes, ut diximus, sunt tum susceipientes, tum etiam ministri. ¶ Ex huiusmodi autẽ conclusionibus nonnullæ emergunt dubitandi occasiones. Et primùm circa primã ambigitur, utrum ubi qui contrahunt uerba proferre audireq; ualent, sufficiant nutus uel signa. Videtur enim Innoc. in dicto capit. Tuæ fraternitati. id negare. Et sic ait glossa ibidem. In his, qui loqui possunt non contrahitur sine uerbis, per quæ exprimatur consensus. At uerò proculdubio sufficiunt nutus, etiam si uerba possint proferri, ut ipse idem Pontifex eodem loco docet. Si enim uerba essent de essentia connubij, neutiquam nutibus contrahi posset. Cùm autem illic papa dicat in mutis nutus sufficere, palam asserit uerba nõ esse de essentia. Quod enim quis loqui possit, aut mutus sit essentiam sacramenti non uariat. Quò fit, ut essentiæ sacramenti quocunque casu nutus sufficiant, sed æquitas est, ut ubi est possibile, uerba expri mantur, ad certitudinem ecclesiastici fori. Vbi autem sponsalia de futuro præcesserunt, aduenies copula sufficit, ut ecclesiæ decreto sancitum est, quod est euidens argumentum uerba non esse de essentia. ¶ Vtrùm autem loco nutus sufficiat taciturnitas puellæ dum alij pro ea pudore suffusa affirmant eam consentire: Magister senten. dist. 29. (quod ex Hugone desumpsit in summa sententiarum tract. 7. c. 6.) ait sufficere consensum patris, quod Pandectarum testimonio adstruit alludens ad l. In sponsalibus. ff. eod. tit. ubi habetur, filiam patri consentire, nisi euidenter dissentiat. De hac ergo ambiguitate hoc unum certis in confesso est, quòd si alius in præsentia sponsæ pro ea affirmando respondeat, & ipsa non contradicat, illam taciturnitatem sufficere, quasi consensus indicium. In litem autem hoc uocat Paluda. dist. præsenti. q. 2. ar. 3. utrùm quicunque respondeat, sufficiat, licèt sit extraneus, an uerò solum sufficiat, quando pater uel mater pro illa respondent, uel tutor. Et tenet non suffice re nisi sit aliquis parentum uel tutor. Nam quanuis una regula iuris sit, quòd qui tacet consentire uidetur, alia tamen continuò subsequitur, Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare uidetur. Quapropter silentium per se nõ est assensionis sufficiens indicium: quare tunc solùm sufficit quando qui affirmat ius habet in sponsum uel sponsam, Vnde. l. Sed quæ patris. eod. tit. exemplum de solo patre ponitur: nempe, quòd puella, quæ patris uoluntati non repugnat, consentire intelligitur. idq; habetur iure canonico de desponsatione impub. c. unico. §. Porrò. lib. 6. ¶ Præsens autem ambiguitas per distinctionem dissoluitur. In foro enim conscientiæ si adsit uerus contrahentium consensus, quicunque alius pro sponso uel sponsa respondeat, ipsis tacentibus & non contradicentibus, uallet matrimonium. Sed nihilominus in foro ecclesiæ non haberetur pro rato, nisi pater uel mater, uel tutor esset ille, qui responderet. Et ideo in foro conscientiæ exploranda aliunde esset contrahentium uoluntas. Nam etiam si pater pro filia respõdeat, suspicio suboriri potest, an ipsa eius metu siluerit, neque reclamare sit ausa. Si autem per alias coniecturas constiterit, ei cordi fuisse nuptias, sed præuerecundia ea cuisse, quiuis alius pro ea responderit, sufficit in conscientia. ¶ At uerò circa eandẽ primam conclusionem, adiunctam tertiæ superioris articuli dubitatur, utrùm necessarium sit amborum consensus simul tempore concurrere & explicari, an uerò nullum temporis interuallum impediat inter unius consensum & alterius: nam in cæteris sacramentis necesse est, materiam & formam simul concurrere: cùm ergo supra constitutum sit consensum unius esse formam respectu alterius, apparet concursus huiusmodi eodem tempore necessarius. ¶ Nihilominus respondetur, non ita esse. Christus enim, ut sæpenumero dictũ est, contractum matrimonij, quatenus erat de iure naturæ, non mutauit, sed exornauit p gratiam. In lege autem naturæ instar reliquorum contractuum poterant conciliari nuptiæ uno hodie consentiente, & cras altero uel postridie, imò uerò longiori tempore intercedente per literas uel per internuncium: ergo & nunc temporis eodẽ pacto possunt contrahi. Nec de hoc ullus est catholicus, qui ambigat. ¶ Sed alia hinc nascitur ambiguitas, an nullum scilicet tẽporis interuallum obsterit, ut si quis hodie consensit, & alter post septennium uel decennium, sit matrimonium. Vsu enim uenire potest, ut eorum coniugum, qui ante decẽniũ matrimonio de facto iuncti sunt, alteri nunc primò iuris impedimentum innotescat, aut quia uir cum consanguinea uxoris rem habuerat, aut quia compertũ ei modo fit esse cõsanguineos in gradu p hibito. Quæritur ergo utrùm tũc satis sit, ut ille inscia uxore dispensationem procuret, & deinceps consentiat, sufficiatq; primus cõsensus uxoris, an uerò requiratur, ut uxor denuò consentiat. At hoc dist. 29. q. 2. latius respondebitur. Vbi enim cõsensus feruntur in materiam illegitimam, nullius prorsus sunt momenti: & ideo non sufficit, ut dispensatio perueniat, nisi post ipsam noui consensus utrinque accedant. Si uerò materia sit legitima, satis est si unus hodie consentiat, & alter post aliquod tẽpus, ut cùm matrimonium per nunciũ aut literas contrahitur, dummodò consensus prioris coniugis non sit recisus, sed in uirtute maneat. Quod quidem in huiusmodi interuallis obseruandum est. Si enim qs modò in matrimonium per literas consentit,

Alexand.

Postremũ argumen.

Panormi.

Expositio c. Tuæ fraternitati. de sponsalibus.

Verba an sint de essẽtia matrimonij.

Innocentij sensus.

Secunda conclusio.

Innocen.

Verba si ne consensu interno non sat sunt.

Ratio conclusionis.

An in absentibus loqui uerba sint necessaria.

Sententia autoris

Copula subsequẽs sponsalia de futuro, ea efficit de p senti.

Magist. sen ten.

Sententia cõmunis.

Paludan⁹.

L. Sed quæ patris.

Sẽtẽtia autoris sub distinctione.

In foro exteriori.

An utriusque cõsensus simul tẽpore concurrere debeant.

Dubij solutio.

Si unus hodie alterue rò cras cõsentiat.

An lõgotẽpore lapso possit alter cõsentire.

Solutio dubij.

sentit,& pereuntibus postea literis negotium intercipitur, & ferè obliuioni traditur, & post septennium uel decennium alter cõsentit,certè non esset matrimonium tutũ,nisi prioris consensu integrato: quia iam uidetur eius uirtus exoleuisse. ¶At uerò quãuis nemini in dubium uenerit,quin matrimonium per literas uel procuratorẽ sit uerum, idq; adeò indissolubile, de hoc tamen controuertitur, utrùm uerè sit sacramentum gratiam conferens. Nam præter Durandum dis. 26.q.3. Caietanus quòque in quæstione speciali ad tertiam partem adiecta negat esse sacramentum. Cuius ratio duplex est. Prima,quòd nullũ sacramentum suscipitur per procuratorem: quia cùm sit passio personalis, requirit actionem personæ præsentis, cuius ministerio gratia conferatur, ut in cæteris sacramentis liquidum est. Idque adeò confirmatur, quòd sicut sacramentum matrimonij in contractu consistit, ita & sacramentum pœnitentiæ in actu iudiciali: sed absolutio sacramentalis non impenditur nisi præsenti: nemo enim potest per procuratorẽ confiteri ut dist. 18.q.2.art.6. mõstratum est: ergo nec matrimonium per procuratores est sacramentum. Secundò id probatur: quia si sacramentum esset,consequens inde fieret,ut sæpè dormientibus, nullaque eis applicita tunc actione gratia conferretur: nempe,dum procuratores utrinq; missi conuenirent,quod non uidetur intelligibile: imò sequeretur quòd quoties illi,qui procuratorem miserunt, in peccatò dormitum irent, nouam culpam committerent, opponentes obicem gratiæ sacramẽti,quod inopinabile uidetur. ¶Non prorsus diffiteor opinionem hanc esse utcunq; probabilem: quippe cuius argumenta nõ sunt prorsus despicabilia. Veruntamen adeò contraria uidetur probabilior,ut eam crediderim omnino amplectendam. Et ratio,quæ urgere uidetur,est, quòd cũ Christus matrimonium simpliciter & absq; ulla exceptione instituerit esse sacramẽtum, nonnihil temeritatis offert, id quod sit uerè matrimonium,à ratione sacramenti excipere,potissimũ cùm illud ratione & uirtute nouæ legis sit indissolubile. Item qa gratia, quæ in matrimonio confertur, est propter idoneum eius usum: hic autem finis tam necessarius est matrimonio per procuratorem contracto, quàm reliquis.

Matrimoniũ p procuratorem initum an sit sacramẽtum.

Pars negatiua.

Rõ prima.

Rõ secũda.

Sẽtẽtia autoris.

Pars affirmatiua.

Rõ prima.

Ratio secunda.

Adde, quod si hoc matrimonium non esset sacramentum, profecto ecclesia non deberet illud permittere. Fingere autem quòd requiritur ad gratiæ collationem, ut sponsi postmodum in conscientia itera tos consensus ratificent, certè gratis asseritur: quoniam consensus priores sufficientes erant. Quare dum per procuratores consensus concurrunt, tunc matrimonium fit indissolubile. Tametsi ad tollendos scrupulos, ne fortè fuerint consensus interrupti, laudabile sit, ut in præsentia postea eosdem ratificent. ¶Vnde ad primam obiectionem respondetur, hoc esse huic sacramento singulare,quod cùm sit naturalis ciuilisque contractus, in sua permaneat natura ratione sacramenti nihil obstante. Atque adeò cùm materia eius & forma non sint nisi actus contrahentium, potest in eorum absentia celebrari,dum prædicti consensus per procuratores coeunt. Quod quidem reliquis sacramentis non accidit. ¶Ad secundum respondetur, quod cùm pueris ante usum rationis & amentibus gratia baptismatis infundatur, & dormientes, ut plurimorum fert opinio, martyrio coronentur, non est miraculo tribuendum quòd dormientes gratia etiam sacramenti huius perfundantur. Nam etsi tunc ipsis nihil extrinsecus applicetur, quia hoc sacramentum non habet formam & materiam extrinsecas, coeunt tunc tamen eorum consensus per procuratores, qui se habent, ut materia & forma. Neque uerò absurdum est consequens illud concedere, quòd nouum committunt peccatum, si dum uerisimiliter coniectantur conuenturos mutuos consensus, obicem culpæ gratiæ opponunt. Secus uerò dum neuter scit prorsus quando alter est consensurus. ¶Veruntamen ex secunda conclusione, qua dictum est, externa uerba absque interno consensu non sufficere, graue perplexumque dubium emergit,quod multas molestias in hac materia facessit. Etenim si consensus amborum requiritur, nemo esse potest tutus, an uerum matrimonium contraxerit: quia neuter habet consensum sui coniugis exploratum. Ad hoc autem primum respondetur, quòd nemini potest suum matrimonium esse euidens, sed sola pars negatiua, quando ipse non consensit.

Rõ tertia Nota.

Solutio primi argumẽti.

Solutio secundi arg.

Dubium.

Solutio primi.

Cæte-

In moralibus non exigitur euidentia.

Primum documentum.

In foro cõscientiæ.

Vide distinctionem.

Tenuis scrupulus deponendus.

Cæterùm in his, quæ moralia sunt, non exigitur euidentia,sed sufficit humana cõiectura,sicut in reliquis sacramentis. Quãdo enim uerba ablutionis audimus,aut cõsecrationis, aut absolutionis à ministro proferri,sat est ut certiores de eius intentione efficiamur certitudine, quæ sufficit in sacramentis. Pariter per uerba, quibus coniuges consensus explicant,satis uterq; fit de matrimonio certus. ¶Attamen quia sæpenumero in dubium & suspicionem uenire res potest, solertiùs de huiusmodi euentibus disquirendum est: ubi quæ subsequuntur documenta obseruanda sunt. Primum enim distinguendum est de foro exteriori ecclesiæ, & de interiori conscientiæ. Dum enim coniugum aut alter, aut uterque consensisse in matrimonium negat,quod uerbis contraxit: si uerba legitimè probantur, tunc ecclesia in fauorem matrimonij sententiam profert, illud habens pro rato. Idq; facit quotiescunque dubium in æquilibrio pendet, licèt nonnunquam in foro conscientiæ nullum fuerit. Si uerò probatur uel error uel metus, ut distinct. 29. & 30. uidebitur,irritum illud ducit. ¶At uerò in foro conscientiæ res est maiori periculo obnoxia. Creberrimè nanque ex parte uirorum fallaciæ nectuntur,sanè qui,ut sua libidine potiantur,miseras puellas seducunt. Quapropter dum postmodum se consensisse negãt, eas relinquunt perplexas credere ne ipsis debeãt. Ex parte quoq; fœminarum (quãuis nõ simili causa uiros decipere soleãt) tamen cùm facile consentire consueuerint,postmodum parentum metu perculsæ dicta retractant. Et è contrario metu etiam parentum dicunt se quandoque consentire,cùm tamen non consentiant, quare utroque modo postea dicentes se non consensisse, ancipites uiros reddunt. Ex his ergo alijsq; similibus casibus dubia inter coniuges, an legitimum fuerit matrimonium, suboriri consueuerunt, quæ conscientias exurunt. In hoc enim foro rem tractamus.

¶Tunc ergo primum omnium considerandum est, utrum dubium illud aliqua morali probabilitate nitatur, an uerò sit tenuis scrupulus. Etenim dum leuis scrupulus est, concilium esto, idemque certissimum, ut qui eum habet,deponat, ut bene ait Scotus distinctione. 30. & omnes. Imò expresse habetur capit. Inquisitioni, de sentent. excommunicatio. Sed est præterea in præsentiarum animaduertendum,quòd dubium tunc dicitur,quando homo nec assentit nec dissentit, sed anceps pendet animo. Dum uerò assentitur, iam non dicitur dubius, sed cum formidine opinari. At quanuis minus sit periculum in re dubia, quàm in opinionis assensu, potiùs tamen perpendenda est causa dubij uel assensus, quàm assensus ipse. Nam quanuis quis assentiat,si assensus nullas habeat probabiles coniecturas,sed ex animi infirmitate nascatur, deponendus est, aliàs qui fecerit contra ipsum, facit contra conscientiam. Et uice uersa,quanuis quis non sit nisi dubius absque assensu, si tamen habet causas assentiendi,quibus cõsultò renititur, non potest citra periculum officium coniugale exercere. ¶Quo ergo gradatim ad hæc respondeamus, sit prima propositio. Quotiescunq; de uno matrimonio certitudo habetur moralis, fuisse legitimum, nullo modo ei,q certus ẽ, licet citra mortale crimẽ ad alias trãsire nuptias, uel debitum primo cõiugi petẽti denegare, uel ullo pacto cõtra illã certitudinem agere. Certitudo moralis ẽ,quæ de bonis coniecturis ad arbitrium sapiẽtium colligitur. Eiusmodi autẽ cõiecturæ ex diuersis qualitatib. pẽsandæ sunt. Si puella multò inferioris sortis credit iuueni nobili & longè altioris conditionis asserenti se illam ducere,qui postmodum ea potitus negat habuisse consensum,& est uir probatæ uitæ, aliamq; ducit,danda illi fides est. Præsertim si illico id negat. Et tunc, potest puella alteri nubere. Eodem modo si puella quæ consentire se dixerat, consensisse negat,uerisimilibus coniecturis metum patris probans,si est fœmina alias bonis moribus imbuta,& alteri uiro copulatur,tunc tutò põt uir prior alteram sibi matrimonio sociare. Si tamen coniecturæ præteriti consensus sint uehementes: quia s. non sunt fortè adeò dispares,neque est tam uerisimilis metus,& talibus uerbis & modo uir consensit, ut ipsa arbitrio sapientum nõ possit non credere illum consensisse, præsertim si post notabile tẽpus, ut ait Ricar. dist. 19. art. 1. q. 3. id negat, re uera uxor,quãuis id iurãdo ipse neget, & ad alias trãseat nuptias,nõ debet illi adhibere fidem:

Nota.

Prima propositio.

Certitudo moralis.

Coniecturæ uariæ.

Aliud exẽplum.

Ricard.

fidem:quia,ut habetur cap.Per tuas, de p batio. Nimis indignum est,ut quod sua quisq; uoce dilucidè protestatus est, in eũ dem casum proprio ualeat testimonio in firmare. Quocirca nec potest ipsa alteri nubere:quod si nubat,matrimoniũ nullũ est,sed prorsus deserendũ, quanuis pluribus sit iã liberis fœcundum:non obstantibus quacunq; seditione & scandalo. Deserendum,inquam,quoad torum: quoniam neq; potest illa debitum petere,neq; uerò reddere,sed mortem potiùs debet sustinere quàm reddat. Licet possit manere separato toro tanquam socia, dummodo nullum ingruat congressus periculũ. Conclusio certè nemini debet esse dubia: nam si talis certitudo est moralis: non licet illam deponere, & multò minus contra eã facere. Quare qui ad aliud se matrimoniũ transferret,committeret secundùm suam conscientiam,eandemq; legitimam,adulterij crimen,quod nequis committat,potiùs illi mors est oppetẽda. ¶Hæc quippe certissima sunt. Idemq; de uiro pari iure respectu mulieris iudicandum. Dubiũ autem emergit dùm autoritate ecclesiæ in foro exteriori secundum allegata & probata matrimonium secundum pronunciatur legitimum. Ad hoc autem dist. proxima,ubi de clandestino matrimonio subsequetur sermo respõdebitur. Et pariter ad illud,an fœmina in tali casu possit ingredi religionem,etiam si prius matrimoniũ fuerit consummatum. ¶Secunda propositio. Quanuis quis non habeat eiusmodi certitudinem de primo matrimonio,sit tamen ad arbitrium sapientum dubius, ita q; adhibita diligentia ad explorandam ueritatem sint pares utrinq; coniecturæ, nequit ad secundas transire nuptias. Nõ utique tantum esset crimen contra dubium tunc agere, quàm cõtra certitudinem. At tamen tunc ẽt peccaret contra conscientiã,quam secundum rationem habet,atq; adeò deponere non tenetur. Et confirmatur hoc,quia postquã matrimoniũ cõtractum est,uterq; habet in alterum possessionẽ:quare neutri fas est propter suã dubium alterũ possessione sua spoliare. ¶Dubium tamẽ est postquam coniuges uicariã habent in se possessionem, & tunc uel ambo uel alter incipit de matrimonio dubitare. Vt si uxor bona fide credẽs primum matrimonium non esse legitimum, quia uir dixit non consensisse,aut esse consanguineos,ad secundas nuptias euolauit,quibus celebratis ambigere probabiliter uel opinari incipit primum matrimonium legitimũ fuisse,atque adeò secundũ nõ esse solidum. Aut dubitare incipit secũdũ maritum esse sibi sanguine coniunctum: aut si fortè bona fide credens priorem maritum fuisse defunctum,nupsit alteri, sed iã ex auditu dubitare incipit an uiuat,utrum tunc possit petere exigereq; debitum.

¶Ad huiusmodi euentus postmodum 32. distin.ubi tractabitur de reddendo debitum.& 37.ubi disputabitur de ea,quæ uiuente uiro mortuum credens, alteri nupsit,iterum est nobis redeundum. Vt autẽ interim aliquid dicamus. Adrianus. in 4. quæst.de præscriptione, arbitratur coniugi de matrimonio hæsitanti neutiquam licere debitum aut reddere aut petere. Cuius fundamentum est,quod censet neminem,quam dubitat esse suam,posse sibi uẽdicare,& eadem ratione nec si eam possideat,posse retinere:& ideo coniux ille dubius periculo se fornicationis, inquit, exponit tam reddendo quàm petendo. At uerò de reddendo contrarium habetur in allegato cap.Inquisitioni.de sentent.exc. & in capitu.Dominus.de secund. nuptijs. Habetur enim,quòd si dubitatio sit leuis, qui dubitat, consilio pastoris scrupulũ deponat. Si uerò est talis dubitatio,quam relinquere aut non potest, aut non debet, tunc reddat,sed non petat. Neque Euasio Adriani ullius est ponderis:scilicet, quòd loquuntur capitula in solo foro exteriori, quo cogitur eiusmodi coniux alteri cohabitare, non tamen debet in opus consentire. Nulla, inquam, est euasio: quoniam capitula postquam admonent,quòd si est leuis suscipio, deponatur, manifestè loquuntur in foro interiori ad sedandas conscientias.

Item arguitur contra fundamentum Adriani. Cùm enim conditio possidentis, ut est in iure, melior sit quàm non possidentis,quanuis qui dubius est,an res quam alius possidet,sit sua,nequeat illam autoritate priuata surripere, tamen si in eius possessionem bona fide ingressus est, quanuis deinceps dubitet æquali probabilitate ad utramq; partem rem esse suam, non tamen tenetur eam deserere,sed potest retinere,quousq; iudicio publico à se euincatur.

Conclusio certa.

Idem de uiro iudiciũ Dubium.

Alterum dubium.

2. Propositio.

Dubium.

Adrianus.

Cap. Dominus.

Euasio Adriani.

Argum. cõtra fundamentum Adriani.

euincatur. Eam ergo ob rem cùm uir uxoris corpus bona fide possideat, non potest ipsa propter suum dubium negare illi petenti debitum. ¶Imò uerò ut lib.4.de iustitia & iure q.5.arti.4.disputabamus, secundum membrum eorundem capitulorum: scilicet,quòd non possit petere, durũ est, nisi moderamine mitigetur. Si enim facta sufficienti indagine idem coniux anceps manet,quia res nequit satis explorari,durissimum est dicere, quòd non possit etiã petere, propter rationem modò factam: quia postquam habet possessionem, nõ tenetur propter dubium, in quo sine culpa sua est,nec deponere potest,manere ligatus,ut non possit uti coniuge sua. Præsertim si ambo coniuges essent dubij: Tunc enim citra suam culpam essent sua liberta te priuati,ut petere neuter posset. Item cùm, ut nuperrimè dicebamus, dum quis est dubius dubitatione morali de matrimonio, quod contraxit, non ualeat ad alias nuptias transire,cogeretur citra suam culpam cœlibem uitam transire: quod nõ est credibile canones sanxisse. Et ideo capitula illa sic sunt moderanda, ut quandiu coniux est prudenter de matrimonio dubius,reddat quidem debitum propter ius, quod alter habet in ipsum, non tamen petat quousque explorandæ ueritati diligentiam adhibeat. Si tamen illa satis adhibita dubietatem sibi non potest abstergere, crediderim (sub peritiorum cẽsura) quòd non interdicitur quominus etiam petat, postquam possessionem habet. Per hæc & dictum Scoti distinct. 30.quæst. 1.temperandum est,quo ait, quòd quando coniux non potest tollere conscientiam,quam habet,an alter uerè consenserit: mortaliter peccat reddendo debitum, quia fornicatur. Similiter & non reddendo, & à fortiori à matrimonio recedendo exponit se periculo peccati mortalis:ubi uidetur miserum coniugem in perplexitatem inextricabilem conjcere,quod re uera nefas est. Nam solùm ubi quis habet conscientiam erroneã peccat agendo contra & pro,non tamen est perplexus, quia tenetur illam deponere. Sed tamen impræsentiarum facta sufficienti indagine tenetur homo inclinare in possessionem. Quare marito neganti consensisse,in eam potiùs partem inclinandum est,quòd mentitur, si uxor credere non conuincatur. Quocirca tunc nõ est perplexa, sed debet reddere, & potest petere debitum. Quòd si arguas. Illa facit contra dubium:ergo peccat. Respondetur ad antecedens,dubium esse duplex: scilicet, speculatiuum & practicum. Et quidẽ agere contra dubium speculatiuum non est peccatum, sed agere contra practicũ. Dubitat autem illa speculatiuè, an ille sit suus,sed non inde sequitur, quòd dubitet reddendum esse debitum aut petendum, quod est dubium practicum. Imo per possessionem fit certa,quod utrunq; potest.

¶Alia uerò ex his enascitur ambiguitas, dum quis mala fide:dubitans scilicet probabili dubio priores nuptias fuisse legitimas,transit ad secundas, utrùm scilicet secundæ sint dirimendæ. Apparet enim esse obseruandas & priores antiquandas:nã postquàm alter coniux bona fide contraxit,uidetur non esse propter dubium alterius suo iure expoliandus. Atuerò multò probabilius est esse secundas irritandas: nam cùm mala fides nemini suffragetur,illud secundum matrimonium altera parte claudicat,& ideo ex neutra est firmum. Et confirmatur, quia cæteris paribus prior possessio prævalet,atque adeò in re dubia prius matrimonium.

¶Alia præcipua ambiguitas circa eandem secundam conclusionem ijs adnectitur, utrùm quando quis fallacibus uerbis asserit se habere consensum,quem uerè non habet,teneatur alteri fidem seruare & matrimonium contrahere. In primis hic non loquimur de illa fallacia,qua uirginem deflorauit: nam inde maior obligatio exurgit,ut habetur,extra de adulterijs. capit. 1.& 2.si modò illam seduxerit, aut ui oppresserit. Sed etiam si non fuerit uirgo propter solam deceptionem, quia uerbis consensit. Scotus distin. 30.quæst. 1.respondet eiusmodi fallacem hominem teneri matrimonium perficere. Quem sequitur Adrianus,& doctores in uniuersum. Dicendum ergo primùm,quòd si intus non fuit consensus,& ille transit ad secundas nuptias, illæ sunt legitimæ: quia priores nullæ fuerant. Quare tunc non potest implere promissum. Si uerò res est integra: quia nõdum se ad alias nuptias, transtulit, tenetur stare in conscientia priori contractui, & adhibere consensum, quem fallaciter significauit,ut ait S. Thomas distin. 28.art. 2.ad 4. Nam licet illic loquatur de uirgine,

Sua authoris.

Moderatio ca. Dominus.

Dictũ Scoti corrigitur.

Dubiũ duplex.

Dubium.

Dubij solutio.

Aliud dubium.

Scotus.

Autoris' distinctio.

ne, quam quis sibi per uerba de futuro de sponsauit, nihilominus & si non sit uirgo, tenetur ipse uerba sua solida facere, ueluti in quibuscunque alijs cõtractib. & promissis, in quibus interuenit, do, ut des. Imò uerò quanuis ille secundum inierit coniugiũ ecclesia iudicabit in fauorem prioris quasi sato secundò, licet in conscientia secundum teneat. Præsertim ubi quis affirmans se puellam in matrimonium ducere, cui ipsa se se sub illa fide cognoscendam permittit, certè licet tunc non consenserit, tenetur postea sub pœna grauis peccati mortalis consentire, & illam ducere. Et ideo ait ibidem D. Thom. quòd si ille secundã duxit uxorem, tenetur prouidere priori de nuptijs. Facit autem duas exceptiones, quas omnes doctores admittũt: scilicet, si sponsus sit multò melioris conditionis, uel si ex uerbis eius & bonis & coniecturis facilè poterat deprehendi fallacia. Quæ quidem exceptiones intelliguntur tam antequam ille celebret secundas nuptias, quã post celebratas. Cùm enim mulier longè inferioris sortis credit nobili, nimis est credula, & licet non esset nobilis, dum facilè poterat intelligere illum non consentire: ei imputanda est leuitatis culpa. Et ideo alter non solùm non tenetur eam ducere, imò forte neque in integrum eam dotare si fuit nimiùm leuis, sed arbitrio prudentũ compensare illi, etiam si fuerit uirgo, pensato ex una parte damno, & ex altera, q; ipsa censetur sua sponte uoluisse decipi.

Dictum S. Thomæ.

Exceptio dicti.

Exceptionum intellectus.

Nota.

Solutio primi arg.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd in uoto non est aliqua corporalis & ciuilis obligatio, sicut in matrimonio, sed tantùm spiritualis inter hominem & Deum, qui intuetur corda: & ideo uotum uerborum uocalium non eget, sicuti matrimonium.

Solutio secundi arg.

¶Ad secundum conceditur consequentia: scilicet, quòd ad matrimonium nulla uerba sufficiunt sine consensu, ut expositũ est. Negatur tamen inde consequi fraudé fallaci suffragari. Est enim illic considerare & defectum consensus, & uerborum dolũ. Et quidem defectus consensus per se propriè non uidetur dolus, sed quatenus falsis uerbis uestitur. Et ideo licet quodammodo dicaẽ homini suffragari in foro conscientiæ: quia propter illum defectũ in rei ueritate nullum est matrimonium: non tamé simpliciter suffragatur: quia est peccatum atque adeò supplicio dignum apud Deum. Nec suffragatur in foro ecclesiæ, quæ illam exceptionem non admittit, sed pronunciat fuisse consensum. Verborum autem dolus nec patrocinatur in foro pœnitentiæ apud Deum, neque in foro ecclesiæ: quia in utroque punitur.

Defectus consensus non uidetur dolus.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm matrimonio consummato liceat utrique coniugum altero inuito ad religionem tranſire.

QVæritur tandem de ui obligationis & uinculi matrimonij, utrùm sit tanta, ut neutiquã cõiugatis liceat ad sanctiora religionis uota transcendere. Et arguitur à parte affirmatiua. Lex diuina plus debet spirituali frugi fauere: quàm humana, sed Iustinianus Augustus facultatem facit utrique coniugũ sine ulla exceptione uel consummati uel non consummati matrimonij, ut possit ad meliorem uitam migrare, & sub castitate uiuere: ergo & lex diuina hoc fortiori ratione permittit.

Partis negatiuæ argumẽtum primum.

¶Secundò arguitur. Si consummato matrimonio non liceret alteri cõiugum altero inuito religionẽ optare, sequeretur, q; neq; ante consummationẽ id liceret: quoniam carnalis copula, ut supra dictum est, non est de essentia matrimonij, atq; adeò ante ipsam per consensum fit uerũ sacramentum, quod quidem natura sua est uinculũ indissolubile, ut supra diximus: consequens aũt esse falsum ostendit ecclesiæ cõsuetudo, quæ boni consulit, si ante cõsummationẽ matrimonij coniugatus meliorẽ frugem religionis eligat. ¶Tertio arguitur. Si ante consummationem copulæ marito liceret uel uxori religionẽ altero inuito profiteri, sequeretur, q; alter qui in seculo maneret, deberet inuitus perpetuã castitatem seruare. Quod nulla uel lex uel rõ permittere uidetur. quod autem sequatur inde apparet, q; matrimoniale uinculũ est simpliciter indissolubile. Item quia si esset solubile, hoc maximè esset per consensum ipsorum: attamen, licet post consummationem ambo consentientes religionẽ profiteantur, uinculum semper manet: imò & dum altero consentiente alter profitetur:

Secundum argumentum.

Tertiũ argumentũ.

fitetur: ergo multò minus unius tantũ consensus altero renuente põt matrimonium dissoluere. ¶In contrarium aũt. s. q; consummato matrimonio neutri liceat altero inuito religionem ingredi, patet, ex illo Paul. 1. Cor. 7. ubi prohibet, ne coniux altero inuito ẽt orationis cã à reddendo debito abstineat.

Pars affirmatiua.

Decisio articuli.

¶Causæ dirimẽdi matrimonij plures sunt quæ ad præsentem articulum non attinẽt. Nunc. n. usq; ad dist. 30. de his, per quę cõstituitur, disputatur, & postmodum distin. 34. & sequentibus subijciendæ sunt causæ, quibus dirimitur. Inseritur hic tamẽ articulus præsens ad conferendum in dignitate matrimonium cum religione. Ad quã ideo quæstiunculam per tres conclusiones respõdetur. Matrimonium. n. ut ex superioribus colligitur, duplex est. s. ratum tantùm & ratum duntaxat: nempe, per consensus de presenti ante carnale commercium, & consummatum. s. postquàm eadem accessit copulatio. Et refert plurimùm scire quando dicatur consummatum. Haud. n. osculą, aut pudendi tactus, aut seminatio extra legitimũ uas sufficit, quantumcunq; alia præposteram & nefandissima interueniret. Seminatio autem quæcunq; intra uas sufficit ad consummandum, ẽt citra ruptionem uirginei claustri: nam usu uenire põt, ut citra rupturam semen colatur. Conatus uerò ad rumpendum & seminandum, ubi neutrum illorum fit, ad matrimonij consummationem non sufficit, quanuis si fœmina seminat dubium esse possit, an sufficiat. Crediderim tamẽ ad ipsum non sufficere, licet uirginitatis florem illa tunc amittat: quoniam consummatio utranq; personã respicit, ut illa aliquid patiatur, & ipse aliquid agat: & tamẽ ille tunc nihil ad consummationem peregit.

Matrimonium duplex.

Cõsummatũ quando dicatur.

Conatus ad copulã nõ cõsummat matrimonium.

Dubium.

¶Hoc autẽ perplexum dubium est, utrùm si uir claustrum aperuerit, tamẽ seminare conatus id non potuerit, ad consummationem sufficiat, siue ipsa seminet, siue non: si quidem seminatio fœminæ nõ est de essentia. Et profectò magnum argumentũ est, illud sufficere siue illa uirgo fuerit, siue ab altero priùs cognita, postquam ille tũ quãtum potuit fecit, tum ẽt & uas penetrauit: alioqui inter senes & steriles nunq; posset matrimonium cõsummari. Solutio huius inde ducenda est, q; de frigidis dist. 34. dicturi sumus: frigidi. n. sunt, qui seminare nequeunt, quamuis claustrum aperiant: & ideo frigiditas matrimoniũ dirimit, quia consummari non põt. Senes uerò & steriles seminant quidem, licet non generẽt: & ideo matrimonium consummant. Inde ergo colligitur, ut seminatio uiri intra uas necessaria sit ad matrimonium, quæ quidẽ ẽt intus absq; claustri reseratione fieri potest. Atq; id inferiùs. q. 2. artic. 4. testimonijs iuris interpretum confirmabimus: nã eiusmodi seminatio requiritur, ut sponsalia per copulam uim obtineant matrimonij. ¶Sit ergo prima conclusio. Ante matrimonij consummationem utrique coniugum altero inuito licitum est ad religionem conuolare. Hæc conclusio utrinque à quibusdam impugnatur: nam supra citatus Vuitcleff, qui negat matrimonium ante carnalem copulam esse solidum: consequenter ait, hunc non esse propriè transitum à matrimonio ad religionem. De hoc tamen errore dist. præcedenti diximus, & dist. sequenti & 30. rediturus est sermo. Alij uerò religionis ficti & iniqui patroni contra hanc etiam ueritatem per alterum extremum obmurmurant. Quorum est Erasmus super primam epistolam ad Cor. 7. ubi iniquo ferre uidetur animo, quòd ob professionem instituti humani (ut eius uerbis utamur) & ob mutatum pallium legitimus sponsus sua fraudetur sponsa. Aduersus ergo hos ambos errores statuitur hæc ueritas; quòd etsi ante consummationem copulæ legitimum sit matrimonium, nihilominus legitimè inde fieri potest ad religionem ascensus. Conclusio est multis canonibus constituta, ut cap. Verum, de conuer. coniugatorum. & cap. Ex publico. & 27. q. 2. ex Eusebio cano. Desponsatam. & ex Gregorio can. Decreta, & ex Nicolão, can. Scripsit, & multis alijs. At ne cui uideantur canones isti inconsulti, probatur etiã ratione. Status religionis, ut Paul. 1. Cor. 7. apertè docet, perfectior est statu coniugali: id autem, quod perfectius est, non debet per minus perfectum impediri: ergo utrique coniugum si citra alterius iniuriam fieri potest, integrum est ad religionem se se conferre. Quòd autem ante copulam relicto coniugi non fiat tam atrox injuria, quæ per lucrum religionis nõ repensetur, probatur. Illa iniuria uel irrogaretur fini matrimonij, qui est prolis procreatio, aut desertæ sponsæ: nõ quidẽ proli-

Prima conclusio.

Vuitcleff.

Erasmus.

Conclusio iure probatur.

Ratio conclusionis.

Ante copulã relicto cõiugi nõ fit iniuria.

Universidad de Deusto
Biblioteca

proli: quia nullus præcessit coniugalis congressus, neque uerò sponsæ: quia cum maneat integra, nil decoris aut honoris inter Christianos amisit, quominus possit alium sibi adsciscere coniugem. Item ut lib. 2. de sacramen. par. 11. autor est uenerabilis Hugo, coniunctio maris & fœminæ per mutuum consensum significat coniunctionem Christi & ecclesiæ per gratiam & charitatem, coniunctio autem per carnalem copulam significat Christi coniunctionem per assumptionem humanitatis: quare prior, realis & spiritualis est, posterior uerò carnalis. Spiritualis autem desponsatio inter homines nihil uetat quominus possit in illam commutari, quæ singularis est & egregia hominis ad Deũ. iuxta uerbum Paul. 2. Cor. 11. Despondi enim uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo, quod licet de Christiana religione uniuersim assertum sit, tamen gradu quodam peculiari de religionibus, quę sunt in consilio, intelligitur. Et confirmatur per analogiam minimè ineptam. Sicut enim carnalis coniunctio per copulã morte corporali dirimitur, ita & coniunctio spiritualis, quæ mutuo sit consensu per mortem spiritualem, qualis est religio. Confirmatur eadem ueritas usu & more plurium sanctorum, qui celebratis nuptijs ante torum uoto se se castitatis addixerunt. Id quod & de Ioanne Euangelista celebri historia refertur, ut est in præfatione operum Ioannis, siue Augustini, siue Hieronymi fuerit, quòd uirginem illum Christus de media nuptiarum solennitate ad apostolatum assumpsit. Nam ratio, quã alij obijciunt: uidelicet, non esse credibile, nuptias, quas Christus sua præsentia honestauit, extemplo dirimeret, à nobis potiùs pugnat. Est enim rationi consentaneum credere, ut quibus nuptijs interfuit, easdem per transitum sponsi ad uberiorẽ frugem decoraret, instar matrimonij suæ intemeratæ matris, quam uirginem uirgini commẽdauit. Alia exempla extant causa. Scripsit. 27. q. 2. de Machario & Alexio. ¶ Ad illud ergo diuinum præceptum, Quos Deus coniunxit, homo non separet, Alexan. 3. cap. Ex publico respondet, quòd intelligatur de matrimonio consummato, eo quòd per copulam fiunt duo in carne una. Sed tamen quamuis ad propositum, quo Papa loquitur de transitu ad religionem sufficiens sit solutio, non tamen omnino sententiæ Christi germana est, ut paulò inferiùs uidebimus. q. 2. quoniam nec matrimonium ratum potest homo, sed solus Deus separare. Ob idque legitima expositio est, altera Nicolai Papæ citato causa. Scripsit. 27. q. 2. scilicet, quòd in transitu ad religionem coniuges nõ homo, sed Deus ipse interna inspiratione separat diuino iure, quo religio tanquàm spirituale connubium Dei instituta est.

Hugo.

Confirmatio rõnis.

De Ioãne Euangelista.

Ratio.

Argumentum.

¶ Quòd si arguas. Per consensum matrimonialem uterque alteri potestatem sui corporis facit in usum carnalis copulæ: ergo perinde est tunc iudiuisibile matrimonium, ut postea. Respondetur quòd etsi priùs iam sint sibi inuicem potestate traditi per expressum consensum uoluntatis, iure tamen ipso diuino & naturali subintelligitur conditio, nisi inter ea alter frugem sanctioris uitæ sibi optare uoluerit: per carnalem uerò copulam usu ipso & facto completur corporis traditio, per quã uterque possessionem corporalem potestatis sibi traditæ ingreditur.

Secũda conclusio.

¶ Secunda conclusio. Post matrimonij cõsummationem neutri coniugum iam integrum est & liberum altero inuito religionem optare. Eadem conclusio in eisdem canonib. cautè subditur. Et ratio est: quia nullus potest Deo rem alienam per uotũ dicare, quoniam nemo, nisi quod suum est alteri obligare ualet: per consummationem autem copulæ uterque se in alterius possessionem confert, iuxta uerbum Pauli, Vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier &c. ergo iam inde neuter potest sine alterius assensione se Deo mancipare. Secundò, quia per tale uotum finitur matrimonij: hoc est, educandæ proli iniuria irrogaretur. Neque refert per copulã illam generatio tunc fiat, aut secus, quia hoc est accidentarium: nam per se cõmercium illud eum finem habet. Fieretque adeò & alteri coniugi iniuria, si post illud tori commercium desereretur. Possunt tamen communi consensu quo ad torum seorsum separari, ut statim patebit.

Rõ prima.

Ratio secunda.

Matrimoniũ cõsummatũ sola morte dissoluitur.

¶ Huic conclusioni appendix est, matrimonium consummatum, per solum rempora lem obitum alterius coniugum dissolui, iuxta uerbum Pauli ad Rom. 7. Quæ sub uiro est mulier, uiuente uiro alligata est legi (scilicet connubij) si autem mortuus fuerit uir eius, soluta est à lege uiri. Et subdit, Vt non sit adultera si fuerit cum alio uiro. Idque ipsum sonant uerba Christi, Quos Deus coniunxit, homo non separet: nempe, quousque Deus eos per mortem disiungat.

Tertia cõclusio.

¶ Tertia conclusio. In cuentu, quo alter iuxta tenorem primæ cõclusionis religionem profitetur, alter liberè potest alium sibi coniugem copulare. Cõclusio est Alexandri in nuper citato ca. Verum. Etenim sicut matrimonium per copulam consummatum morte temporali, iuxta citatam sententiam Pauli sic dissolutur, ut mulier citra adulterij labem possit alteri nubere, ita & matrimonium non consummatum quod, ut diximus, spirituale est, morte spirituali distrahitur, qualis est religionis professio.

Solutio primi arg.

¶ Ad primum argumentum D. Tho. impræsentiarum & Ricardus atque alij iuxta uerbum Gregorij can. Sunt qui. & can. Agathosa. 27. q. 2. respondẽt, Cæsarem in lege illa ciuili solùm habuisse rationem matrimonij quatenus est in officium, & ideo permisit ut etiam consummato matrimonio, ut Glossa ibidem habet, posset uterque ad altiora uota transire: quia quatenus est in officium non est tam indiuisibile: quandoquidem antiquitus per diuortium dirimebatur, & modò per baptismũ alterius. Sed lex diuina contemplatur illud quatenus sacramentum, quam ob rem decernit esse indissolubile. Nihilominus cùm eadem lex in illa particula non meminerit de matrimonio consummato: nihil obstare vr, quin possit glossari de solo non consummato. Vel forsan de consummato utroque coniuge consentiente. Tametsi Gregor. in can. Sunt qui. 27. q. 2 ad priorem expositionem alludat dicens, q licet lex humana coniugia dissolui religionis gratia permittat, non tamen diuina.

Gregor.

Solutio secundi arg.

¶ Secundum argumentum iam solutũ est: nam quanquam ante consummationem sit uerum sacramentũ & indissolubile per homines, est tamen Dei instinctu solubile: quia integrum est sponsis fœliciora uota eligere.

Solutio tertij argu.

¶ Ad tertium respondetur, quòd consensus uel alterius uel utriusq; coniugis per se nõ sufficit ad dissoluendum matrimoniũ, sed commigratio ad altiorem statum & optio melioris frugis: nam ut arti. 1. diximus: indissolubilitas & perpetuitas iure diuino indita est matrimonio, quæ ideo ex uoluntate contrahentium non pẽdet.

Obiectio.

¶ Alia uerò argumenta maioris momenti tersus singulas præfixarum conclusionum se se offerunt. Et primum omnium aduersus primam, qua dictum est, post matrimonium ratum posse coniugem altero inuito religionem profiteri, arguere quispiam extemplo posset, inferendo super idem matrimonium ratum non consummatum posse Romanum Pontificem dispẽsare, ut illo distracto uterque possit alias inire nuptias. Nam cùm uoti solennitas. ut ca. 1. de uoto li. 6. ait Bonifacius, ex ecclesiæ statuto sit inuenta, fit, ut qua ratione potuit Pontifex illo statuto matrimonium ratum ingredientis religionem dirimere, possit & sine ipsius religionis ingressu. Opinio est Iurisconsultorum: nempe, Ioan. Andreæ in nouellis, & Panor. & Hostien. cap. Ex publico, de conuersi. coniuga. (ubi & Glossa id ipsum opinatur) aliorumque, quos Syluester uerb. Diuortium. q. 4. refert. Quamuis ipse in eorum opinione non uideatur persistere. Theologorum uerò uniuersalis sententia est in contrarium, uno excepto Caieta. quod lib. 29. quæstionũ. q. 13. sed latiùs in opuscu. 27. quæstion. 25. ubi gratis quidem & tenuissimis rationibus subnixus à theologa professione defecit. Nam Canonistæ, ut sæpè (salua eorum autoritate) diximus, nõ sunt iuris naturalis aut diuini, quibus hæc ueritas nititur, legitimi interpretes. Potissimùm cùm sancti patres sacræ paginæ scrutatores nunquàm tale fuerint suspicati.

An Roma. Pon. possit dispensare super matrimonio rato.

Iurisconsultorum opinio.

Caietanĩ opinio.

caietanus.

Caietanus uerò complures congeminat metaphysicas distinctiones, ad quas omnes molestum esset respõdere. Sed ut sum matim eas complectamur, ait primò, matrimonium considerari posse, aut inquantum officium & remedium, aut inquantum sacramentum. Si priori ratione, notum, inquit, est & certum non esse indissolubile: quandoquidem rationem illam ante orbem redemptum habebat, & tamen per conuersionem unius coniugis ad fidẽ distrahitur. Si uerò consideretur inquantũ sacramentum, tunc uel consideratur tanquam signum effectus, quem confert, atq; hac ratione clarum est, non esse indissolubile: quoniam effectus ille non est aliquid ndelebile: puta, character, sed sola delebi

lis

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis gratia. Quare altero coniugum defuncto est iterabile. Si uerò consideretur inquantum signum unionis Christi & ecclesiæ, tunc neque illa ratione est indissolubile: primò, quia illa coniunctio non est perfecta, atque adeò nec significans perfectã coniunctionem Christi & ecclesiæ, alioqui qui uxorem post ratum matrimonium ante consummationem relinqueret ratione diuortij, aut quia ipsa religionem professetur, esset bigamus, quod est falsum, ut patet cap. Debitum, de bigam. Et hac ratione fatetur se esse conuictum. Præterea, quia dist. præsenti. q. 1. ar. 3. quæsti un. 2. ait D. Tho. per matrimonium ratum solùm significari coniunctionem Christi ad animam per gratiam, quæ est amissibilis, & ideo dissolui per ingressum religionis, sed per consummatum significari unionẽ eiusdem Redemptoris ad humanitatem, cuius partes nunquam dimisit: & ideo tũc fieri matrimonium omnino indissolubile. Atque eam ob rem dixerat in fine præcedentis distinctionis, quòd matrimonium ante carnalem copulam non est omnino integrum & perfectum. Et Leo Papa. 27. q. 2. can. Cùm societas, ait, quòd præter cõmistionem sexuum societas nuptiarũ non habet in se coniunctionis Christi & ecclesiæ sacramentum. Ecce quibus conuictus est Caietanus dicere, matrimonium ratũ per dispensationem Pontificis posse dissolui. Addit & historias, quas refert diuus Antoninus Archiepiscopus Florentinus in 3. parte. tit. 1. cap. 21. §. 3. circa finem. de Martino. 5. & Eugenio. 4. qui dispensasse feruntur super matrimonio rato.

S. Thom.

Leo Papa.

Historiæ.

¶His tamen nihil obstantibus, re uera opinio hæc quanuis aliquibus sustentabilis appareat, mihi tamen, ut tenuitatem ingenij meã fatear, salua semper ecclesiæ censura, nullam probabilitatis effigiem repræsentat. Et primùm, ut status litis, in quo Caietanus hallucinatus uidetur, aperiatur, non dubitamus, quin matrimonium, ratum nondum consummatum sit dirimibile, neganus tamen aliter dirimi posse, quàm diuino iure Deo ipso dispensante. Nam cùm ipse autor fuerit & matrimonij & fidei & religionis: causa fidei, quæ finis est omnium legum, dispensat super matrimonio etiam consummato infidelium, quando alter conuertitur ad fidem, & causa status perfectioris religionis super ratum. Id quod duntaxat rationes Caietani comprobant: ipse uerò cõtendit: quòd sit etiam solubile per dispensationem Pontificis, quod re uera nullatenus facit probabile. ¶Vnde id ipsum, quod tanquam sibi exploratissimum supponit: nempe, quòd si matrimonium consideretur quatenus est in officium & remedium sit dissolubile, nisi distinctionis condimento temperetur, falsũ est. Imò uerò statim ab ipsa eius institutione in Adam matrimonium per consensus legitimos ratum fuit iure diuino & naturali indissolubile, nisi deo ipso dispensante. Id enim significant uerba illa Adæ, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; Propter hanc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, Et erunt duo in carne una: quæ quidem uerba in statu innocentiæ ante consummationem matrimonij prolata sunt. Et confirmatur id planè, quia Christus Matth. 19. ut ex professo matrimonij uinculum indissolubile ostenderet, ad illa uerba Adæ causam retulit: ex quibus conclusit, Quos Deus coniunxit, homo non separet. Ex quo fit consequens, uerbum hoc de matrimonio rato ante consummationem intelligi.

Autoris opinio.

Status litis.

Solutio.

Matth. 19.

¶Rursus id inde confirmatur, quòd Iudæi interrogantes, an possent dimittere uxores quacunque ex causa, non loquebantur solùm de consummato, sed indiscriminatim etiam de rato. De quo respõdit, quos Deus coniunxit homo non separet. At quia in hoc punctum controuersiæ consistit, id exactius examinemus, iuris enim interpretes indè suam hauserunt opinionẽ, q̃ capi. Ex publico, de conuersio. coniugat. ait Alexander, uerbum illud Christi intelligi solùm de consummato matrimonio. In cuius fauorem ait Caietanus, quòd Deus non protulit eadem uerba, nisi post illa Adæ, Et erunt duo in carne una: & tamẽ non fiunt una caro, nisi per copulam.

Alia cõfirmatio.

¶Contra hoc tamen est euidens argumentum, quòd uinculum ipsum per mutuum consensum colligatum suapte natura ordinatur ad copulam: & ideo per illum mutuum consensum, tanquam per integram causam, tradunt sibi inuicem coniuges mutuam suorum corporum potestatem, atque ex illo temporis momento uerum esse incipit illud Pauli, Vir non habet potestatem sui corporis, sed uxor, neq; uxor sui,

Argumẽtum.

sui, sed uir. Quapropter cùm primùm contrahentes in mora fuerit optandi religionem tenetur sub reatu peccati mortalis coniugi petenti debitum reddere: ergo sententia Christi, Quos Deus coniunxit, homo nõ separet, statim post ratum matrimonium uerum obtinet.

Aliud argumẽtum.

¶Deinde & hoc maximè urget argumentum, quòd carnalis copula, ut paulò ante dicebamus, non est de essentia matrimonij, sed est accidentaria perfectio ad consequendum finem: ergo tota substantia & matrimonij uis consistit in mutuis illis cõsensibus: atque adeò cùm uinculum matrimonij sit suapte natura indissolubile, naturam illam & nexum ex consensibus ipsis sortitur, quibus alterutrum coniuges potestatem suorum sibi corporum faciunt. Mirabile enim est, quòd cùm inter matrimonium ratum, & matrimonium consummatum non sit discrimen nisi accidentarium, ratum natura sua sit dissolubile & consummatum natura itidem sua indissolubile: cùm tamen ubi discrimen non est nisi accidentarium, natura sit eadem.

Alexãder.

¶Alexãder ergo, quia solùm loquebatur de transitu ad religionem, qui post cõsummatum matrimonium non licet inuito altero coniuge, non curauit legitimam expositionem uerbis Christi subscribere, sed illam, quæ sibi sufficiebat. Legitima uerò est, quam ex Nicolao Pontifice supra retulimus, can. Scripsit. quòd tunc non homo, sed Deus ipse coniuges separat.

Interpretatio legitima.

¶Ac perinde ad aliud (quod Caietanus minimè inspexit) respondetur, quòd cùm alter infidelium coniugum fidem suscipit, dirimitur matrimonium per Dei dispensationem, nam si ambo conuertantur, dirimi non potest. Natura nanque matrimonij, quæ ipsum facit indirimibile, semper est subiecta dispensationi Dei, qui sic ipsum instituit, ut ratione fidei dirimeretur, & rursùm ante consummationem ascensum non cohiberet ad religionem, quem ipse quoq; ut perfectiorem statũ cõdidit.

Obiectio.

¶Sed obijciet forsan contraria opinio, q̃ cùm Papa dispensat, tunc non homo, sed Deus coniuges separat, quando quidẽ Papa autoritate Dei fungitur. Hæc autem obiectio principium petit: ob idque nullius est roboris. De hoc enim controuersamur, an talis fuerit Papæ commissa facultas. Quod. n. ipsi aiunt, matrimonium consummatum natura ipsa esse indissolubile, id ipsum nos ostendimus rato etiam competere. Quare cùm Christus ait, homo nõ separet, Pontificem etiam ipsum exclusit, quasi talem potestatem ei non committeret: quia super iure diuino & naturali, quale illa uerba significant Papa minimè dispensat. Id enim ipsum illi concedunt de consummato: & tamen inter ratum & consummatum nequeunt tantum discriminis ostendere, ut non eodem modo intelligatur de rato.

Dilutio.

Põtifex nequit dispẽsare.

¶Autoritas uerò Martini & Eugenij, si ita uerum est, quòd similem dispensationem fecerunt, nullatenus tanquam ecclesiæ determinatio mouet: quia factum Pontificũ non facit fidei articulum, sed opinionem Canonistarum sunt secuti. Et tamen alij Pontifices non leguntur talé fecisse dispẽsationem, cùm tamen credibile sit, creberrimè oblatos fuisse dispẽsandi casus. Imò Adrianus. 6. uir, tũ utriusq; iuris peritissimus, tum & rei theologicè non infimè doctus, cùm ab illo hmõi dispensatio fuisset postulata, oblataq; fautrix sñia Caietani, demiratus est, uirum theologũ hoc sibi in animum inducere potuisse: & ideo improbis precib. succumbens respondit, se dare qđ posset, sed tamen credere nihil posse.

Ad historiam.

Adrianus.

¶At quo tandem illã opinionẽ exulceremus, si matrimonium ratum non esset natura sua indissolubile, profectò non solùm Papa, sed ẽt eps dispẽsare super eo posset: nam quicquid põt Papa in hmõi dispensationibus, pót eps, nisi sit prohibitus. Quin uerò nihil mirarer, si quispiam inferret, q̃ ẽt citra dispensationem possent se coniuges separare. Nam si uerbum illud, Quos Deus coniunxit &c. nõ intelligatur de matrimonio rato, unde rogo coniungitur, arctiorem nexum esse in matrimonio rato, quàm in sponsalibus de futuro? Et ideo saltem si de facto separarentur, & alia matrimonia consummarent, teneret factum.

Argumẽtũ urgens.

¶In summa, si hæc dispensatio semel usu admitteretur, frequentissimi essent qui eã procurarent: & sic contractus matrimonij adeò esset languidus, ut uix ullius esset roboris. Id quod experientia nos docuit: nam plurimi hac opinione Caietani coacti Apostolicam sedem super tali dispensatione pulsarunt, qui tamen repulsam meritissimò passi sunt. Absit ergo ut hæc opinio, his maximè temporibus, audiatur,

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

audiatur, quando hæretici tam multis de causis putant matrimonium dirimendum Caietanus utinam nunquam de hac re Erasmum legisset, ut dist. 36. iterum adnotabimus, qui eadem facilitate dixit, matrimonium fornicationis causa non modò quo ad torum separari, uerùm & quo ad uinculum disrumpi. ¶ Ad primum igitur, quod nos in capite obiecimus, argumentum respondetur, ꝙ etsi cæremonia solennis uoti ex statuto ecclesiæ, ut ait Pontifex, sit inuenta: tamẽ ex natura rei sit illic traditio, qua homo in connubium spirituale Dei mancipatur, ut dist. 38. q. 2. iterũ dicturi sumus. Quocirca dissolutio matrimonij rati per ingressum religionis nõ fit iure Pontificio, sed diuino, quia fit trãsitus ad fœlicioré statum. Quare citra talem religionis ingressum non est in potestate Pontificis eiusmodi matrimonium discindere. ¶ Ad alia argumẽta Caietani, scilicet, quòd inquantum matrimonium ratum est sacramentum, non est indissolubile, iam responsum est, primùm quòd causam indissolubilitatis matrimonij rati non in hoc potissimùm fundatur quòd sit sacramẽtum nouæ legis, sed in iure naturæ & diuino ab eius exordio. Nihilominus etiam inquantum est sacramentum, licet sit solubile per ingressum religionis, non tamen aliter. Et ad hoc propositũ ait S. Tho. quòd non significat unionẽ Christi cum humanitate, quæ unio est indissolubilis, sed cum anima per gratiã, quæ est amissibilis. Et rursum quòd non est integrum & perfectum. Non quòd ei deficiat integritas ulla aut perfectio essentialis, sed solùm accidentalis, & carnalis, qua ratione per congeminationem matrimonij rati, aut per unum matrimonium ratum & alterum consummatum non fit homo bigamus: quia irregularitas bigamiæ respicit copulam. Hoc tamen solùm inde sequitur, quòd sit dirimibile per aliud connubium spirituale. quod est causa fœlicioris gratiæ: non tamẽ ullatenus sequitur, ꝙ sit alia uia dirimibile. Aliud uerò Leonis dictũ in can. Cùm societas. si id ponderis haberet, quòd Caietanus putat, multò plus concluderet, q̃ ipse uellet. Habetur enim illic, quòd præter commistionem sexuum, mulier non pertinet ad matrimoniũ. Sequeretur ergo inde, ꝙ matrimoniũ ratum non esset matrimonium. Ergo

Solutio primi argum.

Solutio argumentorum Caietani.

Can. Cùm societas.

uel intelligitur, quòd præter copulam nõ est matrimonium perfectum perfectione accidentali: uel aliter, ut dist. præcedenti quæst. 2. ar. 4. dicebamus est interpretandum.

¶ Præterea contra eandem primam conclusionem arguitur. Si potest coniugatus ante copulam ad religionem transmeare, subsequitur quòd possit similiter sacris ordinib. citra religionem initiari: nam cùm uotum sit illis castitatis annexum, est etiã ille status matrimonio perfectior. Vel saltem poterit ad episcopatum inuita uxore conscendere: nam ut est in iure, Si uinco uincentem te, à fortiori uincam te. Status autem religionis uincit statum matrimonij, cùm ergo episcopatus, ut lib. 10. de iusti. & iure, dicebamus religione perfectione superet fit ut fortiori ratione possit cõiugatus fieri episcopus. Ad hoc respondetur consequentia perempta. Haud enim licet sine licentia uxoris sacros ordines suscipere, ut utroque can. Vxoratus, de conuer. coniug. cauetur, neque ad episcopatum promoueri, ut ibidem. cap. Sanè. habetur. Nam cùm prædicta cap. inter matrimonium non distinguant, siue ratum sit, consummatum, ueritatem continent etiam in non consummato, ut bene ait Durand. di. præsenti. q. 2. & Palu. q. 3. Quanuis Hostiensis in sua summa contrarium insinuet. Et ratio est plana: quia nequaquam coniugato licet altero inuito statũ mutare, nisi quando per talem mutationem matrimonium dirimitur, ut qui manet in seculo possit aliud contrahere. Per susceptionem autem ordinis uel episcopatus non dirimitur matrimonium: ut expressa determinatio est Ioan. 22. in Extrauag. Antiquæ concertationi. sub titulo de uoto: quia illa non est mors spiritualis: neque enim uouent paupertatem aut obedientiam eo modo, quo religiosi: & uotum continentiæ annexum non est de essentia sacerdotij. Potest enim Papa dispẽsare, ut sacerdotes uxores habeãt, ut Græci. Et tamen si dispensaret cum sacerdote in uirtute continentiæ, non posset ille cũ alia contrahere, sed deberet cum priori cohabitare, quod est signum, matrimoniũ per susceptionem ordinum non dissolui, atque adeò neminem posse inuita uxore ordinari. Alioqui compulsa illa esset perpetuæ castitati addici. Imò uerò, ut in præ

Contra primam conclusionem.

Solutio ar

Durãdus, Hostiensis Ratio.

Matrimonium per susceptionem ordinum non dissolui-

dictis

dictis cap. legitur, non sufficit simplex cõsensus uxoris, ut habetur cap. Ex parte. in 1. de conuer. coniuga. sed requiritur, ut continentiam ipsa etiam uoueat: quinimo si non sit ætate prouecta: nempe, sexagenaria, requiritur ut religionem profiteatur: scilicet, ut matrimonium dirimatur. Si uerò fuerit sexagenaria, satis est, ut simplex uotum continentiæ faciat, pro quod iuri suo petendi debitum abrenunciat. Quod si nõ fecerit, & maritus ordinetur, potest illum in consortium coniugale repetere: ille autem manet ordinatus, sed irregularis.

Solutio argumenti.

¶ Et per hæc soluitur argumentum supra factum: quia uotum continentiæ non per inde est de essentia ordinis, sicut de essentia religionis. Et episcopatus quanuis sit altiorquàm religio, eo ꝙ episcopus profitetur se perfectionem habere, ad quam religiosus ascendit, non tamen est eiusdem generis, quia non est mors spiritualis. Quòd si arguas secundùm opinionem supra citatam, ꝙ Ioannes uocatus est de nuptijs ad apostolatum: & tamen episcopi succedunt apostolis. Respondetur, ꝙ præterquàm ꝙ Christus potuit, quod uoluit facere, apostoli fuerunt religiosi, in quo ordine episcopi non succedunt illis, sed in eo ꝙ sunt pastores. Potest tamen ut bene ait Palu. coniugatus eligi in episcopum, dum tamen ante uotum continentiæ uxoris non confirmetur: quia semper in electione subintelligitur consensus uxoris. Nisi forsan ante matrimonij consummationem religionem profiteatur, unde in episcopatum resumatur.

Paludani opinio.

Cõiux ante copulã nõ potest ad religionẽ non approbatam transire.

¶ Hinc fit neutrum coniugum ante copulam posse transire ad religionem, nisi sit approbata, cuius uotũ solenne impediat dirimatque matrimonium. Quare non satis est, ut sponsa fiat beata nostri ordinis, nec sufficit coniugatum fieri militẽ in religione militari, nec suffecisset antequã cum illis dispensatum esset, ut uxores haberent. Nam certè per talem habitum militarem non dirimitur matrimonium. Secus de eorum clericis & monialibus, qui uiuunt in claustro.

Pe ingressum religionis D. Ioãnis cruce signatorum.

¶ Quocirca, si mea modò sit audienda opinio, per ingressum religionis diui Ioannis (loquor de militibus) affirmare non audeam rem dirimi matrimonium ratum, aut posse coniugatum inuita uxore illam religionem profiteri ut de sacerdotio dictũ est. Nam etsi cum illis hactenus super nuptijs dispensatum non fuerit, arbitror tamen, sub aliorũ censura, posse cum illis salua eorum religione sicut cum cæteris dispensari, licet non esset ita honestũ & cõdecens. ¶ Præter hæc quæ dicta sunt obseruanda est iuris præscriptio in præallegato ca. Ex publico etenim ne nimiam sponsi licentiã usurparent renuendi debitum soluere, cauentes ꝙ habent in aio religionẽ ingredi, præscriptum eis est duorum mensium spatiũ, quo possit uterq; de illa religione deliberare: & præterea, ut ait S. Tho. ut prępa rentur: quæ ad nuptiarum solennitatẽ necessaria sunt: & tertiò ne uilẽ habeat maritus datam, quã nõ suspirauit spõsus dilatam. Sic. n. emendanda est litera canonis, Institutum. 27. q. 2. qui est Augustini li. 4. cõfessionum. Quo spatio transacto neuter põt differre debitum reddere petẽti. ¶ At uerò si infra tale bimestre tempus habitũ induat, tunc dubitatur utrùm tempus professionis debeat abbreuiari, ne qui manet in seculo tandiu expectet. Bernardus. n. in apparatu super cap. Statuimus, de regularib. absolutè tenet fore abbreuiãdũ. Glossa uerò super can. Desponsatam. 27. q. 2. distinguit, ꝙ si coniux ingressus est de consensu alterius, expectandus est annus. Si uerò contra eius uoluntatẽ, tunc est tẽpus abbreuiandũ. Sed multò certior, imò certissima est opinio Dũrãdi & Paludani, & Hostiensis in summa, ꝙ ẽt si ingrediatur altero inuito non est compellendus renuntiare iuri suo, quo sibi cõceditur annus probationis. Nã si iure ei licet habitum induere, illum cum priuilegijs iuris induit præsertim cùm annus probationis ẽt in fauorem monasterij sit concessus. Quare qui manet in seculo totũ annum expectare tenẽtur: quia ante alterius professionem ad alias nuptias migrare non potest. ¶ Quid aũt iuris si sponsus infra illud tempus bimestre ui sponsam compresserit renuẽte, quæ dicebat se uelle religiosam fieri, num pòst illam uiolentam consummationem copulæ semper sit puellæ integrum & licitum desiderium religionis explere. Appareret. n. licitum ei semper manere: quia contra suam uoluntatem non potuit per uim suo priuari iure. Ad hoc non desunt, qui respondeant, sponsum nullam iniuriã inferre sponsæ dũ ui debitum extorquet ab illa

Inducię duorũ mẽsium sponsæ concedunt.

Triplex ratio.

Sponsa ui oppressa ab sponso, an illo renuẽte possit reddere debitum.

Opinio quorũdã.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Opinio aliorum. Sententia autoris.

illa, eo q̃ ipsa per consensum de p̃senti fecit ei illam facultatem petendi. Alij per aliud extremum aiunt iniuriosam uiolentiam puellæ inferri, cui ideo ius etiam permanet trãseundi ad religionem. Media uerò incedit ueritas: est.n. peccatũ mortale ante duos menses sponsam affirmantem in animo habere religionẽ, comprimere: quoniam licet consenserit in copulã semper tamen consensus intelligebatur cum beneficio iuris, quo sibi conceduntur inducię bimestres ad religionem. Nihilominus etiam illo pacto consummata copula religionẽ ingredi nequit altero inuito: quoniam matrimonium ratione consummationis fit natura sua simpliciter indissolubile: & ideo quod per uim uel sponte consummetur, accidens est, quod naturam mutare non potest. Ipsi ergo puellæ imputetur quæ non sibi satis cauit. Neq; mirum si quis absque sua culpa ius amittat ingrediendi religionem, ut si aliam infirmitatem incurreret, qua fieret ad id inhabilis.

Nota.

Ratio.

Circa secũdam cõclusionem.

¶Circa secundam conclusionem de matrimonio consummato oriuntur etiam nonnulla dubia. Arguitur enim quod nec per mortem temporalem dissoluatur. Nã si defunctus maritus uitæ restitueretur, ut Lazarus, apparet priori uxori tunc restituẽdum iuxta uerbum Pauli ad Hebr. 11. Acceperũt mulieres de resurrectione mortuos suos. Respondetur absque dubio matrimonium per mortẽ dissolui, ut citatus Paul. ad Rom. 7. autor est: quia matrimonium contractus temporalis est: omnia autem temporalia uincula per mortem dissoluuntur. Mulierum autem nomen in autoritate inducta nõ accipitur pro uxoribus accipientib. maritos, sed pro quibuscunq; recipientib. filios, aut alios sibi cognatos & charos, ut de Sunamite, & alijs lib. 3. & 4. Reg. legitur, quibus Elias & Elisæus filios suscitarint. Quare nulla est quorundam glossa dicentium, quòd dum mortuus post breue tempus suscitatur, non est illa propriè æstimanda mors, & ideo non dissoluitur matrimonium. Imò quæcunq; separatio animæ à corpore sufficit ad illud dissoluendum.

Solutio.

Nota.

Matrimoniũ cõsummatũ nunquã quoad uinculũ dissoluit.

¶At uerò citra mortem nullatenus dirimi potest quoad substantiam & uinculũ, quantumcunque post consummationem coniuges castitatem uoueant, & alter uel ambo religionem ingrediantur, eo quòd suapte natura & diuino iure consummatũ matrimonium simpliciter est indissolubile. Veruntamen separatio ex utriusq; consensu fieri potest quoad torum, ut ait Augustin. cano. Quod deo placet. 33. quæs. 4. Et Grego. cano. Sunt qui, & in 8. Synodo, Si quis coniugatus. 27. q. 2. Tametsi cano. Si uir & uxor, caueatur ne id ullatenus sine episcopi conscientia fiat. Quanuis illud non sit de essentia: quia uota sine eius licentia tenerent. Id quod ius ipsum diuinũ permisit, ut 1. Corinth. 7. docet Paulus dicens, Nolite fraudare adinuicẽ nisi ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi, & iterũ reuertimini, ne tentet uos Satanas propter incontinentiam uestram. Inde enim consequitur, quòd ubi incontinentiã non timent, possunt ambo in uotum continentiæ consentire. ¶Id autem fieri bifariam potest. Vno modo, ut separato toro maneant in seculo. Enimuerò. ut lib. 7. de iusti. & iure. quæst. 3. art. 1. diximus. quando unus tantùm uotum continentiæ de consensu alterius fecit, potest alter qui facultatem dedit, illã reuocare, ut ait Augustin. cano. Manifestum. 33. quæstio. 5. Imò durante ét uoto tenetur petenti debitũ reddere, licet petere nequeat. At uerò ubi ambo eodem consensu idem uotum castitatis emiserint, iuri ambo renunciarunt exigendi debitum, atque adeò neuter potest petere aut reddere sine dispensatione uoti. ¶Potest præterea & secundo modo id fieri per ingressum religionis amborũ aut alterius coniugum. Si enim ambo communi consensu religionem profitentur, nemini dubium quin professio teneat, neq; est in illorum potestate reuocare uotum.

Augustin. Grego.

Secundus modus.

Nota.

¶Potest & unus solus de alterius cõsensu intrare altero in seculo remanente, ut habetur cano. Agathosa. uigesimaseptima quæstione secunda. Sed tunc consideratior habenda est cautela secundùm iura, & de illo, qui in seculo remanet, distinguendum. Nam si est mulier ætate prouecta: nempe, sexagenaria (& idem est de uiro) quæ in periculo castitatis iam non uersatur, satis est si in seculo continẽtiam uoueat. Si uerò est iunior ætate, cui idcirco idem periculum timendum est, non sufficit simplex eius uotum, ut alter religionem intret, sed ambo tenentur religionem profiteri, ut ex eodem

Iuris cautela.

can. Agathosa. colligitur, & expresse habetur ea. Cùm sis, de conuersi. coniug. & cap. Ex parte abbatis, ibidem.

Glossa cã. Agathos.

¶Quòd si contra arguas. Quando uterq; uotum simplex continentiæ fecit, iuri renunciauit petendi debitum, nec potest illud reuocare: ergo licet ipsa iuuenis maneat in seculo, potest ipse religionem ingredi. Negatur consequentia: quoniã peri clitante altero de pudicitia, consilium est, ut super dicto simplici uoto dispensetur ab episcopo. Atq; hac de causa nõ permittur fieri solenne in uno, nisi fiat in utroque. Vnde gloss. prædicti can. Agathosa: scilicet, quòd sufficit consensus uxoris, licet expresse nõ uoueat nec intret religionem, ut maritus possit ingredi, quia tunc ipsa compelletur intrare, certè non est tuta, nec habetur in practica, sed prædictis canonibus aduersatur. Nam licet in cano. ab illa glossa citato, Qui uxorem. 33. q. 5. præcipiatur, ut qui uxorem suam uelare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur; præsumitur tamen, quòd qui id permiserat, iura sciret, quibus compellebatur intrare, alioqui posset excipere dicens, quòd putaret se posse manere in seculo. Et iste est casus capi. Ex parte abbatis. de conuersio. coniuga. ubi maritus cõpulsus est redire ad uxorem, licet ipsa cõsensisset. Et ideo neuter est admittendus ad religionem, nisi uterq; intert.

Ca. Veniens.

¶Casus autem ca. Veniens. de conuersio. coniugat. diuersus est. Fecerat quippe maritus professionem consentiente uxore manente in seculo. Sed quia illa postmodum fornicata fuit, non fuit maritus compulsus exire, nec ipsa intrare: quoniã fornicationis causa poterat fieri diuortium. Si uerò unus de alterius consensu manentis in seculo intret religionẽ propter ignorantiam, ut in casu citati cap. Ex parte. tũc ipsa mortua non potest ad secundas nuptias transire, sed tenetur ad monasteriũ reuerti, ut eo. cap. habetur: quia uotum fecerat de consensu uxoris, solùm per illam reuocabile. Attamen qui contra uoluntatem uxoris uotum fecit castitatis solenne in religione credens id posse, tenetur ad uxorem redire: neq; uerò illa mortua cõpellitur ad monasterium reuerti: quia uotum non fuit solidum religionis. Non tamen potest ad alias transmeare nuptias: quia uotum quatenus in sua erat potestate consolidauit. scilicet, non petendi debitum. Definitio est cap. Quidam. eo. tit.

¶Quod hic de separatione tori post consummatam copulam per ingressum religionis de consensu alterius dictum est, id per susceptionem ordinũ aut episcopatus intelligendum etiam uenit. Vxore.n. castitatem uouente si est sexagenaria, uel religionem ingressa, si est iunior, potest uir citra religionem sacros ordines suscipere, & episcopus fieri. Id quod de Diuo Hilario Pictauiensi episcopo legitur, qui cum episcopus esset, uxorem habebat & filiã. Definitio est cap. Sanè, de conuersio. coniugato.

Nota.

¶Præter hos casus absque consensu alterius potest separatio fieri quo ad torũ fornicationis gratia, ut dis. 36. uidebitur. Tũc enim facto diuortio, quãuis fornicationis reus maneat in seculo, potest alter innocens religionem ingredi. Cuius exemplũ legitur in Paulo simplice. Imò si uxor fornicata est, potest uir ad sacros ordines extra religionem promoueri: quoniam solutus est uinculo reddendi debitum, nisi fornicariæ peper. erit. Collige ergo tres casus, quibus matrimonium soluitur. Quoad substantiam nanq; non nisi ante copulam dirimitur, idq; etiam altero inuito, non tamen nisi per ingressum religionis. Consummati uerò separatio fit quoad torum, non tamẽ nisi per consensum alterius, aut fornicationis gratia. Ex quo fit, quòd licet ante copulam discrimẽ sit inter ingressum religionis, & susceptionem ordinu, tamen consummata copula, quocunq; euentu uir potest religionem ingredi, potest ét sacros ordines suscipere. Quod ante nos Paluda. dist. præsenti. quæstio. 3. probe concessit.

Propter fornicationem separatur torus.

Nota.

QVAESTIO SECVNDA de sponsalibus.

ARTICVLVS I.

Vtrùm sponsalia conuenienter dicantur futurarum nuptiarum promissio.

QVoniam definitum est consensum, matrimonio necessarium eẽ de p̃senti, ut opposita iuxta se posita clariùs innotescant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæritur de sponsalibus quem nam habeant effectum. Et arguitur priùs de nomine quòd sponsalia nó sint futurarú nuptiarum promissio, ut ait Nicolaus papa cano. Nostrates. 30. q. 5. Spõsus nanq; ut nomen sonat, ab sponsalibus dicitur. ait uerò Isidorus li. 9. etymologiarum ca. ult. q sponsus non dicitur quia promittit, sed quia sponsores dat: ergo sponsalia nõ sunt idem quod promissio. ¶Secundò. Si sponsalia essent promissio, sequeretur quòd in foro ecclesiæ cõpellendi essent sponsi ad matrimonium: nam promissio obligationem parit: & tamen ecclesia sponsos non compellit, ut patet cap. Præterea. de sponsalib. ergo sponsalia non sunt promissio. ¶Tertio. Nullus dicitur sponsus nisi ab sponsalibus: uocatur autem sponsus non solùm qui contraxit per uerba de futuro sed etiam qui contraxit per uerba de presenti, ubi realis interuenit datio & acceptio: ergo sponsalia non sunt promissio. ¶In contrarium est autoritas iuris, ut allegata Nicolai, & l. spõsalia. ff. e. ti. ubi habetur, q sponsalia sunt mentio & repromissio futurarũ nuptiarum. ¶Sponsalia, ut nomen ipsum sonat, ab spondendo dicuntur: spondere aũt est sponte promittere: quod iõ nomen connubio, quod liberrimum esse debet, dignè coaptatur. Quapropter Vlpianus eo. tit. l. 2. sponsalia, inquit, dicta sunt ab spondendo: nam moris fuit ueterib. stipulari & spondere sibi uxores futuras. Vnde, ut Florentinus subdit, sponsi sponsæq; appellatio nata est. Hunc aũt ritum Gellius li. 4. c. 4. ex Seruio Sulpitio lib. de dotib. refert. Nam qui uxorem ducturus erat, à parẽte uel tutore puellæ stipulabatur: hoc est, postulabat eam sibi in uxorem promitti: spondebatq; adeò illam se ducturum, sponsoresq; promissæ fidei dabat & fideiussores: fortè de seruanda dote: quia tunc lex illa & consuetudo uigebat, quæ postmodum reuocata est in Codice, Ne fideiussores dotium dentur, ne. s. uir uxori fideiussorem dotis exhibeat: licet uxor pro dote, quam marito promittit, talem fideiussorem daré permittatur, ut l. Cùm dotis. ff. de iure dotium. Quod si pater illam promittebat, contractus illi utrinque mutui sponsalia dicebantur. Atque adeò qui puellam spondebat, dicebatur sponsor, ut pater. Puella uerò, quæ promittebatur & spondebatur, dicebatur spõsa. Vnde apud Terentium, Aliam pater ei desponderat natam Chremetis. Sponsus uerò non ea ratione dicitur, quia promissus, sed quia ei fit promissio: uel quia, ut ait Isidorus, sponsores dat, ut sponsus idẽ sit, quod sponsoribus stipatus. At uerò nõ solùm pater dicitur spondere filiam, sed & ipsa se etiam spondet, & iuuenis eam dicitur despondere sibi.

¶Est autem considerate animaduertendum, ut ait impresentiarum S. Tho. art. 1. solu. ad. 6. quòd cùm duo in matrimonio considerentur: scilicet, coniunctio matrimonialis, & usus ipse, dupliciter dicuntur sponsi. Vno modo ratione futuri coniugij: quia scilicet tantùm sponsalia contraxerunt. Et isti sunt simpliciter sponsi, quia non sunt uerè coniuges: coniuges enim sunt uerè coniugati per coniugium de præsenti. Quare in rigore sponsi & coniuges opponuntur. Sed aliter dicuntur sponsi, ipsi etiam coniuges per uerba de præsenti ante copulam. Sponsi scilicet, respectu futuræ copulæ, quam sibi inuicem implicitè spoponderunt. Quo pacto beata uirgo fuit uerè coniux Iosephi. Quod quidem adnotatu est necessarium ad intellectum plurimorum canonum, qui nomine sponsi & sponsæ diuersimodè utuntur.

¶Tres ergo dignoscendi sunt gradus impræsentiarum. Primus, cùm sponsalia tantùm de futuro fuerint contracta, quod non sufficit, ut dicantur coniuges. De qua desponsatione loquitur can. Si quis sponsam. uigesimaseptima quæstione secunda. ubi habetur, quòd si quis sponsam filij sui oppresserit, filius aliam accipiat. Quod non liceret si fuisset sponsa de presenti. Et can. Quidam desponsauit. ibidem, ubi illa, quam quidam sibi desponsa uerat, operessa à fratre sponsi, non prohibetur quin possit alteri uiro nubere. Secundus gradus est, quando interueniunt consensus per uerba de præsenti: & illi dicuntur sponsi respectu futuræ copulæ, & nihilominus ueri coniuges. Et sic accipitur desponsatio ab Isidoro & Augustino can. Coniuges, & can. Coniux. uigesimaseptima quæstione secunda ubi habetur, quòd coniux ueriùs appellatur à prima desponsationis fide, quamuis ignoretur concubitus. Et canones. Qui desponsatam, quo ait Gregorius, Qui desponsatam puellam proximi sui acceperit in coniugium, anathema sit. Vbi subditur moris esse diuinæ legis sponsas (scilicet per uerba de præsenti) appellare coniuges, ut in Euangelio, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Et Deutero. 21. Si quis desponsatã hominis puellã oppresserit moriatur, quia uxorem proximi sui uiolauit. Tertius gradus est, dùm res uxoria per copulam consummatur. Quod quidem matrimonium, ut diximus, non potest, nisi amborum consensu quoad torum dissolui. Et tunc maximè mulier dicitur uxor. Qua ratione Origenes can. Inuenta. 27. q. 2. noluit admittere, ut beata Maria diceretur uxor Ioseph. Vnde uerbum Gratiani can. Decreta, ubi intulit, inter sponsum & sponsam coniugium non esse: quia sponsa sine consensu sponsi põt intrare religionem, coniux uerò non nisi de consensu coniugis, non est uerum, nisi sit sermo de sponsis per uerba de futuro. Nam inter spõsos per uerba de præsenti est uerum coniugium, & tamen, uterque ante copulam sine alterius consensu potest religionem intrare. Quare uerbum illic Gregorij, Decreta legalia de sponsatã si conuerti uoluerit nullo consuetudine damno mulctare, etiam de desponsata per uerba de præsenti, licet iã tunc dicatur cõiux, intelligitur. Antea tamẽ quã fuerit matrimonium consummatum.

¶His ergo præmissis ad quæstionem trib. conclusionibus respondetur. Prima. Sponsalia sunt mutuæ promissiones uiri & fœminæ de contrahendo matrimonio. Probatur per etymologiam iam expositam. Quapropter ueluti matrimonium nõ perficitur nisi per mutuum utriusque consensum, ita neq; sponsalia uim obtinent, nisi per mutuam utriusq; partis promissionẽ. Nam consensus, qui de præsenti faciunt matrimonium, de futuro faciunt sponsalia. Quocirca si ipsa tantum polliceatur uiro se nupturam, aut si uir duntaxat polliceatur Mariã ducere, quousq; ambæ inuicẽ promissionis coeant, nõ sunt spõsalia.

¶In contrarium tamen arguitur. Simplex promissio, quando iusta est, & honesta, uim obtinet obligandi: ergo dum iuuenis pollicetur Mariam ducere, & ipsa promissum acceptat, iam ille tenetur seruare promissum, & si non ipsa statim se sibi spondeat, sed tempus deliberandi accipiat: ex quo subsequi uidetur sponsalia nõ esse mutuam promissionem. Ad hoc respondetur concesso antecedenti, negando hanc ultimam consequentiam. Conceditur, inquã, illam promissionem esse obligatoriã, non quidem in ui sponsaliorum, quousq; reciproca promissio alterius partis accedat, sed in ui simplicis promissionis. Quare nõ est illa obligatio tãti uaioris, quanti sunt sponsalia. Nam si altera pars diu deliberationem prolatet, censetur alterius promissionem contemnere. ¶Secunda cõclusio. Sponsalia neutiquàm sufficiunt ad matrimoniũ contrahendum, nisi nouus consensus de præsenti accedat uel formalis, uel uirtualis per consummationem copulæ affectu maritali. Probatur, quoniam matrimonium est uera & realis traditio, qua se sibi mutuò coniuges dedunt: promissio autem nõ est traditio: aliud enim est nuptias polliceri, atque aliud nubere. ¶Quòd si contra arguas. Sicut præsens se habet ad præsens, ita futurum ad futurum: ergo sicut consensus de præsenti facit matrimonium de præsenti, ita consensus de futuro facit de futuro. Respondetur, argumentũ amphibologia laborare. Si enim antecedens in hoc sensu usurpetur: scilicet, quòd sicut consensus de præsenti facit tunc temporis matrimonium, ita consensus de futuro facit illud in tempore futuro, negatur quidem: quia consensus de futuro non est realis traditio, sed promissio. Si autem sumatur in hoc sensu, quòd sicut consensus de præsenti facit matrimonium in præsenti, ita & consensus de futuro parit obligationem contrahendi illud in futurum, conceditur, sed nihil contra conclusionem. Et est sic intelligenda conclusio hæc, quòd licet consensus interni sint de præsenti, si tamen illos nõ sibi inuicem per uerba de præsenti explicent, sed tantùm per uerba promissoria de futuro, non fit matrimonium.

¶Quòd si sciscitaris, Quis nam ergo effectus est sponsaliorum? Respondetur, esse obligationem, quæ inde nascitur ad contrahendum postea, nisi legitima intercesserit causa dirimendi, ut artic. ultim. patebit.

¶Hinc sequitur quòd sponsalia non sunt de essentia matrimonij: quia absque illis præcedentibus potest illico matrimoniũ contrahi per uerba de presenti. Sunt tamẽ

Partis negatiuæ argumẽtum primum.

Secũdũ argumentũ.

Tertiũ argumentũ.

Pars affirmatiua.

Sponsalia unde.

Vlpianus.

Gellius.

Sponsus.

Isidorus.

S. Tho.

Sponsi dupliciter dicuntur.

Tres gradus ad matrimoniũ. Primus.

Secundus gradus.

Tertius gradus.

Gratianus.

Gregor.

Obiectio.

1. Conclusio.

Ratio.

Solutio.

2. Conclu.

Ratio.

Obiectio.

Dilutio.

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non prorsus impertinentia, imò sæpe conducentia, præsertim cùm sub conditione fiunt: quia non possunt conditiones dotiũ uel aliarum rerum ita facilè conuenire: eo quòd iste contractus est omnium ciuilium gratissimus. ut pote, quo homo de tota uita disponit. Et erant olim maximè in more, quando banna erant in usu, quæ quidẽ post sponsalia fiebant ad explorandum si qua essent matrimonij impedimenta. Iam uerò non sunt in tãta celebritate. Et quẽadmodum matrimonia, sic & sponsalia, imò fortiori ratione possunt inter absentes per procuratores uel literas fieri. l. ult. ff. cod. tit. imò & inter solos parentes iuuenum tractari, & concludi, ut arti. proximo uidebimus. ¶ Est tamen circa hanc conclusionem oculatissimè discernendum inter uerborum uim, utrùm nudam habeant significationem de futuro, an uerò uirtutẽ præsentis. Si enim dicãt, Accipiam te, manifestum est uerbum futuri. Sed si dicant, Habebo te in meam, & te in meũ, aut Tenebo te, uel reputabo te pro mea, & tractabo te sicut meam, aut quid simile, uerbum ambiguum est. Nam facere sensum potest, ex nunc, & sic æquipollet uerbo de præsenti: quoniam quòd uir habeat fœminam pro sua, fieri legitimè nequit, nisi consensus antecedat: quare si ex nũc uel posthac habiturus est eam pro sua, signum est iam nunc consentire de præsenti. Et idem erit si dicant, Eris posthac, seu ex nunc meus, & eris mea. Secùs si dicat, Esto mea uxor, aut meus uir: quoniam hoc futurum est imperatiui, quasi rogantis aut petentis consensum. Et ideo non denotat inchoationem ex illo articulo, ut cùm testator ait, Hæres meus esto, non intelligit nisi post suam mortem. ¶ Eadem ferè amphibologia latet sub uerbo, uolo, ut si quis dicat, Volo te esse uxorem meam: & ipsa, uolo te esse uirum meum. Sunt enim qui negant satis esse ad matrimonium contrahẽdum. Attamen quia uolo, æquiuocum est, si idem ualeat quod consentio, & uoluntatem: id est, assensum præbeo, matrimoniũ est: secùs si idem sit quod cupio uel desidero. Si autem dicant, Volo tecum contrahere, & ille respondeat, Ego tecum, non satis est ad matrimonium: quia uelle contrahere, non est contrahere. Quocirca in eiusmodi uerborum nubilo utendum est regula Hilarij in cap. Intelligentia, de uerborum significa. ubi ait, Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia nõ sermoni res, sed rei est sermo subiectus. Est enim pensanda in primis materia subiecta, utrùm scilicet tunc de sponsalibus, an uerò de matrimonio de præsenti ageretur. Et secundum hoc interpretanda sunt uerba. Præterea, ut Alexan. tertius cap. Ex literis. in 1. de sponsalib. admonet, inspiciendum est iudici in similibus dubijs si matrimonium cõtracturi ad id sint idonei scientia & ætate. Quo cognito si alter non intellexit quod alter proposuit, ad communem uerbi intelligentiã recurratur, & cogatur uterque uerba prolata in eo sensu retinere, quem solent rectè intelligentibus generare. Hæc ibi. Et est cæteris paribus sententia in fauorem illius ferenda, qui simpliciter loquebatur, contra alterum, qui fraudem nectere uidebatur, in foro quidem exteriori: nam in foro conscientiæ, ubi nullus interfuerit consensus, de præsenti nullum existit matrimonium. ¶ Tertia conclusio. Sponsalia fieri possunt aut absolutè, aut sub conditione. Absolutè quidẽ quatuor modis, ut ait impræsentiarum S. Thom. scilicet, aut nuda promissione, ut accipiam te in meũ, aut meam, aut Promitto te accipere. Secundò per anuli subarrhationem, ut can. Si quis uxorem, ait Greg. & cano. Si quis desponsauerit, Iulianus papa, 27. q. 2. Quãquam illic non fiat mentio de sponsalibus de futuro, sed de uero coniugio de præsenti: nam subditur, quòd illam sic anulo subarrhatam defuncto sponso, etiam ante carnalem copulam, nemo de consanguineis ob publicam honestatem possit accipere in uxorem: & tamen si solùm essent sponsalia de futuro, ut infra distinct. 41. dicemus, liceret. Tertiò per arrharum dationem, ut cap. fin. de sponsali. impub. Hæc autem anuli insigne, & arrharum donatio, si nulla præcesserint uerba, non sunt sufficientia desponsationis documẽta, sed solùm ex præsumptione: quia possunt alia de causa conferri: nam & in emptione & uenditione solet intercedere arrha, & propter turpes amores donari anulus. Quare si uerba de præsenti præcesserunt, sunt confirmatio ueri matrimonij: si autem de futuro, sunt sponsaliorum insignia. Quarto contrahuntur sponsalia sub forma iuramenti. Quibus & quintus adhibetur

Nota. uerborũ uim.

Alexãder

Nota.

Tertia cõclusio.

Primus modus.

Secundus.

Iulianus papa.

Tertius modus. Nota.

Quartus.

Verb. uolo.

Hilarius.

Quintus. hibetur modus, quando impuberes ante legitimam ætatem contrahunt per uerba de præsenti, quæ quidem ob defectum ætatis non æstimantur nisi sponsalia. ¶ De cõditionibus autem appositis supersedendũ modò usque ad dist. 29. q. 2. quia possunt apponi tam uerbis de futuro, quàm uerbis de præsenti: & ideo illic de utrisque copiosiùs habendus est sermo. ¶ Per hæc argumenta proposita soluta restant. Ad primum enim negatur, quòd sponsus dicatur ab sponsalibus: scilicet, à promissionibus, quia promissus est, ut sponsa, sed ab sponsorum: hoc est, fideiussorum datione, quibus confirmantur sponsalia, quæ sunt promissio. ¶ Ad secundum respondetur, quòd etsi sponsalia promissionem includant, ac subinde obligationem, nihilominus in foro exteriori non compelluntur sponsi contra suam uoluntatem contrahere propter damna, quæ afferre solent spõsalia coacta, ut cap. citato præterea, decernit Innocentius. Vtrùm uerò dum sponsalia iureiurando confirmantur, sint ab ead. ecclesia sponsi ad matrimonium cogendi, illicò articu. 3. uidebimus. ¶ Tertium etiam solutum est, ubi declaramus nomen sponsi etiam coniugi competere ante copulam.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

Sol. 3. arg.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm septennium tempus sit contrahendis sponsalibus necessarium.

DE tempore & ætate ad matrimonium contrahendum requisita. d. 35. art. 5. dicturi sumus, de tempore autem sponsaliorum legitimo arguitur, quòd non sit septennium. Contractus, qui per alios fieri potest, non requirit in eis, ad quos pertinet, discretionis usum: sed sponsalia fieri per parentes possunt utroque impuberum ignorante. c. 1. de desponsa. impube. ergo in illis non requiritur rationis usus. ¶ Secundò. Sponsalia ad matrimonium ordinãtur: sed ad matrimonium contrahendum non idem utique præscribitur tempus, ut loco citato uidebimus, imò minus puellæ, quàm puero: ergo idem deberet in sponsalibus obseruari. ¶ Tertiò. Si qui prope ætatem legitimã pubertatis paulò ante matrimoniũ cõtrahant, pro ualido habetur: ergo pari iure si paulò ante septennium sponsalia fiant, ualebunt. ¶ In contrarium est decretum. c. Literas, ca. Accessit. c. Ad dissoluendum, extra. de desponsi. impuber. & c. Vnico, co. tit. lib. 6. ¶ Quæstio facillima est, ad quam unica conclusione respondetur. Sponsalia antequàm ambo illorum, ad quos attinẽt, septennium impleant, non sunt ualida. Cõclusio præter citata iura probatur ratione, quoniam usque ad illum temporis articulum protenditur infantiæ periodus, qua, ut nomen sonat, homo ea, quæ rationis sunt, fari nequit: & tamen cùm sponsalia, ut dictum est, quædam sint futurorũ promissio, exigunt in promittente indicium aliquod & prudentiam futurorum, alioqui eorum promissio non esset prorsus libera. ¶ Ad cuius maiorem intellectum, ad notandi sunt tres gradus cognitionis humanæ, quos Philosophus. 1. Ethic. dignouit. Primus. n. est, quando homo neq; suopte ingenio, neq; aliorum adminiculo intelligere quidpiam potest ad prudentiam pertinens: quod quidem est tempus ætatis primæ: nempe, infantiæ, quæ primo septennio durat. Qua de re tunc non est homo idoneus alicui celebrando cõtractui: quia nihil deliberare potest, sed eius cognitio penè nihilo à cognitione brutorũ differt. Secundus gradus est, quãdo homo licèt non suopte Marte, tamen aliorũ subsidio intelligere quidpiam ualet, quod nõ nullam habeat prudentiæ imaginem. Et hoc est tempus secũdæ ætatis: nempe, puritiæ, quę per secundũ septennium currit. Quo ideo tpe: nempe, septem annorum, scholis puer ad discendum mancipatur: atque adeò tũc aliquid polliceri põt in futurum, de quo licèt tunc obligationem adferat potest tamen deinceps maturiùs deliberans, mentẽ mutare. Sed tertius gradus succedit à fine secũdi septẽnij, usque ad annum uigesimumquintum, quò tertia ætas adolescentiæ procedit. Tunc enim iã homo: scilicet, anno ætatis quartodecimo, ẽt per se ipsum potest ea deliberare, quæ ad prudentiam spectant. Quare tunc dispone re de propria persona põt, & statum eligere siue coniugalem, siue monachalẽ. Quãuis de bonis suis, ne prodigè dilapidet, disponere iure nõ permittatur usq; ad uigesimũquintũ annum, quo incipit iuuentus. ¶ Ad primũ igitur argumẽtum cõceditur

Partis negatiuæ argum. 1.

2. Argum.

3. Argum.

Pars affirmatiua.

Cõclusio.

Rõ concl.

Tres gradus cognitionis humanæ.

Primus.

Secundus gradus.

Tertius gradus.

Sol. 1. arg.

posse parentes antequam nati septénium attingant, sponsalia pro illis contrahere: hoc enim est ius paternum: eo quòd infantes tũc quasi in utero rationis paterno gestantur. Et in hoc sensu intelligenda est. l. In sponsalibus. la. 2. ff. eod. titu. scilicet. In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimonijs. Intelligitur, inquam, dum parentes pro filijs contrahunt: nam si filij ipsi ea contrahant, cùm ipsi consentire debeant, ut illic habetur, in. l. Sponsalia. 2. Septennium debent complesse. Imò uerò dum parentes pro filijs contrahunt, sponsalia illa dependentia sunt ex consensu filiorũ postquàm usum habuerint rationis, ut cap. citato. de desponsatio. impuber. habetur. Quod uerò illic subiungitur, nempe. Postquam filius peruenerit ad legitimam ætatẽ omnino debet hoc adimplere, intelligitur, q̃ debet de honestate, non tamen de necessitate, ut bene ait glossa. Itaque si aduenie̅te usu rationis reclamauerint, sponsalia nulla sunt. Si uerò tũc scientes tacuerint, silentium erit consensus interpres. Quapropter parentes Rebeccæ, ut legitur Gene. 24. puellæ uoluntatem requisierunt. Atq; tã ob rẽ parentes ante liberorum septennium districtiùs à Nicolao Papa inhibentur, cap. Vbi non est, eo. tit. ne ante legitimam filiorum ætatem eos coniungãt, nisi forsitan aliqua urgentissima necessitate interueniente, utpote pro bono publicę pacis talis cõiunctio toleretur. Quare nisi inter principes aut magnates nõ debẽt fieri: nã ut habetur c. Literas, Despõsationes in cunabulis nullæ sunt, atq; adeò illæ, q̃ fiũt ante septẽniũ: neq; ulla inde affinitas cõtrahitur. Rñdetur ergo ad argumẽtum, septẽnium requiri uel ad cõtrahendũ spõsalia, uel ad illa cõfirmãdum. ¶Quòd si arguas, ante illã ætatẽ hoiem posse peccare mortaliter: nã ut. 4. Dialogorũ c. 1. refert Gregorius, quidã puer quinq; annorũ pp peccatũ blasphemiæ à diabolo extinctus est: quẽ ideo paterna negligẽtia gehennæ nutriuit. Rñdetur, casum illum esse singulare & præter legẽ, ut tãta esset rationis acceleratio, q̃ ad peccatũ mortale sufficeret. Non. n. est negãdũ quin quacunq; ętate liber sit consensus in peccatum, cõtrahatur macula. Sed tñ canones attẽdunt ad id, qđ plurimùm uia ordinaria cõtingit, qua qui dẽ uia ante septẽniũ nõ assolet rõ lucere.

Lex, in spõsalibus.

Parentes Rebeccæ.

Nicolaus papa.

Nota.

Solu. argu.

Obiectio.

Dilutio.

¶Et pariter ad id rñdetur, si q̃s arguat, tũc dẽre esse ualida spõsalia, ex quo alicui pñt futuræ nuptiæ placere, ut in palleg. c. Literàs, habet: sed ante septenniũ puellis non nunq̃ solẽt placere nuptiæ. Rñdetur, inq̃, eiusmodi immaturã cõplacentiã nõ tã ex rõis ordine, quàm ex naturæ libidine tũc exurgere: q̃ ideo can. nihil ducũt. ¶Ad secundũ principale rñdeẽ, q̃ in cõtractu matrimonij nõ tm̃ usus rationis expetitur, uerùm & generãdi potestas. Puer aũt ante siñ secundi septẽnij non est generandi potens: puella aũt in duodecimo põt cõcipere, ut. 11. de aĩalib⁹ autor est Philosophus. Præterq̃ q̃ in uiro, cui domus administratio incũbit, maior est necessaria prudẽtia. Ad spõsalia uerò duntaxat exposcitur rõnis usura, q̃ utriq; sexui in primo septẽnio aduenit. ¶Ad tertiũ uerò rñdetur, q̃ ut in matrimonio, ita & in spõsalibus parũ pro nihilo reputatur: nã ut. 2. Physico. author est Philosophus. Quod parũ distat à re, nihil distare vr̃. Et ideò si paulò ante finẽ primi septẽnij fiant sponsalia, solida reputantur. Tametsi Pan. c. Iuuenis. de spõsalib. nimius iuris obseruator nihil de rigore canonũ remittẽdũ cẽseat: ita ut si hebdomada, uel forte dies defuerit, non sint ualida. Attamẽ Archia. & Archiẽps Florẽtinus. & Sylue. verb. Spõsalia. §. 2. & cõis opinio S. Tho. sequunt & meritò: qa moraliter q̃d parum distat à re, nihil distare vr̃. Et ideo hebdomada nõ tollit, quin cẽseatur septẽniũ impletũ, imò nec maiusculum tẽpus. ¶Quòd si p conteris, quãtum sit illud parũ. S. Tho. solu. ad. 7. ait, à quibusdã taxari tẽpus sex mensium: putà, in septimo anno dimidiato. l. Non tm̃. de excus. tutorum. ff. Sed melius est, inquit, ut determineť secũdum contrahentium conditionem paulò plus minusue: quia in quibusdam celeriùs matureſcit rationis usus, quàm in alijs.

Aliud arg.

Dilutio.

Sol. 2. arg.

Sol. 3. arg.

Panormi.

Quãtũ illud par.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm sponsalia iureiurando per uerba de futuro confirmata uim habeant matrimonij.

ARTICVLVM præsentẽ & subsequẽtẽ doctores pp ordinem Magistri sentent. in proxima dist. futura tractãt. At cùm ad spõsaliorũ qualitatem attineant, hanc sibi sedem p priẽ uendicãt. Arguitur ergo, quòd si spõsalia de futuro iuramento firmentur, uim habeant matrimonij de præsenti. Nemo se potest contra diuinum ius ad rem aliquam obligare: iuramentum autem implere est iuris diuini, iuxta illud Matth. 5. Reddes altissimo iuramẽta tua: ergo nulla subsequens obligatio potest hominẽ à præterito iuramento absoluere, atque adeò qui post eiusmodi iuramentum se subdit secundis nuptijs, tenetur nihilominus iuramentum seruare contrahendo cum priori: quod non esset uerum, nisi illud matrimonium uim habuisset matrimonij de præsenti. ¶Secundò Omnis controuersiæ finis iuramentum est, ut ad Hebræ. 6. ait Paul. ergo saltem in foro exteriori, ubi cõstat de iuramento, in eam potiùs partem propendendum est, quàm in alteram, ubi non nisi humanus consensus simpliciter interuenit: ergo sponsalia de futuro cum iuramento uerbis præualent simplicibus de præsenti. ¶In contrarium est decretũ Alexandri. 3. capi. De illis. de sponsalibus ¶Facillima est quæstio, & idcirco unica conclusione contenta, quæ omnium est tã Iurisconsultorum, quàm Theologorum confessio. Sponsalia de futuro, quocunq; fuerint iureiurando asserta, uim non habent contrahendi matrimonij. Et ratio est plana: quoniam iuratio, ut loco citato aut Paul. non est nisi dictorum confirmatio, quod ideo eorum significationem nõ mutat: igitur si uerbis de futuro apponatur, solùm confirmat promissionem: promittere autem matrimonium non est illud facere: qui ergo promittit, licet id iurauerit, nondum fecit. Vnde Hugo in summa sententiarum tract. 7. capi. 7. cuius rationes Magister senten. adduxit, cùm non fiant, inquit, coniuges nisi illi, qui se ex cõsensu ad præsens recipiunt, quomodo coniuges appellari possunt qui nondum fecerunt, sed in futuro se facturos iurando promiserunt? Deinde si ex ui iuramenti ad futurum pertinentis mox coniuges efficiuntur, cur iurant se id postea facturos? Repugnantia enim est iurare se facturos id, q̃d efficiunt, & iterabile non est. Item, qui iurat se matrimonium, facturum, iurat consensum se post adhibiturum de præsenti, in quo essentia matrimonij consistit: ergo ipso iuramento denotatur uerba illa iura

Partis affirmatiuæ argum. 1.

Secundum argumen.

Pars negatiua.

Cõclusio.

Ratio.

Hugonis ratio.

ta futuri non sufficere. Bene ergo Papa in præallegato cap. De illis, ait, quod qui spõsalia de futuro iuramento confirmarunt, si ad alias se nuptias transtulerunt, illæ sint ualidæ, recepta tamen de periurio pœnitentia, si per eum, qui iurauit, steterit quominus matrimonium consummaretur. Idemq; habetur in cap. Si inter. eod. titul. Quòd si quis obijciat uerba ciuilis legis, quæ can. Si quis diuinis. 30. quæstione. 5. referuntur. Si quis diuinis tactis scripturis iurauit mulieri legitimè eam uxorem habiturum, uel in oratorio tale iuramentum dederit, sit illa legitima uxor. Respondet Glossa, & loco citato Hugo, illud iuramentum cecidisse super uerba de præsenti, quibus præcedentibus se fidem tori & alia coniugij iura seruare pollicebantur. Iam enim supra diximus, quod hoc uerbum, Habebo te in uxorem, respectum præsentis temporis includit: scilicet, ex nunc. ¶Quòd si roges, utrùm saltem propter iuramentum sponsalibus de futuro adiectum sint sponsi ab ecclesia ad matrimonium cogendi, respondetur primùm, certùm esse multò maiorem uim in conscientia obligandi habere iurata sponsalia quàm simplicia. Vnde licet, ppter simplicia non cogantur sponsi ab ecclesia, ut artic. 1. dicebamus, tamen si iuramento confirmentur, propter eius reuerentiam uidentur cogendi. Et ita censet Alexander. 3. ca. Ex literis Syluani, de sponsalib. ait quippe, quòd puella, quæ iurauit se alteri nupturam, si resiluerit, monenda sit: quòd si monitis non acquieuerit, compelatur. Sed tamen Lucius tertius, qui proximus illi pòst sedit, cap. Requisiuit. eod. titu. non ait, nisi, quòd monẽda sit potiùs quàm cogenda. Et subdit rationem. Innocentij in cap. Præterea. eo quòd coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere. Quæ quidem contraria decreta negotium glossatoribus facessunt, ut concilientur. Attamen, ut sæpè diximus, sententiæ Pontificum, quibus ad interrogata respondent, non semper uim habent articulorũ fidei, sed sæpè proferuntur secundùm opinionem probabilem ipsorum Pontificum. Quapropter nihil eorũ authoritati derogat, si alius Pontifex nonnũquã emẽdatius loquatur. Id quod (ut cũ omni obedientia ecclesiæ debita loquamur) uisus est facere Lucius. 3. Cui potiùs ideo auscultandum

Ratio alia.

Obiectio.

Dilutio.

Dubium.

Solutio.

Cap. ex literis.

Cap. Requisiuit.

Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sculţādum est. Nisi hoc forsan modo eos uolueris conciliare, quòd Lucius loquitur secundum ea incommoda, quæ plurimùm contingunt. Et ideo secundùm legẽ ordinariam non sit sponsus, qui iurauit, cogendus, sed omnino admonendus, & suæ relinquendus conscientiæ corã Deo. Præsertim cùm in eiusmodi iuramenta cadat dispensatio, & sæpissimè intercedat iusta dispensandi causa. Quando uerò sponsus, qui iurauit, censetur nullã habere causam à iuramento resiliendi, neq; ulla timẽtur ex coactione incõmoda, imò sperantur commoda, maximè si in bonum commune cedat, tunc iuxta sententiam Alexãdri cogendi sunt, id tamẽ quàm rarissimè.

Conciliatio.

Solutio primi argum.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd implere licitũ iuramentum iure diuino constringimur, non tñ illud, qđ uel dum fit illicitum erat, uel postea illicitũ seruatu fit aut impossibile. Igitur quẽadmodum si maritata mulier iurasset alicui suo superstite marito nubere, iuramẽtum non esset implendum, quia illicitum: ita licet soluta licite iuret se soluto nupturam, tamen si antequã iuramentum impleat, alteri nubat, impossibilitate se inuoluit ne possit prius iuramentum implere, quia iam facta est aliena. Tametsi qui iurata sponsalia fregit, grauius peccatum committat quàm si non fuissent iurata. Imò uerò si iuramentum illud inter personas legitimas intercessit, quanuis postmodum causa occurrat dissoluendi sponsalia, non sunt sine dispensatione iuramenti dissoluenda. Secus si personæ erant consanguineæ, uel alio impedimento irretitæ: tunc enim sponsalia nullius erant uigoris.

Solutio secundi arg.

¶Ad secundum respondetur, quòd neque in foro exteriori illud iudicandum est matrimonium: quia nec de illo potest contestari lis, sed de illo duntaxat, quia sponsalia iurauit, ut promissum seruet.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm carnalis copula post sponsalia de futuro matrimonium perficiat.

ALia sponsaliorum qualitas est quando carnalis copula subsequitur: & ideò quæritur, utrùm illa tunc copula habenda sit pro consensu, ut matrimonium perficiatur. Et arguitur à parte affirmatiua. Plus est facto quàm uerbis consentire: sed qui cum spõsa congreditur, facto consentit ad perficiendum quod inceptum erat: ergo illa copula sufficit.

Partis negatiuæ argumentũ primum.

Secundum argumẽtum.

¶Secundò. Non solùm consensus formalis, sed interpretatiuus sufficit: nulla autẽ uidetur expressior interpretatio consensus, quàm illa copulæ consummatio: ergo illa sufficit.

Tertium argumen. Pars affirmatiua.

¶Tertiò. Omnis consensus in fornicationem peccatum est: sponsa uerò de futuro consentiens sponso in concubitum non peccat: ergo tunc non fornicatur, atque adeò rei uxoriæ operam impendit.

Decisio articuli.

¶In contrarium est decretum Nicolai capit. Sufficiat. 27. q. 2. ubi ait, quòd solus consensus (scilicet, de præsenti) si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Et idem habetur capitu. Tuanos. de sponsalibus.

¶Ad hanc quæstionem respondentes doctores, licèt uariare uideantur: nam Ricardus & nonnulli alij dist. 28. adstruere uidentur sufficere huiusmodi copulã, quod alij uidentur negare: distinctio tamen S. Thomæ rem tutò conciliat. Possumus enim de matrimonio loqui uel in foro conscientiæ, uel in foro exteriori ecclesiæ, ubi ex præsumptione sæpenumerò iudicatur.

Prima cõclusio.

¶Tribus ergo conclusionibus respondetur. Prima fundamentalis est. Copula per se nudè considerata, quantuncunque sponsalia de futuro præcesserint, non est in foro conscientiæ sufficiens causa matrimonij colligandi. Probatur, quia ut supra dictum est, nisi consensus de præsenti accesserit, nunquam est matrimonium: ergo ubi ille consensus internè defuerit, quantuncunque accesserit copula, non fiet matrimonium. Atque hoc est quod citata decreta definiunt. Et confirmatur hoc liquidò: quoniam copula illa, cùm sit quid externum, uim nequit habere maiorem quàm si essent uerba de præsenti: sed hæc ut supra dictum est, si internus consensus defuerit, non sufficiunt, multò ergo minus sola copula.

Ratio conclusionis.

Ratio secunda.

¶Hinc sequitur, quòd si dum sponsi coeunt nihil de præcedentibus uerbis cogitant, nullum sit matrimonium: quia nullus tunc interuenit consensus, & multò minùs si uel intus alter dissentiat, uel aliquo indicio alteri ostendat,

Corollarium.

dat, non accedere ut coniugem, ut si alter illorum sit conditionis longè superioris nobilitate uel dignitate aliqua. Vel si dũ unus ait se accedere ut coniugem, alter non prorsus adnuat, sed significet, illud in posterum differendum.

Secunda Conclusio.

¶Si quæratur, utrùm requiratur expressus de præsenti consensus cum copula, Accipio te in meã, uel similis, respondeat secunda conclusio. Satis est in conscientia si ambo affectu materiali se inuicem per copulam amplexari consentiant intendentes perficere quod per sponsalia inceptum fuerat. Tũc enim ille est interpretatiuus consensus de præsenti propter uerba de futuro, quæ præcesserunt, cap. Is qui fidem. de sponsalibus. Si ambo, inquam, nam si alter duntaxat consentiat altero oppositum insinuante, nullum est in conscientia matrimonium.

Tertia conclusio.

¶Tertia conclusio. Quantum ad iudicium ecclesiæ res attinet, ubi post sponsalia de futuro copula interuenisse comprobatur, matrimonium censetur, coguntuŕq; adeò eiusmodi sic copulati ut coniuges cohabitare: quare licet alter uel ambo ad alia se uota transferant, compelluntur ad primum redire, quod præsumptum fuit matrimonium: nec secundum

Gregor. 9.

censetur matrimonium. Verba sunt Gregorij noni cap. Is qui fidem, de sponsalib. ubi id decernit. & capitu. De illis, & Pertuas, de conditio. apposit. Neque est contra hoc exceptio ulla admittenda. Et ratio est, quia ecclesia non potest de occultis, nisi per extera indicia iudicare: & nullum potest habere efficacius, quàm eiusmodi copulam. Intellige autem non admitti exceptionem illius, qui signa dissensus non ostenderat: nam si alter allegat se reclamasse, & est paratus probare, audiendus est. Rursus intelligendum etiam dum copula consummatur. Nam oscula & tactus: imò uerò nec conatus ad consummãdum sufficit, nisi re uera consummetur, ut capitu. fina. de sponsa. decernitur. Quin etiam Innocent. super eodem capitulo. & Panorm. tenent, quòd licet uir puellam omnino defloruerit: si tamen non seminauerit, non sufficit ut iudicetur matrimonium post sponsalia de futuro. Et ratio eorum est quòd cum ecclesia in tali casu ex præsumptione procedat, deuiando a communibus regulis iuris, non debet id iudicare, nisi absoluta fuerit consummatio. Et Syl. uerb. Matrimonium. 2. §. 16. ait, hanc opinionem esse communem. Et consonat superiori sententiæ nostræ. q. 1. argu. 4. ubi diximus ante uirilem seminationem in uase legitimo matrimonium non consummari. Requiritur præterea ut consummatio copulæ sequatur spõsaliorum fidem: nam sponsalia post copulam contracta non faciunt matrimoniũ. cap. Veniens. 2. de sponsalibus.

Primum dubium.

¶Dubia tamen hic sunt alia parua tria. Primum, utrùm si habeant intus huiusmodi consensus perficiendi matrimoniũ, non tamen alijs uerbis aut nutibus explicent de præsenti, quàm sola illa corporum commixtione, sufficiat ad matrimonium in conscientia. Apparet enim non sufficere ob id, quod supra dictum est, cõsensus internos de præsenti per sola uerba de futuro explicitos non sufficere. Nihilominus respondetur, copulam carnalem maritali affectu adiunctam uerbis de futuro præcedentibus sufficientem esse nutum ad exprimendum consensum de præsenti, si adsit. Quare si ambo confiteãtur tales consensus habuisse, illud matrimonium est ualidum.

Dubij solutio.

Quanuis multò sit tutius tales consensus de præsenti tunc exprimere.

Secundum dubium.

¶Secundum dubium est circa tertiam conclusionem, utrùm dum sponsi per uerba de futuro carnaliter commiscentur sine consensu legitimo, nec maritali affectu, si uterque uel alter per legitimum consensum de præsenti transeat ad secundas nuptias cogendi sint ut reuocato secundo matrimonio perficiant illud præcedens. Hostiensis nanque, ut Panor. cap. Is qui, cum citat, licet Syluester. uer. Matrimonium. 2. §. 15. impositionem censeat, opinatur secundum esse dirimendũ, & conciliandum primum. In cuius opinionem incidit propter uerba cap. citati. Is qui fidem. ubi habetur, quòd contra præsumptionem prioris matrimonij illud, quod de facto est postmodum subsecutum, non est uerum. Inde ergo colligit, quòd licèt illud posterius non irritetur ratione prioris, quod re uera nullum fuit: tamen quòd ecclesia potuit illud cassare, sicut illud, quod inter cõsanguineos contrahitur. Itaq; suspicatur, eos, qui post uerba de futuro carnaliter cõmiscẽtur, inhabiles ad alia matrimonia reddi. Est tamẽ opinio, ut bene ait Syl. contra communem opinionem

Hostien. & Panorm.

Syluester.

Universidad de Deusto
Biblioteca

opinionem theologorum, & Iurisconsultorum. Ecclesia nanque in prædicto capi. nõ iudicat nisi tantùm ex præsumptione. Quapropter eodem modo, quo præsumit prius fuisse ualidum, præsumit posterius esse nullum in foro suo. Nihilominus si in foro Dei primum non fuit ualidum, non uult quòd secundùm in conscientia sit dirimendum. Imò neque illud ecclesia decernere potuit, postquam personæ illæ, quæ primum matrimonium uerè non contraxerant, liberæ sunt ad contrahendum alterum. Quare in conscientia illud secundum est uerum.

Tertium dubium.

¶Tertium dubium est, Siquis sponsalia contraxit per uerba de futuro cum aliqua, cum qua copulam non consummauit, & postmodum cum altera itidem per uerba de futuro, cum qua tamen per copulam se commiscuit, non tamen maritali affectu, sed fallaciter, utrùm debeat citiùs cogi contrahere cum secunda quàm cum prima? Partem enim affirmatiuam tenet Maioris præsenti dist. q. 5. quam putat esse decisionem capi. 1. de sponsa duorum. Cui & ratio suffragari uidetur: nam postquam secundæ maius intulit damnum: potiùs ei debet seruare fidem. At uerò contraria pars in conscientia magis est ueritatis amica: nam quum antea ille priori fœminæ fidem impignorauerit, ei potiùs seruare debet, ut habetur capi: Sicut. de sponsalibus.

Pars affirmatiua. Ratio.

Pars negatiua.

Quin etiam quanuis prima sponsalia non fuerint iurata, & secunda fuerint, standũ est prioribus, & indicenda pœnitẽtia pro iuramento: quia iniuria, quæ illata est secundæ, non aufert suum ius priori. Neq; in cap. illo citato, de spõsa duorum, quippiam est, quod huic ueritati refragetur. Loquimur in conscientia, ubi res occultè agitur: nam in foro exteriori si concubitus ille legitimè fuerit probatus, ex præsumptione iudicabitur fuisse tunc matrimonium consummatum.

Postremũ dubium.

¶Postrema denique dubitatio est, an spõsalia de futuro alia uia, quàm per carnalem copulam, sine expresso consensu de præsenti censeantur in matrimonium trãsire. Respondetur autem, quòd in foro cõscientiæ, ut dictum est, nunquàm eiusmodi uim habent: in foro autem exteriori quantum ad iudicium ecclesiæ, quando uerba de præsenti ante pubertatem legitimam matrimonij præcesserunt, quę uim tum duntaxat habent sponsaliorum, dum tamen uerba inter sponsos ipsos post septennium intercesserint: tunc aiunt nonnulli doctores, quos Syl. eodem loco matrimonium. 2. §. 16. refert: quòd si post legitimam ætatem se se osculis & amplexibus etiam citra copulam tractent: tunc præsumitur matrimonium. At uerò cap. unicum, quod citant, de desponsa. impub. lib. 6. id non planè conuincit: quippe ubi nihil aliud habetur, quàm quòd eiusmodi sponsalia per carnis copulam uel aliquem modum alium cum eiusdem perseuerantia uoluntatis pòst pubertatem consummantur in matrimonium. Glossa tamẽ super uerb. modum alium, ait quòd si simul cohabitauerint, fit matrimonium. Verum tamen non est tunc profectò tanta præsumptio iuris, quanta si intercessisset copula: & ideo citra illam non sunt cogẽdi.

Sylues.

Cap. Vn cum de sponsal in 6.

Glossa iusdem

Solutio mi argu

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd etsi qui per copulam commiscentur facto consentiant in carnalem copulam non tamen eadem ratione uerè cõsentiunt in matrimonium, sed secundum præsumptionem & interpretationem iuris, nisi affectus connubialis accedat. ¶Et per hoc respondetur ad secundum, quòd licet eadem commistio sit interpretatio in foro exteriori matrimonij: non tamen ueritatem mutat, si consensus desit.

Solutio eundi

¶Ad tertium denique respondetur, quòd si puella consentiat rem cum sponso habere, credens bona fide illi in animo esse matrimonium consummare: quia non prę sentiscit contraria signa, non peccat. Nihilominus si uiri animus non erat affectu coniugali accedere, nihil fit: & ideo si transmigret ad secundas nuptias, solùm tenetur uiolatæ puellæ satisfacere, ut supra expositum est.

Solutio tij argu

ARTICVLVS V.

Vtrùm sponsalia legitimè ualeant aliquibus modis dirimi.

Solutio du bij.

TAndem de dissolutione sponsaliorum disputandum superest: & ideo arguitur, quod nõ possint per ingressum religionis dirimi. Quia quod uni promissum est (ut pecunia) non potest alteri erogari: sed per

Partis negatiuæ argumentũ primum.

per sponsalia uterque se alteri pollicetur: ergo illa pollicitatio non potest per religionem quassari. ¶Et eadem ratione arguitur, quòd nec dirimãtur, per hoc quod alter sponsorum in longinquam regionẽ peregre proficiscatur, neque per aliã quãcunque uiam. ¶In contrarium tamen est ecclesiæ usus, & præterea ratio: nam cùm non habeant, ut dictum est, uim matrimonij, sit quòd si uterq; uel alter ad aliud matrimonium commigrauerit, priora sponsalia dirimantur.

2. argum.

Pars affirmatiua.

Effectus spõsaliorũ

¶Hic primum supponendus est sponsaliorum supradictus effectus: nascitur enim ex illis obligatio ad contrahendum matrimonium, uel tempore præfixo, si præfinitum est, uel aduenientem decente opportunitate, ut sponsi non sint in mora. Hic autem effectus oriri intelligitur, quando ipsi post septennium sibi se inuicem sponderunt, uel si parentes ante illam ætatem sponsalia pro illis pascisserentur, & sponsi ipsi completo eodem septennio uel consenserunt, uel scientes tacuerunt: aliqui nulla pullulat obligatio. ¶Hoc tamen non obstante statuitur conclusio. Sponsalia quam plurimis modis legitimè dirimũtur. Primus modus est sponsalibus cũ matrimonio non consummato communis: scilicet, per ingressum religionis. Imò uerò, ut Syl. ver. Sponsalia. §. 10. ait, non est tũc expectanda professio, ut in matrimonio: sed quum primùm unus sponsorum habitum induit, alter potest ad alia uota euolare: nam quanuis cap. Veniẽs. extra qui mo nachi uel uouen. quod citat id clarè non definiat: ratio tamen uidetur id persuadere, eo quòd per sponsalia non fit matrimonium perfectum, quòd quidem usque ad professionem, ut dictum est, non dirimitur. Quam ob rem qui habitum induit, eo ipso infirmat quòd sponsaliorum fidei nolit stare, sed propositum reuocauerit. Nec propter eiusmodi sponsaliorum dissolutionem incurritur arrhas amitendi pœnal. Deo nobis. C. de epis. & cleri. ¶Dubium hic tamen nobis offert cap. Commissum. de sponsalib. ubi habetur, quòd si quis spõsalia iurauit, & postea ad frugem melioris status suspirat, tutius ei est iuramento seruato contrahere: & tunc demum ad religionem migrare. Id quod subinde Sco. d. 30. q. 2. seruãdum arbitratur. At uerò profectò cap. illud, ut Syl. & dist. 28. Palud. q. 1. censent, potiùs glossandum est, ut glossator illud interpretatur, quàm ut in superficie sonare uidetur, sit obseruãdum. Enimuerò cùm religio sit excelsior status quàm matrimonium, non dubium, quin sicut in spõsalibus iure ipso intelligitur exceptio, nisi alter sponsorum ad religionem uoluerit migrare, eadem ipsa subintelligatur in iuramento, quo sponsalia confirmantur: quia iurare nemo id debet, nec præsumitur, quod est contra consilium euangelicum. Quapropter hoc iuramento non obstante potest uterque ad religionem ascendere: neque est consulendum, ut priùs contrahat matrimonium. Esset quippe uanum illud illo animo contrahere, ut statim ante copulam dissolueretur. Imò uerò iuramentum tunc non impleretur eo proposito, quo factum fuerat, neque in eo sensu, quo alter ipsum susceperat: nam sponsaliorum iuramentum eo animo fieri solet & debet, ut matrimonium consummetur. Adde quòd puellæ manenti in seculo nõ nihil iniuriæ irrogaretur, si qui non habebat propositum consummandi matrimonium: consensum de præsenti ab illa extorqueret, quam protinus erat relicturus. Textus ergo illa sit glossa contentus, quòd in telligatur, tutius esse seruare iuramẽtum, & postea intrare religionem. Non quidẽ re uera tutius, sed secundùm uulgi opinionem, ne ille censeatur de facto contra iuramentum uenire. ¶Atqui quod de ingressu religionis dictum est, id ipsum de susceptione sacrorum ordinum intelligẽdum, propter uotum castitatis annexum: per quod utique licèt non matrimonium, tamen spõsalia legitimè dirimuntur. ¶Vtrũ uerò per uotum simplex castitatis dirimãtur, disputari assolet. Attamen in dubium euocari non debet, quominus tale uotum sit licitum, atq; adeò sponsalia dirimens quum sit melioris frugis, quæ ideo exceptio semper in sponsalibus implicatur. Innocen. tamen & Hostien. ut Syl. uerb. Spõsalia. §. 7. refert, autumant, illum sic uouẽtem cogendum, uel religionem profiteri, uel matrimonium conficere: Rationẽ autẽ huius non uideo: nam quum spõsalia nõ faciant matrimonium, liberum utriq; est uotũ simplex castitatis extra religionem seruare, secùs de matrimonio rato. Quare alter sponsorũ qui nõ uouit, liber tunc manet, ut ad alia queat uota commigrare.

Dubiũ ex c. commissum.

Scot.

Iuramẽtũ in sponsalibus quo animo apponatur.

Glossa. ca. Cõmissũ.

Sponsaliæ an per simplex uotũ castitatis dirimãtur.

Opinio Hostien.

¶Reliqui

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶Reliqui casus sunt sponsalibus peculiares. Secundus ergo est, dum alter ad secunda cõnubia se transfert per uerba de præsenti, aut de futuro cum carnali copula, ut c. Si inter uirum, de spõsalib. & c. De illis. ubi habetur, q̃ ét si sponsalia fuerint iuramento confirmata, dirimantur per consensum de præsenti cũ altera. Vnde in c. 1. de sponsa duorum & c. fi. 27. q. 1. distinguitur inter fidem pactionis & fidem consensus: fides nanq; sponsaliorum uel simpliciter, uel sub aliqua conditione, dicitur fides pactionis, quæ quidem dissoluitur per consensum de præsenti cum altera subsecutũ. Fides uerò consensus est, qñ interuenit cõsensus de præsenti, & fit indissolubile matrimonium. Ratio huiusmodi dissolutionis sponsaliorum est, q̃ cùm non faciat matrimonium, integrum est sponsis ad alias nuptias se conferre: licèt mortaliter delinquãt, si sine cã id faciãt. Quare in his duobus casibus, ut ait D. Tho. ipso iure spõsalia dirimũtur: in reliquis uerò debẽt, inqt, dirimi iudicio ecclesiæ. ¶Tametsi hoc secundũ ego non planè intelligã. Tertius nãq; accedit ét casus, quo ipso iure dirimũtur sponsalia: nempe, quando celebrantur ante annos nubiles pubertatis. s. duodecimum fœminæ & quartumdecimum uiri. Tunc. n. si ille, qui minor ætate consenserat, annos pubertatis ingressus illico dissẽtiat: sponsalia ipso iure dirimuntur, ut habetur c. de illis. 1. & c. Nobis. de despõ. impub. quanuis nulla alia causa interueniat, quàm mera uoluntas, ut ait Pan. ¶Quarta causa est, cõis amborum consensus, dissociare se sua sponte uolentium, ut c. Præterea. 1. de sponsal. Neque ualida est, inquit, S. Tho. quorundam opinio hunc casum non recipientium, dicentiumq; adeò potius ecclesiam hoc sustinere, ne peius eueniat, quàm quod fit de iure. Hic enim cauillus uerbis decretalis aduersus est, ubi hãbetur, quòd qui se adinuicem admittere noluerint, hoc possit in patientia tolerari, ne forte inde deterius contingat: ut talem scilicet quis ducat, quam odio habet. Quibus uerbis ecclesia decernit, q̃ possũt sibi utrinque relaxare fidẽ, instar eorum, qui societatem interpositione fidei cõtrahunt, & postea eandem sibi remittunt.

Fides consensus.

Tertius casus.

Quartus casus.

S. Tho.

Quintuscasus.

¶Quintus casus huic proximus est, quãdo unus sponsorum renuit matr monũ cum altero cõtrahere: tunc enim cùm fides fuerit mutuò data, alter manet liber. Et si terminus matrimonio contrahendo fuerat præfixus, eo transacto ille, per quem non steterat, solutus fit promissionis uinculo, ut habetur c. Sicut ex literis, de sponsali.

Dubium.

¶Quòd si scisciteris, cur postquàm sponsalia conscientiam ligant, non compelluntur sponsi ab ecclesia promissæ fidei stare? Præsertim ille, qui renuit altero annuente, quandoquidem in reliquis ciuilibus cõtractibus compellantur à iudice contrahẽtes pacta seruare. Respondet Pontifex, c. Præterea, citato, id salubriter fieri: quia bono cõsulitur matrimonij, quod utique, nisi summa cum libertatẽ concilietur, perpetuam nequit firmitatẽ habere. Et ideo non est par ratio de hoc & de reliquis contractibus. ¶Sextus casus est, quando sponsalia cum conditione fiunt. Tunc. n. si ille, cui incumbit, conditionem non seruet, ut si puella non soluat promissam dotẽ sponsalia nullius sunt uigoris, ut c. De illis, de conditio. appos. Et idẽ est de omnibus conditionibus iudicium, si modò possibiles sint & honestæ, ut di. 29. dicturi sumus.

Solutio.

Sextus casus.

¶Septimò dirimuntur propter crimen: nẽpe: propter fornicationem, quæ quidem licèt matrimonium non nisi quoad torum dirimere ualeat, sponsalia tamen prorsus dissoluit, etiam si fuerint iureiurando confirmata: uidelicet, si fornicatio sponsalia subsequatur, secus si antecesserit, ut habetur cap. Quemadmodum, de iureiurando. Et intelligitur in po: estate innocentis esse sponsalia dissoluere: nam reus, si innocens consentit, resilire non potest: quippe cui proprium peccatum non debet patrocinari. Neque refert puellam per uim aut sponte fuisse fornicatam. Quinuerò si ante sponsalia credebatur uirgo, & postea ante consensum de præsenti inuenta est corrupta, potest sponsus à promissõ recedere. Adde quòd etiam spiritualis fornicatio, ut dum alter sponsorum in hæresim labitur, aut in apostasiam, dirimit sponsalia. ¶Octauò dirimuntur per superuenientem affinitatem, ut si alter cum alterius consanguineo se carnaliter cõmiscuerit. 27. q. 2. Siquis sponsam. & cap. Ex literis. de eo qui cogno. consang. uxor. aut si alterius filium de fonte leuauerit: uel propter aliud quodcunq; iuris impedimẽtum, aut scandalum, quod matrimonio cõtrahendo aduersetur, iuxta tenorem cap.

Septimus casus.

Octauus casus.

Nota.

Cum

Nonus casus.

Cum in tua. de sponsalib. ¶Nonò quando alter lepram uel paralysim incurrit, uisu ue aut naso orbatur, aut aliquam fœditatem contrahit. ca. Literas, de coniug. leprof. Rationem subdit S. Th. quod si cùm sibi ipsi sponsi displicent, coniugari compellerentur, non posset res bonum exitũ habere. Secus si id genus morbi sponsalibus antecesserit, & fuerit prænotus. ¶Decimo, quando alter in longinquam regionem commigrauit: iure enim ciuili diffinitur biennium quod debet sponsa sponsum expectare, ut C. de sponsalib. l. 2. Sed tamen iure Pontificio nullum præscribitur expectandi necessarium tempus: & ideo ille, per quem non stetit, quominus matrimonium perficeretur, illico potest ad alias euolare nuptias: quia alter per suum discessum ad remotas gentes censetur suo renuntiare iuri, nisi de alterius licentia fuerit profectus, cap. De illis, de sponsalib. ¶Vndecimò, si causa grauium inimicitiarum inter sponsos intercesserit, aut atrox sæuitia sponsi uel sponsæ antea inopinata, postmodum comperta fuerit, ut cap. dilectus de sponsa. In summa, plures causas potest experientia docere, ob quas, saltem iudicio ecclesiæ, possint sponsalia dirimi.

Ratio S. Tho.

Decimus casus.

Vndecimus casus.

Solutio argumentorum

¶Et per hoc responsum ad capitale argumentum restat. Per sponsalia nanque neuter traditur in possessionem alterius, sed promittitur: & quum matrimonium sit res, ubi tantam oportet circunspectionẽ adhiberi, ratio fert, ut tot de causis eiusmodi pollicitatio quassetur.

QVAESTIO TERTIA
de bigamia.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm per bigamiam irregularitas contrahatur.

Scitu sponsalia uia sunt ad matrimonium, ita & bigamia multiplicatio est matrimonij: ob idque præsens distinctio de illa quæstionem exposcit, eo quod huiusmodi matrimonij congeminatio, licèt per se uitiũ non sit, uitio tamen datur ijs, qui sacris ordinibus initiari cupiunt. Quæritur ergo, utrùm per bigamiam ad sacros ordines irregularitas contrahatur. Et arguitur à parte negatiua. Peius est cum pluribus fornicari, quàm pluribus, saltem successiuè, uxoribus copulari & maius præ se fert concupiscentiæ indicium: fornicatio autem iterata nullam habet irregularitatem annexam: ergo neque matrimonium. ¶Secundò arguitur. Plures simul habere uxores, unam scilicet de iure, & alteram de facto, irregularitatem non uidetur inducere: ergo neque illas habere successiuè: quoniam hoc licitum est, illud uerò minimè. Antecedens uerò probatur: quoniam matrimonium de facto contra ius intentatum, non est uerum matrimonium: atque adeò neque bigamiam constituere uidetur. ¶Tertiò arguitur. Si ex bigamia irregularitas aliqua nascitur, uel hoc habet ratione sacramenti, uel ratione carnalis copulæ: non secundum, ut modò dicebamus: nam alioqui ex fornicatione pariter oriretur: neque ratione primi: nam aliàs si quis matrimonium contraheret per uerba de præsenti, quod per copulam non consummasset, & illa mortua cõsummasset matrimonium cum altera, esset bigamus, cuius contrarium decernit Innocen. cap. Debitum, de bigamis. ¶In contrarium est illud Paul. 1. ad Timoth. 3. quo admonet, episcopum debere esse unius uxoris uirum, ubi nomine episcopi omnes sacerdotes comprehendit: quare & in diaconibus eandem conditionem exposcit.

Partis negatiuæ argumentum primum.

Secundi arg umen.

Tertiũ ar.

Pars affirmatiua.

¶Bigamus & digamus idem est, quod homo, qui binas contraxit nuptias: & monogamus qui unis solis est contentus, γάμος enim græce, idem est quod nuptiæ a γαμέω quod est nubo. Vnde bigamia in omni extitit lege. In lege quippe naturæ Lamech, qui fuit septimus ab Adã per Cayn uel inde pessimus censetur, quod primus fuit, qui duas uxores duxerit: ut Gene. 4. legitur, & 31. q. 1. cap. Quomodo. citatur: ueluti Enoch septimus itidem ab Adam per Seth tanquam optimum scriptura cõmendat, quem ideò mortis expertem Deus uiuum substulit. Deinde & in lege Mosayca polygamia fuit etiam celebris: nempe uxorum pluralitas. De qua re dist. 33. rediturus nobis est sermo. Atuerò enim ante legẽ euãgelicã nulla fuerint sanctificantia

Bigamus quid.

Bigamia in omni lege.

In lege Mosayca.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctificantia ſacramenta, quæ ideo in miniſtris ſanctitatis dignitatem hac ratione depoſcerent, neque uerò matrimonium indiſſolubilem unionem Chriſti cum noſtra humanitate factam deſignaret, nulla erat bigamiæ irregularitas annexa. Id circo eiuſmodi irregularitas, ſub lege euangelica cœpit, quæ ideo per ſacros Canones eſt perpendenda. Dictum eſt autem. q. 1. (quod ad hoc propoſitum Innoc. ca. Debitum. de bigamis inducit) in matrimonio rato non conſummato ſignificari unionem Chriſti & eccleſiæ ſecundum animam, hoc eſt, ſecundum charitatem: in matrimonio uerò conſummato deſignari unionem eiuſdem Chriſti ſecundùm corpus: hoc eſt, humanitatis aſſumptionem, cuius partes nunquam dimiſit: atque adeò eiuſmodi conſummatum matrimonium perfectam Chriſti unionem & eccleſiæ demonſtrare. Quam ob rem eccleſia nemi-nem cenſet ſimpliciter bigamum: hoc eſt, irregularem, propter duo aut duodecim matrimonia contracta per uerba de præſenti, niſi duo ſaltem conſummauerit. Et in hoc repudiatur Magiſter ſentent. qui præſenti diſt. tenuit, ſolos conſenſus de præſenti in duo matrimonia citra copulam conſtituere bigamũ. Definitur enim contrarium in prælegato ca. Debitum. Quare multò minùs iterata ſponſalia ſufficiunt. Neque uerò fornicationes aut adulteria iterata, ut habetur cap. Quia circa. eod. tit. niſi matrimonijs de iure aut facto ſuperuenerit copula. ¶Nihilominus maioris claritatis gratia duplex poteſt diſtingui bigamiæ genus: uerum ſcilicet, & interpretatiũum, ut habet gloſſa cap. Super eo. de bigamis. Verum eſt, ubi duo uera matrimonia fuerunt conſummata. Interpretatiuum autem, ubi unum fuit uerum, & aliud de facto intentatum. Vnde. D. Th. quatuor deſignat bigamiæ modos. Primus eſt, dum quis ſucceſſiuè duas habuit legitimas uxores, quas cognouit. Et hæc eſt ueriſſima bigamia. Secundus, quũ quis plures ſimul habet uxores, cum quibus per uerba de præſenti cõtraxit: prior enim eſt legitima, poſterior uerò non niſi de facto. Tertius, cum plures, habuit ſucceſſiuè, unam de iure, & alteram de facto. Quare iſti duo modi ſolum interpretatiuè dicuntur bigamia. Et ſunt intelligendi, ut bene ait Ricardus diſt. præſenti. arg. 4.

Innocen.

Bigamia duobus matrimonijs conſummatis contrahitur.

Duplex bigamiæ genus.

Quatuor bigamiæ modi.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Ricardus.

q. 1. quando ille ambas cognouit: alioqui non contrahitur irregularitas. Quartus modus eſt, quando quis uiduam atque ab alio uiro cognitam ducit uxorem: nam niſi illa matrimonium prius conſummauerit, ille nõ fit bigamus. Et iſte etiam quartus modus eſt uera bigamia: eo quod fuerint duo matrimonia ex parte uxoris. Sũt autem præter duos nominatos alij etiam tres modi interpretatiuæ bigamiæ.

Quartus.

¶Quintus ergo eſt, quando quis contrahit conſummatq; matrimonium cum illa, quæ ab alio fuerat per fornicationem ſiue ipſe id ſciuerit, ſiue ignorauerit corrupta. ¶Et ſextus ubi quis propriam uxorem cognoſcit, poſtquam fuerat cum alio adulterata.

Quintus.

Sextus.

¶Septimus demum, quando quiſpiam poſt uotum emiſſum ſolenne caſtitatis contrahit de facto matrimonium, licet iure ſit nullum.

Septimus.

¶His præhabitis ad quæſtionem ſex concluſionibus reſpondetur. Prima. Per bigamiam primi modi: ſcilicet, per matrimonium cum duabus uxoribus ſucceſſiuè cõſummatum contrahitur irregularitas. Cõcluſio eſt concilij Aurelianen. cap. 1 de bigamis. & cap. Super eod. priuantur officio eorum ordinatores. Idem habetur ca. Debitum. & multis alijs. Ratio autem huiuſmodi irregularitatis eſt duplex. Prior ſumitur ex ſignificatione: nam cùm per ſacrorum ordinum ſuſceptionem miniſtri ſacramentorum inſtituantur, decentiſſimum fuit, ut qui huiuſmodi ſacris ordinibus initiarentur, nullo eſſent commaculati defectu: cùm uerò ſacramentum matrimonij in noua lege indiuiduam, ut dictũ eſt, coniunctionem Chriſti & eccleſiæ deſignet, macula cenſeretur, ſi qui ad hos ordines promouetur, eandem integram ſignificationem non haberet, quæ in ſingulari matrimonij unitate perficitur. Bigamus nanque in plures ſuam carnem diuidit: cum Chriſtus unicam ſibi eccleſiam uno ſcilicet baptiſmate & fide copulauit. Vnde Canti. 6. Vna eſt columba mea &c.

Prima concluſio.

Conci. Aurelianen.

Ratio irregularitatis.

¶Poſterior uerò ratio ſumitur ex ſanctitate & candore, qui eiuſmodi miniſtris debet eſſe cognatus: qui enim uno ac ſubinde altero matrimonio complicatur, indicium præ ſe fert nimiæ incontinentiæ, quæ eiuſmodi miniſtros dedecorat.

Ratio ſecunda.

¶Hæſitabit autem quis forſan, an huiuſmodi

An huiuſmodi irregularitasbi gamiæ ſit de iure diuino.

Sententia autoris.

Ratio optima.

Nota.

modi irregularitas ſit de iure diuino: nam canonum interpretes qui in cortice de iure diuino iudicant, id ſibi facilè perſuadebunt: propterea quod Paul. 1. ad Timoth. 3. admonet, epiſcopum & ſacerdotem debere eſſe unius uxoris uirum, ubi ad literam huiuſmodi bigamiam reprobat plurium ſucceſſiuè uxorum. Et quicquid in ſacra pagina illi legunt, in iure diuino reponunt. Et adijcitur argumentum, quod cap. Super eo. propter autoritatem Pauli cauetur, ne diſpenſatio fiat cum bigamis. At uerò ſi ius diuinum propriè accipiatur irregularitas bigamiæ non eſt de iure diuino: alioqui nullam Pontificis diſpenſationem admitteret, cuius contrarium ar. 3. monſtrabitur. Item, de iure diuino in ſacramentis id duntaxat exiſtit, quod ad eorum eſſentiam ſpectat: de eſſentia uerò ſacramenti ordinis non eſt ut ſuſceptor ſit unius uxoris uir: ſi enim bigamus ordinaretur, uerum eſſet ſacramentum: non ergo eſt propriè de iure diuino. Neque uerò de iure naturæ, quatenus matrimoniũ ciuilis contractus eſt. ¶Adnotandũ ergo, q̃ Apoſtoli non erãt tantum apoſtoli, uerum & eccleſiæ rectores & paſtores, ſicut modò eſt ſummus & reliqui põtifices. Vnde quatenus apoſtoli utebantur ſpiritu p̃phetico: quo ſacram ſcripturam condebant: ſed quatenus paſtores & prælati ſtatuebant in concilio leges, ut Actuum. 15. & conſilia dabant, ut 1. ad Cor. 7. Præceptũ domini non habeo, cõſiliũ aũt do. Et ſic Paul. tanquàm rẽ decentiſſimam & ſignificationi connubij Chriſti aptã admonuit, ut ſacerdos eſſet unius uxoris uir, ueluti ut eſſet hoſpitalis & pudicus, neq; eſſet uinolentus &c. Et hac ratione canones idem Paulinum teſtimonium ad hoc propoſitum citant. Sed de ca. Super eo. in ſeriùs art. 3. ¶Secunda cõcluſio. Ex bigamia ſecundi & tertij modi, plurium ſcilicet uxorum, unius de iure & alterius de facto, ſiue ſucceſſiuè ſiue ſimul cõtrahitur irregularitas. Concluſio eſt Inno. 3. ca. Nuper. de bigamis. ubi ait, q̃ licet illi nõ ſint uerè bigami: quia non ſunt duobus ueris matrimonijs addicti, ſunt nihilominus bigami, quia quantum in ipſis fuit, ſecũdas mulieres ſibi mſimonialiter cõiunxerũt. Quare reputant, inquit, bigami, non propter ſacramẽti defectum: quia nõ fuerunt duo ſacramenta, & ideo non defuit ſignificatio coniunctionis Chriſti & eccleſiæ: ſed propter affectum intentionis cum opere ſubſecuto: ſcilicet, cum carnali copula, atq; adeò fuit aliqua ſimilitudo & interpretatio duorum matrimoniorum. Et ſubdit Papa exemplum de clerico in can. Presbyterum. di. 28. ubi refertur, quod presbyter orientalis eccleſiæ mortua prima uxore contraxit cum ſecunda, de facto quidem, ſed non legalibus nuptijs. Ob quod facinus tanquàm irregularis ſuſpenſus eſt ab officio. ¶Dubium tamen eſt, utrùm ſi quis duo matrimonia ambo de facto contraxerit & conſummauerit, neutrum tamen de iure: quia ſcilicet contraxit cum conſanguineis, uel alio impedimẽto cohibitus, reputandus ſit bigamus. Põtifex enim ibidem hũc caſum arguendo inducit, ſed non clarè decidit. Nihilominus. Palud. diſt. præſenti. q. 4. cenſet, illum eſſe bigamum. Et ita eſt credendum: quia sũt duo interpretatiua matrimonia. ¶Tertia cõcluſio. Bigamia quarti generis, cùm quis ſ. uiduam ab alio uiro cognitam ducit, ſecum affert irregularitatem. Definitio eſt cap. De bigamis. & Debitum. eod. tit. quibus cauetur, ne bigamus aut maritus uiduæ ad ſacros ordines promoueat: ubi innuitur, hunc non eſſe propriè bigamũ: quia non cõtraxit duo matrimonia: ſed quia duo ex parte fœminæ fuerunt. Ratio autẽ huius concluſionis eſt: quia in unitate & coniunctione Chriſti & eccleſiç: unitas utrinq; inuenitur: nam eccleſiæ unicus fuit ſponſus: nempe, Chriſtus: & Chriſti uiciſſim unica ſponſa: ſcilicet, eccleſia, in quã unicũ eſt baptiſma, & unica fides. Vnde Paul. 2. ad Cor. 11. Deſpondi. n. uos uni uiro urginẽ caſtã exhibere Chriſto. Quocirca ſynceritas matrimonij illius, qui ad ſacros ordines eſt promouẽdus poſtulat, ut nõ ſolũ ex parte ipſius, uerũ etiã ex parte uxoris unicũ ſit matrimoniũ. Et intelligitur uidua ea etiam, quæ à marito fuerit repudiata, dũmodo ab ipſo fuerit cognita, ut habetur can. Qui in aliquo. d. 51. ¶Quarta concluſio. Quintus modus bigamiæ, quum quis uidelicet duxerit uxorẽ corruptam, licet non fuerit uidua, in ducit irregularitatẽ. Quã quodammodo contrarijs prædictis uerbis dãnare uidet Paulus, Deſpondi uos uirginẽ caſtam &c. De hoc eſt tex. eod. can. Qui in aliquo. & extra Qui cleri. uel uo. ca. 1. ubi doctores

Secunda concluſio.

Ratio Inn.

Exẽplum.

Dubium.

Paludanus

Tertia cõcluſio.

Ratio concluſionis.

Quarta cõcluſio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

adnotant,ut Palud. & Syl. & Canoniſtæ. Imò & S.Th.impræſentiarum, quòd etiã ſi ille corruptionem ſponſæ ignorauerit, putans fuiſſe uirginem,ſi poſtea conſtiterit, non poteſt ſacros ordines ſuſcipere.

Ratio Sancti Thom.

Cuius rationẽ ſubdit D.Tho. quia irregularitas nõ eſt pœna inflicta pro culpa, ſed propter defectum ſignificationis ſacramẽti:& ideo etiam præter uoluntatem poteſt contrahi.

Obiectio.

¶Exiſtit tamẽ in contrariũ argumentum. Plus impeditur homo defectu proprio quàm alieno: ſi uerò homo corruptus ducat uirginem non fit bigamus:ergo nec cùm ducit corruptam. Reſpondetur maiore perempta. Diſcriminis autem huius cauſam decretiſtæ, ut ait D. Tho.eam aſſignant,quòd epiſcopus atq; adeò ſacerdos ſignificat eccleſiam militãtem,cuius curã gerit: in qua eccleſia ſunt corruptiones multæ: & ideo corruptio ſponſi in uiris obſtat: ſponſa uerò ſignificat Chriſtum,qui fuit uirgo. At uerò commentũ hoc nullum eſt:quoniam Chriſtum per ſponſam ſignificari falſiſſimum eſt,cõtra illud Paul.ad Epheſ.5. Viri diligite uxores ueſtras,ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam,ubi ſignificatur Chriſtus ut ſponſus & eccleſia ut ſponſa. Ob idq; ſubdit quòd uir eſt caput mulieris, ſicut Chriſtus eccleſiæ.Et ſecunda ad Corint.11.Deſpondi uos uni uiro uirginem,&c.id eſt,Chriſto. Alij uerò dicunt,per ſponſam ſignificari eccleſiam triumphantem,cuius nulla eſt macula: Chriſtus autem eius ſponſus primò aſſociauit ſibi ſynagogam ceu concubinam:& ideo nihil deperit ſignificationi ſacramẽti propter ſponſi corruptionẽ.

Redarguſtur decretiſtæ.

Ratio aliorum.

Impugnatur ratio.

Hoc autem interpretamentum perabſurdum eſt:quia ſynagoga non fuit concubina Chriſti,ſed uera uxor,quoniam una eademque fuit antiquorum fides & noſtra: quod enim illa ſignificabat futurum, noſtra ſignificat factum.Quare Ieremiæ.3. & Ezechielis.16.& Oſeæ.2. memoratur ſponſatio Meſſiæ & ſynagogæ. Rei ergo ueritas ſic habet:quòd mulier non poteſt eſſe irregularis,ſed ſolus uir:eò quòd ipſa non eſt ordinibus ſuſcipiendis idonea. Defectus autem,qui cauſa eſt irregularitatis eſt ille, qui in ſacramento committitur, non autem ille,qui eſt extra ſacramentũ: corruptio autem uiri ante matrimonium extra ipſum ſacramentum eſt:ſed cum ipſe ſibi corruptam matrimonio coniungit, ipſum uitiat eius ſignificationem tollens: nam motus ex termino ſpecificatur,& matrimonium uiri terminatur ad fœminam: & ideo contrahens cum corrupta fit irregularis.Et pari ſorte,ſi ipſa poſſet eſſe irregularis,irregularitatem contraheret nubendo ei,qui corruptus eſt.

Autoris ratio.

Nota caſũ.

¶Si autem quis uirginem defloruerit, quam poſtea ducit,cum qua & matrimonium conſummat ſunt,qui dicant, perinde fieri bigamum,ac ſi ab alio fuiſſet corrupta.Sed probabilius eſt,inquit S.Th. quin uerò itatenendum eſt,quòd non ſit bigamus: quia neque ipſe neque ipſa carnem ſuam diuiſit in plures.

Opinio quorundã.

Opinio S. Thomæ.

¶Quinta concluſio. Sextum genus bigamiæ:nempe,dum maritus poſt quam uxor cum alio rem habuit,eam cognouerit,irregularem facit ſecundum probabiliorem opinionem,ut ait S. Th.dicẽs quòd licet de hoc ſint opiniones,hæc tamen eſt probabilior & tenenda, quanuis dum eam cognouit,eius ignorauerit adulterium,uel illud ſciens ei indulſerit:& quãquam fuerit ab eccleſia compulſus cum illa habitare,quia fortaſſe adulterium in iudicio non probauit. In quocunque ergo caſu ſit ille irregularis, non propter pœnam culpæ,ſed propter defectum, ut modò dicebamus,ſignificationis,ueluti ſi corruptam duxiſſet: quæ ideo irregularitas contra uoluntatẽ quoq; contrahi poteſt.

Quinta concluſio.

Probabilior opinio.

Pro hac cõcluſione citãtur canones. Si cuius.& ſi laici.34.d.

Sexta concluſio.

¶Sexta cõcluſio.Ex poſtremo deniq; bigamiæ genere:ſcilicet dũ quis poſt uotũ ſoléne caſtitatis matrimoniũ de facto cõtrahit:irregularitas ſubortitur,ut patet cap.ſupra citato. Presbyterũ. 28.d.quanquàm illic ſermo habeatur de illo,q̃ ante ordines fuerat cõiugatus,& illis ſuſceptis aliud matrimoniũ de facto cõtraxerat.Sed eſt præterea tex.can. Quotquot.27.q.1.& ca. Nuper. de bigamis. ubi ſancitur,q̃ cũ illis nõ diſpenſetur,licet in ueritate bigami non exiſtãt. Matrimoniũ nanq; ſpirituale,qd̃ uoto cõtraxerãt, q̃ aliud de facto carnale uiolarũt.

Can. presbyterum.

Ca.Nuper.

¶Ex ſuperiorib.ergo ſolutũ reſtat primũ argumentũ:nã quis fornicatio & adulteriũ peiora ſint quã plures ducere uxores: imo hoc nõ eſt malũ (ſucceſſiuè id modò fiat) tñ nõ uitiat ſignificationes unitatis ſacramenti ſicut uitiãt matrimonia multiplicata.Et quãuis maiorẽ fornicatio oſtendat concupiſcentiam,non tamen eam penitus inhærentem

Sol.1.arg.

Sol.2.arg. inhærentem & tam perpetuam quàm matrimonia,quæ multiplicantur.

Sol.3.arg.

¶Ad ſecundum quoque ſatis reſponſum eſt. quòd licet matrimonia non iuridica,ſed de facto intentata non ſint uera:nihilominus propter ſimilitudinem matrimonij & contrahentis affectum irregularitatem inducũt.

¶Ad tertium deniq; iam ſupradictũ eſt propter ambas rationes: ſcilicet, & propter defectum ſignificationis, & propter concupiſcentiam bigamiæ irregularitatem annecti: ſed tamen requiritur quòd ſint duo ſaltem matrimonia, uel de iure uel de facto ambo conſummata.

ARTICVLVS II.

Vtrùm per baptiſmum bigamia ſoluatur.

Partis affirmatiuæ ar. primum.

QVæritur iam de ſolutione bigamiæ, utrùm ſcilicet per baptiſmum ſoluatur.Et arguitur à parte affirmatiua. Id,quod tollit maius à fortiori tollit minus:ſed baptiſmus tollit omne peccatum, ut ſuo loco dictum fuit,& omnem pœnam:ergo irregularitatem.

Secundum arg.

¶Secundò.Bigamia contrahitur ex defectu ſignificationis unionis Chriſti cum eccleſia:hæc autem non fuit ante nouam legem:ergo matrimonium antea contractum non debet in numerum recenſeri ad bigamiam contrahendam.

Pars negatiua.

¶In contrarium eſt autoritas Aug. can. Acutius.28. q.3.

Hieronymi opinio.

¶De hac re diſſidium inter Hieronymum fuit & Auguſtinum. Hieronymus quippe,ut diſtinct.26.patet.can.Vnius uxoris.& 28.q.3. can. Oportet: cenſuit,q̃ ſi quis in infidelitate fuerit coniugatus, licet mortua uxore, aliam poſt baptiſmũ ducat, non cenſetur bigamus: quia cùm tunc fiat nouus homo:nihil qd̃ anteceſſerit debet ei obeſſe. Auguſtinus uerò, q̃ citato can. Acutius.ea.diſt.& q.refertur,cõtrarium ſentit: nempe eiuſmodi hominẽ eſſe bigamum:nam de ſacramento,inquit agitur,non de peccato:& ideo qui carnẽ ſuam in plures diuiſerit,ſiue ante ſiue poſt baptiſmum, ſignificationem non retinet unitatis ſacramenti,ſacris ordinib. ſuſcipiendis idoneam.

Auguſtini opinio.

Exemplũ.

Quemadmodũ ſi puella ante baptiſmum corrupta fuit, nõ refertur poſt baptiſmum in catalogum uirginum:atque adeò ſi quis eam coniugio ſibi copulauerit,bigamus fit,ac perinde irregularis.Quare in hac controuerſia Hierony.relinquitur,& Augu.tenetur.

Auguſtini opinio tenenda.

¶Ad primum igitur argumentum reſpondetur negando maiorem: non enim quicquid tollit maius tollit minus: niſi pariter ſit ad utrunque inſtitutum. Baptiſmus uerò inſtitutus eſt ad remiſſionem peccati & pœnarum quæ peccatis debentur,non tamen ad tollendas irregularitates:præſertim eas,quæ conſequuntur, non peccata, ſed ſignificationis defectum & indecentiam,qualis eſt hæc.

Sol.1.arg.

¶Ad ſecundum reſpõdetur,quòd licet ante nouam legem polygamia non fuerit irregularitas:quia tũc nullum erat ſacramentum ordinis: nihilominus bigamia ante baptiſmum contracta obſtat ſacramento ordinis, quod eſt nouæ legis.

Obiectio.

Quòd ſi arguas,Per baptiſmũ conformamur omnino Chriſto:ergo tunc unuſquiſque ſimpliciter eum repreſentat:atque adeò nullus reſtat bigamus.

Dilutio.

Reſpondetur ad antecedens quòd conformamur omnino ei ſecundùm mentem: ſed non ſecundùm carnem, quæ in indiuiſione carnis conſideratur.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm cum bigamo diſpenſare liceat.

Partis negatiuæ ar. primum.

TAndem quæritur de bigamiæ diſpenſatione.Et arguitur quod nullatenus diſpenſari ſuper eam liceat. Nam capi.Super eo.extra de bigamis.ait Lucius Papa, quòd cùm bigamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet. Et capitulo. Nuper. ait Innocent. quòd cum clericis, qui quantum in illis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonio coniunxerunt, tanquam cum bigamis non licet diſpenſare.

Secũdũ ar.

¶Secundò, quia ſignificatio unionis Chriſti & eccleſiæ uidetur de eſſentia ſacramenti: ſed illa ſignificatio tollitur per hoc quòd quis carnem ſuam diuidit in plures: ergo ſuper hoc non cadit diſpenſatio.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium eſt textus Martini Papæ.can. Lector. diſtinctione. 34.ubi diſpenſauit cum bigamo ut ſubdiaconus fieret.

Decisio articuli.

¶Interpretes canonũ,quia de iure diuino cenſere,nõ eſt eorũ munus, putãtes irregularitatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

gularitatem bigamiæ iure diuino contrahi, propterea quòd Apostolus monuerit, sacerdotem debere esse unius uxoris uirum, anxiè se discruciant super citato ca. Super eo. de bigamis. perscrutãtes utrùm Papa possit dispensare cum bigamis. Respondetur nihilominus duabus facillimis conclusionibus. Prima. Papa potest super irregularitate cuiuscunque bigamiæ uniuersim dispensare. ubicunque id causa exegerit. Conclusionem mos ecclesiæ celebratissimus satis comprobat, passim dispẽsantis ad omnes sacros ordines suscipiendos: nam & Lucius Papa fertur, ut S. Th. & glossator super citatum cap. Lector. & omnes referunt, dispensasse cum episcopo Panormitano, qui fuerat bigamus. Et ratio est plana: quoniã in omne ius positi uũ eò quòd ab ecclesia dimanauerit, potestatẽ habet Papa dispẽsandi: hæc autẽ irregularitas à iure positiuo, ut ar. 1. monstrauimus, uim obtinuit: Apostolus nanq; non tanquàm Christi præceptum promulgans, sed ceu pastor ecclesiæ sacerdotis decentiam docens, dixit, debere esse unius uxoris uirum uoluti & pudicum & nõ uinolentum nec percussorem &c. ergo Papa, qui eadem pastoris ratione utitur in ecclesia, potest dispensare, sicuti & Paulus si modò ecclesiæ præsideret, dispensaret. Quandoquidem ad essentiam sacramenti monogamia non attineat. Et cõfirmatur: nam similiter papa cum homicidis dispensat, licet Paulus dicat, non percussorem: uana ergo est illa collectio, non potest Papa facere de bigamo, non bigamum: ergo non potest cum eo dispensare. Enimuerò neque potest facere de homicida non homicidam, cum quo tamen dispensat. Eademq; ueritas confirmatur per capit. Presbyter. distin. 82. ubi habetur, quòd quanquam secundùm canones apostolorum fornicatores presbyteri sint deponendi: habet tamen locum super eo pontificia dispensatio. ¶ Secunda conclusio. Licet ad suscipiendos sacros ordines maiores solus Papa cum bigamo dispensare ualeat, tamen ad suscipiendos minores episcopus id præstare ualet. Prima pars ab omnibus conceditur super citato capitulo. Lector. 34. distinctione. ubi habetur quòd si quis uiduam in uxorem acceperit, in lectoratu permaneat, aut si necessitas fuerit subdiaconus fiat, id est, ad sacros ordines non promoueatur. Illic enim notant interpretes, subdiaconatum non fuisse tunc inter ordines sacros existimatum. Iam uerò neque super subdiaconatum dispensatur nisi per Pontificem maximum. Ratio est: quia ordinibus sacris annexum est continentiæ uotum, per quos adeò homo diuino cultui mancipatur. Per rationem uerò contrariam probatur secunda pars, tanquam probabilior opinio, quam S. Tho. impræsentiarum certus affirmat: cùm enim per minores ordines homo sacris nõ simpliciter mancipetur, non est cur episcopis non liceat, quandoque ordinaria pollent potestate. Franciscus ergo ille iuris peritus, qui in glossa super can. unico de bigamis. lib. 6. refertur, absque ratione ex dicto ca. intulit, episcopis eiusmodi dispensationem esse prohibitam: quia in textu nil aliud sancitur, quàm quòd bigami omni clericali priuilegio sint nudati. De dispensatione uerò nihil prohibetur. Quinimò & D. Tho. addit, quosdam dicere quòd etiam episcopi possint dispensare quantum ad maiores ordines cum religiosis, ad euitandum eorum discursum. Eiusmodi tamen opinio iam nunc more & usu non celebratur, ut bene ait Palud. dis. præsenti. q. 4. Abbates uerò, nisi ex priuilegio aut ex consuetudine, quæ priuilegij indicium sit, super bigamia dispensare ne queunt.

¶ Ad textum ergo Innoc. ca. Nuper. bene respondet d. Tho. sensum decretalis esse, quòd cum illis, qui de facto complura illegitima matrimonia contraxerunt, non liceat dispensare aliter quàm si legitima & iuridica matrimonia contraxissent, sed non negat quin sit utrunque dispensabile.

¶ Ad aliud tamen Lucij. capit. Super eod. In bigamis contra Apostolum dispensare non licet, non respondet in forma, sed respondet ad uerba Pauli, quòd quantùm ad id, quod est de iure naturali & de essentia sacramentorum, non licet contra Apostolum dispensare. Secùs in alijs, quę sunt de institutione Apostolorum, cum quibus ecclesia nunc pari fungitur potestate. Et in hoc sensu interpretandus est Lucius.

Prima conclusio.

Mos ecclesiæ.

Ratio conclusionis.

Secunda conclusio.

Ratio primæ partis.

Ratio secundæ partis.

Opinio S. Tho.

Paludanus.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

DISTIN-

DISTINCTIO VIGESIMAOCTAUA. De clandestino matrimonio.

Textus. Cap. 1.

VTrùm uerò cõsensus de præsenti quemadmodum ad matrimonium requiritur, ita sufficiat, explorãdum superest. Vbi primum omnium de clandestino matrimonio hoc ab ecclesia consultissimè cautum est, ne ullo pacto fiat: nempe, absque arbitris, quorum testimonio ecclesiæ ipsi innotescere ualeat. Nã & parentum ius prohibet, ne ipsis inscijs filij de nuptijs deliberent, & amoris nexus perpetuando matrimonio necessarius, expostulat ne leuiter concilientur. Ac demum tum absurda incommoda, quę ex clanculario matrimonio crebrescunt, tum & sacramenti religio, quod per sacerdotes celebrari decet id ipsum efflagitat. Nihilo secius quamuis in angulo abditissime per liberum mutuumque de præsenti consensum inter legitimas personas matrimonium concilietur, uerum est & solidum. Quocirca Canon illius prisci Pontificis Euaristi, quo ait legitimum non fieri coniugium nisi ab ijs, qui super ipsam fœminam dominationem habere uidentur, uxor petatur, & à parentibus desponsetur, & secundum leges dotetur, & suo tempore benedicatur &c. de solenni matrimonio auscultandus est, quod magnopere decet tali ritu & more celebrari. Vnde quod subdit. Aliter præsumpta, non coniugia, sed adulteria aut stupra censenda, intelligitur quo ad forum & æstimationem ecclesiæ: quia secundum eius sanctiones non sunt legitima: secus in foro conscientiæ. ¶ Banna uerò sic iure nominari solita: hoc est, publicæ proclamationes, quæ uetustam in quibusdam ecclesiis originem duxerunt, & ab Innocentio sunt ad totam ecclesiam generaliter proroga-

Can. Aliter 30. q. 5.

Cap. 2.

Ca. Cũ inhibitio, de clãdest. desponsa.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta, non ubique more & usu perseuerant. Imò fortasse nec tanti iam modo referunt, ut tã to sint cum rigore obseruanda. Eo potissimũ, quòd canones per nullas uel excõmunicationis, uel alius generis censuras illa fieri urgeant, atque adeò consultius sancti usque forsan esset, ut neque particulares inferioresque antistites eiusmodi censuras de bannis adhiberent.

Cap. 3. *¶ Vnde quamuis culpa sit absque legitima causa eiusmodi banna, ubi eorum consuetudo uiget, prætermittere, multa tamẽ euenire assolent, ob quæ dispensare ne fiant operæpretiũ est. Id quod episcopi præstare possunt, neque super eiusmodi dispensationibus difficiles se debent exhibere. Imò ubi constiterit nunquam aut uix unquam obseruari, sanctius esset eiusmodi bannorum ritum de medio tollere.*

DISTINCTIONIS vigesimæoctauæ. Quæst. I. De clandestino matrimo.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm clandestinum matrimonium sit ualidum.

IN superiore distinctione constitutum est, consensum per uerba de præsenti explicitũ esse causam quæ ad uinculum matrimonij est necessaria. Subsequitur ergo, ut in tribus distinctionibus exploretur, an solus ipse nudus sufficiat. In præsenti nanq; disputandum est, utrum sufficiat etiam si nuptiæ absque ulla iuris solennitate clanculò fiant: & in duabus subsequentibus disputabitur de libertate ad huiusmodi consensum necessaria. Ordo authoris.

¶Arguitur ergo quòd clandestinus consensus matrimonio contrahendo non sit satis. Perinde ecclesia prohibere uidetur matrimonia clandestina atque inter cognatos in quarto gradu. ut. 30. q. 5. & de clandest. desponsa. apparet: sed illa, quæ inter cognatos contrahuntur, nulla sunt: ergo neque clandestina. Partis negatiuæ arg. 1.

¶Secundò. Sacramẽta reliqua nõ nisi per ecclesiæ ministros perficiuntur, uno excepto baptismo propter eius extremam necessitatem: ut patet in sacramento etiam pœnitentiæ, cuius actus nisi sunt materia ueluti huius: ergo eadẽ ratione matrimoniũ, nisi per ministros ecclesiæ cõcilietur, non erit legitimum & solidum: & ea propter Euaristus can. Aliter. 30. q. 5. censet clancularia matrimonia adulteria potius uel stupra aut fornicationes quàm legitima coniugia. 2. Argum.

¶In contrarium est, quod posita causa ponitur effectus: sed consensus est sufficiens causa matrimonij, ut decernit Nicolaus cano. Sufficiat. 27. q. 2. dicens. Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum quarumq; consensu & cõiunctionibus agitur: ergo clandestinum matrimonium est ualidum. Pars affirmatiua.

¶Clãdestinum matrimonium inter canonum professores ad sex modos distinguitur, quos theologorum nonnulli ab illis mutuantur: nempe, quando ante legitimã ætatẽ contra prohibitionẽ ecclesiæ quipiã uel matrimonia cõtrahũt, uel spõsalia. etẽ qñ spõsalia quę publica iudicis autoritate essent dissoluenda, priuatim sponsi dirimunt. Decisio art.

Bifariam matrimoniũ est clãdestinum.

munt. Isti autem modi uel parum, uel cẽrtè nihil ad rem pertinent. Bifariam ergo contingit matrimonium esse clãdestinũ. Vno modo (idque maximè propriè) quãdo sit sine testibus legitimis, per quos in foro ecclesiæ possit comprobari. Atque altero, tametsi non tam propriè, quando licèt testes interfuerint, defuerunt tamen banna: hoc est, proclamationes & denunciationes, quæ iure debebant in ecclesia præcedere. Bannum quippe non est latinum nomen, sed ex Gallico factitium. Vnde Innoc. cap. Cum in tua, de sponsal. scribens episcopo Beluacensi Gallo, Bannis, inquit, ut tuis uerbis utamur. Potest & quodammodo clandestinus appellari coniugalis concubitus, qui ante solennem ecclesiæ benedictionem fit. Sermo autem præsens non est de usu, sed de matrimonio ipso dum clanculo per consensum de præsenti initur.

Bannum quid.

Secundus modus.

Matrimoniũ clandestinũ & minus solẽne nõ idem.

¶Ex his colligitur nõ esse idem matrimonium clandestinum & matrimonium minus solenne. Matrimonium quippe solenne est, quod fit cum omnibus iuris solennitatibus, quas in decreto Euaristi paulò inferius adnotabimus. s. cum dote, paranymphis & benedictionibus, &c. sed tamẽ non ob cuiusque solennitatis defectum fit clandestinum.

¶His præhabitis ad qõnem duab. respondetur conclusionib. Sunt enim apud quos clancularium matrimonium tam malè audiat, ut sibi uix persuadeant esse ualidum. Enimuerò Erasmus sup Matth. c. 9. Quod hodie, inquit, passim in scholis dictitant, solo consensu contrahi matrimonium, utinam tam probatum esset, quàm receptũ. Idq; super priorem epist. ad Cor. c. 7. amplificans ait, q̃ cum neque apud ethnicos neque apud Iudæos matrimonium esset, nisi quod parentum aut tutorum autoritate comprobaretur, tamen apud utrosque quibusdam ex causis dirimi poterat: & tamen apud Christianos, cùm parentum consensus nõ existimetur necessarius, sed sæpè inter pueros & puellas per lenones ac temulentos matrimonium copuletur, indissolubile reputatur. Nam quæ nos de consensu (inquit) uerbis de pñti de rato & non rato disserimus, humanæ sunt interpretationes, nõ oracula Dei. Sub quæ multa congeminat ad persuadendũ matrimonia pluribus de causis debere dissolui: eademq; profecto tum ex nimia licentia deprompta, tum perinde quæ silentio consultiùs sepelijsset. Igitur de matrimoniorũ diuortijs dist. 36. agendum superest, hic interim de clandestino matrimonio respondere oportet. Erasmus.

¶Sit ergo prima conclusio. Consultissimè ab ecclesia cautum est, ne clanculò matrimonia copulentur. Est enim in huiusmodi cautione rationis plurimum. Primũ siquidẽ ius naturæ, quo parẽtes in liberos funguntur, sub quorum sunt potestate, exigit ut citra eorum consensum nihil nati deliberent, de re potissimum & uinculo unde totum uitæ institutum pendet, quale est coniugium. Prima conclusio.

¶Secundò & perpetuitatis ratio, & amoris nexus, quo debent coniuges conglutinari, perq̃ maturum cõsilium in pascisendis conciliandisq; nuptijs exposcit, ne facti, q̃p leuiter contractum est, diu contrahentes pœniteat: quam ob rem plurima dissociãtur matrimonia. Id qđ puellæ præsertim aĩaduertere deberẽt: nã quo se faciliùs uiris pmittunt, satietatẽ illis citiùs & nauseã ingenerãt, ac subinde despicatius contẽnunt. Iuxta uerbũ Aug. supra citatũ can. Institutũ. 27. q. 2. Vilẽ hẽt maritus datã, q̃ non suspirauit sponsus dilatã. Ratio secunda. Auguſt.

¶Sed oĩum potissima cã & rõ est, q̃p matrimonia clãdestina sæpè consueuerũt priuatim dirimi: solent, inquã, parentes filias & filios q̃ in contrahendis matrimonijs honori suo & commodo minimè consultum curarunt, ad alias nuptias adigere. Quam ob rem quam plurimi sæpissimè solent, secunda, quæ falsa sunt matrimonia sustinẽtes, in perpetuo adulterio uiuere, & illegitimos suscipere liberos. Quin uerò & ecclesia, cui de primo legitimè non constat, illos ad scẽm cõpellit: cũ tñ, ut diximus, & J. repetituri sumus, potiùs debeat tunc coniux mortẽ perpeti, q̃ cum secundo marito in eam uxoriam consentire. Quæ quidem pericula adeò sunt tum frequentia, tum ẽt magna, ut nihil aliud sancta ecclesia, quàm rem consultissimam faceret, si rationẽ excogitaret, qua posset matrimonia clandestina: scilicet, quæ duobus tribusve saltem testib. comprobari non possent, perinde irrita ac nulla æstimare, atque illa, quæ inter cognatos in quarto gradu cõtrahuntur. De qua utiq; re in Tridẽtino concilio exijt sæpè sermo inter patres. At quia nunq̃ ad hoc sacramẽtũ puẽ Ratio potissima. In concil. Tridẽ. hac de re habitus sermo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum fuit, ab eodem interim sermone fuit superseſſum. Eſt enim res, quæ uel per ſolum œcumenicum cõcilium, uel per Summum pontif. quàm maturiſſimo conſilio poteſt debetq; adeò definiri. Et ideo nos nil hic aliud quàm quod illic diximus, repetimus. Nam ut ubique, ita hic id quod eccleſia ſancit prudentius eſt & æquius.

Concluſionis confirmatio.

¶Accedit in confirmationem huius concluſionis, quòd cùm matrimonium uerum ſit ſacramentum, ratio religionis poſtulat, ut non niſi per miniſtros eccleſiæ celebretur. quod in clandeſtinis non obſeruatur.

Euariſtus.

¶His ergo rationibus ſancti patres imbuti eiuſmodi occulta latentiaq; matrimonia inhibuerunt. Vnde uetuſtiſſimus Euariſtus Papa can. Aliter. citato. 30. q. 5. Aliter, inquit, legitimum non fit coniugium (legitimum, ſcilicet, ut leges præſcribũt) niſi ab ijs, qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere uidentur, & à quibus cuſtoditur uxor petatur, & à parentibus & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus à ſacerdote benedicatur, & à paranymphis (ut conſuetudo docet) cuſtodita & confociata à proximis congruo tempore ac ſolẽniter accipiatur, & biduò uel triduò orationibus uacent, ut caſtitatem cuſtodiant.

Paranymphi.

Paranymphi autẽ ſunt, quos uulgus patrinos uocat. Aliter uerò, inquit, præſumpta non coniugia, ſed adulteria uel contubernia uel ſtupra &c. eſſe non dubitetur: niſi uoluntas propria ſuffragauerit, & uota ſuccurrerint legitima. Idemq; cauetur cap. Nullus. & Noſtrates. atque alijs ſubſequentibus. Et Ambr. lib. Epiſt. 9. Epiſt. 1. ad Virgilium. Cùm ipſum, inquit, coniugium uelamine ſacerdotali & benedictione ſanctificare oporteat, quomodo poteſt aliter coniugium appellari? In prædicto ergo canone & apud Ambro. deſcribitur matrimonium non ſolùm publicum, ut diſtinguitur contra clandeſtinum, ſed quod eſt inſuper ſolenne: nempe, iuris ſolennitatibus exornatum.

Ambroſ.

Bãpa unde originẽ traxerint.

¶Deinde uerò ad maiorem cautelam cœperunt fieri illæ denunciationes & proclamationes in eccleſia diebus aliquot feſtis, ut impedimenta matrimonij contrahendi ſi qui noſſent, denunciarent. Et forſan mos ilte cœpit in Gallijs, ubi banna nuncupata ſunt: ut ſupra, ex cap. Cùm in tua. de ſponſal. coniecturam fecimus. Demum Inno. cap. Cùm inhibitio. de clandeſti. de ſpon. quo eiuſmodi furtiua coniugia penitius inhiberet, ſpecialem illam quorundam locorum conſuetudinem bannorum ad totam eccleſiam generaliter prorogandam ſtatuit, pœnasq; in tranſgreſſores decreuit. Eſt & clandeſtinum matrimonium legibus ciuilibus reprobatum, ut l. in ſponſalibus. 1. eodem titu. & de ritu nupt. l. Nuptiæ. ubi habetur, nuptias non conſiſtere niſi conſentiant omnes, ſub quorum poteſtate ſunt contrahentes.

Cap. Cũ inhibitio.

Secũda cõcluſio.

¶Veruntamen his minimè repugnantibus ſubnectitur ſecunda concluſio. Clandeſtinum matrimonium ſi modò per uerba de præſenti (ſemotis etiam oĩbus arbitris) fiat, ualidum eſt. Aſſertio eſt decreti, ſupra citati, Sufficiat. uigeſimaſeptima quæſtione ſecũda. ubi habetur ſolum conſenſum contrahentium ſufficere. Idemq; habetur cano. Matrimonium & cano. Omnes. Cui conſinit & lex ciuilis. Sufficit. titu. citato. Id quod diſtinctione præcedenti. quæſtione prima locupletiùs demonſtrauimus. Nihil enim magis naturale eſt, quàm ut poſſit per ſuam quiſque uoluntatem alteri ſe in coniugem tradere. Quocirca etſi decentiſſimum ſit, ut non niſi magno conſilio & deliberatione matrimonia conſœderentur, tamen quantum ad ſacramenti ſubſtantiam & contractus uinculum ſat eſt conſenſus eſſe liberos. Nam ſi propter defectum maturitatis conſilij matrimonia, ut ſupra citatus Eraſmus autumat, eſſent diſgreganda, & propter alia diſſidia & tædia, quæ inter coniuges oboriri conſueuerunt, rara eſſent quæ firma permanerent: atq; adeò ratio matrimonij, quæ in perpetuitate conſiſtit, deperiret. Venerabilis quidem Hugo. libro ſecundo de ſacra. part. undecima capit. ſexto. dicere uidetur furtiuos iſtos conſenſus, qui nullo teſtimonio probantur, irritos eſſe debere. Attamen hoc diſputando profert, non aſſerendo, nam extemplo ſubdit, quòd ſiue in manifeſtò ſiue in occulto talis ſit conſenſus, perfectum iudicatur ſacramentum coniugij.

Hugo.

Solutio primi argu.

¶Ad primum igitur argumentum negatur pari modo eſſe prohibita clandeſtina matrimonia, ut inter cognatos. Nam cognati cenſentur ab eccleſia illegitima materia mattimonij, ueluti & illi, qui uoto ſolenni religionis ſe adſtrinxerunt & ideo illa prohibitio pertinet ad eſſentiam matrimonij: ſed tamen prohibitio clandeſtini coniugij non tangit materiam aut formam, ſed modum.

Nota.

¶Vtrùm uerò eccleſia poſſit facere, ut cõſenſus abſque teſtibus nullius habeantur momenti, ſicut ſolenne uotum non approbat, niſi cum certis cæremonijs celebratum, ad iudicium ipſius eccleſiæ, ut nuperrimè dicebamus, referendum eſt, ſi de hoc ei aliquando conſultandum duxerit.

Sol. 2. arg.

¶Ad ſecundum reſpondetur, in cæteris ſacramentis nunquam ſic actus ſuſcipientium eſſe materiam ut attingant effectum ſacramẽti ſine actione miniſtri: hac enim ratione in pœnitentia abſolutio ſacerdotis eſt neceſſaria. Actus uerò contrahentium ſunt ſufficientes ad innodandum matrimonij uinculum, ac perinde ad ſacramẽtalem gratiam: & ideo ſacerdotale munus non eſt de eius eſſentia.

Parentes poſſunt de ſpõdere filios.

¶Ad aliud de parentibus, quos diximus ius habere deſponſandi filios, id planè conceditur: attamen filij non ſunt ſic ſub eorum poteſtate, ut bruta uel mancipia, quæ ſui corporis poteſtatem non habent, ſed ceu liberi, ut educẽtur ab illis: & ideò licet obedire teneantur parentibus: dum bene eis de matrimonio conſulunt, & nõ nunquam ſit mortale peccatum non eſſe eis audientes & obedientes, nihilominus propria eorum uoluntas celebrando matrimonio ſufficit. Pontifices uerò in deteſtationẽ matrimoniorũ, quæ clam fiũt, exaggerationis ſchemate appellant illa potiùs ſtupra & adulteria quàm legitima coniugia: quia non ſunt ſolennia ſecundùm tenorem legis: atque adeò in facie & iudicio eccleſiæ reputantur ſtupra & fornicationes, quanuis in foro conſcientiæ ſint uera matrimonia. Idque uidetur Euariſtus Papa inſinuaſſe in ultimis uerbis canonis, dicens non eſſe legitima coniugia, niſi uoluntas propria ſuffragauerit, & uota ſuccurrerint legitima, quaſi dixerit, ſi tamen proprij conſenſus interuenerint, quanuis occulti, uerum erit ſecundùm cõſcientiam matrimonium.

Euariſti sẽtẽtia.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm clandeſtinum matrimonium nonnunquam ſit licitum.

Partis negatiuæ argu. 1.

SVbſequitur, ut de culpa & pœna deque diſpenſatione huiuſmodi matrimonij dicamus, utrùm ſcilicet aliquãdo ſit licitum. Et arguitur à parte negatiua. Nunquàm ab eccleſiæ obedientia neque unguem deflectere licet: eccleſia autem, idque ſanctiſſimè & conſultiſſimè, furtiua hæc clandeſtinaque matrimonia inhibet: ergo ſecus facere nunquàm licet.

2. Argu.

¶Secundò arguitur. Parentes & Rempub. offendere non poteſt non eſſe impium: qui autem clanculò contrahunt, & parentes offendunt & Rempub. quæ inde plurimum conturbatur, quòd illegitima matrimonia atque adeò illegitimi hæredes inſerpant: ergo nunquam huiuſmodi matrimonia ſunt licita. Atque inde colligendum apparet quòd Papa præter rationem & prudentiam ſuper his diſpenſaret.

3. Argu.

¶Tertiò denique arguitur. Si matrimonium clandeſtinum ullo pacto eſſet ualidum, ſequeretur quòd ſemper illud eccleſia deberet habere pro rato: atque adeò ſi alteruter coniugum tranſiret ad ſecundas nuptias, non poſſet illum compellere, ut in eiſdem perſeueraret: quia uſus illarum eſt merum adulterium: quod eccleſia nequit ratum habere: cùm ergo uſus doceat, quòd ſecundum matrimoniũ quod in manifeſto fit, approbet: fit, ut prius in occulto factum nullum fuerit.

Pars affirmatiua.

In contrarium tamen eſt, quòd cùm matrimonium fieri in manifeſto non ſit de eius eſſentia, ſed eccleſiaſtica conſtitutio euenire poteſt caſus, qui licitè à communi prohibitione excipiatur.

Prima concluſio.

¶Ad hanc quæſtionem tribus concluſionibus reſpondetur. Prima. Matrimonium clandeſtinũ genere ſuo ab ijs nudatum incommodis quæ accidere ſolent, & eccleſiæ prohibitione, nullum eſt peccatũ. Nã quemadmodum poteſt quiſque ſua bona alteri abſque arbitris & teſtibus tradere, ita & ſe poteſt alteri coniugare. Si opinio illa, quam diſt. 26. recitauimus. ſ. quod per conſenſus contrahentium non confertur gratia, niſi interueniat forma ſacerdotis,

Ego

Ego uos coniungo: consequens fieret, peccatum per se esse mortale absque sacerdote contrahere. Sed iam diximus nihil probabilitatis eiusmodi opinionem continere. ¶ Secunda conclusio. Matrimoniũ clandestinum ratione incommodorum subsequentium, & prohibitionis ecclesiæ, nisi aliqua sit legitima excusatio, est peccatũ mortale. Appellamus id modò clandestinum, cui duo saltem tresve testes non intersunt, quorum testimonio in foro ecclesiæ probari possit. Probat: quia non obedire ecclesiæ peccatum mortale est, nisi ex leuitate materiæ excusetur: hoc autem ecclesiæ præceptum est de re graui: quia ut explicatum est, magni refert tum ad tranquillitatem Reip. tum præsertim ad sacramenti firmitatem, & ad falsas cauẽdas nuptias & proles: ergo huiusmodi præcepto non obtemperare peccatum mortale est. Quòd siquis arguat, saltẽ dum aliqui clanculò contrahunt, in quibus impedimẽtum matrimonium dirimens interuenit, nullũ pactum incurri, neque sententiam excommunicationis, quoniam cum non sit matrimonium, non censetur clandestinum. Respondetur nihilominus, illos peccare, & excommunicationi se subdere. Imò ea de causa furtiua matrimonia interdicuntur, ne ciusmodi uitiosa matrimonia attententur. Quocirca in clemen. de consang. & affin. contrahentes in gradibus prohibitis sententiæ excommunicationis subijciuntur. ¶ Tertia conclusio. Sunt euentus plures, in quibus dispẽsare licet, & decet. Idq; uniuersim fieri potest per episcopum: imò in quibus si copia episcopi haberi non posset, uel si ipse iniustè dispensare renuerit, ualeant priuata autoritate sponsi citra culpam contrahere. Primò nanque quando matrimonium in facie ecclesiç celebratum est, quod tamen in ueritate propter occultum impedimẽtum nullum fuit: tunc obtenta dispensatione non debet matrimonium iterum publicitus cõtrahi, ne oriatur scandalum, sed secretò debent cõiuges iterum mutuo consentire. Imò si alter tantum impedimentum nouit, non oportet id alteri reuelare, sed dissimulanter persuadere, ut se habeat pro coniuge. Secundò ait Caie. quæsito. 2. de matrimonio super. 3. part. si repentinus casus rationem offerret contrahendi: & testes haberi non possent. Vt si in inuasione & direptione ciuitatis ratione coniugij seruari aliqui incolumes possent, qui soluti non ualerent, possent subitò contrahere consummareq; matrimonium. Vel fac concubinarios inter facientes, uel alia ratione comprehensos, in periculum ob cõcubinatum incidere, subitò tum possent matrimoniũ secretò contrahere, ut affirmarent se esse coniuges. Adde quòd ubi iuuenis, alterutrius sexus iniuriam uel à parentibus uel à tutoribus atrocem patereture: quia iniquè nollent puellam nuptui tradere, ut patrimonium suum consumerent, posset quidẽ citra mortale, imò absque aliqua culpa, secretò nubere honesto iuueni, ubi tuta esset quòd ipse postmodum matrimonium non negaret. Quin uerò si quipiam essent soli quibus ex re maximè esset coniugari, & ualde metuerent illo elapso tempore inhibendos fore, ne contrahere possent, tunc si secretò in matrimonium consentirent, animo postmodum publicandi, non uideo quidnam culpæ, saltem mortalis, committerent. ¶ Quid autem si uir nobilis matronam aliquã honestam, cum qua consuetudinem habuit, ea conditione duceret, ut matrimoniũ esset perpetuò aut in longum tempus secretum, uel alia quauis honesta causa talis conditio poneretur, utrùm fas esset & licitum. Respondetur, Ꝑ quantum est ex natura matrimonij nihil mali habet. Sed tamen ratione emergentium detrimentorum & ratione scandali uix posset à culpa mortali excusari in longum tempus. Nam qui in uiro consuetudinem illam frequentandi alienas ædes uiderent, scandalum datum acciperent. Et præterea non posset commodè dari opera liberis educandis. Imò & periculum immineret, ne non haberentur pro legitimis: eo quòd matrimonium in facie ecclesiæ non esset celebratum. Quod autem in paruum tempus secretum teneretur, dum res & pacta, commodè componi possent, aut nullum esset peccatum, aut non mortale. ¶ De bannis uerò quidnam necessitatis habeant, dicere restat: nam etsi in prælegato capit. Cum inhibitio. Innocent. bannorum morem ad omnem ecclesiam prorogauerit, non tamen uniuersim est mos ille receptus. Item casus non pauci sunt, in quibus, ut doctorum habet consensus, dispensare licet, ne fiant. In primis cum magnatibus, qui magna cum deliberatione solent connubia tractare, facilè dispensari permittitur. Deinde, dum nullius subest impedimenti timor. Adhæc & propter contrahentium uerecundiam, ut si egregiè nobilis ignobilem ducat, aut ditissimus pauperem, aut senex puellam. In quibus omnibus euentibus episcopus, ex consuetudine per papam dissimulata, ut scitè ait Paluda. dispensare ualet ne bãna fiant. Sed omnium urgentissimus casus est, dum periculum timetur, ne per banna, quibus matrimoniorum impedimenta ca ueri curantur, obstacula potiùs obijciantur, ne fiant. Quę quidem causa frequentissima est, præsertim in Hispania. Profectò si bannorum stata tempora expectarẽtur, uix possent nuptiarum pacta confici, adeò uel ex inuidia uel alia de causa offendiculo occurrerent, quæ rem uel different, uel prorsus dissoluerent. Qua utique de causa in multis ecclesijs Hispaniæ, quarum princeps est Toletana, & secundum eam aliæ, huiusmodi ritus aboleuit ab usu, ubi ob eorum defectum non æstimantur clandestina matrimonia, sed solùm ob defectum testium. Et ubi idem ritus permanet, multa crebrescunt incommoda. Sunt enim nonnullæ ecclesiæ, in quibus in toto uno seculo nulla fiunt banna, & tamen antistites neutiquam dispensare uolunt, ut matrimonia absque illis contrahantur, sed sententia excommunicationis contrahentes uulnerant, à qua nisi certa multa pecuniaria in fabricam ecclesiæ soluta absoluere illos uetant. Imò illa de causa aiunt se nolle dispensare, ne fabricam illo subsidio defraudent. Consultò ergo permittunt excommunicatos contrahere, quos illicò soluta pœna absoluunt. Aduersus hunc idcirco ritum, ne abusum dixerim, fateor me sæpè reclamasse. Primùm enim omnium hoc abusu fit, ut per nullum unquã sacramentum matrimonij gratia conferatur: quin uerò nullum nisi in peccato mortali fiat. Quo ne scio quid absurdius dici possit. Saluberrimum ergo esset eiusmodi bannorum ritum, ubi nullus eius fructus expectatur, exemplo aliarum ecclesiarum dissimulare, aut prorsum explodere, & cum quibuscunque contrahere uolentibus dispensare, ne in peccato excommunicati contrahant, dum tamen legitimi intersint testes, quibus ualeat ecclesiæ matrimonium innotescere. Nam proprièe clandestinum matrimonium illud iure censendum est, quod clam ecclesia fit, hoc est, ipsa nesciente, utpote sine testibus, per quos illi constare possit. Banna enim quanuis ad maiorem cautelam fuerint adiecta, non sunt usque adeò necessaria. Præsertim cùm in prædictis ecclesijs, nec finis ipse, ob quem instituta sunt, seruetur: quoniam nulla adhibetur à prælatis cura inquirendi si quid impedimentorum matrimonio contrahendo obsit: sed soluta pœna statim coniuges absoluuntur. Et esset longè salubrius, ut fabrica in summa esset egestate, quàm tali uia subsidia corradere.

¶ Quò igitur ad ius commune reuertamur, nulla est per ipsum decreta uel excommunicationis uel alius censuræ pœna contrahentibus absque bannis & clanculò: sed peculiariter nonnulli prælati illam censuram in suis diœcesibus ad canones, ut aiunt, adijciunt. Et certè si summi Pontifices & concilia tales sententias & censuras iudicassent necessarias, ab ipsis essent adiectæ: & ideo consultius forsan esset, ius cõmune relinquere nudum, ne leges particulares in eam suspicionem ueniant, quòd propter subsidium potius fabricarum quàm animarum sint positæ. Zelus uenerandi sacramenti matrimonij me in hæc uerba compulit.

¶ Ex his primum colligitur, quòd qui huiusmodi excommunicationis censuram ignorant, minimè eam incurrunt. Imò forsan quanuis aliqua sua culpa uincibiliter, ut aiunt, ignorent: quoniam licet à censura iuris communis & summi Pontific. nulla excuset ignorantia uincibilis, excusat tamen, ut nobiles autores docent, à censuris particularium prælatorum. Dum tamen ignorantia, crassa non fuerit & supina, ut ait Bonifac. ca. ut animarum. de constitu. io. lib. sexto. crassa uerò est & supina, quæ uel ex malitia, uel ex nimia negligentia procedit. Rursus in illis supra recensitis euentibus, quibus ratio admonet, ut episcopus dispẽset, si copia episcopi haberi tunc non potest, nec peccatum neque excommunicationis sententia incurritur contrahendo. Adhæc si episcopus petitam facultatem sine causa denegauerit, profectò tunc contrahentes non peccabunt, neq; excommunicationis uinculo ligabuntur. Neque

a. Cõclus.

Clandestinum quid.

Rõ concl.

Obiectio.

Dilutio.

3. Conclu.

Primus casus.

Aliud exemplum.

3. Exẽplũ

4. Exẽplũ

Dubium.

Bãnorum mos.

1. Casus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Nota rõne urgentissimam.

Improbatur mos ille.

Bãnorũ ritũ auferre saluberrimum.

Nota.

Banna non sunt iussa sub excõicationis pœna.

Qui hmõi censuram ignorant, minimè ea ligatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

que uerò in causam non dispensandi ullo pacto adduci debet, ne fabrica subsidio mulctæ fraudetur: quoniam illa mulcta & pœna ubi causa intercedit dispensandi, iniquissima est. Adde, quòd etiam illi, qui cẽsuram incurrerint, possunt per priuilegia diplomatum apostolicorum: hoc est per bullas, absolui, mulcta etiam synodali nõ soluta: nam etsi diplomata non concedãt, ut eorum uirtute quisquam antequàm fuerit parti satisfactum, absoluatur, tamen iudex, non est pars, sed tertius inter partes. Et ideò pensio quæ synodalis est eademq; fabricæ applicata, ad satisfactionem partis nequaquam pertinet, sed ad reorum ultionem. Ob idq; cùm Papa illam exceptionem non faciat, rectè potest reus absolui ab excommunicatione & pœna. Quandò uerò in iudicio quis esset condemnatus ad aliquam pecuniam qui quidem in sententiam consensit: quia tunc illa pœna transiuit in rem iudicatam, non potest uigore bullarum relaxari.

Qui huiusmodi cẽsurã incurrerunt p bullam crucia tæ absolui possunt.

¶Aliæ sunt censuræ & pœnæ in transgressores prohibitionis clandestini matrimonij eodem cap. fin. de clandesti. despon. decretæ: præter peccatum mortale, quod illic committitur, si sine causa & licentia id fiat: uidelicet, ut parochialis sacerdos uel monachus, qui illic interfuerit, ab officio suspendatur per triennium. Et præterea ut filij ex eo matrimonio suscepti nõ habeantur legitimi. Vbi glossa, quam Palud. & Archidia. sequuntur, eandem illegitimationis pœnam incurri autumat solùm propter bannorum omissionem, ubi eorum consuetudo uiget. Panor. uerò atque alij quos Sylue. uerb. Matrimonium. 2. §. ult. approbat, aiunt, quòd ubi testes interfuerint, sola bannorum prætermissio tam graue pœnam non incutiat. Miror tamen utrosque sic de intellectu huius textus hallucinatos. Papa enim illic censet filios esse illegitimos ob sola clandestina & interdicta matrimonia siue banna defuerint, siue etiam testes, sed si contrahantur in gradu prohibito, etiam si parentes impedimentum matrimonij ignorauerint. Nam si contrahantur in gradu concesso quamquàm sine bannis & testibus illico subdit, non aliam pœnam, quàm quòd condigna pœnitentia contrahẽtibus ob suam culpam iniungatur. Et profectò usus ecclesiæ nunquam illegitimos liberos ob solum clandestinum matrimonium censet: sed duntaxat, quando matrimonium propter impedimentum pronunciatur fuisse nullum. Nam tunc etiam si parentes impedimentum ignorauerint, filij nihilominus sunt spurij. ¶Sed rogas. Quid opus illic erat hoc admonere, sanè cum liquidum sit cõtrahentes in gradu prohibito non uerè cõtrahere, atque adeò nec filios procreare legitimos? Respõdetur, hoc Papam admonuisse ne liberis ignorantia parentum suffragari posset, contẽdentibus eo quòd bona fide fuerint progeniti, habendos esse pro legitimis. Decernit ergo papa, quòd parentum ignorantia propter clandestinam desponsationem non est ceu bona fides censenda, quæ possit spurijs liberis patrocinari. Et simili ratione lucidum fit subsequens uerbum prædicti cap. uidelicet, Q si ambo parentes matrimonij impedimentum sciuerint, quanuis in facie ecclesiæ cõtrahant, filij sunt illegitimi. Papa enim non ambigebat, quin si impedimentum subest, siue sciuerint, siue ignorauerint, nullum sit matrimonium: atque adeò nec in dubium euocabat, quin filij sint illegitimi: sed censet, quòd sicut ignorantia parentum ob clandestinam desponsationem iuuare ceu bona fides nequit liberos contendentes quantum ad honores & successiones habendos esse pro legitimis, ita uice uersa propter malam fidem amborum parentum, quos impedimentum matrimonij non latebat, non possit filijs patrocinari, quòd in facie ecclesiæ fuerit matrimonium celebratum. Et quoniam pœnæ sunt coarctandæ, fortasse glossa prædicti caspernenda non est, quæ ait, quòd ubi alter tantum parentum impedimentum nouerit, ualeant tunc liberi contendere se esse legitimos. Sed de hoc usus & mos ecclesiæ consulendus est. Illegitimi uerò cẽsentur, tum in foro ecclesiastico quantum ad honores obeundos & sacerdotia suscipiẽda, tum etiam in foro ciuili quantùm ad successionẽ in hæreditate. De qua sermo iterum dist. sequenti. q. 1. redibit.

Pœna clandestini matrimonij.

Sylueſt.

Intellect°, c. fi. de clãdest. desp̃sa.

Dubium.

Diluitio.

Obiectio.

Solutio.

¶Postrema denique ambiguitas emergit de consummatione matrimonij ante solẽnem benedictionem ecclesiæ. Apparet. n. peccatum esse mortale postquàm Ambrosius proximè citatus matrimonium, quod nõ est benedictione sanctificatum, renuit appellare cõiugium. Cui consonat & Euaristus

An cõsum matio ma monijam benedict nẽ eccles sit mort lis culpa.

Euaristus. Silicius.

Calixtus.

Vualdensis

Sylueſt.

Ricardus.

Caietanus.

Conci. Florentinum.

Ratio.

ristus can. Aliter. 30. q. 5. & Silicius Papa in epistola ad Pomerium capit. 4. Illa, inquit, benedictio, quam nupturæ fœminæ sacerdos imponit, sacrilegium est, si uioletur. Et can. Consanguineorum. 1. q. 4. idem fermè ait Calixtus, Idemq; expressius 35. q. 3. capit. Nulli. habetur ex concilio Lugdunensi. Ob hæc atque alia id genus testimonia Vualdensis tomo. 2. de sacramentis. cap. 133. arbitratur peccatum esse mortale absque benedictione rei uxoriæ uacare. Idemq; ex iure consultis non pauci affirmant, quos Sylu. uer. Debitum coniugale. §. 9. refert. Tametsi quidam dicant, primum cõgressum esse mortale delictum, subsequentes uerò non itẽ. At Ricardus dist. præsenti, aliter distinguit, dicens petere tunc debitum, mortale esse, reddere uerò minimè. Sed Caietanus super 3. part. quæst. 2. de usu matrimonij simpliciter negat mortale crimen esse benedictionem ecclesiæ per rem uxoriam præuenire, nisi id fortè ex contemptu fiat. Et est opinio, quæ longè plus prohabilitatis & securitatis affert. Ad cuius intellectum notandum, quòd in primitiua ecclesia priùs per sponsalia de futuro nuptiarum pacta firmabantur: consensus autem de præsenti non adhibebantur nisi ad ualuas ecclesiæ cum benedictionibus: & ideo maior tunc earundem benedictionum ratio habebatur, acsi absque illis censeretur matrimonium clandestinum. Tametsi in locis etiam ubi talis usus uigebat, omissio earum non reputabatur mortalis, ut Nicolaus Papa in can. Nostrates. 30. quæstione. 5. annotauit, dicens quòd si cuncta nuptiarum solennia defuerint, non ideò peccatum interuenit. At uerò postquam mos increbruit, ut matrimonia per uerba de præsenti ante benedictionem contrahantur, earundem benedictionum omissio matrimonium non facit clandestinum, si alioquì publicè fiat. Et ideò non est cur peccato mortali tribuatur, matrimonium absque illis consummare. Imò uerò in Germania in nocte, pridie quàm benedictiones fiãt, consueuerunt coniuges concubere. Et in concilio Florentino quia Ioannes Hus & Vuitcleff ciusmodi benedictiones contemnebant, sub hac forma interrogati sunt. Vtrùm credant quòd contemnens susceptionem solennitatis sacramentorum confirmationis, extremæ unctionis & matrimonij peccet mortaliter. Solus ergo contemptus mortali macula denotatur: esset autem contemptus, ubi quis perinde eas nihili faceret, acsi non essent ab ecclesia institutæ, sed essent res uanæ. Vt de S. Thom. distinctione præsenti articu. 2. solut. ad 1. ait, quòd si sponsa sponsum admittat credens eum uelle matrimoniũ consummare excusatur à peccato, nisi aliqua expressa signa fraudis appareant. Vbi quanuis sermonem non inierit de excusatione ab omissione benedictionis, sed de excusatione à peccato fornicationis: quia fit tunc legitimum matrimonium: insinuat tamen quod illa clancularia consummatio ante benedictionem non est peccatum, saltem mortale, est autem ueniale si absque ulla causa fiat: quia legitimus ecclesiæ ordo anteuertitur, qui est: ut ante usum matrimonij, ut debitè & idoneè coram Deo fiat, sponsi benedicantur.

Nota dictã S. Thom.

¶Dixerim absque ulla causa: quia quanuis nulla occurreret alia, consulendum est sponsis, qui per uerba de præsenti contraxerunt, dum benedictionum solennitas prolatatur & procrastinatur, si pudicè nequeunt continere, ut matrimonium consumment ad euitandas absurdas & obscœnas pollutiones, quæ inter ipsos interuenire assolent. Id quod puellarum matres animaduertere debent: quæ ne filiæ ad uelum corruptæ accedant, nihili æstimant quòd alijs absurditatibus polluantur. ¶Ad primum igitur argumentũ respondetur quòd si fiat de matrimonio propriè clandestino, quòd fit absque testibus, probè concludit esse mortale propter incommoda, quæ habet annexa, ut conclusione secũda explicatum est. Si uerò argumentum obijciatur de illo, quod fit sine bannis, respondetur, quòd stando in iure communi, non est peccatum mortale illa prætermittere: quia non tanti referunt, ut credantur cum tanto pondere iussa, sed excommunicationes particularium antistitum culpam mortalem offerunt. De quibus tamen satis supra dictum est. Quòd autem pro causa rationabili Episcopi super eisdem dispensare debeant, & possint, nõ est in dubium euocandum.

Absque ulla causa.

Sol: 1. arg

¶Tertium argumentum maioris est momenti: nempe, de illo, qui postquam clandestine

Dubium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

clandestinè cõtraxit cum una, publicè de facto contraxit cum altera, cum qua ab ecclesia cohabitare compellitur, quidnam sit facturus. Magister nanque sentent. dist. 38. arbitratus est per obedientiam ecclesiæ excusari à peccato quanuis debitũ reddat. In quo ut dist. 37. arti. 5. uidebimus, non tenetur. Quidam autem nuper peiùs de hac re opinabatur: nam Magister dixit, eum quodammodo excusari à culpa: iste autem, imò contra uniuersalissimam omnium opinionem & planam ueritatem, cõtendebat, quòd in tali casu licitum sit minus peccatum committere ad euitandum maius: nempe, debitum illegitimæ uxori reddere ad euitandum inobedientiæ crimen, qua ab ecclesia cogitur, uel saltem ad cauendam mortem. Si quis ei illam comminaretur, nisi fornicationis flagitium cõmitteret. Sententia eius, quam ab ipso scriptam legi, sic habebat. Qui minus peccatum committit causa uitandi maius, cùm simul utrunque uitare non potest, is tunc nõ peccare intelligitur. Et mirabatur theologorum ignorantiam, qui illum sensum nunquam concepissent, quousque suis ipse rationibus eos conuicit. Hinc ergo inferebat, quòd Terentia, quæ post priores legitimas nuptias cum Sempronio secundo uiro, priore uiuente, cohabitare cogebatur, reddere illi deberet debitum, maximè si mortem, dum renueret, timeret. Atque hoc aiebat non nisi prodigos uitæ negare potuisse. ¶Sanè uerò mirãdum potiùs est, ut quispiam theologi nomine dignus in animum commentum hoc inducere potuerit. Primùm enim omnium ineptus error est dicere, quòd liceat minus peccatum cõmittere ad euitandum maius, imò nec minimum ad uitandum maximum. Non enim idem est dicere ex duobus malis minus esse eligendum, aut permittendum, quod Philosophus docuit, & minus committendum peccatum ad euitandum maius. Licet enim mihi bonorum meorum iacturam facere ad redimendam uitam, iactura tamẽ tunc illa bonorum nullum est peccatum: quia dum illo uestitur fine, rationem exuit prodigalitatis. Est enim contradictionis implicatio, quòd liceat minus peccatum committere ad cauendum maximum: nam peccatum nullum est, nisi id, quod non licet: quare si licet, peccatum non est: & si peccatum est, non licet.

Opinio cuiusdam.

Casus.

Sententia authoris.

Nota.

Vnde Augusti. lib. de mendacio. cap. 18. peccata, inquit, esse desinunt, quæ propter grauiora uitanda suscipiuntur. Quare cum hanc sententiam idem doctor allegauerit, non debuisset in illo falso sermone persistere, minus peccatum committendum ad euitãdum maius, sed dicere, quòd liceret illud minus malum facere, quòd aliàs per se peccatum esset, ad euitandum grauius. Ille enim est sensus concilij Toletani can. Duo mala. 13. distinct. Qui enim iurauit hominem interficere, si illum propter iuramentum interficiat, vt Herodes Ioannem, grauius peccat, si tamen non interficiat, quanuis fractio iuramenti per se peccatum esset, tamen in tali casu nullum est. Iurasse tunc, inquam, rem illicitam peccatum fuit, sed iuramentum illud non adimplere non est nisi uirtus. Et idem est sensus Gregorianæ doctrinæ ibidem can. Nerui. & Bedæ can. Non solum. 22. q. 4. ¶Hac ergo ueritate sic exposita, notandũ rursus quædam esse mala intrinseca sua ratione peccata, quæ dicuntur prohibita, quia mala, ut mentiri, fornicari, peierare. &c. Alia uerò sunt, quæ non habent innatam malitiam, quæ sunt mala, quia prohibita, ut ieiunia ecclesiastica, & festa frangere, &c. Ea ergo, quæ innatam habent natura sua malitiam, neutiquam ullo prorsus euentu aut causa committere fas est, non solùm ad seruanda temporalia bona, aut honorem aut uitam, uerùm neque ad euitandum quodcunque aliud maximum scelus & crimen. Et ratio est, quia malum, quod ad euitandum aliud committere licet, eo ipso desinit esse peccatum. Hæc autem non magis possunt desinere esse peccata, quàm homo esse rationalis. Quapropter Deus nunquam permittet, imò nec permittere potest, ut illis homo angustijs intercludatur, ut necessariò unum aut alterum peccatum committat: nam quod necessarium est, non est peccatum. Secùs ergo accidit, ubi peccatũ est extrinsecè malum. Licet enim mihi causa seruandi uitam, aut bona mea, aut famam festum frãgere, aut ieiuniũ: quia ecclesia nos ad hæc non cum tanto rigore ligauit. Ad propositum ergo ut descendamus, cùm fornicatio sit intrinsecè & sua natura mala, nullam prorsus ob causam licet. Atque adeò qui legitimam habet occultam uxorem & si ab ecclesia compellatur habitare cum secunda, quam duxerit publicè, non est ecclesiæ inobediens si debitũ non reddat: quippe cùm ecclesia ex falsa præsumptione eum putans legitimum maritum, iubeat eum habitare cum illa. Imò esset Deo inobediens illam cognoscendo, quanuis id ad cauendam mortem perpetraret. Veluti si puella illata sibi ui in stuprum consentiret, ut mortem fugeret.

Augusti.

Ratio.

Redargutio cuiusdam.

Autoris solutio.

¶Aiebat autem ille citatus autor, quòd iste non committebat peccatum, sed permittebat in se committi, sicut poterat permittere in altero. Veruntamẽ latissimum discrimen minimè perspexit. Quod enim ego in altero permitto, non facio: ut si permittam aliquem fornicari, quem scio me cohibere non posse, quin incidat in adulterium. Quare mea permissio suum non excusat flagitium. Mulier uerò, quæ in se ipsa id permitteret, permittendo faceret: & ideo, non cueret in se culpam. Secus si ego furem permitterem mea bona furari, metuens occidi si resisterem: nã cùm sim eorum dominus, desinit ob illam causam esse prodigalitatis peccatum. Sed nõ opus est pluribus de hac re contẽdere: est enim expressa decisio Innocentij ca. Inquisitioni, de sentent. excommunic. ubi habetur, quòd coniux, qui matrimonij impedimentum scit, potiùs debet sententiam excommunicationis sustinere, quàm debitũ aut petere aut reddere. Et mirũ est & ille textũ eundem ad id limitauerit: quãdo non incũbit causa uitãdi maioris mali: sanè cùm Pontifex excommunicationem, maximũ censuerit malum, quam tamen sustinendã ait potiùs quàm debitum sit reddendum: quia illud, inquit, est peccatum. Videlicet intrinsecè malum, quod ideo nulla de causa exuere ualet rationem culpæ. Quocirca meritò opinio Magistri, qui distin. 38. in contrarium deflectere uidetur, tanquã nullatenus tenenda exploditur. Et mirandum est cum semper Hugonem imitetur, quomodo ei hac de re non auscultauerit, qui lib. 2. de sacrament. part. 11. cap. 6. locupletissimè, quod suum ingenium est, hoc argumentum edisserit: ubi concludit, quòd quanuis ecclesia aliud nequeat, quàm secũdum allegata & probata in suo foro iudicare, compellendo in hoc euentu, ut coniuges in secundo matrimonio persistant, nihilominus mulier, quæ impedimenti conscia est, martyr esse potiùs debet, quàm in copulam aut alium actum maritalem cum secundo uiro consentire: quippe cùm re uera non sit maritus. Imò episcopus ipse, qui externo iudicio cogit illam, si per sacramentalem confessionem intelligeret, non esse eius cõiugem, deberet eam in sacramẽto cogere, ne quãtùm ad illos actus cũ secundo uiro cõsentiret, licet possi. cũ illo cohabitare.

Mulier.

Inn. c. Inquisitioni.

Limitatio textus.

Opinio Magistri sent. reijcitur.

Hugo.

DISTINCTIO VIGESIMAnona. De consensu coacto, & de conditionato.

Textus. Cap. 1.

AD hæc quæ de clandestino matrimonio definita sunt, de consensus libertate & conditionibus appositis sermo consequitur. Enimuerò cum coniugalis nodus perpetuus sit, idemque perinde indissolubilis, & quemadmodum ait Nicolaus Papa, quod quis non eligit nec optat, id profectò non diligat: quod autem non diligit, facile contẽnat: consequens fit, ut consensus, quo matrimoniũ perficitur, ex magna debeat libertate proficisci, atque adeò si per metum, qui in uirum cõstãtem cadit, fuerit coactus, minimè sit matrimonio copulando sufficiens. Secus si leuis fuerit. Vnde Alexan. Papa, Cum

Cano. Præsens. 20. q. tertia.

locum,

Cap. Cùm locū, de spōsalibus.

locum, inquit, non habeat consensus ubi metus uel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cuiuspiam requiritur, coactionis materia repellatur. Cui adnuit & Urbanus can. Si uerum. 31. q. 2. Multaq; subinde sacra decreta suffragãtur. Accedit, quòd ut idẽ Alexand. autor est, ea, quæ ui uel metu fiunt, debent in irritum reuocari. Si uerò consensus eiusmodi violentus matrimonium concinnaret cùm suapte natura perpetuum sit, illud irritari nequiret. ¶ Metus autem, qui in uirum constantem incidit, est in primis timor mortis atrocis ue cruciatus, ut Innoc. eod. titu. nos admonet. Cui accedit & metus longæui carceris, aut exilij, aut amissionis status, aut uirginitatis, &c. ut consultissimis legibus. ff. eod. titu. cautum est. Reliqui nanque minoris momenti, ut amissionis exiguæ pecuniæ, & similes, ueluti leues repelluntur, Ut. l. Uani timoris. Neque uerò ita multum refert iustè ne an iniuria eiusmodi metus fuerint incussi, dũmodo illati extrinsecus fuerint, ijdemq; ob hunc finem, ut quisquam in matrimoniũ adigatur, tunc quippe nullum inde nectitur uinculum. Ex his ergo fit consequens, quòd neq; princeps ciuem, neque pater filium compellere ad nuptias iure ualeat, ut Honorius Eusebio episcopo respondit.

Capi. Abbas de his quæ ui metus fiẽ cau. fiunt.

Cap. 2.

Cap. Cùm delectus. l. Qui in carcerẽ. Ego puto. l. isti quidem.

ff. qd me. cauſ.

Capi. Tuos. de spõsalib.

¶ Post consensum coactum ordo nobis idoneus conditionatũ offert. Consuescunt enim nuptiali contractui cõditiones apponi, seu generales, ut Cõtraham tecum si Deus uoluerit, uel si tu cõsenseris, uel nisi cõsanguinea extiteris, et similes, quæ quanuis non apponantur; suapte tamen natura intelligũtur appositæ: seu particulares, quarum aliæ sunt simpliciter necessariæ, ut si sol oriatur cras: aut simpliciter impossibiles, ut si cœlum digito attigeris: aut denique contingentes, ut si pater meus consenserit, aut si te tuus dotauerit.

Capi. 3.

Cap. 4.

¶ Conditio ergo simpliciter necessaria semper habetur pro impleta:

pleta: quare perinde acsi non esset apposita, contractus illico ualere incipit. Ut qui dixerit, Contraho te cum si cras sol oriatur, eodem momento altero consentiente matrimonium perficit. Et similiter sponsalia qui dixerit, Contraham. Quod .n. in futurũ est necessarium, pro uero habetur de præsenti. Unde Iurisconsultus. Qui sub cõditione, inquit stipulatur, quæ omnino extitura est, purè uidetur stipulari. Similiter conditio impossibilis, ut Greg. nonus autor est, habetur pro non adiecta, dissimili tamen ratione: nempe, quòd cùm existere nequeat, neminem obligare ualet. Quo circa eiusmodi conditio neque matrimonium, quod absque ipsa nullum esset, consolidat, neque uerò consensum, si adest, pẽdulum reddit, sed uel per ipsam, uel per alias coniecturas perpẽdendum est, utrũ cõsensus intercesserit, an secus, ut inde matrimoniũ ualidum inualidum ue iudicetur.

1. Si pupillus. §. 1. ff. de nouatio.

Cap. fi. de condit. apposi.

Cap. 5.

¶ Ex conditionibus autem cõtingentibus aliæ sunt, quæ substantiæ, finis ue, aut fidei coniugij obstant, atque aliæ, quæ ei impertinẽtes adhærẽt. Quarum aliæ honestæ sunt, aliæ uerò turpes. Illæ ergo quæ obstant, ut idem ibidem ait Pontifex, matrimonium tollunt: putà si alter dicat alteri, Contraho tecum donec inueniã aliam meliorem, aut facultatibus ditiorem (quod perpetuitati ac substantiæ aduersatur.) Aut si generationem prolis eius taueris (quod finẽ tollit.) Aut si pro turpi te quæstu prostitueris, (quod fidei cõtrarium est.) Reliquæ uerò, quæ turpitudinem præse ferunt, acsi non essent adiectæ censendæ sunt: nam ut ad impossibile, ita neque ad id, quod turpe est, ullus obligari ualet. Quare quę dixerit, uiro, Cõtraho tecum, Ut meum inimicum occidas, uerè nupserit, & nihilominus uir minimè illius obligatione tenetur.

Cap. fina.

Cap. 6.

¶ Quando autem honesta conditio de præsenti, uerbo præsentis temporis adhibetur, si tunc existere fuerit comperta,

Universidad de Deusto
Biblioteca

consensus ille absque alio nouo eodem momẽto matrimonium perficit, vt si quis dixerit, Cõtraho tecum si meis nunc parentibus placet: nihil enim tũc deest, quod ad substãtiam matrimonij attineat. Si autem cõditio sit de futuro, quanuis uerbo sit temporis presentis adiecta, pendulum consensum reddit, & ideo quousque per eius existentiam contractus purificetur, matrimonium non conualescit. Imò verò quanuis non desint qui aliud sentiant consensus ille sub cõditione prolatus, quantumcunque illa fuerit impleta, quousque alius absolutus accesserit, vel maritalis copula, neutiquam est ad matrimonium sufficiens. Nam cùm conditio huiusmodi cõtractum in futurum pertrahat, perinde habet dum verbo de presenti adijcitur, acsi verbo de futuro apponeretur: ob idque adeò nouum alium de presenti consensum pòst expostulat. Hoc enim certè tum Vrbanus Papa canon. Super eo. De conditionibus appositis. oculatè perspectus, tum & Innocentius capit. Per tuas. eod. titul. liquidò edocent.

DISTINCTIONIS VIGESIMÆNONÆ. Quæst. I. De consensu coacto.

ARTICVLVS. I.

Vtrũ consensus aliquis esse possit coactus.

POST illam conditionẽ clandestini matrimonij, quam diximus eius substantiæ non obstare sed esse tantummodo transgressionem ecclesiasticæ sceptionis, quæritur de conditione libertatis, utrum sit in consensu necessaria. Et quoniam libertati, vt. 3. Ethi. autor est Philosophus, duo sũt, quæ obstant: nempe', uis & ignorantia, in distinctione presenti agitur de vi, & in subsequenti de ignorãtia. Duas ergo quęstiones præsens distinctio requirit, quarum prima est de vi & coactione. & secunda de conditionato consensu, quĩ nõ nisi sub cõditione est liber. ¶Quæritur ergo primò de eo, quod quęstio supponit: nempe, utrũ consensus vllus possit esse aliquo modo coactus. Arguitur enim à parte negatiua. Coactum & uiolentum autem, inquit, est id, qđ fit à principio extrinseco passo non conferẽte uim: id est, inclinationem: quod est dicere, quando contra propriam inclinationem mouetur', ut lapis sursum: hoc uerò uolũtæi respectu actus, quem elicit, accidere nequit: quoniam quemcunque actum eliciat, ille est sua ipsius inclinatio, atque adeò nullus esse potest contra suam inclinationem: ergo contradictio est, ut uoluntas cogatur, ut. 2. sentent. distinct. 25. doctores demonstrant. ¶Secundò arguitur. Vis (à qua dicitur uiolentum) est maioris rei impetus, qui repelli non potest. l. uis. ff. de eo quo metus caus. huiusmodi autem impetus in uolũtatem non cadit: ergo nec coactio. Probatur minor. In actu uoluntatis perficitur peccatum: nemo autem, ut in de libero arbit. ait Augu. peccat in eo, quod uitari non potest: ergo impetus, qui est uis, uoluntati repugnat. ¶In huius confirmationem accedit tertiò Ciceronis definitio ubi ait, quod uis est impetus dominantis retinentis rem infra terminos alienos. Arguitur enim sic. Primum tum actionum, tum subinde rerum dominium penes uoluntatem est, quæ est per se libera: ergo nihil ei dominari ualet, atque adeò nec uim inferre. ¶In contrarium est, quòd id, quod non est, nullius potest esse causa: sed coactus cõsensus matrimonium uitiat, quia ut habetur de spon salib. cap. Cùm locum. libertatem tollit: ergo consensus potest esse coactus. ¶Quæstio hæc duabus conclusionibus absoluitur. Ad quarum intellectum prænosse oportet, coactionem & uiolentiam quæ in idem coincidunt duplicem esse. Vnam scilicet, quæ absolutam infert necessitatem: atque illud à Philosopho loco citato simpliciter censetur uiolentum, ut dũ quis alterum renitentem loco depellit: illic enim nullus est uoluntatis consensus. Et ideo simpliciter motus ille sit à principio extrinseco passo non conferente uim. Aliud est uiolentum seu coactum mixtum: vt dum quispiam in naufragio, ut uitam seruet, bona sua in fluctus ejicit. Hoc enim quanuis per se absolutè cõsideratum, quatenus est iactura bonorum, non sit uoluntarium, sed uiolentum: nihilominus illa circunstantia & qualitate uestitum, quod est necessarium ad euadendã mortẽ, quę grauius malum est, fit per electionem uoluntarium. Et quia actiones circa singularia uersantur, pro ut hic & nũc fiunt, ideo illud simpliciter est uoluntarium: quippe ubi consensus interuenit: licèt sub conditione sit uiolentum. Nam si ille posset aliter uitam seruare, iacturam illam bonorum neutiquam faceret. ¶Hac præmissa distinctione sit prima cõclusio. Violentia primi generis, quæ est coactio simpliciter, dicta, in rebus duntaxat inanimis est, & in membris corporis animatorum: in appetitu uerò siue rationali siue sensitiuo quantùm ad actus elicitos nequaquam esse potest. Prima pars compertissima est, si quidem lapis per uiolentiam proijcitur, & tam homo, quàm brutum ad motum corporis, licèt nullum habeat consensum, sed dissentiat depellitur. Huiusmodi autem motus non est actio subiecti, sed mera passio forinsecus illata. Secundam uerò partem probant argumenta proposita. Nam huiusmodi uiolentia est passio contra inclinationem agentis: motus autem appetitus tam sensitiui quàm rationalis est ipsa animalis inclinatio: quare à quocunque metu idem nascatur motus, sit secundùm eius inclinationem, imò ipsissima inclinatio. Et quanuis primum principium motus: nempè, timor, extrinsecus incutiatur, consensus tamen ad motum ab intrinseco appetitu elicitur. Quocirca condictione complicatur, qui ait appetitum ad actum elicitum posse cogi. ¶Vtrùm autem hoc proprium sit uoluntatis & appetitus sensitiui, nonnulli ambigunt. Imò uerò Durandus lib. 2. distin. 25. quæst. 4. ait, neque intellectum neque ullam apprehensiuam potentiam eadem ratione cogi posse. Nam quocunque timore homo cogatur intelligere aut uidere, intellectio ipsa est intellectus inclinatio, & uisio, inclinatio uisus. Doctrina uerò hæc non est rei physicæ germana: nam uiolentiæ iudicium, non sumitur ex inclinatione potentiæ, quæ actũ elicit, sed ex inclinatione suppositi. Enimuero cùm actio & passio sit propriè suppositi, ipsum est, quod propriè cogitur. Propria autem inclinatio totius suppositi est appetitus naturalis in rebus inanimis, & sensitiuus in brutis, & rationalis in homine. Vnde quicquid homo contra suam uoluntatem patiatur, propriè cogitur, quanquam fiat secundùm inclinationem apprehensiuæ potentiæ. Ob idq; quispiam & ad intelligendum cogitur, & ad uidendum &c. Imò uerò damnati multa contra suam uoluntatem intelligere cõpelluntur, & resumptis corporibus sentire cogentur. ¶Secunda cõclusio. Violentia & uis secundi generis: scilicet, conditionata in sola uoluntate & brutorum appetitu reperiri potest, eademq; non nisi per metum. Probatur, quia hæc uiolẽtia actum dicit simpliciter uoluntariũ cum inuoluntario cõditionato admixtum, ut expositum est: huiusmodi autem consensus esse nõ potest nisi

3. Argu.

Pars affirmatiua.

Violentia duplex.

Violẽtum mixtum.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Arg.

Prima cõclusio.

Ratio primæ partis.

Ratio secũdæ partis.

Dubium.

Secunda conclusio.

in uoluntate, ut dum homo metu perculi aliquid agere consentit, & dum pecus metu oblati uerberis à pabulo discedit.

Vis & metus idem.

¶Ex his ergo fit consequens, ut impræsentiarum Diuus Thomas ait, quòd uis hoc secundo modo & metus conuertuntur. Imò uis in præsentia non solùm non usurpatur pro uiolentia eis illata, quæ anima sensitiua carent, qualia sunt saxa, & ligna: uerùm neque pro illa, quæ brutis animantibus infertur: quia cum illa non sint propter se, sed propter hominem, atque adeò per se non sint iuris iniuriæve capacia, nulla eis proprie infertur uis, sed homini eorum domino. Vsurpatur ergo hic uis humano more pro ea, que homini fit, quę idem est quod metus. Est enim metus, ut autor est Vlpianus, instantis uel futuri periculi causa, mentis trepidatio. Et ut ait Cicero li. 4. Tusculanarum quęstionum, opinio impendentis mali, quod intolerabile esse uidetur. Optimè ergo idem Iureconsul. l. 1. §. 1. ff. De eo qđ met. caus. adnotauit, q̃ cùm olim tit. sub disiunctione poneretur, De eo scilicet quod ui metusve causa fit (ut titulus habet canonici iuris) postea detracta est uis mentio: ideo quòd quicquid ui atroci fit, id metu fieri uidetur. Vnde titu. ciuilis iuris non est nisi. De ijs quæ met. caus. Et ideo titulus iuris canonici nõ debet tanquam de duabus rebus distinctis intelligi, sed cùm dicitur, ut metusve causa, posterior particula est prioris expositio. ¶ Ad argumenta ergo iam respõsũ est, illa solidè concludere in actum uoluntatis elicitum coactionem simpliciter cadere non posse, potest tamen cadere conditionata & mixta.

Tit. De his quæ ui &c.

Solutio argumentorum.

ARTICVLVS II.

Vtrũm metus aliquis possit in uirum constantem cadere, qui eum excusat.

SVbsequitur, ut de solenni metus distinctione dicamus, respectu uiri constantis aut inconstantis. Et arguitur q̃ nullus metus in uirum constantem cadere possit. Nam uir cõstãs & fortis, ut 3. Eth. autor est Philosophus, impauidus, atq; intrepidus est: qui neq; mortis periculo, quæ omniũ terribiliũ est maximum, cogitur, sed sicut tessera undiq; quadrata quomodocũq; iaciatur, æqualiter cadit: ergo nullus metus in uirum constantem incidit.

Partis negatiuæ arg. primum.

¶ Secundò. Inter illa impendentia mala, quæ uiri probi timere debent, uenit infamia: timor autem infamiæ, ut author est Vlpianus l. Nec timorem. ff. de eo quod met. caus. timoris edicto non continetur: ergo neque ullus alius metus in uirum constantem sic incidit, ut eum excuset.

Secundum arg.

¶ In contrarium tamen est, quod Abraam & Isaac uiri fuere constantes, qui tamen metu mortis, ut historia Geneseos refert, uxores suas sorores esse dixerunt: ergo metus in uirum cõstantem cadere potest.

Pars affirmatiua.

¶ Quando dicitur, metum in uirum quempiam cadere, uerbum cadere, sub duplici significato audiri potest. Vno modo ut idem sit, quod metum concipi, ab illoq; hominem concuti & percelli, etiam si ab eo non uincatur. Et isto pacto in Christum seruatorem nostrum, qui omnium fuit constantissimorum hominum exemplar, cecidit mortis metus, qui naturalis est. Itaque metum cadere isto modo in constantem uirum nihil aliud est, quam uirturem constantiæ & fortitudinis secum unà compati: id genus metum concipere. Quam quidem finitionem libro 7. de iust. & iure, quæstione secunda. articu. 1. sufficientem rati sumus. Nihilominus licet parùm forsan re differat, aliter secundum doctorum uniuersitatem loquendum est: nempe, quòd metum in quempiam uirum cadere, ut in præsentiarum ait S. Thomas, sit ipsum metum cogi: hoc est, uinci & superari ad illum cauendum. Cogi ergo illo metu est, hominem aliquid eius appulsu facere, quod aliàs non faceret, ut exemplo supra posito proijcientis bona sua in mare monstratum est. Qua utique ratione in Christum nõ cecidit metus mortis: non enim constans fuisset, si illi succumbens, mandatũ patris de morte ferenda recusasset.

Decisio articuli.

¶ Rursus adnotandum est, tres esse hominum ordines: scilicet inconstantium: id est, eorum, qui sunt meticulosi, & pertinacium, & constantium: hoc est fortium. Est nanq; constantia inter inconstãtiam & pertinaciam media uirtus: nempe, fortitudinis. Ratio enim recta docet, ut Philosophus ait, ex duabus malis minus eligẽdũ, & ex duob. bonis id, quod melius est: summum autem malorũ est peccatum, quod ideo eligere ad ullum euitandum incommodum & malum pœnæ, nefas est.

Tres hominum ordines.

Inconstans.

Inconstans ergo est, qui peruerso rationis iudicio ut minus caueat malum, in grauius impingit: ut si quis ne iacturam pecuniæ faceret, detrimentum honoris eligeret.

Pertinax.

Pertinax autem per alterum extremum etiam minus nocumẽtum renuit ad maius uitandum. Vt si quis à quatuor pluribusve latronibus inuasus mortẽ potiùs oppeteret, quàm decem aureis uitam redimeret. Inter hos cõstans, medius est: nempe, qui ad cauendum periculum maioris mali minus eligit, nunquàm tamen è diuerso ad cauendum minus optat maius.

Constans.

Vnde Vlpianus l. Metum. 1. eod. titu. Metum, inquit, accipiendum Labeo dicit, nõ quemlibet timorem, sed maioris mali. Atque hoc est primum discrimen inter constantem & inconstantẽ.

Primũ discrimen.

¶ Alterum uerò attenditur penes æstimationẽ periculi: quia constans non nisi ex probabili & uehemẽti æstimatione periculi, quod est præsentaneum & iam iam impẽdens, mouetur. Inconstans uerò ex leui & remotiori, iuxta illud Prouerb. 27. Fugit impius nemine persequente: debet enim uir strenuus muscam imitari, quæ non nisi instante flabello euolat: quo transeunte protinus eodem reuolat. Vnde idem Iureconsultus l. Metum. 3. Metum, ait, præsentem accipere debemus, non suspicionem inferendi eius. Præsentem scilicet: id est, iam illatũ. Quare nõ obstat doctrina Philosophi. 3. Ethi. dicentis, metum esse de futura, & tristitiã de re præsenti, quam quis iam patitur: nã dum quis nuda sica tibi, manus ligato, minatur mortem, licèt mors futura sit, metus tamen est præsens. Si uerò dum quis puellam domi sollicitat, strepitum sentiret aliquem, metuq; illo perculsus in matrimonium consentiret, ualeret illud quidem: quia metus nondum erat illatus, atque adeò nec præsens. Et eadem esset ratio si timeret postmodum à parentibus inferendum sibi metum. Vel si puella ipsa uel mater eum leuiter aggrederentur fustibus comminantes ei mortem.

Secũdũ discrimen.

Obiectio.

Dilutio.

¶ Metum ergo cadere in constantem uirum est, uirtuti constantiæ & fortitudinis non repugnare, metu illo quempiam uinci & cogi. Atque hanc ob rem talis metus à tota excusat culpa.

Metũ cadere in constãtẽ uirum quid.

¶ Eiusmodi autem metum tum ex obiecto, tum etiam ex alijs qualitatibus iura perpendunt. Primum enim metus mortis & enormis cruciatus inter eos qui cadunt in cõstantem uirum est primus. ca. Cum dilectus, de his. quæ ui met. ue cau. fiunt. Nam terribilium malorum terribilissimum mors. Huic accedit & uinculorum atrocium timor & longæui carceris, vt. l. Nec timorem, & l. Qui in carcerem. eod. titu. Deinde metus seruitutis: nã priuatio libertatis in mortem computatur, vt. l. Ego puto, ibidem, & l. Isti quidẽ. Adhæc & metus stupri in uirgine, ut eadẽ l. subijcitur. Præterea metus amissionis status, vt ead. l. exprimitur, & cap. Abbas, eo. titu. Metus autem leuiorum malorum, vt amissionis pecuniæ, uel illationis paruæ contumeliæ, censentur leues. Hæc autem omnia grano salis & prudenter ę iudicio cõdienda sunt: nam si uerbera & carceres & bonorum iactura non sunt adeò grauia, tunc metus non est iustus, sed leuis. Quocirca plurimum ad prudentiam iudicis deferendum est: nam & metus etiam principis, qui tyrannice tractare eos consueuit, qui sibi ad nutum non obtemperant, inter iustos cõputatur. Neque solus metus propriæ personæ, sed etiam liberorum atque uxoris inter eos uenit, qui uirum constantem excusant, ut. l. citata, Isti quidem, habetur.

Met⁹ mortis & enormis cruciatus corporis.

Metus uinculorum.

Metus seruitutis.

Metus stupri.

¶ Metus ergo, ut cadere censeatur in constantem uirum, ex duobus perpenditur. Primo ex obiecto. Deinde ex effectu. Ex obiecto quidem, ut sit metus mortis, aut moli penè æquiualentis. Et ille dicitur propriè ex se & ex obiecto uiri constantis: nam fortitudo, ut inquit Aristote. uersatur circa pericula belli: hoc est, mortis extrinsecus oblatæ.

Metus ex duobus cõsideratur.

¶ Secundò per accidens attenditur ratione subiecti: scilicet, hominis, ne ad cauendum minus malum, maius admittat. Hinc fit, non satis esse, ut metus cadat in constantẽ uirum, q̃ uir illũ constanter caueat. Si. n. ille, cuius pulcherrimum equum latrones in nemore surripe rent, recuperare aliter nequit, q̃ pretio decem aureorũ, constanter profectò facit illos erogãdo. Sed tñ metus amissionis equi ex obiecto non est uiri constantis: quia nõ est ex numeratis.

Nota.

¶ Sed tamẽ ex parte subiecti desinit esse metus cadens in constantẽ uirum si metu mortis uincatur ad peccandum, saltem mortaliter. Hoc ideo addiderim, q̃, ut sub peritiorũ cẽsura loquar, licèt quis metu mortis mendaciũ officiosum

sum diceret,uel aliud peccatũ ueniale cõmitteret: non desineret esse uir constans: nam quanuis id non liceat,non tamen peccatũ ueniale rationem tollit uirtutis: quia septies in die cadit iustus. Et ideo eiusmodi leuis culpa non obstat uiri constantiæ, nec uulgò talis uir inconstantiæ argueretur, quanuis egregiæ laudi tribueretur si potiùs mori eligeret,q̃ mentiri. ¶His prȩhabitis ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima.Metus leuis nõ excusat à culpa. Probatur, quia nihil culpam abluere põt, nisi sit uirtuti consentaneum:uirtus aũt fortitudinis, ut 2. Ethic. ait Philosophus suopte ingenio repellit timores leues: nam eius officiũ est medium inter timorem & audaciã tenere:ergo qui leui timore uincitur, firma uirtute caret, atque adeò timor ille non excusat à culpa. ¶Secunda conclusio. Timor cadens in constantem uirum excusat à culpa. Probatur contraria ratione. Quicunque timor, qui secũ cõpatitur uirtutem,excusat à culpa:nam uirtus & culpa è diametro opponuntur: timor autem cadens in constantẽ uirum idipsum sonat, quod non repugnare uirtuti:ergo excusat à culpa. Et ideo eiusmodi metus dicuntur iusti. ¶Cõtra hãc autem conclusionem arguitur. Malorum omnium maximum,ut diximus, est peccatum,quod ideo nullo metu committendũ est:ergo nullus metus excusat à culpa. Probatur consequentia. Demus illum (uerbi gratia)uirum superiori exemplo designatum, qui metu mortis iacturam bonorum facit,quæ in mare proijcit,uel alium, qui à latronibus in nemore inuasus, põdus auri,quo uitam redimit,illis offert: & suppo namus uerbi gratia proiectionem illam mercium & largitionem auri suopte genere,secluso metu,esse peccatum prodigalitatis:imò tunc.v.g.mortale. Arguitur ergo sic. Metus, q est causa peccati nõ cadit in constantẽ uirũ:ille est causa peccati: nẽpe, illius, quod genere suo peccatum est: ergo non cadit in constantem uirum, atq; adeò nec excusat. Vel maioris claritatis causa arguamus sic. Si quis metu hostis, quem certò credit paratum esse se occidere ubicunque obuium habuerit,omitteret die festo ecclesiam adire, ubi sacra audiret,metu illo non excusaretur: quia uidetur esse causa peccati atque adeò non cadere in constantem uirum:& de nullo alio metu urgentior ratio probat excusare posse:ergo nullus excusat. Et confirmatur ratio: quia qua ratione admiseris metũ posse excusare à fractione præcepti ecclesiastici,uideris coactus, ut dicas excusare etiam à præcepto diuino, ut si puella metu mortis perculsa oblatum stuprum admitteret,aut mentiretur, aut peieraret. ¶Insolutione argumenti hoc pro constantissimo habendum est, quòd ad nullum cauendum periculum peccare licet, ut habetur cap.Sacris,de his quæ ui met. ve cau.fi.Bst nihilominus distinguendum, vt dist.27.di cebamus, quædam esse intrinseca ratione peccata,quæ sunt prohibita,quia mala:alia uerò esse mala, eo solũ quòd iure sunt humano prohibita. Illa quidem prioris generis, quia cum sint natura sua mala, nequeunt non esse mala, nullo metu quantunuis atrocissimæ mortis committere licet,atque adeò ipso, quòd quis illa saltem mortaliter committat,desinit esse constãs ac perinde nec talis metus cadit in constãte uirum, neque excusat saltem in totum, sed in partem, capit. Sacris, de his quæ ui met.ve. Non tamen quòd mortalem culpam usque ad uenialem extenuet.Sed alia posterioris generis, quia non sunt intrinsecè mala, possunt quidem bona fieri quãdo sunt media cauendi grauioris mali.Ecclesia nãque obseruationem festorum aut ieiuniorum præcipiens non tam stricto rigore uoluit nos obligare,ut pro eorum obseruatione mortem deberemus obire:quare qui metu mortis ieiunium uel festum frangit, non desinit esse constans, atque adeò excusatur à culpa. In iactura autem nostrorum bonorum, quia sumus eorum domini, nullam homo culpam contrahit, si ad redimendam uitam uel honorem, uel aliud pretiosius bonum, illa expendat. Quare in casibus inter arguendum obiectis negatur, metum non cadere in constantem uirum, imò cadit & excusat. ut illud liceat, quòd aliàs illicitum erat: secùs in iure diuino & naturali. Dixerim ea, quæ sunt de iure positiuo, posse fieri per metum licita,quia id nõ est est semper necessarium. Posset enim princeps in bello,uel alia simili necessitate militi aut ciui quidpiam præcipere. quod non obstante periculo mortis teneretur implere. Sed de ijs casibus nihil ad præsentem locum.

¶Ad

Prima conclusio.

Secũda cõclusio.

Argumen.

Aliud arg.

3. Argum.

Solu. arg.

Duplex peccatorũ genus.

Prioris generis.

Posteriorisgeneris

Ad arg.

Sol. 1.arg.

¶Ad primum igitur argumentum Philosophus ipse loco citato respondet:non enim uirum probum & constantem pertinacem esse oportet, ut nihil prorsus timeat, sed debet ubi & quando oportet, metum excutere,ut officio uirtutis intrepidus fungatur. Debet tamen quando & ubi oportet timere,ne in audaciæ extremum impingat.atq; hac ratione medium inter extrema tenet. ¶Ad secundum argumentum D.Tho.impræsentiarum & reliqui respondent, quod quanuis infamiæ detrimentum graue sit damnum, facilè tamen potest resarciri. Hoc tamen intelligitur de infamia facti, ut si quis cui comminaretur falso testimonio eum infamaturum, à quo tamen ipse se postea posset purgare.Sed tamen metus infamiæ iuris iustus est.ut ead.l.Nec timorem, habetur.Vt si quis ei,quem in infami delicto morte digno,deprehendit, comminaretur se eum proditurum:quoniam tunc ad metum mortis uel ad similem reduceretur.Eadem ratione nec metus excommunicationis censetur iustus: quia potest ei facilè succurri.

Sol. 2.arg.

Metus infamiæ iuris.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm consensus extortus per metum cadentem in constantem uirum sufficiat ad matrimonium.

PER hæc,quæ dicta sunt, ad matrimonium descendentes exploremus oportet, utrùm consensus per metum cadentem in uirum constantem extortus sit ad matrimonium ualidus.Et arguitur à parte affirmatiua. Violentum mixtum,ut expositum est, plus de uoluntario continet quàm de inuoluntario,imò est simpliciter uoluntarium: consensus autem sic extortus est mixtus,atq; adeò absolutè uoluntarius:ergo est ad matrimonium sufficiens. ¶Secũdò arguitur. Ei,qui coactus in matrimonium consensit,cõsulendum est,ut in matrimonio persistat,quod utiq; absq; alio consensu potest esse ualidũ:ergo ille est sufficiẽs. ¶In contrarium est textus Alexandri tertij capitulo. Cùm locum, de sponsalib. ubi ait, quòd cum locum non habeat consensus ubi metus uel coactio intercedit, necesse est,ut ubi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur.

Partis affirmatiuæ ar. primum.

2. Argum.

Part negatiua.

¶De hac quæstiuncula uarij modi uersantur dicendi.Sunt enim,quos Scotus distinctione præsenti refert, qui autument,neminem cogi ad consensum matrimonij posse.Et eorum ratio est.Vnusquilibet potest pœnas & nocumenta sibi oblata uerbis euadere dicendo se uelle matrimonium contrahere,licet corde non consentiat:ergo ad consensum non cogitur:secus si cogeretur fugere, id enim facere nequiret,nisi fugere uellet.Opinatio tamen hæc falsa est:nam metus mortis constantem etiam uirum cogere ualet, ut uerba illa extera proferat,ut autores ipsi confitentur: potissimùm cùm coactè contractum matrimoniũ minus malũ sit quàm mors. Tunc arguitur sic. Metus,qui uirum constantem ad aliquid cogit, consecutiuè eum ad id constringit,sine quo nequiret,citra peccatum reliquum facere: nam uir constans, ut dictum est, nullo metu peccare debet: dicere autem se consentire,nequit citra peccatum mendacij, nisi consentiat:etsi iurare cogeretur, crimen mortale committeret: ergo eodem metu, quo cogitur ad uerba,compellitur ad consensum,ueluti ille,qui oborta procella merces in mare exonerat.Et confirmatur eadem ratio,quia religiosus, qui uotum solenne emisit,per quod fit ad matrimonium inhabilis,nullo metu affirmare potest se in matrimonium consentire, eo quòd si non consentiat, mentitur, & si consentiat,peccat contra uotum: qui ergo diceret, constantem uirum cogi non posse ad consensum, subsequenter dicere teneretur,nec cogi posse ad uerba, alioqui non esset constans. Et sic repugnantia est dicere,cogi posse ad uerba,non tamen ad consensum.

¶Imò uerò aliter etiam arguitur. Ille nõ cogitur proferre uerba per absolutam uolentiam:quia incutiens metum non mouet eius linguam manu, sed ipse propter metum mouetur ad proferenda uerba,atque adeò cogitur ad consensum proferendi:potest ergo etiam cogi ad consensum matrimonij. ¶Supposito ergo,quod metus ad huiusmodi consensum matrimonij potest in uirum constantem cadere, ad quæstionem respondetur duabus conclusionibus. Prima Consensus coactus

Decisio articuli.

Scotus.

Ratio.

Opinio falsa.

Primũ ar.

Secũdũ ar.

Ratio tertia.

Prima conclusio.

Secunda conclusio.

ctus per metum cadentem in constantem uirum, non est ad matrimonium perficiẽdum ualidus. ¶Secunda. Metus leuis non obstat quominus consensus sit ualidus. Prior conclusio expressa est in iure cap. citato, Cùm locum, & cap. Veniens, & capi. Consultationi, de sponsalibus. Et can. De nuptis, & can. Si uerum 31. quæst. 2. Secũda uerò non reperitur expressa in iure, sed tamen ex eisdem locis à contrario sẽsu colligitur. Cùm enim illic sola matrimonia irritentur, quæ metu cadente in constantem uirum, contrahuntur, documentum perhibetur per metum leuem non irritari. Ratio ergo prioris conclusionis ex natura uinculi finisque matrimonij depromitur. Cùm enim huiusmodi sacramentum nexum includat indissolubilem: & quod gratum non est, perpetuum esse nequeat: nam, ut Nicolaus Papa can. Præsens. 20. quæst. 3. autor est, quod quis non optat, id non diligit, ac perinde facilè contemnit, necesse est ut consensus, qui matrimonij futurus est causa, spontaneus sit. Quocirca quandiu durat metus causa, tandiu & metus durare censetur. Sed quãdo cessante causa coniuges cohabitant, iã tunc in foro ecclesiæ præsumitur consensus conualescere. Neque est necessarium, ut quidam adnotant super capit. Ad id, de sponsalibus. ut cohabitatio post legitimã ætatem dimidio anno proferatur, ut bene ait ibidem Panormitan. Sed satis est, ut opportunitate recedendi & fugiendi ille, qui in metu erat, perseueret. Hæc dixerim in foro exteriori, quia in foro conscientiæ quousque consensus adfit metu liber, aut maritalis affectus cum carnis copula nihil fit. ¶Quæstio autem, quæ se statim offert, est: quonam iure præsens ueritas fundetur, diuino ne & naturali, an duntaxat Pontificio. De hac re Cardinalis, in capi. Abbas, de his quæ ui metus ue cau. fiunt. ut Syluest. uerb. Matrimonium. 8. §. 11. refert, opinatus est consensum, quanuis iusto metu coactum, iure diuino, & naturali ualidum esse, uenit autem, inquit, rescindendus actione quod metus causa. Hæc autem opinio satis se eorum esse ostendit, quorum proprium non est de iure diuino & naturali censere. Enimuerò matrimonium, quod semel iure diuino firmum est & solidum, non est in ecclesiæ facultate rescindere, quicquid fit de dispensatione super matrimonio rato nõ consummato, quam tamen opinionem superiùs refutauimus. Opinio uerò hæc, etiam si consummatum fuerit, rescindendum arbitratur. Videtur autem huic opinioni fauere textus Augustini can. Inter cætera. 22. quæst. 4. ubi ait, matrimoniũ timore necis iuramento confirmatum ualere. Sed de hoc paulò inferiùs. ¶Hac ergo opinione ceu inepta prætermissa, supponatur hic in primis, quod in superioribus sæpè à nobis repetitũ est, quòd si in uoluntate non sit consensus, nulla uerba matrimonium in rei ueritate copulant. Si autem sit consensus iusto timore coactus, tunc sunt qui dicant in rei ueritate secundum conscientiam in foro Dei esse matrimonium, idq; diuino iure: sed tamen in foro ecclesiæ non iudicari ualidum, quod quidem iudicium ex præsumptione profertur. Præsumit enim, inquiunt, ecclesia coactum hominem non consensisse.

Probatur secunda cõclusio.

Ratio primæ conclusionis.

Cardinalis

Sententia autoris.

Ratio.

Augusti.

¶Refutatur tamen hæc opinio à S. Tho. hic & à Ricardo & reliquis, & bene: quia ecclesia non debet peccatum occultum alicuius sine indicijs præsumere: ergo illũ, quem coactum nouit dixisse, quòd cõsentiebat, non debet præsumere fuisse mentitum. Tametsi Durandus nõ usque adeò putet rationem conuincere: quia nõnunq; ecclesia præsumit deteriorem partem. Sed re uera impræsentiarum optima est ratio quanuis urgentior sit hæc, quòd ecclesia in citatis decretis, si eorum formam perpendas, non irritat matrimonia coacta præsumens non fuisse consensum, sed illum etiam præsupponens. Ille enim est sensus citati capituli, Cùm locum non habeat consensus ubi metus uel coactio intercedit. Non enim Pontifex negare poterat, quin aliquando esset coactus consensus: duntaxat ergo negat esse legitimum & ualidum. Quò fit ut non solùm in foro ecclesiæ sed etiam in conscientia sit apud Deũ nullum. Quod usu eiusdem ecclesiæ præsertim confirmatur, quæ licet in suo tribunali coactus ille confiteatur se habuisse consensum, nihilominus absoluit eum à matrimonio. ¶Vtrùm uerò ille sit iure diuino cassus, an solo humano, sunt duæ opiniones. Prima est Scoti distin. præsenti. art. 2. dicentis iure diuino & naturali esse inualidum. Alia est Ricard. ead. distin. q. 1. art. 1. & Paludani, & aliorũ plurium astruentium

S. Tho.

Durandi

Scoti opi

astruentium per solum decretum ecclesiæ fieri inualidum. Nemo tamẽ hanc opinionem suspicetur esse illam Cardinalis supra refutatam. Ille siquidem dicebat ualidum consensum coactum iure diuino, reseindendum tamen postea matrimonium per ecclesiam. Ricardus uerò, & isti theologi negant unquàm per talem cõsensum fieri matrimonium, idq; iure Põtificio uentante. Itaq; ius diuinum merum & naturale coactum consensum neq; confirmat, neque irritat: Durandus autem nonnullis uidetur tenere cũ Scoto, & alijs cum Ricardo. Sed tamen ipse se planè exponit iuxta hanc secundam opinionem Ricardi.

Durãdus.

1. Argu. Scoti.

¶Nihilominus rationes nõ desunt bonæ, quæ opinioni Scoti patrocinentur. Prima est ipsius hæc. Contractus matrimonij natura sua exigit, ut sit liberrimus tum propter perpetuam cohabitationem coiugũ, iuxta illud Gene. 2. Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: quæ quidem cohabitatio, nisi ex summa libertate nascatur, uix potest esse perpetua: tum etiam propter educationem prolium, quibus per matrimonium coactum ægerrimè consultum iri põt: ergo Deus, qui institutor fuit matrimonij, & omnia suauiter disponit, tale instituit, ut non nisi per consensum ab omni cõpulsione liberum conciliaretur.

2. Argu.

¶Et secundò arguitur. Cõsensus iusto metu coactus omnes alios contractus iure naturali eneruat atque inualidat: quia talis consensus per iniuriam extorquetur, & ideo debet, qui cogitur, in suam libertatẽ restitui: ergo à fortiori in matrimonio, ut maior exigitur libertas, id ipsum eadem natura secundum Deum constituit.

3. Argu.

¶Tertiò: quia neq; compulsæ promissiones, si citra iuramentum fiant, tenent natura ipsa magistra. ¶Quartò, quod est ualidum argumentum. Si metus coactus solo iure humano esset infirmus, sequeretur quotum siue simplex siue solenne per iustũ metum emissum esset ualidum: cũ ecclesia, licèt cõtractus, qui inter homines fiũt, irritos possit facere, uotum tamẽ, quod fit Deo, non itẽ irritare ualet, si legitima fiat ætate, &c. Consequens tñ est falsum: nam et uota metu extorta irritat, ut c. Perlatũ. de his qui ui. ut illico sumus ostensuri: ergo illa sunt iure diuino & naturali nulla, & pari ratione consensus matrimonij.

4. Arg.

¶Et quintum, quod urgentius est, adhibetur argumentum. Si solo iure ecclesiastico consensus coactus infirmaretur, consequens fieret, ut si inter infideles tale matrimonium contraheretur esset ualidũ, etiã si ad ecclesiam post trãsmigrarent: quia ecclesia erga infideles nihil potest disponere: consequens tamen est falsum, imò illud etiam censetur irritum & inualidum sicuti inter Christianos. ¶Accedit sextò, q̃ prædicta iura non habent statutorũ formam, quasi ecclesia sic instituerit, sed ad interrogata respondent, id quod ex natura rei diuina ordinatione respondendum erat. ¶Septimò arguitur: quia cùm matrimonium sit uerè sacramentum, de cuius essentia est consensus, & ecclesia ea mutare nequeat, quæ sacramentorum essentiã attingunt: consequens est, ut si iure diuino coactus consensus nõ esset irritus, eum ecclesia irritare nequiret. Rationes profectò sunt, quæ opinionem hanc perquàm probabilem reddunt.

5. Arg.

6. Arg.

7. Arg.

¶Quæstionem hanc D. Tho. non tractat. Neq; uerò satis constat in quam partem propenderit. Licèt ratio eius, quæ uitio impressorum multis in locis corrupta est, uideatur ad secũdam opinionem Ricardi inclinare. Ducit enim illam ex perpetuitate matrimonij hoc modo. De natura matrimonij est, ut sit perpetuum: metus autem uiri constantis perpetuitatem tollit: ergo & matrimoniũ. Probatur minor. Metus eiusmodi suapte natura postulat restitutionem in integrum. si tamen talis cõsensus ualidus esset, eandem restitutionẽ excluderet, eo quòd matrimonium non posset dissoluj: ergo impedit ne matrimonium perficiat. Sed alia, inquit, coactio per leuem metum eandem perpetuitatem non tollit: quia illam restitutionem nõ exigit. ¶Hinc ergo primum argumentum sumitur pro altera opinione: scilicet, quòd solo iure Pontificio consensus coactus irritatur, quæ non est minùs probabilis, quàm illa Scoti, imò forsan probabilior. Si ius tantùm diuinum & naturale expendatur, metus leuis, nisi sit tam exiguus, ut pro nullo reputetur perinde restitutionem exigit, ac metus uiri constantis: quia non differt iste metus nisi secundùm magis & minus, quæ quidem differentia speciem non mutat, atque adeò metus leuis etiam suapte natura est iniurius, & omnis

Altera opinio.

Primũ argumẽ. pro Ricardo.

nis iniuria iure uenit reſarcienda: quare more & uſu alij contractus præter uotum & matrimonium, quocunque metu notabili facti reſcinduntur: igitur ſi metus conſtantis uiri, inualidat matrimonium, non autem metus leuis, hoc certè diſcrimen nec ius diuinum ſtatuit nec naturale, ſed humanum, idque in fauorem matrimonij meritiſſimò. Et explicatur ſic argumentũ. Si quis metu amiſſionis pecuniæ, uel fame, uel honoris, uel uapulationis, licet nõ eſſet atrox, cogatur equum ſuum uendere, aut domum locare, aut aliquid donare, contractus reſcinditur propter fundamentum naturalis iuris: ergo ſi id non ſit in matrimonio, ſolùm ius eccleſiaſticum id diſpoſuit. Et confirmatur ratio. Quanuis metus mortis, & abſciſſionis manus, & ſeruitutis & carceris ſint genere ſuo ex obiecto maiores, quàm metus pecuniæ uel honoris, poteſt tamen in particulari fieri cõpenſatio: nam certè iacturam quinque aut decem millium aureorum pluris nonnulli etiam prudenter facerent, quàm abſciſſionem digiti uel manus, & quàm uinculorum triennalium, imò quàm ſeruitutem, quæ longè minori pretio poſſet redimi: ergo ſi amiſsio pecuniæ uel famæ ad inualidandum matrimonium non admittitur, ſi cuti & abſciſsio membri, id mero iure diuino aut naturali non ſit, ſed certè eccleſiaſtico.

Expoſitio argumẽti.

Altera rõ.

2. Arg. ¶Et ſecundò arguitur. Si metus cadens in conſtantem uirum ueritatem matrimonij tollit, ratio eſt, quia tollit libertatem: ſed re uera metus alius leuis poteſt quandoq; eandem libertatem auferre, ut ſi puellę inſuteretur metus ablationis dotis. & etiam ex conditione perſonæ, ſi eſt uir meticuloſus, poteſt ei urgentior fieri metus, quàm maior alius uiro conſtanti oblatus: ergo ſi metus conſtantis uiri admittatur, & leuis repellitur; id certè non natura, ſed eccleſiaſtica ſanctio fecit. Præſertim, quòd, ut ſupra diximus, uix poteſt niſi ad arbitriũ prudentum metus cadens in conſtantem uirum à leui diſcerni. Hæc demum ſic confirmãtur. Vxorem ducere, quam homo nollet, minus malum eſt, quàm mortem perpeti: ergo natura nõ uetat quo minus hoc medio homo uitam redimat: atque adeo conſenſum huiuſmodi coactum ius merum naturæ irritare non uidetur, niſi eccleſia in bonum matrimonij ſecus ſtatueret. ¶Qui ergo hanc opinionem, quæ certè ueriſimilior eſt, ſuſtinere uoluerit, dicere cum Ricardo & Durando debet, quòd cùm matrimonium non ſolùm ſit ſacramentum, uerùm etiam contractus ciuilis, quanuis eccleſia quatenus ſacramentum eſt, eius eſſentiam mutare nequeat, tamen quatenus eſt contractus ciuilis, potuit, ut inualidare eius materiam inter cognatos, ita & irritare conſenſum eius coactum per metum cadentem in conſtantẽ uirum, ad obuiandum incommodis maximis, quæ illo admiſſo oborirentur, & in fauorem matrimonij alias cauſationes leuiorum metuum repellere. Et re uera id uidentur uerba citati capituli, Cùm locum, innuere. Id autem eccleſia iure poteſt per poteſtatem ei diuinitus commiſſam adminiſtrandi chriſtianam rempublicam: quandoque, ut diximus, merum ius diuinum, & naturale illum conſenſum minimè confirmat.

3. Arg.

¶Et per hoc reſponſum eſt ad ſeptimum, quòd poſtremum fuit argumentum à parte alterius opinionis.

Solutio ptimi arg.

Aliud arg.

¶Ac perinde reſpondetur ad aliud, quod exemplo aliorum ſacramentorum duci ſolet. Si quis baptiſmum metu conſtantis uiri ſuſcipiat, ut habetur can. De Iudæis. diſtin. 45. & eadem ratione cõfirmationem aut ordines, uerum ſuſcipit ſacramentum, imò etſi ſuſcipiat euchariſtiam uel extremam unctionem, in quibus nullus imprimitur character: ergo ſi ſuſcipiat matrimonium erit firmum, Negatur enim ab omnibus conſequentia. Rationem autem diſcriminis D. Thomas hanc ſubdit, quòd intentio non eſt cauſa efficiens in baptiſmo, ſed ſolùm eliciens actionem agentis. Et intelligit non ſolùm de intentione ſuſcipientis, ſed etiam de intentione miniſtri, quod quidam non aduertunt: quia intentio miniſtri non eſt niſi applicans materiam & formam, quæ ſunt cauſa efficiens, & intentio ſuſcipientis eſt eius diſpoſitio. Quare licet utraque ſit extorta per metum, non impeditur, quin ſit uerè ſacramentum. Et idem eſt de reliquis ſacramentis. In matrimonio uerò conſenſus eſt cauſa proxima efficiens, & ideo debet eſſe libera iuxta naturam contractus. Sed præterea reſpondetur (licèt ferè idem ſit) iuxta ea, quæ prædicta ſunt, quòd matrimonium non

Solutio.

Argumẽtum.

Solutio.

non ſolùm eſt ſacramentum, ſed contractus ciuilis reſultans ex ſolo conſenſu mutuo, qui ideo debet eſſe liber. Reliqua uerò ſacramenta non ſunt contractus huiuſmodi. Et ideo conſenſum matrimonij potuit eccleſia infirmare & quaſſare tanquã iniurium & fini matrimonij nocuũ. In reliquis uerò, quia ſunt merè ſacramenta, nihil mutare potuit circa eorũ eſſentias, quæ ſunt de iure diuino forma & materia extrinſecus admota cum intentione faciẽdi quòd Chriſtus inſtituit, & multò minus in his, p quę characteres imprimuntur, ut ſupra diſtinctione. 5. arti. 7. prædictum eſt de illo, qui metu uiri conſtantis baptiſmate tingitur. ¶Quòd ſi arguas. Per baptiſmum naſcitur obligatio profitendi Chriſtianam religionem: ergo tam illic requiritur libertas, quàm in matrimonio. Negatur conſequentia: quia profeſsio ipſa fit per naturã ſacramenti, ex quo ideo exoritur obligatio etiam in paruulis per intentionem eccleſiæ.

Argum.

Solutio primi argum. Scoti.

¶Ad primũ autem eiuſdem opinionis Scoti reſpondetur, conſenſum coactum, ut ſuperius explicuimus, eſſe ſimpliciter uoluntarium in particulari. Et ideo ſi nullũ ius diuinum & naturale conſideraretur, ualidus eſſet, atque adeò argumentũ urgentiùs à parte noſtra pugnat: nempe, quòd eccleſiæ autoritate quaſſatur. ¶Ad ſecundum ſimili modo reſpondetur, quòd neque alij contractus, locationis aut uenditionis &c. per metum celebrati ſunt ipſo iure nulli, ſed debent in irritum reuocari, ut cap. Abbas. de his quæ ui metusve cau. fiunt: quia reſtitutionem expoſtulant. Et hoc facit pro nobis, quia ſecũm merum ius naturæ etiam matrimonium deberet tenere: at quia reſcindi nequit, ſtatutũ per eccleſiam eſt, ut non ſit ualidum.

Sol. 2. arg.

¶Ad tertium pariter reſpondetur, quòd promiſsiones coactæ non ſunt ipſo iure nullæ, ſed quaſſandæ, & reſtituendæ.

Sol. 3. arg.

An uotum metu emiſſum ſit ualidum. Panormi.

¶De uoto autem, quod quarto argumento tactum eſt, an dum coactione metus conſtantis uiri fit, non prorſus doctores conſentiunt, ſit ne ualidũ, ut lib. ſepti mo de iuſt. & iure. quæſtio. 2. articu. 1. diſputando dicebamus. Panormi. nanque ſuper cap. Abbas. de his quę ui met. ve cau. fiunt. tenet eſſe ualidum in conſcientia apud Deum, ſed eccleſia pronuntiat tale uotum non tenere: quia procedit ex præſumptione: præſumit ſiquidem uirum ſic coactum non habuiſſe conſenſum nouendi. Et ita gloſſat cap. Perlatum, de his quæ ui metus ve cauſ. fiũt. Et eidem opinioni adſtipulatur Sylueſt. uerb. Metus. 6. 8. Iſti autem id non probant niſi more ſuo: quia nullibi, inquiunt, authenticè contrarium legerunt. Sed profectò & canonibus & rationibus bene perpenſis contraria opinio eſt multò probabilior: quam tenet Ricardus diſtinctione præſenti, quæſtione ſecunda, articulo primo: imò uſus eccleſiæ uidetur eam, ut certam habere. Nam primùm uerba capit. Cùm locum de ſponſalibus. generaliter loquuntur de omni conſenſu coacto: ſcilicet, quòd locum non habet cõſenſus ubi metus uel coactio intercedit: & cùm manifeſtum ſit, ut ſupra dicebamus, non ignoraſſe Pontificem, quin poſsit eiuſmodi conſenſus quandoque metu extorqueri: conſequitur ut intellexerit non eſſe legitimum, nec in matrimonio, nec in uoto. Item in capit. Perlatum. de his quæ ui metus ve cau. fiunt. Alexander non uidetur ex præſumptione procedere, ſed mulierem, quæ metu mortis monaſterium intrauit, uoto abſoluit, ſiue conſenſum habuerit ſiue non. Imò certè mulier illa uidetur conſenſum habuiſſe coactum: quia pepigit cum illis, qui eam occidere adornabant, monaſterium intrare, ut illam ſeruarent. Præterea trigeſimatertia quæſtione quinta cano. Notificaſti. ſumma libertas requiritur in eo qui religioné uouet. Ad hæc item accedit ratio ſimilis, ut in matrimonio. Quæcunq; metu & ui fiũt iure debent in irritum reuocari. c. Abbas. ſæpe citato: uotum autem ſaltem ſolenne, uinculum ſuapte natura facit perinde perpetuum & ſua natura indiſſolubile ac matrimonium: ergo pari ratione eccleſia debet eiuſmodi conſenſum in uotum ſolenne inualidare, ut in matrimonium. Sed quod inter hæc omnia maximè urget, eſt uſus eccleſiæ: nam quanuis ille, qui metu uouit, confiteatur in iudicio ſe dum uouit habuiſſe conſenſum, dq; per ſacra iuret, nihilominus ſi iuſtum metũ legitimè probauerit, abſoluetur uoto. Quod certè nõ faceret, ſi ex ſola præſumptione procederet. Cenſet ergo illum conſenſum non eſſe legitimum. ¶Sed tunc procedere

Sylueſt.

Opinio Ricardi.

Ratio.

Cap. Perlatum.

Can. Notificaſti. 33. q. 5.

Ratio.

Vſus eccleſiæ.

procedere uidetur argumentum' factum: nempe, quòd iure diuino ille cõsensus fuerit cassus: alioqui ecclesia nequiret illũ irritum pronunciare. Fateor equidem argumentum minimè esse infirmum. Nihilominus respondetur, quòd quanuis uotũ per hominem ad Deum fiat, nihilominus ecclesia tanquam Dei ministra ius habet formas uouendi, saltem solenniter, limitandi. Et ideo sicut constitüit, ut nullum fiat uotum solẽne, nisi sub certis cæremonijs, ita & illius, qui coactè uouit, non approbat uotum. Et certè de uoto solenni satisfacit solutio. Sed tamen de uoto simplici, cuius ipsa non est iudex, apparet quòd si iure diuino non sit nullum, quòd ab ecclesia irritari nõ possit, quanuis possit super illo dispensare. Nihilominus respõdetur, quòd sicut potuit tempus legitimum statuere ad uouendum, etiam simpliciter: ita potuit & de modo uouendi disponere, atque adeò coactum uotũ pro nullo ducere.

Solutio.

Obiectio.

Dilutio.

¶Ad quintum negatur consequentia: imò neque inter infideles huiusmodi consensus tenet: quoniam licet ecclesia erga illos nihil disponere ualeat, nihilominus ius gẽtium & ciuile uim habuit inualidandi tale matrimonium, ea ratione, qua est ciuilis contractus.

Sol. quinti argumẽti.

¶Ad sextum uerò respondetur, quòd iura, licèt minimè præ se ferant statutorum formam, nihilominus ostendunt more & usu illud semper esse seruatum, ut matrimonium per metum constantis uiri contractum sit inualidum, & per alium leuem minimè.

Solu. sexti argum.

¶Cui autem opinio Scoti plus placuerit, dicere subinde cogitur, hoc interstitium metus grauioris & leuioris in matrimonio diuino iure & naturali esse positum. Quicquid autem alterutra opinio ueritatis habeat, constitutissimum est tamẽ eiusmodi consensus coactos non habere ad matrimonium uim.

¶Exurgunt hic tamen ex his dubiola quædam solutu digna. Primum enim offertur dubium de causa, ex qua oriri debet metus, ut sit iustus. Potest enim, uel ab intrinseco nasci, uel extrinsecus offerri. Item extrinsecus metus, iure offerri potest, uel injuria. Et sunt qui dicant, metum ab intrinseco non impedire matrimonium, quia infertur à Deo. Vt si quis metu morbi, cui per rem uxoriam posset mederi, uxorem

Dubium.

Metus ab intrinseco non impedit matrimonium.

duceret. Sed si sit ab extrinseco, ille impedit. At uerò neque omnis, qui fit ab extrinseco, impedit. Si enim cuipiam dum iure ad suspendium ducitur, offeratur conditio, ut si Mariam uxorem ducere uoluerit, seruetur: quia iuxta morem quarundã prouinciarum si fur publicam meretricẽ uxorem optauerit, donatur uita, matrimoniũ tenet, si cõditionem acceptet. Et ideò Syl. uester uerb. Metus. §. 6. aliter distinguit; scilicet, quòd si metus sit iustus, matrimonium non uitiatur, si uerò sit iniustus, tunc uitiatur. Sed re uera neque ista distinctio tuta est: quoniam potest esse metus iustus, qui tamen matrimonium uitiet, ut si qui furem in crimine deprehendit, comminetur ei se eum delaturum, nisi filiam suam uxorem duxerit, re uera metus iure incutitur, & tamen matrimonium non tenet. Suffragatur enim ei edictum, Quod metus causa, ut habetur. l. Nec timorem. & l. Isti quidem. ff. eo. tit.

Consulendo.

Syl. distinctio.

¶Regula ergo generalis & tuta est, quòd quoties metus ad hoc peculiariter incutitur, ut matrimonium contrahatur, ille, si est cadens in constantem uirum, uitiat matrimonium, siue iustè siue iniuria fuerit oblatus, alioqui minimè.

Regula generalis.

¶Hinc primò colligitur, quòd nullus metus ab intrinseco matrimoniũ uitiat: quoniam nullus talis potest illo fine incuti. Est enim metus ab intrinseco, dum quis propter uitandam infirmitatem, ut dictũ est, uxorem duceret: quem quidem metũ nemo incutit, sed è rei natura nascitur. Imò licet incutiatur à rebus inanimis extrinsecus, uel à feris animalibus, propriè dicitur ab intrinseco. Et ideo si quis metu tempestatis in mari, aut incendij, quo circunsepitur, uel ferarum, à quibus obsidetur, uotum emitteret, illud teneret: quia metus ille non censetur ab extrinseco illatus: eo quod fit per modũ naturæ. sed quando offertur ab hominibus. Rursus quanuis inferatur ab hominibus extrinsecè non illo fine, ut matrimonium contrahatur, sed alio, matrimonium tenet, etiam si iniustè inferatur. Vt si in obsidione urbis metu captionis obsessus princeps uel alius priuatus ciuis offerret hosti matrimonio sibi copulare filiam eius, matrimonium teneret: quia ille non est metus ad illum finem oblatus, sed suæ sponte uoluit qui illum patiebatur ea se conditione liberare. Secus si hostis

Metus ab intrinseco non impedit.

Metus ab hoste illato fine illato non impedit.

Exemplũ.

De infirmo.

hostis illo fine urbem obsideret, ut principem ad matrimonium cogeret. Eodem modo si infirmus metu mortis polliceatur medico se eius filiam ducturum, si eũ sanauerit. Imò quanuis medicus hanc conditionem offerat, aliàs eum non curaturus, matrimonium teneret: quia tunc medicus non infert metum, sed morbus: matrimonium autem est sicut pretium pro medela constitutum. Eadem ratione si latroni ob sua crimina in carceres coniecto puella conditionem offerret, se illum liberaturam si se uelit in uxorem ducere, certè matrimonium teneret: quia metus ille non est illatus ab illa, sed est oblata conditio, si uult à metu, in quo est, liberari iuxta. l. Metum 2. §. licet. In casu autẽ allegatarum legum. Nec timorem. & Isti quidem. diuersa est ratio: quia qui deprehendit aliquem in crimine, incutit ei metum eum accusandi, nisi puellam ducat, qui ideo matrimonium uitiat. Similiter si quis alium in carcerem detrudat, ut consensum matrimonij extorqueat, ut l. Qui in carcerem. ff. eod. tit. Pariter si pater iueni, quem cum filia sua deprehendit, cõminetur accusare nisi eam duxerit, matrimonium non tenet: quia metum infert, licet iustè possit eum accusare. ¶Quòd si obieceris casum. l. Si mulier. ff. quod met. cau. ubi habetur, quòd si liberta ingrata est patrono, qui eam manumisit, metuens se iterum in seruitutem redigendam, aliquid egerit, factum tenet. Respondetur, quòd illic non est metus oblatus, sed quę ipsa ex natura rei, & ex lege concipitur, & ideo non uitiat contractum. ¶Ex his sequitur, quòd si princeps reo, quę iustè potest capite plectere, dicat, Occidam te nisi hanc duxeris, matrimonium non tenet: quia metus est illatus illo fine. Si autẽ ipse, quo metum euadat, conditionem illam sponte eligat, matrimonium tenet. Eadem ratione tenet matrimonium, si metu etiam ad illum finem incusso contrahatur quando metus ille est lege propositus: ut si sit lex, quòd qui uirginem uiolauerit, eam ducat, ut cap. 11. de adult. tunc quanuis iudex, etiam metu mortis compellat eum, ille consensus solidus est & firmus. Et ita intelligendum est uerbum l. Continet. §. Sed uim. ff. quod met. cau. scilicet, quòd uis, quam magistratus rectè intulit iure licito non uitiat contractum.

Aliud' exẽplũ de incarcerato.

Solutio ad l. Nec timorem.

Obijcitur l. Si mulier.

Dilutio.

Apẽdix.

Intellectus l. Conuenet.

¶His nihilominus suppositis arguitur nullum posse metum in uirum constantem cadere in materia matrimonij. Aut enim dũ quis dicere cogitur, se in matrimoniũ cõsentire, corde consentit, aut secus: si nõ cõsentit, mendax est, atq; adeò non est uir constans: si uerò consentit, & est doctus, aut à doctis ueritatem didicit, scit consensum illum nullius esse momenti, atque adeò nec matrimonium contrahere: decipit ergo cogentem, quod uiro constanti non licet: & ideo perinde est ac si non consensisset & mentiret. ¶Respondetur, quòd quanuis nouerit nullum esse consensum, debet illum, si uerba proferat, adhibere, alioqui mentiretur. Et ad canendum mẽdacium satis est dicat, se contrahere quantùm in se est: idest, consentire, & ideo ille non decipit, sed alter se se decipit. Quòd si cogens dicere pergeret. Enecabo te nisi sponte consenseris, esset ille tunc fatuus & mentis inops: nàm in illo articulo, consentire in matrimonium, quod non est alteri gratum, nequit nisi coactè.

Argumentum de metu.

Solu. arg.

Nota.

¶Vtrum uerò laudabilius esset mortem potiùs oportere, quàm talem consensum habere. Respondetur, quòd genere suo potiùs esset uituperabile, saltem dũ posset metũ euitare: quia esset ille prodigus uitæ, cùm illa uia posset mortẽ cauere. Nã cũ ingratũ matrimoniũ cõtrahere minus malũ sit q̃ mors, minimè uiro constanti repugnat, per illum consensum uitam seruare. Si autem sciret se non posse postea probare metum, etiam tunc è genere rei laudabilius esset consentire, quia minus malum est ingratam uxorem ducere, quàm gladio ceruicem subdere. Posset tamen matrimonium tam inhonorum esse, tamque incommodum, & fœdum, ut licitè posset potius mori, quàm in illud consentire. Vt si uir illustris infamem mulierculam ducere cogeretur.

Ingratum matrimonium minus malũ quã mors.

¶Aliud deinde subsequitur grauius dubium de iuramẽto. Quid si quispiam metu mortis compellatur sponsalia uel matrimonium iurare, utrùm teneatur iuramentum seruare? Arguitur enim à parte affirmatiua. Periurium genere suo mortale est: qui autem non implet, quod iurat, periurus est: nam iurat falsum: ergo quanuis consensus coactus sit inualidus, saltem per iuramentum conualescit in ui sponsaliorum ad matrimonium contrahendum:

Dubium de iuramẽto extorto.

Partis affirmatiuæ ar. primum.

trahendum: ob id quòd iuramentum suapte natura secum adfert compulsionem dicendi uerum.

¶Item dum quis in manus latronum incidens in nemore metu mortis iurat se illis pecuniam aliquam numeraturum, tenetur numerare: quia cum possit homo suis proprijs bonis uitam redimere, iuramentum fuit licitum: pari ergo modo, cùm (ut modò dicebamus) minus malum sit in matrimoniũ ingratũ incidere, quàm in mortem, iuramentum licitum fuit.

Augu. can. Inter cætera. 22. q. 4.

¶Accedit autoritas, quę uidetur expressa, Augustini can. Inter cætera. 22. quæstione quarta ubi refert, quendam Vbaldum metu mortis iurasse, se concubinam ducturum, & dicere uidetur fuisse matrimonium.

Tertiũ ar.

¶Duæ de hac re uersantur opiniones, prior scilicet affirmatiua, quæ his modò argumentis instructa fouetur. Quæ etiam inde confirmatur, quòd si iuramenta metu coacta non tenerent, nulla opus esset absolutione ab illis: indigent autem eiusmodi absolutione, ut patet cap. Verum, de iureiu. ergo non sunt nulla. Item quia renunciatio electionis, quæ per metum iuramento firmatur est obligatoria, ut capitu. Ad aures, de his quæ ui metus ve cauſ. fiunt.

Pars negatiua.

¶Alia uero, his nõ obstantibus est opinio negatiua, quod tale iuramentum neque in sponsalibus, neque in matrimonio tenet.

Ricardus.

Quam Ricardus dist. præsenti, cui Paludanus ad literam subscribit, licèt aliam existimet probabilem, probabiliorem arbitratur. Et certè crediderim non id solum, uerùm quòd sit probabilissima, & quòd uix alia possit sustineri. Et primùm quanuis tale iuramentum esset in cõscientia obligatorium, tamen eiusmodi iuratus per uerba de futuro nullatenus debet ab ecclesia compelli: nam si dum iuramentum nõ fuisset per uim extortum, non esset cogẽdus, ut dist. 27. q. 2. art. 3. diximus, dũ per talem uim extorquetur, non est dubium quin sit multo minus cogendus. At uerò quòd nec tale iuramentum obliget in conscientia siue uerbis de futuro, siue de præsenti sit appositũ, probatur: quia aliàs non satis incommodis esset consultum, quę cõtra finem matrimonij orirentur. Nam si Deus, uel eius autoritate ecclesia, inualidat consensum metu extortum per uerba de præsenti: eo quòd si matrimonium eẽt solidum, nullus pateret locus restitutioni: eadem ratione ipsum inualidat quocunq; iuramento confirmatum, cùm iuramentũ ipsum etiam per iniuriam fuerit expressum: alioqui maneret ille per iniuriam citra remediũ ligatus. Neq; Augustinus allegato can. Inter cætera. si perspectè intelligatur, contrarium sensit. Ille. n. Vbaldus duo necis timore impulsus iurauit. Primum, quòd suam concubinam in uxorem duceret. Alterum quòd matrem cum fratribus domo expelleret, neq; quicquam illis alimoniæ impenderet. Respondet ergo Augustinus, quòd quantum ad matrimonium contrahendum: quia nihil uetat concubinam in uxorem accersere, sit illud firmum in Deo: id est, licitum & fortè sanctũ propter iuramẽtum, confirmetur. Non enim ait, firmum iam tunc fuisse: quia non iurauerat nisi per uerba defuturo. Sed quantũ ad aliud membrum de priuanda matre uitæ subsidio, iuramentum, inquit, est illicitum & non seruandum. Itaq; non approbauit matrimonium tanquam necessariũ, sed tanquam licitum & honestum.

Ad auctoritatẽ Aug.

Sol. 1. ar.

¶Ad primum igitur argumentum in contrarium respondetur, illum, qui coactè matrimonium iurauit, licèt non impleat, non esse periurum: quia uel Deus uel ecclesia, secundùm opiniones supra relatas, illud facit irritum, nisi qui per metum iurauit, absente metu iuramentum cõfirmauerit.

Sol. 2. ar.

¶Ad secundum respondetur, non esse simile: nam qui latronibus pecuniam per metum propter ius iurandum numerauerit, potest in integrum repetendo restitui. Secus in matrimonio. Et ideo illic iuramentum dandi erat obligatorium, hic uerò minimè.

Ad ca. Verum.

¶Et per hoc respondetur ad cap. Verum, de iureiur. omnia enim alia iuramenta in alijs contractibus natura sua ob eandem rationem sunt implenda, quanuis per metum extorta. sed tamen si petatur relaxatio, consueuit ecclesia huiusmodi iuramẽta relaxare: sed in matrimonio nulla opus est relaxatione: quia nullum erat. Et eadẽ ratione, si quis renunciationem electionis per metum iurauit, iuramentum tenet, nisi relaxetur antequam alius eligatur.

Ad ca. Ad aures.

Dubium.

¶Potissima tamen omnium ambiguitatum in hac materia est, si quis necis metu compellatur

compellatur matrimonium consummare: uidetur enim tunc matrimonium esse ualidum, eo quòd metus non censetur cadere in constantem uirum. Arguitur enim sic. Aut ille uerè contrahit, aut secus: si cõtrahit: ergo consensus fuit firmus: si uerò non contrahit, concubitus ille est fornicarius, atque adeo intrinsecè mortale delictum: ob nullum autem metum licet peccare: ergo ille non est uir constans: metus uerò non cadens in constantem uirum non inualidat matrimonium: ergo illud est ualidum.

Argumẽt.

Contrariũ argum.

¶In contrarium autem est argumentum quod nihilo uidetur infirmius. Nam si illud matrimonium teneret, non satis esset (ut supra de iuramento argutum est) eius perpetuitati consultum: quoniam consensus in carnalem copulam perinde est coactus, atque consensus in matrimonium, eademq; perinde ratione conuenit esse irritum & cassum. Paludanus dist. præsenti. q. 1. art. 4. censet eiusmodi matrimonium in foro ecclesię esse ualidum, saltem si uiro illata est coactio: quoniam ille non potest nisi consentiens coire. Quare licet consensus fuerit metu extortus, tamen ille metus non iudicabitur uiri constantis, si eum in delictum coniecit. Ob idque licet dicat non consensisse in matrimonium, non dabitur ei fides. Et idem est de puella si metu consensit in copulam. Potest tamen ipsa non solùm allegare metum, sed uim, ita ut fuerit tenta uel ligata dissentiens, atque adeò citra suam culpam turpitudinem passa. Et tunc nec in foro ecclesiæ nec in foro conscientiæ matrimonium est ualidum, nisi ipsa in copulam consenserit.

Paludanus.

Nota.

Sententia autoris.

Profectò res est mihi perplexa. In primis nisi consensus adfuerit in matrimonium, certum est nullum fuisse in conscientia, licet consensus in copulam, interuenerit: quia tunc concubitus non potest esse maritalis. Sed dubium est dum uterque consensus adest tam in matrimoniũ quàm in copulam, sed uterque metu necis extortus. Tunc autem si ille utrumque consensum coactum confiteretur, nescio quid nam ecclesia decerneret. Certum tamen est, quòd si decerneret matrimonium nõ esse ualidum re uera neque in conscientia esset ualidum: quoniam non procederet tunc ex præsumptione, sed iudicando talem consensum non fuisse legitimum.

Res perplexa.

Si tamen iudicaret esse ualidum, tunc etiã in conscientia esset ualidum, quia iudicat illum metum, nisi copula affectu maritali fuerit consummata, non cadere in constantem uirum. Et ideo ad usum & morem ecclesiæ est res deferenda. Et qui sustinere uoluerit nõ esse ualidum, non erit prorsus ratione destitutus. Sed recurrendum illi est ad illam distinctionem in capite articuli propositam: nempe, quòd ille metus genere suo & obiecto, scilicet mortis, sit cadens in constantem uirum, licèt per accidens ratione subiecti non sit uiri constantis, quia lapsus est in peccatum. Et talem tunc dicendum est sufficere ad inualidandum matrimonium. Vulgus enim eum, qui metu mortis accessisset ad illam etiam affectu fornicario, non ideo censebit inconstantem: quia sicut unus actus nõ facit uirtutem ut ait secundo Ethico. Philosophus, ita neque unus actus peccati tollit habitum uirtutis, ut uir desinat esse cõstans. Ob idque ecclesia illum accessum quanuis fieret maritali affectu, irritum esse uoluit. Atque hanc opinionem olim cum magistris, probabiliorem æstimabã: modò tamen non satis mihi firmus uideor illi incumbere. Admittere enim, metum esse uiri constantis illum, qui hominem in læthale crimen prosternit, certè neque doctorum sermo, neque ratio gratis consentit. Et ideo qui hanc opinionem tutari uellet, doctiùs fortè diceret, matrimonium inualidum esse: non quia metus esset cadẽs in constantem uirum, sed quia esset terribilissimus, & illum libertatis gradum, qui matrimonio est necessarius, auferens. Sed quia hoc etiam mori loquendi sacrorum canonum non usque-adeò consonat, tutior est altera pars: nempe, quòd ecclesia debet illud præsumere matrimonium, atque adeò contrahentes perstringere, ut in illo perseuerent. Nihilominus tamen in foro conscientiæ, si consensus in matrimonium fuit iusto metu coactus, & consensus in copulam non fuit, ut affectu maritali, sed ut fornicario accederet, non fuit matrimonium: secùs si fuit cum maritali affectu.

Probatur pars negatiua.

Aristo.

Nota.

Autoris resolutio.

¶Quòd si roges, Quomodo ergo qui in istas angustias cogitur, debeat peccatum euadere: respõdetur, quòd altero duorum modorum: scilicet, uel citius morti succum

Perconta-tio.

cumbendo, quàm copulam consummet: ueluti si cuipiam præsentanea mors offer retur, nisi in fornicationem consentiet.

Respõsio. Vel eandem copulam affectu maritali cõsummando, & matrimonium perficiendo.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum in principio articuli positum respondetur, quòd etsi cõsensus ille coactus simpliciter sit uoluntarius in particulari, tamen quia per iniuriam tam ingenti metu extorquetur, illo caret libertatis gradu, qui est matrimonio necessarius.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, non semper esse necessarium aut condecens, ut qui coactus consensit ad spontaneum consensum inducatur, nisi quando è re sua illud fuerit matrimonium. Si autem uoluerit contrahere, uel iterum debet sua sponte consentire, uel coactum; illum consensum cessante coactione retinere. Nam etsi in pœnam raptus raptor secundum antiquos canones & leges prohibitus fuerit cum rapta contrahere, ut can. De puellis. trigesima sexta quæstione septimæ. & C. de raptu uirginum. l. unica. iam tamen potest rapta puella cum raptore cõtrahere, si prior dissensio trãseat postmodum in consensum, & quod antea displicuit tandem incipiat complacere ut extra de raptoribus, c. ult.

Capi. fi. de raptorib. Consensus autem raptoris seu metum inferentis nunquam ad matrimonium sufficit, quousque accedente libero consensu alterius, fiant ambo mutui.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm uel princeps subditum, uel pater filium possit ad matrimonium cogere.

EX his, quæ dicta sunt, parua demum oritur dubitatio, utrùm aliquis quempiam inuitum ualeat ad matrimonium cogere.

Partis affirmatiuæ, argu. 1. Et arguitur, quòd princeps id possit. Nam ut supra citatum est. l. Continet. §. sed uim. ff. quod met. cau. Vis, quam magistratus intulit iure licito non uitiat contractum: usu tamen uenire potest, ut in bonũ publicum nuptiæ alicuius illustris conferant: ergo tunc princeps ipsum potest iure perstringere.

2. Arg. ¶Secũdò de patre arguitur. Legitur enim Gen. 38. quòd Isaac præcepit Iacob, ut nõ acciperet uxorem de filiabus Chanaam, quod nunquam, nisi uim haberet coercuam, fecisset.

3. Arg. ¶Accedit uerbum Pauli ad Colossen. 3. Filij obedite parentibus per omnia: nam à quibus esse & uiuere suscepimus, eisdem omnimodam obedientiam debemus. qua utique ratione supra monstratum est, patrem posse despondere filios, sponsaliaq; iuramento firmare, quod certè nisi cogere eos posset, nefas esset, nam periculum tũc periurij subiret.

4. Arg. ¶Quartò denique arguitur. Per leges ciuiles principum in nonnullis prouincijs, ut in Hispania facultas facta est parentibus, exhæredandi filias, quæ ipsis inuitis uel in scijs clam nubũnt: huiusmodi autem leges non essent licitæ, nisi parentes ualerent filios constringere.

Pars contraria. ¶In contrarium est, quod ut ca. Accessit, & alijs de despons. impub. cautum est, puellæ à parentibus ante septennium desponsatæ facultas fit reclamandi.

Decisio ticuli. ¶Quæstiunculæ huius negatiua solutio satis lucidè ex superioribus colligitur, potissimùm ex ar. 2. distin. 27. q. 1. ubi abunde monstratum est, Deum hanc facultatẽ nemini hominum reliquisse, ut inuitum quẽpiam in matrimonium obtruderet: quippe quod cum natura ipsius, quod perpetuũ esse debet, è diametro pugnet. Et hæc sit prima huius art. conclusio, sed ad dissoluenda nonnulla contraria eadem hic quæstio & conclusio repetitur.

Prima clusio. ¶Vnde ad primam autoritatem de principe respondetur, lege illa citata nihil aliud contineri, quam quod uis iusta principis matrimonium non uitiat. Iusta autem uis est, quando ex lege procedit, ut dum qui uirginem defloratit, compellitur eam sibi matrimonio copulare, nisi dotare uoluerit: nam postquam ille sua sponte uitiũ perpetrauit, non censetur inuitus id pati, quod inde subsecutũ est. Vbi aũt nulla adest hominis uoluntas, naturæ matrimonij repugnaret, ob bonum aliquod commune ingrato sibi coniugio eum complicare.

Sol. 1. ¶Quòd autem nec pater eodem iure polleat, probat D. Th. hoc pacto. Cùm in matrimonio sit quædam quasi seruitus perpetua, nequit pater filium, quippe qui liberę conditionis est, cogere.

Obiectio. ¶Quòd si contra quis arguat. Pater necessitate compulsus poterat filium uendere, saltẽ uetusta lege. C. de patribus qui filios distraxere. l. 2. tametsi inter Christianos non sit in usu: sed mera seruitus molestius uinculum est, quàm coniugale: ergo eadem ratione potest filium ad matrimonium cogere.

Dilutio. Negatur consequentia, tum quia seruitus non exigit amorem, sed satis est, ut seruus timore seruiat, cùm tamen coniugale commercium suapte natura mutuum amorem coniugum exposcat: tum etiam quia seruitus suapte conditione nõ adfert perpetuitatem, ut matrimonium, cùm possit se seruus redimere.

Secũda cõclusio. ¶Colligitur ergo secũda conclusio, quòd pater non potest filios ad matrimonium simpliciter compellere, ut ciuilis etiam lex. Non cogitur. ff. de ritu nuptia. admonet. Et ratio præsertim theologica. Nam si post matrimonium ratum potest unus coniugum altero inuito religionem profiteri: fortiori ratione filius inuitis parentibus ad matrimonium eum compellentibus id potest, atque adeo eum compellere nequeunt.

Tertia cõclusio. ¶Accedit tãdem huic tertia. Pater potest inducere filium precibus & monitis, imò nonnunquam præcepto, cui tamen ipse ea tenus parere tenetur, quatenus causa illius præcepti se habet erga ipsum, ut si causa ipsum cogat, de necessitate tenetur sub pœna peccati obedire. Et sic intelligitur. l. Si patre cogente. eod. titu. Vt si pater eum desponderat, & sponsalia iurauerat, matrimoniumque sit filio utile & commodum, neque ulla sit causa repudiandi. Si autem causa præcepti procedat ex honestate: tenetur filius tunc etiam ex honestate obedire, & non ex necessitate. Atque hoc pacto intelligitur uerbum. Honorij cap. citato, Tua nos: scilicet, quòd filius omnino debet quod pater promisit adimplere.

Obiectio. ¶Quòd si quis arguat. Videtur secunda conclusio tertiæ repugnare, quippe quæ concedit teneri filium nonnunquam parere parenti sub pœna peccati mortalis, hoc enim est cogi. Respondetur non nullam esse repugnantiam. Secunda enim conclusio solùm affirmat, quòd sine cõsensu filij per consensum patris non firmatur matrimonium, licèt possit illum desponsare. Præterea quòd neq; ipsum potest, aut metu mortis aut alio cadente in constantem uirum ad consensum perstringere. Cui non repugnat, ut possit iubere.

Sol. 2. arg. ¶Per hæc ergo ad secundum argumentũ respondetur. Iacob enim iussa parentis ea pessere tenebatur: nempe uxorem ex Chananæis non suscipere, tum propter eorum malignitatem & idololatriam, tum etiam quia terra illa Chanaam patribus promissa, bello erat petenda, & suis habitatoribus priuanda: quare præceptum Isaac nõ aliud quàm æquissimum fuit.

Sol. 3. arg. ¶Et eadem est solutio Paulini uerbi. Tenetur siquidem filius obedire patri in licitis omnibus & honestis tanquàm liber homo. Quare non cogitur omnimodè in ijs obtemperare, in quibus est tam liber, quã ipse pater. putà, in matrimonio contrahẽdo, per quod filius futurus est pater. Vnde licèt pater possit sponsalia filij iurare, tamen iuramentum non habet arctiorem uim, quàm quòd quantum in se erit operam dabit matrimonio filij conciliando: quod quidem ius non aufert eidem filio reclamandi: & ideo conditio illa, nisi filius renuerit, semper iuramento includitur.

Quartũ argumentũ. ¶Quartum argumentum, quia non solùm ecclesiasticas leges, uerùm & ciuiles tangit, negotium doctoribus facesit. Et primum omnium cap. ult. de clandest. despõ. ubi statuitur, ut filij ex clandestino matrimonio nati nõ habeantur, ut legitimi, nil ad rem attinet præsentem: quoniã ut dict. præcedenti monstratum est, non censentur illegitimi propter solam clancularia desponsationem, sed propter eius contractionẽ in gradu prohibito, quæ causa est, ut filij sint spurij. Impræsentiarum uerò non agitur nisi de pœna eorum, qui contrà uoluntatem parentum contrahunt, licèt uerum perficiãt matrimonium. In eos enim, qui sic se matrimonio iungunt, ciuiles leges pœnas decernunt, saltem peculiares regni Hispaniæ, nescio an & aliarũ nationum: nam & de Neapoli idem fertur: nempe, quòd si filia contra parentum uoluntatem clam nupserit, licet, ipso facto non sit hæreditate abdicata, sit tamen in potestate parentis eam abdicare. Ius autem commune, quod uiderim, nullum extat de hac re expressum: nam in authen. ut cùm de appella. cog. §. Causas autem. colla. octaua inter iustas ingratitudinis causas, ob quas pater potest filias ab hæreditate excludere, non habetur nisi quòd si filia, quam pater uult

Cap. Cum inhibitio.

Contrahẽtes contra uolũtatem parentũ legibus puniuntur.

Ius cõe.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nuptui tradere, non consenserit sed luxuriosam uitam degere elegerit. Subditur tamen quòd si à uigesimo quinto anno parentes distulerint eam marito copulare, & forsan contigerit in suum corpus peccare, aut sine consensu parentum marito se (libero tamen) coniungere, hoc ad ingratitudinem filiæ non imputetur. Ex ista tamen particula aliqui ex canonistis elicere contendunt à contrario sensu, quòd si ante uigesimum quintum annum inconsultis uel dissentientibus parentibus nupserit, exhæredari possit. Sed re uera collectio ægerrima est, imò glossa illic, & de in officioso testamen. Authent. Sed si post. in C. ubi eadem authentica transcribitur, non infert nisi quòd si ante uigintiquinq; annos, uel in suum corpus peccauerit, uel seruo nupserit ingratitudinis rea sit, secus si nupserit libero.

Nota.

L. 49. Tauri.

¶Extat autem in Hispania lex. 49. inter Taurinas, ubi si filia clam præter parentum uoluntatem nupserit, facultas sit eis eam hæreditatis iure expoliare. Quin uerò alia nuperrima Vallisoleti adiecit, quòd quanuis filia. 25. annorum ætatem excesserit, eidem subdatur legi. Interpretes autem canonici iuris de hac re disident: nam alij dicunt leges has ciuiles nõ esse iustas, quippe quæ iure canonico sint abrogatæ, alijs contrarium asserentibus. Et sunt doctorum turbæ utrinque tam multæ, ut rem potius confundant, quàm elucident: quia non agunt opinionum põdere, sed numero.

Pragmatica. 41 anni. 1537.

An hmõi leges sint iustæ.

Sententia authoris.

¶Duo ergo hic pro nostra tenuitate respõdemus. Primùm enim quòd iura canonica principibus huiusmodi leges interdicant, non uideo. Imò cùm matrimonium ut sæpè diximus, sic sit sacramentum, ut sit etiam ciuilis contractus, nil uetat quominus ut priori ratione ad forum ecclesiasticum spectat, posteriori, ciuili etiam aliquatenus subdatur. Non quòd principes ea possint, quæ sunt de matrimonij substãtia demutare, sed tamen quòd ualeant contrahentes mulctare, ubi in bonum publicum contrahendo deliquerint: nam possunt delictis, quorum iudicium ad ecclesiasticum tribunal pertinet, supplicia etiam, quatenus pacem reipub. perturbant, decernere, ut aduersus usurarios & periuros, & aduersus eos qui uiuentibus uxoribus incestas nuptias contrahunt: & in illos fideles, qui cum infidelibus aut Iudæis matrimonia coniugunt. Delictum aut profectò est inconsultis parentibus id sine urgente causa attentare: adeò & ratio naturalis, & iura tam canonica, ut can. Aliter. 30. q. 5. & alij. tum etiam ciuilia plurima ius erga liberos de hac re parentibus conferunt. Cap. autem Tuam, de ord. cognitio. quo aiunt hanc facultatem principibus adimi, profectò ineptè ad hoc allegatur: quippe cum illic Honorius solùm decernat, causam matrimonialem atque adeò legitimationes liberorum ad examen ecclesiæ pertinere, sanè cui incumbit iudicare an matrimonium fuerit ualidum. Ex quo profectò nulla consequutione colligitur, ut principibus inhibeatur de successione hæreditatis leges ferre. Quin uero capi. aliud: scilicet, Causam quæ. in 2. qui filij sint legitimi, quod simul pro se afferunt, contra eos militat: quippe ubi Alex. fatetur ad regem pertinere non ad ecclesiam de possessionibus iudicare, ubi agitur de illegitimo matrimonio, licèt causa matrimonij fuerit ne firmũ aut infirmum pertineat ad ecclesiam. Quòd si arguas. Ius canonicum liberam potestatem tribuit filijs matrimonia contrahendi. Conceditur quidem, imò & iure naturali & diuino eadem fundatur libertas. Sed si inde inferas, eadem iura inhibere principibus, ne ullas pœnas contrahentibus decernant, negatur consequentia. Nam etsi ob eandem libertatem matrimonia inconsultis parentibus sint ualida, nõ tamen semper contrahentes excipiuntur à delicto, quod princeps punire potest. Si enim duo illustrissimi magnates uellent suos liberos matrimonio coniungere, qua ratione duæ eorum amplissimæ primogenituræ in unam domum coalescentes periculum regi & reipublicæ crearent, profectò posset tunc rex & deberet tale matrimonium sub grauissimis pœnis inhibere. Pari ergo ferè ratione interdicere ualet, ne magnatum filiæ inconsultis parentibus nubant.

Diluuntur fundamenta.

Aliud ex

Obiectio.

Dilutio.

Exemplũ.

¶Addiderim tamen secundò hoc temperamẽtum, quòd huiusmodi leges non debẽt semper toto rigore executioni mandari. Vnde consultissimè non eandem pœnam infligunt liberis masculis absq; uoluntate parentum contrahentib. quam fœmellis, quæ cùm non tanto ingenio & prudentia

Nota.

Pœna. 49. nõ habet locum in masculis.

Ratio. Cã nubendi æstimãda.

tia uigeant, debent (in concinnandis potissimùm nuptijs) parentibus obstrictiùs esse subiectæ, ne leuiter de se disponant. Sed nihilominus debet causa quoque nubendi æstimari, ut si fortè filia erat iniuria parentum oppressa, quam ne dotarent, uel alia de causa, nuptui tradere recusabant, tunc certè non esset rigore legis in illam animaduertendum si clam nupserit suo æquali, quemadmodum si absque ulla causa id fecisset. Quare neque in personis inferioris sortis debet ille rigor obseruari, ut in illustribus: quia nec tantum detrimenti populares per hæc matrimonia suis domibus afferunt. In summa quod Christianissimus quisq; rex de hac re decreuerit, iustum est.

Nota.

QVAESTIO SECVNDA, De consensu conditionato.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm consensus conditionatus sit ad matrimonium per se sufficiens.

Partis negatiuæ ar. primum.

POnè ad coactum consensum accedit conditionatus: & ideo similiter quæritur, utrùm aliquando per se sufficiat. Et arguitur à parte negatiua. Matrimonium exigit uerba simpliciter consensum exprimentia: quod autẽ sub conditione enunciatur, non simpliciter asseritur: ergo nunquam eiusmodi cõsensus sufficit.

Secũdũ ar.

¶Secundò, quia uerba, quibus matrimonium conciliatur, debent esse certa & firma: adiecta verò conditio incertitudinẽ quandam præse fert.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium tamen est, quòd cùm alij contractus sub conditione celebrati impleta conditione sint puri & firmi: nil obstat quominus simili consensu contrahatur motrimonium.

Conditio quid.

¶Conditio impræsentiarum non usurpatur pro rei qualitate quemadmodum dicimus aliquam esse seruilis liberæve conditionis, sed pro illa, quæ contractui apponi consueuit. Vnde conditio in hoc significato est dispositionis: scilicet, actus uel contractus ex euentu incerto suspensio: ut si dicam, Ducam te in uxorem si tantum mihi æris pondus in dotem numeraueris. Et solent iuris periti quatuor cõtractuum moderamina distinguere, quæ sunt, Demonstratio, modus, causa, & cõditio. Quorum singula suas habent notulas. Demonstratio enim fit per relatiuum aut per nomen exprimens qualitatem, ut Duco Mariam, quæ libera est, aut Duco istam uirginem. Sed modus exprimitur per cõiũctionem, ut Duco ducis filiam, ut honoris mihi accessio inde fiat. Et ad modum reducitur determinatio temporis, ut contraham tecum Dominica in albis, quãdo per ecclesiã licet nuptias celebrare. Causa autem exprimitur per, quia, ut duco Crasi filiam: quia prædiues est. Conditio uerò exprimitur per, si, nisi, aut, cùm, & similia, ut Contraham tecum si dederis, uel cùm dederis centum, vel, nisi pater reuerit. ¶His præmissis ad quæstionem tribus conclusionibus respõdetur. Prima est. Tria reliqua moderamina, siue uera sint siue falsa, siue turpia siue honesta, aut cuiuscunque qualitatis, nihil ad matrimonium confirmandum, uel infirmandum referunt, magis quàm si non apponeretur, nisi formam conditionis induant. Exemplum. Si quis dicat, Accipio te, quę, vel, quia uenenum sterilitatis potasti, matrimonium cõtrahit, siue potauerit illa siue secus, licèt eiusmodi potatio fini matrimonij obstet: quia non apponitur ut conditio. Imò quanuis dicat, quia scio te sterilitatem procuraturam, uel pretio amicos recepturam. Et ratio est, quia illa non ceu conditionem apponit, sed quia uxorẽ sterilẽ, solùm ut illecebris carnis occurrat, quærit, vel quę illum quomodocũque sustẽtet, etiam turpi lucro. Si autem diceret de futuro, Contraho tecum, quæ datura mihi es tantum dotis, illa iam uim habet conditionis, & ideo contractum suspendit quousque per impletionem purificetur. Et pariter si diceret, Accipio te, quæ venenũ sterilitatis potabis, nõ eẽt securũ matrimonium: quoniam uidetur habere formam conditionis contra eius finem: id est, si potaueris. Quoniam si diceret quia dabis mihi tantam dotem, conditionem uideretur apponere. Quamuis causales istæ de futuro ambiguæ sint, possunt enim referre uel conditionem uel duntaxat credulitatem proferentis. Et isto

Quatuor cõtractuũ moderamina.

Demõstratio.

Modus.

Causa.

Conditio.

Prima conclusio.

Exemplũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundo modo nullatenus contractum uitiant matrimonij. Et idem de demonstrationibus sentiendum. Eademque ratione si diceret, Contraho tecum, ut impedimenta generationis procures, anceps esset oratio. Nam etsi coniunctio, ut modū suapte significatione designet, creberrimè tamen uim habet conditionis. Similiter si quis dicat. Contraho tecum, quæ libera es, uel quia libera es, illa non est mera demonstratio, sed uim gerit erroris cauendi. Et ideo si erat illa mancipium, & illud ille præsciuerat, matrimonium tenet, si autem crediderat esse liberam, nullum est, non propter defectum demonstrationis, sed propter errorem circa personam, qui matrimonium uitiat. Quare illa demōstrationis adiectio suffragabitur proferenti, ut credatur existimasse eam liberam, & onus probationis transferetur in fœminam, quæ probare tunc tenetur, eū sciuisse se esse ancillam.

¶ Conclusio hæc facili ratione probatur: quoniam illa, quæ matrimonium uariant uel uitiant, debent ad substātiam seu uim contractus spectare: demonstratio autem & modus & causa ad uim contractus non spectant, sed ad causas, quæ contrahentes mouebant, uel ad opiniones rerum, quas conceperant. Quocirca quanuis demonstratio aut causa sit falsa, nihil refert, Vt quispiam dicat, Contraho tecum, quam pater mihi desponsauit, aut, quia parentibus nostris perplacet, tunc quanuis falsum illud sit, nihilominus matrimonium tenet. Falsa enim demonstratio minime legatum aut contractum uitiat. l. Falsa. ff. de condi. & demonst.

¶ Ante secundam uerò conclusionem prænosse oportet plurima esse conditionum genera. Quędam enim sunt conditiones generales, quæ licèt non apponantur, intelliguntur: Vt Cōtraham tecum, si Deus uoluerit, aut si nos uiuos seruauerit. Aliæ sunt particulares, sed tamē contractui matrimonij necessariæ, ut si uir diceret hermaphrodito. Contraham tecum si sexum elegeris fœmininum, aut si mihi non fueris consanguinea: aut si diceret sarracenæ Contraham tecum si fidem Christi profiteri decreueris. Et huiusmodi omnes conditiones nil refert, seu apponantur seu taceantur, nam ex natura rei censentur appositæ. Ex alijs uerò particularibus quædam sunt aut necessariæ in se, aut simpliciter impossibiles, ut si sol oriatur cras, aut si cælum digito tetigeris. Aliæ uerò sunt contingentes. Atque istæ sunt rursus bipertitæ: quædam enim sunt contra substātiam matrimonij aut eius finem aut fidē, ut, Contraho tecum quousque aliam inuenero melioribus moribus præditam, quod est contra matrimonij perpetuitatē. Vel Contraho tecum si sterilitatis causas procurauerit, quod est contra eius finem. Aut si aliquem admiseris, qui tecum adulteretur, quod est contra eius fidem. Aliæ uerò sunt, quæ matrimonio minimè aduersantur: & istarum quædam sunt honestæ, ut Contraho tecum si pater consenserit, aut si dotē mihi dederis, uel si fueris uirgo. Aliæ autem turpes, ut Contraho tecum si mihi fueris in furto uel homicidio perpetrando adiutrix. Atqui omnes istæ apponi possunt aut uerbo de præsenti, contraho, duco, nubo: aut de futuro, contraham &c.

¶ Rursus animaduertendum, quòd matrimonium ipsum conditionem non admittit, sed eius consensus, Quod est dicere, quòd consensus potest quidem ex conditione pendere, sed quandiu ille pendet, matrimonium nullum est, quippe cùm absolutus purusque debeat esse contractus, atque adeò quousque conditio purificetur, & consensus fiat de præsenti purus, aut maritalis accedat copula: uigorem cō iugij non habet.

¶ In calce demum animaduertendum, q̄ nulla istarum conditionum, quicquam adfert momenti ad matrimonium confirmandum, uel infirmandum, nisi ambo cō trahentes in illam conditionem consentiant, ita ut quam unus obtulit, alter accipiat.

¶ Sit ergo secunda conclusio. Consensus de præsenti sub conditione de præsenti, si illa tunc uel impleta est uel adimpletur, per se absque alio consensu sufficit ad matrimonium, quod ideo eodem momento perficitur: ut si Petrus dicat Mariæ secum consentienti, Contraho tecum si patri meo placuerit: id est: si iam modò placet. Conclusio est nemini dubia, quippe cuius ratio est liquida. Nil enim hinc, quòd substantiam sacramenti attingat, deest, si modò personæ sint legitimæ, cùm interueniat assensus mutuus de

Ratio conclusionis.

Conditionū genera.

Conditiones generales.

Conditio particularis duplex.

Conditio contingens duplex.

Secunda conclusio.

Ratio conclusionis.

de presenti nullatenus ex futuro dependens, qui ideo eodem momento, quo exprimitur, uim suam obtinet: nam & in alijs ciuilibus contractibus ita res habet. l. Institutio talis. ff. de condi. instit. &. l. cū ad presens. ff. si. cer. pet. ubi habetur, quòd si cōditio est de presenti aut de præterito non suspendit contractū. Vnde. l. Itaque. ff. eod. concluditur, quod tunc potestatē conditionis obtinet cum in futurum confertur. Si uerò conditio non esset adimpleta, aut esset matrimonio contraria, cōsensum irritaret. Et intelligitur sic conclusio, quod etiam si contrahentes assensionem parentum ignorent, imò quanuis credant eis displicere, si postmodum constiterit parentibus tunc fuisse gratum, non opus est alio consensu, sed matrimonium habendum est pro rato. Quinetiam satis est in uirtute eis placuisse: nempe, si licèt tunc essent dormientes, cogitauerant tamen de illo matrimonio, & placuerat eis. Quinimò fortasse licèt de hoc nūquàm cogitassent, si postea interrogati matrimonium approbarent, approbatio illa esset inter pres uirtualis consensus præteriti, uel saltem non displicuisset. Cùm enim dicitur, si patri placuerit, sensus uidetur si non fuerit dissentitus, & sciens gratum habuerit. Attamen si tunc parentibus displicebat, quanuis postmodum scientibus placeat, matrimonium nullum est absque nouo cō sensu. Nam conditio ad illud momentum referenda est quo consensus de presenti exprimitur. ¶ Hinc colligitur, quòd quauis cōditio uerbis de præsenti adiecta sit de futuro, si tamen est necessaria in se, ut si sol oriatur cras, perinde sit solidum matrimonium, acsi conditio esset de presenti. Assertio est S. Thomæ dist. presenti, art. 3. quæstiuncula 3. quanuis glossa super c. Per tuas, de condi. apposi. contrarium sentiat dicens, quòd etiam hmói necessaria conditio suspendit contractum: & ideo si iste antequam sol oriatur cras aliud matrimonium contraxerit de presenti, illud, inquit, est ualidum. Sed re uera glossa hęc nulli est rationi consentanea. Nam cùm illa conditio sit iam in suis causis naturalibus necessaria, impleta cēsetur. Ad quod facit expresse. l. Si pupillus. §. Qui sub cō ditione. ff. de nouationibus. Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino extitura est, pure uidetur stipulari. Et insti. de inuti lib. stipula. §. si impossibilis. Et. l. Impossibilis. ff. de uerb. obliga. Si quis sub illa cō ditione aliquid spondet, Si cœlum digito non attigero, purè facta obligatio intelligitur quia conditio est necessaria. Secus si conditio poneretur ut modus: scilicet, cō traho tecum in diem uel pro die crastina sub solis ortum: tunc enim conditio trahit consensum ad futurum, & facit tantū sponsalia. Si uerò talis per se necessaria cō ditio addatur uerbis de futuro, contrahā tecum si sol oriatur cras, aut si cœlum circunferatur, eadem ratione ualebit pro sponsalibus, acsi nulla esset adiecta conditio. Sed tamen non restringit ad contrahendum cras: quia non apponitur tanquā determinatio temporis. Si autem diceres, Contraham tecum si pater meus moriatur, quanuis conditio sit necessaria, uidetur tamen adiecta, ut modus tanquam tēporis determinatio: & ideo non teneris contrahere usque ad patris obitum. Sed si dicas de præsenti, Contraho tecum si pater meus sit moriturus, continuo tenet matrimonium: quia conditio est necessaria, & non ponitur ut designatio temporis. In his ergo & similibus discernendis prudentia opus est.

¶ Dum autem uerbis de presenti adhibetur honesta conditio de futuro dissidium est inter iuris peritos & theologos, utrùm conditione adimpleta opus sit nouo consensu ad confirmandum matrimonium, an uerò sufficiat ille precedens. Panor. si quidem cap. De illis, de conditio. appoſi. & Inno. 4. ac penè omnes tenent nō opus esse consensu nouo, sed solo impletæ conditionis accessu, nisi conditio substantiæ matrimonij sit contraria. Vt si quis alicui dicat, Contraho tecum si pater consenserit, aut si mihi talem dotem dederis, aiūt, impleta conditione sine nouo consensu matrimonium esse solidum, quia consensus est purificatus: ita ut si ad alia uota ille transierit, nulla sint prorsus. Adstipulatur eis Paluda dist. presenti. q. 2. ar. 5. Est hic tamen per distinctionem cauēdum, quòd huiusmodi conditio de futuro adhibita uerbis de presenti pōt dupliciter apponi. Vno modo super illegitimam prohibitamq; materiam, ut si cognati intra quārtum gradum contrahant sub conditione, si papa dispensauerit. Et tunc alia est diuersa ratio. Quare non omnes predicti

Conclusionis declaratio.

Conditio, si patri placuerit.

Corollarium.

S. Thom.

Glossa ca. per tuas.

Reprobatur glossa.

Dubium.

Conditio de futuro dupliciter contingere potest.

canonum doctores de ista loquuntur, ut paulò pòst uidebimus. Sed dum super legitimam materiam cadit, ut in exemplo posito, si dotem dederis, aut si pater consenserit. De quo ergo nobis primum agendum. Potissimum igitur argumentum canonistæ à similitudine aliorum contractuum ciuilium ducunt. Dum enim quis ædes suas alteri sub hac conditione uēdit, si aliàs ipse emerit, uel si rex consenserit, impleta conditione non opus est alio contractu nec consensu, ut uenditio teneat: idem ergo de matrimonio sentiendum.

Inrisco sultorū argumentum.

Tertia conclusio.

¶Sed nihilominus subiungitur tertia conclusio. Conditio de futuro adiecta uerbis de præsenti facit consensum in uirtute esse de futuro ceu sponsaliorum: & ideo adueniente conditione non fit matrimoniū nisi nouus consensus de præsenti accedat.

S. Tho.

Conclusio est S. Thomæ dist. præsenti. ar. 3. quæstiuncula. 3. & omnium theologorum. Et re uera perspecta ratione nullatenus esse potest dubia. Ratio quippe est, q̄ conditio de futuro facit cōsensum expressum per uerba de præsenti esse pēdentem de futuro & ideo ante completam conditionem non est sufficiens: consensum autē pendere in futurum, in uirtute est esse de futuro: & ideo optimè ait S. Tho. quòd cōditio de futuro, licèt adhibeatur uerbis de præsenti, perinde habet acsi adhibeatur uerbis de futuro: cùm ergo matrimonium nullatenus nisi per consensum de præsenti, uel copula superueniente carnali contrahatur, fit ut per talem consensum, nec quando exprimitur conditio, nec quando impletur fiat matrimonium, atque adeò opus sit alio nouo de præsenti. Et confirmatur ratio maximè quatenus matrimonium sacramentum est, aliorum sacramentorum exemplo: nullum enim sub conditione quidpiam ualet, ut si quis diceret, Ego te baptizo, aut confirmo, aut absoluo si ieiunaueris, aut psalmos recitaueris: aut si prælatus ratum habuerit: neque uerò ualere incipit dum conditio impletur: nam in sacramentis locum non habet ratihabitio.

Ratio conclusionis.

Obiectio.

¶Quòd si contra arguas. Si quis dicat fœminæ, Contraho tecum si tu consenseris, ille consensus pendet de futuro consensu alterius: & tamen ipsa consentiente non est necessarius in uiro alius nouus.

Ratio se-

Solutio.

Respondetur, quòd consensus ille in uirtute continuatur, donec fiat mutuus adueniente alterius consensu. Et ideo non est simile illi, qui pendet de futura conditione, aut de consensu alius tertij: putà, parentis &c. Imbecille ergo & nullius uigoris est argumētum, quod ex alijs ciuilibus contractibus ad matrimonium à canonistis accersitur: nam in alijs iure præsumitur consensum semper in uirtute durare, quousque conditio superueniat. Et ideo licèt ille fuerit de futuro, impleta cōditio confirmat contractum. Secus uero in matrimonio, ubi necessarius est consensus de præsenti.

Solutio argu. Iu cōsultor

¶Sed ecce aliud argumentum Paludani, Vbi D. Thom. ait, conditionem de futuro adiectam uerbis de præsenti perinde habere acsi apponeretur uerbis de futuro, aut intelligit nunc quando profertur consensus, aut tunc quando impletur conditio: non nunc: quia non sunt sponsalia. nam conditio in futurum pendens ut impedit nunc matrimonium, ita & spōsalia: nec tunc quando conditio impletur, nam tunc fit quidem matrimonium, ut in reliquis contractibus contingit. Meritò tamē Adrianus. q. 2. de matrimonio reprehendit Paludanum, qui tam infirma ratione suum Magistrum deseruit. Respōdetur. nei, eiusmodi contractum uim habere sponsaliorum ab illo puncto, quo fuit cōsensus prolatus. Similiter enim ipse debet respondere in uerbis de futuro. Si enim quis dicat, Accipiam te si dederis mihi talem dotem, quis neget oriri sponsalia? ergo conditio illa licèt impediat tunc esse matrimoniū, non impedit esse sponsalia. Pari modo quando dico, Accipio, si conditio sit de futuro. Et simili ratione impletio conditionis non sufficit ad matrimonium sine consensu nouo de præsenti.

Argu. Pa ludani.

Adria. re prehen Paludan Solu. arg

Ratio cundæ

¶Et confirmatur urgentissimè eadem sententia. Iste contractus, Accipio te si hoc dederis, uim illico habet obligandi sub conditione, & non ratione matrimonij, ut contraria opinio fatetur: nam si ante cōpletam conditionē ille uoluerit à contractu resilire & aliam ducere, ille secundus contractus erit uerum matrimonium: ergo obligat in uirtute dūtaxat sponsaliorum, atq; adeò adueniente conditione non erit amplius q̄ ceu sponsalia obligatorius. Et corroboratur ratio. Si eo ipso, q̄ cōditio adimpletur, esset matrimoniū, non opus esset ecclesiæ coactione, ut qui sic pepigerunt, contraherent: cōpellit

Aliud argument.

lit aūt eos ut contrahant: ergo nō erat nisi sponsalia sub conditione obligata.

Intellectus c. Sup eo.

¶Sed arguitur ad id præterea ex ca. De illis, de condit. appos. ubi ait Alexander, q̄ qui mulieri sic iurauit, Ego te in uxorem accipiam si tantum mihi donaueris, non est postmodum reus periurij si nolentem soluere accipere renuerit, nisi uel consensus de præsenti uel copula interuenerit: ergo nisi ubi consensus de præsenti absolutus interuenerit, matrimonium non est ualidū. Et est explicatio Vrbani tertij in c. Super eo. Quare mirandum est quomodo Canonistæ hoc caput Vrbani sibi arbitrentur suffragari, cum significātius eis refragetur & patrocinetur nobis, ut bene ait loco citato Adrianus. Cùm enim illic Vrbanus decreuisset, eum, qui in quandam mulierē consenserat, si pater suum præstaret assensum, anteq̄ uoluntas patris accederet non esse cogendum, obijcit uerba Alexandri, nisi consensus de præsenti intercedat, & ait, illud nō esse suæ definitioni aduersum: quia iste, inquit, consensus (s. contraho tecum, si pater meus consenserit) non est de præsenti habendus licèt euidētius per uerba de præsenti exprimatur, quia in alieno arbitrio non habito, sed habēdo consistit. Tam clarè Papa quàm nos loquitur. Et c. Per tuas. liquidò id etiam docet Inn. 3. in illis, qui in matrimonium consenserant si pater uel patruus in ipsum quoq; consentirent: pronunciati enim fuissent tanquàm non coniuges, nisi quia anteà quàm pater consentiret copulam consummarunt, per quam uisi sunt à conditione recessisse. Cōcluditur ergo, conditionem de futuro uerbis etiam de præsenti adiectam non facere, dum adimpletur matrimonium, sed cōfirmare sponsalia. Quare si alter illorum ad aliud matrimonium trāsierit, illud erit ualidum. Certè nescio cur huiusmodi opiniones circunferantur tanquàm Canonistarum aut Theologorum. Deberēt. n. pensata ratione perpendi, & non simplici assertione doctorū sustentari.

Conditio, si Papa dispēsauerit.

¶Nouam autem dubitandi rationem nobis offert. quādo conditio de futuro sup illegitimā materiam fertur. Vt si quis cognato suo intra gradum prohibitum dicat, Contraho tecum si Papa dispēsauerit. Liquidum enim est ante dispensationem nullum esse matrimonium: sed tamen dispensatione concessa, non desunt qui autumēt absq; nouo consensu esse matrimonium, ut Calderi. & alij, quos Syluester, uerbo. Matrimonium 3. §. 9. inducit. Isti eodem argumento utūtur, quo superiores. Sed multò habet minus energiæ in ista materia, quàm in alia. Vnde idem Panor. & Inno. in c. Super eo, licèt in cap. De illis, ubi legitima est materia, censeant matrimonium absque nouo consensu tenere, tamen ubi est illegitima, id negant.

Sylvest.

Pars negatiua.

Et re uera non est cur hæc pars negatiua sub opinione tenenda sit, cùm sit prorsus certa. Nam præter rationem nuperrime factam, quæ sufficiens est, exsistit alia hic noua, eademq; urgentior. Ad cuius intellectum notandum est documendum D. Thomæ in 4. distinctio. 40. artic. 4. quòd leges Pontificum non referuntur ad præterita, ut sententia, sed ad futura. Si enim dum lex uigebat prohibens matrimonia in quinto gradu, aliqui in illo contraxissent, & postmodum dum lex alia, quæ permisit contrahere in quinto, superueniret, non ideo eorum matrimonium confirmatum censetur, nisi nouo cōsensu utentes dispensatione contraxissent: quia lex non loquebatur nisi in posterum. Et uice uersa. Si modò ederetur lex prohibens quintum gradum, matrimonium eorum, qui in illo contraxerunt, non dissoluitur. Regula est omnium doctorum utriusque scholæ: scilicet, & Theologorum & Iurisconsultorum communi consensu receptissima. A fortiori ergo sic intelligendæ sunt dispensationes. Cùm ergo Papa super matrimonio dispensat in gradu prohibito, solùm intelligit (id quod nomen ipsum dispensationis sonat) facultatem illis facere contrahendi non autem ratum habere quod factum est: ergo si contrehere uolunt, nouo opus habent consensu.

Documentū. D. Thomæ.

Lex & dispēsatio futura respicit, nō aūt præterita.

Nota de dispensatione.

Consequentia quidem liquida est, sed minor etiamnum confirmatur. Nam quod in se nullum fuit, fieri nequit ut ualidū fuerit: imò neque ex illo ulla potest oriri obligatio, l. Cùm lex. ff. de fideiussoribus. ut loco citato bene adnotauit Panorm. consensus autem ille inter illegitimas personas nullus fuit: quia erat iure prohibitus: ergo non potest pro rato haberi, ut ad matrimonium sufficiat.

Probatio minoris.

¶Et arguitur explicatiūs. Materia legitima quemadmodum & in ædificijs, ita & in contractibus præsupponitur formæ: ergo consensus super materiam illegitimam nullus est, sed post-

Aliud argument.

Universidad de Deusto Biblioteca

Postremũ argumẽtũ.

quàm fuerit p papã legitima, opus est nouo consensu. Et tãdem arguitur. Si sine nouo consensu uirtute prioris fieret matrimonium, sequeretur quòd illi, si Papa illis inuitis dispensare uellet (quod certè bona occurrente causa potest) nequirent à priori pacto resilire, atque adeò posset Papa inter inuitos matrimonium constituere, quod nulla potest opinione affirmari. Certè res est constantissima necessarium esse nouum consensum post dispensationem.

Appẽdix.

¶ Ex quo fit, quòd quanuis ante dispensationem cognati sponsi per uerba de præsenti & per copulam carnalem affectu maritali matrimonium consummauerint, & proles suscepterint, nullum est matrimonium, sed omnes sunt fornicationes, quousque post dispensationem denuò de præsenti consenserint. ¶ Quod autem maiorem offert ambiguitatem est, utrùm saltè eiusmodi contractus inter cognatos sub conditione, si Papa dispensauerit, uim habeat sponsaliorum, ita ut superueniente dispensatione teneantur contrahere. Est enim casus frequentissimo usu occurrens.

Adrianus.

Hoc dubium latè disputat Adrianus in materia de matrimonio quæst. 10. Et pluribus à parte negatiua præmissis sustinet affirmatiuam. Contrarium uerò: scilicet, nullam inde nasci sponsaliorum obligationẽ communis opinio doctorum asserit, in ca. citato, Super eo, vt Adrian. ipse fatetur.

Non sunt sponsalia.

Confirmatio cõmunis opinionis.

Quæ quidem opinio plurimùm ciuilibus legibus fulcitur, ut. l. Inter stipulantem. §. sacramen. ff. de uerborum obliga. vbi stipulatio, quæ sit de re sacra uel publica, uana reputatur, etiam si profana fieri possit & priuata: quia dum fiebat stipulatio res erat usibus sacris dedicata. Et idem habetur. l. continuus. §. cùm quis. Et. l. si stipuler. ff. eo. tit. habetur, quòd si quis stipulatur, ut id fiat, quod natura fieri non concedit, obligatio non consistit. Et subditur ad positum, quòd si quis stipuletur de eo, qđ leges fieri prohibent, cessat obligatio, ueluti si quis nupturam sororem sibi aliquis stipuletur. Et additur, quanquàm etiam si non sit perpetua causa impedimenti, ut accidit in sorore adoptiua, quę licèt fieri possit non adoptiua, tamen si quis stipuletur cum illa dum est adoptiua, stipulatio est nulla. Proximè certè ad rem nostram attinet hæc lex. & in l. Idem Iulianus. §. fin. ff. de legat. 1. scribitur, quòd illa conditio, quæ pendet ex uoluntate principis, censetur impossibilis. & Innocen. in ca. Pastoralis. de cau. possess. & proprie. notat, quòd quæ sine dispensatione fieri non possunt, impossibilia à iure reputantur. Quo fit, ut conditio illa, si Papa dispensauerit, impossibilis censeatur, quę habetur pro non adiecta. Vnde cùm sine illa contractus sponsaliorum nullus esset, fit ut nec ualeat cum illa. Adrianus uerò censet conditionem illam esse possibilem: nam Papa non solùm dispensare potest super matrimonio, uerùm aliquando debet, ut si promisit, uel in bonum publicum aliquid retulerit. Et ad iura allegata, ait, illa stipulationes rerum sacrarum, prohibitarum & publicarum quassare quando in ipso contractu stipulationis non exprimitur conditio uoluntatis principis, qui potest super his dispensare. Quando uerò totum ad eius uoluntatem refertur, tenet obligatio. ¶ Re uera fateor rem esse ancipitem, & utrinque ambiguam, faciliùs tamen in sententiam opinionis communis descenderim, quòd nulla scilicet inde sponsaliorum obligatio oriatur. Et ratio una est illa, quam Panorm. induxit, ex l. Cùm lex. ff. de fideiussor. scilicet, quòd ex facto iure improbato nulla nascatur obligatio. Aegra enim esset solutio dicentis, quòd lege solùm improbatur matrimonium inter cognatos, non tñ sponsaliorũ contractus sub illa dispensationis conditione. Quoniam cùm cognati lege sint excluſi à matrimonio tanquàm indebita materia, & sponsalia sint uinculum & obligatio matrimonij contrahendi, eadem ratione est inhabilis materia sponsaliorum, quousque materia sit legitima, iuxta. l. Oratio. ff. de sponsali. ubi habetur, quòd lex, quæ prohibet matrimonium, subinde prohibet sponsalia. Et confirmatur ratio. Si sponsalia inter cognatos contraherẽtur sine expressione cõditionis dispensationis, nullius uigoris esset contractus, ut Adrianus ipse fatetur: ergo quãuis apponatur ipsa conditio, nihil ualet. Probatur consequentia: quoniam licet in priori contractu non explicetur cõditio, implicitè tamen iure ipso intelligitur: eiusdem autem uigoris est implicita iuris conditio & explicita per contrahentem: ergo si posterior ualeret, prior ualeret: prior autem non ualet: ergo nec posterior. Præterea, certè cõditio dispẽsationis in

Cõditio Papa dispẽ fauerit, posſibilis

Adrianus

Solutio Adriani.

Sententia autoris.

Ratio sententiæ.

Obiectio

Dilutio.

Ratio Adri

Alia rõ.

in mortalibus impossibilis reputatur: nam regula est, ut nunquàm dispensatio fiat, & rarissima exceptio, ut non nisi urgentissima de causa fiat: quare cum natura contractus, non debeat ex accidentibus, sed ex ipsis, quæ per se insunt, iudicari, non debet talis contractus censeri spõsalia. ¶ Ad hæc demum arguitur. Affinitas sponsalibus superueniens illa dissoluit, ut cap. Veniens, de eo qui cogno. consang. uxor. & capi. Super eo, de consang. & affinit. ut si sponsus cum sorore sponsæ rem haberet: facilius autem est rei ortum impedire, q̃ existentem rescindere: ergo eadem affinitas & à fortiori consanguinitas præcedens sponsalia irrita facit, quacunque illa conditione fiant. ¶ Quòd si cum Adriano

Postremũ argumen.

Adriani obiectio.

responderis, aliquem subsequentem euẽtum uitiare sponsalia præterita, quę si precederet, non impediret futura, ut si post sponsalia sponsa fornicetur, aut lepram contraxerit, respondetur, id contingere propterea quòd si illi euentus præcessissent, sponsus sua sponte illas maculas nõ repudiasset: quia non sunt iuris impedimẽta: cognationis uero impedimenta sunt iure posita, & ideo si irritant sponsalia præsita, certè à fortiori impediũt futura. Hãc ergo opinionem licet non necessariam, multo tamen probabiliorem existimauerim. ¶ Quo fit, ut non modò ante dispensationem obtentam (de hoc enim, nulla est ambiguitas) uerum & post, uterque possit à pacto illo recedere.

Dilutio.

Neque uerò id tantùm de consensu alterius: quia & id certissimum est, sed altero etiam inuito & reclamante. Imò quanuis contractus ille iuratus esset, si hæc nostra communis opinio uera est, iuramentum non ligat, neque dispensatione indiget: quia super illicitam materiam latum est.

Nota tem peramentum.

¶ Hoc tamen addiderim temperamentũ, quòd licet eiusmodi contractus uim non obtineat sponsaliorum, quandoque tamẽ ex quadam honestate oritur inde obligatio: nempe, dum matrimonium illud inter cognatos ob aliquem bonum finem expediens est: & dum expensæ in expeditione dispensationis amplæ factæ sunt. Præsertim si sponsa se se permiserit spe illa deflorari. Tametsi non solùm talis concubitus peccatum sit graue, uerùm & osculum & tactus, qui aliàs inter sponsos de præsenti licent: quia omnia feruntur super indebitam materiam. ¶ Sed arguis. Ergo sic pacisci inter cognatos semper peccatum erit? Respondetur, quòd si paciscantur intendentes, facere sponsalia, profectò ita secundum hanc opinionem concedendum est: & grauius peccatum erit si iuramentũ adhibeant: quia fertur in materiam uetitam. Quanquam ex ommunicationem non incurrant: quoniam pœnæ sunt restringendæ, & excommunicatio iure non fertur, nisi in eos, qui in gradu prohibito matrimonium de facto contrahunt, capi. De muliere, de matri. contra. contra interdi. ecclesiæ, & Clemen. unica, de consangui. & affinit. ubi nulla fit sponsaliorũ mentio. Si uerò non cogitent sponsalia facere, sed obligare se ex honestate ne expensæ incassum fiant, uel alia bona de causa, tunc nullum peccatum erit, etiam id iurare. Et in hoc sensu debent eiusmodi pacta semper iniri, ut euitẽtur peccata. ¶ Postremum tamen hic dubium fit reliquum, utrùm si huiusmodi cognati post concessam à pontifice dispensationem affectu coniugali commisceantur corporaliter, illud sit habendum pro matrimonio absque alio consensu siue dispensationis concessionem ignorent, siue sciant. Videtur enim matrimonium non conualescere: quoniam carnalis copula illud non perficit, nisi sponsalia præcesserint: & contractus ille, ut dictum est, non habebat sponsaliorum uigorem. Nihilominus respõdetur, illud esse matrimonium, siue scientes siue ignorantes dispensationem affectu coniugali coeant: quia consummata copula post sponsalia non ob id tantum matrimonium componit, quòd sponsalia fuerant, sed eo quòd sponsalia testimonium sunt, quòd affectu maritali coierint. Et ideo quanuis impręsentiarum ille contractus non fuerit sponsaliorum, nihilominus quia in animo habebant matrimonium, in illud q̃s, licèt uetitũ, consenserãt, quando postea sublato impedimẽto illo se affectu commiscent, affectus ipse habetur pro cõsensu. Igitur cognati, quale inierũt pactum, caueant se se mutuò cognoscere tempore, quo speratur dispensatio: nam si compertum sit post. tempus concessionis affectu maritali conuenisse, matrimoniũ retractare nequeunt. ¶ Ad argumenta igitur in capite quæstionis proposita respondetur, optimè concludere consensum ex

Solutio.

Nota.

Dubium optimum.

Sententia authoris.

Nota.

Sol. argu.

Obiectio.

conditione

Universidad de Deusto
Biblioteca

conditione de futuro pendentem neutiquam ad matrimonium sufficere. Si uerò fit de præsenti,& conditio de futuro nulla adhibeatur,quæ illum pendẽtẽ teneat, ille certissimus est, & simpliciter de præsenti,ac perinde ad matrimonium sufficiens,ut latè monstratum est.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm conditio impossibilis matrimonium tollat.

DE conditionibus generalibus, deq; illis particularibus, quæ licet non apponãtur, uerbis ipsis contrahentium subintelliguntur,atq; adeò de necessaria per se satis dictum est. Ex reliquis autem aliæ sunt impossibiles, atque aliæ contingentes. Arguitur ergo de impossibili,quòd matrimoniũ tollat, Consensus per uerba exprimitur:qui autem dicit,Contraho uel contraham tecũ, si digito cælum attigeris,nullum uidetur habere consensum nisi sub illa conditione:ergo est conditionalis, & non de præsenti,atque adeò matrimonium nec ligat nec ligare potest,cum cõditio impleri nequeat. ¶Secundò arguitur. Qui uerba illa affirmãdo profert,uel ridiculus est,uel ridens illa & ioco profert: atque adeo non est censendus habere consensum magis quàm si dolo ea proferret: ergo per illa, nullum matrimonium nectit,sicut neque ullum aliud sacramentũ susciperet. ¶Tertiò. Reliqui omnes contractus ciuiles sub huiusmodi conditione initi quasi iure sũt irriti. Instit. de inutilib. stipula. §. Si imposſibilis. & l. Impossibilis. ff. de uerbo. obli. sed maior libertas exigitur ad coniugium ergo nec coniugalis contractus tenet.

¶In contrarium est Grego. 9. capitulo finali. de conditione appositi. dicens, impossibiles conditiones in fauorem matrimonij pro non adiectis haberi.

¶Quæstio est profectò intellectu non facilis ad cuius igitur enucleationem primùm omnium illud præsupponendum, quòd in foro conscientiæ apud Deum, ubi non sit uerus consensus de præsenti, nullum coniungitur matrimonium, siue conditio impossibilis addatur, siue nulla:quanuis ecclesia in suo tribunali possit illud ex præsumptione pronunciare ualidum. Hoc supposito ait Paluda. dist. præsenti quæstione. 2. articul. 5. con. 5. hoc Gregorij decretum satis esse mirabile, cum ille,qui talem conditionem apposuerit,deridere potiùs uideatur,quàm cõsentire, & ideo nõ est consensisse præsumendus:nam in foro conscientiæ si diceret confessario non cõsensisse, non iudicaretur matrimonium. Atque hoc quidem certissimum est, ut modò supposuimus. Sed hoc in Paludano mirabilius est,quod subdit,id non præsumi matrimonium,sed esse contrahendum propter præceptum ecclesiæ. Ecclesia nanque nullum tale præceptum illic ponit matrimonij contrahendi:quia, ut supra diximus, neminem, qui sua sponte non contrahit,cogere ad contrahendum iure ualet.

¶Ad quæstionem ergo unica conclusione respondetur. Matrimonium sub conditione impossibili contractum iudicio ecclesiæ præsumitur tale acsi nulla esset conditio apposita. Conclusio est prædicti decreti. Dicens enim Pontifex eiusmodi conditionem in fauorem matrimonij pro non adiecta haberi, præsumendum matrimonium iubet,acsi illa non esset apposita cõditio. Et pari ratione si conditio illa addatur uerbis de futuro,Contraham tecum, erunt sponsalia. Non autem est intelligendum quòd cõditio impossibilis faciat matrimonium illud,quod sine illa nullum esset,sed quòd manet contractus in sua natura. Quare si quis dicat,Contraham tecum cras,si sol de cælo ceciderit,aut si digito cælum attigeris,tenetur contrahere cras. Vtimur enim nunc uerbi gratia exẽplis communibus, quicquid de eorum sit ueritate,quæ iamiam examinabitur.

¶Sed profectò indigere conclusio uidetur expositione,ne sit mirabilis:nam in re uera,ut iacet,dura prima fronte apparet. Si enim quispiam Philosophus mulieri,quæ ceu philosopham se uanè iactaret, assereret lunã esse in infimo orbe,& illa cõtẽdẽte non esse nisi in secundo uel tertio, ille subinde diceret,Ego cõtraho tecũ si luna nõ fuerit in infimo orbe, profectò nemo posset præsumere, illũ uoluisse matrimoniũ cum illa contrahere, quanuis cõditio illa sit impossibilis:imò cẽseret quisq; stupidã potiùs insciti am mulieris irrijdere uoluisse.

Paludanus.

Cõclusio.

Cap. fi. de conditio. appos.

Intellectus ca. fi. de conditio. appos.

Expositio conclusionis.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

2. Arg.

3. Arg.

Pars negatiua.

Decisio articuli.

Nota fundamentũ.

fuisse. Aut si contendenti astra esse animauiuentia,diceret,Contraho tecum si astrũ uixerit animali aut rationali uitæ. Et pari ratione si magicæ dicenti, se posse uolare,quis diceret,Contraho tecum si in turrim uel in cælum euolaueris, re uera non est cur præsumeretur uoluisse contrahere,sed potiùs eam uoluisse subsannare.

Quorundã dilatio.

¶Propterea nonnulli suspicantur in his casibus posse ecclesiam de non matrimonio matrimoniũ facere:sed profectò nullatenus opinio est audienda. Potest enim materiam inhabilem reddere matrimonio contrahendo,ut inter cognatos, potestq; in suo tribunali secundùm allegata & probata hoc aut illud pronunciare esse matrimonium,aut non esse tale. At uerò illud,quod re uera matrimonium fuit facere ut non sit, aut quod matrimonium non fuit, facere ut sit, re uera non ualet.

Sententia authoris.

Adrianus.

Adria. in tracta. de matrimonio. dubio. 7.

Ratio.

alia uia incedit:nempe, quòd ubi contrahentes sciunt conditionem esse impossibilem,tunc non debet haberi pro non adiecta:quia cessat, inquit, causa præsumendi uoluisse contrahere, imò censendi sũt tanquàm impossibile matrimonium repudiasse:secus si putabant esse possibilem: quia tunc præsumuntur se illaqueare uoluisse. Attamen distinctio hæc textui Gregorij minimè consonat: eodem enim tenore ait,conditionem turpem haberi pro non adiecta,& impossibilem:turpis autẽ, etiam si sciatur esse turpis, habetur pro non adiecta:ergo & impossibilis. Item quia quanuis existimarent conditionem esse possibilem non inde sumitur argumẽtum præsumptionis, quòd habuerint absolutum consensum, imò pendentem ex illa conditione, quam putabant esse possibilem: & tamen Papa iubet habendam pro non adiecta. ¶Profectò res sic in cortice aspecta perplexissima est, de qua fateor hactenus nihil me certi compertum

Durandus

legisse. Atque ob id Durand. in 3. sentent. dist. 39. q. 4. dicit,se non uidere quomodo contrahẽs sub conditione impossibili præsumatur contraxisse,& ideo relinquit peritioribus iudicandum. Et quod mirum

D. Thom.

mihi est,D. Th. nec dist. præsenti. nec 27. q. 2. de sponsalibus,de ista conditione impossibili meminit. Quare intellexisse uidetur nullam difficultatem hic re peniꝰ tius inspecta latitare. Et quod etiam notã

Nota.

dum est. Pontifex, non subiecit exemplũ de illa conditione impossibili,si cælum digito attigeris, aut de alijs huius generis. Sed doctores ex iure ciuili legibus citatis & alijs eadem exempla accersunt.

¶Mens ergo Pontificis Maximi (si punctum forsan attigerim)per hæc asserta explicatur. Primum,supponatur,quòd in cõscientia ad consensum intrinsecum spectandum est:nam si fuerit uerè de præsenti,matrimoniũ facit:si uerò de futuro,spõsalia:sin minus,neutrum. At quantum ad præsumptionem ecclesiæ hoc maximè nõ tandum est,quod ex conditione impossibili ecclesia non contendit sufficiens sumere præsumptionis indicium,sed aliunde. Et multò minus intendit conditionẽ huiusmodi aliquid uariare circa matrimonium aut sponsalia:id enim illa particula sonat,habeatur pro non adiecta. Hoc ego duntaxat sapienter Papa definiuit, quòd ubi per alias coniecturas præsumitur adfuisse cõsensum uel de præsenti uel de futuro,perinde pronuncietur illud fuisse matrimoniũ,aut spõsalia,acsi nulla fuisset adiecta cõditio:id est, neuter cõiugũ teneat illam implere:quia ad impossibile nemo obligatur. Quãuis nonnunquã ét ex natura ipsius impossibilis cõditionis fiat præsumptio,qualis fuerit ipse cõsensus. Neq; uerò hoc,quòd conditio impossibilis habeatur pro non adiecta,est singulare matrimoniũ:nã & in testamentorum legatis id mos obtinuit,ut habetur. l. Obtinuit. ff. de cõd. & demõ. & Instit. eo. tit. & Inst. de hẽre. insti. §. Impossibilis. ¶Secundò ad huius maiorẽ elucidationẽ animaduertendũ hmõi impossibiles cõditiones esse in duplici genere:quædã enim sunt ex se & ratione obiecti impossibiles,nihil ad mores aut matrimoniũ attinentes: quæ ideo nec appositæ tanq; per alterum contrahentiũ adimplendæ existimantur. ut illa, si cælũ digito attigeris,& aliæ in exemplis positæ. Aliæ uerò sunt ad mores spectantes,& tanq; adimplendę positæ,ut si quis diceret pauperculæ mulieri,Contraham tecum si decem millia aureorum mihi in dotem numeraueris. ¶Ad propositũ ergo ut descẽdamus,si quis in iudiciũ delatus fateatur se cõsẽsisse sub illa cõditione impossibili,de qua disceptabat, an esset uera. s. si luna non est in infimo orbe, aut si uiuit uita animali, profectò non est præsumendus

Intellectus ca. fi. Primum assertum.

Secundum assertum. Conditio impossibilis duplex.

Exempla.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dus matrimonium contraxisse, sed disputanti mulierculæ illusisse. Si autem confiteatur dixisse, Contraho tecum si cœlum digito tetigeris, perpendendum aliunde est, uerum ne habuerit consensum: nempe, quia per alia uerba aut facta illud conijcitur, & tunc præsumetur ioco conditionem adiecisse, atque adeò matrimonium manere solidum. Et eodem modo si conijciatur adiecisse conditionem per fraudem, ut si pollicebatur quis puellæ matrimonium, si secum in rem ueneream consentiret: sed ut illam deciperet, adiecit, si cælum digito tetigeris, profectò tunc ad repellendam fraudem meritò compelletur in matrimonio perdurare. At uerò si ex coniecturis perpendatur, aut ioco totū dixisse, Contraho tecum si cælum tetigeris, aut tanquam unum impossibile, profectò non est cur magis præsumatur matrimonium contraxisse, quàm si dixisset, si angelus fueris, quod est contra substantiam matrimonij: aut quàm si alijs contrarijs dixisset, si tu mihi oculos, quos eiulsos habeo, restitueris, dabo tibi centum millia aureorum, aut si cælum attigeris. ¶ Per hæc iudicandum in alijs moralibus conditionibus, si puella, quæ pauper uidetur, dicat se habere decem aut uiginti millia ducatorum, & iuuenis dicat, Cōtraho uel contraham tecum si tantum mihi dederis, & non aliàs. Aut si mentita diceret, se frui maximo apud regem fauore, & iuuenis ei responderet, Contraham tecum si mihi feceris donari illustre castrum, aut marchionatum. Quanuis istæ conditiones sint illi puellæ impossibiles, tamen quia poterant, neque prorsus absque prudentia, credi possibiles, profectò non sunt habendæ tanquam non adiectę, imò faciunt contractum pendulum: & ideo si non adimplentur, non obligat. Si uerò esset alchimica mulier, quæ diceret, se scire uerum aurum conflare ex cupro, & alius dicat, Contraho tecum si hoc cuprum fuerit à te in aurum uersum, re uera illa conditio si erat impossibilis, ut nisi ab ignarissimo homine non posset credi possibilis, & ideo tunc ad alias coniecturas recurrendum est ut iudicetur interfuerit ne consensus, nec ne ut reputetur illud matrimonium. Per hæc exempla quisque poterit de alijs iudicare. ¶ Et in summa nos nihil aliud constituere uolumus, quàm quòd sensus Pontificis de cōditione impossibili habenda pro non adiecta, non sit quòd eo ipso sit iudicandum uerum esse matrimonium aut sponsalia: sed intentio eius fuit nudare contractum ea conditione, ut si uel ex ipsa uel aliunde præsumatur habuisse uerum consensum, matrimonium habeatur pro rato, & illa conditio neutrum obliget contrahentium. Hoc enim sonat, habeatur pro non adiecta: hoc est, perinde ac si apposita nó esset, de sponsalibus aut matrimonio iudicetur: nam idem est sensus de conditione turpi, quæ non est contra substantiam matrimonij. Sensum enim hunc clarissimum ficta doctorum mysteria in angustias perplexitatis coniecerunt.

¶ Argumenta ergo per hæc facilè soluuntur. Qui enim contraxit sub conditione, si cælum digito attigeris: nec præsumendus est contraxisse, neque uerò non contraxisse, sed aliunde id iudicandum est. Quanuis & ipsa conditio possit præsumptionē facere totum irrisoriè dixisse.

¶ Et per hæc ipsa secundum etiam argumentum solutum restat.

¶ Ad tertium respondetur, quòd sicut nec contractus ciuiles per impossibilem conditionem nulli fiunt, ita nec matrimonium, ut expositum est, nisi alius consensus præsumatur, quàm qui per conditionem exprimitur. Discrimen autem, quod in fauorem matrimonij subijcitur eò pertinet, ut si aliunde, & etiam per ipsam conditionem præsumptio fiat ueri consensus, conditio ipsa non magis obstet, quàm, si non fuisset adiecta: neque uerò ad sui implectionem obliget.

Iudiciū in moralibus conditionibus.

Nota.

De alchimica.

Intellectus ca. fi. circa conditionem impossibilem.

Sol. 1.

Sol. 2.

ARTICVLVS. III.

Vtrum omnis & sola turpis conditio, quę contraria est matrimonio, ipsum tollat, honesta uerò semper obliget.

NTer contingentes conditiones aliæ sunt turpes, aliæ uerò honestæ. Et turpium aliquæ sunt contra substantiam matrimonij, ut cōtraho tecum si adulterium commiseris: atq; aliæ impertinentes, ut Contraho tecum si furtum feceris, aut homicidium. Quarū priores matrimonium tollere censentur, posteriores

posteriores uerò haberi pro non adiectis.

Partis negatiuæ argu. 1.

Arguitur ergo quòd non omnis illa, quæ est prioris, generis tollat matrimonium. Maximè enim illa tolleret, quæ in exēplo posita est: si adulterium commiseris, illa uerò non uidetur substantiæ matrimonij contraria: nam ad eius finem & fidem satis est, quòd debitum uiro reddat, quoties ab eo fuerit exactum, cui non repugnat, ut quandoque commisceatur alteri: quare habenda esset pro non adiecta, sicut illa, si furtum feceris, atque adeò non tollit matrimonium.

2. Arg.

¶ Secundò arguitur. Si quis alteri dicat, Contraham tecum si mecum cōcubueris, illa est conditio turpis, quæ non est contra substantiam matrimonij, & tamen uidetur matrimonium tollere: ergo non sola illa, quæ est contra substantiam matrimonij, illud tollit. Probatur minor, quia si illud non auferret, maximè quia haberetur pro non adiecta: hoc tamen uidetur falsum: nam sæpè homines se sub illa conditione obligant, & non aliter: nempe ut florem puellæ explorent, quæ est honesta conditio: ergo uel contractum suspendit quousque ipsa impleat conditionem, uel quia illam non tenetur implere, contractum reddit nullum.

3. Argu.

¶ Tertiò arguitur. Si quis cum aliqua sub ista conditione contrahat, Si es uirgo, est honesta conditio: & tamen non uidetur obligare: quia est impossibilis: nam corruptæ impossibile est esse uirginem: ergo non omnis honesta habenda est pro adiecta & obligatoria.

Prima cōclusio.

¶ In contrarium est prædicta decretalis Gregorij noni cap. fin. de condit. appos. ubi habetur, quòd conditiones, quæ sunt cōtra substantiam matrimonij, illud tollunt, si uerò sunt impertinentes, & turpes uel impossibiles, habentur pro non adiectis, & contractus matrimonij manet firmus, ut. c. De illis, approbantur conditiones honestæ.

Secunda conclusio.

¶ Ad quæstionem tribus facillimis conclusionibus respondetur. Prima. Omnis conditio matrimonio contraria ipsum tollit.

Conclusionum declaratio.

¶ Secunda. Si autem sit impertinens, & turpis uel impossibilis, habetur pro non adiecta. Ambæ sunt assertiones prælegati capit. Et quia tria sunt in matrimonio: scilicet, perpetuitas, finis, & fides, cuicunque istorum obijciatur conditio, matrimoniū uitiat. Vt si quis dicat, Contraho tecum usque ad mortem patris mei: nam tūc propter adeptam hæreditatem aliam illustriorem inueniam: hic enim concubinatus potius esset, ut can. Solet. 32. q. 2. ait Augu. matrimonium. Aut, contraho tecum hac lege ut sterilitati des operam, ut nunquàm concipias, aut si adulteriorum lucris domum sustentaueris. Et ratio primæ conclusionis est clara: nam unumquodq; per suū contrarium corrumpitur: cum ergo natura consensus matrimonialis perpetuitatē includat, generationem & fidem, qui sub contrarijs conditionibus ait se consentire, re uera non consentit, imò suis ipse uerbis suum perimit extinguitq; consensum. Ratio uerò secundæ est, quòd cum nemo ad id, quod turpe est, obligetur, imò multò minus quàm ad impossibile, ubi conditio turpis consensum matrimonialem nō aufert ille relinquitur solidus, & ipsa fit una & futilis nullam uim habens obligādi.

Rō. 1. conclusio.

Rō. 2. conclusionis.

¶ Hanc tamen secundam conclusionē sem per intelligito in publico ecclesiæ foro, ubi proceditur ex præsumptione. Nam si qui dixit, Contraho tecum si mihi ad furādum fueris socia, nullum alium habuit cōsensum nisi sub tali conditione, neque intellexit se aliter obligare, re uera non fecit matrimonium, quanuis id præsumatur fecisse. Quare uel debet planè postea consentire, uel in alium locum fugere, ubi non compellatur. Si uerò affectu maritali postea copulam consummauerit, tunc fiet matrimonium.

2. Conclusio quo ad forum exterius.

Circa primā concl.

¶ In prima autem conclusione generaliter diximus conditionem contra substantiam matrimonij (absque restrictione ad turpes) illud tollere: nam etiam honesta, si contraria est, ipsum impedit secundum opinionem, quæ communis doctorum est & uera, quanuis Paluda. aliter sentiat. Est enim dubium, si quidā sub hac conditione & lege contrahant, ut neuter alteri debitum unquàm reddat, neque se carnaliter cognoscant: uel si dicat uterque alteri, contraho tecum si uoto te prius castitatis sic obstrinxeris, ut nunquàm à me petas, neque mihi debitum reddas, utrum matrimonium teneat. Apparet enim ex una parte matrimonium esse ualidum: quia conditio est honesta, & possent forsan illi uerè contrahere solùm propter cohabitationem & alias necessitudines domesticas, à re tamen uxoria abhorrentes. Item quia quod contracto matrimonio accidere potest, non est illi contrarium, ut contrahatur: possunt autē coniuges antequàm

Conditio nunquàm reddēdi debitum.

Pars affirmatiua.

2. Argum.

lecto

lecto conueniant, uotum castitatis emitte
te, non obstante matrimonij substantia, ut
Maria & Ioseph fecerunt: ergo illa condi-
tio apposita contractui quando fit nõ cen
setur illi contraria, atque adeo nec matri-
monium uitiat. Hac ratione Paludanus
communitus distin. 30. quæst. 2. opinatur,
matrimonium sub illa conditione contra
ctum non uitiari, ubi non prorsus uidetur
absque ulla probabilitate locutus. Nihilo
minus contraria opinio est communis ea
demque uero similior, censens conditio-
nem illam esse contrariam fini & fidei ma
trimonij: fini, scilicet generationis: & fi-
dei, sibi inuicem debitum persoluendi. Et
ita ait Adria. in tract. de sponsalib. quæst.
9. Imò & d. Tho. dist. 28. arti. 4. ad 3. dicit,
quòd si mulier dicat uiro, Consentio in
te, ut non cognoscas me, non est consen-
sus matrimonialis: quia illa conditio non
solùm actui, uerùm & potestati contraria
tur carnalis copulæ. Et Ricardus ead. dist.
art. 2. quæst. 4. idem ait: nempe, quòd per
talem conditionem nunquàm reddendi
debitum, non solùm excluditur carnalis
copula, uerùm translatio corporum in al
terius potestatem contra uinculum coniugale. Quibus adstipulatur Bonauentura eadem. 28. distin. quæst. ultima. Imò ue
rò si tenorem citati capit. fin. de condit.
apposit. inspicias, consultò Pontifex dixit
conditiones contra substantiam coniugij
ipsum priuare suo effectu non restringen
do ad turpes: quoniam & honestę possunt
esse contrariæ. Adde quòd si conditio il-
la, si sterilitatem procuraueris, censetur
matrimonio contraria: eadem ratione ma
trimonio aduersatur & hæc, si nullo nos
unquã amplexu inuicem coniugamus. Vi
detur enim illi naturæ matrimonij cõtra
ria, per quod fiũt duo in carne una. ¶Ve-
rum est tamen fautores alterius opinio-
nis dicere posse, q̃ si mulier sic contrahe-
ret, Contraho tecum non tamen tradẽdo
tibi potestatem mei corporis, aut ius ullũ
in meũ corpus, nõ esset matrimoniũ: quia
hoc est contrarium substantiæ eius. Sed si
dicat, Contraho tecum tradendo faculta
tem mei corporis tibi, hac tamen lege, ut
iuri tuo per uotum castitatis renuncies,
non esset contra substantiam, nam potest
quisq; sicut post, ita & ante renunciare iu
ri suo. Nihilominus quia facultas est pro-
pter usum, consonãtius rationi est, ut q̃ al

Paludanus

Pars negatiua.

D. Thom.

Ricardus.

Bonauen.

Conditio, si sterilitatem procuraueris

Defensio alterius opin.

Sententia authoris.

terum priuat usu, non ei simpliciter facul
tatem conferat. ¶Ad primum igitur argu
mentum respondetur, quod licèt conditio
sit honesta, est tamen substantiæ matrimo
nij aduersa: quia matrimonium non est
uinculum cohabitationis cuiuscunq; , sed
utendi se inuicem. ¶Ad secundum respon
detur, quòd licet illud uotum possit emit-
ti post matrimonium contractum, transla
ta scilicet potestate unius in alterũm:
quia possunt se sua sponte priuare usu ma
trimonij, nihilominus idem uotum est cõ
trarium pactioni contractus dum fit, si ta
lis conditio exprimatur. Et ideo si beata
uirgo illam Ioseph in contractu matri-
monij expressisset, non fuisset matrimo-
nium uerum: consensit enim explicitè in
matrimonium, sed implicitè in copulam,
ut supra diximus & distinctione proxima
repetemus.

¶Tertia conclusio. conditio honesta de
futuro, quæ non est substantiæ matrimo-
nij contraria, suspendit contractũ: hoc est
facit illum obligatorium sub illa cõditio
ne, & nõ aliter. Vt si quis dicat, Cõtraho
tecum si hanc aut illam mihi dotem nu-
meraueris, aut si pater consenserit. Decre
ta sunt Alexandri cap. De illis, & Vrbani
cap. Super eo, & Innocentij cap. Per tuas,
de conditionibus appositis. Et ratio est,
quia consensus non aliter est iudicandus,
quàm exprimitur: cum ergo sub conditio
ne exprimatur, non obligat nisi sub illa: id
quod omnibus etiam contractibus ciui-
libus est commune. Dixerim, conditio de
futuro: nam si est de præsenti & adimple-
ta, contractum non suspẽdit. Sed si est de
futuro quannis addatur uerbis de præsen
ti perinde eum suspendit acsi adderetur
uerbis de futuro. Quare contractus nun-
quam erit nisi sponsaliorum. Hæc enim
omnia arti. 1. explicata sunt. ¶Rogas au-
tem. Quid si postquàm filius cõtraxit sub
illa conditione, si pater consenserit, pater
priùs dissentiat, & postea consentiat, aut
uice uersa? Facilè respondetur, standum es
se priori eius uoluntati. Si enim prius con
senserit, satis est ad confirmandum spon-
salia, licèt postea dissenserit. Et si priùs dis
senserit, satis est ad illa dirimenda, licèt
postea consenserit, nisi nouus deinceps ad
hibeatur sponsorum consensus. ¶Sed rur
sus sciendum, quòd si post hmói cõditio-
nales cõtractus spõsi cõsumment copulã,

Sol. 1. arg. alterius opinionis.

Sol. 2. arg.

Matrimonium beatæ uirginis

3. Concl.

Ratio conclusio.

Conditio de futuro.

Circa conditionem Si pater consenserit.

Copula subsequens conditionales contractus.

tunc perficitur matrimonium, licèt nõ im
pleatur conditio: quia per illam consum-
mationem uidentur à conditione discessis
se. Casus est prædictorum cap. De illis, &
Per tuas, ubi mulier quæ contraxerat di-
cens, Si pater consenserit, quia ante dissen
sum patris cõmista est uiro, compulsa est
manere: secus si non conuenissent nisi post
dissensum patris: nam tunc iam essent di-
rempta sponsalia. Intelligitur autem capi
tulum matrimonium esse tunc præsumptũ
in foro ecclesiæ: nam in foro conscientiæ,
si qui sub conditione contraxerat, non ac
cedit affectu maritali, sed fornicario, non
discedit à conditione nec perficit matri-
monium. Et idem est de dotis conditione
in cap. De illis. ¶Contra hoc autem est ar
gumentum: nam quàm sępissimè sponsi an
te solutam dotẽ congrediuntur: ergo tunc
puella esset à dotis solutione absoluta.
Sed respondetur, quòd hoc ferè semper fie
ri solet post consensum de præsenti. Et
quannis sit de futuro, & per copulam fiat
de præsenti, nihilominus mulier manet o-
bligata per publica instrumenta, quæ uim
suam obtinent, & quanquàm nulla essent
instrumenta, uerbalis promissio eam obli
gat, neque uir matrimonium consummat,
nisi intelligens eam manere obligatam,
nisi sponsus illam absoluat. ¶Dubium au-
tem ex his oritur non facile, utrùm si quis
sponsalia cum puella contraxerit sub illa
conditione si fueris uirgo, illa cõditio uim
habeat suspendendi contractum, ut aliter
non obliget, quàm conditione impleta.
Cùm enim sit honesta, obligatoria uide-
tur: Hostiensis existimat, illam haberi pro
non adiecta, si inueniatur corrupta, eo q̃
sit impossibilis, dicente Hieronymo, Non
potest Deus suscitare uirginem post rui-
nam: id est, facere ut sit uirgo. At uerò sen
tentia hæc bene uidetur non esse philoso-
phi: neque ullius est probabilitatis, ut be-
ne ait Adria. de sponsali. q. 6. Nã conditio
impossibilis, quę habetur pro non adiecta
intelligitur illa, quę genere suo ex obiecto
est impossibilis, non tamen illa, quæ in se
possibilis est, sed per accidens, quia ad præ
sens non est potentia, facta est impos-
sibilis. Si. n. nunc quis mulieri donaret cen
tum ea conditione, si non fuerit fornicata,
& non aliter, certè si esset fornicata, non
posset in conscientia donationẽ recipere.
Sic enim ciuiliter & moraliter illud puta-

Nota.

Argumen. circa dotẽ.

Solutio.

Cõditio, si fueris uirgo.

Opi. Hosti.

Adrianus.

tur possibile quod esse solet: licèt per acci
dens sit factum impossibile. ¶Sed aliter ni
hilominus ipse Hostien. arguit, quòd ha-
benda sit pro non adiecta, & contractus
maneat purus, ex. l. Alioqui. ff. de contra-
hen. emptione. ubi habetur, quòd si quis
emit corruptam putans esse uirginem, em
ptio tenet: quia error non contingit in se-
xu, sed in qualitate. Et idem habetur. 29.
q. 1. §. ad hoc, &. §. Item, quòd si quis du-
xit corruptam putans esse uirginem matri
monium tenet. ¶His nihilominus non ob
stantibus notandum, quòd dupliciter po-
test apponi ista conditio. Vno modo turpi
ter: id est, contraho tecum si tecum cõgres
sus te inuenero uirginem. Alio modo ho-
nestè: id est, si modò fueris uirgo, quod po
test explorari per matronas. Et isto secun
do modo crediderim conditionem esse o-
bligatoriam: & ideo nisi conditio sit im-
pleta, matrimonium non tenet. Sententia
fuit ante nos Paludani præsente distin. q.
2. arti. 5. con. 4. & Adriani dubio. 6. de spõ
salibus. Et ratio mea est, quia conditio est
honestissima. Et sunt qui copiosissima ẽ-
tiam dote numerata non contraherent cũ
corrupta. Imò possent uoto se uel iureiu-
rando obstrinxisse nõ ducere corruptam:
& ideo si illa ipsum de hac re deciperet,
maximam ei iniuriam irrogaret. Quin ue
rò addiderim, quòd licèt contraherent
sponsalia per conditionem de futuro, si
te in toro incorruptam inuenero, & tunc
accederet ad illam non animo maritali,
sed fornicario ad explorandam uerita-
tem, non teneretur in conscientia spon-
saliorum contractui stare: quia conditio
non fertur super turpem actum coeundi,
sed super honestam uirginitatis qualita-
tem. Et hoc doctores deberent animad-
uertere antequàm dicerent, conditionem,
si te inuenero uirginem, esse turpem: nam
potest res indagari alia uia quàm per tur-
pitudinem. Quare de per se conditio
non est turpis. Sed accidit postea ut per
turpem congressum deprehendatur non
esse uirgo. Fateor quidem quòd in fo-
ro ecclesiæ illud haberetur pro matrimo-
nio: quia præsumeretur ille à conditio-
ne discessisse, secundum distinct. cap. Per
tuas, & illud consummasse. Sed secus est
in conscientia.

¶Ad illud igitur argumentũ Hosti. q̃ ex
illis textibus induxit, respõdet, q̃ debuis-
ser

Arg. Host.

Duplex effectus illius cõditionis

Honesta obligat.

Ratio.

Si deprehẽdat nõ esse uirgo.

set animaduertere quàm longè error a cõ ditione distet. Error enim est in intellectu qui non apponitur contractui: & ideo. ut distin. proxima uisuri sumus, si non sit de substantia, sed de qualitate personæ, matrimonium non uitiat. Quare sicut contrahens cum aliqua putans patri suo placere, quanuis displiceat, uerè contrahit: ita si quis contrahat cum muliere, quam putat esse uirginem, licet sit corrupta, ueluti si putasset esse pulchram, & esset fœdissima. At uerò sicut dum quis cõtrahit sub conditione, si patri placuerit, matrimonium non tenet nisi per impletionem conditionis purificetur, ita si sub conditione uirginitatis contrahat, non erit purum & ualidum nisi sit uirgo.

Conditio, si mecum concubueris.

¶ Subsequitur autem de conditione turpi. Contraho tecum si mecum concubueris. Nihil enim refert, postquam conditio iam est turpis, si addiderit, causa explorãdæ uirginitatis, aut libidinis explendæ. Et quidem doctores Canonistæ non disputãt sit ne contractus ualidus, quia hoc non dubitant, sed utrùm sit statim matrimoniũ, eo quod conditio habetur pro non adiecta, uel sit tantùm contractus purus sponsaliorum.

Adrianus.

¶ Censent enim, ut Adrianus dub. 8. de matrimonio refert, esse pura sponsalia ac si non esset apposita conditio. Nam si intelligatur de fornicario coitu, habetur p non adiecta, ut probatum est. Si uerò de legitimo coniugali, multò fortiùs sunt pura sponsalia: quia conditio illa est necessaria: id est, ex natura matrimonij extitura. Quare neutro modo illa sponsalia sunt in futurum pendentia, sed illico sunt absoluta, & per subsequentem copulam fiunt matrimonium. Sententia est glossæ cap. 1. de sponsa duorum, & quidem uera. Hæc autem semper intelligenda sunt in foro contentioso, quod procedit ex præsumptione: & quando ex alijs coniecturis intelligitur uoluisse contrahere sponsalia, ut diximus de conditione impossibili: nam in conscientia si ille non habuit intentionẽ ullum faciendi matrimonialem contractum, sed potiundi puella, eamq; fallendi, contractus ipse nullus est. Quin uerò si erat lata disparitas: quia ipse erat illustris & fœmina pauper, non est cur præsumantur sponsalia, imò quòd ille tantùm uolebat Veneri satisfacere. Conditio enim turpis ob id iudicatur non adiecta, quia nihil mutat de natura contractus. Quare aliunde sumenda est præsumptio. Imò ex hac, si mecum coieris, potiùs sumitur conIectura quòd non habuerit contrahendi animum, sed potiùs puellam seducendi. Item neque si conditio intelligebatur cõ summandi copulam maritalem, idcirco sequitur contractum illum fuisse purum sponsaliorum: præsertim si additum esset, si statim mecum in coitum consenseris: nam legitimæ sponsæ etiam de præsenti induciæ dantur duorum mensium ad cõsummandum copulam, ut cap. Ex publico de conuers. coniuga. Et ideo sponsus potuit deducere in pactum, ut illa renunciaret illi iuri suo, atque adeò sponsalia erant pendentia: itaque si illa statim non implet conditionem ille non manet obligatus. Igitur si huiusmodi contractus superueniente copula iudicantur ab ecclesia uera matrimonia, causa est quia præsumuntur tunc sponsi ab illa conditione discessisse secundùm iura supra citata. De illis, & Per tuas.

¶ Tandem, quod de uirginitatis conditione diximus, quando honestè apponitur: scilicet, quòd suspendit contractum, de alijs etiam honestis conditionibus quodammodo ad perpetuitatem matrimonij pertinentibus & ad amorem inter coniuges conglutinandum, censendum est. Nẽpe si quis contraxit cum aliqua, quam nõ uidit, sub illa conditione si non fuerit cæca, aut muta, aut cocles, aut leprosa, uel aliqua insigni turpitudine deformata, profectò si secus sit, matrimonium non tenet, etiam si fiat per uerbum de præsenti, Contraho. Et par ius est de sponsa respectu sponsi. Quare eadem est ratio si dixerit, Nubo tali si hanc aut illam doctus est artem ad alendam uitam, aut si est ingenuus uel ingenua, aut alia similia. Nam et si conditiones illæ iure expressæ, si pater consenserit, aut si dotem dederis, propinquiùs ad naturam matrimonij spectent, & ideo iure admittantur, nihilominus istę sunt etiam conditiones tum honestæ, tu ad perpetuitatem cohabitationis, & gerandi permultùm referentes: & ideo nulla est causa cur non pariter eodem iure approbentur tanquàm necessariò implendæ. Secus si essent conditiones ad matrimonij finem minùs referentes. Si enim quis

quis contraheret cum aliqua absente hac conditione, si esset pulchra, aut bene morigerata: quia istæ qualitates recipiunt magis & minus, non sunt in foro ecclesię admittendæ tanquàm matrimonium uiantes, maximè si de præsenti fuerit contractum: quia de sponsalibus non tantum imminet periculi si dissoluantur. At prudentia est priùs per inquisitionem illas deprehendere, quæ prudentia si defuerit, sponso imputetur. Imò uerò dum contrahitur matrimonium de præsenti, nunquã est contrahendum cum conditione de præsenti, præter illã forsan, si pater consenserit: nam multi inde scrupuli oborirentur, qui conscientiam pungerent. Semper autem illud mẽte obseruetur quod diximus de foro conscientiæ, in quo sub quacunq; futura conditione consensus exprimatur, nunquam facit matrimonium quousque consensus sit de præsenti. Imò neque eius impletio sat est, quousq; talis habeatur cõsensus. ¶ De Hac autem negatiua contrahendi forma, Non aliam nisi te ducam, & similibus, nimium inter doctores nonnulos sit contentionis, ut est uidere apud Paludanum dist. 27. quæst. 1. & apud Adria. dubio. 12. de matrimonio, ubi multos iuris peritos allegat. Sed res non est tanta disceptatione digna. Statuenda enim est hic regula, quòd nunquàm per puram negationem contractus matrimonij uel spõsaliorum uim obtinet, sed per affirmationem explicitam uel implicitam, eo quòd ad matrimonium requiritur consensus. Hoc suppositio aliquæ sunt formæ manifestæ, & aliquæ ancipites. Certum enim est per hanc orationem, Nunquam aliam à te uxorem ducam, nullum contractum fieri, neque obligationem oriri ducẽdi hãc: quoniam est mera negatio. Per oppositũ, certum est per hanc orationem, Non aliã sed te ducam, fieri sponsaliorum contractum: quia, sed te, exceptio est affirmatoria ducendi illam. Eadem ratione si dicas, Nullam mulierem ducam præter te: nam secundùm dialecticos sensus est, non aliam ducam, & ducam te. Hæc autem oratio, Nullam mulierem ducam, nisi te, æquiuoca censetur: nam potest facere sensum exceptiuum, ut idem sit quod præter te, qui ideo obligationem parit contrahẽdi. Sed nescio quid mysterij comminiscitur hic Adrianus de nomine, aliàs nempe, ut qui dixerit, non ducam mulierem nisi te, obligetur illam ducere ratione iam dicta. Sed si dicat, non ducam aliam mulierẽ nisi te, non obligetur propter falsitatem secundæ exponentis. Exponitur enim, inquit, sic, Non ducã aliam mulierem à te: & tu es alia mulier à te, & ducam te. Sed profecto commentitia est illa secunda exponens: satis enim est ueram esse, tu es mulier. Quare idem est, Non ducam aliam nisi te, & non ducam mulierem nisi te. ¶ Potest etiam, nisi, facere sensum conditionalem, ut idem sit, quod si non duxero te, nullam ducam. Et hæc certè mera negatiua est. Et ideo quando ponitur, nisi, consulenda est in foro conscientiæ intentio cõtrahentis qualem habuerit. Et in foro cõtentioso aliunde est exploranda. Idem est de particula, quàm, ut nullam quàm te ducam, aut non contraham cum alia quàm tecum: potest enim facere sensum exceptiuum, & plurimùm conditionalem. Quare si quis dicat. Non uendam meas ædes, alij quàm tibi, non obligatur uendere illi. Imò forsan facit hunc sensum, Non contraham cum alia à te, quæ mera negatiua est. In huiusmodi autem ambiguitatibus si communis uerborum intelligentia non liquet, iuxta tenorem cap. Ex literis. el. 1. de sponsal. tunc ex causis & appendicibus ueritas indaganda est, ut ait Hilarius, ca. Intelligentia. de reg. iur. ¶ Primo argumento in capite posito adducitur Angelus in summa, ut neget conditionem illam, si adulterium commiseris, obstare fini matrimonij, nisi addatur, & mihi debitum non solueris. Haud tamen satis inspexit coniugalem fidem utrunque includere: scilicet, & coniugi debitum reddere, & cum nullo alio commiscere. Vtrunque enim ambit admonitio Pauli, Vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor, neque uxor sui, sed uir. Et ideo illa sola conditio, si adulterium commiseris, aduersa est fidei matrimonij, atque adeò illud tollit. ¶ Ad secundum, de illa conditione, si mecum concubueris, satis dictum est, & sub compendio dicitur, quòd si quis non habuit consensum nisi sub illa conditione, in conscientia non fit matrimonium nec sponsalia. Imò uerò in foro exteriori si non esset alia coniectura ad præsumẽdum consensum, profectò illa conditio potiùs admonet nullum fuisse consensum

Author.

Nisi, potest facere sensum conditionalem.

Nullam quam te ducam.

Nota regulam.

Sol. 1. arg. Angelus.

Paulus.

Sol. 2. arg.

Intelle. &tus c. fin. de condit. appoſi.

contrahendi,ſed decipiendi. Quare ſenſus canonis,quòd illa eſt habenda pro nõ adiecta,non eſt, quòd per illam iudicandum ſit fuiſſe matrimonium,ſed quòd illa ſecluſa ac ſi non fuiſſet poſita, aliunde præſumatur præceſſiſſe cõſenſum, habeatur pro non adiecta:id eſt, iudicetur contractus ſponſaliorum purus & ualidus ante impletionem conditionis, utpote quã ſponſa non tenetur adimplere niſi ad conſummãdum matrimonium. ¶ Ad tertium denique iam reſponſum eſt contra Hoſtienſem,illam conditionem non cenſeri impoſſibilem in moralibus, imò eſt honeſta & contingens,atque adeò ſi honeſtè apponatur,ut dictum eſt, contractum ſuſpendit,& purificari debet.

Sol. 3. arg.

DISTINCTIO TRIGESIMA,De errore,deq; nuptijs beatiſſimæ uirginis.

Textus. Cap. 1.

QVemadmodum metus, ſic & error libertatem uoluntatis auerſatur. Ob idque ille, qui ſubſtantiæ matrimonij eſt aduerſus, illud uitiat: utpote error aut perſonæ aut conditionis ſeruilis. Qui enim arbitratus ſibi Mariam copulare, ſeductus ſe Annæ coniunxit: quia in Annam minimè conſenſit, nullum contraxit matrimonium. Iacob enim per concubitum cum Lya, quam arbitrabatur eſſe Rachelem, niſi poſt modum in Lyam denuò conſenſiſſet, nullum utiq; matrimonium contraxiſſet. Neq; uerò liber homo, qui contrahens cum ancilla, quam putabat eſſe liberam, lege ſe coniugij obligauit: eo quòd ut perſonæ, ſic & earum libera conditio ad eſſentiam matrimonij attineat: quippe quo inuicem ſibi cohabitare ſeruireq;, & ut ait Paul. mutuò placere obſtringuntur: quibus perſoluendis officijs ſeruitus illius, qui ſui iuris non eſt, è diametro aduerſatur. Cap. 2. ¶ Error autem ſeu qualitatis ſeu fortunæ, ut pote quæ ad eſſentiam matrimonij minimè ſpectant, eius uinculũ nequaquam tollit. Sic nos ſancti patres ſacris canonibus. 29. cauſa. inſtructos curarunt. 29. quæ. Ad hæc demum, ut inter cauſas nuptiarum de fine etiam hoc uerbum dicamus, duplex huiuſmodi finis eſt. Unus ſcilicet aut duo ipſi ſacramento per ſe innati, ut generatio iuxta illud Gen. primo. Creſcite & multiplicamini: & remedium temperandæ Cenes. 1.

1. Corint. ſeptimo.

perandæ libidinis iuxta illud Pauli, Propter fornicationem unuſquiſque habeat uxorem ſuam: qui quidem fines, ceu à Deo ipſo ſacramenti inſtitutore profecti ſemper boni ſunt. Alij uerò ſunt accidentarij à uoluntate contrahentium dimanantes: qui ſi citra culpæ turpitudinem adhæreſcant, neque actionem uitiant, neque ſacramentũ, ut dum Jacob Rachelis pulchritudine allectus illam ſibi in uxorem optauit. Quin imò poſſunt & honeſtiſſimi eſſe, ut pacis amicitiarumq; reconciliatio. Si uerò uitium præ ſe ferant, ut qui ob turpes cauſas matrimonialia fœdera componunt, ſic actionem deturpant, ut tamen non ideo ſacramentum ipſum, quatenus Dei munus eſt, ullo pacto ſordeſcant. Imò uerò quocunque fine matrimoniũ fiat, dum modò intentio Chriſti & eccleſiæ ſeruetur, ualidum eſt & ſolidum.

Cap. 3. ¶ Quò autem tractatus hic cauſarum, quibus matrimonium coniungitur, pro dignitate concludatur, addamus oportet de Mariæ & Ioſeph cõiugio Ambos, ut contra Fauſtum autor eſt Aug. quantum credi poteſt apud ſe diſpoſuiſſe uirginitatem ſeruare, niſi deus aliter iuberet: quam tamen uoluntatẽ in conſenſu matrimoniali minimè expreſſerunt. Id quod in lib. de nuptijs & concupiſcentia de beata uirgine repetit. Si enim ſub conditione, nunquam ſe inuicem cognoſcendi, cõtraxiſſent, nequaquam eorum matrimoniũ fuiſſet ſolidum: utpote quòd conditio eorum contractui repugnaret. At uerò neq; expreſsè eadem uirgo, ſed implicitè in copulam conſenſit: nã eiuſmodi expreſſus conſenſus perpetuæ uirginitati animi & corporis aduerſatur. Quam utique uirginitatẽ, cùm certior eſſet maritum à ſe rem uxoriam nunquam petiturum, integerrimam cuſtodiuit. Cap. 4. ¶ Quo fit, ut eorum matrimoniũ fuerit perfectiſſimum, non quidem conſummatione aut ſignificatione: Lib. 4. cap. 8. & 9. 27. q. 2. cã. Beata Maria.

Cap. 5.

ne: quandoquidem nulla corporum commistio interceſſerit, quę copoream humanitatis unionem Chriſti ſignificat, at ſanctitate. Sāctiora nāq;, uti idem ad Eluidiā ait Aug. ſunt cōiugia pari uoto continentiū, Aug.

quàm rei uxoriæ uacātiū. Omne deniq; nuptiarū bonū, ut e- Aug. li. de nupt. c. 11.

li. de nuptijs idem ſanctus pater docuit, impletum eſt in illis parentibus Chriſti: fides, proles & ſacramentum. Prolem ſiquidem cognoſcimus ipſum dominū: fidem, qa nullū adulteriū: ſacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat ſine pudenda concupiſcentia carnis, quę accidit ex peccato: ſine qua cōcipi uoluit, qui ſine peccato futurus erat.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ, Quæſt. 1. De errore.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm error matrimonium impediat.

Partis negatiuæ argu. 1.

QVemadmodū uis & metus, ita ignorātia uolūtario obſtat: & ideo poſt uim & metū ſequitur in hac diſtinctione de errore dicamus. Arguitur ergo q̄ error matrimoniū non uitiet. Si error aliquis illud impediret maximè error (ut aiunt) uel perſonæ uel conditionis: ſed q̄ error perſonæ matrimoniū nō tollat, arguitur. Eadem eſt ſacramentorū omnium ratio: nam omnia debent per cognitionem adminiſtrari: ſi quis autem putans ſe baptizate uel confirmare Petrum, baptizaret Paulum, eſſet uerum ſacramentum: ergo pariter ſi quis putans contrahere cum Maria, contraheret cum Anna. Et confirmatur. Iacob, licet per errorem cōtrahere crederetur cum Rachele, ut legitur Gene. 29. uerè contraxit cum Lya: ergo error perſonæ non impedit. ¶Secundò. Sicut conditio ſeruitutis eſt accidens perſonæ: ita & aliæ qualitates corporis & animi: ergo ſicut error circa libertatem impedit, ita & error circa alias qualitates & fortunas, ut uirginitatis, nobilitatis, aut diuitiarum, &c. quod tamen iura negant. Et confirmatur. Id, quod alicui ex natura ſua conuenit, in toto ſuo ambitu cōuenit: errori autem ex natura ſua conuenit impedire matrimonium: ergo circa quamcunque qualitatem aut conditionē errare contingat, nullum erit. ¶Tertiò. Alia ſunt iuris impedimenta, ut infra dicemus, quibus matrimonium fit nullum, ut diſparitas cultus: ſcilicet, Chriſtiani cum infideli, & impotentia coeundi, & ſolenne uotum &c. ergo iſtorum error potiùs debuit inter impedientes cō numerari, quàm error circa libertatem. ¶In contrarium eſt illud uerbum ciuilis iuris. Quid tā contrarium eſt cōſenſui q̄ error? l. Si per errorē. ff. de iuriſdi. omn. iudi. & illud. 3. Ethic. Ariſtotelis, q̄ ignorantia tollit uoluntariū: quippe quod ſecundū Gregoriū Nicenū & Damaſcenū, eſt illud, cuius principiū eſt in aliquo ſciente omnia ſingularia, in quib. eſt actus. ¶Ad diſſoluēdā præſentē quæſtionē primò notandū de erroris noie, quòd poſſet cuipiā apparere, dicēdum eſſe ignorantiam potius impedire matrimonium quàm errorem. Ignorantia quippe de ſe nullā ponit cognitionē, quæ id circo dicitur purę negationis: error uerò, q̄ dicit ignorātiā præuę diſpoſitionis, ponit indiciū falſum: Error nanq;, ut ait Aug. in Enchiridio c. 13. eſt approbare falſa pro veris: Omnis autē ignorantia, etiā citra errorē, tollit uoluntariū ergo non tantùm error, ſed ignorātia in genere debuit poni tāq̄ impedimentum.

Confirmatio arg.

2. Arg.

Confirmatio arg.

3. Arg.

Pars affirmatiua.

Gregorius Nicenus. Damaſcenus. Diuiſio ignorātiæ.

Ignorātia.

Error.

Augu. diffinitio.

Sententia authoris

tum. Ad hoc aut dicimus, quòd quantum ad impedimentum matrimonij non differt, utrùm dicatur ignorantia uel error: attamen cùm matrimonium nunquam niſi per aliquod iudicium contrahatur, neceſſe eſt, ut ſi illic ignorantia lateat, error ſubinde naſcatur, quo unum pro alio iudicatur: quoniam conſenſus in id non dirigitur, quod prorſus ignotum eſt. l. Cùm ab eo. §. Maſſam. ff. de cōtra. emptio. Quo circa quia error: id eſt, iudicium falſum, eſt tunc cauſa proxima contractus, congruentius dicitur error, quàm ignorantia. Vnde bene aiunt doctores, quòd omnimoda ignorantia circa perſonam non permittit, ut ſi propriè error perſonæ: ſed illa, quę aliquam eſtimationem perſonæ aut conditionis præſupponit. Quæ enim nunquam audiuit regem habere filium, non poteſt errare in perſona nubendo alicui putans eſſe filium regis. Mox animaduertendum, errorem citra matrimonium quadruplicis eſſe generis: ſcilicet, perſonæ, conditionis: nempe, ſeruitutis, & qualitatis, ac fortunæ. ¶Solutio ergo quæſtionis tribus concluſionibus continetur: Prima. Error perſonæ impedit matrimonium. Vt ſi quis putans ſe contrahere cū Maria, contrahat cum Anna. Decretum eſt iuris. 29. q. 1. Et idem eſt in alijs contractibus ciuilibus. Si enim credens ſe emere mancipium maſculum emat fœminam, contractus non tenet, ut ibidem; habetur. Quemadmodum ſi ementi aurum ſupponeretur loco eius aurichalcum, aut pro uino acetum. l. In uenditionibus. ff. de contrahen. emptio. Quòd ſi arguas. Cùm pro aureo ducato datur pondus argenti, uel alius metalli tantundem ualens, commutatio eſt legitima: ergo ſi qua nubat uni uiro tantæ æſtimationis, quantæ erat ille, quem putabat ſibi præſentari. Negatur conſequentia, quia pecunia, imò & res, quæ commutantur, pretio æſtimantur, quod quidem potiſſimum eſt in contractu. Et ideo argentum pro auro, ſi eiuſdē ualoris eſt, nō uitiat contractū. Cōſenſus aūt matrimonij fertur in hāc pſonā, pter ſe, & ideo non eſt ſimile. Rō ergo cōcluſionis ē, quā impræſentiarū: D. Th. adducit. Quicqd tollit cām, tollit effectū: cōſenſus aūt matrimonij eſt cā ipſius, & error tollit cōſenſum: quia conſenſus ex errore ꝓfectus nō eſt liber: uolūtatis quippe libertas cognitionem intellectus ſupponit: illa ergo ſublata nullū eſt uoluntarium aut liberum, iuxta illud, Errantis uoluntas nulla eſt. l. Cum teſtamentum. C. de iuris & facti ignor. Enimuerò qui putat ſe conſentire in Petrum, nullatenus cōſentit in Paulum. Vt enim autor eſt Aug. 10. de ciuit. ca. 1. Non poſſunt amari neque eligi niſi cognita: & uinculum matrimonij abſque amore & uoluntatis electione non poteſt eſſe perpetuum. Vnde optimè concludit. S. Tho. quòd error non ſolum matrimonium euacuat, uerum & id iure naturali ei cōpetit ac perinde diuino

Error congruentiùs quàm ignorantia.

Prima concluſio.

Rō S. Th.

Rō S. Th.

¶Secunda concluſio. Error conditionis: nempe, ſeruitutis, impedit matrimonium Concluſio eſt iuris, ut patet de coniugio ſeruorum, cap. Propoſuit. & reliquis. & 29. q. 2. can. Si quis. 1. & 3. & can. Si fœmina. &c. Et rationem concluſionis ſubdit eleganter D. Tho. Error enim ea ratione tollit matrimonium, qua excuſaret actum à culpa: eſt enim culpa hominem in cauſa matrimoniali decipere: error autem nō excuſat actum à culpa niſi ſit illius circunſtantiæ & qualitatis, quæ appoſita differentiam facit illiciti & liciti. Verbi gratia ſi quis percutiat patrem in capite gladio, arbitratus ſe non niſi fuſte ſcapulas attingere, licet minuatur culpa, non tamen prorſus excuſatur: quia ignorare inſtrumentum, quo, aut membrum, quod percutiebat, non purgabat rationem illiciti: q̄n quidem ſciebat patrē ferire, quod erat impium. Sed ſi credens alapa filium correctionis gratia percutere, percuteret patrem, error tolleret culpam: quia ignoratur circunſtantia patris. Pari ratione error, qui matrimonium impedit, non debet eſſe qualiſcunq;, ſed ille, quo ignoratur aliquid, quod ad eſſentiā pertinet matrimonij. Duo autem ſunt hmōi eſſentialia: ſcilicet, & perſonæ, quę cōiunguntur: nam ipſæ ſunt, quæ contractū & ſacramētum perficiūt & ceu propriū ſubiectū illud ſuſcipiūt. Præterea mutua poteſtas & facultas, quæ inter eos debet eſſe cohabitandi, ſibiq; inuicē ad nutū perſoluēdi debitū. Primū aūt aufertur per errorē perſonæ, & ſecūdū per errorē cōditionis. Qui. n. alterius ſeruus eſt, nō eſt ſui iuris, ut poſſit cū cōiuge cohabitare, & q̄rere, ut ait Paulus, qūo ei placeat. ¶Plenaria tñ cō cluſionis huius intelligentia uſq; ad

Secunda concluſio.

Ratio D. Thomæ.

Duo eſſentialia matrimonij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

distinctionē trigesimam quintam, ubi de coniugio seruorum habenda est disputatio, expectanda est. Quapropter ne materiam, quæ simul luculentiùs tractabitur, discerpamus, nihil illius hic ꝓposterè ponemus, sed illuc usque totam reponamus oportet. ¶ Tertia conclusio. Error qualitatis aut fortunæ matrimonio contrahendo non obstat. Decretum est supra citatorum canonum. Error qualitatis est, dū quis contrahit cum corrupta: putans esse uirginē, aut cum inhonesta putans esse honestam. ¶ Error fortunæ est, cùm quis contrahit cum paupere putans contrahere cum diuite. Contractus autem cum ignobili aut rustica, quæ putatur esse ingenua & nobilis inter errores qualitatis statuitur. Rō conclusionis huius est superiori contraria: nā hæc oīa extra essentiam sunt matrimonij. Vnde quàmuis si in conditionem ducerētur, pendentem facerent contractum, impleriq; adeò indigerent: tamen dū per modum conditionis non apponuntur, illum non uitiant. Præsertim dū matrimoniū de præsenti contrahitur: nam si essent sponsalia, profectò non esset ille, qui per errorē grauiter deceptus est, compellendus, quēadmodum can. Raptor. 27. q. 1. adnotauit Hugo. Qui. n. sponsalia cum corrupta contraxit putans esse uirginem, non est cogēdus. Et eadem, arbitror, rōne neq; illustris qui aliquam sibi infimæ sortis desponsauit, quam credebat esse illustrem. ¶ Contra hanc tamen conclusionem tertiam arguitur. Si filia regis aut magnatis, quæ putat se nubere filio alterius regis aut illustris uiri sibi pari, præsentaretur alius inferioris sortis, quem illa putaret esse illū principem, matrimonium non teneret: & tamē esse filium principis est qualitas personæ propter nobilitatem: & ampla substantia est bonum fortunæ: ergo error qualitatis & fortunæ tollit matrimonium. Et eadem est ratio de illa, quæ cogitat se nubere primogenito, cui obuenit primogenitura, nubit tamen minori, qui sibi pro alio offertur.

Tertia cō clusio.

Error fortunæ. Cōtractus cū rustica aut ignobili. Ratio.

Argumētum.

Primogenitum.

Solutio argumenti. ¶ Respondetur, ut probe ait D. Tho. art. 2. in solutione. 5. quòd error nobilitatis aut fortunæ per se matrimonium non euacuat. Sed est tamen oculatè attendendū, quòd error huiusmodi nonnūquàm refertur ad errorem personæ, ut in casib. propositis, & illa ratione matrimoniū eneruat. Ad hoc aūt deprehendendum discrimen, quod non est facilè, considerare oportet, utrùm consensus feratur in hanc particularem personam directè, an uerò in illum duntaxat, cui illa conditio aut dignitas adest. Priori. n. modo est error qualitatis, & posteriori est error personæ. Si. n. puella huic singulariter nupserit, licet id fecerit, quia credebat esse filium regis, uel primogenitum aut diuitem, cui aliàs non nupsisset, matrimonium nihilominus tenet: quia esse filium regis aut primogenitum, est tunc qualitas huius. Sed si nō intendebat contrahere nisi cum illo filio regis, aut diuite, quem habebat in corde matrimonium nō tenet: quia est error personæ. Quo fit, ut quanuis Petrus ille primogenitus, cui illa uolebat nubere, iam esset defunctus, quando nupsit Ioanni fratri eius, qui ideo Ioannes iam erat primogenituræ hæres, matrimonium non esset ualidum: quia non intendebat contrahere cū hoc, sed cū illo. Rursus sequitur, quòd si per uerba de præsenti intendens nubere absenti Petro, nupsit pūti Ioāni, quē putabat esse Petrū, licēt postea gratius habeat matrimonium cum Ioanne, quàm cum Petro, non pōt uiuente Petro nubere Ioanni, ēt si in illo errore permanens multos eidem Ioanni pepererit filios: quia nō fuit illud matrimonium, quanuis per ignorantiam fuerit à culpa immunis. ¶ Ad primū igitur argumentum negatur cōsequentia: nam in baptismo & alijs sacramentis intētio ministri, ut semel iam dictum est, non est proxima causa effectus sacramentalis: nempe, characteris & gratiæ, sed materia ipsa elementalis, & uerbum, quod est forma: intentio. n. non est nisi applicans materiam & formam ad suum proprium effectum. Et ideo error putātis baptizare aliū quàm baptizat, non tollit effectum. Consensus aūt est causa proxima uinculi matrimonij: ille aūt, qui fertur in Petrum, nō fertur in Paulum, & ideo non est simile. ¶ Ad confirmationem uerò negatur, Iacob contraxisse cum Lya per illum consensum & concubitum: quibus arbitrabatur contrahere cū Rachele, sed per consensum, quē postmodū habuit noūū in Lyā. ¶ Secundum supra iam solutum est per rationem secundæ conclusionis. Non enim eadem est ratio de errore conditionis & de erroribus qualitatis & fortunæ.

Nota.

Nota differentiam.

Sol. 1. arg.

Ad confirmationē.

Solutio 2. arg. ostendi solet.

Ad confirmationē. næ. Qua propter ad confirmationem negatur minor: nempe, quòd errori secundū naturam sui generis conueniat impedire matrimonium, imò id ei conuenit ex natura adiunctæ: uidelicet, quatenus est error eorum, quæ sunt de essentia matrimonij. ¶ Quòd si solutionem redarguas. Maior pernicioſiorque uidetur error infidelis hominis aut hæretici, qui non credit matrimonium esse indissolubile uinculum nec sacramentum: & tamen inter hæreticos & infideles est uerum matrimonium: ergo à fortiori neque error conditionis impedit. Respondetur, quòd matrimoniū per mutuū consensum contrahitur: error autem infidelis non adiacet illi consensui, sed est circa ea, quæ illum consequuntur: nempe, an sit indissolubile sacramentum: qđ autem ratione posterius est non tollit id, quod prius est. ¶ Ad tertium denique respondetur, quòd alia impedimenta: sci licet, uoti solennis, infidelitatis, frigiditatis &c. non tollunt matrimonium per uiā erroris, sed siue sciantur siue ignorentur, illud tollunt. Et ideo non opus fuit eorum ignorantiam inter errores connumerari, sed habebunt inferiùs suum locum.

Redargutio.

Solutio.

Solutio tertij.

ARTICVLVS II.

Vtrùm matrimonium ob turpem causam contractum sit legitimum.

HActenus de consensu, qui causa matrimonij est, tum formalis, ut dictum est, tū etiam materialis, ac perinde efficiens. Ob idque cauſarum series admonet, vt etiam de finali breue tandem uerbum addamus. Arguitur ergo quòd nulla alia de causa liceat matrimonium inire, quàm ob illam ob quam institutum est: nempe, generandę Prolis, concupiscentięque medendæ. Cū enim sacramentum hoc diuina sit institutio, iuxta illud Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non separet, apparet nullo alio fine contrahi posse, ab illo, quem illi Deus constituit: præsertim si finis sit inhonestus: Deus eīm causa peccati esse non potest, atque adeò nec concurrere ad illū contractum, qui est peccatum: actio aūtē sacramentalis est à Deo: ergo ubi finis inhonestus interuenit quia uidetur actum

Partis negatiuæ argument si primum.

deturpare, nullum necti uidetur matrimonij sacramentum. ¶ Secundò. Sacramentum, ut dictum est, matrimonij, significat unionem Christi cum ecclesia: id autem, quod turpe est, tam excellentem significationem habere non decet, ergo matrimonium, quod turpi fini uitiatur, nullum est. ¶ In contrarium est aliorum sacramentorum exemplum. Qui enim baptizat cum intentione ecclesiæ, licet alium finem adiungat, uerè baptizat: ergo idem usu uenire potest in matrimonio. ¶ Quæstiuncula facillima est, ad quam quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Dummodò cōsensus mutuus de præsenti, quo alteruter coniugum se alteri tradit interueniat, qui cunque finis siue honestus siue turpis adiungatur, componitur matrimonium. Probatur. quia illic seruatur quicquid est de essentia matrimonij: nempe, materia & forma & intentio ecclesiæ, quę est coniuges in cōmunem cohabitationem per uicariam traditionem corporū in rem uxoriam copulare. ¶ Secunda conclusio, quę ad eius qualitatem attinet, fit. Matrimoniū è suo proprio fine semper est bonum: quare in se ex nequitia cōtrahentium nullam contrahit maculam. Duplex. n. consideratur matrimonij finis, alter qui est eidem sacramentali contractui innatus: nempe procreatio prolis, & remedium contra carnis illecebras: iuxta uerbum Pauli, Qui non potest abstinere, nubat. Qui quidem finis in intentione contrahendi matrimonium ex natura rei includitur. Quare hic suapte natura semper bonus est.

Secūdū argumētum.

Pars affirmatiua.

Prima cō clusio.

Rō cōclusionis.

Secunda conclusio.

Duplex matrimonij finis.

¶ Possunt autem huic per accidens adhærere alij fines ex parte contrahentium. Et ideo sit tertia conclusio. Contrahere matrimonium propter bonum delectabile uel utile, quod necessario fini impertinens est, nullum est de se peccatum. Vt cō trahere propter mulieris pulchritudinem: exemplo Iacob, qui propter pulcherrimam Rachelem seruitutem quatuordecim annorum pertulit. Et Deutero. 21. aiebat Deus, Si uideris in num. captiuorū mulierē pulchram, & adamaueris eam, & uolueris eā habere uxorē, introduces eā in domū tuā &c. Item nec pp bonū utile malum de se est matrimonium cōtrahere, uidelicet, locupletē uxorē sibi homi nē associare, cuius substātia possit familiā

Tertia conclusio.

Iacob.

Deute. 21.

Propter bonum utile.

sustinere. Verũ est tamen, quòd ut dis. 26. dicebamus, mulieris probitas & honestas, quæ ad alendam coniugij charitatem confert, est eligenda & pariter uiri. Quare ex ijs accidentarijs finibus creberrimè peccata uenialia pullulant.

Quarta cõclusio.

¶ Quarta conclusio. Matrimonium eo fine contexere, qui peccatum mortale est, est itidem mortale crimen. Vt si uxor aut uir eligitur causa furandi, aut occidendi, aut hæreses seminandi. Probatur, quia, ut 2. Ethi. autor est Philosophus, actiones ex ex fine sortiuntur speciem. Ex qua igitur cõclusione subsequitur, quòd quanuis huiusmodi intentio non obstet quominus sacramentum firmum sit & legitimum, est tamen obex suscipiendæ sacramentalis gratiæ, si dum illud contrahitur, adest. Pacillima omnia sunt, in quibus idcirco nõ est immorandum.

Ratio conclusionis. Appẽdix.

Sol. 1. arg.

¶ Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd Deus per suam institutionem est causa coniunctionis uiri & uxoris, dũmodò consentiant in id, quod Deus instituit. Accidentariæ autem intentiones contrahentium non mutant matrimonij substantiam, sed si nullam habeant turpitudinem, sunt impertinentes, quod quidem cõmune est omnibus sacramentis. Quicunq; enim cum intentione ecclesiæ confert uel suscipit sacramentum, quancunque aliam adiungat intentionem, uerè confert, & suscipit, ut di. 1. q. 5. dictũ est. Si autem illa intentio peccatum sit, licet actionem contrahentium maculet, matrimonium tamẽ secundùm se quatenus à Deo est, non nisi bonum: nempe, coniunctio & uinculum matrimonij.

Redargutio.

¶ Quòd si redarguas. Deus non potest concurrere ad malum: illi autẽ actus cotrahentium sunt mali: ergo nõ potest concurrere ad illos: illi uerò sunt causa coniunctionis: ergo Deus non concurrit ad coniunctionem. Et confirmatur, quia effectus ex cã uitiatur: cuius. n. bonus finis est, ut ait Boetius. 2. libr. Topi. ipsum quoque bonum est, & è conuerso cuius finis malus est, ipsum est malum. Et eo. quoque lib. ait Philosophus. Quorum generationes malæ, & ipsa mala sunt, & uice uersa, quę mala sunt, malas habent generationes: mali ergo illi consensus malam faciũt coniunctionem, ad quam ergo Deus non cooperatur.

Confirmatio redargutionis.

Arist.

Solutio.

¶ Ad hoc respõdetur nihil obstare quominus Deus ad eundem effectũ, in quo diuersæ sunt rationes, sub una ratione confluat, & cã, quæ peccatum est, ad eundẽ concurrat sub alia ratione. Dũ em proles ex adulterio gignitur, Deus & omissio seminis, quæ peccatum est, simul ad generationem cõcurrunt. Concurrit, inquã, Deus simul cum illa actione adulteri quatenus actio naturalis est. Qua ét róne & proles genita bona est: scilicet, quatenus effectus naturæ. Non aũt concurrit cũ eadem actione quatenus ex mala intentione hominis procedit, quæ generationem uitiat. Pari modo in proposito concurrit Deus cum sinistris consensibus contrahentium, nempe, quatenus iure diuino & naturæ instituti sunt causa matrimonij. Quatenus uerò róne coniunctio matrimonialis bona est. Non tamen cum eisdem concurrit quatenus à uoluntatis prauitate dimanãt.

Sol. 2. arg.

¶ Et per hoc solutum restat argumentum secundum principale. Vnio enim illa quatenus effectus Dei est & naturæ significat unionem Christi & ecclesiæ, non autẽ quatenus per culpam commaculatur.

QVAESTIO SECVNDA,
De uirginitate & matrimonio beatæ uirginis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm condecens fuerit Dei matrem, uirginẽ emisso uotò perpetuo permãsisse.

IN calce demum mẽbri huius primi, quo causarum disputatio, quib. matrimoniũ perficitur, absoluitur, hæc quæstio adhiberi consueuit de matrimonio beatissimæ uirginis, quod fũit inter omnia illustrissimum. Tametsi in tractatu de uita eiusdem uirginis apriusD. Thomas eandem posuerit disputationem: nempe, in 3. par. q. 29. Arguitur ergo quòd non decuerit, & uirginem simul esse & nuptã. In lege enim ueteri: ut Deuter. 7. & Exod. 23. colligitur, maledictio in eos pronunciabatur, qui semen non relinquebãt sup terrã: vñ pro benedictione scribitur, Nõ erit apud te sterilis utriusq; sexus. ergo tũc uirginitas nõ erat ĩ cõsilio.

Partis gratiæ 1.

¶ Et secundò arguitur, quòd cùm uirginitatis uotum ad consiliorum perfectionem spectet,

2. Arg.

spectet, & Christus fuerit, qui legem consilijs suis impleuerit & perfecerit, à sua ipsius pſona culmẽ hoc uirginitatis debuit inchoari.

Pars affirmatiua.

Decisio articuli.

¶ In contrariũ est illud Virginis ad angelum Luc. 1. Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco?

Prima cõclusio.

¶ Duo quæstio insinuat disputanda. Primum de perpetua uirginitate Deiparæ uirginis: & secundum de eius connubio. Ad quarum priorem quæstionem duabus conclusionibus respõdetur. Prima. Quam maximè decentissimum fuit beatam uirginẽ in perpetuo uirginitatis statu deguisse uitam. Quod enim in conceptu & partu & post fuerit semper uirgo, orthodoxa nos admonet fides, non solùm per ecclesiasticam sanctionem, sed tum per uerbum illud uirginis ad angelum, Quomodo fiet istud, quia uirum non cognosco, tum etiã per angelicum respõsum, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Causas autem decẽtissimi huius uirginei instituti non est præsentis loci perſequi, eas tamen D. Thom. 3. par. q. 28. egregiè percenset. Decuit. n. Dei filiũ, q uerbũ patris est, instar uerbi à solo ipso patre obumbrãte spiritu sancto, ut ait Angelus, absque ulla corruptione modo quodam spirituali hominem concipi. Decuit & patris dignitatem, ut eius naturalis filius nullum alium patrem haberet in terris, quàm in cœlo. Decuit & Christi humanitatem, in qua nec peccatum, nec operatio peccatricis carnis locum habere debuit, per quem peccatum mundi tollebatur. Decuit & ad incarnationis finem, qui fuit, ut homines renascerẽtur in filios Dei non ex uoluntate carnis nec ex uoluntate uiri.

Cãe uirginei status Deiparæ Mariæ.

Quo ad effectũ redẽptionis.

Virgo post partum.

¶ Sed quòd & in partu mater maneret uirgo, eidem quoq; uerbo congruens fuit. Nam uerbum, ut corde absq; corruptione cõcipitur, ita inde absq; corruptione procedit. Item congruebat & redemptionis effectui, qui erat nostram corruptionem tollere. Quare non debuit nascẽdo uterum corrumpere. Quod & ad honorem matris quàm maximè referebat, ut integra inuiolataq; permaneret.

Vnigenitus.

Nota.

¶ At uerò & post partum debuerit etiam perseuarare perpetuò uirgo, res erat adeò condecẽs ut impudentissima sit blasphemia illud negare. Virgo enim si postea uirum erat cognitura, non ex libidine, quæ ab ipsa longissimè aberat, sed gratia procreandæ prolis facere cogitandum est. Id aũt filij eius dignitati maximè derogabat: quippe quẽ, ut unigenitus erat filius patris, ita quàm maximè decebat unigenitum esse matris. Mox iniurium maximè fuisset spiritui sancto, ut uterus, qui eius fuerat sacrariũ, homini esset cognitus. Deinde ingratissima esset, quæ gratissima Deo fuit, sanctissima uirgo, si unica prole non fuisset contenta, quæ erat Dei filius & suus: & uirginitatẽ, quam ei filius supra naturam seruauerat, naturali officio amitteret. Demum & Ioseph temeritatis & impudentiæ reus esset, si quam de spiritu sancto cõcepisse nouerat, polluere cogitaret.

Hæretici.

Quare Ebion, Cherinthus & Eluidius cõtraria his blasphemãtes meritissimò sunt tanquã impudentissimi hæretici condemnati. Hæc tamen non adeò sunt præsenti loco accommoda.

Secunda conclusio.

¶ Sit ergo ad propositum secunda conclusio. Condecens itidem fuit sacrosanctam uirginem suam uirginitatem Deo per uotum consecrare. Hanc conclusionem contra quosdam asseruerim molestos morosos; hoies, qui nihil aliud approbantes, quàm quod in sacris biblijs legerint, aiũt commentum esse fictum hoc, quod de uoto beatæ uirginis doctores tradunt, quia nullo sacro testimonio confirmatur. Satis enim istis factum esse debuisset per autoritatem Augustini locis citatis & Ambrosij, atque aliorum sanctorum patrum.

Ratio.

Sed præterea ratio illos uincit hæc, quòd cùm fides catholica contineat, Mariam fuisse perpetuò uirginem, ratione optima elicitur, perfectissimum uirginitatis statum habuisse, qualem Dei matrem decebat: status autem firmitatem sonat; firmitas uerò non nisi per uotum constabilitur, quod ideo quàm certissimum est uirginem emisisse.

Ratio secunda.

¶ Id quod & uerbo ipsius uirginis ad angelum confirmatur, Quomodo fiet istud, quia uirum non cognosco? Plana enim res est, uerbum illud non facere sensum: qui est, non cognoui: quia illud ad conceptionem futuram impertinens erat, sed sensus fuit, Quoniam uirum non cognoscere statui uotoque firmaui, quod maritalem complexum repellebat. Et ideo, Quomodo fiet istud? non erat uerbum renuentis facere qđ angelus proposuerat, sed modum interrogantis

Quomodo fiet istud?

gantis,quam scilicet operam præstitura esset:uidelicet, utrùm esset cognitura uirũ, an uerò per solam orationem uel consensum conceptura. Ad quod respondens angelus ait. Spiritus sanctus superueniet in te &c. ¶Sed rogas. Cur Euangelista hanc perpetuam post partum uirginitatem nõ expresserit. Respõdetur, quòd ex eo, quod minus erat credibile, illud, quod facilius erat creditu, reliquit ut notum. Ex eo, inquam, quod dixerat, Spiritus sanctus superueniet in te &c. & Quod ex te nascetur sanctum uocabitur filius Dei, ubi conceptum partumq; uirgineum designauit, ut notum reliquit post partum mãsisse uirginem, nec postmodum Ioseph matrimonium cõsummasse. Quod quidem uiri sancti non nisi prolis generandæ gratia debuissent consummare. Et ideò cùm Deus illis tam admirabilem præstitisset, absurdum esset aliam optare & gignere. Vnde quia Matthæus propter perfectum matrimonium appellauit Mariam coniugem Iosephi, Lucas uerbum temperans ait cap. 3. quòd putabatur (quia nõ erat) pater Christi. Nec quod Matthæus appellat Christũ primogenitum uirginis, insinuat aliũ fuisse pòst genitum, sed quòd nullum antea genuisset. Nam & unigeniti censentur primogenituræ hæredes. Et quod ait, Antequàm conuenirent inuenta est in utero habens: & non cognoscebat eam donec peperit filium suum, non significat, quòd postea conuenerint, sed solùm (ut inquit Hieronymus) significauit antequàm id accideret, quod communi lege sperabatur, eam tunc & concepisse & peperisse. Sic enim loquimur, Antequam uiginti annos expleret, seu antequàm nauẽ intraret, mortuus est. Hæc autem apud Hieronymũ & alios patres peruulgata sunt.

Perconta tio.

Solutio.

Matth.

Lucas.

Primogenitus.

Explicantur quædã loca scripturæ.

¶At uerò argumentum primum, quod in contrarium obiectum est, nonnihil difficultatis offert. Enimuerò D. Thom. loco citato: uidelicet. 3. part. q. 28. articu. 4. respondet, quòd quia lege ueteri uidebatur prohibitum non dare operã ad relinquendum semen super terram, beata uirgo ante nuptias non simpliciter uirginitatem uouit, sed sub conditione, si Deo placeret. Et distinct. præsenti q. 2. ait, quòd quanuis uirginitas in se optima sit, tamen tempore Mosaycæ legis matrimonium ei præferebatur propter expectationem benedicti seminis per uiam generationis uenturi: & ideo beata uirgo sub conditione uouit.

Solutio sãcti Thomę ad primũ argumẽtũ.

¶Horum autem utrumq; profectò fateor mihi durum esse creditu: nam primum, q̃ absque ullo peccato licitum esset in illa lege uirginitatem seruare D. ipse Tho. in 4. distin. 33. q. 3. ar. 2. ad. 2. plane fatetur dicens, quòd post multiplicatum genus humanum siue in statu naturæ integræ siue in statu naturæ corruptæ nullũ fuisset peccatum à matrimonio abstinere: quia iam cessasset necessitas præcepti, Crescite & multiplicamini. Et eadem, inquit, ratione in lege Moysi post sufficientem propagationem illius populi, qui ad cultum Dei erat necessarius, non peccasset qui à matrimonio se abdicasset, atque adeò multò minus qui uirginitatẽ seruasset. Quare quod quidam arguunt, in præcepto tunc fuisse matrimonium ad augendum populum, id fortasse in initio, dum populus erat exiguus, uerum habuit: ut in Abraham, Isaac & Iacob, quorum ideo matrimonia scriptura insigniter commendat. ¶Aliud uerò argumentum, quod ex uerbis S. Thomæ colligitur: uidelicet, quòd propter expectationem uenturi Messiæ nefas erat à matrimonio contrahendo se hominẽ abstrahere, non ita multum mouet. Nam etsi Abrahæ, ut Gen. 22. legitur facta fuerit promissio ut in semine suo benedicturus esset Deus omnes gentes, tamen sola tribus Iuda erat, quæ Messiæ carnẽ erat exhibitura, quemadmodum erat in lege uaticinatum. Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, &c. Quare aliæ tribus non tenebantur illo uinculo. Adde quòd licet aliqui à re uxoria abhorrerent, prouidentia Dei efficeret ne linea procreando Christo deficeret. Ad hæc si tanta tunc esset obligatio nauandi operam liberis, cõsequens heret: ut si quis ex primo matrimonio non susceptisset prolem, teneretur ad secũdas nuptias commigrare, quod ex nulla historia colligitur, imò Iudith absq; prole in uiduitate permansit. ¶Quin uerò addiderim, si mea est audiẽda opinio, semper fuisse uirginitatem nuptijs meritò prælatam saltem post naturã corruptam. Nã in natura integra cùm amplexus tunc maritalis absq; ulla delectationis exuberantia fieret, atq; adeò nec cõtemplationem nec alia spiritualia opera impediret: fortasse

Sententia autoris.

D. Thom. in 4.

In l. Moysi

Argu. quãdam.

Aliud argumentũ.

Solutio.

tasse genere suo non fuisset uirtus à matrimonio abstinere. Tametsi propagato genere humano nec fuisset peccatum, ut ait S. Tho. sed esset indifferens, quod ex fine posset fieri bonum. At uerò sub lege naturæ corruptæ prolatato satis humano genere proculdubio semper fuit uirginitas matrimonio præstantior, quippe quæ ad contemplationem & spiritualia opera longè aptior, quorum gratia multi sapientes uoluptuosæ se ueneri subduxerunt. Quin uero de Abel nulla fert historia uxorem habuisse, quia fortasse nondum sororem natus fuerat connubio maturã. Atq; adeò inde iã angelica uirginitas genus humanũ decorare cœpit, & abstinentia rei uenereę florere. ¶Hinc ergo, ut ad legem Mosaycã gradũ faciamus, arguitur. Cùm illic, ut dictum est, licitum fuerit aucto iam populo à matrimonijs se homines abdicare, nescio cur non uirginitas propter easdẽ causas, ob quas sub lege naturæ laudabilior erat quàm matrimonium, ẽt sub eadẽ scripta lege eundem excellentiæ gradum præ nuptijs obtineret. ¶Veritas hæc præterea multis Prophetarum exemplis comprobatur. Esaias nanque Elisæus & Hieremias, ut Hieronymus. li. 1. aduersus Iouinianum c. 16. autor est, cõpluresq; alij à re uxoria se prorsus abdicarũt circumeuntes (uti ait Paul. ad. Hebr. 11.) in melotis & in pellibus caprinis, in solitudinibus oberrantes & in speluncis & cauernis terræ. Et Iosephus lib. 18. antiquita. & Solinus in polyhistoria c. 48. referunt, ante Christi aduentum Essenorum collegium, in deserto Iudææ more nostrorum Anacoritarum sanctissimam deguisse uitã, ab uxoribus prorsus & omni fœmineo conspectu semotissimum: quorum institutũ secutus est Ioann. Baptista. Vnde quanuis nullam aliam habuisset beata uirgo reuelationẽ, exemplũ in sua gente haberet uirginitatis colendę. ¶Igitur quod hic ait S. Tho. sub illa lege matrimonium prælatum fuisse uirginitati, uel intelligitur sub initio illius legis, uel dicendum q̃ in sua summa, ubi omnia polliebat, id non dixisset. Imò. 2. 2. q. 152. ar. 4. simpliciter concludit uirginitatem præferendam esse matrimonio: ubi hanc exceptionem illius legis non facit, sed solũ ait, matrimonium Abrahæ propter necessitatem illius temporis æquatum fuisse continentiæ uirginis Ioannis. Et loco citato. 3. part. q. 28. non ait simpliciter, quòd sub illa lege prohibitum fuerit non dare operam liberis, sed q̃ prohibitum uidebatur. Id quod forsitan dixit propter lineam rectam tribus Iuda, & singulariter propter sacram uirginem, quam proculdubio credo ex eadẽ tribu per paternà lineã descendisse: nempe, à Dauid per Nathan filium eius: quam quidem lineam ascendendo recensuit Lucas ca. 3. Sed per lineam maternam creditur fuisse de tribu Leui: nẽpe, cognata Elisabeth. Præterquam q̃ etsi nõ sit certum fuisse ei reuelatũ futurã Dei genitricẽ, est tñ credibile aliqualem inspirationẽ ab spiritu sancto recepisse, se eius genituræ aliquid operæ præsiturã: & ideo ante nuptias desideriũ, quod uirginitatis habebat, non ausa est absoluto uoto firmare.

Sub lege naturę corruptæ.

De Abel.

In l. Moysi

Prophetarũ exẽpla.

Iosephus.

Sol. 1. arg.

¶Ad argumentum igitur principale respõdetur, id, quod ait D. Tho. vt maledictionem censeri in uetusta lege sterilitatẽ, de nuptis fœminis esse intelligendum. Quare Anna Samuelis mater exprobrabat, ut legitur. 1. Reg. 1. q̃ dominus conclusisset uuluã eius. Non aũt inde sequitur q̃ fuerit oĩbus in præcepto nubere. Illud. n. Deut. 7. Non erit apud te sterilis utriusq; sexus, quod & in Exod. c. 23. habetur, non sonat præceptũ contrahendi matrimonium, sed contrahentiũ benedictionẽ. Veluti in Psa. Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ. Promittebat. n. populo illic Deus si suã legem seruaret dicens, Benedictus eris inter oẽs populos. Non erit in te sterilis utriusq; sexus, siue in hominibus siue in gregibus. Auferet à te dominus oẽm languorem &c. ¶Ad secundum autem respondetur, quòd beata uirgo, ut in Canticis legitur, fuit sicut aurora consurgens, enixura solem iustitiæ, atq; adeò confiniũ fuit tenebrarum antiquæ legis, & lucis nouæ. Quapropter ante nuptias propositum habuit uirginitatis, & post nuptias uotum eiusdem fecit, quod filius eius diuino exẽplo & lege confirmaturus erat. Quocirca licèt antea multi ob alios fines uirginitatem seruassent, tamen id sub uoto ueræ religionis â beata uirgine ortum habuit. Votum enim Vestalium uirginum Deorum superstitione uitiabatur. Solennitas uerò euangelici uoti à Christo cœpit.

Sol. 2. arg.

ARTI-

ARTICVLVS. II.

Vtrùm virginem Dei matrem nuptam simul esse decuerit.

Partis affirmatiuæ primum.

ALTER articulus quæstionis præsentis de castissimis nuptijs beatæ uirginis initur. Arguitur ergo non decuisse fuisse nuptam. Votũ virginitatis, quod dictum est uirginẽ emisisse, è diuerso cum matrimonio pugnat: quoniam, ut ait Hierony. Vouentibus uirginitatem non solum nubere, sed uelle nubere damnabile est: ergo nequiuit & uotũ emittere uirginitatis, & matrimonij contractum celebrare. ¶ Secundò. Si desponsatio uirginis condecens fuit causa, extitit, ut partus eius, quemadmodum ait Ignatius martyr, diabolo celaretur: ille autem illa uia celari eum nequiuit, quoniam ocultè noscere poterat intactam uiro concepisse: ergo illa causa friuola est. Imò potius miraculo, quòd ex uirgine Christus tum conciperetur tum & nascerctur, congruens erat, ut mater non esset maritata: nam miracula in testimonium fidei æduntur: qua utique ratione in manifesto fieri debent: fuisset autem manifestius, si in opinione uulgi maritum non haberet. ¶ In cõtrarium autem est uerbum euangelicum Luc. 1. Missus est Gabriel angelus ad Mariam uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph. ¶ Ad quæstionem præsentem duabus, sicut ad præcedentem, cõclusionibus respondetur. Prima. Congruẽtissimum mysterio fuit Dei matrem unà & uirginem & desponsatam fuisse. Causas huius congruentissimas ad undecim usq; D. Tho. q. citata. 29. cõnumerat. Quarum quatuor Christo ipsi accommodantur: nẽpe, ne à Iudæis tanquam illegitimè natus repudiaretur: atque ut consueto modo genealogia eius per uirum describeretur. Quas utique causas assignauit super Lucã Ambr. Et tertiò, quod ait Ignatius, ut diabolo eius partus occultaretur, ne in puerum machinamenta moliretur. Ac demũ ut obsequio patris Ioseph nutriretur.

2. Argu.

Pars affirmatiua.

Prima conclusio.

Causę duo decim.

Ad Christum quatuor spectant.

Tertia.

Quarta. Ad uirginem tres.

¶ A parte autem uirginis tres aliæ exurgunt causæ: uidelicet, ut & ab infamia & à pœna lapidationis, liberaretur, quemadmodum ait, Hieronymus, tum honestiùs tum etiam accuratiùs eidem uirgini ministerium maritus exhiberet. ¶ Demum & ad nos quinque aliæ attinebant. Nimirum prima, ut testimonio mariti firmiùs natiuitas Christi ex uirgine comprobaretur. Locupletior enim, ait super Lucã Ambro. testis pudoris maritus adhibetur, qui posset & dolere iniuriam, & uindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum. Secũda, ut idem subdit Diuus pater, ut uerba uirginis credibiliora redderentur, quod & in nostram redundauit fidei firmitatem. Videretur enim culpam obũbrare uoluisse mẽdacio innupta prægnãs, causam autem mentiendi desponsata non habuit, cùm coniugij præmium & gratia nuptiarum partus sit fœminarum. Tertia, ut tolleretur excusatio uirginibus, quæ nõ omnem cautelam adhibent, ut infamiam euitent. Quarta, quia per illud uirginis cõ nubiũ uniuersalis ecclesia designatur, quæ uirgo, uti. 2. Cor. 11. ait Paul. desponsata est uni uiro Christo. His denique & duodecimam, eandemq; pulcherrimam, adhibeamus causam: uidelicet, ut quemadmodum in Christo duæ naturæ Dei & hominis copulatæ sunt, sic & in eius partẽte duæ coniungerentur egregiæ dignitates matris & uirginis. Etenim illuc usque, ut florida uirginitatis integritas prolis fuerat sterilitate truncata, sic & matrimonialis fœcũditas pudore corruptionis fuerat abiecta. Vt ergo neque fructus coniugij florem uirginitatis deijceret, neque flos uirginitatis prolis orbiratem perferret, ambo in Maria confoderata sunt iura: nimirum, ut inuiolata matris uirginitas filium pareret Deum & hominem.

Ad nos quinque

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Duodecima.

¶ Dubium autem circa quæstionem hanc emergit, utrùm purissimum illum coniugium fuerit perfectum. Supposito nanque ex articu. 1. ut fides catholica profitetur, illud nunquam fuisse per copulam cõsummatum, Vuitcleff, ut est uidere apud Thomam Vualdensem cap. 130. opinatus matrimonium non esse legitimum & perfectum nisi fuerit consummatum, inficiabatur uirginem matrimonium, insinuans non fuisse perfectum. Nec desunt prorsus argumenta, quæ rem aliquo probabilitatis colore afficiant. Perfectum enim matrimonium dicit absolutum consensum: & tamen uidetur uirgo non absolutè in matrimonium consensisse, sed illud commisisse Deo, sicut suam uirginitatem: alioquin si absolutè

An coniugium Mariæ fuerit perfectum

Vuitcleff.

1. Argu.

Secũdum.

2. Conclusio.

Ratio.

Solu. arg.

Solu. aliusargumẽti.

Sol. 1. arg.

Argumen.

solutè consensisset, non licuisset Iosepho eam dimittere, quod tamen Euangelista ait eum cogitasse. Secundò, quia ad perfectionem matrimonij conuenit & consummatio & perfecta significatio: illud autem nunquã fuit consummatum: quare per illud non fuit significata unio Christi cum natura humana. ¶ His tamẽ nihil obstantibus, subtexitur secunda conclusio. Sacro sanctum illud matrimoniũ fuit perfectissimum. Dei nanque perfecta sunt opera: illud autem matrimonium fuit diuinitus inspiratum: ergo perfectũ: id quod euangelista illo nomine significare uoluit, quo Mariam appellauit Ioseph coniugem. Ratione etiam eadem conclusio exponitur. Duplex enim, ut dist. 26. q. 2. artic. 4. dixi mus, est rei perfectio: una essentialis: quæ ad eius naturam spectat, atq; alia accidentaria, quæ secundum eius operationem cõsideratur. Ignis enim, licèt in uacuo positus non calefaceret, esset tamen essentialiter perfectum in suis partibus. Perfectio autem essentialis matrimonij consistit in mutuo consensu de præsenti, quo se alteruter coniugum alteri tradit: quo pacto inter Mariam & Ioseph fuit perfectissimum matrimonium. Cõmistio uerò per copulam est usus & operatio matrimonij atque adeò accidentaria perfectio, quæ non est de eius essentia. ¶ Et per hoc respõsum est ad argumentum factum de consummatione & significatione unionis humanitatis Christi. sunt enim accidentariç matrimonio, & ideo eorũ defectus nihil de eius essentiali perfectione tollit.

¶ Ad aliud autem argumentum negatur beatam uirginem sub conditione contraxisse, imò absolute contraxit, ut illico plenius fiet, certa tamen, quòd nunquam per usum uxorium esset uiolanda. Quod autẽ Ioseph cogitabat eam dimittere, non intelligitur de separatione quo ad uinculũ sed quo ad torum. ¶ Ad primum argumentum in capite articuli propositum omnes præter Scotum respondent, illud satis probare sacrosanctam uirginem ante contractas nuptias non emisisse absolutè uotũ, alioqui consentire in illas, nefas esset. Emisit autem illud sub conditione, ut ait S. Thom. & Doctores, nisi Deus aliud iuberet. ¶ Contra hanc autem uulgatam assertionem arguitur. In omni uoto siue simplici siue solẽni subintelligitur conditio illà, nisi Deus aliter iusserit: ergo illa expressa conditio non obstabat, quominus uotum beatę uirginis absolutum esset, sicuti modò usu & more fit. Paludanus atq; alij non aliud respondent, quàm quòd licèt implicitè illa includatur in omni uoto, perfectius tamen est illam exprimere. Sed certè hoc difficultatem non eneruat: tum quia si naturam uoti non mutaret, nõ tanti referret exprimeretur nec ne, tum præsertim quod argumentum eo tendit, quòd quemadmodum post absolutũ modo uotum non licet matrimonium inire non obstante inclusione illius conditionis, ita nec licuit beatæ uirgini non obstãte eiusdem conditionis expressione. ¶ Scotus ergo dist. præsenti. q. 2. tenet beatam uirginem etiam ante nuptias absolutè uouisse. Cui quidem, inquit, uoto non repugnauit absolutus consensus in matrimonium: propterea quòd certa erat, nunquã se daturam operam rei uxoriæ. At profectò solutio hæc ægrè sustineri ualet. Est enim contra citatum Hierony. dicentem, quòd uouentibus uirginitatem etiam uelle nubere damnabile est: nam nubere est tradere potestatem sui corporis alteri, quod uouenti uirginitatem non licet, ut bene ait D. Tho. dist. 29. in fine. Quare Aug. non dicit, nisi quòd proposuit. Et in de omnes Doctores inferunt, ante nuptias non uouisse absolutè. Quibus ideo Scotus non debuisset tam facilè contradicere. Procul dubio igitur respondendum longissimè differre inter uotum absolutum, quod modò illam conditionem implicat, si Deus uoluerit, & illud uirginis ante cõtractum matrimonium. Nunc enim minimè licet post uotum solenne, aut sine dispensatione post simplex nuptias contrahere, quoniam per talem contractum ille qui uouit concedit facultatem alteri coniugi sui corporis. Quare licèt includatur conditio, Nisi Deus aliter iusserit, intelligitur tamen per diuinas leges Deum non aliud iubere, quàm ut uotum seruetur. Votũ ergo beatæ uirginis ante nuptias sic intelligitur, quòd non fuerit firmatum: nunquàm. n. absolute dixit. Vouco. Quocirca nõ tã uotũ dicendũ est, quàm desideriũ uouẽdi. Sed tamẽ qa anceps erat animi quid Deus uellet, ipsi deliberationis conclusionem reliquit. Vnde Aug. non dicit, quòd tunc uouit, sed quòd proposuit se

Paludanus

Nota.

Authoris solutio.

Scotus.

Augustꝰ

Universidad de Deusto
Biblioteca

se permansuram uirginem, nisi Deus aliter reuelaret. Et ideo fortasse per reuelationem etiam nupsit tradendo uiro facultatem sui corporis, eãdemq; absolutè. Etenim in contractu non expressit conditionem & pactum nunquàm se mutuò cognoscendi: nam cùm illa conditio, ut supra dictum est, sit fini matrimonij contraria, nõ fuisset uerum matrimonium: sed neq; expressit consensum in copulam, ut dist. 27. q. 1. art. 2. latè monstrauimus: quia illa expressio propositi & desiderio ppetuæ uirginitatis derogaret, atq; adeò non fuisset perpetuò uirgo mente & corpore. Præsertim, quia ut dist. 26. q. 2. art. 4. præmiseramus, carnalis copula nõ est de essentia matrimonij. Fuit tñ talis consensus copulæ illic in uirtute implicitus, sicut actus in potentia. At quia per Spiritum sanctum certa erat, nunquàm suum coniugem exacturam debitũ, nihil de perpetua uirginitate etiã mẽtis detractum ei est: quippe cui uirginitati non nisi uoluntas contrahendi cõsummandiq; matrimonium officit. Atque ea pp si D. Ioan. fuit ille sponsus, cuius nuptijs Christus interfuit, nõ est cẽsendus tñ uirgo mente, q̃ beata uirgo. Nã credibile est cõtraxisse matrimoniũ lege cõi consummãdi. Sed tñ fuit uirgo corpore, & mẽte per mutationẽ propositi: quia postmodum uoto eam confirmauit, quod ad laureolam sufficit. Cæterum quo ad sacrã uirginem, eiusq; spõsum redeamus, illico matrimonio contracto ante angelicam salutationem ambo cõi consensu per absolutũ uotum Deo suam uirginitatẽ consecrauere. Id qđ beata uirgo uerbis illis ad angelum expressit, Quomodo fiet, istud? &c.

De diuo Ioanne.

Solut. 2. ¶ Ad secundùm uerò respõdent doctores, quòd diabolo diuinitus non permittitur oĩa fidei mysteria perscrutari: quia ut. 3. de trini. ait Aug. multa potest uirtute suæ naturæ, à quibus diuinitus prohibetur & ideo non deprehendit modum conceptionis Christi. Hæc autem solutio non satis prorsus rei facit: nam si per solam dei prouidentiam idem cõceptus celatus fuit, nulla erat necessitas, ut illa de causa uirgo despõsaretur. Dicendum ergo quòd Deus ad occultandum Satanæ illud secretum usus est modo naturali consueto: diabolus nanque non est ad omnes conceptus hominũ attentus quando solito modo per matrimonium fiunt. Et ideo, quia beata uirgo uirum habebat, non explorauit mysterium, quod tamen si esset innupta, cùm eximiã eius sanctitatem & puritatem haberet cõpertam, diligẽtiùs explorasset. ¶ Ad aliud uerò membrum, quòd miraculum debuerit esse propatulum, respondetur, quòd miracula sunt in duplici differentia. Alia quidem, quæ sunt ipsi articuli fidei, ut incarnatio &c. alia uerò quæ fiunt in testimonium fidei, ut infirmorum sanitas, & motuorum resuscitatio. Hæc ergo secundi generis debent publicitus fieri, non tamen illa, nisi dum per rationem temporis expedierit. Vnde quãdiu Christus fuit infans, necessum fuit mysterium dæmonibus occultari, ne acrius puerum infestarent: tunc enim Christus nec pati dispoſuerat, nec suam uirtutem patefacere. Postmodum uerò iam adultus, quando se legislatorem exhibebat, non renuit eisdem dæmonibus innotescere: qui ideo, ut Marci. 1. legitur, exclamabant dicentes. Quid nobis & tibi Iesu Nazarene &c. Scio quòd sis sanctus Dei. ¶ Contra aliam congruentiam, qua dictum est, uirginem desponsatam, ne inuenta prægnans lapidaretur, existit argumentũ: quia solæ maritatæ propter adulterium lapidabantur: quare illa de causa potiùs debuit non esse maritata. Respondetur, quòd non solùm uxores, uerùm & uirgines, quæ in ædibus paternis seruabantur, lapidibus propter stuprum obruebantur, ut Deut. 22. legitur, & potisimùm illæ, quæ de genere erant sacerdotali, ut letur Leuit. 21. qualis, ut paulò antè diceba mus, creditur fuisse beata uirgo per lineam matris.

Sol. autho ri displicet

Authoris solutio.

Augnst.

Obiectio

Solutio

DISTINCTIO TRIGESIMAPRIMA, De bonis matrimonium excusantibus.

Terræ Cap. 1.

SAcramentũ hoc quod per cãs hucusq; denaratas cõstituitur, quãuis bonũ per se utiq; honestumq; sit; tamen

tamẽ quia molestias secũ fert, adnexaq; incõmoda, exposcere uidetur, ut bona ei appendãtur, quibus excusari honestariq; ualeat. Hæc sunt numero tria, quæ Aug. li. 9. super Gen. scripta reliquit: nempe, fides, proles, & sacramentũ. In fide attenditur, ne coniux cũ alio alia ue se se cõmisceat. In prole, ut amanter susceptа, religiosè educetur. In sacramento, ut cõsummatum cõiugium quoad substantiam non dirimatur, tã etsi coniuges, seu fornicationis causa, seu gratia religionis, toro separari ualeãt. ¶ At uerò fides & proles, licèt bona sint intẽtioni & naturæ sacramenti innata, quippe qđ in hoc institutũ est, ut mutua fide cõstricti cõiuges generi propagando incũbãt, tamen re & usu non sunt eius substantię necessarię. Fides nanq; ab adulteris uiolata uinculũ sacramenti nõ abrumpit, sed si cõiugio adfuerit, ut ait uenerabilis Hugo, ampliùs cõmẽdatur, si uerò defuerit, nõ inde annihilatur. Neq; uerò sterilitas eorũ, qui fructu prolis frustrantur, cõiugiũ diluit. Quocirca proles fructuosius sacramentũ reddit: si uerò sterile fuerit, non ideo nullũ erit. Ratio uerò sacramenti est matrimonio natiua, ac perinde inseparabilis: nam uti lib. 1. de nuptijs autor est Augu. usq; adeò manent inter uiuentes semel inita nuptiarum iura, ut quanuis toro separati alias inire tentarent, potiùs sint inter se cõiuges quàm quibus adhæserint: sicut apostata aĩa de cõiugio Christi recedens, etiã fide perdita sacramentũ fidei nõ amittit, quod lauacro regenerationis recepit. Est ergo gradus sacramenti inter reliqua matrimonij bona potissimum.

Cap. 7.

Cap. 2.

Hugo.

Cap. 10.

¶ Concubitus itaque coniugalis huiusmodi bonis exornatus: nempe, qui causa uel prolis fidei seruandæ fit, adeò est cuiuslibet culpæ expers, ut sit sæpè Deo acceptus & gratus. Vbi aũt hæc defuerint, si uoluptatis libidine fiat, labẽ cõtrahit uenialis culpæ. Vnde Aug. lib. de bono coniugali. Coniugalis, inquit, concubitus generandi

Cap. 3.

Cap. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

randi causa non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandę, sed tamen cum coniuge, propter fidem tori venialem habet culpam. Et rursus. Cap. 7. *Reddere debitum coniugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem culpę uenialis. Ubi docere videtur, quòd debitum soluere ad cauendam in coniuge fornicationis turpitudinem, legitimũ sit: exigere autem ad eandem in se vitandã, nõ item. Quanuis nefas fortè non sit rigorem sententię huius sic mitigare, ut vbi humano more remedium hoc necessarium fuerit iudicatum, id fortasse liceat: nempe, vt in hoc sensu audiatur.* 1. Paulus: *Cor. 7. Paul. vbi ait, Propter fornicationem unusquisq; suã vxorem habeat, & unaquęque suum virum. Et inferius. Iterum reuertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam. Tametsi* Augusti. *Augùst. in lib. de verbis domini indulgentię nomẽ ad matrimonium sic referat ut intelligatur permissum tãquam minus bonum quã castitas. Sed si referatur ad uniũ causã fornicationis cauendę, permittatur tanquam minus malum.*

DISTINCTIONIS TRIgesimæprimæ, Quæst. 1. De bonis matrimo. excusantibus.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm matrimonium debeat per aliqua bona excusari.

EXPEDITVM primum membrum eorũ trium, quæ de matrimonio disputanda proposuimus .s. de causis, quibus matrimonium contrahitur. Subsequitur ergo in his tribus proximis distinctionibus secundum, de eius, postquàm contractum est, concomitantibus bonis & legitimo usu. Arguitur igitur quòd matrimonium nullis indigeat bonis, quibus excusetur. Illud enim, quod genere suo honestum est, nullo indiget alio bono, quo excusetur: amicitia autem, quæ est inter uirum & uxorem, ut. 8. Ethi. autor est Philosophus, est naturalis, quæ in se honestum includit & utile & delectabile: ergo non indiget excusari. Partis oppositum. 1. Arg.

¶Et confirmatur. Tam naturale est homini suam conseruare speciem per propagationem, quàm proprium individuum per nutritionem, quin imò quanto species prę stantius bonum est quàm individuum, tanto eius conseruatio uidetur magis naturalis: sed alimenta sumere non indiget aliqua excusatione: ergo nec generatio, quæ fit per matrimonium. Confirmatio arg. 2. Arg.

¶Secundò arguitur ex fine. Matrimoniũ non indiget excusari, quatenus est in officium: nam tunc deberet etiam excusari in statu innocentiæ, quod est falsum: quoniã, ut

ait Augu. tunc fuissent nuptię honorabiles & torus immaculatus: quatenus uerò est in remedium, non est magis excusabile, quàm cætera sacramenta, quæ pariter sunt contra peccata instituta, quæ tamen excusari non agent. ¶Tertiò. Virtutes sufficiunt dirigere, atque adeò excusare omnia opera, quæ honestè fieri possũt: matrimonium autem contrahi potest honestè: ergo non alijs indiget bonis, ut honestetur, quàm uirtutibus. ¶In contrariũ est, quòd omne bonum propter indulgentiam permissum indiget excusari: usum autem matrimonij Paul. 1. Cor. 7. secundum indulgentiam concedit hominibus: ergo indiget excusari. ¶Idioma istud & negotium excusandi matrimonium introductum in scholas fuit ad cauendam uetustã eorum hæresim, qui nuptias negabant esse licitas, de quibus Paul. 1. Tim. 4. meminit: ad eorum enim retundendum errorẽ hæc excusantia bona commemorat Aug. lib. 9. super Genes. c. 7. Et ideo ad quæstionem unica conclusione respondetur. Matrimonium indiget per aliqua bona excusari. ¶Veruntamen conclusionem hanc non eodem modo doctores probant. Durand. nanque dist. præsenti probat hoc pacto. Supponit primò, & quidem probè cũ S. Thom. dist. præsenti. q. 2. bifariam actũ excusari. Vno modo ex parte facientis, quo utiq; modo id etiam quod per se est malum, potest per ignorantiam excusari, ut dum quis rem furatur alienam putans esse suam, de quo excusationis modo sermo impræsentiarum non habetur. Alio modo excusatur secundum se, & de ista excusatione loquimur in præsentia. s. quantum ad excusationem operis, qua per se indiget, ut sit bonum. Hoc supposito arguit sic. Actus intrinsecè malus, cum fieri non possit bene, nequit excusari: excusatio enim nulla est, nisi actum bonum reddat. Quare furtum per nullum bonum excusari potest, licet qui furatur possit per ignorantiam à culpa eximi. Itẽ neq; actus intrinsecè bonus excusatione opus habet: quia à se suam habet bonitatem. Restat ergo, ut solus actus indifferẽs, qui bene & malè fieri põt, indigeat excusatione, ut sit bonus. Veluti ambulare, & loqui, qđ si fiat bono fine, est bonũ: sin prauo, prauum, si uerò nullo, erit otiosũ. Ad hũc ergo modũ putat Durãd. mrimoniũ excusari: quia Conclusio. Durandus.

actus, inqt, carnalis ex gne suo indifferens est. ¶At uerò rõcinatio hæc, non est satis solida: nã si sola actus indifferẽtia in cã esset, ut excusari indigeret, tunc (ut Palud. bene colligit) omnis actus indifferens similiter esset excusandus, quod patrib. nõ est in more. Quin uerò comedere & bibere, quę sunt opera indifferentia, deberent excusari: nam si responderis non esse p arẽ rõnem, eo q in esu & potu non tam absorbeatur rõnis usus q in re uenerea, iam concedis non solam indifferentiam actus excusatione indigere. ¶Aliter tamen mihi uideor hanc opinionem falsitatis euidenter redarguere. Cùm enim Augusti. & Doctores matrimonium excusare satagunt, non intelligunt solùm actum generationis excusare quatenus ad honestum, & inhonestum: nempe, ad coniugalem, & fornicarium, indifferens est: nam tunc per hoc quòd contraheretur ad honestatem coniugij, satis excusaretur: quemadmodum comedere per hoc quòd fit gratia alendæ uitæ: sed matrimonium ipsum, atque eius usus sunt nostra asserti conclusio) quæ in sua ratione bonitatem & honestatem includunt, sunt quæ Aug. & Doctores per tria illa bona excusare contendunt. Non ergo quia matrimonium est actus indifferẽs, indiget excusari. Imò quã uis de se sit bonum, ut filiorum educatio. ¶Ratio itaque conclusionis propositæ est hæc. Omne opus siue indifferens, siue de se bonum, quod præ se fert speciem mali, siue culpæ, siue pœnæ, aut alius cuiusq; detrimenti, indiget excusari, eo quod eiusmodi detrimenta non sunt absque alijs cõducentibus bonis, & commodis eligenda. Exemplum quodammodo apparet in somno, quod cùm hoc afferat detrimentum, quòd aufert rationis usum, quamuis per se sit bonum, excusatur per alia commoda: scilicet, quia per ipsum quiescit, refocillaturq; natura ad alia honesta officia obeunda. Tametsi alij dicant, quòd cùm sit naturæ quies, non indiget alia excusatione: sed exempla ponimus, non ita sint. Ad rem ergo, ut accedamus, mrimoniũ molestiarũ plurimũ, tribulationũq;, & grauissima onera secũ importat: quare, nisi per alia bona fieret istorũ compensatio, neutiq; esset eligibile bonũ: ergo necessarium est aliqua bona ei assignare, per quæ excusetur. Hæc eadem ueritas colligitur ex Paulo. Sententia autoris. Arg. aliud contra opinionẽ Durandus. Ratio conclusio. Exemplũ Paul. 1. Corinthi. 7.

O

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aug. lo.1.ad Corinth.7.ubi ait omnes percupere,ueluti ipse erat, uinculo matrimonij esse solutos, quasi id præstantius sit & optatius:attamen secundum indulgentiam permittit, ut ad cauendam iniquam Venerē, unusquisque suam uxorem habeat. Et infra.Si acceperis uxorem,non peccasti.& si nupserit uirgo,non peccauit,tribulationē tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem uobis parco.Quo loco Ambr. mul

Ambrosi. tas commemorat maritorum uxorumq; molestias,quales sunt genitus uentris,nutrimenta filiorum, &c. Quas itidem Hie-

Hierony. rony. lib. 6. contra Iouinianum recenset. In primis enim matrimonium affert uinculum indissolubile, quod est genus quodammodo seruitutis,ut teneantur alterutrum debita reddere, neque possit coniux pro suo arbitrio ab altero secedere. Et postmodum per uxorium usum, concitantur carnis prurigines,adeò,ut quemadmodum ait Aristot. rationis usus tunc absorbeatur. Qua utique consuetudine homo

Aristo. ab alijs dignioribus studijs præpeditur.

Paul. 1. Corint. 7. Nam ut ibidem ait Paul. Qui sine uxore est,sollicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autē cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori,& diuisus est.Mox uxor tenetur sub uiri esse potestate: cum pudore concipit, cum molestia uterum gestat, cū dolore parit. Sed & onera in tolerandis & mariti,& uxoris peruersis moribus, in alēda domo,in educandis liberis,in augenda re domestica, quæ perferre opus est, satis commostrāt, quàm debeat matrimonium excusari,ut eius bonitas, & honestas appa-

Solutio argumenti. reat. ¶Et per hoc soluuntur alia argumenta communia,quæ extant apud Scotum. Matrimonium, inquit, primorum parentum in statu naturæ integræ excusari non indiguit, nec uerò matrimonium Mariæ & Ioseph, ergo matrimonium excusari non eget.Negatur inquam,consequentia: quoniam hoc fuit peculiare illis matrimonijs. In statu enim naturæ integræ nullæ potuissent esse molestiæ, quippe quæ ex peccato originali succreuerūt. Neq; uerò sanctissimum cōmercium Marię & Ioseph ærumnas habuit siue in concipiendo siue in parendo aut in alenda domo:sed labores,quos parentes pertulerunt, in seruādo puero Deo ab Herodis tyrāni, obsequium fuit Deo exhibitum, meritis plenum.

¶Primum autem argumentum suprà factum istorum declarationem inuestigat: Argu. quod est hoc. Matrimonium de se bonum est & honestum: ergo nullis indiget excusantibus bonis. Distinguitur quippe consequens:si enim intelligatur de bonis extrinsecis,& alienis,conceditur consequentia: si uerò de intrinsecis, & ei cōnaturalibus, negatur.Bona enim illud excusantia,saltē quantum ad eius intentionem, ut articulo sequenti declarabimus, de intrinseca eius ratione existunt:scilicet,fides,proles,& sacramentum. At dicuntur isto modo illud excusare,quòd cùm uinculum,& finis matrimonij, quanquam sit bonus, & honestus,annexam habeat malorum molestiā, nisi secum illa bona afferret, non esset per se bonum: non autem aliunde opus habet excusationem mendicare.¶ Ad confirmationem respondetur,quòd quicquid sit de hoc dubio,quod dist. sequen.attingemus, an tam naturale existat,speciem,quàm indiuiduum conseruare:esus tamen, & potus non tam uehementem affert delectationem, quæ rationem absorbeat, quàm generandi officium: eo quòd per uim generatiuam originale traducitur,atq; adeò est magis infecta quàm nutritiua.Præterquàm quòd ad sumptionem cibi nō opus fuit, ut tantam tamq; allectiuam delectationem natura prouideret:quia solus sensus famis sufficit ad cibum capessendum, sed ad excitandū appetitū ad conseruandam speciē, urgētiori opus fuit delectatione,quia defectus speciei non tā instigat in diuiduum,q̄ proprius ipsius indiuidui. Maximè cùm nonnunq̄ fiat cum detrimento indiuidui, cui per nutritionē subuenitur, & ideo nutritio nō indiget bonis excusantibus quemadmodū & matrimoniū. ¶Ad Solut. 2. argume. secundum respondetur, q̄ matrimonium indiget excusari utraq; ratione.s.& quatenus in officium, & quatenus in remedium institutum est: quia licèt utrunque rationē utilis includat, affert nihilominus molestias supra explicatas. ¶Ad tertium denique respōdetur, quòd officium aliquod honestatur dupliciter, uno modo tāquàm ex principio elicitiuo,& sic exornatur per alias uirtutes ad illud concurrentes. Alio modo honestatur quasi ex principio formali, quemadmodum circunstātiæ actum decorant, & isto pacto excusatur matrimonium per supra dicta bona.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrùm tria sint tantùm matrimonium excusantia bona.

Partis negatiuæ ar. primum. STENSO quēadmodum matrimonium debeat per aliqua bona excusari, quæritur de eiusmodi bonis. Et arguitur, quod non sint tamen tria. Primò sic. Qua ratione ponitur

1. Arg. fides, addenda esset charitas, ut pote per quam perficitur significatio coniunctionis Christi & ecclesiæ quæ est de ratione matrimonij.¶Secundò. Finis matrimonij

3. Arg. non solùm est proles, sed consortium etiā & societas, uti 8.Ethic. autor est philosophus in alijs operibus uitæ:ergo qua ratione ponitur proles deberet adhiberi & cōmunio in alijs officijs.¶Tertiò,In matri-

Pars affirmatiua. monio inquantum significat coniunctionem Christi & ecclesiæ ut requiritur esse indiuisibile:ita & unitas ut sit una unius:ergo sicut inter bona ponitur sacramētum, quod significat indissolubile bonum, ita deberet poni vnitas.¶In contrariū autem

1.Conclusio. arguitur quod superfluat numerus, quoniam vnumquodlibet illorum bonorum sat esset ad honestandum matrimonium. Imò uidetur sacramentum non debere in

August. ter illa numerari:nam bonum, matrimonium excusans, debet esse qualitas eius: qualitas autem differt à substantia: ergo cum sacramentum nominet substantiam ipsam non debet inter eius bona censeri.

¶Ad quæstionem(quæ facillima est)quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Tria sunt tantum bona excusantia matrimonium:scilicet, fides, proles, & matrimonium.Doctrina est Aug. 9. super Gen. ad literam cap.7.& lib. de bono coniugali,& lib.de nuptijs & concup. c.11.de quibus bonis Hug.lib.2.de sacra. par.11.c.7. & sequentibus eleganter edisserit. Est denique conclusio in theologorum scholis receptissima: & refertur à Gratiano. 27. quæst.2.ca. Omne. Tametsi Gandulphus quidam in Glossa ibidem citatus,dicat nō esse nisi duo propter argumentum à nobis factum. Quoniam sacramentum non est bonum excusans: sed ipsa substantia matrimonij: cui paulò pòst respondebimus. Ad conclusionis ergo intellectum notan-

dum quòd inter bona matrimonij quædā sunt de intrinseca intentione ipsius: aliæ uerò ei accidentariè adhærentia. Vt sunt amicitiarum reconciliatio, atque alia quā multa cōmoda,quæ non comprehenduntur numero, quorum ideo impræsentiarū nō initur sermo, sed illorum prioris generis: quorum sufficientia hoc pacto mōstratur: Matrimonium bifariam (ut dictū est) consideratur nempe, tanquàm officiū & tanq̄ sacramentum. Et quidem tanquàm officium duo postulat,ut sit bonum honestum.Vnum.s.ex parte agētis, quod est recta intentio finis: & ex hac parte primum bonū excusans est proles, cuius procreandæ gratia institutum est. Alterum uerò ex parte ipsius actus quatenus est uirtus, quæ quidem ex genere suo debet circa materiam uersari: qua utiq; ratione ponitur fides, per quam maritus ad suam propriam accedit cōiugē,& uxor ad suum propriū uirum hoc.n.honestat generationis actū, instar aliarum generationum,quibus unicuiq; agenti propria subditur materia. Quòd si arguas, finem matrimonij nō solùm esse prolem: quandoquidē sit etiā institutum in remedium. Respondetur finē directū & proprium non esse nisi prolem: sed alter est illi annexus: quare nō fuit necessarius,qui exprimeretur: quatenus uerò matrimonium est sacramentum, ponitur tertium bonum ea utiq; ratione, qua sacramentum nominat significationē,quę annexa est substātiæ matrimonij. ¶Et per hæc respondetur ad argumentū ultimo loco propositū. Respondetur,inquam dupliciter. Primò,quod sacramentū,ut ponitur inter bona matrimonij non accipitur pro substantia matrimonij,sed pro inseparabilitate,quæ est eius conditio.Et hæc est solutio Magistri. Secūdò,quod matrimoniū una rōne consideratur quatenus est matrimonium:nēpe,ciuilis contractus ex inclinatione naturæ,atque altera quatenus est sacramentum,quod quidem sonat significationem unionis Christi & ecclesiæ. Et quia significatio est cōditio adiacens contractui & matrimonium non excusatur quatenus sacramentum, sed quatenus uinculum ex contractu resultans, consequitur, ut sacramentum ponatur inter bona excusantia,tanquam suæ conditio substantiæ. ¶Aliter etiam deprehendi hęc sufficientia potest, uti ait Ricardus di-

Bona matrimonij duplicia.

Matrimoniū in officiū duo postulat.

Obiectio.

Dilutio.

Solutio prima tertij argumen.

Solut. 2.

stin. præsenti. Est enim in matrimonio & vinculum, & usus, & fructus. Vinculum honestat rationem per sacramentum, & usus per fidem, & fructus per prolem. Imò & tertio modo arguitur iuxta diuisionem illam philosophi. 8. Ethic. c. 2. qua bonum diuiditur in utile, delectabile & honestum. Vtilitas enim matrimonij est proles, & delectatio eius consistit in fide tori, sed honestas decoratur per rationem sacramenti.

Argumen.

Secũda cõcluſio.

¶Secunda conclusio. Non omnia hæc bona in re sunt de essentia matrimonij, sed sola ratio sacramenti, reliqua uerò satis est, si seruentur in intẽtione, & natura matrimonij. Veritas est nec etiam Augustini locis citatis, & Hugonis, quem magister, eiusque interpretes sequuntur. Fides nanque ab adulteris uiolata uinculum matrimonij non rumpit. Vnde, ut ait Hugo, fides ita coniugio adhæret, ut ex ea, si adsit, amplius commendetur, si non adsit, non inde annihiletur. Quæ enim adultera est, non ideo coniux non est. Imò si coniux nõ esset, adultera nõ foret. Neq; verò steriles quæ fructu prolis frustrãtur, ideo cõiuges esse desinũt. Si ergo ples accedat fructuo sum facit sacramẽtũ, sin minus, nõ ideo sterile, nullum est. Sunt tñ ambo de intentione sacramenti, quippe quod generationis causã institutum fuit, ut fideliter alterutrũ sibi debitum ad illum finem redderent.

Hugo.

Fides.

Differunt tamen hæc duo, quòd fides non solùm ad intentionem matrimonij spectat, uerùm & debet in intentione cõtrahentium existere: debent, inquam, proponere sibi mutuam fidem seruare, tametsi quauis mente proponant adulteros fore, non annihiletur matrimonium. Proles autem non est necessum, ut expressa, de intentione contrahentiũ existat: beata quippe uirgo uerum matrimonium contraxit, tametsi procreare prolem per cõcubitum nunquàm expressè proposuerit, seruauit ergo fidem marito, ut ait Augustinus, in hoc quòd alium non cognouit: prolis autem fructu, diuina opera, & munere potita fuit. At ratio sacramenti matrimonio legitimè contracto inseparabilis est: nam ut ait Augustinus l. 1. de nuptijs. cap. 20. usque adeò manent inter uiuentes semel inita iura nuptiarum, ut potius sint inter se coniuges, etiam separati quoad torum, quàm cum alijs, quibus adhæserint. Sicut apostata anima, etsi è coniugio Christi recedens, fidem perdiderit, sacramentum tamen fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit. Nota egregiam sacramentorum similitudinem inter indelebilem characterem baptismi, & insolubile matrimonij uinculum.

Beata uirgo.

Augusti.

Tertia cõclusio.

¶Tertia ex his colligitur conclusio. Inter hæc bona ratio sacramenti culmen obtinet, primum, quia proles, & fides ad officium naturæ pertinent, sacramenti uerò ratio ad gratiam, quæ per ipsam confertur: gratia uerò præstantius bonum est, q̃ natura. Deinde, quia ratio sacramenti inseparabiliùs, ut monstratum est, adhæret matrimonio, quàm reliqua bona.

Sol. 1.

¶Ad primum igitur argumentum in capite propositum respondetur, quòd fides in præsentia non accipitur prout est theologica uirtus: sed prout est pars iustitiæ, quæ est promissorum firmamentum, ut seruentur qualis utique in contractu matrimonij ad eius firmitatem intercedit: & ideo non opus fuit hic charitatis meminisse. Hæc autem fides duo comprehendit: primum, ut alterutrum sibi ambo debitum reddant, deinde ut neuter extraneo commisceatur.

Sol. 2.

¶Ad secundum respondetur, quòd nomine prolis non solùm eius generatio intelligitur, sed eius nutritio, & educatio, ad quem finem domesticũ uiri & uxoris commercium, & eorum uicariæ operæ referuntur: quare uno prolis nomine, totus matrimonij finis expressus est.

Sol. 3.

¶Ad tertium denique respondetur, quòd nomine uinculi indissolubilis etiam intelligitur, ut fœmina non nisi uni uiro nubat, quanquàm & hoc ad fidem etiam matrimonij spectet. An uero licuerit uiro plures accersere uxores, distinctio. 33. disputabitur.

Ad arg.

¶Ad argumentum verò in contrarium iã responsum est, quòd fides hic non accipitur pro aliqua singulari uirtute, quæ per se sola sufficeret facere honestum actum, sed pro conditione uirtutis, quæ est pars, seu fundamentum iustitiæ, quæ connumeratur alijs bonis matrimonij.

Cõtra ea.

¶Tertia uerò conclusio plusculũ lucis exigit, cõtra quã ideo arguitur. In unaquaq; re finis est bonorũ potissimum: proles ergo, q̃ est finis matrimonij est præstantissimũ bonum. Secundò, quia ratio sacramenti

Tertiũ ar.

Solutio argumenti.

ti est generica omnibus conueniens, fides autẽ, & proles contrahunt genus ad hanc speciem sacramenti: differentia autem cõtrahens, quæ habet rationem formę, est præstantior genere, quod habet rationem materiæ. Tertiò, quia ratio sacramenti in matrimonio non secum videtur inseparabilitatem afferre, tum quia matrimonium ratum non consummatum dirimitur per ingressum religionis, tum quia sacramentum quod præ se fert perpetuitatem, imprimit characterem, qui tamen per hoc sacramentum non imprimitur. ¶Ad horum solutionem animaduertẽdum, q̃ in re qua libet principalius vnum altero dicitur dupliciter. s. aut quia dignius, aut quia essentialius: quod autem ratio sacramenti dignior sit cæteris bonis matrimonij, satis probatum est, quia spectat ad gratiam. De essentia verò distinguitur, nã fides, & proles bifariam considerantur, vno quidẽ modo in re, quo pacto pertinent ad vsum matrimonij, qui non est de eius essentia, quẽ admodum est indiuisibilitas, in qua ratio sacramenti consistit: & hac ratione essentialior est ratio sacramẽti, vt pote sine qua matrimonium nullum est, cùm esse possit sine fide & prole. Nam si matrimonium ratum, & non consummatum dirimitur per ingressum religionis: hoc est, quia illud non est carnaliter perfectum sed per spirituale consensum, & religio est quædam mors spiritualis. ¶ Alio verò modo possunt fides, & proles considerari, non in re, sed in intentione matrimonij, & isto modo sunt illi essentiales, quia nisi in contractu includantur, saltem si contrariæ conditiones ponerentur, nullus esset: vt si cum illa conditione contraherent, vt nunquam sibi tenerentur debitum reddere, aut steri litatem procurarent. Et isto pacto fatemur maximè essentialem esse prolem, mox fidem, deinde sacramentum: sed tamen præstantior est ordo secundùm rem, quàm secundùm intentionem.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum ergo respondetur, quòd quãuis proles sit prior in intentione matrimonij, & hac ratione magis essentialis, est tamen posterior in executione, quare in re magis essentialis est ratio sacramenti.

Solutio secundi arg.

¶Ad secũdum respondetur quòd etiam ratio sacramenti pertinet ad differentiam contrahentem genus in matrimonio: nam generalis ratio est esse signum rei sacræ, & peculiaris huius est significare unionem Christi, & ecclesiæ.

Solutio tertij.

¶Ad illud autem de charactere respondetur, q̃ character est potestas spiritualis. hic autem non confertur nisi potestas corporalis: & ideo non imprimitur: conuenit tamen cum illis, quòd etiam hæc potestas corporalis ratione sui finis perpetuitatem uinculi exigit.

1. Argum.

¶Veruntamen aliter in calce horum arti culorum aduersus amborum conclusiones arguitur, quòd prædicta bona nequeant matrimonium à culpa satis excusare. Qui cunque enim iacturam & detrimentum maioris boni propter id, q̃d minus est, sustinet, ordinem rationis peruertit, contra quam idcirco peccat: sed bonum rationis, quod coniugali usu editur, præstantius est his bonis: ergo per illa non excusatur.

2. Argu.

¶Secundò bonum malo adhibitum in genere moris, nõ facit ex malo bonum, imò uertitur in malum, quia unica praua circunstantia totum actum uitiat, actus uerò coniugalis de se est malus propter rationis perturbationem, alioquin non indigeret excusatione, ergo nulla eum adiuncta bona excusare ualent.

3. Arg.

¶Tertiò hæc bona neq; efficere possunt, quominus delectatio in illo actu sit immoderata, neque eius uerecundiam absterge re, immoderantia autem in malum sonat, & uerecundia non est nisi de malo: ergo nulla sunt bona matrimonium excusantia. Id quod Paul. ipse docere uidetur, ubi ait, secundùm indulgentiam coniugale officium permittere.

¶Propter hæc argumenta non defuerunt ut distinctio. præsenti artic. 2. q. 1. ait Bonauentura, qui tenerent, neutiquàm posse actum coniugalem sine peccato, saltem ueniali, contingere: id quod ex Iureconsultis Hugo super capitul. Vir cum propria. 33. quæstio. 4. opinatus est, propter uerbum, quod illic ait Gregorius, quòd uir cum propria uxore dormiens, nisi lotus aqua ecclesiam intrare non debet.

¶Aduersus istos uerò statuitur quarta conclusio. Non solùm hæc bona excusant actum coniugij, ut sit bonus ex parte agentis, quemadmodum, ut dictum est, solet per ignorantiam excusari, quin etiam efficiunt, ut sit genere suo bonus, & persæpe meritorius: tantum abest, ut semper sit peccatum. Vnde ad maiorem explicationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

superiorum cõclusionum, notãdum. quòd actus humanus dupliciter est bonus, uno modo ratione generali uirtutis, quæ est ut opus in mediocritate consistat, atque hoc in matrimonio faciunt fides, & proles: hęc enim differentia, ut dictum est, actum generandi rectificat. Per has siquidé qualitates coniugalis cõcubitus à fornicario distat, atque adeò in specie uirtutis collocatur. Est præterea redditio debiti actus iustitiæ, quem Paulus præcipit dicens, Vir uxori debitum reddat &c. Vnde manifestaria iuris tam naturalis quã diuini igno rãtia est dicere, ut ait Canonista ille Hugo, omnem actum coniugalem esse peccatũ. Sed & altero quoque modo actus quispiam est bonus quatenus opus diuinum est, perque diuinam institutionem gratiã ex se conferens, quæ quidem ratio actum non solum bonum constituit, verùm etiã sanctũ, quod utique in matrimonio sacramentalis ratio operatur: nempe indissolubilis nexus, qui coniunctionem Christi & ecclesię significat. Quin uerò, ut loco citato ait uenerabilis Hugo, ratio hæc cætera bona sanctificat, ut fides matrimonij sit sancta. Haud enim bonũ prolis illic satis perficitur, quod terrenam uitam, & hæreditatẽ procreetur, nisi educatio accedat religiosa, qua naturalis hominis filius, tanq̃ adoptiuus Dei instituatur, ut in uita cælesti hæreditatem possideat æternã. Vnde Aug. lib. 1. de nuptijs & concupiscentia capi. 4. in usu infidelium coniugatorum veram pudicitiam coniugalem non agnoscit: non solùm quia nulla uirtus extra charitatem vera uirtus est, verùm q̃a nõ utuntur coniugio ad finem sacramenti, quæ est generare regenerandos in Christo. Requiritur ergo hęc spiritualis intẽtio in cõiugibus, si non formaliter, saltem in habitu & uirtualiter: nempe, ut utantur matrimonio eo fine, quo illud Christus instituit. ¶ Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd detrimentum illud rationis, quod in uxoris usu homo patitur, non est p̃ modũ habitus, sed actu transiẽs nec tamen est absurdum, ut quandoque actus, qui genere suo prestantior est, tantillam patiatur eclipsim gratia minoris boni, quod est permanentius & ad perpetuitatem boni cõmunis necessarium, quale est conseruatio speciei humanæ: nã licet quandoq; dormire, & quandoq; à contemplatione cessare, ut mos geratur actiuæ uitæ. ¶ Ad secundũ respondetur, quòd malum culpę per adiectionem boni non fit bonum, illud autẽ malum quod adhæret coniugali actui, non est culpæ, sed pœnæ, & ideo repensatur per alia bona. ¶ Ad tertium denique respõdetur, quòd immoderantia passionis, quæ culpatur, non attenditur ex quãtitate sed ex eo quòd ſà ratione exorbitat. Illa autem quæ annexam est actui coniugali rationis metas non excedit, & ideo non est culpæ, sed pœnæ: quare licet non tollatur, excusatur. ¶ Et similiter respondetur de verecundia, quæ non solùm est de peccato, sed etiam de malo pœnæ, qualis est turpitudo illius actus. Antea nanque, quàm fuisset natura corrupta, motus ille membrorum nec obscenus fuisset, neque ullam offunderet verecundiam. Paulus autem ubi ait, secundùm indulgetiam congressus coniugales permittere, nõ insinuat rem minus malã, sed minus bonam quàm castitatem.

Solut. primi argu.

Solu. secundi argu.

Solutio tertij argu.

¶ Ad illud autem Gregorij respondetur id non dixisse propter culpã coitus, quasi aliqua inde excomunicationis imago, ut Hugo, & alij arbitrati sunt, oriatur: aliàs nõ abstergeretur aqua. Sed propter indecentiam: quia usus ille uidetur inhabilem hominem reddere ad spiritualia, qua utique de causa consulit coniugibus Paulus, ut orationis causa tantisper abstineãt. Illa verò lotio, quæ ut ait ibidem Gregorius, Romanis erat olim in more, iam abolenit ab usu. Hic autem Gregorianus textus articul. sequenti amplius examinabitur.

Ad Gregorij autoritatem.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm absque istis bonis coniugalis usus uoluptatis causa sit licitus.

QVanuis ostensum fuerit hæc tria bona matrimonium excusare, restat tamen explorandum, utrum sint ita necessaria, ut absque eorum aliquo, complexus coniugum sit culpabilis. Sunt autem duo quæ nos in huiusce modi ambiguitatẽ cõijciunt. s. utrũ cã uoluptatis coniugalẽ usum à culpa excipiat. Et utrum causa uitandæ fornicationis, aut alius

Partis affirmatiuæ argu. 1.

alius nocumenti idem sit licitus. Arguitur ergo quòd solius causa uoluptatis, explendæq; libidinis, absque spe prolis debitum exigere liceat. Cuicunque re sua uti licet, indeq; uoluptatem moderatam captare, dummodo à ratione non exorbitet: uterq; autem coniugum est alterius: nam uir, ut ait Paulus, sui corporis potestatem nõ habet, sed uxor: illa autem uoluptas est licita, postquàm est à natura: ergo quãdo corpori non nocet, neque aliqua infert nocumenta, licita est, & bona. ¶ Secundò uoluptatem capere non est de se malum, sed de genere bonorum, ut comedere, & bibere, etiam dum famis necessitas, aut alimenti, illud non exigit, sicut & uenari, & ludere, atque alia captare uoluptatis genera, ergo uxore uti licitum est uoluptatis gratia. ¶ Tertiò, quia alioqui maritis, qui steriles sunt, aut senio progressi, neutiquàm debitum petere liceret, quod profectò esset nimium rem uxoriam perstringere, & coarctare. ¶ In contrarium autem est auctoritas Augustini lib. de bono coniugali cap. 6. ubi ait, quòd concubitus coniugalis gratia concupiscentiæ explendæ uenialẽ habet culpam. ¶ Inter soluendum hanc quæstionem, notandum quatuor de causis posse concubitum coniugalem contingere: scilicet, aut causa generandi, aut debitum reddendi, aut solius libidinis explendæ, aut fornicationem, morbumve, aut alius incommodum uitandi. Et quidem, q̃ causa generandæ prolis, aut reddendi debitum id licitum sit, & iustum, nemo sanæ mentis negat: nam in petitione debiti causa generandi concurrit primum bonum, matrimonium honestãs, quod est proles, & in redditione debiti etiam si alter non causa generandi, sed oblectandi se exigat, seruatur secundum bonum: nempe, fides, & iustitia, iuxta uerbum Apostoli, Vir uxori debitum reddat. Neque ualet consequentia, maritus indebite exigit: scilicet, solius oblectationis gratia: ergo uxor non tenetur reddere: quoniã ille utitur re sua. Sicut si quis à me pecuniam suam peteret ad expendendum prodigè. Sententia est Aug. lib. de bono coniugali. cap. 4. Neque obstant uerba Pauli Rom. 1. Non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt digni sunt morte: quia reddens non consentit petenti, sed soluit quod debet. Quòd si rursus arguas. ¶ Non licet furioso suum gladium tri-

2. Arg.

3. Arg.

Cõcubitus coniugalis quadrupliciter põt accidere.

Obiectio.

buere. Respõdetur, q̃ secus est quãdo Dominus rei uult uel sibi uel alteri nocumentum aliquod tẽporale inferre: tunc. n. licet ad tempus rẽ illius detinere. Et pariter cõiux posset differre debitum, si præsentisceret alteri coniugum petenti magnum periculũ salutis impendere: secus de solo nocumento spirituali: nam illud unusquisque sibi cauere põt. Et ideo plus homo obligatur occurrere nocumentis magnis temporalibus proximi, q̃ spiritualibus, nisi sit prælatus. ¶ Vtrùm uerò petere liceat solùm uoluptatis captandæ gratia, hoc uertitur in quæstionẽ, de qua sunt tres opiniones, una in uno extremo, q̃ sit peccatum mortale, altera in altero, quòd nulla sit culpa, & tertia in medio, quòd sit uenialis. Ad quæstionem ergo tribus respondebitur cõclusionibus. Quidam. n. ut impræsentiarũ ait S. Tho. q. 2. ar. 3. distinguentes aiunt, quòd quandocunque ad actum coniugalem libido principaliter mouet, est mortale delictum, sed quando mouet ex latere, quia principaliter intenditur generatio, sed annectitur uoluptas, tunc est uenialе. At quando homo delectationem omnino respuit: quippe quæ sibi displicet, tunc fit ab omni culpa immunis. Quare tres gradus discernunt: scilicet delectationem eligere, & intendere, quod est mortale: illam acceptare, quod est uenialе, atq; illam respuere, quod est perfectionis.

Tres opiniones.

¶ Contra hanc aũt opinionem statuuntur duæ conclusiones. Prima, Concubitus coniugalis solius uoluptatis gratia: ita ut illa sit electa, & principaliter intenta non est de se peccatũ mortale, nisi alia fortè adsit mortalis circunstantia. Probatur, quia ut 10. Ethi. c. 8. autor est philosophus, delectatio de se neq; bona, neq; mala est, nisi rõne operationis, unde captatur. Itaq; delectatio operationis bonę, est bona, operationis uerò malę, est mala: concubitus aũt coniugalis de se non est operatio mala: ergo neq; delectatio illi adiuncta: quare electio hmõi delectationis nõ est ex gñe suo mortalis. ¶ Sed aiunt, saltẽ electio eiusmodi delectationis est peruersa, quia cũ usus cõiugalis à natura sit institutus p̃p generationẽ, eligere uoluptatem non illo fine, est peruersio finis. Hæc aũt argutia nihil illis patrocinatur, quia non oĩs peruersio finis de se est mortalis, quando prorsus ad trãsgressionem progreditur limitũ naturæ, ut

Prima conclusio.

Ratio conclusionis.

Obiectio.

Dilutio.

si quis citra matrimonium uoluptate illa uteretur. At quia matrimonium de se bonum est,& honestum, quia ad illum finẽ institutum,atque adeò uoluptas illa honesta,consequitur,ut & si eligatur absque illo fine,non ideò fiat mortalis. Sed satis est esse uenialem.Id quod expressa sententia est Aug.lib.de bono coniugali. c. 6.scilicet, accedere ad uxorem satiandæ concupiscentiæ causa,uenialis culpa est. Alioqui,si mortalis esset, tunc steriles, & senes nequirent debitum citra mortalem culpam exigere,quod quidem concessũ esset absurdissimum. ¶Secunda conclusio. Accedere ad coniugem generationis causa,cum delectatione, & uoluptate adhærente,& placente, nullum est peccatum, nisi nimius excessus uoluptatis procuretur. Probatur,quia coniugalis usus ea ratione,& conditione, quia naturæ sagacitate instigatur,nullum est delictum: natura autem sagaciter delectationem illi actui propter necessitatem cõseruandi speciem adiunxit, ueluti sumptioni cibi, & potus ob necessitatem conseruandi individui,ergo sicut cibum & potum cum delectatione capere nulla est culpa: ita neque coniugalis coitus.Et certè, qui contrarium dicunt, uidelicet esse peccatum nisi homo tũc delectationem abhorreat, contendunt homines naturali sensu priuare:nam uix tunc potest ratio displiceniam elicere. ¶In alio extremo:nempe, quòd huiusmodi concubitus absque ullo generationis proposito, sit licitus, nemo reperitur antiquorum, sed nuperrimus Io.Maioris dist.præsenti, concl.7.id astruxit,cui EKius hom. 1. de matrimonio subscripsit.¶Cõtra quos statuitur tertia conclusio.Huiusmodi concubitus uoluptatis gratia est uenialis culpa. Ad huius assertionem conclusionis sat circunspectis esse debet autoritas Augustini, qui loco citato de bono cõiugali, illã affirmat, & li.1.de nuptijs & cõcupiscẽtia.c.4. & in Enchiridio.ca. 78. ait,q̃p hmõi cõcubitus sunt ex illo peccatorũ gẽre, quorũ ueniã quotidie petimus,dicentes,dimitte nobis debita nostra.Quã sniam uenerãtur Bed. 1.ad Cor.7.& suadet Grego.loco citato. 33.quæst.4.can. Vir cum ꝓpria. Eandẽq; nõ solũ D.Th.impræsentiarũ,sed Theologi oẽs docent,ut Altisiodorensis,Ricar. & reliqui,quos ita facilè contemnere, nõ nihil temeritatis habet.¶Neque uero rationes desunt eiusdem sententiæ confirmatrices.In primis enim Paul. 1. ad Cor. 7.non nisi propter incontinentiam:nempe,ad illam cauendam permittit, ut unusquisque propriam uxorem habeat,nõ ergo ad solam explendam uoluptatem. ¶Item ratio ipsius Maioris ei potiùs refragatur. Ait quippe, quòd sicut licet pulchrum pomum edere, & alium quemuis sapidum cibum, neque hoc ullam affert culpam, ita uoluptate uxoria uti: dummodo in notabile detrimentum corporis minimè uergat.Hæc inquam ratio in ipsum retorquetur:nam certè comedere, & bibere,nisi uel nutritionis gratia, uel alio honesto fine fiat,non caret ueniali culpa: nam quando maior non contraheretur, esset actus ociosus. Præterquàm quod in esu,& potu,ut supra dictum est, non in est uis tanta ad perturbandam rationem, quanta in coitu.Cui præterea accedit, ꝙ etiam seminis effusio de se nocua est corpori,quod in cibo moderato,& potu non reperitur:multo ergo minus licita est uoluptas hæc,quàm illa cibi,nisi in illum finem referatur,ob quem institutũ est matrimonium.Neque admittendus est cauillus dicentis,uoluptatem ipsam per se esse honestam: nam ut citatus Philosophus. 10.Ethi.autor est,uoluptas per se non est bona nisi ratione operationis,cui annecti tur.Cum ergo complexus maritalis non sit bonus,nisi in bonum prolis relatus,aut propter fidem reddendi debiti, aut fortè in remedium concupiscentiæ (hæc enim sunt eum penitus excusantia bona) fit ut uoluptas,nisi his associetur bonis, non sit bona.¶Deinde arguitur. Cum tria sint bona:scilicet,utile,delectabile, & honestum,solùm honestum est,quod facit uirtutem:nam honestum idem est, quod honore dignũ,qui est præmiũ uirtutis, quare utile (ut pecuniæ acquisitio)per se non est bonũ,nisi in id quod honestũ est referatur:ergo eadẽ rõe nõ sat est ad actũ uirtutis,ut hat propter delectabile, nisi usq; ad honestũ pertingat, Actus aũt qui non est uirtus,necesse est,ut sit malus,quia nullus est indifferens.¶Rursus arguitur,si cõ cubitus ob uoluptatem non est malus,consequitur ut sit bonus,quia nullus particularis est indifferẽs, atq; adeò si fiat in gratia erit meritorius.Videtur aũt nõ esse cõcessu

Auguſt.

Secũda cõ cluſio.

Ratio.

Ioan. Maior.

Tertia cõ cluſio.

Auguſt.

Rationes.

Ratio Maioris.

Cauillus

Argumẽ

Aliud arg

cessu dignum,quòd sola captatio uoluptatis absque alio fine,sit Deo accepta ad uitam æternam.Et tandem arguitur. Matrimonium contrahere illo solo fine, ut homo illo actu se ipsum oblectetur,certè nõ est laude dignum:ergo similis usus uituperabilis est. Profectò conclusio hæc non est quæ in dubium reuocanda uideatur.¶Nihilominus aduersus conclusionẽ primam pugnare uidetur autoritas Hieronymi aduersus Iouinianum, & refertur canone,Origo.32.q.4.ubi Xistum Pythagoricum inducit qui aiebat.Adulter est in suam uxorem ardentior amator.Et infra. Sapiens iudicio debet amare coniugem, non affectu: non regnet in eo uoluptatis impetus,neque præceps feratur ad coitũ, nihil est fœdius, quàm uxorem amare quasi adulteram.Et infra can.Liberorum. In matrimonio,inquit, concessa sunt liberorum opera:uoluptates autem, quę de meretricum amplexibus capiuntur, in uxores sunt damnabiles: quibus uerbis cõcubitũ solius uoluptatis gratia tanquàm meretricium affectum,ac perinde ut mortalem damnare uidetur. Respondet autẽ D.Thomas,quòd ubi delectatio ultra matrimonij honestatem quæritur,dum scilicet quis in coniuge non attendit,quòd cõiux est,sed solum quòd mulier,idem paratus cum ea facere,quanuis uxor nõ esset, tunc mortalis culpa contrahitur. Ille enim est ardentior amator uxoris, quem Hieronymus condemnat. Si uerò delectatio infra limites matrimonij contineatur uidelicet,quia in aliam, quę non esset uxor,non affectaretur,tunc est ueniale. Animaduerte tamen ne te istæ conditionales fallant.nam si sint tamen in re, & non in affectu,nulla sunt peccata. Propterea enim quòd si meretrix adesset, iste illam cognosceret, nulla tingitur culpa: sed si talem habeat affectum & actum uoluntatis,cognoscere illam si adesset.

¶Rursus contra secundam pugnare uidetur autoritas Gregorij supra citata can. Vir cum propria. 33.q.4.ubi ait, quòd uoluntas ipsa accedendi ad coniugem sine culpa nullatenus esse possit: ubi insinuat illã opinionem superiùs reprobatã: uidelicet,nunq̃ posse cõtingere cõiugalẽ actũ sine culpa,saltẽ ueniali: quia ipsa,inquit, licita admistio cõiugis sine uoluptate carnis fieri nõ potest: atq; adeò uoluptatem ipsam adhærentem legitimo fini generãdi,quam nos diximus carere culpa,apparet ipse culpare.Et probat,quia de legitimo,inquit,matrimonio conceptus fuerat Dauid,qui tamen dicebat. In iniquitatibus conceptus sum.Respondetur, inquã, quòd ipse non condemnat uoluptatem omnem,sed illam,quæ dominatur,ut paulò inferius subdit.In iniquitatibus autem Dauid non dicitur conceptus, propterea quòd semper parentes iniquè coeant, sed propter originale, quod puer conceptus contrahit:quod quia causa est multorum actualium,pluraliter dicitur, iniquitates, ut sit sensus. In iniquitatum seminario conceptus sum. ¶Ad primum igitur argumentum,quod contra tertiam conclusionem obiectum est,negatur, cuicunque licitum esse uti re sua,nisi debito ordine illa utatur. Qui enim bona sua dilapidat, peccat saltem uenialiter. Et pariter qui uxore sua utitur alio fine, quàm quo data est sibi in adiutorium:scilicet, ad generandum,uel ad seruandum ei fidem, uel in re medium.¶Et pariter ad secundum respõdetur,q̃p uoluptatẽ capere in genere neq; est de se bonum neq; malum, sed indifferens. Fit autem in particulari bonum uel malum ex fine & circũstãtijs: & ideo qui honesto fine caret,est malus actus, & talis est cõcubitus solius uoluptatis gratia. ¶Ad tertium, quod mouere uulgus põt, rñdetur,q̃p apud sapientes non æstimatur absurdum concedere, q̃p senes & steriles non accedant causa reddendi debitum, quod coniux formaliter,aut interpretatiuè petit,aut forsan,ut illico dicemus, ad uitandã fornicationẽ,sed solùm ad obsequendũ libidini, illas contrahãt ueniales culpas,quæ,uti ait Augu.ut nobis dimittantur,quotidie postulamus.¶Et idem de prægnantib.est dicendũ,quarũ coniugale officiũ Hierony.atq; Aug.cõdẽnat, eo q̃p cõcipere nequeãt. Nã etsi postq̃ in utero habent, possint per aliquod tẽpus iteratò concipere,habet tamẽ obscœnitatis quipiã:at nõ est mortale.Nã licet elephas,aliæq; brutæ animantes & aues plurimæ, postq̃ cõceperint,coitũ abhorreãt, tamẽ mulier,ut 4.de genera.animaliũ ait Philosophus,ẽt pręgnans illum appetit. Quare non est ei mortale debitum exigere, neque uiro ab ea petere,nisi id cum periculo grauidi uentris fiat.

Tertium argument.

Solutio D. Thomæ.

Obiectio ex Grego.

Pſalm. 50.

Solutio.

Sol.1.arg.

Sol.2.arg.

Sol. 3.arg.

De prægnantibus.

Bruta.

ARTI-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm liceat cõiugibus ad uitandam fornicationem debitum exigere.

Partis affirmatiuæ ar. primum.

MAior ambiguitas est de concubitu ad fornicationem uitandam. Arguitur enim ꝙ sit licitus etiam si intentio prolis non intercedat. Primò. Actus coniugalis de se non est malus: ergo quocunq; bono fine fiat, nisi mala adsit circunstantia, erit bonus: sed fornicationem cauere est bonus finis: ergo coniuge uti tanquàm medio ad illum finem est licitum: ueluti medicamine uti ad cauendum morbum.

Secũdũ ar.

¶Secundò & autoritas Pau. 1. Cor. 7. huic sententiæ patrocinari uidetur, ubi ait, Propter fornicationem unusquisq; suam uxorem habeat, & unaquæq; suum uirum, ubi matrimonium præter prolis generationẽ in remedium etiam contra incontinentiã institutum docet: quâ ob rem licitus eius usus apparet ob illum finem.

Pars negatiua.

¶In contrarium autem uidetur esse Aug. lib. de bono coniugali. ca. 6. & 7. & 10. quibus identidem repetit concubitum alia quacunque, quàm procreãdi causa uel seruandi fidem debiti esse uenialem.

Decisio articuli.

¶Quæstio est, quę profectò sapientissimũ quemq; ancipitem & perplexum reddere potest. Pars enim negatiua grauitate & numero patrũ protegitur: nam Aug. Grego. & Beda locis supra citatis ita uidentur loqui, & Mag. senten. quos subinde D. Th. dist. pñti. q. 2. art. 2. Bonauentura, Ricardus & reliqui fere ita interpretãtur, ut neque ad uitandam fornicationem concubitus citra uenialem culpam fieri possit.

Pars negatiua.

Altisiodorensis.

Alti siodorensis uerò Magistri senten. coæuus lib. 4 in materia de matrimonio cap. 4. q. 2. distinguit dicens, ꝙ cognoscens uxorẽ cã uitandæ incontinentiæ non peccat, sed qui illam cognoscit cã libidinis, ut delectetur. Eandem opinionem. s. quòd ad uitandam fornicationem concubitus ille sit licitus, uidetur quoq; tenere Hugo super Ecclesiastem in illo uerbo, Tempus amplexandi &c. ubi ait, quòd licẽt concubitus ille ad infirmitatem pertineat, non tñ subinde imputatur ad turpitudinem. Ad quam ẽt sniam uidetur inclinare Scotus dist. 26.

Hugo.

in fine quæstionis. Eandemq; opinionem tanquàm certam sustinuit Duran. dist. prę senti. q. 4. & Caiet. in summa cap. de usu matrimonij, ubi ait, quòd exercendus est uel cã generandi, uel in remedium concupiscentiæ. Et in opusculo eiusdem tituli. Et idem ait Syl. uerb. debitum coniugale. 6. in fine, in hoc tamẽ falsus, quòd putat illam esse mentem S. Thom. Sequitur Maioris, atq; alij neotherici.

Durãdus Caietanus.

¶Respondeamus ergo duabus conclusionibus. Prima. Maritum debitum ab uxore exigere causa uitandæ fornicationis in illa, similiter & ipsam petere à marito causa uitandi in illo, licitum est, & ab omni culpa immune. Snia est Augustini lib. de bono coniugali cap. 7. & 10. ubi ait, quòd huius causa debitum reddere licet, ne alter coniugum fornicando damnabiliter peccet, exigere tamen nõ licet. Idẽ ait epistola ad Ediuiam, quæ est. 199. & refertur à Gratiano. 33. q. 5. can. Secundùm uerba. Et Beda super. 1. Cor. 7. & Magist. sent. & S. Tho. atque oẽs sniarum expositores. Et ratio est, quia hmõi redditio debiti pertinet ad fidẽ coniugij: quare non opus est, ut maritus formaliter petat, sed satis est si uxor infirmitatẽ mariti nouerit: tũc enim interpretari debet, illum exigere.

Prima conclusio.

Augustinus.

¶Secunda conclusio. Quanuis alia opinio negatiua satis sit probabilis, uidetur tamen hæc mitior, & rationi fortassis matrimonij magis consentanea, neque uerbis apostoli dissona, quòd quando coniux necessarium arbitratur ad uitandã in se ipso fornicationem, liceat ei debitũ exigere. Quod enim negatiua opinio sit ualde probabilis, patescit ex Aug. ca. 6. de bono coniugali, ubi ait, quòd concubitus gratia concupiscentiæ satiandæ sit uenialis. Qui autem ad uitandam fornicationẽ congreditur, concupiscentiam satiare uidetur. Et cap. 7. ait, quòd ultra necessitatem prolis exigere debitum uenialis culpa est. Idem repetit cap. 10. per quam negationem omnem alium finem excludit præter prolem & fidem ad exigendum. Et in lib. de uerbis Apostoli uerbũ illud Pauli, secundùm indulgentiam, si referatur ad ad usum coniugalem, qui fit causa cauendæ incontinentiæ, ait designare uenialem culpam.

Secũda conclusio.

Augustinus.

¶Nihilominus quòd affirmatiua opinio sit fortè probabilior ostenditur. At qui

qui præter alias: imò præ alijs rationibus quas Durandus adfert, hæc urgentior est, & rei punctum apertius pandens. Matrimonium, ut supra uisum est, & omnib. est in confesso, ob duplicem finem institutum est: nempe, in officium generandi, qui est primarius, & deinde in remedium concupiscentiæ ipsius, qui matrimonium contrahit: uti autem matrimonio ad suum finem licèt ille non sit principalis, non est ius cõiugale transgredi: ergo quando concubitus est ad id moraliter necessarius, ut scilicet coniux in se aliam pollutionẽ caueat, quàm aliter moraliter loquendo, cauere non sufficit, licitus est.

Ratio.

Autoritas Pauli. 1. Corin. 7.

¶Accedat textus Pauli, si fortè huic sententiæ faueat. Ait quippe, Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi: & iterum reuertimini in id ipsum, ne tẽtet uos Satanas propter incontinentiam uestram. Hoc autem dico secũdùm indulgentiam &c. Hoc uerbum, secundùm indulgentiam, Aug. loco citato, sic exponit, quòd non referatur ad matrimonium, quasi illud secundùm ueniam concedatur tãquam minus malum, sed ad concubitum, ut si sit ad cauendam incontinentiam absque causa procreãdi, sit culpa uenialis. At uerò profectò optimè quoq; põt indulgentia Pauli sic intelligi, ut nullatenus illic designet id, qd' minus malum est, sed id, quod minus bonũ, respectu illius, quod est, non nubere, & sic põtẽtiam referri ad usum matrimonij qui fit causa fornicationis uitandæ in ipso petente. Nam loquebatur de illis, qui abstinent, ut uacent orationi, & iterum ad torum redeunt: ait ergo illud indulgere, eo quòd melius esset si abstinere semper possent. Sed & illud uerbũ paulò antecedẽs, Propter fornicationem unusquisque proprium uxorem habeat, & unaquæq; proprium uirum, patrocinari multum uidetur huic opinioni. Nam docet, licitũ esse uxorem ducere ad obuiandum incontinentiæ & propriam cauendam fornicationem. Si ergo cuiq; licet propter fornicationem in se uitandam uxorem ducere: nempe, quia uidet se continere non posse, & melius esse nubere quàm uri: profectò & usus matrimonij ad illum finem erit licitus: nam si potentia ad aliquem finem est, bona, certè & usus ad eundem finem bonus erit.

Secũdũ in dulgentiã, quid.

Snia autoritatis.

Verbum Pauli huic fauet opinioni.

Reliqua autem argumenta, si cuiuspiam sunt ualoris, huic connituntur. Arguitur enim præterea. Prudentissimus quisq; ex ordine charitatis accuratiùs tenetur in se peccatum uitare, quàm in proximo: licet autem uiro debitum uxori reddere ad cauendam fornicationem in illa: ergo petere ad cauendam in se. Hanc uerò consequentiam negat D. Tho. quoniam unusquisq; potest alia sibi adhibere remedia, & per liberum arbitrium omnino renuere fornicationem: coniugi autem nequit alter coniux aliter mederi. At uerò si argumentum præcedens efficax fuit, cùm concubitus coniugalis simpliciter sit remediũ cõtra fornicationem, licitè illo potest maritus uti ad uitandum in se, sicut ad uitandum in uxore, si sit moraliter necessariũ.

Secũdũ argumẽ.

Solutio D. Thomæ.

Nota.

¶Hoc autem ingenuè fatendum ad maiorem conclusionis explicationem, quòd non semper tam necessarium est ad uitandum in se, quàm ad uitandum in altero: nã pluribus in se quisq; abũdar remedijs. At tamen dum adhibitis remedijs illis, quæ humano modo adhiberi possunt, homo nequit se ab illecebris carnis eripere, nisi per usum coniugalem, tunc ille reputatur moraliter necessarium medium.

¶Vnde distinguendum est hic cum Paludano. quæstione 52. & cũ Capreolo, quòd quando homo alia uia fugiendo occasiones potest fornicationem propellere, non licet illa sola de causa ad uxorem accedere: quia tunc non tam facit causa uitandæ fornicationis, quàm potiundi uoluptate illa, quam ultro eligit: id quod ut arti. proximo diximus, uenialis culpa est. Sed dum moraliter loquendo non habet aliam uiã, hæc est licita.

Nota distinctionẽ.

¶Et confirmatur hæc responsio. Nam quandoque marito ad uitandam fornicationem in uxore licet illam cognoscere, quanuis nec formaliter petat nec interpretatiuè: quia scilicet est occultè adultera, quæ præ amore adulteri exosum habet maritum, eiusq; adeò amplexum abhorret: ergo tunc ille non accedit causa reddendi debitum, sed ad uitandam fornicationem in illa: ergo potest dum est necessarium, idem sibi remedium usurpare.

Solutio cõfirmatio.

¶Cui ergo hæc opinio placuerit, potest ad Augustinum respondere, ut ait Durandus, ꝙ cùm dicit concubitum ad explendã concupi-

Ad Augustinum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

concupiſcentiam eſſe uenialem culpam, intelligit, quando ipſa concupiſcentia dominatur, ut ait cap. 10. & pariter, Gregorius ca. Vir cum propria. citato: ſcilicet quando coniux alia uia poſſet concupiſcẽtiam ſedare: nam tunc ſi hæc eligatur, id fit ob uoluptatem.

Gregorius

Ad aliud Auguſtini.

¶Sed tamen alię iſtorum patrum negationes: nempe, quòd nunquàm coniugibus liceat, niſi procreandi gratia ſe ſe cognoſcere, uel propter fidem debiti reddendi, urgentius cõtra nos militant. Nihilominus reſpõdetur, quòd iſti ſancti pudicitię amãtiſſimi nimiùm ſolebant coniugalem torum coarctare & perſtringere, non attendentes ad euentus, qui poſſent contingere humano more neceſſarios ad uitandũ fornicationis flagitium. Si enim illa opinio eſſet uſque adeò neceſſaria, tunc ſteriles, ſenes, & prægnantes nimiùm eſſent ab amplexibus cohibiti. nempe, quia non ſolùm ob uoluptatem, imo neque ad cauendam fornicationem poſſent ſe amplexari. Quãuis qui illam opinionem ſuſtinere uoluerit, reſpondere poteſt, non eſſe mirandum ſi ſtatus coniugalis huiuſmodi habeat adnexa uenialia pericula. Et propterea Paulus cupiebat, ut omnes eſſent ſicut ipſe.

Nota.

Nota.

Quapropter cõſilium eſt de his nunquàm prædicare, nec cum ſecularibus tractare: nam ſi dicas, illud eis licere, ipſi licentiam ampliabunt. Sed in ſacramento pœnitentiæ ubi quis confiteatur ad uitandam fornicationem uxore uti, non grauem ei ſcrupulum obijcias, ſed admoneas, ut ceu chriſtianus rei uacet uxoriæ.

Obiectio.

¶Sunt qui contra concluſionem arguentur. Si ob commodum uitandæ fornicationis licitus eſt ille uſus, pari iure licebit ob aliam quancunque utilitatem & lucrum: nempe, accedere ad ineſcandam uxorem, ut ſua bona marito impartiatur. Conſequentia autem nullius eſt roboris: quoniam coniugalis uſus non eſt medium ad finem lucri relatum, uel ad alios præter ſuos proprios.

Dilutio.

Dubium.

¶Grauius autem dubium eſt, utrùm liceat ſanitatis gratia. D. enim Tho. neque hoc admittit. Arguit ſi quidem quarto loco. Id, quod genere ſuo bonum eſt, non niſi ex mala intentione uitiatur: uſus coniugalis genere ſuo eſt bonus. ergo ſi fiat bono fine, qualis eſt ſanitas corporis, non eſt culpandus. Et reſpondet, quòd quanuis intentio ſanitatis per ſe ſit bona, tamen ſi per medium procuraretur, quod non eſt per ſe ad illam ordinatum, intentio tunc efficitur mala. Veluti ſi quis ſacramentũ baptiſmi tantùm ad ſalutem corporalem quæreret. Et intelligit eſſe malam ueniaIiter. Et re uera opinio eſt perquam probabilis: nam ſi quis contra obijciat, emiſſionem ſuperfluj ſeminis perſæpe ſuapte natura ad ſanitatem conferre: de illo nanque Verino legitur, Ne ſe polluereț, maluit ille mori. Reſpondetur, quòd quanuis medium illud natura nonnunquàm ad illum finem retulerit, tamen inſtitutio ſacramenti non eſt ad illum finem relata: quippe quod non niſi prolis gratia, aut in remedium concupiſcentiæ inſtitutum eſt. Tametſi dum tam præſentaneum eſſet periculum ingẽtis morbi & conſtaret illud eſſe medium neceſſarium, forſan nulla eſſet culpa dignum. Quanquam malim opinioni S. Thomæ adhærere. Has enim ueniales culpas, quæ tam facilè quotidie & committuntur & diluuntur, non eſt operæ pretium tãta cũ anxietate perſcrutari.

Solutio.

Opinio S. Thomæ.

Verinus

Sol. 1. obiect.

¶Primo igitur argumento in capite obiecto, ſi quæ diximus uera ſunt, ſua concedi tur concluſio. Ei autem qui contrariam tenuerit opinionem, dicendum eſt cum D. Thoma, quòd licèt cauere in ſe hominem fornicationem bonus ſit finis, tamen per illud mediũ nunquàm eſt bonus quia ſem per aliqua uoluptatis redundantia interfluit. ¶Et pari modo ſecundum ſolutum reſtat: nam poteſt locus ille Pauli in utranque opinionem interpretari, ut ſupra à nobis explicatum eſt.

Sol. 2. obiect.

¶Appendix autem articuli huius eſt, ut de uitijs, quæ uſui matrimonij euenire aſſolent, breuis ſubdatur ſermo. Primum enim depudendus abuſus illegitimi uaſis cõtra naturam, nefandiſſimum flagitium eſt; & grauius quidem inter coniuges propter fidem, quam ſibi mutuò debent, quã ſi inter ſolutos contingeret. Effuſio etiã ſeminis extra uas legitimum eſt itidem lethale crimen, ſi ſit notabilis: nam diſtillatio non ſemper tãtæ culpæ tribuenda eſt. Item ſi dum uir bona fide legitime congredi conatur, feſtinantius fortaſſe extra uas ſeminat, non eſt uitio dandum, etiam ſi metus aliquis eum priùs ſubierit: quia illud feſtinationi naturæ adſcribendum eſt.

De uſu coniugij, Abuſus ſis.

Effuſio ſeminis.

¶Vtrùm

Dubium.

¶Vtrũm uerò intra conſuetum uas peccatum poſſit contingere mortale à multis ambigitur. Nempe dum uir uxori reſupinus ſuccũbit, aut præpoſterè accedit: ſunt enim qui dicant peccatum eſſe mortale: propterea quòd congreſſus ille non eſt generationi idoneus. At uerò ut Albertus Magnus, & ex medicis multi aiũt, falſum eſt illo modo conceptũ impediri: eo quòd matrix perinde atque ſtomachus uirtutẽ habet attractiuam, qua ſemen exorbet. Quapropter non debet res in has delictorum anguſtias perſtringi, ſed crediderim intra legitimum uas nunquàm contingere mortale crimen. Quo alludit Caieta. in ſumma, uerb. Matrimonium. Sunt autem illi inſueti complexus uenialia peccata, eademque obſcœna uirisque probis omnino exhorrenda.

Alber. Magnus.

Tactus impudici.

¶Qua uerò res ad tactus impudicos attinet, ſi utique fiant cum periculo mollitiei peccata ſunt mortalia. Si uerò fiant tanquàm neceſſarij ad irritandam Venerem, generationis gratia, nullam præ ſe in coniugibus ferunt culpam. Extra hos uerò cauſus peccata ſunt uenialia. At uerò oſcula, licèt non alio fine inter coniuges fiant, quàm ceu amoris indicia, nulla ſunt culpa denotanda.

Oſcula.

DISTINCTIO TRIGESIMAſecunda, De mutua coniugum ſolutione in reddendo debito.

Textus. Cap. j.

COlligit ergo ex his, quæ dicta ſunt æquali ꝑcepto coniuges coerceri exactos ſibi inuicem cõplexus perſoluere ſub reatu mortalis criminis iniuſtitiæ: dũmodò uterque ſuæ ſoſpitati & incolumitati conſulat, neque alia legitima excuſatio intercedat, iuxta uerbum Pauli, Vxori uir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor uiro. Nam etſi in reliquis domeſticis officijs uir, uti idem ait Apoſtolus, caput ſit mulieris, ſub cuius ideo poteſtate eſſe iuſſa eſt, tamen cum in generandi uſu ſint duo in carne una, neuter ſui corporis poteſtatem habet, ſed alter coniux. Neuter ergo abſque facultate & uoluntate ſui coniugis, poſtquam conſummatum fuerit matrimonium, continere valet, ac multò minus continentiam uoto firmare.

1. Cor. 7.

Ad Eph. 5.

Vnde Aug. ſuper pſalmum, Si dicat uir, Continere iam volo, uxor uerò, nolo, non poteſt: quod enim tu uis, non uult illa. nunquid per cõtinentiam tuam debet illa fieri fornicaria? Et rurſus. Secũdum uerba, inquit, apoſtolica etiam ſi uir continere uoluiſſet, & tu noluiſſes, tibi debitum reddere cogeretur: & illi Deus imputaret ad continentiam ſi nõ ſuæ, ſed tuæ crederet infirmitati, ne in adulterium caderes.

Pſalm. 46. can. Si dicat. 33. b. 5.

Ca Secũdũ n. rba. 33 uer.

¶Inter cauſas uerò, quæ debitum

Cap. ij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bitum exigere uetant, aut reddere excusant, lepram Alex. 3. non admittit: imò, ut in de cõiugio leprosorum scriptum reliquit, admonuit, ut leproso exigenti non denegetur, ne coniugium suo fine in perpetuũ frustretur. Ei uerò uxori, quæ mẽstruo sanguine legitimis temporibus polluitur, fas nõ est petere, neq; uiro ab ipsa exigere: nam ut autor est super Esaiã Hierony. ex illo infecto sangui ne nascuntur cæci, claudi, leprosi: ut quia parentes, inquit, non erubuerunt in conclaui commisceri, eorum peccata pateant cunctis, & apertius arguantur in paruulis.

Cap. pueritt. & cap. Quoniã.

Esaiæ. 44.

De æmorrhoissis autem, quæ perpetuum fluxum sanguinis patiuntur, leprosorum iudicio censendum.

¶ Ueruntamen orationis causa consilium est apostolicum toro coniugali abstinere, imò solennitatib. præcipuis, illis præsertim, quib. articuli fidei celebrantur non prorsus culpa, saltem ueniali, careret debitum expetere, atq; adeò dum manè sacrosancto sacramento cõicandum est. Vnde Aug. Quotiescũque dies, inquit, natalis Dñi, aut reliquæ festiuitates aduenerint non solum ab infidelium concubinarũ, sed ẽt à proprijs uxorib. abstinere debemus. Et Ambr. dieb. ẽt ieiuniorum, et idẽ Aug. lib. de qõ. noui & uet. ter. testa. q. 187. cã ẽt processio num abstinendum admonent. Reliquis uerò minoribus festis usq; adeò rem urgere, ut sit prorsus coniugibus abstinẽdum, oneri fortasse imputaretur. Multa enim patres admonent, quæ non subinde censent uim obtinere præcepti.

Cap. 3.

Can. Quaties. 33. 4.

Cano. Sotres. lib. Can. Cristiano.

¶ De loco uerò sacro diuersa est rò: nam cùm per turpẽ spontaneamq; seminis emissionem polluatur ecclesia, fit ut si cõcubitus coniugalis intra eius corpus sic fiat, ut manifestus per publicam famam aut legitimos testes fieri possit, sacrilegus sit atq; adeò genere suo mortalis. Cæterum & ob cõionis sanctæ reuerẽtiã, quæ sub natale dñi, & in paschate, & in Penteco ste antiquitus erat in more, nuptiarum solennitas his tribus temporibus interdicta est: nempe, ab aduentu dñi usq; ad Epiphaniam, & à septuagesima usq; ad octauas paschatis, et à diebus rogationum, usque ad festum trinitatis, can. Nõ oportet. 33. q. 4. & de ferijs. c. Capellanus.

Cap. 4.

Ca. Capellanus.

DISTINCTIONIS TRIgesimæsecundæ, Quæst. 1. De mutua coniugum fide reddendi sibi inuicem debitum.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm alteruter coniugum teneatur alteri debitum reddere.

Partis negatiuæ argumentũ primum.

SVbsequitur de fide & ratione reddendi debitũ inter coniuges. Et arguitur ꝙ neuter teneatur alteri debitum reddere ex necessitate præcepti. Nemo. n. præcepto cohibetur eucharistiam sumere, aut orationi uacare: sed Hiero. in quodam sermone, refertur. 33. quæst. 4. can. Sciatis. ait, ꝙ qui uxori debitum reddit, nequit orationi uacare, aut carnes agni edere: ergo nemo tali præcepto subijcitur.

2. Argu.

¶ Secundò, Nemo cum detrimento suæ salutis aut alia sua iactura tenetur alteri obsequi: aliquando uerò reddere poscẽti debitum uergit in nocumentum reddentis: ergo tũc nõ tenetur. Idq; potissimùm usu uenit quando coniux, qui petit, lepra infectus est: qui utique morbus tum contagiosus, tum etiam hæreditarius est, atq; adeò tam coniugi reddenti, q̃ gignẽdæ proli periculum inde infectionis creatur: tunc ergo reddere non tenetur. ¶ Tertiò. Si cõiuges hanc sibi uicariam operam dare cogerentur, tunc neutri liceret se impotentem ad illum usum reddere, ius. n. tunc alterius uiolaret, atque adeò nec liceret ei ieiunijs aut alijs uigiliarũ laborib. aut studijs corpus attenuare, quod utiq; consequens cõtrarium religioni uidetur. ¶ In contrariũ est uerbũ Apostoli. 1. Corinth. 7. Vir uxori debitum reddat, similiter & uxor uiro. ¶ Huic quæstioni duæ conclusiones satisfacient. Prima. Vterq; coniugum est alteri de necessitate præcepti obnoxius, ut debitum ei reddat. Probatur ex natura, fide & fine matrimonij. Præcepta. n. sunt circa media, q̃ ió ex natura finis sunt perpendẽda: finis autẽ matrimonij fuit propagatio gñis nostri per generationem: ex quo fit, ut natura matrimonij sit mutua corporũ traditio in illum usum, iuxta uerbũ Apostolicum: ubi. n. iubet, ꝙ uterq; alteri debitum reddat, cãm subdit, quòd mulier potestatem sui corporis non hẽt, sed uir: similiter & uir potestatem sui corporis nõ hẽt, sed mulier. Ex hac ergo matrimonij natura suboritur mutua obligatio & fides soluendi sibi debitum: quę scilicet obligatio, cùm sit in re graui, sub reatu mortalis culpæ genere suo utrunq; coniugũ perstringit, estq; adeò peccatum illud, iniustitiæ crimen: ueluti illud, quo quispiã rem alienã inuito dño usurpat. Et confirmatur rõ: nam etsi matrimonium libero cõsensu copuletur, est tñ postmodum genus quoddã seruitutis: unde sicut seruus obsequi tenetur hero de necessitate præcepti, iuxta illud Pauli Rom. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum &c. ita & coniuges sibi mutuo in re uxoria morem gerere cõpelluntur. ¶ Secunda conclusio. Neuter tenetur alteri debitũ reddere cum detrimento salutis conseruatricis proprij indiuidui. Probatur, quia ordo tã naturæ, q̃ charitatis, quę naturã perficit, id postulat, ut unaquæq; res accuratiùs sibi prius consulat, q̃ alteri: unde cũ nutritiua uirtus conseruationi indiuidui seruiat, generatiua uerò cõseruationi speciei natura prouida sic indiuiduis cõsuluit, ut nutritiua indiuiduo prius prouideat, & deinde quod superfluit generatiuæ subministret: nemo ergo hunc ordinẽ peruertere tenetur, imò neq; id ulli licet. Quanuis hic ansam malæ fidei surripere nemo debeat, ut coniugẽ isto colore defraudet: nã etsi qñq; aliquod paruum detrimẽtũ ualetudinis timeatur, nihilominus uirtuti iustitiæ satisfaciendum est.

3. Argu.

Confirmatio rõnis.

2. Conclusio.

Ratio.

Obiectio. ¶Quòd si contra primam conclusionem quis arguat. Sequeretur inde semper esse peccatum mortale non reddere debitum, respondetur, quòd præter legitima impedimenta, de quibus illico subsecuturus est sermo, est adnotandum quòd non semper maritus uel uxor petit sub intentione obligandi sub peccato mortali, sed sæpè in sinuando & alliciendo & mouendo. Et tunc negare non est peccatum mortale, imò crebrò nec ueniale: quoniam neque creditor pecuniam sibi debitam sub illa ratione semper exigit, ut sit peccatum nõ reddere. Adde quòd etiam si alter obnixè petat, potest alter, dum causa adest, precibus eum demulcere, & persuasum habere ne petat. Imò uerò quando uel uxor uel maritus creberrimè, importunè & molestè petit, non tenetur alter semper ad nutum ei obsequi: quia in petendo debet modus adhiberi: & ideo tunc negans non facit iniuriam, saltem grauem, sed aut nullam, aut uenialem. Atque eam ob rem moderati sumus conclusionem dicẽtes, quòd sit peccatum mortale ex genere, quod uti que potest ex circunstantia & attenuari & tolli. At uerò quando coniux non nisi cum magna difficultate, & quàm rarissimè reddere uellet, & potissimùm si periculum in suo coniuge præsentisceret aut adulterij, aut alius iniquæ pollutionis, tunc peccatum esset mortale non reddere. Item si uir abstineret, ut prolem ex illa uxore suscipere renueret: uel uxor ne ex uiro illo conciperet, utpote cum uir duxit uxorem maculati sanguinis. Solent enim tunc uiri torum separare, quod certè peccatum mortale est.

Solutio.

quia nuptias aut earum usum condemnet ut ipse se ibidem explanat, sed propter indecentiam. Si enim ut 1. Reg. 21. legitur qui cum coniugibus se polluerant, ab esu panum propositionis in lege ueteri arcebantur, quanto magis repelli debent à pane qui de cælo descendit? Et eodem pertinet uerbum Gregorij can. Vir cum propria, ut maritus cum uxore dormiens, nisi lotus aqua, ecclesiam non intret. Præter quàm quòd Magister Hieronymum loqui non censet nisi de ecclesiæ ministris. Quam ob rem sacerdotes Græcorũ quo tempore altari ministrant, ab uxoribus cohibentur.

1. Reg.

Gregor.

Magist. sententia.

¶De temporibus autẽm, quibus coniuges ut orationi aut communioni uacent, abstinere debeant, tertius nos manet articulus.

Sol. 2.

¶Ad secundum secunda conclusio respondet: nempe, quòd coniux non habet in alterum potestatem nisi integra eius sospitate & incolumitate. Et ideo quando cum detrimento salutis alterius id petit, alter reddere non tenetur, ut si febri aut alio morbo aut dolore ad tempus teneatur.

¶Sed iterum contra hanc solutionem arguitur. Appetitus generalis naturæ præfertur particulari: quare membrum contra particularem appetitum offert se ad cauendam plagam toti corpori, & aqua ascendit ad replẽdum uacuum: cùm ergo species respectu indiuidui se habeat ut totum uniuersale ad membrum particulare, fit ut indiuiduum detrimentum ad cõseruandam speciem perpeti debeat.

¶Respondetur, concesso appetitum uniuersalem suapte natura ad conseruandam speciem præstantiorem esse: quia per indiuidua eam conseruat, ut per media finem, & per membra corpus. Conseruatio autem totius, aut est ordinaria ab intrinseco, aut est defensio contra forinseca pericula. Conseruationem uerò ordinariam ab intrinseco natura fieri prouidit absq; membrorum detrimento. Quare membrum corporis sibi priùs nutrimentum quàm naturale, quàm ad aliud membrum mittat. Sed quando extrinsecus imminet capiti periculum, brachium se offert: sicuti dum locus per uiolentiam euacuatur aere, tunc aqua ascendit, ut illum repleat. Conseruatio autem speciei per generationem est ordinaria: quare fieri non debet

Solutio.

Dubium. ¶Quid autem si longa liberorum propagine abundarent, utrùm tũc licitè possent abstinere? Respõdetur, q̃ de consensu amborum absque dubio possunt. Vtrùm autem alteri poscenti alter licitè negare ualeat, maius est dubium. Sed nihilominus si periculum alterius pollutionis in petente non timeatur, non esset condemnanda illa recusatio alterius, præsertim dum pauertate premuntur, ut tantam sobolem alere nequeant: tunc enim profectò solutionem debiti recusans non esset (saltem de mortali) culpandus.

Solutio.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd Hieronymus non arcet coniuges reddentes sibi debitum ab altari,

De leprosis. bet nisi salua incolumitate indiuidui de superfluo.

¶Id autem, quod de leprosis adiectũ est, plusculum perplexitatis adfert. Nam & si morbus tẽporalis, ut dictum est de febri, excusare in tempus coniugem iure ualeat à reddendo debito, tamen quia lepra perpetuus morbus est, uidetur excusare eum non posse: quia tunc liceret ei perpetuò se parari, quod est genus diuortij. Et tamen quanuis lepra sponsalia dirimere sufficiat, neutiquam tamen matrimonium, ut ait Sanctus Thomas hic, & Theologorũ cœtus, & habetur cap. Quoniam, de coniugio leprosorum. Et quòd lepra dicitur non soluere matrimonium, intelligitur non esse impedimentum dirimens, etiam si nuptias antecesserit, ut distin. 34. uidebimus. Sed ex altera parte durissimum apparet onus, cum tanto periculo obligare coniugem debitum leproso persoluere: & tamẽ Alexander tertius. eodem capit. & antecedenti Peruenit, omnino cogit leprosi coniugem debitum ei reddere, etiam sub ànathematis comminatione si renuerit.

Lepra.

Opiniones.

¶De hac ergo re inter Doctores uariatur. Gaufredus nanque Cardinalis in sua summa per extremum ait coniugem leprosi non solùm teneri ei debitum soluere, uerùm & ei cohabitare, si separatim à leprosorum conuentu uiuat. Si autem illic uitã degat, tenetur ei reddere, sed non cohabitare. At uerò Sanctus Thomas, Bonauentura, Ricardus, & Theologorum plerique sententiam temperant dicẽtes, teneri quidem reddere, nunquam tamen cohabitare, neque in eodem lecto dormire. Et certè hoc est uerissimum: quia cum principalis finis matrimonij nõ sit nisi generatio, sat est si sanus tali infirmo in illo actu seruiat: nam reliqua cohabitatio non est tam necessaria, & est horrenda. Præsertim quòd non tantum periculi in uno congressu imminet, quantùm in cohabitatione & communicatione mensæ & lecti. Quapropter Leuitici. 22. leprosi de sanctificatis Domino edere uetebantur. Et Numer. 5. iubebantur extra castra eijci.

Cõmunis opinio.

¶Imò uerò Durandus, Paludanus & Caietanus in summa capitu. De usu matrimonij, temperatius eandem obligationẽ mitigant. Et quidem meritò: uidelicet, quòd si in redditione debiti medicorum consilio constet periculum contagionis

Ratio.

Caietanus

creari, cessat obligatio reddendi. Nam Sanctus Thomas & reliqui propterea dicunt teneri, quia non imminet tantum periculi, quantum in cohabitatione. Ergo à contrario sensu, si tantum impendet, obligatio tollitur. Quare non desunt qui contra tam rigida Decreta Alexandri obmurmurent. Attamen citra murmurationem dicere possumus, quòd Pontifex id solùm decernere admonereq; contendit, quòd lepra de se quanuis horrorem offerat, & metum aliquem leuem contagionis non sufficit coniugem absoluere ab obligatione debiti: quia non sequitur semper contagio. Neque sufficit quanuis timeatur prolem eandem lepram contractum ire: nam ut ait hic Sanctus Thomas melius est prolem sic fore, quàm nullatenus fore. Quare si sanus in causa est coniugi leproso, ut fornicetur, uel si aliter iniquè polluat (quia propter pessimum morbi incendium prurigines carnis patiuntur crebras) particeps sit illius criminis. Et quod de lepra dicitur, de morbo etiam calamitoso Gallico, dictum putetur, qui inter nostrates miserè inserpsit. Veruntamen ubi periculum esset morali more certum, aut ingentissimus horror, ut natura ipsa congressum abominaretur, noluit Papa coniugem compellere: utpote dum lepra eum attigit gradum, qui dicitur leoninus, quo nimirum corpus frustatim dissoluitur. Ecquis enim spectaculum illud in eo potissimùm amplexu ferat? Docet præterea cùm ars medica, tum etiam rerum usus præsentius uiris periculum impendere ad leprosam accẽdentibus, quàm fœminis si uiris leprosis obsequantur, adeò ut certiùs sit periculum ad sanam accedere, quæ fuerat leproso uiro cognita, quàm ad leprosam. Itaque in fœmina maior est uis transmittendi morbum unius uiri in alterum, quàm se ipsam eodem maculandi propter exorbitantem inquitatem fœminei caloris in illo actu. Quam ob rem minus hac ratione uir sanus tenetur uxori leprosæ reddere, quàm uxor uiro: non quidem propter inæqualitatem iuris ad petendum: nam par est in ambobus, sed propter diuersam conditionem fœminæ, & periculum maius.

Nota.

Declaratus textus.

Viris periculũ offertur.

¶Ad tertium denique argumentum respondetur, non licere coniugi se se impotentem consultò reddere, ut coniugem

Sol. 3. arg.

contra monitum Pauli defraudet, atque adeò nec per illicita media potest se debilitare & extenuare: irrogaret enim tunc alteri iniuriam. Attamen si absque fraude & bona fide honestisq; medijs id faciat: nempe, seruando ecclesiastica ieiunia, & quædam etiam ex deuotione, impendendoq; moderatè tempora honestis studijs, nulla est culpa metuenda. Est tamen inter uirum & uxorem discernendum, quòd uir reddendo debitum fit in dies impotentior, & ideo fit ei quotidie remissior obligatio, quod non accidit fœminis. Sed è conuerso fœminis minus licet se se ieiunijs & uigilijs macerare & extenuare sine licentia mariti: nam occasionem eis offerunt, qui eas negligant & despectui habeant, atque alijs irretiantur iniquis amoribus. Diserimẽ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in petitione & solutione debiti æquum sit ius utique coniugum.

VONIAM coniugium quandam præ se fert æqualitatem, quæritur utrùm pari iure ambo sibi inuicem teneantur. Et arguitur à parte negatiua. Agens nobilius est patiente, ut 12. super Genes. ad literam author est August. sed in coniugio uir est agens & fœmina patiens: in cuius signum, ut Genes. 2. legitur, facta est in adiutorium uiri, quasi propter ipsum: ac subinde iussa est sub uiri potestate esse: ergo non æquo iure fruuntur. Partis negatiuæ ar. primum.

¶Secundò arguitur. Menstruatæ non licet debitum petere, propter incommoda, quæ timentur in prole: unde Leuit. 18. Ad mulierem, quæ patitur menstruum, non accedas: & tamen illa tenetur uiro reddere, etiam si ipse fluxum seminis patiatur: ergo non æqua amborum sors est. Idem est de leprosa: nam si maius periculum imminet sano accedẽti ad leprosam, quàm sanæ accedenti ad leprosum, minus tunc ipsa petendi ius habet, quàm ipse. 2. Arg. Leuit. 18.

¶In contrarium est, quòd similibus uerbis ait Paulus. 1. ad Corinth. 7 Vxori uir debitum reddat. Similiter & uxor uiro: quoniam uir non habet sui corporis potestatẽ, sed mulier: & mulier non habet, &c. sed uir. ¶Quæstio facilis est, quæ unica conclusione dissoluitur. Vir & uxor æquali iure gaudent æqualitate non quantitatis, sed proportionis. Aequalitas enim quantitatis est, quæ in eadem mẽsura consistit, ut inter libram unam & alteram, atque inter unam & alteram ulnam. Aequalitas autem proportionis est inter duas æquales proportiones: qualis enim proportio est duorum ad unum est quatuor ad duo: nempe, dupla. Vxor ergo non uiro æqualis est in quantitate, quia neque eadem prudẽtia in illa uiget, neque idem gubernandi iudicium. Quare neque eodem debet potiri imperio, sed debet esse audiens uiro, qui ut ait Paul. est caput mulieris. Est tamen æqualitas proportionum: habent enim distributa inter se officia, un de quo iure tenetur uxor ea, quæ ei domi pertinent, agere, eodem tenetur uir ea, quæ ad ipsum, perficere. In toro uerò uterque eodem iure tenetur alteri: nam fides inter eos est æqualis. Imò uerò quodammodo uir arctiùs obligatur quàm uxor. Præceptum nanque reddendi debitum affirmatiuum est, ac perinde licèt semper obliget, non tamen (ut aiunt) pro semper, sed tunc quando alter exigit: nam petere nunquam tenetur, sed ad uitandam fornicationem in altero, quod est quodãmodo reddere. Cõclusio. Aequalitas quantitatis. Aequalitas proportionis. Vxor non est æqualis uiro in quantitate. Vxor æqualis uiro in proportione. Pars affirmatiua.

¶At verò duplex est petitio: scilicet, expressa, & interpretatiua, quando signa apparent uoluntatem subindicantia. Et quoniam in fœmina uehementiùs uerecundia obtinet & pudor, quàm in uiro, licitum est uxori expectare expressam petitionem uiri, quando uiro eandem non licet expectare in uxore, sed debet ad illam interpretatiuam adnuere. Sicut medicus morbo infirmi, quando illum sentit, occurrere tenetur, & prælatus subuenire subdito. Quòd si redarguas. Ergo non pari iure militant coniuges in redditione debiti. Negatur consequentia, quia hoc non nascitur ex iuris disparitate, sed quia uxoris petitio non est ob uerecundiam tam libera. Petitio duplex. Obiectio. Sol. 1. arg.

¶Et per hæc primo argumento satisfactum est: nam & si agens nobilius sit passo, est tamen eadem proportio patientis ad patiendum, quæ agentis ad agendum: & ideo eodem iure tenetur uterq; alteri. In reliquis aũt domesticis offi cijs

cijs sicut membra tenẽtur obedire capiti, ita & caput, licèt sit principalius, tenetur suo modo morem gerere mẽbris. ¶Circa secundum argumentum de menstruata notandum in veteri lege loco citato prohibitum fuisse accessum ad menstruatam duplici de causa: nempe, propter legalem immundicem: qua ratione erat præceptũ cæremoniale: quare qui ad eã accedebat erat irregularis ad tractandum sacra. Illa autem cęremonialis ratio cessauit in lege noua cum reliquis cęremonialibus præceptionibus. Fuit autem alia ratio moralis, quòd illo menstruo sanguine proles crebrò solet infecta gigni: quæ quidem ratio etiam in lege euangelica perdurat. Quam ob rem menstruata mulier peccat debitum petendo. Quòd si arguas. Ergo si sterilis est, non erit ei culpa Petere. Respondet D. Thom. quò quandiu mẽstruũ patitur constare non potest esse sterilem. Præsertim cùm quædam, licèt fuerint in iuuẽtute steriles, postea efficiũtur fœcũdę. Circa secundũ ar. Obiectio. Dilutio. Menstrua naturalia.

¶Cùm autem de tempore menstruorum loquimur, illa prorsus intelligimus, quæ sunt naturalia, & certis temporibus per menses (unde nomen sortiuntur) mulieribus accidunt. Sunt quippe alia menstrua innaturalia: nempe, perpetui fluxus ex morbo prouenientes, à quibus æmorrhoissam illam curauit Dominus Matth. 9. quorum causa non tenetur mulier non petere, alioqui perpetuo deberet abstinere. ¶Et per hoc soluitur argumentum de lepra: nam etiam si periculum offerat generandæ proli, nihilominus quia est mor bus perpetuus, non obligat ad perpetuam abstinentiam. ¶Et pariter ad illud, quod de fluxu seminis in uiro obiectũ fuit. Est enim perpetua passio & nimis diuturna, quæ ideo exactioni debiti obstare non debet. Præterquàm quòd corruptum illud semen non est tam generationi aptum, quàm menstruus sanguis, ut perinde ac ex menstruo sanguine sit inde proli timẽdum. Ex his sit consequens, quòd nec uiro licet à menstruata propter idem periculũ debitum exigere. Quapropter in hoc pares sunt ambo cõiuges. ¶Vtrùm verò aut menstruatæ, petenti teneatur maritus reddere, aut ipsa petenti marito, maius dubium ex. Scotus nanque distinctione præsenti negat licere, propterea quod idem periculum sequitur reddendo quod petẽdo. Et idem ait Glossa super can. Ad eius. dist. 5. Nisi timeatur fornicatio in petẽte. Et eidem Ricardus distinctione præsenti articu. 4. quæstione. 1. At verò Diuus Thomas hic hanc opinionem non approbat, sed sub distinctione respondet. Quod si uir petat scienter, tunc debet eum uxor precibus & monitis auertere, non tamen quando periculũ iniquæ pollutionis in ipso timeat. Si verò petit ignoranter, potest aliquam occasionem obtendere, uel aliam infirmitatem (si habet) allegare, quam uis non illam, ne horrorem illi obijciat. Si tamen ille omnino institerit, reddere debet: quia mulier ut ait Paul. potestatem sui corporis non habet, sed uir. Vbi insinuat, quòd etiam si non timeat aliud periculum in uiro, teneatur reddere propter ius, quod habet ille petendi. Et eandem opinionem tenet Syluest. verb. Debitum coniugale. §. 6. & Caietanus in summa cap. de usu matrimonij, & Bonauentura & Paluda. quæst. 1. ubi citat Petrũ de Tharantasia. ¶Sed ut omnia simul disputemus, quęritur quale quantumque peccatum sit menstruatæ eiusq; uiro debitum aut petere, aut reddere. Appẽdix. Dubium. S. Thom. Dubium.

Scotus distinctione præsenti tenet utrunque esse mortale: maiori enim inquit, præcepto tenetur uir cauere proli futuræ morbum, quàm dare operam ei progignendę. Idque ex illo Leuit. 20. confirmat, Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. Pœna autem mortis non infligebatur, nisi pro peccato mortali. Quod quidem præceptum, quatenus morale est, ut supra diximus, perseuerat nunc etiam in lege euãgelica. Et Hierony. super illud Esaiæ. 44. Omnes iustitiæ uestræ quasi pannus menstruatæ. Tunc, inquit, uiri abstinere debent à mulieribus: quoniam concipiuntur membris damnati, cæci, claudi, leprosi, utqua parentes non erubuerunt in conclaui commiscẽri, eorum peccata pateant cũctis, & apertiùs redarguantur in paruulis. Sylueſter verò loco citato cõcedit pro pterea peccatum mortale esse sponte petere, nullum tamen exactum reddere. ¶At re vera ut reddere cum circunstantijs, quas D. Th. explicat, nullũ ẽ peccatũ ita nec petere est mortale. Et ita tenet in præsentiarũ Palu. & Caiet. loco citato. Et Scotus. Hierony. Sylueſt.

in primis, quòd hæc sit mens S. Thomæ, patet: nam ubicunq; ipse peccatum agnoscit mortale, id certe expresè profert: hic autem non ait, nisi simpliciter esse peccatum, petere. Et re uera ratio non urget esse mortale: quoniam & si illa nocumenta proli timeantur, tamen neq; sunt adeò certa, ut semper eueniant, neque tenentur coniuges tam arctè illa cauere, ut iuri suo cedere debeant. Et re uera, ut ait S. Th. melius proli est esse, licèt cum infectione, quã simpliciter non esse. Vnde illa uetusta prohibitio legis, qua parte erat cæremonialis habebat annexum supplicium illud mortis: quæ quidem ratio iam cessauit. At quatenus erat morale præceptum, ut cessauit supplicium illud, ita trãsgressio defuit esse mortalis. Et certè si mortale esset petere, non esset facilè alteri concedenda licentia reddendi. Et ideo Scotus utrumque censet esse mortale. Sed S. Tho. quia petere, solùm arbitratur esse ueniale, ait, nullum esse peccatum reddere.

Scotus.

Obiectio. ¶Quòd si contra arguas, quòd Leuit. 18. & 20. simpliciter prohibebatur uir accedere ad menstruatam uxorem: ergo etiam reddere est illicitum. Negatur consequentia: nam quicquid sit de illo tempore propter cæremoniale mandatum, modò tamẽ accessus non prohibetur, nisi qui spontaneus est. Qui autem reddit debitum, non sua sponte accedit.

Dilutio.

Tempore puerperij. ¶De tẽpore autem puerperij, quo scilicet puerpera manet in purificatione antequam templo suum offerat infantem, ait Gregorius in epistola ultima ad Augustinum Anglorum, quæ refertur canonex citato. Ad eius, distinctio. quinta quòd debent coniuges abstinere. Sed ut ait impræsentiarum Ricard. mos ille iam abiuit ab usu: uel po tiùs, inquit, magis est monitio, quàm præceptum. Quare reddere non est dubium, quin tunc liceat, quin etiam & petere, nisi aliqua sit indecentia quando dies partus nuperrimè antecessit.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm causa uoti, aut orationis, aut temporis sacri possit coniux debitum negare alteri.

QVanuis æquo iure cõiuges, ut dictum est, sibi mutua fide teneantur debitum soluere: tamẽ explorãdæ sunt causæ & casus, qui coniugẽ ab hoc uinculo eximunt. Arguitur ergo primò, quòd religionis causa possit uterq; altero inuito uotum castitatis emittere, quod eum à reddendo debito excuset. Primò quia non est expectandus illius consensus, qui eum citra peccatum negare nequit: sed si uouere uolenti alter esset impedimento, peccaret: quia statum melioris frugis impediret: ergo absque eius consensu potest alter vouere.

Partis affirmatiuæ. 1. Argu.

¶Secundò. Tempore festo neutri licet debitum petere: quia tunc tenetur quisq; sacris uacare, cui officio carnalis usus ineptũ hominem reddit: ergo potest tunc unus altero inuito votum facere non reddendi. Idemq; est argu. de loco sacro, in quo nullus vt posse petere, neque teneri reddere.

Partis negatiuæ. 2. Argu.

¶In contrarium est uerbum Pauli. 1. Corin. 7. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex cõsensu ad tempus, ut uacetis orationi.

Decisio.

¶Hanc quæstionem, qua parte ad uotum coniugum spectat, dist. 27. q. 1. arti. 4. copiosè disputatam reliquimus, ut ipsa dissa est, & locuples. Et ideo huius partis nihil restat repetendum: præsertim quia hic solùm de usu matrimonij disputamus. Ad quam quæstionem tribus conclusionibus facillimè respondetur. Supponimus enim in primis ex loco citato, post matrimonium ratum non consummatum licere alterutri coniugum altero inuito religionem profiteri, quod tum rationibus, tum & canonibus compluribus de conuersio. coniuga. & 27. q. 2. comprobauimus. Qua propter induciæ duorum mensium utriq; conceduntur, cap. Ex publico. eo. tit. ut eã dem sibi religionem optare ualeat. Quo utiq; tempore neuter alteri tenetur debitum reddere. Item neq; adulteræ uel adultero tenetur innocens coniux eiusmodi officium soluere: quæ quidem disputatio usque ad dist. 36. differtur. Post matrimonium uerò consummatum, ut ibidem mõstratum est, neutri licet absque alterius facultate religionem ingredi; ut eisdẽ canonib. & potissimũ ca. Quidam. eo. tit. definitur. Imò neq; alterius cõsensus sufficit, ni si uel simul ipse intret, uel sexagenarius existat. Ofa illic discussa concluſaq; sunt.

Post matrimonium ratum.

¶Quo

1. Conclu. ¶Quo ergo citra religionis ingressum ad coniugalem usum descendamus, sit prima conclusio. Neuter coniugium potest citra uoluntatem alterius uotum facere non reddẽdi, imò faciendo mortaliter peccat, neq; implere tenetur. Eandem conclusionem affirmat Augustin. super Psal. 46. & refertur. 33. q. 5. can. Si dicat, & can. Secũdum uerba, ubi ait. Si dicat uir, Continere iam uolo, uxor autẽ, nolo, non potest: quod enim tu uis, non vult illa. Et rursus. Secundùm uerba apostolica si vir continere uoluisset, & tu noluisses, tibi debitum reddere cogeretur. Probatur, quia uotum, ut nomen ipsum sonat, spontaneæ uoluntatis actus est: quare nõ est emittendum nisi de illis rebus, quæ nostro subiacent arbitrio, cuius generis non sunt illa, quæ alijs debemus: quippe quæ sunt alienа: cùm igitur maritus sui corporis potestatem non habeat, sed uxor, neque uerò uxor, sui, sed maritus, neuter potest altero inuito tale uotum non reddendi emittere. Imò uerò ut lib. 7. de iustit. & iur. q. 3. artic. 1. disputabamus, quanuis alter alteri huiusmodi licentiam concedat, potest illam postmodum reuocare. Idem hic tenet Ricardus art. 2. q. 1. Et est sententia August. can. Manifestum. 33. q. 5. Nisi forsan mutuam sibi facultatem facientes uouendi, uterque iuri suo petendi renũciet. Præsertim dum ambo vel alter religionem mutuo consensu profitentur. Quo casu intelligitur verbum eiusdem Augu. can. Quod Deo, ead. caus. & q. Quod deo enim, inquit, pari consensu uoueratis, per seueranter usque in finem reddere debuistis.

R. cõclu.

Dubium.

¶Vtrùm autem possit uterque altero inuito uotum facere non petendi, disiudi inter doctores est. Nonnulli nanque (quorum est distin. præsenti Ricardus articu. 2. quæst. 1.) licitum arbitrantur. Et hanc ille putat opinionẽ esse securiorem & communiorem: quia in arbitrio cuiusque positum est exigere. At D. Thom. hic solutione ad. 3. probabilius censet id negare. Cui Durandus, & alij multi adstipulantur, quia per eiusmodi uotum fit alteri coniugi matrimonium onerosum: quippe cum pondus exigendi in eum semper propendeat. Negat autem Ricardus inde fieri onerosum: cùm neque alter, qui non uouit, petere, nisi dum ei libuerit, teneatur: imò ab onere reddendi liberatur, quod utique solet esse molestum. Veruntamen certè huiusmodi uotum, presertim in uiro, supposita humana fragilitate onerosum est uxori propter verecundiam, qua fœminæ in petendo suffunduntur: & nunquam petere, re vera periculo non caret: præsertim in iuuentute usque ad ætatem senilem, quanuis senibus non esset tanto periculo peruium. Hæc enim per prudentiam moderanda sunt. Et re vera nunquam aut quàm rarissimè consilium est talia uota emittere: & dum fiunt, consilium est, ut episcopali dispensatione tollantur. Cæterum & contra Ricardum arguitur. Vir potest quæcunque uota uxoris irritare, ut lib. 7. de iusti. & iur. q. 3. art. 1. latè diduximus: ergo & illud si faciat nõ petendi. ¶Ad primum igitur argumentũ negatur, quòd dissentiens uoto alterius delinquat: quoniam id non facit, ut bonũ religionis auersetur, sed ut bono proprio consulat. ¶At verò aliud soluendum restat argumentum. Licet enim uiro absque uxoris facultate crucem in subsidium terræ sanctæ accipere, & illuc peregrinari, ut habet ca. Ex multa. §. quod autem, de uoto & uoti redemptio. id quod imaginẽ præ se fert uoti castitatis: ergo uxor idem potest. Respondetur in primis, acceptionem crucis non esse uotum castitatis, sed militiæ. Potest enim uxor maritum sequi in bellum, & quanuis nequeat, tamen in fauorem Christianæ religionis id ecclesia concesit. Imò iussu regis potest maritus uxore etiam inuita & relicta militare, & ad alia negotia suapte sponte peregrè proficisci: neq; fides matrimonij obstare potest. Mulier autem, quæ non est militiæ & similib. negotijs idonea, minimè id absque uiri facultate ualet.

S. Tho.

Ricardus.

Solu. 1. ar.

Aliud ar.

Solutio.

Diebus festiuis.

¶De temporibus autem sacris Magister sententia. hic, ac perinde D. Tho. & reliqui eius interpretes nimiùm strictè loqui uidentur. Aiũt quippe nullo die festo aut ieiuniorum licere debitum petere, sed esse peccatum ueniale. At reddere nullam esse culpam. Mẽbrum aũt prius profectò durum apparet concessũ. ¶Et ideo fortasse sat est hic secundam conclusionem statuere. Diebus solennitatum, quę sunt præcipuæ, non caret veniali culpa debitum petere: nẽpe, in diebus natalis, & paschatis & aliorum festorum, quibus articuli

2. Cõclu.

fidei celebrantur, ut in die Pentecostes, Ascensionis,& in die ueneris sancta. Nam etsi actus matrimonialis de se nullam habeat annexam culpam,hēt tamen nonnihil indecentiæ & ineptitudinis ad orationem,& contemplationem,quib. dieb. illis opus est uacare. Quanuis cùm circunstantia diei festi non trahat actum in aliā speciem. s. sacrilegij,ueluti loci sacri,non aggrauat mortaliter. Quanquàm si tunc solius gratia delectationis petatur, grauius est ueniale. Decretum est Aug. quod refertur. 33. q. 4. can. Quotiescunq;. ubi ait,q̄ quotiescunq; dies natalis Domini aut reliquæ festiuitates aduenerint, à proprijs uxorib. abstinendum est. Idem censet cā processionum,quę fiunt solenniter,aut cā ieiuniorum,ut ait Ambr. in sermone de aduentu Domini,& idem Augu. in lib. quæstionum noui & ueteris testamenti. c. 187. & referuntur ibidem can. Fratres, & can. Christiano. Veruntamen fortasse non tā præcepta insinuare uolunt, quàm salutaria monita. Præsertim q̄ cùm iam mos iste processionum solenniū adeò elanguerit, ut rarissimus populus interesse soleat,nescio an illa de cā petitio debiti sit culpæ tribuenda. Et idē ferè de ieiunijs dixerim & de alijs festis,quæ non tanta cum solennitate celebrātur. Quorum iam numerus plerisq; locorum ualde succreuit. Quānis in his locum illud habeat Gregorianum, Timorati animi est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est. At si Paulum de hac re consulamus, non in tantas angustias rem uxoriam conijcit. imò admonet ne se defraudent,nisi forte cōsensu utriusq;. Cæterùm quia festiuita tpa orationi dedicantur, hæc decreta tunc abstinēdi patres inde collegerūt. Sunt tamē, ne onerosum fiat matrimonium,cum moderamine auscultanda: esset. n. nimis graue per totam quadragesimam coniuges iure petendi spoliare. ¶ Quod aūt reddere quocunq; tpe liceat,inde patet,q̄ ait Paul. Vir potestatem sui corporis non hēt,sed mulier, & è conuerso. ¶ Vnum tamē hoc uerum est, quòd qui sacram communionem manè susceperus est,non esset liber à culpa si illa nocte debitum exigeret: imò illo exigente deberet alter, antequàm redderet,petitionem honestis precibus & excusationibus repellere, iuxta admonitum Hieronymi supra citatum can. Sciatis,ea. cau. & q.

Augusti. Ambros. Sententia autoris. Gregorius Paulus. Reddere.

¶ Et per hæc patet responsio ad secundum argumentū. Obijcitur autem historia Gregorij. 1. lib. dialogorum, ubi de quadā muliere refert,quòd cùm nocte cognita fuisset uiro, & mane in processionem prodiret,à diabolo arrepta est. Et Exodi. 19. præcipiebatur, ut dū populus accepturus erat legem, uxoribus non appropinquarent: quæ quidem uidentur peccati mortalis indicia. Respondetur autem,quòd mulier illa non præcise propter coniugalem amplexum fuit castigata,sed propterea quòd ingenti temeritate & impudentia se se diuinis iniecerat. Præcepta autē uetera,quæ plurimùm erant cæremonialia, & carnis immundiciem nimiùm prohibentia, non sunt in noua lege ceu sub reatu mortali obligantia alleganda.

¶ Ad hæc uerò & consideratio loci sacri accedit,in qua maior difficultas consistit. Ob idq; subnectitur tertia conclusio. In loco sacro siue exigere siue reddere utrūque genere suo peccatum mortale est. Probatur,quia per turpem effusionem sponta neamq; seminis uiolatur locus, sitq; celebrandis sacris ineptus,quousque reconcilietur. Quapropter ciusmodi effusio sacri legium est,quod genere suo est mortale. Nomine autem loci sacri intelligitur corpus ecclesiæ consecratæ,uel benedictæ: nā in cæmeterijs,& in cameris ecclesiæ adhęrentib. & in campanilis nulla est uiolatio. ¶ Hanc autem cōclusionem Ricardus dist. præsenti art. 3. q. 1. sic moderatur,q̄ sit intelligenda quando coniuges diuturnā moram nō trahunt in ecclesia: nam si diu ibi dem cōmorentur uiolenter recluſi, videt, inquit, tūc licitum esse eis in illo loco exigere & reddere: quia nō est ponendus, ait, laqueus animabus propter immundiciem loci. Attamen profectò si propter debitū coniugale uiolatur ecclesia,ut est fatendū nescio quo modo rōne diuturnæ habitationis excusetur talis concubitus à peccato mortali. Alia ergo fortasse erit aptior moderatio, quòd quando talis concubitus est sic occultus, ut in publicum uenire non possit, tunc fortè non est coniugibus peccatum mortale. Nam ut dis. 13. q. 2. ar. 3. scripsimus, nisi de uiolatione legitimè constiterit, non est à celebratione abstinendum. Ob idq; iniuria non est adeò atrox censenda. Si tamen concubitus ille sit publicus,ad quod sufficit, ut coniuges in eodem

Sol. 2. arg. Exodi. Locus sacer quis. Limitatio. Sententia authoris. Alia limitatio.

Nota. Nuptiarū solennitas quo tpe interdicta. Ca. Capellanus. de feriis. Episcopus.

dem toro publicè accubent, profectò non excusarentur à mortali, etiam qui redderet, postquàm neuter illic habet ius petendi. Quocirca nulla de causa admittendi sunt coniuges intra corpus ecclesiæ in eodem lecto cubare, nisi in turri, uel in adiacentibus cameris, ut prædictum est. Si tamen ui tenerentur iūctim, uis fortasse eos à mortali culpa excusaret: nam esset tentatio maior, quàm ut superari posset.

¶ In calce deniq; memorandum, q̄ nō quibuscunq; anni temporibus nuptias solenniter celebrare fas est, sed aliqua sunt excepta. Enimuerò, quando nouæ traduntur sponsæ, tunc coniugum animi uehementi uoluptate tenentur: cognatiq; & necessarij immodica lætitia dissolui consueuerūt: & ideo temporibus illis, quæ sunt ad uacādum spiritualibus dedicata, nuptiarum celebratio interdicitur: nempe, ab aduentu Domini usq; ad Epiphaniam propter cōmunionem, quæ in more erat antiquitus sub natale Domini, fieri. Et à septuagesima usq; ad octauas Paschæ cā communionis paschalis. Et à triduo ante Ascensionē usq; ad octauas Pentecostes: nam & tunc sacra communio erat consueta, ut in concilio Ilerdensi statutum est can. Non oportet, & per Nicolaū, can. Nec uxorem. 33. q. 4. Nam etsi illic tres hebdomadæ ante festum natalis beati Ioannis Baptistæ fuerint designatæ, illud est, quia in illud tempus plurimùm solet festum Pentecostes incidere: quare maioris claritatis gratia, Clemens. 3. aliàs Cœlestinus. ca. Capellanus, de feriis, expressit tempus à rogationibus usq; in festum trinitatis.

¶ Super hæc tamen tempora, ut in illis nuptiæ solenniter celebrentur, quòd Papa dispensare possit, nemo ambigere potest, cùm sit de iure positiuo. An uerò episcopus id possit, dubitatur, propterea, quòd canones illi, Nec uxorem, & Capellanus, à pontificibus magnis emanarunt. At uerò quia episcopus in sua Diœcesi quantū ad hoc id quod Pontifex in toto orbe, nisi ab eodem Pontifice impediatur, facere potest, non est negandum, quin si aliqua urgens causa ingruerit, ut si aliquis pauperem puellam dotare noluerit, nisi illico nuptias cum aliquo solenniter consummet, uel alia urgentior, episcopus ualeat dispensare, ut sponsi in ecclesia inter sacra uelentur. Dummodò nec populus adsit frequens, nec aliæ consuetæ solennitates interueniant.

DISTINCTIO TRIGESIMATERTIA, De polygamia & repudio.

Textus. Cap. 1.

AT quoniam de mutua fide loquimur, quæ in uicario reddendo debito coniuges sibi inuicem debent, operepretium est de polygamia sermonem interserere, quæ apud antiquos patres in more fuisse legitur, an fuerit licita, deq; libello repudij, quod matrimonij perpetuitati obstare uidetur. Procul dubio tamen numerositas illa uxorum licita fuisse creditur, neque alio quàm honesto fine introducta. Fuerat quidem primæuum syncerumque matrimonij fœdus non nisi in coniunctione unius cum una instítutum: unam quippe uxorem de una Adę costa,nō duas de duab. Deus condidit, quæ esset ei socia. Cuius ideo diuino spiritu plenus ait, Propter hoc relinquet homo patrem

Genes. 2.

trem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Et erunt duo in carne una. Id quod ad pacificum tranquillumq; conuictũ domus maximè congruit.

Genesis.4. Quapropter Lamech, qui ante diluuiũ duas legitur sibi adsciuisse uxores, nõ tã iure, q̃ libidine allectus id fecisse censetur. Attamẽ cùm Dominus ex uastissima gentilitate unum Abraham segregauerit, cuius soboles, per exiguus populus, unum uerum Deũ coleret, ratione optima per internũ spiritũ patres illos docuit polygamiã eis ad propagandũ eundẽ populum & cultũ liceret. Tametsi Abrahã ad Agar uxoris ancillã altiori mysterio fuerit ingressus, quod Pau. ad Gala.

Cap. 4. enarrauit. Quocirca de Jacob

Cap. 38. Augustl. lib. 16. de ciuita. Dei. Ob id inquit, plures accepit uxores: quoniam eo tempore multiplicandę posteritatis causa plures uxores accipere, lex nulla prohibebat. Et contra Faustum qui negabat unquam polygamiam licuisse, ac pro inde aiebat Jacob quatuor habuisse scorta, lib. 22. Obijciuntur, inquit, Jacob pro ingenti crimine quatuor uxores. At quando mos erat, crimen non erat. Et nunc propterea crimẽ est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia cõtra mores, alia contra præcepta. Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignẽdi causa illis mulieribus utebatur. Si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc uerò cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus hoc non licet. Et li. De bono cõiugali. Tunc patres plures uxores inculpabiliter aucebant. Sicut enim sapiens & iustus qui iam concupiscit dissolui & esse cum Christo, & hoc optimo magis delectatur, non iam hic uiuendi cupiditate, sed consulendi officio sumit alimentum, ut maneat in carne, quod necessarium est propter alios: sic misceri fœminis iure nuptiarum tunc officiosum fuit sanctis uiris, non libidinosum

Cap. 47. & 49.

Cap. 15.

Et

Cap. 12. Et infra. Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, & in Ioãne, qui passus non est: sic non est impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abrahã, qui filios genuit. Nam illius cœlibatus & istius connubium pro tẽporum distributione Christo militauerunt: sed continẽtiam Ioannes in opere, Abrahã in solo habebat habitu. Melior est aũt castitas cœlibum, quàm nuptiarum: quarũ unã Abrahã habebat in usu, ambas in habitu.

Cap. 2. ¶ Ueruntamẽ quãquã unũ uirum pluribus uxoribus commisceri non sic natura uetet, quin bona causa fieri Deus permiserit, tamen eandem fœminã pluribus nubere uiris usq; adeò

Cap. 17. abhorret, ut nulla de causa fuerit unquã licitum. Unde Aug. eod. lib. de bono coniuga. Occulta, inquit, lege naturæ amant singularitatem quæ principantur: subiecta uerò nõ solum singularia singulis, sed si ratio naturalis uel socialis admittit, etiam plura uni non sine decore subduntur. Neq; enim si habet unus seruus plures dominos, quomodo plures serui unũ dominũ. Ita duobus seu pluribus maritis uiuis nullam legimus seruisse sanctarum, plures aũt fœminas uni uiro legimus cõiunctas cum gentis illius societas sinebat, et tpis ratio sua debat. Neque enim cõtra naturã nuptiarum est. Plures. n. fœminæ ab uno uiro fœtari possunt, una verò à pluribus nõ potest. Hæc est principiorum uis, ut plures fœminæ uni uiro sint, sicut multæ animæ uni Deo rectè subduntur. Ideoq; non est uerus Deus animarum nisi unus: una uerò anima per multos falsos Deos potest, non fœcundari. ¶ Ubi autem, ut Cap. 3. ait Paul. uenit plenitudo temporis, quo Christi gratia est per uniuersum orbem effusa, reducta est lex nuptiarum ad priorem honestioremq; institutionem, ut aliud nullum probetur coniugium, quàm unius cum una. Habet enim iam inde sacramenti rationem, quod de latere Christi emanauit, atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

que adeò oportet, vt significationem indiuiduæ desponsationis eius cum ecclesia integram seruet. Quapropter super hoc nulla ecclesiæ dispensatio locũ habet, vt sub tit. de spõsa duorum decretum est. Nam, ut Inno. in quodã. c. de diuortijs arguit, si dimissa vxore fornicationis gratia non licet dimittenti citra mœchiæ crimen (ut Christus admonuit) aliam ducere, longè quidem id minus alia retenta fas erit.

Cap. Gaudemus.

Cap. 4. ¶ Quod autem ad libellum repudij attinet, Ad duritiam, inquit Judæis Christus, cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere vxores uestras: ad legem nimirum alludens, quæ in Deuter. de hac re scripta erat. Eam autem legem, licèt non desint qui sic interpretentur, vt facultas illic fuerit concessa licite repudiandi uxores, tamẽ & redemptoris verbis et rationi ex natura matrimonij profectę longè est magis cõsentaneũ, legem illã nulli fecisse facultatẽ rei minùs bonæ, sed licẽtiã indulsisse rei minus malę: nempè, ut impunè id fieri sineretur ad cauendum uxoricidium, sicut nunc per meretricium cauetur adulterium. Adeò. n. est perpetuitas matrimonio suapte natura innata, ut nisi religionis gratia nunquam fuerit dissolubile. Sed ne durities cordis eorũ peiora machinaretur, minus incõmodum uiris illis indultum est. Fœminis verò, quibus nefandissimũ crimen esset uirorũ necem intentare, nequaquam permissum fuit illos repudiare. Id quod & aliud indiciũ est uiris nõ tãquã licitum fuisse permissum. Vnde lib. contra Faustum. 19. Aug. Cap. 26. Nõ, inquit, ait lex, Qui uoluerit dimittat uxorem, sed quia nolebat dimitti uxorẽ à uiro, hãc interposuit morã, ut in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset uxorem dimittere, cogitaret. Et ideo ad scribas; huiusmodi dissidij dissuasores lex mittere uoluit eum, quem iussit libellum repudij dare. Neque enim nisi ab ipsis Scribis libellus scribi

Cap. 24.

poterat. Hæc ille. Lex autem euãgelica syncerit atis matrimonij custos nullum repudium, sed solùm quo ad torum diuortium, idque duntaxat fornicationis causa permittit.

DISTINCTIONIS TRIgesimætertiæ, Quæstio I. De uxor. pluribus unius uiri.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm habere plures uxores sit iuri naturæ contrarium.

AD hanc secundã principaliũ partem, qua de nexu & usu matrimonij disputatur, rimari tãdem attinet, an liceat, licueritve, & quo iure licuerit plures habere uxores, & per repudium cõiuges separari. Quæ quidem duo distinctio præsens trigesimatertia, nobis suggerit disputanda, duabus proinde contenta quæstionib. una. s. de plurib. uxorib. atq; altera de libello repudij. Nam tertia, de uirginitate, & quarta, de concubinatu seu fornicatione, quas hic Magister sententiis commiscuit, longè sunt à re præsenti peregrinæ: pertinent enim ad materiam castitatis, quę species est temperantiæ. De quibus ideo D. Tho. 2. 2. q. 152. & subsequentibus disputauit: quare hic prætereundæ nobis sunt.

¶ Quæritur ergo primò, utrum cum pluribus simul uxoribus unum uirum matrimonia coniungere sit contra ius naturæ. Et arguitur à parte negatiua. Illud est cõtrarium iuri naturæ, quod aduersatur fini, quem sibi natura in agendo præscripsit, ut nomen ipsum per se satis ostendit: habere autem plures uxores non aduersatur fini, quem natura matrimonio contrahendo præscripsit: ergo non est contra ius naturæ. Probatur minor. Finis matrimonij potissimus est prolis generatio & educatio, ut 8. Ethico. Philosophus autor est: huic autem fini nequaquam commercium cum pluribus uxoribus aduersatur: nam ut idem philosophus. 15 de animalibus ait, mas in generatione se gerit erga fœminam ut agens circa materiam, quæ patitur: neutiquam uerò naturę agentis repugnat in plures materias, suas simul exercere uires. Imò uerò id generi multiplicando plurimum conducit: tum quòd si una fuerit inuisa, alia potest esse grata, & si una sterilis, alia erit fœcunda: tum & postquàm una concepit, poterit aliam ac subinde aliam fœcundare: nam quæ semel in utero habet, rarò alterum fœtum concipit, & rarissimè absque aborsu parit: & ideo experientia docet quod qui pluribus utuntur uxoribus, quemadmodum Saraceni, uberrimè procreant.

Partis negatiuæ argum. 1.

Probatio minoris.

Aristot.

2. Argu.

¶ Secundò. Ius naturale est, quod natura omnia animantia docuit, ut ff. de iure naturali genti. & ciuili habetur: sed natura cætera animantia non docuit, ut mas non nisi uni fœmellæ copuletur: ergo id ipsum si homo faciat, minime naturali iuri officit.

Pars affirmatiua.

¶ In contrarium est uerbum illud Domini (primum instituentis matrimonium) ore Adæ prolatum, Erunt duo in carne una.

Decisio articuli.

¶ Quæstio præsens duos potest exibere sensus. Vnus est, utrùm uxores plures uni commiscere uiro sit modo aliquo iuri naturæ contrarium: hoc est, dissonum & minùs congruens. Alter uerò, utrùm simpliciter sit contra ius: hoc est, contra præceptum naturæ, ita ut citra dispensationem nequaquam id unquam licuerit. Et quia prioris sensus pars affirmatiua nemini in dubium uenit, sed de posteriori nonnulla est opinionum controuersia, duo de hac re distinguendi sunt artic. Ad primum ergo tribus conclusionibus iuxta tres matrimonij fines respondetur. Quidpiam enim esse cõtra ius naturæ per id quod naturale est, uenit perpendendum: naturale autem est quicquid rei naturæ congruit, siue ratione generis, ut magneti, quatenus graui, conuenit deorsum cadere, & homini inquantum animali esus & potus, seu ratione speciei, ut magneti ferrum trahere,

Contra ius naturæ quid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& homini ratiocinari.

Nota distinctionē. ¶At quia de iure naturæ loquimur, nihil aliud quàm operæpretium fuerit distinctionem exponere inter inclinationem naturæ & instinctum naturæ & legem, seu ius naturæ. Inclinatio enim communis omnibus rebus est siue cognoscentibus, siue cognitione carentibus: inclinatur quippe graue (ut ferrum) ad descensum, & leue (ut ignis) ad ascensum. Instinctus autem est eadem inclinatio in rebus cognoscentibus, sed tamen intellectus & rationis expertibus: instinctus namque est impetus appetitus cognitionem sequentis.

Inclinatio naturæ.

Instinctus.

Lex siue ius naturæ Lex autem ijs propriè competit, qui intellectu uigent, ut angelis & hominibus. Et ratio discriminis est, quòd lex idem est quod regula, qua actiones diriguntur. Bruta uerò cùm non cognoscant suarum actionum finem (hirundo enim non cognoscit quo fine nidum extruat) nequeunt actiones suas in finem dirigere, atque adeò nec eorum cognitio potest dici regula aut lex ius, sed instinctus appetitum instigans quo à natura impellitur ad cibum & potum, atque ad alia, quibus animalia conseruantur. Instinctus uerò ille descendit ex lege Dei dirigentis res quascunque in suos fines. In homine uerò, quia cognoscit suarum actionum naturalem finem, in quem eas dirigit, cognitio eius practica dicitur, & est lex, seu regula iusq; naturæ.

Finis matrimonij triplex. ¶Est autem finis matrimonij triplex, sicuti & bonum eius trinum. Primarius quidem est prolis generatio & educatio, qui homini conuenit ex natura generis: nempe, tanquàm uni ex animalibus, quæ natura in hoc officium commistionem docuit maris & fœminæ, ut 8. Ethi. autor est philosophus, & loco superius citato. ff. refertur. Et bonum, quod huic fini respondet, est proles. Alius est secundarius, ut idem ibidem ait Philosophus qui est uicaria communicatio actionum & officiorū, quæ sunt, tum in officium generandi, tum toti transigendæ uitæ humanæ necessaria. Et bonum huic fini aptum est fides, qua inter se coniuges inuicem obstringūtur. Sed tertius finis congruit matrimonio quatenus sacramento: qui est significare coniunctionem Christi & ecclesiæ: nempe, assumptionem humanitatis, cuius partes nunquàm dimisit: qua utique ratione sacramentum matrimonij est indissolubile uinculum. Et huic fini adnexum est bonum sacramenti. Matrimonium ergo conuenit homini propter primum finem, quatenus animali & propter secundum inquantum homini: puta, ut est animal politicum, & propter tertium qua ratione Christianus est.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Prima conclusio. ¶His præhabitis sit prima conclusio. Cōiugia uniùs uiri simul cum uxoribus pluribus non sunt contra ius naturæ primæuum: hoc est, contra primum finem matrimonij. Conclusionem hanc argumenta superiùs obiecta satis comprobant. Ita que finis ille per congeminatas uxores neque tollitur, neque impeditur: nam potest uir unus ex pluribus uxoribus proles suscipere, susceptasq; alere & educare, & unaquæq; uxorum, suorum liberorum propriam gerere curam.

Secūda conclusio. ¶Secunda conclusio. Vxorum multitudo quodammodo est cōtra secundum finem matrimonij, quodammodo uerò non. Valde, inquam, illum impedit, sed non prorsus tollit. Probatur prior pars primùm, quia pluribus simul debitum exigentibus non posset uir illud omnibus simul persoluere: imo cùm actus ille uiri uires debilitet, & sæpè exhauriat, postquàm uni uxori satis fecisset, non euaderet satis potens, ut posset reliquis morem gerere: quare nulli ualeret satis ad uotum facere. Atque adeò (quod nouum est argumentum) matrimonium frustraretur alia sua uirtute, quæ est esse remedium contra concupiscentiam, ut per licitum usum sedetur. Potissimùm si unam præ altera diligeret, illa despecta ceu uiro orbata uiueret. Secundò, quia pax non posset inter illas uxores constare: nam omnes zelotypia uterentur, & inuidia contabescerent: neque una posset alterius filium uidere: quocirca nouercæ hac de re malè audiunt erga priuignos. His ergo de causis rixis & litibus domum implerent: nam de figulis, ait illic Philosophus, quòd quia eandem artem exercent, sæpenumero corrixantur. Documento nobis de hac re quodammodo fuere tum sanctissima Sara Gen. 21. quæ Agar ferre domi nequiuit, sed eam cum filio Ismaele domo pepulit: tum etiam & Rachel, quæ, ut legitur Gen. 30. inuidens sororī suæ liberos famulam marito suppofuit, quæ pro se pareret. Posterior nihilominus conclusionis pars ueritatem suam retinet quoniam uxores plures, si modo honestæ sint & probę, possunt uni uiro cohabitare, ut patriarcharum exemplis citatis atque alijs compertum est. Et quamuis non tanta probitate uigeant, licet ęgrè. ut cunque tamen possunt conuiuere.

Ratio primæ partis.

Tertia cō clusio. ¶Tertia conclusio. Comm ſtio unius uiri cum uxoribus pluribus apertè aduersatur tertio fini matrimonij: scilicet, sacramentali significationi, ita ut illum non modò impediat, uerum & prorsus tollat. Nam connubium Christi cum ecclesia fuit unius cum una. Neque obstat quòd ecclesia ex pluribus constet fidelibus: quia propter unam fidem & unum baptisma omnes una sponsa reputantur, iuxta illud Cātico. 6. Vna est colūba mea, perfecta mea &c. & Paulus, Despondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo. Præsertim quòd Christus unicam naturam sibi uniuit, quam unionē matrimonium Christianorum repræsentat, atque adeò eandem significationem desponsatio unius cum pluribus prorsus tollit.

Obiectio.

Dilatio.

Sol. 1. arg. ¶Primum igitur argumentum ex superioribus restat solutum. Probat nanque primam conclusionem, quam nos concedimus, nihil tamen contra secundam aut tertiam.

Solu. secūdi argum. Ius naturæ trifariam usurpatur. ¶Secundum uerò plusculum roboris habet, per distinctionem tamē diluitur. Ius quidem naturæ trifariam usurpatur. Vno enim modo ius naturæ accipitur, ut natura, quæ ex necessitate operatur, condistinguatur contra rationalem appetitum, quę operatur liberè. Quo pacto illud, qđ propriè competit homini, inquantum est homo, licèt ex naturali dictamine ei conueniat (ueluti esse politicum) non tamen dicitur de iure naturæ, sed id tātum, quod illi cum reliquis animantibus est commune, ut concubitus maris & fœminæ. Quare hoc modo nefandum crimen dicitur, & ē contra ius naturę. Et hoc pacto cōcedimus, societatem unius uiri cum plurib. uxoribus non esse contra ius naturæ, quippe quod natura generis animalium non uetat. Secundo uerò modo sumitur ius naturæ pro eo, quod ex principio naturæ unicuique speciei tanquàm ei congruens inditum est. Et hoc modo multitudo uxorum est homini cōtra ius naturæ: nam est contra modum, quem natura speciei hominis præscripsit, propterea quod fecit eum animal ciuile, atque adeò debet uxōri fidem seruare, & in pace familiam regere. Vnde & quibusdam alijs animalibus, in quibus ad educationem prolium maior conuictus exigitur, similem natura instinctum impressit, ut perdicibus & turturibus, in quibus unus uni associatur. Rursus quia Deus est principium supremum totius naturæ, id etiam quod homini à Deo in euangelio præceptum est, appellauit quoque Isidorus ius naturæ, dicens, Ius naturale est quod in lege & in euangelio continetur, ueluti refluxus maris, qui ex constellatione cælesti ei imprimitur, dicitur ei naturalis. Et hoc modo singulariter Christianis contra ius naturæ est plures uni uxores nubere: ut potequorum matrimonium est sacramentum, coniunctionem Christi & ecclesiæ demonstrans.

Ratio secūdæ partis.

Exemplū.

Secundus modus.

Posterior pars.

Tertius modus.

Ca. 1. d. 1.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm plures simul habere uxores aliquando licuerit.

Partis negatiuæ ar. 1.

AD maiorem explicationem superioris articuli quæritur, utrum connubia cum pluribus simul uxoribus fuerint aliquando licita. Et arguitur a parte negatiua. Ius naturale, ut 5. Ethico. meminit Aristoteles, semper & ubique eandem habet potentiam: sed uxorum multitudo, ut secunda conclusione superioris articuli assertum est, aduersatur iuri naturali: nempe, naturali fini matrimonij, ergo nunquàm fuit licita.

Secundum arg. ¶Secundò, quia si aliquando licuit, uel id propter dispensationē acciderat, uel quia per se erat licitum: si secundo modo: ergo & nunc liceret, quod est falsum: quod autem non licuerit per dispensationem patet: nam cùm Deus, ut Aug. ait, si naturæ conditor, nil contra rationes facit, quas naturæ inserit: cum autem naturæ humanæ ad fidem & pacem seruandam insseuerit, ut non sit nisi una unius uiri, nunquam credendus est super hoc dispensasse.

Tertium argument. ¶Tertiò arguitur. Si id duntaxat per dispensationem licuisset, nullis fuisset licitum, nisi illis præcise, cum quibus fuisset dispensatum: dispensatio autem huiusmodi nullibi in ueteri testamento legitur, sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed omnes indiscriminatim illi patres cũ pluribus uxoribus matrimonia contrahebant: ergo non per dispensationem id faciebant. Præsertim quòd si ratio illa dispensandi uera erat: nempe, ad multiplicandum diuinum cultum: cùm eadem modò permaneat ratio, licita etiam nunc eadem esset dispensatio: quod est falsum.

Quartũ argumentũ.

¶Quartò arguitur. Id quod præstantius est, non debet ei posthaberi quod minus bonum est: sed fides, quæ seruanda est in matrimonio, & significatio desponsationis Christi cum ecclesia præstantiora bona sunt quàm proles: ergo propter multiplicandas proles non debuit dispẽsari cõtra fidem & contra significationem sacramenti, quæ consistit in unitate unius cum una: nunquàm ergo talis facta fuit dispensatio. Et cum ius naturale id uetuerit, colligitur quòd non per fas, sed per nefas id faciebant.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium tamen est, q̃ Deute. 21. de cõsortio unius uiri cum pluribus uxoribus sit mentio non ceu de re illicita & prohibita, sed certè tanquàm de re licita. Si habuerit homo duas uxores, unam dilectam & alteram odiosam, & filius odiosæ fuerit primogenitus, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, eumq; filio odiosæ præferre.

Decisio articuli.

¶Quæstio præsens duas uirtute continet, unam explicitè, an uidelicet aliquãdo licuerit plures habere uxores, alteramque implicitè, utrum id solum per dispẽsationem, an uerò per se fuerit licitum. Et primum omnium ut rerum historia oculis supponatur, primus, qui duas sibi accersiuit uxores, ut Gen. 4. legitur, & nos supra distin. 27. meminimus, fuit Lamech ex linea Cain: nempe, septimus ab illo, ueluti Enoch uir iustissimus, qui ambulauit cum Deo, septimus fuit à Seth. In duobus enim illis fratribus Seth & Cain biuium diuisũ fuit duarũ ciuitatũ, Dei. s. & diaboli. Quo circa factũ illud Lamech nõ est idoneum documẽtũ, quod licitũ fuerit uni uiro plures simul ducere uxores: nã libidine potiùs credẽdus est id fecisse q̃ iure. Id quod Nicolaus Papa ca. An nõ. 24. q. 3. insinuat. Neq; uerò concubitus inebriati Loth cũ duab. filiab. Gen. 19. cẽsendus est mrimonij usus, sed incestus. Sed prima, quæ licita creditur, bigamia fuit Abrahæ, qui posthq̃ cũ Sara cõtraxerat, ut legitur Gen. 16. eius precatu ad ancillam ingressus est

Lamech primus duabus uxoribus usus est.

Congressus Loth cũ filiab.

Prima bigamia.

Cuius subinde exemplo Iacob duas primum sorores Lyam & Rachelem, singulasq; deinde earum ancillas, ut Gen. 30. refertur, sibi coniunxit. Quod quidem exemplum ad propagãdum, ut fertur, Dei populum postea multi patres sunt imitati. ¶Ad quæstionem ergo quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Polygamia: hoc est, connubia plurium simul uxorum, cum uno uiro ante legem euangelicam licita fuit: non solùm sub lege Moysi, uerùm & ante illam scriptam legem, quam quidem Abraham quadringentis annis, & Iacob trecentis antecesserunt. Conclusionem hanc non desunt qui negent, ut Abulensis super Matth. c. 19. q. 34. refert, dicentes, quòd Deus permisit uxores plures non tanquàm rem licitam, sed ut impunè fieret. sicuti illi genti permisit ab extraneis usuras suscipere, & nunc permittitur meretricum ad euitanda maiora mala. Sed hæc opinio uno ferè doctorum cõsensu meritò repudiatur. Probatur ergo nostra conclusio. Adulterium semper fuit cognitum ut graue peccatum: Abraham ergo, quem Deus ut iustissimum ex toto orbe selegit cum quo fœdus iniret uenturi Messiæ, fas non est credere eiusmodi cõmisisse scelus, sed iure ad Agar fuisse ingressum. Latuit autem in hac Abrahæ bigamia singulare inter alios patres mysterium: non. n. causa solùm, platãdi populi Dei ut reliqui, duas habuit mulieres. Imò Ismahelitæ ab Agar descendentes non prorsus ad illũ Dei populũ attinebãt. Sed causa fuit potissima, quã Pau. ad Gala. 4. enarrat, ut in duob. filijs uno de ancilla & altero de libera uetus & nouũ testamẽta designarentur. Quare nato Isaac, Ismahel cum matre sua iussu Dei expulsus fuit domo. Gen. 21. ad significandum legem uetere, posthq̃ impleta fuit, explosã tanq̃ ancillã, & euãgelicã tanq̃ liberã approbatã. Vnde cũ Agar in perpetuo usu cõiugij nõ permanserit, non defuerũt q Abrahæ crimẽ fornicationis cũ illa obijcerẽt, neutiq̃ admittẽtes fuisse eius cõiugẽ, ut Au. lib. 2. cõtra aduersariũ legis. ca. 9. refert. Neq; uerò illic diuus pater aliter ipsũ ab adulterio uẽdicat, q̃ q̃ nõ lubrico libidinis amauit ancillã, sed de uxoris cõsensu & rogatu. Vbi de matrimonio nihil meminit. Et Ambr. lib. de patriarchis, quod Gratianus can. Dixit Para. 32. q. 4. refert, uidẽtur

Prima conclusio.

Opinio quorundã.

Ratio conclusionis.

Mysterium bigamiæ Abrahæ.

Pau. ad Gala. 4.

Gen. 21.

Ambr.

tur illud appellasse adulterium. Ait enim, quòd quando Abraham ancillam cognouit, nondum adulterium interdictum uidebatur: quia fuit ante legem Moysi. Quasi diceret ob id fuisse Abraham ab adulterio immunem: quod nondum fuerat uetitum: rursum quia non ardore libidinis succensus, sed studio quærendæ posteritatis ancillæ contubernio coniugalem posthabuit torum. Vbi contubernium ancillæ minimè censere uidetur coniugalem torum. ¶At uerò sancti isti interpretes Abraham ab adulterio in primis excipiunt, ab omniq; culpa liberant. Dicendum, ergo quod id fecerit inspiratione Dei affulsus. Sed posset fortè uno modo opinari, q̃ inspiratio non fuerit, ut uero matrimonio Abraham secum ancillam copularet, sed quòd Deus, non quidem super adulterio dispensando, quia non est dispensabile, uerum tanquàm dominus totius humani generis illam mulierem Abrahæ iure fœcundandam tradiderit, ut uerbum illud Oseæ sonare uidetur, de quo inferius redibit sermo Sume tibi uxorem fornicariã & fac tibi filios fornicationis. Quapropter tanquàm non uera uxor postea diuino iussu eiecta est. Attamen non opus est hanc opinionem admittere, sed dicẽdum quòd fuit uera uxor, sicuti & Oseas credẽdus forte est cum fornicaria legitimum inijsse coniugium. Veruntamen quia Agar non fuit Abrahæ coniugata nisi per occasionem, ut à Sara substituta, ut germen uice illius ederet, & postea ratione mysterij erat mandato Dei abijcienda, sancti patres nõ appellãt illud ita plane coniugiũ. Præsertim quod cùm finis matrimonij, ut diximus, duplex sit, unus, generatio, atq; alter cõmunicatio in officijs domesticis, ad hũc secũdũ nõ fuit omnino in locũ cõiugis admissa, ut ea familiaritate & honore tractaretur ut Sara, sed semper habebatur tãquàm ancilla, & Sara tanq̃ domina. atq; eã ob cãm Iudæi conceptionẽ illam Ismahelis fornicationẽ cẽsebãt: id. n. insinuabãt dicẽtes, Nos ex fornicatione non sumus nati. Vnũ patrem habemus Deum. Quasi dicerẽt, Non sumus Ismahelitæ ab ancilla descẽdentes, sed liberi à Sara, cui Deus sobolẽ fuerat pollicitus. Vnde & Leo papa cã. Nõ oĩs. 32. q. 2. ubi ait, quòd non oĩs mulier uiro cõiũcta est uxor uiri, adducit exemplũ de Sara & Agar. Et idem

Agar uera uxor Abrahæ. Nota.

Duplex matrimonij finis.

Ioan. 8.

Oseæ. 1.

Leo Papa.

est de Iacob & suis duabus ancillis: nam cum ancillis lege nequeunt matrimonia iniri, nisi fiant liberæ. Atq; hoc pacto Ge. 25. duæ uxores Abrahæ: nempe, Agar & Cethura eius concubinæ appellantur.

¶Hinc fit (ne rursum ad hoc reuertamur, quod doctores hic de cõcubinis & de fornicatione non satis ad propositum disputant) quòd nunquàm fuit licitum habere concubinam: nam fornicatio, quia legitimo fini generationis opponitur, adeò est contra ius naturæ, ut nulla dispensatione fieri possit licita. Enimuerò nisi insolubili uinculo (quale est matrimonium) parentes copulentur, nequit commode educari proles. Quapropter sicubi inter gentes fornicatio simplex tanquàm licita permittebatur, id ex obfuscatione luminis naturalis procedebat. Hac enim de causa Iudæi scandalum accipiebant, quòd de gentilibus conuersi ceu licita utebantur fornicatione, quia ideo apostoli, ut legitur Actuum. 15. eis interdixerunt. Igitur ubicunque in sacra scriptura aliqui legũtur habuisse concubinas, ut Salomon atq; alij, uel culpandi sunt tanquàm fornicarij, ueluti Iudas cum Thamar, uel si excusentur, nomine concubinarum intelligendæ sunt mulieres, quæ cum uiris insolubili coniunctione erant coniugatæ quoad fidem torĩ ceu uxores, sed tanquàm ad secundum finem matrimonij, qui erat æqua societas maritalis nõ recipiebãtur, ut legitimæ uxores. Vnde inter ethnicos mos erat, ut licet paterfamilias plurib. uxorum nõie uteretur fœminis, nõ tñ nisi unicã haberet, quę esset materfamilias, quę ut Gellius li. 18. c. 6. autor est, nõ in mrimonium tñ, sed in familiam mariti & in sui hæredis locũ ueniret, essetq; familiæ administratrix, & quæ in mariti manu & mancipio esset. Accipiebatur enim per illam cæremoniam, ut dextris contactis uir diceret, Tu mihi materfamilias esto. Quocirca Iurisconsultus. l. Pronunciatum. ff. de uer. sig. Matrẽfamilias inquit, accipere debemus eam, quæ nõ inhoneste uixit. ¶Oseã uero, cui Deus iussit fornicariã mulierẽ accipere. D. Th. 2. 2. q. 154. art. 2. à crimine excusat, eo q̃ id uolũtate Dei fecerit. Et intelligit, ut supra diximus, q̃ Deus tãq̃ dñs illius mulieris tradidit eã illicitra mrimoniũ fœcũdãdã. Quanuis Au. & Gregor. & alibi S. Th. mollius rem exponentes

Fornicatio nunquàm licita.

Nota.

Concubinæ in sacra scriptura.

De Osea.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes aiunt,uerum cum illa matrimonium contraxisse.Et ut sermonem de Abraham concludamus,Deus ad euitandum iurgiũ inter ancillam & liberam, & Ismahelem & Isaac, & potissimum ratione mysterij abolitionis ueteris testamenti iussit Agar cum filio domo propelli,quasi dispensans super perpetuitatem matrimonij.

Patriarchę ¶Ad rem igitur ut redeamus nemo de sanctis patribus ambigit, quin iure optimo ad propagandum Dei populum & cultũ pluribus fuerint uxoribus usi. De iure autem, quo huiusmodi matrimonia defenduntur,nonnihil est controuersiæ.Sunt etenim qui arbitretur nulla opus tunc fuisse dispensatione,sed per se contubernium plurium uxorum fuisse licitum.Quam utique opinionem nihil hæsitantes tuentur Durand.d.præsenti.q.1. & Abulensis super eod.c.19.Matth.q. 30.& seq.usque ad 34. Et extant re uera argumenta non pauca,neque uero infirma,quibus opinio hæc, & si uideatur peregrina, fulciatur.

Opinio quorundã.

Durandus Abulensis.

1. Argum. pro Abul. Primum est hoc. Vxorum multitudo,ut præcedenti art.constituimus, nullatenus primo fini matrimonij obstat, neque uerò sic aduersatur secundò,ut illum tollat, sed quodam modo impedit: nihil enim ꝓpagandis educandisq; liberis obuiat, sed quietam pacem domus modo quodam perturbat:illa uerò,quæ sunt de iure naturæ tanquam prima principia, secum adferunt naturale præceptum,ut, Id non facias alijs quod tibi fieri non uis, atque adeò illa,quæ sic primis principijs sunt ꝓpinqua,ut quædam eorundem expositiones reputentur, ueluti præcepta decalogi. Attamen alia, quæ in isto ordine non collocantur,sed longius deriuantur ex eisdem primis principijs,non uidentur uim obtinere præcepti quo usque consuetudo uel lex aliqua diuina uel humana illud sã ciuerit:iuxta uerbum illud Ciceronianũ.

Cicero. Res à natura profectas & à consuetudine approbatas legum uirtus & religio sanxit.at uerò ante legem euangelicam nulla inuenitur lex plures uxores prohibens: ergo quanquàm aliquo modo esset paci conseruandæ dissonum, nulla tamen erat præceptoria prohibitio,quę dispensatione indigeret,sed sola consuetudo gentibus approbata pro ratione & necessitate temporum & indigentia propagandi humani generis potuit illud licitum facere.

Hanc rationem uidentur satis ualidè confirmare uerba,quæ in textu ex Augustino citauimus:uidelicet, quod tunc plures uxores accipere nulla lex uetabat. Et contra Faustum lib.22 c 49.(id quod Gratianus.32.q. 4.can. Obijciuntur. sub nomine Ambrosij citat) Obijciuntur, inquit, Iacob quatuor uxores, quod, quia tunc mos erat,crimẽ non erat.Et rursus,Quod pluribus fœminis utebantur, nec contra naturam hoc faciebant,cùm non lasciuiẽdi causa,sed gignendi hoc facerẽt: nec cõtra morem: quia eo tempore ea fiebant: nec contra præceptum: quia nulla lege erat prohibitum:si ergo nulla lege erat,ꝓhibitum, nulla exigebatur dispensatio. Non ergo dispensationi sed mori tribuit fuisse licitum. Augustꝰ.

Secũda ratio. ¶Deinde arguitur. Abraham non uidetur ad Agar ingressus nisi precibus uxoris uictus,quod re uera Sara non fuisset precata, nisi quia licitum per se illud censebat:non ergo ob dispensationem illam sibi secũdam adhibuit uxorem. Et idem apparet in polygamia Iacob:nam postquàm deceptus accessit ad Lyam, postmodum desponsauit sibi Rachelem, & earum rogatu adhibuit toro coniugali earundem ancillas.

3. Arg. ¶Deinde arguitur quòd nulla interfuerit dispensatio,sed solus mos lege naturæ seruatus: nam Laban,qui erat merus gentilis,Iacob cum Lya coniugato, ultro obtulit Rachelem in secundam uxorem,quem postea rogauit ne plures acciperet: quod certè non fecisset,nisi quia mos sub lege naturæ uigebat plurium uxorum.

¶Præterea arguitur.Fidei,cui uxorum numerositas derogare uidetur, eo quòd uir omnibus eam nequit ad nutum seruare, nulla fit iniuria quando posteriores adhibentur de consensu priorum, uel de consuetudine nota & recepta: sed Abraham non nisi ex consensu Saræ accepit Agar, neque Iacob nisi ex consensu sororum usus fuit ancillis, imò neque Lya creditur ad eum clam ingressa nisi de consensu Rachelis,quæ consulens pudori maioris natu illud admisit:ergo illa ratione plures accipere uxores ius naturæ non uetabat.

¶Ac demum arguit Durand. Perturbatio pacis per plures uxores non per se adnectitur matrimonio,sed accidentariè propter praua mulierum ingenia: si enim ipsæ

sæ sint suopte ingenio pacificæ & mites, nulla fiet pacis conturbatio: id autem,qđ accidentarium est,non mutat rei naturã. Et sic concludunt isti autores uxores plures per se licere.

Secunda conclusio. ¶Nihilominus statuitur secunda conclusio. Nunquàm fuit licitum uiro plures sibi simul adiungere uxores, nisi ex aliqua saltem interna inspiratione,quæ uim diuinæ dispensationis haberet.

Declaratio conclusionis. Declaratur primò conclusio. Cùm dispensatio super aliqua fieri debeat prohibitione,sit ut qualis est prohibitio, talis esse debeat dispensatio: sed ante legem euangelicam nulla fuit scripta lex aut extrinsecus posita,quæ plures simul haberi prohiberet uxores:quare non requireba tur expressa extrinsecus dispensatio: sed tamen illa prohibitio erat intrinsecus lumine naturali in mentibus hominum impressa,nisi ubi per naturæ corruptionem erat delata.

Rõ prima. Probatur,nam cùm plures uxores,ut supra probatum est, pacem domus & tranquillitatem impediant, & præsertim officium reddendi debitum,singulis,re uera natura ipsa multitudinem illã auersabatur,& respuebat, ac subinde lumen naturæ,ubi purum erat,idipsum dissuadebat:Et secundò id patet,nam procul dubio talis lex menti Adæ impressa fuit cum uiderit ex unica costa unicã sibi fuisse uxorem conditam,non geminam:quare diuinitus affulsus dixit,Erũt duo in carne una:cum ergo in Abraham & Iacob lumen naturæ non fuerit obnubilatum (ut erat in Lamech) nunquam plures sibi associassent uxores,nisi interna inspiratione aliqua diuina fuissent admoniti,ut sicut prohibitio intrinseca erat, talis esset dispensatio.

Rõ secũda

Genes.2.

Cap.Gaudemus de diuortijs. ¶Hanc eandem conclusionem asseruit Innocent.3. capitu. Gaudemus.de diuortijs dicens,Nulli unquàm licuit insimul plures uxores habere,nisi cui fuit diuina reuelatione concessum:non dicit dispensatione extrinsecus uerbo facta, sed reuelatione intrinsecus inspirata.

¶Sed dubitatur quibus facta fuerit eiusmodi reuelatio.Respondetur,quòd Abrahæ in primis & fortè duobus deinde alijs patribus filio eius & nepoti Isaac & Iacob.Vtrum uerò alijs.Scot.d.præsenti.art.2.respondet, ꝓ non nisi quibusdam eorum successoribus: puta,illis,in quibus permansurus erat cultus dei, nam illa fuit reuelationis causa.

Quare descendentes ab Ismahele & ab Esau non arbitratur Scotus dispensatione illa potuisse uti. Sed nihilominus uerò similius est cum omnibus descendentibus ab Abraham & cum omni gente illius legis Mosaycæ fuisse dispensatum,neque opus fuisse reuelatione in singulis, sed ea, quæ facta fuit Abrahæ in consuetudinem abijt,ut totus populus pro lege illam duceret.Quanuis multi uiri sancti nollent illa uti quia non tenebantur. Quare Elcana & Ioachim tametsi uxores essẽt sortiti steriles & sobolis procreandæ arderent desiderio,non tamen alias duxerunt fœcundas.

Dubium. ¶Longè tamen maior ambiguitas est,an cum gentibus fuerit dispensatum.Non desunt qui putent omnibus infidelibus cuiuscunque sortis fuisse polygamiam licitam.Sed profectò rationem nõ uideo: nam iure naturæ nemini gentium licuit:dispensatio autem, cum non fuerit facta nisi ad propagandum populum circuncisionis, non est cur ad ethnicos ampliata credatur.Et idem tenuit ante nos Palud. Quare nisi fortasse per ignorantiã inuincibilem excusarentur,illi præsertim qui commercium cum Iudæis habebant, ut eorum exemplo adducerentur, profectò crediderim nullis gentium fuisse unquàm licitam, neque eorum matrimonia fuisse solida.

Solut. autoris. ¶Et per hoc diluuntur argumenta,quæ modo pro Abulensi & Durando construebamus.Ad primum enim respondetur,quòd etsi commistio plurium uxorum cum uno uiro non fuerit illo tũc seculo expressa lege & præcepto extrinsecus interdicta:erat nihilominus per internam inspirationem sic uetita, ut nisi pro diuersis conditionibus personarum ac tẽporum atq; aliarũ circunstantiarum fuisset contrarium reuelatũ, non esset legitima:nã illa quæ sunt in hoc gradu iuris naturæ possunt uariatis humanis moribus uariari. Attamen quoniã nõ est facilè huiusmodi uarietates agnoscere & definire, necesse est ut ipse qui legem intrinsecus inspirauit,eandem subinde mentem illuminet,quãdo liceat cõtra facere: & illa impræsentiarũ dicitur dispẽsatio. Quare sola cõsuetudo nõ sufficeret culpã excusare. Et ꝗuis extrema forsã necessitas ꝓpagãdi humanũ genus,ut illico dicturi sumus,ꝓ reuelatione sufficeret,tamẽ tẽporib. Abrahæ,Iacob & aliorũ patriarcharũ rõ natu-

Solut. primi argu. Abulensis

Universidad de Deusto
Biblioteca

ralis id non docebat, quia necessitas tunc non erat nisi ad propagandum diuinum populum & cultum sub illa peculiari lege supra naturam à deo posita, ad quã ideo propagationem singularis eiusdem dei inspiratio exigebatur. ¶ Ad Aug. pariter respondetur, id solum uelle, quòd uxorum multitudo non erat tunc contra præceptũ scriptæ legis, sicut modò est in euangelio, neque contra naturam: quia id faciebant ad propagandum cultum dei: ex diuina tamen inspiratione, unde exortus fuit mos, qui crimen excusauit. ¶ Ad aliud de Sara respondetur, quòd fortè eidem facta fuit reuelatio, ut marito ingressum ad ancillam persuaderet, uel ambobus forsan, qui de re se inuicem consuluisse creduntur. ¶ Quod autem Laban duas filias uni Iacob desponsauerit, uel fuit, quia Iacob ei dixit sibi esse licitum, uel quia fortasse in lege naturæ propter luminis naturalis tenebrositatem putabant sibi licere. ¶ Aliud uerò, quòd prima uxore consentiente non fit iniuria fidei matrimonij, negatur prorsus: quia per se matrimonium requirit illam libertatem, ne uir sit impeditus per unam uxorem ad reddendum alteri, nisi ambo uotum castitatis emittant. Et pariter negatur aliud Durandi: nempe accidentariam esse perturbationem pacis matrimonijs plurium uxorũ propter corruptos mores uxorum, imò per se ex natura rei multitudo ipsa mulierum secum adfert zelotypiam & iurgia, sed accidit, si sanè mansuetæ, ut huiusmodi discordiæ non oboriantur. ¶ Et quod in lege naturæ uxorum numerositas non fuerit absq; diuina inspiratione licita, præterquàm argumentis factis confirmatur alio potissimo: nam si id tunc licuisset, profectò liceret etiam modò infidelibus: quippe, qui legibus peculiaribus euangelicis non tenentur, ut bene ad hoc propositum ait Innoc. c. citato Gaudemus, citans illud Pauli De ijs quæ foris sunt nihil ad nos: consequens tamen est falsum: nam aliàs si tamen q̃ uxores conuerterentur ad fidẽ, nullum earum matrimonium esset dirimẽdũ, quandoquidem in gentilitate fuissent legitimè contexta, quèadmodũ nõ dirimũtur eorũ matrimonia inter consanguineos: cuius cõtrariũ determinatũ est ab ecclesia eo. ca. Gaudemus. Neq; Abulensis se potest ab hoc argumento satis extricare: ait

Ad Augu.

Sol. 2. arg.

Sol. 3. arg.

Confirmatur secũda conclusio.

Innoc.

Abulensis responsio.

quippe, quòd quia lege euangelica illa iã sunt matrimonia plurium simul uxorum prohibita, facta sunt inter infideles etiam inter ethnicos illicita. Sed re uera respõsio hæc non plene satisfacit: nam, ut ibidẽ bene ait Inno. licet lex euangelica uniuersum orbem obliget, ut recipiatur, tamen illi, qui eam non receperunt, minimè canonibus tenentur ecclesiasticis, neque singularibus præceptis legis nostræ. Et ideo si lex naturalis plures uxores illis permitteret, non essent illis irrita propter legem euangelicam: sunt tamen irrita, quia dirimuntur post earum conuersionem, præter quam cum sola prima: sunt ergo iure naturæ nulla, atque adeò nunquam nisi per peculiarem inspirationem fuerunt licita. Quod si arguas. Pariter si Iudæi conuertantur ad fidem dirimuntur eorum matrimonia cum pluribus uxoribus, & tamen erant eis licita. Respondetur, non fuisse eis licita, nisi per dispensationem, quæ uti que dispensatio iam per Christum abrogata est. Cum gentilibus autem, ut nuperrimè dicebam, nunquam fuit diuinitus dispensatum. Et quanuis quis opinatus fuerit cum illis dispensatum, dicere debet, q̃ cùm illa dispensatio per euangelium prorsus cessauerit quòd tam gentes quàm Iudæi relicti sunt in iure naturæ, ut iam matrimonium illorum cum pluribus uxoribus non sit ualidum. ¶ Tertia conclusio. Iam modò post latam euangelicam legẽ nemini toto orbe licet plures uxores ducere, imò uerò qui id post primam attentaret nullum contraheret matrimonium, sed omnia præter primum sunt irrita & nulla. Probatur, quia iam inde ab orbe redempto matrimonium, ut dictum est, uim habet sacramenti, quod ex latere Christi pendentis in cruce promanauit, significãs cõiunctionẽ eius cũ una ecclesia & assumptionẽ unius humanæ naturę in unitatẽ p sonæ: quare secundũ matrimoniũ adiectũ primo, quia hãc significationẽ nõ retinet, nõ esset sacramentũ, atq; adeò nec mrimoniũ. ¶ Secũdò ad id arguitur. Matrimonia cũ plurib. uxorib. ut dictũ est, quia sunt cõtra naturã, nunq̃ fuerunt licita nisi ex dispensatione Dei ob cãm legitimã, quę nulla alia creditur, q̃ populi Dei ad eius cultũ multiplicandi: lex aũt euãgelica nõ est lata uni singulari populo, sed toti orbi: ergo illa iam causa cessauit. Quapropter Christus

Nota.

Obiectio

3. Cõclus.

Ratio.

Ratio.

Christus legem coniugij ad primæuum eius institutum & decorem reuocauit, ut nec repudiare liceret uxorem, nec plures ducere. Vnde Matth. 19. quærentibus Iudæis liceret ne uxorem dimittere, negauter respondit legem integrans orientis naturæ. Non legistis, inquit, quia qui fecit hominem à principio, masculum & fœminam fecit eos? Hoc est, unicum & unicam Et dixit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Quæ quidem uerba apertè sunt monogamiæ confirmatoria. Vnde indissolubilitatem præcipiẽs intulit, Quos Deus coniunxit homo non separet. ¶ Tertiò & ex subiunctis illico uerbis confirmatur, Dico uobis quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur: etenim (ut bene arguit in dicto cap. Gaudemus, Innoc. & non longè dissimiliter Aug. lib. 1. de adulterinis coniugijs ca. 9.) si dimissa uxore non licèt uiro aliam ducere, multò minus retenta prima alteram ducere. Sunt, ut Durandus refert, qui rationes has cauillari contendant, sed sunt eorum cauillationes friuolæ. ¶ Ex his colligitur quarta conclusio. A tempore euangelicæ legis non licet super hoc dispẽsare, ut quis possit plures simul habere uxores. Probatur quia super ius diuinum nulla, nisi per diuinam inspirationem, cadit dispensatio: nam cùm Papa non sit nisi uicarius Christi, atque adeò eius inferior, nequit super eius leges dispensare. Et confirmatur: quoniam si qua esse posset dispensandi causa, illa potissimum esset religio: dum infidelis cum pluribus uxoribus conuertitur ad fidem, ne propter difficultatem diuellendi se ab inuicem absterrerentur à fide nostra: sed tunc nullatenus dispensatur, imò separantur omnino; ergo nulla restat dispensandi causa. Et hæc est determinatio Innoc. 1. quod in 2. parte, conciliorum sic habet. Qua de re statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium, quod primitùs erat gratia diuina fundatum, cõuentumq; secundæ mulieris priore superstite, nec diuortio iectæ, nullo pacto esse legitimũ. Quod quidem decretũ sancitur li. 4. decretaliũ per totũ titulũ de sponsa duorũ. Cui adstipulatur Innoc. tertius in præallegato ca. Gaudemus, de diuortijs. Et 24. q. 3. can. An non. ubi Nicolaus di-

Matth. 19.

Ratio. 3.

Innocen.

4. Cõcluſ.

Ratio. 1.

Determinatio ecclesiæ.

Polygami infantes.

Polygami suſpecti de hæreſi.

Valentinianus.

Cõ. Quod propoſui-ſti

Solutio authoris.

stricta ultione; hoc est, excommunicatione, eum ferit, qui de facto duas habet uxores: nam cum secunda adulterium cõmittit. Et lege ciuili sunt infames, ut C. ad l. Iuliam. de adulterijs. l. Eum qui binas. & corporali supplicio afficiuntur: nempe, cauterio in frontem impresso. Imò uerò habentur tanquàm de hæresi suspecti qua si Mosaycam licentiam in hoc usurpantes & de sacramentis euangelicis perperam sentientes. Valentinianus autem senior, ut historia tripartita, li. 8. c. 11. ex Socrate refertur, legem tulit, ut cuiuis liberet duas habere uxores. Sed erat Arrianus: ¶ Contra hanc autem ueritatem militare uidetur canon ille Gregorij. Quod proposuisti 32. q. 7. ubi ait, quòd si mulier infirmitate correpta non ualuerit debitum reddere, uir poterit aliam ducere, dummodò primæ subsidij opem non subtrahat. Qui quidem canon, non est Gregorij magni, nec secundi, ut citatur à Gratiano, sed Gregorij. 3. Et ideo ibidem Gratianus non curat eũ glossare, sed ait, sacris canonibus, imò apostolicæ, euangelicæq; doctrinæ esse aduersum: quia scilicet permisit bigamiam utraq; uiuente uxore. Quare multi theologi aiunt errasse. Attamen non est sic de Pontifice Max. loquendum. Quam ob rem uel dicendum est, quòd loquebatur de sponsa de futuro, quam poterat infirmitatis gratia dimittere: uel intelligitur, ut alij dicunt, de illis neophytis, qui conuertebantur ad fidem, qui poterant in fideles uxores relinquere, ut dist. 39. declarabimus. Sed neutra solutio sufficit: quia tunc non iussisset ut opem subsidij priori conferret. Alij dicunt fuisse illam tolerantiam in illis, qui conuertebantur, ne à fide auerterentur: quemadmodum Gregorius magnus scribens Augustino Anglorum episcopo in illis neophytis plura toleranda suadet, & refertur cano. Quædam lex. 35. quæstione. 3. Sed re uera neque hoc credibile est: sed legitima solutio est, quòd loquebatur de infirmitate, quæ matrimonium dirimit, qualis est uel frigiditas, uel maleficiũ, de qua habetur ca. Cõsultationi. de frigid. & malefi. q. 1 si non põt hẽre ut uxorẽ, saltẽ habeat ut sororem. Et can. Requisisti. 33. quæstione prima, idem ait Grego. magnus nempe, quòd si cum illa impotenti quis contraxit tãquàm cũ habẽda ut socia, & alteram

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sol. 1. arg. ram pòst uoluerit ducere, alat priorem. ¶Ad primum igitur argumentum in capite quæstionis propositum respondetur, quòd licèt ius naturæ quantum est de se eandem ubique teneat uim, per accidens tamen, ut ibidem ait Phiosophus, mutatis rebus mutatur. Ob idque non tam eius, quàm rerum mutatio censenda est. Quocirca Deus per suam inspirationem ius rebus mutatis accommodat.

Solut. 2. argumen. ¶Et per hoc respondetur ad secundum. Concedimus enim non nisi per Dei dispẽsationem plures uni uiro licuisse uxores, haud tamen per illam dispensationem contra rationes fecit, quas naturæ inseuit: quia rationes illæ, quæ non sunt in primis principijs naturæ, sed in eius conclusionibus, non habent uim semper, sed in pluribus. ¶Ad tertium iam partim responsum est: nempe, quòd sicut prohibitio naturalis non erat foris scripta, sed intus menti impressa, ita neque dispensationem esse oportuit nisi per intrinsecã inspirationem. ¶Ad id autem, quod ibi tangitur, quòd si dispensatio non erat nisi interna, nemini licuit plures ducere uxores, nisi cui singulariter esset facta reuelatio: leguntur tamen in ueteri testamento plurimi indiscriminatim illas habuisse: & tamen non est credendum singulis singulas fuisse reuelationes inspiratas. Respondetur quòd postquàm primis: nempe, Abrahæ, illa facta est reuelatio, & forte Iacob, posteri uel uiua maiorum uoce, uel ipsa consuetudine edocti sunt illud fuisse licitum. Vnde tanquàm de re usu receptissima mentio illius facta legitur, ut Deuter. 21. Ne filius dilectioris uxoris primo genito odiosæ hæreditate præferatur. Et Deutero. 17. rex prohibetur ne plurimas duceret uxores, qui eius animum illicerent. Vbi Aug. sic ait. Manifestum est Salomonem hoc præceptum transisse, Dauid autem plures habuit, nec præceptum præterijt. Permissum est enim regi plures habere, non plurimas &c.

Obiectio. Deute. 21.

Deute. 17.

Ad postremam arg. particulã. ¶Ad postremam denique argumenti particulam iam responsum est, quòd cùm lex Mosayca non esset nisi in illo perexiguo Iudæorum angulo, multiplicatione populi egebat. Lex uerò euangelica uniuersò orbi lata est: quare non est amplianda per propagationem populi, sed per hoc, quod uniuersus orbis eam suscipiat: & ideo non licet modò super polygamia dispensare. ¶Sed quid si casu aliquo humanum genus ad extremam hominum raritatem deueniret, utrùm tunc ad eius multiplicationem liceret uni plures ducere, saltem utrùm posset ecclesia super hoc dispensare, ueluti de religionem professis supra quæsiuimus, an liceret eis tunc matrimonia contrahere.

Nota ex

¶Ad hoc primò respondetur, quòd nisi extrema necessitas ingruerit, hoc non licet, quoniam, ut supra diximus, nec tempore Adæ, neque uerò Noe seculo illa dispensatio legitur. Et ideo si unus uir esset superstes, haberetq; fœcundam uxorem, quæ pareret, non posset plures accipere, ut ampliorem sobolem propagaret. Nam neque si aliqui quantunuis paucissimi seculares essent superstites, liceret religiosis rei uxoriæ operam dare: quare multò minus uni plures ducere: & credo ecclesia nunquàm super hoc dispensaret. Si uerò tunc uir ille unicus uxorem haberet sterilem, aut senio confectam, tunc extrema esset necessitas ducendi aliam. Nihilominus Scotus dist. præsenti ad hoc non aliud respondet, quàm quòd tunc fortè diuina approbatio uel dispensatio specialiter ecclesiæ reuelaretur. Sed nihilominus addiderim, nulla alia opus esset reuelatione præter naturæ clamorem: & ideo tunc liceret illi aliam uxorem accipere, quæ esset fœcunda.

Scotus sponsio.

¶Ad quartum postremò respondetur secundùm D. Thom. quòd proles, ut est bonum matrimonij includit fidem Dei, in qua debet proles educari, quę quidem fides altior est fide matrimonij: & ideo ad illam amplificandam licuit cum aliquo detrimento huius dispensari. Et satis erat seruari hanc fidem inter uirum & uxores singulas. Et eodem modo respondetur de significatione desponsationis Christi: nã & hæc ordinatur ad fidei cognitionem: & idcirco licuit super significationem dispẽsare ad prolatandum cultum fidei. Adde quòd cùm tunc matrimonium non esset sacramentum, non significabat unionem Christi iam factam, sed futuram. Quapropter sicut dirimitur infidelium matrimonium dũ alter cõuertitur ad fidẽ, ita & super uxorũ numero dispensatũ fuit. Præterquàm q̃ quãuis p̃ plures uxores nõ significaretur unitas ecclesiæ, designabantur tamen

Sol. 4. arg.

Solutio. de significatione.

Alia ratio.

tamen diuersi eius gradus, qui sunt tam in ecclesia militante quàm in triumphante.

ARTICVLVS. III.

Vtrum licuerit unquam eidem mulieri pluribus simul uiris nubere.

Pars affirmatiuæ arg. 1.

APparet autem & eidem mulieri similiter licuisse pluribus simul uiris nubere, q̃ ideò hic postremò disputatur. Et arguitur à parte affirmatiua. Par est utrique cõiugum conditio & sors in coniugali commercio & fide: licuit autem uiro plures habere uxores: licuit ergo & uxori plures habere uiros.

2. Arg.

¶Secundò: Cùm mulier non seminet, eo saltem modo quo uir ex lumbis uirtuosum semen, non debilitatur eius uirtus ut uiri, atque adeò potentior est ad reddendum pluribus uiris debitum, quàm uir pluribus uxoribus: hac ergo de causa minùs naturæ contrarium apparet, ut mulier plurib. nubat, quàm ut uir plures ducat.

Pars negatiua.

¶In contrarium est, quòd nulla unquam historia proditum est unam mulierem plurib. uiris matrimonio coniunctam: quod magnum existit argumentum, naturam id p̃ tinus abominari.

Cõclusio.

¶Breuiter ad quæstionem, quæ facilis est, unica conclusione negatiua respõdetur. Sic eandem mulierem simul pluribus nubere abhorret natura, ut neque per dispensationem id unquam licuerit. Dixerim, nubere: quia apud barbaros, ut supra ex Cicerone retulimus, & Solinus in Polystore commemorat, sunt barbari ut Garamantes, qui nulla matrimonialia fœdere norunt, sed promiscuo uagoque concubitu generant. Et de quibusdam nefandis hæreticis eadem depuenda absurditas legitur. Probatur conclusio. Eandem fœminam pluribus uiris matrimonio sociari est contra finem primum matrimonij, qui est uelut primum principium: nempe, contra prolis generationem: in prima autem principia, ut supra diximus, non cadit dispensatio: quia habent necessariam rectitudinem innatam, ueluti principia in speculatiuis euidentiam: ergo id non est dispensabile. Probatur maior: quia mutidem admittit; nempe, unum paulò post

Solinus.

Cõclus.

Probatio maioris.

alium, fit generationi inepta: & hoc est quod ait Augustinus de bono coniugali capi. 17. quòd una fœmina non potest à pluribus uiris fœtari: cuius exemplo sunt meretrices: nam receptio diuersi seminis prope aliud susceptum obstaculo est, ne fiat idonea embrionis conformatio & animatio. Item: quia postquam una potest ab uno satis fœtari, alter superueniens non quidem generationis, sed libidinis causa adhiberi censeretur. Qua utique ratione fieret consequens, ut uxor plurium uirorum multò plus operæ impenderet rei uenereæ, quàm par esset & decens. Vnde Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana ca. 12. Vxorum, inquit, plurium simul uni uiro habendarum sufficiendæ prolis causa inculpabilis esset consuetudo, unam tamen fœminam maritos habere plurimos honestum non erat: non enim mulier eo est fœcundior, sed est meretricia potiùs turpitudo &c.

2. Arg.

¶Secundò præcipuè arguitur, quia id manifestè pro libus educandis aduersatur: nã ad hanc peruersitatem protinus consequeretur absurdum illud, quod Aristoteles Socratis apud Platonem politiæ obiecit de uxorum communitate: uix, inquã, possent parentes suos dignoscere liberos nisi raro per effigiem, atque adeò nullus posset ea charitate & amore suum educare natum, qua deceret. ¶Tertiò eiusmodi connubia secundarium finem matrimonij: nempe, tranquillam cohabitationem ferè tollunt: nam cùm uir sit uxoris caput potest unus plures uxores sic gubernare, ut uel non corrixentur, uel earum iurgia compescat ne ad tantam iracundiam & damna prorumpant: uirorum tamen iras non posset uxor compescere, præsertim cùm ardor amoris & zelotypię in uiris uehementior sit multò & ad procos ferendum impotentior quàm in fœminis, eo maximè momento, quo libidinis procellas percellit: quapropter non possent se mariti alterutrum ferre, sed semper taurino more dimicarent, potissimùm si præsentiscerent ab uxore alterum alteri amore posthabitum. ¶Adde quòd cùm uir multò fœdius deturpet in concubitu fœminam, quàm fœmina uirum, qua de causa sæpè numero uir abhorret fœminam à se cognitam, ut historia Ammon cum sorore Thamar testatur, usu uenireret,

Aristote.

Quartum argu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ret, ut uir uxorem ab alio cognitan facilè abominaretur, quod esset amori inter cõiuges necessario ualdè contrarium.

5. Arg. ¶Quintò, quia uxor debet esse sub uiri potestate, ut Gene. 2. iussa est: quare Aristoteles uirum ponit quasi caput œconomiæ domus. & Pau. 1. Cor. 13. & 1. ad Timoth. 2. non permittit mulierem docere aut dominari, sed præcipit auscultari uiro: si autem essent plures uiri in una domo, mõstrum existeret plura habens capita: quare nullus posset alio impediente idoneè gubernare, ac perinde uxor perplexa esset cuius documẽta deberet eligere, cuiusque mandatis, obtemperare. Nemo enim, ut ait Christus (id certè auersante natura) potest duobus dominis seruire: & tamen natura non vetat unum dominum pluribus principari. Id quod Aug. ca. 17. de bono coniugali in textu citatus latiùs edisserit. Postremo denique eadem cõfirmatur cõclusio: quia coniugia plurium uirorum cum una uxore plus longè repugnant tertio fini matrimonij: nempe, rationi sacramẽti, quàm plurium uxorum cum uno uiro: nam licèt ecclesia, ut suprà diximus, quæ se habet ut uxor, sit una per unam fidem, admittit temen plures personas & gradus, quibus plures uxores utcunque comparantur: Christus autem, qui est ut uir, nullatenus est nisi unica persona.

6. Arg.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd illa ratione: nempe, quòd in reddendo debito æquè militant cõiuges, probat Innocentius in sæpè citato cap. Gaudemus. naturam decentiamque matrimonij esse unius cum una, ut fuit in prima eius institutione, & nunc est in reformatione euangelica. Sed tamen ob causas supra relatas tolerabilior fuit dispensatio cum uiro, qui est caput uxoris, ut plures haberet ecu membra, quàm cum uxore, ut plures haberet tanquam capita.

Solu. secũ di argum. ¶Ad secundum respondetur, quòd etsi una mulier magis sufficiat pluribus uiris ad reddendum debitum, quàm è conuerso, hoc tamen solùm uergit in remedium contra ardorem cõcupiscentiæ: attamen quantum ad præcipuum finem generationis & educationis, cuius præcipuè habendus est respectus, peruersius est, ut monstratum reliquimus.

QVESTIO SECVNDA, DE libello repudij.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm perpetuitas & inseparabilitas uinculi matrimonij ita sit de iure naturæ ut nullam admittat dispensationem.

QVæstio hæc de libello repudij plus ambiguitatis inuoluit, quàm præcedens. Quã ob rem tanquam primum eorum fundamentum, quæ dicenda sunt, uidendum est, an matrimonij indissolubilitas sit de iure naturæ. Et arguitur à parte negatiua. Lex naturæ comunis est apud omnes: sed nulla lege, præterquam Christi prohibita fuit uxoris dimissio: quin imò Romanorum leges hmõi repudia non abhorrebant: ergo indiuisibilitas matrimonij non est de iure naturæ.

Partis negatiuæ.

2. Arg. ¶Secundò. Inseparabilitas conuenit matrimonio ratione sacramenti: sacramenta autem non sunt de iure naturæ: ergo neque inseparabilitas. ¶Tertiò. Primum mattimonij bonum est proles: sed quando coniux sterilis est, inseparabilitas potiùs in perniciem huius finis vergit, quàm in rem eius: esset enim tunc expedientius matrimonium dirimi: ergo inseparabilitas non est de iure naturæ. ¶In contrariũ est, quòd illud de iure naturæ optima ratione censetur, quod ipsa bene instituta in suo primæuo exordio disposuit: sed natura integra ante peccatum (docente id Christo Mtthęi. 19.) instituit cõiuges indiuiduo nodo fore perpetuò coniugatos: ait quippe, quòd in initio non fuit sic: id est, nullum admittebatur diuortium. Vnde ipse quasi naturam instaurans infert, Quos Deus cõiunxit homo nõ separet: ergo inseparabilitas est de iure naturæ.

3. Arg. Pars affirmatiua.

Arg. de dispensatione.

¶Et per hoc arguitur, quòd hoc ius nullã admittat dispensationem: nam illa, quæ sunt contra prima præcepta iuris naturæ, non sunt dispensationi subiecta: dimissio autem uxoris est contra bonum prolis, quod est primus matrimonij finis, atque adeò primum principium: nam primus finis in practicis est sicut in speculatiuis primum principium: ergo super hoc nulla cadit dispensatio.

¶Ad

Prima conclusio. ¶Ad quæstionem, eiusque duo membra, tribus conclusionibus respondetur. Prima. Indiuisibilitas matrimonij est de iure naturæ. Hanc conclusionem antea in superioribus assertam reliquimus, & ex fine matrimonij elicitam & comprobatam.

Probatur conclusio. Est enim finis primus matrimonij, ut sæpissimè dictum est, prolis non modò generatio, uerùm & nutritio & educatio, imò eodem fine admonentur coniuges prolis successioni in totam eius uitam prospicere: nempe illis thesaurizare, ut ait. 2. Cor. 12. Pau. & bona prouidere, quorum hæreditate uitam transigant: per huiusmodi nanque successionem & prouidentiam humanum genus propagatur: cùm ergo proles bonum sit utrique parentum commune, fit ut non solùm in tempus aliquod, uerùm & in totam uitam debeant esse indiui dui comites & socij. Quod & præcipuus amor, quo se inuicem coniuges prosequi debent, quos nexus matrimonij colligauit, id etiam admonet. Propter hoc enim, inquit, ore Adæ Deus, reliquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ: hoc est, nullius alterius humani temporalisque amoris causa ab hoc unquàm diuelletur. ¶Hinc sit repudium esse contra ius naturæ. Quòd si contra quis arguat, Ius naturæ est, ut supra monstrauimus, quod natura omnia animantia docuit: & tamen inter bruta non seruatur lex perpetuæ coniunctionis. Respondetur, ut illic de pluribus uxoribus respondimus, quòd licèt non sit contra ius naturæ secundùm hanc definitionem, est tamẽ contra ius naturæ hominibus peculiare. Natura enim docet, ut unaquæque species peculiarem naturam, quæ suis proprijs principijs respondet, & ingenium sequatur.

Repudium contra ius naturæ.

Obiectio.

Dilutio.

Secũda cõclusio.

¶Ex his sequitur secunda conclusio. Nullo iure humano aut gentium potest super hoc dispensari, ut matrimonium, quod fuit legitimum sit dissolubile. Probatur, quia super ius naturæ nemo præter Deũ, qui autor est institutorque ac perinde dominus iuris naturæ, facultatem habet dispensandi. Sed de hoc illico articulus secundus.

Rõ conclusionis.

Tertia cõclusio.

¶Tertia conclusio. Deus super hoc ius dispensare põt, ut matrimonium dirimatur. Conclusio est S. Th. in præsenti & Scoti & omnium. Probatio est hæc. Prima principia legis naturę, ut crebrò diximus, nulli subduntur dispensationi, sed illa, quę sunt in secundo gradu. Hoc autem loco id obiter adnotauerim quod S. Tho. in præsenti dist. aliqua opinionem communem secutus dixit, quæ postmodum emendatiùs in summa collimauit. Ait, inquam, ꝙ super prima pręcepta nonnunquam Deus dispensauit ratione alicuius mysterij: nam homicidium & fornicatio & furtum, ut cætera præcepta decalogi, sunt in illo primo ordine, & tamen dispensauit cum Abraham, ut filium occideret, & cum Osea, ut fornicario concubitu uteretur. Veruntamen. 1. 2. q. 100. art. 8. perspectius rem intuitus simpliciter asserit nullatenus huiusmodi præcepta dispensationem admittere. quia per se habent innatam rectitudinem & iustitiæ ordinem: sicut nulla potest esse super hoc dispensatio, Voluntatẽ Dei & rectitudinem iustitiæ serua. Est enim hoc tam intrinsecè bonum, quàm quòd homo sit rationalis, atq; adeò ut Deus nõ potest facere hominem irrationalem, ita neque licitum facere id, quod est contra præceptum decalogi. Et ideo quãdo Deus præcepit Abrahæ filium immolare, nõ id iussit tanquàm legislator dispensans super homicidium, sed tanquàm Dominus uitę & mortis humanæ tradens Isaac patri occidendum, sicuti quis potest tradere suum pecus. Neque cum Hebræis in Aegypto dispensauit super furtum, sed uel tanquã dominus rerum dedit eis Aegyptiorum uasa, uel tanquàm iudex adiudicauit illis illa præmia, quæ Aegyptij pro operis & laboribus sibi à Iudæis impensis eis debebant. Oseæ deniqne uel tradidit meretricem tanquàm dominus eius, qui erat etiã dominus ad illum usum, uel iussit uerum coniugium. Simpliciter ergo prima præcepta naturæ, & præcepta decalogi sunt indispensabilia.

S. Th. opinio.

S. Tho.

Abrahæ filij immolatio an ꝑ dispensationem.

De Oseæ.

¶Hoc autem de perpetuitate & indissolubilitate matrimonij magis, inquit S. Thom. inter secunda præcepta legis naturæ continetur: nam etsi quodammodo pertineat, ut explicitum est, ad primum finem matrimonij, qui est bonum prolis, non tñ simpliciter. Sunt. n. gradus: nã ius nutriendi & educandi proles simpliciter pertinet ad primum gradũ tanꝙ primũ principium: thesaurizare aũt futurę vitæ filiorum, & prouidere illis in poste-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum non pertinet ad illum finem simpliciter, sed ex quadam honestate: quia appropriatio rerum non est de prima intentione naturæ, ut pote secundùm quam omnia erant communia. Et ideo non nutrire & educare tenellam prolem per nullam dispensationem potest fieri licitum, sicut non pascere extremè indigentem. Sed tamen super hoc, quod est prouidere in posterum, potest Deus bona de causa dispensare: perpetuitas autem matrimonij per totam coniugum uitam non fundatur in nutritione & educatione: quia hoc officiũ tunc finitur dum liberi sunt adulti, ut per se sibi prouidere possint, sed fundatur in illa prouidentia, quam debent coniuges habere de hæreditate filiorum. Et ideo educata prole potest Deus bona de causa dispensare, ut matrimonium dissoluatur.

Prolis nutritio.

Abulensis.

¶Hanc rationem sequitur Abulensis quæstione. 45. super. 19. cap. Matth. & omnes ferè qui de hac re loquuntur. Crediderim tamen, quòd si Diuus Thomas suam summã, ubi res limatiùs examinabat, hucusq; protraxisset, minimè hac ratione fuisset contentus, adeò uidetur debilis & infirma. Primùm, quia certè perpetuitas matrimonij nõ fundatur in illa prouidentia hæreditatis liberorum, utpote quæ non est usqueadeò necessaria: imò possunt parentes de illis tam longis prouisionibus non esse tam soliciti, sed satis est liberos usque ad illam ætatem alere, qua ipsi per se uiuere possint & sibi consulere. Secundò, quia hac prouidentiæ ratione secluſa alimentatio & educatio puerorum usque ad adolescentiam perpetuitatem per se exposcit matrimonij: nam tota coniugum uita dicata est per se filijs procreandis: potest enim uxor quadragesimo secundo anno, & usque ad quadragesimum quintum generare, & uir etiam post septuagesimum: quare si addas uiginti annos filij, ad quam usque ætatem est educandus, profectò matrimonium per totam uitam coniugum duraturum per species. Et quanuis aliqui sint steriles uel senes, qui iam generare cessarunt, illud est accidentarium, & lex non debet ad ea quę accidunt prospicere, sed ad id, quod est per se.

Rõ prima.

Ratio secunda.

Rõ tertia.

¶Tertiò (quod ualentius est argumẽtum) Deus, si dispensare potest, ut repudium post filios educatos fiat, profectò & ante illud tempus potest: nam ipse educandis liberis alia remedia prouidere ualet, ut legitur de Ismahele: nam quãdo ejectus est cum matre à domo patris non nisi quartumdecimum annum, ut ex Gen. decimoseptimo & 21. colligitur, compleuerat: & tamen Deus illi obtulit per angelum remedium.

Rõ 3.

¶Ratio ergo huius conclusionis ex ipso D. Thom. 1. 2. loco citato hæc colligitur. Tunc dispensatio legis locum habet quãdo, si eius uerba obseruarentur, obuiaretur intentioni legislatoris: intentio autem legislatoris est primùm obseruatio boni communis, ac deinde ordo iustitiæ & uirtutis: unde quando forma ipsa uerborum legis expresè continet bonũ commune, aut ordinem iustitiæ, tunc lex illa non est dispensabilis, & talia sunt illa, Vnum colę Deum & cætera decalogi mandata. Et illa dicũtur in primo gradu iuris naturæ. Qñ uerò lex daſ de aliquo medio ad seruãdam iustitiam uel bonum commune, illud est dispensabile. Cape exempla. Hoc præceptum reipublicæ, Nullus destruat rem publicam, aut ciuitatem hostibus prodat, non recipit dispensationem in contrarium, sed hæc principis iussa. Singuli ciues statis per uices noctibus euigilent ad ciuitatis custodiã, & ad bellum procedant quæ quidem sunt media ad illum finem, possunt dispensationem tolerare. Ad propositum ergo alimentatio & educatio filiorum ætate minorum est de primo ordine iuris naturalis, quæ nullam fert dispensationem: medium autem ad illum finem est coniunctio indissolubilis parentum: & ideo potest Deus super hoc dispensare: nam potest ipse aliter alendis educandisque pueris prospicere. Et per aliam causam: nempe, ad euitanda homicidia, detrimentum illud compensare. Et est simile in uxorum multitudine. Pax & tranquillitas domus est de iure naturæ in primo gradu dispensationem abhorrens, sed tamen ius de unica uxore, quod est mediũ ad illum finem, potest alia bona de causa dispensationem admittere.

Exempl.

Educatio filiorum.

Simile.

¶Et per hoc solutum restat postremum argumentum, quod contra dispensationem legis huius supra obiectum. Ad primum igitur in initio articuli propositum respondetur, quòd quanuis hæc lex repudium uetans interna mente scriptum commune sit apud omnes gentes, non tamen per

Sol. 3. arg.

per legem humanam ab omnibus fuit sancita: quia sola lex Christi humanum genus ad perfectum adduxit, atq; ad synceritatem suarum primarum institutionum & originum reduxit.

Solu. 2. ar.

¶Ad secundum respondetur, quòd inseparabilitas licèt principaliter conueniat matrimonio ratione sacramenti, quod nõ est de iure naturæ, sed supra, nihilominus etiam ei conuenit iure naturæ ob bonum prolis, ut expositum est.

Solu. 3. ar.

¶Ad tertium respondetur, quòd ut supra diximus, lex non attendit ad id, quod accidit, sed ad id quod est per se: & ideo quanuis coniugi, quando alter est sterilis, expediret soluto matrimonio alterum accersere, nihilominus per se debet esse indissolubile.

ARTICVLVS. II.

Vtrum aliquando fuerit repudium uxoris licitum.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

Plutarchus.

3. Argu.

Vppositio iure, quod artic. præcedenti expositum est, quæritur de facto, utrùm aliquando repudium fuerit licitum. Et arguitur à parte affirmatiua. Primò. Inter Romanos, qui toto orbe sub lege naturæ laudãtur tanquam illius legis iusti custodes, permittebatur repudium: unde ut Plutarchus in uita Romuli memoriæ prodidit, ille Romæ Deus de repudio legem tulit, si uxor in ueneficio natorum, aut in adulterio deprehenderetur, aut claues adulteraret: & Cæsares iure ciuili leges quoq; sanxerunt, quomodo repudia & diuortia fierent sub titulis de diuortijs & repudijs. ff. & C. quod autem ad normam legis fit, licitè fit.

¶Secundò. Sub lege Moysi permissus fuit libellus repudij, ut Christus redemptor noster Matthæi decimo nono inter respondendum Hebræis fatetur, dicens, Moyses ad duritiem cordis uestri permisit uobis dimittere uxores uestras: permittere autem rem illicitam, quam homo prohibere potest, peccatum est illi: nam est peccato consentire. Vnde Paul. Roma. 1. Digni sunt morte non solùm quia ea faciunt sed qui consentiunt facientibus: ergo repudium res licita erat, alioqui Moyses peccasset in populi gubernatione, quod nefas est credere. ¶Tertiò. Malachiæ. 2. scribitur, Si odio habueris uxorem, dimitte eam: prophetæ autem spiritu Sancto inspirati loquebantur. 2. Pet. 1. ergo illud erat licitum.

Pars negatiua.

¶In contrarium est uerbum citatum Domini, Moyses ob duritiam cordis uestri dimittere uxores uestras permisit: duritia nanque in malum sonat, quæ ideo non excusat à culpa.

Repudium & diuortium.

¶Quanuis nomina hæc repudium & diuortium nonnunquàm promiscuè & indiscriminatim usurpentur, & Iuri consultus l. Inter stuprum. ff. de uerbo. signifi. dicat, diuortium inter uirum & uxorem fieri, repudium uerò sponsæ remitti, nihilominus impræsentiarum repudium propriè significat dissolutionem matrimonij, quoad substantiam, ut fiat transitus ad alias nuptias: diuortium uerò separationem tori quoad usum & cohabitationem. Dicitur enim diuortium, ut ait Caius liber primus. ff. eodem titul. uel a diuersitate mentium, uel quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. Tametsi hęc interpretatio & ad repudium accommodari possit.

Diuortiũ unde.

Duplex quæstio. Abulensis

¶Quæstio ergo præsens alia est sub lege naturæ, & alia sub lege Moysi. Abulensis quidem super citatum capi. decimonono. Matth. q. 47. & 48. arbitratur Romanis & reliquis gentium licitum fuisse repudium: si tamen distracto matrimonio prouideretur liberis educandis quemadmodum Romanorum leges prouidebant. Persistit nãque in illo suo principio, quo similem opinionem de pluribus uxoribus fundabat. Cùm enim tunc nullum esset scriptum præceptum diuinum aut humanum repudium prohibens, sed solà illa lex naturæ in secundo gradu mentibus impressa, minimè, inquit, tenebantur gentiles tanquàm præceptum illam obseruare quousque illud extrinsecus æderetur. Quare excluſa dispensatione poterant repudium in morem ducere.

Prima conclusio.

Ratio.

¶Nihilominus ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Sub lege naturæ nullis gentium licitum fuit repudium. Probatur: nam ut quæstione præcedenti dicebamus, contra ius naturæ etiam in secundo gradu, quanuis non fit per aliquam legem extrinsecus expressum: fas non est agere, nisi ab ipso eiusdem

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem iuris conditore intrinseca saltem reuelatione admoneatur, quando, quamque ob causam id sit faciendum, eo quod iure naturæ nec tempus, nec causæ determinatæ sunt tale ius uariandi: cùm ergo Deus gentibus nec legatur nec credatur talem dispensatoriam reuelationem inspirasse, neutiquam illis legitimũ fuit repudium, sed ex corruptione & obnubilatione naturalis luminis id, ut animo obsequerentur suo, faciebant. Nam quanuis tunc non esset tam indissolubile matrimonium, quàm sub euangelio, quia non erat sacramẽtum significans unionem Christi cum humanitate iam factam, dirimi tamen nequiuerat nisi propter nuptias spirituales: nempe, propter cõuersionem ad fidem altero coniuge cum ignominia Saluatoris in sua perfidia persistente, ut distin. 39. uidebimus.

Spurius Carbilius uxorem repudiauit.

¶Vnde Spurio Carbilio, qui quingentis uiginti tribus annis ab urbe condita uxorem, quòd sterilis esset, repudiauit, id uitio datum est, ut Aulus Gellius lib. 4. cap. 3. & Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. referunt, & Plutarchus in Thesei & Romuli collatione. Cuius utique exemplo plures alij Romani, ijdemq; leuissimis de causis, uxores ab se abdicarunt, ut idem Plutarchus in problematis Romanis autor est.

Plutarch.

Auicenna.

Et quod ait Auicenna lib. 10. Metaphysices ca. pen. uidelicet, quòd si non liceret uiro aliquando uxorem dimittere, multa damna prouenirent, non tam spiritu mentis doctus, quàm carnis illecebris subditus effutiuit. Est enim Saracenorum ingeniũ ad carnis sentinam procliue. Extat & lex. 1. ff. de diuortijs. ubi legitur, matrimoniũ diuortio, morte, captiuitate uel alia concontingente seruitute, utriusque cõiugum dirimi. Et lege. 2. ponitur forma repudij, nam forma distrahendi matrimonij erat in uiro ad uxorem, Res tuas tibi habeto, uel tibi agito, sed in discutiendis sponsalibus erat hæc, Conditione tua non utar. At leges istæ Iurisconsulti sunt Romanorum moribus imbuti.

Leg. 1. ff. de diuortijs.

Forma repudij.

Leges imperatoriæ de repudijs, D. Thom.

¶Maiorem autem scrupulum obijciunt imperatoriæ leges de repudijs. C. lib. 5. quibus non solùm uiris repudiandi uxores facultas fit, uerùm & uxoribus repudiandi uiros, quod ut D. Thom. lib. 3. contra Gentes ca. 123. ait, ius naturæ abhorret. Est enim uir mulieris caput, cuius nutu & prudentia gubernari debet, cui ideo non licet eum inuitum deserere. Et tamen aiunt imperatores Theodosius & Valentinianus. l. Consensu. Si qua mulier maritum suum adulterum aut homicidam, aut ueneficum, uel certè contra nostrum imperium aliquid molientem, uel falsitatis crimine condemnatum inuenerit &c. tunc repudij auxilio necessariam ei permittimus libertatem. Huiusmodi autem leges ius canonicum nõ admittit, sed duntaxat, secundùm euangelium, ut fornicationis causa uir diuortium: hoc est, separationem tori faciat. De quo Christianorum diuortio distinctio. 36. futurus est nobis sermo.

L. Consensu.

Ius pontificum.

¶De Iudæis autem apparentius est, repudium illis fuisse licitum: uersantur tamen de hac re opiniones duæ. Vna, quæ primo loco recitari solet negatiua: nempe, quòd non fuerit eis licitum, sed solùm impunè permissum. Itaque permissio non eos excusabat à culpa, sed liberabat à pœna. Distinguuntur nanque quatuor permissionis modi. Vnus per priuationem præcepti maioris boni: & tunc id, quod permittitur, declaratur esse minoris uirtutis, ueluti Paul. 1. Corinth. septimo. non præcipiens uirginitatem permittit matrimonium. Secundus per priuationem prohibitionis, ut si quis ad euitandum mortale in subdito permitteret ueniale: & tunc id, quod permittitur, denotatur esse minus malum. Tertius per priuationem simpliciter cohibitionis uoluntatis: sicut Deus permittit omnia mala fieri non cohibens & impediens, cùm possit. Quartus per priuationem punitionis: & tunc id, quod permittitur non excusatur à culpa, sed relinquitur impunitum, ut meretricium delictum ad cauendum adulterium. Et hoc modo, ait ista opinio, permissum fuisse hebræis libellum repudij, ad cauendum uxoricidium, sicuti & permissum eis fuit fœnerari ad usuras alienis, ne eas à suis ciuibus corraderent.

Iudæis permissum.

Permissionis quatuor modi.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

¶Secunda opinio ait, repudium fuisse permissum tanquam licitum, hoc est, tanquam minus bonum, ut in primo quatuor modorum explicuimus. Quæ quidem opinio, ait D. Thom. est probabilis, sed prima communius sustinetur. Et Ricardus articul. 3. primam etiam, inquit, communiorem & securiorem. Et eandem sequitur Nicolaus Lyranus Deuter. 24. & Matth. 19. Imò & Magister ipse sententen. Et Altisiodorensis & Bonauentura, ac subinde Theologorum plerique; Durandus uerò. q. 2. licèt fateatur primam esse magis communem, secundam tamen existimat probabiliorem, ueluti & Paludanus, & Scotus. Sed Abulensis super ca. 19. Matth. q. 49. usque adeò eandem sustinet, ut priorem dicat esse irrationabilem: atque adeo quæst. 51. eandem secundam ait indubitanter esse tenendam. Caietanus denique super uerbo Moyses permisit, Matth. 19. quendam habet singularem modũ, quem etiam tractabimus. ¶Ex his ergo secundam conclusionem negatiuam eliciamus. Repudiare uxores minimè fuit Iudæis licitum ceu minus bonum, sed fuit, quemadmodum ait prima opinio, tanquã minus malũ, ut impunè fieret, permissum. Et primùm quòd inter gentes nunquàm fuerit licitum, manifestum fit ex usu & more ecclesiæ. Nam ut Innocent. cap. sæpè citato Gaudemus, de diuortijs, probè adstruit. Qui legitimam repudiauit uxorem, licèt aliam duxerit, cogitur dum ad fidem conuertitur alijs dimissis cum illa repudiata reconciliari & permanere, si modò uoluerit conuerti: ergo per repudium nunquàm fuit inter gentes matrimonium diremptum, quia cum gentibus nullibi legitur neque uerò creditur aliquo tempore dispẽsatũ, atq; adeò repudiatio peccatum eis fuit, & secundum matrimonium nullũ. Quod quidem argumentum non æquo pede, ut de gentilibus, ita de Iudæis currit: nam & si ipsi conuersi compellantur quoque cum priori uxore, quanuis repudiata, permanere, dicere altera opinio potest, hoc accidere, ut de pluribus uxoribus diximus, eo quòd per Christum abrogata fuit dispensatio, quæ illis antea facta fuerat dissoluendi matrimonij. ¶Arguitur nihilominus de Iudæis exemplo illorũ, qui inter ipsos autoritate & sanctitate eminebant. Nemo enim eorum legitur uxorem repudiasse, nisi fortasse singulari reuelatione & iussu Dei, ut Abraham propter mysterium, ut dictum est Quanuis & dici possit Agar non fuisse prorsus repudiatã per solutionem matrimonij, sed instar diuortij quo ad usum & cohabitationem. Vnde non desunt ex Hæbreis qui dicant Abraham mortua Sara reconciliasse sibi Agar, quæ alio nomine dicitur Cethura, Genes. 25. quanuis litera non arrideat, quæ ait, Aliam duxit uxorem nomine Cethuram. Et S. Tho. censet Agar uerè repudiatam, qđ certè mysterio repudiatæ legis à Christo magis cõsentaneum est. Quare Cethura tertia uxor fuit Abrahæ, ut ex ipso textu planè colligitur, ubi habetur, quòd Abraham cuncta, quæ possederat, dedit Isaac, filijs autem concubinarum dedit munera. Appellat enim concubinas, uxores illas ratione supra relata. ¶Sed ut ad nostrã cõclusionem reuertamur, probatur secundo argumento ex uerbis Domini Matth. 19. rectè perspectis. Postquàm enim Christus ad propositam quæstionem Pharisæorum, liceret ne uxorem quacunque ex causa dimittere, neganter respondisset, syncè ramq; legem instituti matrimonij instauraslet dicens, Quos Deus coniunxit, homo non separet, ubi perpetuum nexũ matrimonij monstrauit, obiecerunt Iudæi exceptionem dicentes. Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij & dimittere? alludentes ad illud Deutero. 24. Si acceperit homo uxorem, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Tunc Christus eorum exceptionẽ tanquam non legitimam repellens, uerbum, mandauit, correxit dicens, permisit: insinuando, quòd illud nõ mandauit tanquam bonum, sed quòd permiserit tanquam minùs malum. Ob duritiam inquit, seu ad duritiam cordis uestri: hoc est, ad cõfundendã duritiam cordis uestri nõ potentium obedire legi Dei, quæ quidẽ duri ties praua erat, atq; adeò per se illa nõ excusabat illos: & ideo non erat cur Moyses morem gereret eorũ duritiei, & quasi conniuens eorum nequitiæ rẽ per se prauam licitam faceret & honestam. Idq; ex subiuncto uerbo cõfirmatur. Ab initio autem non fuit sic: quasi diceret, uera & legitima institutio matrimonij id non permittit: quare nec Moyses permisit ut licitum, sed eatenus quòd cum alijs criminum generibus sua singulis propria supplicia assignauerit, huic tamen nullam iniunxit pœnã, ne ueſtram duritiem tanto rigore coercens peioris uobis mali occasionem offeret. Itaq; Moyses dimittere quidẽ uxorem non mandauit, sed permisit. Libellum autem

Caietanus

2. Cõclu.

Innocent.

Agar quo repudiata.

Nota.

Rõ secũda

Rationis confirmatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem repudij,ut lib. 1. de sermone Domini in monte ait Aug. sub conditione, si uxor dimitteretur, dari ei mandauit, ut libera ipsa esset commigrandi(quod ipsi iure fieri putabant)ad alias nuptias. ¶Caietanus illic nescio quod nam medium comminiscitur,intellectu non facile. Ait quippe, ꝙ dimittere uxorem nec omnino erat licitum (quia permissio nō nisi malorum est) nec omnino erat mortale crimen. Primò quia permissio ponebatur per modum legis. Secundò,quia Malachias.2. quasi ore Dei ait,Si odio habueris vxorem:dimitte, Et tertiò, quia licebat dimissæ alteri uiro nubere, ut patet loco citato Deutero. 34. Hoc autem medium uix intelligitur: quia si permissio non nisi malorum est (ut ipse fatetur)profectò illud malum relinquitur in sua natura: quocirca si dimittere uxorē lege naturæ peccatum mortale erat, lex permittens nihil culpæ minuebat. Et sic ad primum in contrarium respondetur, ꝙ lex ponebatur non tanquàm excusans à culpa, sed à pœna. Et Malachias loquebatur non tanquàm præcipiens, sed alludēs ad Mosaycam legem, quam Deus approbabat tanquàm permittentem impunè fieri. An uerò dimissæ liceret alium maritum accipere art. sequenti dicetur.

Auguſt.

Caieta. opinio.

Rō prima.

Secunda.

Tertia.

Sētētia authoris.

Solu. 1. rationis.

Caietanus Ad Malachiam.

3. Argum. ¶Tertiò ad eandem conclusionem arguitur. Dispensatio iuris naturalis non est credenda autoritate Dei fieri, nisi propter aliquem honestum finem, eumq; ad religionem pertinentem: hic autem finis in repudio non reperitur: ergo nec illa dispensatio habet locum. Accipe exemplū. Quod Deus dispensaret in uxoribus pluribus ducendis ratio diuini cultus augendi admonebat. Et si fortè dispensauit cum Abraham vt Agar prorsus repudiaret, ratio id mysterij uidebatur exposcere. Quod autē Moyses autoritate Dei sic dispensaret in repudio, ut faceret illud licitum, dūtaxat, propter duritiem cordium illius gentis, & ut eorum peruersis animis obsequeretur, profectò nulla ratio suadet: esset. n. hoc potiùs eorum prauitati conniuere. Satis ergo erat, quòd permitteretur tanquam minus malum sine pœna temporali fieri: hoc enim pacto permittuntur meritricia & usuræ. Profectò si ratio perpendatur, plurimum uigoris habet. Imò nomen ipsum, permittere, si uim significationis obserues, non est nisi mali, sicut concessio est boni. Vnde super Malachiam Hieronymus, quem Magister præsenti distin. refert, permisit, inquam, repudium, non ut concederetur dissidiū, sed ut tolleretur homicidiū. ¶Et quartò arguitur, inquirendo quando dirimebatur matrimonium. Et clarum est, quòd ante libellum non erat dissolutum. Neque uerò dirimebatur per libellum, si quidem antequam dimissa transiret ad secundas nuptias licebat uiro eam sibi reconciliare sine nouo consensu denuò contrahendi: ergo necessum est dicere, quòd dirimebatur quando fiebat transitus ad aliud matrimonium: atque adeò libellus non dirimebat, sed faciebat illis potestatem dirimendi. Quod re uera minus credibile est. ¶Sed quò res liquidior fiat, quintò arguitur examinando causas, propter quas libellus repudij dabatur. Peccant enim nonnulli de hac re per ambo extrema. Quidam enim aiunt, quòd solùm dabatur propter fornicationem: alij autem quòd propter quancunque causam, etiam ob solū odiū, quo uir prosequeretur uxorem. Sed quis credat, ꝙ cordatissimus legislator Moyses licitum fecerit repudium solùm propter odium uiri, quod ex sola sua iniquitate absque alia causa prodiret? Imò uerò neque hoc ex lege, sed contrarium colligitur. Si enim solum odium sufficeret, non opus esset marito aliam causam allegare: & tamen illud oportebat, iuxta illud Deutero. 22. Si duxerit uir uxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritq; occasiones, quibus dimittat eam obijciens ei nomen pessimum: scilicet, quòd nō uirginem eam inuenisset: tollent eam pater & mater eius &c. Vide quemadmodum nō sat erat allegare odium, sed causas legitimas odij. Quod ergo ait Malachias, Si odio habueris eam, dimitte, intelligitur, si causas habueris odij legitimas, ut loco citato Deutero. 24. his uerbis explicatur, Si non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem.

4. Argum.

5. Argum.

Opinio quorundam.

Solū odium.

Malachias exponitur.

¶Vnde colligitur, quòd ut non sufficiebat odium, ita nec requirebatur fornicatio, sed aliæ causæ sufficiebant fœditatis. Id quod Christus insinuauit dicens, Ego autem dico uobis, Quòd quicunque dimiserit uxorē suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: quasi Iudæi alias causas in usu haberent dimittendi, ut ait Augustinus super Deuter. 24. Multæ enim

Nota.

Auguſt.

nim, inquit, erant in lege causæ dimittē di uxores: Christus solam fornicationem excepit: cæteras molestias iubet pro fide & castitate coniugij sustineri. Est enim uerò similimum repudium Moysen permisisse instar Romanorum & aliarum gentium, præcipuè Aegyptiorum, quorum moribus intinctos ipse Moyses inde eos eduxerat. Duritia enim cordium Iudæorum erat, nolle seruare legem naturæ, quę erat Dei instituentis matrimonium ceu indissolubile uinculum, sed contendere more gentium uxores dimittere. Gentes autem pluribus causis dimittebant: nempe, illis, quæ aliquo modo obstare matrimonio uidebantur, ut si uxor sterilis esset, aut uenenum marito aut filijs propinasset, aut si post contractum matrimonium aliquā fœditatem incurreret seu corporalem ut lepram, seu in moribus si esset fornicaria aut seditiosa, &c. ut exponuntur in lege supra allegata Consensu. C. de repudijs, quę quidem erant odij & abominationis causæ. Imò uerò tempore Christi adeò multiplicabantur repudij causæ, ut in quæstionem uerteretur, utrùm quacunque ex causa id liceret. Hanc enim quæstionem ad iudicium Christi detulerunt. Id quod relatione Iosephi lib. 4. de antiquitatibus constat, ubi ait, ab uxore copulata sibi uolens quicunque disiungi propter quascunque causas, quæ multis modis hominibus prouenire noscuntur, ex scripto, eo quòd nunquàm cum ea conueniat, compromittat. Et Abulensis quæst. 55. super. 19. cap. Matth. ex quacunque causa putat licitum fuisse repudium.

Repudium gentilium.

Iosephus.

Abulensis.

3. Argum. ¶Ex his ergo quintum argumentum conclusionis conficimus. Christus solùm approbat diuortium: hoc est, tori separationem, causa fornicationis: ergo iure naturę sola illa poterat esse legitima: nō ergo est credibile, quòd Moyses authoritate diuina tanquā licitum admitteret libellum repudij propter tam multas causas, imò (vt ait Abulensis & alij) quibuscunq; de causis, potissimùm si non necesse erat eas in iudicio probare, sed priuatim allegare: esset enim hoc iudicio & arbitrio ipsorum matrimonium subdere, ut quicunque iudicio suo priuato matrimonium absque culpa dirimeret, quod re uera fas non est credere. Hanc nostram conclusionem apertè profectò affirmare uidetur Diuus Augustinus contra Faustum lib. 19. capi. 26. in textu citatus, ubi ait, legem non dixisse, Qui uoluerit, dimittat uxorem, sed quia nolebat dimitti, interposuit moram scribendi libellum, ut ille ab illo dissidio absisteret, & quod malum esset uxorem dimittere, cognosceret. Sed & artic. proximo noua argumenta eidem conclusioni adijcientur.

Auguſt.

¶De forma autem libelli, qualis tunc esset, nihil certi scriptum habemus. Magister Sententiarum, distinctione præsenti ait, causas repudiandi oportere in illo scribi. Abulensis uerò super. 19. capit. Matth. quæstio. 57. id negat. Id tamen creditu durum est tenendo opinionem, quam ipse sequitur: nempe, quòd repudiū erat licitū. Credit enim simul neque opus fuisse causas ullo modo probari uel in iudicium deferri. Durissimum inquam, est creditu, duritiei Iudæorum Deum usqueadeò indulsisse, ut repudium eis tanquā licitum ob quascunque causas neque probatas neq; in iudicium delatas cōcesserit. Quare qui hæc omnia membra sustinere profitētur, multum sibi oneris imposuere. Secundùm tamen opinionem tenētem repudium nō fuisse licitum, liberius loqui possumus de forma libelli. Possumus enim tenere, ꝙ sine tanto strepitu fiebat discessio. Quanquam apud Romanos ratum non erat repudium nisi testibus legitimis in iudicio causæ comprobarētur. Erat enim certus causarum numerus præscriptus, ut l. Nullum. ff. de diuortijs. & l. Consensu. C. de repudijs. At uerò Moyses, si repudium non ut rem licitam permittebat, nil mirum si nec causas præscripserit necessarias, nec formam scribendi repudium, sed tantum ait, Scribet libellum repudij & dabit in manu eius: quasi non in iudicio, sed priuatim res esset transigenda. Vnde quanuis libellus nomen sit forense, quod uidetur scriptas causas crimi nis denotare, tamen cùm ille Iudæorum non daretur nisi in fauorem uxoris, credibile est non continuisse causas repudij, saltem speciatim expressas, ne mulier suam secum ipsa importaret scriptam infamiam. Et Iosephus supra citatus nō insinuat aliam libelli formam, quàm illam. Nunquā te. um cōueniam compromitto. Itaque quando crimen fornicationis aut aliud lethale obijciebatur uxori, tunc in iudicium

Forma libelli.

Romanorum repudium

Causarum certus numerus.

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudicium delata accusabatur ad ultionem, sed tamen ad repudiandum non colligitur ex scriptura quòd fieret forẽsis processus, sed cùm odio haberetur à uiro ipsa consentiebat discedere, dum modò per libellum posset constare solutam esse (ut putabant) matrimonio. Nonnulli dicunt, quòd scribebantur in genere causæ. Verbi gratia, si diceretur, quòd mores ipsius nõ erãt congruentes marito. Magister autem historiarum ait, quòd res coram sacerdotibus agebatur. Augustinus. Augustinus. uerò loco proximè citato ad Scribas ait fuisse recurrendum, qui marito repudium dissuaderent, quod si persuadere non possent, ipsi libellũ conscriberent. ¶Restat uerò ad argumenta contrariæ opinionis respondere. Ad primum ergo, quod nos obiecimus, iam satis responsum est, quòd lex illa & mos gentium repudiandi uxores ex naturalis lumi nis obfuscatione oriebatur. Vtrùm verò longa consuetudo totius gentis etiam inter illos, qui ut sapientes habebantur, posset plebem à culpa excusare, alia quæstio est: nam licèt consuetudo in principio ortum habuerit ex culpa: nempe, quia alijs peccatis obnubilatum erat rationis lumẽ, nihil uetat quominus aliquem potuerit post longum tempus excusare. Sed neque hoc certè libenter affirmauerim: quoniam genus illud repudij tam frequens speciem præ se ferebat cuiusdam concubinatus.

Sol. 1. arg. Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quòd legislator non coercens malas uoluntates subditorum si sperat posse proficere, consentire censetur: si uerò id non sperat, imò potiùs prudenter timet ex sua coertione, quòd subditi in peius malum prorumpent, tunc permittens non cõsentit, sed potiùs cauet maius malum, sicuti principes nunc meretricia permittentes. ¶Ad Malachiam autem iam responsum est, quòd illa non fuit præceptio, sed Mosayca permissio modo iam expositio. ¶Ac per id soluitur argumentum, quod Scotus nõ parui facit. Scripturam, inquit, sacram nihil falsi suspicandum est continere: cùm autem locis citatis Moyses & Malachias mandent repudium: sic syncerè audienda lex est. Respondendum, inquam id minimè mandare, sed permittere modo expositio. Imò Hieronymus Malachiam interpretans, non ait prophetam illud assertiue dixisse, sed, quasi tacitam obiectionem aliorum referendo. Cùm enim dixisset, Vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere, subiecit de repente, Cum odio habueris, dimitte, dicit dominus: hoc est, sed dices mihi, scriptum est, Cùm odio habueris, dimitte.

Ad Malachiam. Solu. argu. Scoti. Hierony.

Argumentum forte. ¶Potissimum autem argumẽtum est hoc. Lex uetus quanuis gratiam non conferret, ostendebat tamen prohibebatq; peccata, ut ad Roma. 3. ait Paul. & Esaiæ. 58. Annuncia populo meo peccata eorum: ergo Moyses autoritate Dei omnia illi populo crimina denunciauit, aliàs neglectui fuisset ab eo habitus: nunquam autem declarauit repudium esse peccatũ, imò concessit eius libellum: ergo non erat peccatum. Et confirmatur, quia obseruatio legis sufficiens erat ad uitam æternam iuxta uerbum Domini, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata: sed etiam in repudio seruabat homo mandatum: ergo erat licitum.

Confirmatio argumenti. Sol. primæ. ¶Ad primum autem respondetur negata minori. Imò lex matrimonij in Adam & Eua constituti bene intellecta iuuante lumine naturali & antiquissima sanctorum patrum consuetudine repudium satis superq; declarabat esse illicitum. Et hoc est quod Christus voluit Pharisæos docere. Sicut enim ipsi male intelligebant, quòd diligendus esset amicus, & odio habendus inimicus, & quòd occidere esset peccatũ, non tamẽ interna cordis ira, & ideo Christus sensum naturalem legis explicans ait, Ego autem dico uobis, Quicunque irascitur, &c. & Diligite inimicos uestros: ita quia malè intelligebant legem matrimonij, docuit quòd ab initio lex non permiserit dimittere uxorem nisi ob fornicationis causam, idemque per diuortium quo ad tori separationem, ut mos seruat Christianus.

Chrysost. autoritas. ¶Super omnia solet alia opinio adhibere autoritatem Chrysostomi homilia. 32. super. 19. ca. Matth. cuius uerba sunt, quòd Moyses permittendo libellum repudij à peccato abstulit culpam peccandi. Hæc tamen subobscura uerba per præcedentia & subsequentia in nostrum sensum planè explicantur. Non enim uult dicere, quòd à repudio abstulit culpam, ut maneret licitum, sed quòd ab illo, quòd erat, manifestq; peccatum, abstulit reatum pœnæ, ut non uideretur peccatum. Verba enim præcedentia hæc sunt. Permisit uobis mala facere, ne faceretis peiora. Nota, permisit

permisit mala. Et subdit, igitur hæc permittendo, non uobis iustitiam Dei demõstrauit (nempe, quanto supplicio dignum esset repudium) sed à peccato abstulit culpam peccandi (scilicet pœnam, quæ testis est culpæ.) Vt quasi secundùm legem agentibus uobis peccatum uestrum non uideatur esse peccatum. Hæc ille. Quæ quidem uerba paulò differentius refert Magister sententiarum, in fauorem nostræ opinionis, quam ipse sustinet. Ait enim quòd permissio libelli in peccatore minuit culpam: scilicet dum per repudij culpam cauit homicidium.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm dato libello repudij tam uxori quàm uiro liceret ad secundas nuptias transire.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

IN calce demum quæstionis huius quæritur, an repudiatæ uxori par ius esset sicut uiro transeundi ad secundũ matrimonium. Et arguitur à parte affirmatiua. Iniquitas nemini suffragatur: sed in repudio maior erat iniquitas repudiantis uiri, quàm repudiatæ uxoris: ego si uiro licebat aliam ducere, licebat & uxori alteri uiro nubere.

2. Argu.

Pars negatiua. ¶Secundò. Quando mos erat (ut Augustinus in primo articu. citatus ait) peccatum non erat: sed in lege illa mos erat ut uxor alij nuberet, ut ex Deuteron. 24. capit. constat: ergo licitum erat. ¶In cõtrarium est quòd in eodem cap. repudiata, quę alij nuberet, polluta nominatur, & abominabilis facta coram Deo.

Prima conclusio. ¶Hæc quæstiuncula ex superioribus decisa restat, ad quam ideo tribus conclusionibus, quæ superioribus sunt appendices, respondetur. Prima. Si repudium lex tanquam licitum permittebat, matrimoniũ, dato libello restabat solutũ: si uerò (quod monstrare conati sumus) non permittebatur tanquam licitum, nullatenus per libellum dirimebatur matrimonium. Res est clara: quia repudium erat matrimonij dissolutio: si ergo iure fiebat, uere dirimebat matrimonium: si nautem nõ fiebat licitè per dispensationem iuris naturæ dissolutio re uera non fiebat, sed attentabatur. Quare secũdùm hanc opinionem peccatum erat apud Deum repudium facere.

Secunda conclusio. ¶Secunda conclusio. Quanuis matrimonium non dissolueretur, nihilominus uir poterat aliam uxorem ducere: nam poterat tunc unus uir (ut superiori quæstione dictum est) plures simul ducere uxores.

Tertia cõclusio. ¶Tertia conclusio. Si uera esset opinio tenentium licitum fuisse repudium, consequens fieret, ut repudiata cum alio posset coniugium trãsigere. Id quod apud ethnicos iure fieri credebatur. Secũdùm tamen opinionem, quam ueram existimamus, repudiata iure diuino & naturali prohibita nequiuerat alteri adhærere uiro, quanuis per legem liceret ei id impunè facere: quoniam primum matrimonium non dirimebatur, neque mulieri fas erat plures sibi simul adiungere uiros, sed debebat uel reconciliari cum priori, uel cœlibem degere uitam, sicut modò tenentur uxores per diuortium à suis uiris semotæ. ¶Et quod hæc sit rei ueritas, super omnia argumenta facta probatur etiamnum per uerba illius legis Deuteron. 24. reconciliationem repudiatæ prohibentis. Quæ si alterum maritum duxerit, illo uel mortuo uel eam repudiante nõ poterit cum priori recõciliari: quia polluta & abominabilis facta est corã Domino: si. n. primum matrimoniũ fuisset re uera discissum, tunc secũdũ esset legitimum, atq; adeò illa non fuisset polluta neq; abominabilis: cum ergo existimata fuerit polluta, denotatur mœchatã fuisse cum secundo, atq; adeò primum matrimonium non fuisse diremptum. Ex quo patet patronos alterius opinionis non aduertisse literæ fuisse locutos dicentes, cauam, cur uir repudians uxorem prohibere tur eam sibi recõciliare, fuisse in pœnam, ne faciles essent ad repudiãdum. Est enim ficta causa, tum quòd in textu non illa assignatur, sed quia polluta erat, tum quòd si illa fuisset causa, quanuis non nuberet alteri uiro deberet etiam reconciliatio prohiberi: quod falsum est. Nam insinuatur eadem lege à contrario sensu, quòd antea quàm alij nuberet, posset cum priori uiro reconciliari. ¶Quin uerò ex uerbo subiuncto, reconciliari, nouum sumitur argumentum: denotat enim prius matrimonium non fuisse solutum: alioqui reconciliatio non haberet locum, sed contractio noui matrimonij cum eodem priori marito. Profectò lex illa loquitur de repudiata

Argumen.

Patroni alterius opinionis.

Causa ostẽditur ficta.

Aliud arg.

diata instar euangelij de illa, quæ modò per diuortium fornicationis causa separatur à uiro, quæ scilicet reconciliari suo uiro potest, & si alteri nubat, mœchatur.

Testimonio Christi. ¶Et hoc uidetur Christus insinuasse duo membra sermonis faciens: nempe, quòd non liceat uxorem dimittere, nisi una sola causa fornicationis, in quo condemnat Iudæos qui pluribus de causis id faciebãt. Et addidit, quòd q dimissam duxerit, mœchatur. Quocirca firmius irroborata restat sententia præcedentis articuli, quòd repudium inter Iudæos non fuerit plus quàm inter ethnicos licitum.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum in contrarium respõdetur, quòd quanuis maior esset iniquitas uiri repudiantis, quàm uxoris, non tamen licebat illi propter illud aliam ducere, sed quia licebat ei plures habere, quod non congruebat mulieri.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum uerò respondetur, quòd moris nomine Augustinus intelligit honestam consuetudinem, qualis erat habendi simul plures uxores. Illa nanque repudij: non erat honesta; & ideo non erat mos, sed moris peruersio.

DISTINCTIO TRIGESIMAQUARTA, De quatuor prioribus impedimentis matrimonij.

Textus. Cap. j. AD hęc, quæ de mr̃imonij substantia & usu dicta sunt, consequitur impedimentorum sermo, quibus personæ illegitimæ ad matrimonia redduntur. Hęresis nanque labe sordescerent qui ecclesiæ hanc impediendi facultatem abnegarent. Sunt ergo quædam sic contrahendo matrimonio obstantia, ut contractum non dirimant, ueluti interdictum ecclesiæ, ne clanculò aut feriato tempore fiat: alia verò, quę etiam dirimũt, ut cognatio atque id genus alia, quæ hisce carminibus designantur. Error, conditio, votum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, uis, ordo, ligamen, honestas, Si sis affinis, si fortè coire nequibis, Hæc sociandа vetant connubia, facta retractant.

Cap. 2. ¶Inter hæc caput tenet frigiditas eo, quòd à natura proficiscitur, quo utique nomine naturalis omnis impotentia coeundi denotatur. Hoc enim impedimentum, si perpetuum est: putà, si citra miraculum & periculum, ut author est Inno. humano remedio remoueri nequit, matrimonium dirimit. Quocirca si alter tunc coniux filios procreare cupit, distracto matrimonio ecclesia iudice ad alias potest conuolare nuptias. Sed qui impedimento tenetur, illis interdicitur. Si verò impedimento non obstante commanere uolunt, tũc illam, si non ut uxorem, saltem habeat,

Cap. Frequenter. de frigid. & malefic.

beat ut sororem. Id quod Grego. Rauennati episcopo respondit, & secundùm eum Lucius tertius asseruit. Ad explorandum verò impotentiæ perpetuitatem Cælestini prouidentia triennium indulsit, quo elapso secũdum Gregor. idem quoq; pontifex septima manu iuratorum testium diuortium permisit. Quòd si qui frigidus pronunciatus est, compertus fuerit aliud matrimonium cõsummasse, ad prius reuocãdus est: sentit quippe se tunc sancta ecclesia deceptam, ut idem sancti pontifices autores existunt.

Cap. quod aũt, & Requisisti. 33. q. 1. Cap. Consultationi, de frigid. & malefic. Cap. Laudabile. eo. tit. Verficu.

Cap. 3. ¶Ad frigiditatem adiungitur maleficium, quod impedimentum pariter est matrimonij, nisi quòd cum possit duos singulariter inuicẽ ligare, qui tamen ad alias personas cognoscendas sunt idonei, dissoluto matrimonio par utrique facultas fit ad aliud commigrandi. De hoc Hismarius Remensis archiepiscopus scripsit. Si per sortiarias maleficas q; artes occulto, sed nunquam iusto Dei iudicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista eueniunt, ut corde contrito Deo, & spiritu humiliato sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & per exorcismos & alia ecclesiæ munia sanari procurentur. Quòd si forte sanari non potuerint, separari valebunt. Si tamẽ pòst comperti fuerint matrimonia cum alijs consummasse, nõ subinde satis exploratum fit inter se id posse perficere, atque adeò ob solum illud iudicium, nisi aliud interceſſerit, non sunt ad prius matrimonium cogendi: secus si fortè constiterit inter se quoque cocundi potestatem habere, ut per Grego. sententiam definitum apparet.

Can. Si p sortiarias. 33. quæ. 1.

Can. Requisisti. 33q. 1. Cap. 4.

¶Neque uerò furiosi dum in amentia sunt, matrimonium contrahere valent, est enim furia quoddam erroris genus rationis usum absorbens. Vnde Fabia. neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur.

Can. Neq; furio. 32. quæst. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibidē. ca. Hi. qui.

Item Nicolaus Papa. Hi qui matrimonium sani contraxerunt, & vni ex duobus uel ambobus amentia, vel furor vel aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem talium coniugia solui non possunt.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆQUARTÆ. Quæs. 1. De impedimentis matrimonij ex defectu naturæ.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm aliqua sint matrimonij impedimenta.

Diuisio trimēbris matrimonialis tractatus.

IN tres partes distin. 26. partiti sumus hāc matrimonij disputationem. Per septem enim distinctiones egimus de causis efficientibus, quibus matrimonium, constituitur & perficitur: & in tribus subsequentibus de causis eius formali & finali: nempe, de uinculi perpetuitate, deq; eius bonis & usu ad finem generationis. Per nouem ergo hinc restantes tertia pars eiusdem disputationis extenditur, quæ est de causa eius materiali, seu de subiecto: uidelicet, de personis ad matrimonium & eius usum legitimis, siue de impedimentis, quibus il legitimę redduntur. Huiusmodi autem impedimentorum duo sunt genera, quædam enim non prorsus illegitimas reddunt personas, sed aliquo modo inidoneas. Et de istis agitur in tribus distinctionibus: putà, in hac & duabus proximis. Sed alia sunt simpliciter illegitimas reddentia, de quibus in sex consequentibus subsequitur sermo: nempe, à distinctio. 37. usque ad. 42. Quæritur ergo primo in genere, an aliqua sint matrimonij impedimenta. Et arguitur à parte negatiua. Matrimonium cæteris sacramentis adnume-

Partis negatiuæ ar. 1.

ratur: reliquis uerò non adscribuntur impedimenta: ergo nec debent matrimonio consignari; præsertim cùm sit inter reliqua in minimo perfectionis gradu: & quo res minus est perfecta, eò paucioribus impeditur. ¶ Secundò. Vbicunq; est morbus, ibi est remedium necessarium, sed concupiscentia, in cuius remediū est matrimoniū indultum, existit in omnibus: ergo nemo debet simpliciter à matrimonio arceri. 2. Arg.

¶ Tertio, coniunctio uiri & mulieris nunquàm nisi per matrimonium licita est: sed omnis illicita coniunctio dirimi potest: ergo quicquid matrimonium impedit contrahendum, dirimere debet contractum, tanquàm illecitè inuitum, atque adeò nō distinguuntur impedimenta, ut alia sint quæ impediant duntaxat matrimoniū cōtrahendum, atque alia, quæ dirimant contractum. ¶ In contrarium per alterum extremū arguitur & sint infinita impedimenta: tum quod matrimonium quoddam bonum est: boni aūt defectus, ut Dionys. 4. c. de diuinis nominibus autor est, infinitis modis accidit, ueluti ab scopo aberrare, vt ait Philosophus: tum quòd huiusmodi impedimenta sumuntur secundùm conditiones particularium personarum, quæ sunt infinitæ. ¶ Hæretici illi, qui facultatem ecclesiæ circa sacramentorum substantiā & ornatum adimunt, eam negant leges posse condere impedimētorum matrimonij, præter illas, quæ sunt de iure naturæ, ut filia non cōtrahat cum patre, uel forte cum fratre, uel quæ iure diuino sunt in Leuitico. Quare & sacerdotes, dicūt, posse matrimonia cōtrahere, & religiosos: nā alia impedimenta ueteris legis cęrimonialia erāt & iā cessarunt. Ita dogmatizāt Lutherano rum scholæ. Sed sunt in hoc, veluti in alijs plurimis planè hæretici. ¶ Ad quæstionē ergo duabus conclusionibus respondetur. Prima. Multa sunt impedimenta matrimonio obstantia, non solum quæ uel ex defectu cōsensuum, uel lege naturæ obueniūt, uerùm quæ ecclesiasticis institutis decreta sunt. Quæ quidem conclusio non tantum veluti scholastica ueritas, uerū ceu catholica, cuius contraria negatio hæretica est, asseritur. Probatur. Res uniuersæ, quæ ex causis mutabilibus & uariabilibus pēdēt, obnoxiæ sunt impedimētis, quibus uel impediunt ne fiāt, uel factę cessantur matrimonium est hmōi: ergo habet impedimenta. Pro-

Hæretici.

2. Arg.

3. Arg.

Pars affirmatiua.

1. Concl.

Probatio minoris.

ta. Probatur minor, quia maior notissima est. Matrimonium ex triplici causarum genere constat: nam quatenus est in officiū generandi, est naturæ institutum, & quatenus sacramentum, est institutum Dei, & quatenus ad coniunctum humanum attinet & Reipub. pacem, legibus humanis subditur, & omnes sunt causæ uariabiles & impedibiles: nā iure naturæ constituitur per mutuū cōsensum ad finem generationis: consensus aūt, cùm sit res humana ui & errore impediri pōt, & generatio p impotentiam coeundi significatio uerò sacramenti unionis Christi cū ecclesia impeditur per bigamiā: coniunctus autem pacificus impeditur per uxoricidia & incestus atq; alia crimina, quæ ideo ecclesia prudenter impedimenta esse uoluit matrimonij. Sed & ornamentum & ciuile decus matrimonij per hoc accedit, quod cognatione propinqui à matrimonio propellantur. Quo fit, ut de omnibus istis ecclesia possit leges prohibitorias condere. Quin uerò principes, & ciuilis respublica, si modò id ecclesia permittat, facultatem habent huiusmodi ferendi leges, quibus matrimonia cohibeantur, ut inferiùs dist. 40. & 42. latiùs monstrabitur. ¶ Et per hoc soluitur argumentum, Si contra obijciatur quòd matrimonium est uinculum diuina autoritate perfectum, iuxta uerbum illud, Quos Deus coniunxit homo non separet: diuina autem uolūtas impediri per causas nequit creatas. Respondetur, inquam, quòd Deus matrimonium non coniunxit nisi per causas supra dictas. Dicitur enim ipse coniungere, quia id facit per leges à sua æterna lege deriuatas, deq; humanis rebus disponētes, quæ quidem res per leges itidem ecclesiasticæ Reipu. quā ipse instituit, possunt impediri. ¶ Secunda conclusio. Impedimentorum matrimonij quædam sunt: quæ impediunt contrahendum, non autem dirimunt contractum: alia uerò sunt, quę & contrahendo obstāt, & contractum distrahunt. Diuisio hęc nascitur ex alia eorum partitione, quæ ad matrimonium spectant. Quædam enim sunt quæ ad eius tantum solennitatem attinent, atque alia, quæ sunt de eius essentia. Impedimenta ergo eorum, quæ sunt de solennitate, impediunt quidem contrahendum: quia illis impedimentis existentibus peccatum est matrimonium contrahere, sed contractum non dirimunt. Impedimenta uero eorum, quæ sunt de essentia, diluunt etiam contractum. Et ratio discriminis est clara: quoniam existentibus illis, quæ sunt de essentia rei, quanuis eius ornamenta desint, res nihilominus consistit, ut si adsit materia & forma, quanuis color uel aliud accidens defuerit, res seruatur. Attamen ubi id, quod est de essentia, deest, res ipsa perimitur. Exemplum etiam est in alijs sacramentis: nam sine exorcismis, catechismis uel alijs cæremonijs, si fiat baptizatio in aqua cum legitima forma, erit uerus baptismus. Quòd si arguas. Perpetuitas indissolubilitasq; matrimonij est usqueadeo ei propria, ut sit de eius diffinitione: quod autem est de diffinitione rei, est ab ipsa inseparabile: nulla ergo sunt impedimenta, quæ dirimant contractum. Respondetur, sensum non esse, quòd dirimant coniugium illud, quod legitime fuit compactum & semel ualuit, sed quòd si sit de facto attentatum, erit irritum & cassum. Qui enim clam contrahunt, peccant quidem, sed factum tenet. Cognati uero intra quartum gradum & peccant attentando, & nihil faciunt. Quare hæc impedimēta non propriè dirimūt: quia nullum unquam fuit matrimonium, sed dicuntur dirimere ad differentiam aliorum. quoniam qui de facto sic contraxerunt, iure sunt separandi. ¶ Impedimenta primi generis sunt tantum duo: scilicet uetatio ecclesiæ, & tempus feriatum: his carminibus contenta. Ecclesiæ uetitum, nec non tempus feriatum Impediunt fieri, permittunt facta teneri. Vetatio seu prohibitio ecclesiæ est, ne clanculo matrimonium fiat. De quo quidem impedimento distinct. 28. dictum est, ubi declarauimus matrimonium clam contrahere esse peccatum mortale: hoc est, si sine testibus fiat quibus publicè constare possit, fortasse autem sine bannis non semper est mortale. De alio uero impedimento feriarum: nempe, de temporibus, quibus nuptiæ solenniter fieri prohibentur, diximus dist. 32.

Ratio discriminis.

Obiectio.

Solutio.

Impedimēta circa solennitatē.

Tempus feriatum.

¶ Impedimenta dirimentia sunt duodecim, de quibus sigillatim agēdū est, his q; uersibus continentur, Error, conditio, uotum, cognatio, crimen, Cultus disparitas, Versiculi. uis, ordo, ligamen, honestas, Si sis affinis, si forte coire nequibis. Hæc socianda uetant connubia, facta retractant. Potest ete

Obiectio.

Dilutio.

Secunda conclusio.

Duo impedimentorum genera.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Impedimẽta matrimonij unde possint oriri.

nim matrimonium impediri aut ex parte ipsius contractus, qui per spontaneum mutuumque consensum compingitur: & quia uoluntarium per uiolentiam, ac per ignorantiam erroremq; tollitur, hæc duo prima sunt coniugij impedimenta. Sed quia causam formalem attingunt, non ad hunc locum, sed ad superiora; quibus de causis efficientibus matrimonium agebatur, spectant. Et ideo de uiolentia distinction. 29. & de errore distinction. 30. dissertum est.

Ex parte personarũ.

¶ Ex parte uerò personarum, quarum legitimam idoneitatem impræsentiarum tractamus, bifariam accidunt impedimenta. Sunt enim quæ simpliciter impediunt, ut persona nullatenus possit matrimoniũ contrahere. Alia uerò impediunt non simpliciter, sed respectu alterius certæ personæ. Illa autem prioris generis sunt, quæ fini matrimonij obstant, seu generationis tantum, seu generationis & cohabitationis. Et sunt numero quatuor. Aut enim facto obstat, ut nullo modo fiat, ut impotentia coeundi, aut quia libertatem aufert ne liberè fiat, ut seruitutis conditio: aut iure priuat ne licitè fiat, idque siue ratione officij, ut ordo, siue ratione uoti, ut castitatis uotum. Illorum uerò impedimentorum quæ non simpliciter, sed respectu alicuius personæ obstantia sunt, aliquod impedit propter obligationem ad alteram personam, & illud est ligamen prioris matrimonij, ratione cuius fieri nequit alterius cõtractio, uel quia proportio deficit: quæ triplex esse potest. aut enim est nimia distãtia, & sic est disparitas cultus: nequit enim fidelis cum infideli cõtrahere. Aut nimia propinquitas, ex qua nascitur triplex impedimentum: scilicet, cognatio cõsanguinitatis, quę est propinquitas duarum personarum ratione tertiæ sanguine eis coniunctæ, & affinitas, quæ est propinquitas duarum personarum ratione tertiæ matrimonio coniunctæ: & publica honestas, quæ est propinquitas duarum personarũ ratione tertiæ per sponsalia coniunctæ. Aut tertio deest proportio propter eandem personarum indebitam coniunctionem prius factam. Quod est impedimentum criminis: scilicet, adulterij. Nequit enim quis cum ea contrahere, cum qua adulterium commiserat. Cui adiungitur & alterum crimen uxoricidij: occisor nanq; uxoris irregularis sit ad alterum matrimonium contrahendum.

Cultus.

Cõsanguinitas.

Affinitas.

Publica honestas.

Crimẽ adulterij.

Crimẽ uxoricidij.

¶ His appenditur alia personarum distinctio ex superioribus collecta. Quædam enim sunt ad matrimonium contrahendum planè legitimæ: nempe, quibus neque uotum obuiat continentiæ, neque sacer ordo, neq; quod piam aliorum impedimentorum. Quædã uerò penitùs illegitimæ, ut putà quibus uel uotũ obstat, uel ordo, uel aliud quodpiam huiusmodi impedimentum. Sed quædam sunt neque plenè legitimæ, neq; omnino illegitimæ, sed mediæ, ut frigidi & serui, qui quibusdam accidentibus causis commanere possunt, & eisdem deficientibus sunt separandi, ut suis propriis locis uidebitur. ¶ Ad primùm igitur argumentum respondetur, quòd etiam alijs sacramentis commune est, ut impediri possint si quid de eorum essentia aut solennitate subtrahatur. Adscribuntur tamen matrimonio peculiariùs impedimenta: primo, quia in duabus personis tanquàm in subiecto sacramentum hoc consistit, cætera uerò non nisi in una: quod autem ex pluribus pendet faciliùs impeditur. Secundò quia matrimonium pendet ex humanis causis & contractibus: quare & pœnitentia est impedibile sacramentum, sed non tantum quantum hoc. Tertiò, quia cætera propter suam perfectionem sunt de præcepto aut consilio: hoc autem fundatur in indulgentia tanquam minùs bonum: quare per tot impedimenta offertur occasio ascendendi ad perfectiorem statum cõtinentiæ. ¶ Secundum autem argumentũ procederet, si non essent alia remedia, quibus posset efficacius & decentius morbo concupiscentiæ succurri. ¶ Ad tertium respondetur, quòd non omnis contractus illicitè factus est dirimendus, sed ille, cui deest aliquid de substantia. Impedimenta uerò, quæ non dirimunt, non impediunt prorsus ne fiat, sed ne absque tali solennitate fiat. Et ideo licet faciant matrimonium culpabile, non tamen nullum: ueluti si quis post secularem cibum sumptum consecraret. ¶ Ad aliud, quod in contrarium de infinitis impedimentis obiectum est, respondetur, quòd ea, quæ per accidens bonum aliquod impediunt, sunt infinita, sed quæ illud corrumpunt, sunt determinati numeri, ut patet in naturalibus, ubi ut causę constituentes sunt finitæ ita & earum contrariæ corrumpentes. Et quanuis

Votum.

Sacer ordo.

Frigidi. Serui.

Sol. 1.

Ratio 1.

Ratio 2.

Solutio 1.

Solutio 2.

Solutio 3.

Solutio 4. obiectionis.

quanuis indiuiduæ conditiones personarum in speciali sint infinitæ, sicut ipsæ in infinitum multiplicari possunt: tamen in generali possunt ad certum numerum reduci, ut in præceptis artium est inspicere.

ARTICVLVS II.

Vtrùm frigiditas matrimonium cõtrahendum impediat, & contractum dirimat.

SVBSEQVITVR ut sigillatim de huiusmodi impedimentis dicamus, ab impedimento frigiditatis exordientes. Igitur quod frigiditas nullum sit matrimonij impedimentum, arguitur primò. Nullum est impedimentum, saltem dirimens, nisi quod substantiæ matrimonij obstat: frigiditas autẽ non est huiusmodi: quoniam coitus nõ est de essentia, ut superiùs ostensum est, & matrimonium uirginis cum Ioseph declarauit: ergo non est impedimentum. ¶ Secundò. Nonnunquàm redundans caliditas uirtutem exiccat seminandi, & potentiã adimit coeundi: imò & ætas seu puerilis seu senilis uirtute coeundi non uigent. Quin uerò & instrumentorum naturalium inepta dispositio in utroque sexu obstare potest ne coitus idoneè fiat: ergo non est cur potiùs frigiditas, quàm alia quæuis qualitas inter impedimenta, connumeretur. ¶ Tertiò. Si mulier antequàm nubat conscia fit frigiditatis uiri, & nihilominus in matrimonium consentiat, non dirimitur: ergo frigiditas non est sufficiens impedimentum. ¶ In contrarium est decretum Innocẽtij. 3. in ca. Quod sedem, de frigid. & malefi. Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio: sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur. ¶ Quoniam quæ à natura dimanant priora sunt, quàm quæ ab arte uel ab humana lege constituuntur, sermo impedimentorũ naturaliũ antecedere debet. Hęc aũt generali noïe dicuntur impotẽtia coeundi. Ar quia hæc impotẽtia uel naturalis esse põt, uel ab arte, ad explicandas ambas species inscriptus fuit speciatim titulus de frigidis & maleficiatis. Atque adeò noïe frigiditatis oĩs impotentia, quæ à natura cõpetit, cõprehenditur. Frigiditas, inquã, non accidẽtaria, quæ transit, sed cõplexionis naturalis. Etenim cum uis caloris naturalis sit, quæ semen satis ad egestionem digerit, nomen frigiditatis obtinuit, ut oẽs impotentias naturales coeundi significaret. Quapropter frigiditas mulieris, quia non se habet nisi ut patiẽs & recipiens, matrimonio non obstat. Nota tñ impotentiã coeundi, non aũt generandi, sunt. n. diuersæ. Potentia siquidẽ coeundi est potẽtia seminandi in uase idoneo, per hoc. n. efficiuntur cõiuges una caro, quæ quidẽ esse põt sine generãdi uigore. Põt. n. seminatio effectu generationis frustrari tã ex parte uiri, q̃ ex parte fœminæ. Impotẽtia uero generandi appellatur sterilitas: & hæc nequaq̃ est impedimẽtũ matrimonij, sed impotẽtia coeundi. Et ratio est, qm̃ cõsummatio matrimonij consistit in cõmistione sexuũ, quæ per eiusmodi seminationẽ celebratur. Quocirca quãuis masculo instrumentũ erigatur, & fœmineũ reseret, si tñ impotẽs sit seminare, frigidus cẽsetur. Imò uerò licèt quis potẽs esse seminare, tñ præpropere, ita ut non posset uas idoneũ expectare, sed foris semẽ fundere, ut frigidus haberetur. Quãquã hoc q̃ rarissimè accidat, ut sit impedimentũ perpetuũ, quia facile vr̃ remedium per artẽ medicam adhiberi posse. Nisi forsan potẽs sit semen effundere, sed non erigere, quod accidere sæpe solet tã in senibus, q̃ in debilibus alijs. Præterq̃ q̃ inepta corporis habitudo congressum impedire põt ad legitimè seminandũ. ¶ Quod si arguas. Cũ proles sit finis matrimonij, appareret nõ tñ frigiditatẽ, uerũ & sterilitatem impedimentũ esse. Respõdetur, steriliter seminãtes posse cõtrahere, si nõ in officiũ naturæ, saltẽ in remediũ cõcupiscentiæ, ut de uetulis ait impræsentiarũ D. Th. ¶ Hęc aũt coitus impotẽtia uel est naturalis, uel accidẽtalis. Accidẽtalis quidẽ uel per abscissionẽ viriliũ, uel p̃ maleficiũ. Illa aũt, quæ per abscissionẽ accidit, quãuis à naturali quodã pacto differat, ut uidebimus, tñ ad naturalẽ reducitur orbitatẽ, & noïe frigiditatis quodã modo continetur. Est igitur impotentia naturalis triplex. s. uel ratione ætatis, uel ratione priuationis inepti uel dispositionis mẽbrorũ, uel ratione alius qualitatis idoneã seminationẽ impedientis. ¶ Sed hæc impedimẽta multiplicis generis esse possunt. Alia quippe sunt perpetua: putà, quæ omni remedio medicę artis sunt destituta: alia uerò, quibus per ar-

Partis negatiuæ argum. 1.

2. Arg.

3. Arg.

Partis affirmatiuæ.

Decisio artic.

Impotẽtia coeundi duplex.

Frigiditatis nomine quid intelligatur.

Impotẽtia coeundi & generandi diuersæ.

Impotẽtia generãdi.

Obiectio.

Impotẽtia duplex.

Impotẽtia naturalis triplex.

Varia impedimẽta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem subueniri poteſt: atq; alia, quæ adulta ætas tollit: ac demum alia, quæ non ſunt ſimpliciter reſpectu oĩm, ſed aliquarũ perſonarum. Pŏt.n. quiſpiam eſſe aptus ad cõueniendũ cũ corrupta', & ineptus ad uirginem, & ualidus ad congrediendũ cum pulchra, & non cũ deformi. ¶His ergo præiactis ad quæſtionẽ quatuor concluſionibus reſpondetur. Prima generalis ſit, Impotentia naturalis coeundi perpetua ſuapte natura impedit matrimonium cõtrahendũ, & dirimit cõtractũ, ad ſenſum ſupra expoſitũ: nõ.n. dirimit id, qđ legitimũ fuit, ſed declarat nõ fuiſſe legitimũ. Probatur. Cõtractus matrimonij in hoc conſiſtit, ꝙ alterutrũ ſe coniuges obligẽt debitũ ſibi ſoluere, iuxta illud. 1. Co. 7. Mulier nõ habet poteſtatẽ corporis ſui, ſed uir &c. nemo autem ſe ad impoſſibile obligare ualet: ergo frigiditas: hoc eſt, talis impotentia coeundi impedit matrimoniũ. Ex quo fit hoc impedimentũ ex iure naturæ ortũ trahere: nempe, per naturalem defectum. Dixerim impotentia naturalis, ad differentiã maleficij, de quo art. ſeq. dicturi ſumus, & ad differentiã impotentiæ legalis, ut eſt cognatio: cuius ratio, ut illico patebit, aliquatenus diuerſa eſt. Et adiecimus, perpetua, qñ ſi ſit temporalis: putà, cui uel per ætatem uel artẽ aliquã mederi pŏt, non impedit. Quare impotentia pueri ſolũ impedit uſq; ad quartũ decimũ annũ, ut diſ. 35. relaturi ſumus. Et dũ frigiditati uiri per aliqua medicamina ſuccurri pŏt, aut clauſtrũ fœmineum qđ naturaliter à uiro rumpi nequit, aliqua arte pŏt pandi, nõ eſt impedimentũ. ¶Quãuis qui cũ hmõi impedimentis, donec ſublata ſint, contrahunt, delictũ cõmittant. ¶Quapropter adhibetur hic ſecunda cõcluſio. Quãdo lis de frigiditate cõteſtatur, aut de alia hmõi impotentia, ſi illa poteſt legitima uia iuris probari; illicò dirimendum eſt matrimoniũ. Vt ſi uir per teſtes legitimos probaret, antequàm matrimonium cõtraheret uirilibus caruiſſe, uel non habuiſſe ætatẽ legitimã, nec poſtea ea completa conſenſiſſe, uel ſi mulier matronarum iudicio mõſtraret ſie eſſe clauſam, ut nequeat ulla arte penetrari. Si uerò impedimentũ hac uia conſtare non poſſit, expectãdum eſt triennium, in quo bona fide operam nauare debent conſummando matrimonio, quo elapſo ſi cõſtiterit congredi non potuiſſe, tunc ſi cohabitare noluerint, quia q idoneus eſt matrimonio dicit ſe filios uelle procreare, ſeparandi ſunt. Si aũt cohabitare conſenſerint, perdurare poſſunt in eadem domo; ut uir fœminã, ſi non ut uxorẽ, ſaltem habeat ut ſororẽ. Decretũ eſt Cæleſtini. 3. ca. Laudabilem. de frigid. & malefic. iuxta ſanctionem Greg. can. Quod aũt. 33. q. 1. Et ideo diximus in prima cõcluſione hãc impotentiã ſuapte natura dirimere, ut exciperemus ſpõtaneũ utriuſq; conſenſum, qui efficere poteſt, ut non dirimat. Quare hoc non eſt impedimentum neceſſariũ, ut cognatio intra quartũ gradum, ſed uolutarium, modo inferius explicando. ¶Rogas aũt quo nã pacto elapſo triennio conſtare poteſt, nunquàm matrimonium conſummaſſe? Reſpõdetur, ꝙ ſi ipſa eſt uirgo, pŏt per inſpectionem matronarum cõperi, quibus adhibenda eſt fides, c. Propoſiti. de probatio. Si uerò ipſa, quæ diuortiũ petit, corrupta eſt, & nihilominus negat uiri potentiã, ille uerò iurat, ſe eam cognouiſſe, eius iuramento in fauorem matrimonij ſtandum eſt: quia eſt caput fœminæ, ut c. Si quis. 33. q. 1. & c. 1. de frigid. & malefic. ſancitur. Quod ſi ambo negant, tunc, ſi fieri poteſt, ſeptem ſunt adhibendi iurati teſtes, ut Greg. & Cæleſtinus locis citatis aiunt. Sed re uera ſi in eodem lecto triennio cubuerunt, quàm difficillimum eſt alterutram partem probare. Crimen .n. fornicationis uel adulterij probatur ex præſumptione ſi adſint teſtes qui uiderint eos amplexantes, aut in eodem lecto, aut per publicam famam, ut c. Præterea. de teſtib. Si autem maneant in eodem toro ut cõiuges, negatiua pars probari neutiquam poteſt, neq; uero affirmatiua per uiſum, niſi turpiſſimè adhibeantur teſtes: quare tunc referenda eſt res ad teſtes ex auditu, qui ab ipſis audierint matrimonium conſummaſſe, aut nunq̃ ipſum cõſummare ualuiſſe, aut amborũ iuramẽto ſtandum eſt. Quo circa adhibenda eſt maxima prudentia iudicis. Et re dubia proferenda eſt ſnia in fauoré matrimonij ne dirimatur, alioq; fraudibus & dolis ſterneretur uia. ¶Quòd aũt hmõi impedimenta contracto iam cõſummatoq; matrimonio ſuperueniant? Reſpõdetur, ꝙ tunc nullatenus impediunt, nec hoc pŏt in dubium reuocari. Si tamẽ accidãt poſt ratum matrimonium nõdum conſummatum, non defuerunt qui dicerẽt, ut Ricar-

Prima cõcluſio.

Ratio.

Naturalis.

Perpetua.

Secunda concluſio.

Triennĩ expectandum.

Ricardus. Gratianus

Declaratur conel.

Suapte natura.

Nota.

Dubium

Dilutio

3. Cõcluſ.

Viro impedito uxor ſecũdo nubit.

Vxor impedita uir aliã ducit.

Quãdo terquiuis copulat

Gregorij canon declaratur.

Cap. Conſiſtationi.

Perpetuò impediti nunquàm cõtrahũt.

Si impotentia ceſſet ſuperueniente

Solutio.

Diſcrimen

Ricardus & Scotus hic referunt impedire, & dirimere. Et uidetur opinio Gratiani in ſumma. 33. q. 1. ubi ait, ꝙ coniugium confirmatur carnali officio, & poſtquàm confirmatum fuerit, non eſt, niſi cauſa fornicationis, diuiſibile. Verũ antequàm cõfirmetur impoſſibilitas officij ſoluit uinculum coniugij. At uero niſi loquatur de ſponſalibus certè (ut ſalua eius autoritate loquamur) cum ſua opinione relinquendus eſt: qñ nullum eſt impedimentum, quod matrimonium, quod uerè legitimum fuit, diſcindere ualeat. Quare matrimonium ratum, eo ꝙ legitimum eſt, non niſi per ingreſſum religionis poteſt dirimi. Atq; eã ob rem diximus in concluſione huiuſmodi impotentiã impedire cõtrahendũ, & dirimere contractum: nimirum, inſinuãtes, quòd ſi non præueniat cõtrahendũ, nõ dirimit contractum.

¶Tertia concluſio. Diſſoluto matrimonio ille, qui frigidus uel aliter impeditus probatur, iure interdicitur ne ad aliud poſſit matrimonium commigrare, alteri uerò facultas ſit tranſeundi. Cuius ratio plana eſt: quandoquidem impedimentum unius alteri minimè obſtat. De impedimento uiri extat tex. ſupra citatus. Laudabilem, de frigid. & malefi. poſt Gregorium can. Requiſiſti. 33. q. 1. ubi uxori ſit facultas ad ſecundas nuptias conuolandi. Atqui de impedimento fœminæ extat ea. Ex literis. eod. tit. ubi uiro libera ſit poteſtas accipiẽdi aliam. Qua propter quod Grego. ait in dicto cano. Requiſiſti. ꝙ uir impeditus debet uxorem habere ut ſororem, uel ſi ſeparentur, debent ambo manere innupti, conſilium duntaxat eſt reſpectu illius, qui impedimentum non habet, ſed reſpectu impediti eſt præceptum. Similiter quod Lucius. 3. can. Conſultationi. eod. tit. dixit: ſcilicet, quòd dum mulier eſt occluſa, eccleſia Romana conſueuit iudicare, ut illas ſi non poſſunt uiri habere tanquàm uxores, habeant ſaltem ut ſorores, non obligat uirũ non tranſire ad alias nuptias.

¶Ex quo planè fit, ꝙ ubi impedimentum coeundi fuerit ſimpliciter perpetuũ, ita ut omni prorſus ſit remedio deſtitutum, ut ſi uir, anteq̃ cõtraheret, eunuchus eſſet, aut exectus, quãuis neuter diuortiũ petat, nullũre uera eſt matrimoniũ: alioqui nõ poſſet ꝙ eccleſiam ſic dirimi, ut facultas fieret alicui illorum ad alias nuptias cõmigrandi. Et hic eſt ſenſus cap. Quod ſedem. ibi, qui impotentes ſunt, minimè apti ad matrimonia contrahenda reputantur: ſunt.n. ſicut duæ fœminæ. Nam etſi copula nõ ſit de eſſentia, poteſtas tñ & obligatio copulæ eſſẽtialis eſt matrimonio. ¶Quarta cõcluſio. Si ille, qui tanq̃ impeditus condemnatus eſt, tranſiens ad ſecundas nuptias reperitur matrimoniũ cõſummaſſe, ad priores reuocandus eſt, etiam ſi uxor iam tunc cum alio fuerit uiro coniugata: tunc enim eccleſia ſe agnoſcit fuiſſe deceptam, atque illud matrimonium, quod ratum & legitimum erat, tanquàm irritum pronunciaſſe. Decretum eſt eorundem capitulorum Requiſiſti, & Laudabilem, & Innocentij cap. Fraternitatis. eodem tit. Secus ſi religionem fuiſſet profeſſa, quod quidẽ, quia matrimonium non erat conſummatum, facere potuit. Aut ſi fuiſſet fornicata: nam tunc poſſet uir diuortium quo ad torum facere, ut ibidem habetur.

¶Veruntamen uidetur concluſio hæc modo quipiam ad aliquam fœminam inhabiles, qui tamen ad alias ſunt idonei. Simileq; fœminis reſpectu uirorum accidit. Atque id quidem plurimum in maleficiatis uſu uenit. Sed quo illos (ut de quibus artic. proximo dicturi ſumus) interim omittamus, per naturalem impotentiam id etiam, licèt non tam crebrò, contingere ſolet. Poteſt enim quiſpiam imbecillis eſſe ad deflorandam uirginem, qui tamen ualidus eſt ut cum corrupta conueniat, uel qui à deformi excitari non ualet, poteſt tamen incitari ab alterius pulchritudine. Quod præterea propter membrorum diſparem deformitatem contingere conſueuit: nempe, quia hæc fœmina ſtrictior ſit & occluſior, quàm ut ab hoc uiro poſſit reſerari: quæ tamen ab altero cognoſci poteſt. Ricardus ergo, Durandus & alij: id ſimpliciter fateri uidentur, quòd tunc conſummans ſecundum matrimonium non ſit reuocandus ad primum, ſed debeat in ſecundo perſeuare.

¶Nihilominus perſpicaciùs eſt iudicium adhibendum, ne fallacia deliteſcat. Eſt.n. regula mente & uſu (iudicio meo) amplectenda quam Innoc. cap. Fraternitatis, de frigid. & malefici. ſapienter mihi docuiſſe uidetur

Intellectus capit. Quod ſedem.

4. Concl.

Limitatio concluſio.

Membrorum deformitas.

Regula Innocentij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uidetur ad discernendum quando impedimentum sit temporale,& quando perpetuum:nempe,quòd illud non sit perpetuum, quod præter diuinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit remoueri.¶Sed ais, quid si fœmina nimis obserata permittere renuit rumpi:quia non sine cauterio,aut alio ferri dolore id fieri potest?Respondetur, q dummodò medici iudicent, impedimentum esse mendicabile,nil refert, ipsa adnuat aut renuat:quia natura & nexus matrimonij per mutuos consensus confirmati,non pendet ex futura facti contingentia. Sed potestas tollendi impedimentum facit illum firmum. Et probatur hoc plane.¶Nam si quæ nunc disrumpi dissentit, postea id permitteret,tunc sine nouo consensu,matrimonium iudicaretur ualidú: ergo antea quàm id permitteret,erat ualidum:quoniam actus chirurgi non potuit matrimonium,quod nullum erat, cõsolidare. Ex quo fit,quòd quanuis uir impotens sit ad uirginem, nihilominus matrimonium tenet si aptus est ad corruptam: quoniam si non est alia clausura, quàm uirginitatis,profectò ut impræsentiarum ait S.Thom. per artem potest pandi. Et ideo quomodocunque separentur coniuges(non loquimur modo de maleficiatis) si postea experimento comperitur,illum, qui inhabilis iudicatus est, habilem esse, remigrare ad primum debet matrimonium. Atque adeò quanuis iudicio medicorum asserentium non posse impedimentum tolli, fuerit matrimonium dissolutum:si post humana arte auferatur,iudicãdum est fuisse deceptos,& coniugium fuisse ualidum. Secus si per miraculum: quia natura matrimonij non pendet ex miraculo. Quare illa,quæ per miraculum aperiretur,posset tunc alteri nubere.

Impotentia perpetua quæ Dubium.

Solutio.

Ratio.

Nota de ineptо ad uirginem.

¶Sed quid si per magicam, & non aliter, posset impedimentum amoueri? Respondetur,nihilominus illud censeri perpetuũ quia fas non est industria & ope dæmonum uti. Quid autem si illa iudicaretur, posse cognosci ab alio uiro,utrum deberet hoc matrimonium dissolui, ut alteri nuberet? Respondetur in primis nullatenus fœminæ licere cum altero fornicari, ut priori uiro reddatur idonea:quia impedimentum, quod non nisi per peccatum potest tolli,non censetur auferibile. Secundò,respondetur nec tale matrimoniũ esse tunc dirimibile:nam si illa ab alio uiro cognosci potest,signum est,quòd sit ab hoc cognoscibilis,nisi iste sit frigidus. Hactenus nihil de maleficiatis.

Per magicam.

Nota.

Solutio dubij.1.

¶Quod autem de deformi & pulchra adiectum est,nihil ad dissoluendum matrimonium attinet,quia conditio illa est nimis accidentaria.

Solutio 2

¶Dubium autem,quod hic uehementiùs urget,est utrùm in euentu,quo medicorũ iudicio constat impedimentum seu fœminæ seu uiri esse amouibile, teneatur ille, qui impeditus est,quancunque molestiã, & dolorem perpeti,ut tollatur. Apparet enim prorsus teneri:nam cùm tunc ecclesia non debeat matrimonium dissoluere, non est cogendus ille,qui filios potest procreare,in cœlibatu uiuere: est ergo alius cogendus,ut impedimentum tollat. Respondendum tamen (ni fallor) cum salis temperamento. Tenetur, inquam, pati molestiam aliquam & dolorem,etiá grauem,eo præsertim quòd sua culpa in tales angustias se coniecerit, debuisset quippe sibi prospicere antequam matrimonium iniret. Et ideo pati debet incisuram etsi opus est cauterium. At uerò grauissimum morbi incommodum non tenetur perpeti,præsertim cum periculo magnæ læsionis, maximè si diuturna timeretur. Neque nimium debet existimari grauamen,quod propter morbum uxoris coniugis alter sit usu matrimonij priuatus:nam hoc perquàm sæpè accidere assolet. Quãdo uero citra periculum mortis curari nó potest,impedimentum reputatur perpetuum atque adeo dirimens,ut loco citato Innocentius probe decernit. ¶Hic addere operæpretium est, quòd non licet ex isto frigiditatis impedimento ad alia morborum genera ducere. Si enim quis uxorem duxerit, uel leprosam, uel fœtorem ore spirantem, cuius causa molestissimũ fit cum ea conuiuere,& concubare, licet morbis illis ante matrimonium laborasset,quos uir ignorauit, & si præsciuisset, nunquam eam duceret,nihilominus matrimonium est legitimum,neque ullo modo eius uinculum dirimi potest:quoniam cum uinculum matrimonij iure diuino & naturæ sit indissolubile, fas non est illud nisi propter sola impedimenta sanctionibus ecclesiæ expressa dirimere. Neque admittendum

Dubium.

Dubium

Nota.

Duplex impedimẽtum.

Sol. dub.

Impedimẽtum perpetuum.

Spadonis aut castrati matrimonium

Factor

mittendum est argumẽtum à simili, quòd si frigiditas eò dirimit matrimonium, quòd obstat progignendæ proli, alij morbi, qui horrorem in concubitu offerunt quantum uis uehementem, illud etiam impediant. Legibus enim,præsertim tanti momenti,quibus matrimonium dirimitur,nullum prorsus locum huiusmodi argumenta sortiuntur.

¶Postremum denique dubium circa impedimenta diluendum restat,quid si fœmina ante confœderationem matrimonij impedimentum uiri nouerit, uel uir impedimentum fœminæ,utrum tunc si ultrò se associare uolunt, matrimonium teneat. Apparet enim tenere postquàm dictum est hoc impedimentum non esse necessarium,sed posse coniuges communere. Simile enim usu uenit in conditione seruitutis,quæ ignorata dirimit matrimonium,præcognita uero non dirimit. Distingui nanque hic consueuit duplex impedimentum,aliud de iure,quod est legale,ut cognatio intra quartum gradum, & ordo seu religionis solenne uotum: & hoc siue præno scatur siue ignoretur, semper, iure ipso cohibente,impedit. Aliud uerò de facto,nempe, quod officium illud coeundi reddit impossibile. Et hoc dicunt dum est præcognitum & electum matrimonio non obstare. Hęc tamen conclusio prudentię iudicio condiri debet, ut uera sit. Enimuerò si impotentiæ impedimentum,ut supra diximus,simpliciter sit perpetuum absque ullo remedio, nullum cõponitur matrimonium,secus, ut expositũ est,dum impedimentum tolli potest. Tũc enim quanuis non tollatur, si tamen commanere uolunt,sunt ueri coniuges. Atque in hoc proprio casu uerificatur hoc impedimentum non esse necessarium,sed spontaneum,quando quidem illo existẽte matrimonium nihilominus perdurat.

¶Atque hinc iudicium sumitur de matrimonio spadonum,castratorum, & eunuchorum. De quibus regula sit infallibilis & certissima,quòd si nullatenus dum maritantur in uase legitimo seminare possunt nullum contrahunt matrimonium: quia fieri nequeunt una caro. Si uerò seminare quoquo pacto illic possunt, licet ad generandum sint inepti, matrimoniũ uerè contrahunt: quia tunc,ut supra dictũ est,non frigidi, sed steriles reputantur.

Castrati autem, eunuchi & spadones idẽ re uera sunt:nempe,qui testiculis carent, nisi quòd castrati appellantur,qui ita nascuntur. Spadones uerò quibus postmodum euelluntur, non ab spatha, ut quidam uolunt,sed ab σπάω quod est euello. Et isti appellantur Thlibiæ. l. Spadonum.ff.de uerbo. signifi. Eunuchi uerò sunt,quos domini castrant, ut uxoribus seruiant. Alij sunt qui obtritos maceratosque habent testiculos,qui quidem græcè dicuntur Thlasiæ. Vnde Deutero. 23. Non intrabit eunuchus attritis uel amputatis testibus,& abscisso ueretro ecclesiam Domini. Igitur si quis ita est spado, ut non solùm testiculis, uerum & reliquo membro sit orbatus,certissimum est nullum posse matrimonium contrahere. Si uerò spadonibus, qui testiculis orbati sunt,uirile superfit,sunt qui dicant,ut Sylueſt. uerbo. Matrim. 8.§. 16. refert matrimonium contrahere posse,quanquam nõ seminent:quia erigere ualent: & possunt fœminam prouocare atque ei satisfacere. Ita censet glo. fi. in can. Hi qui. 32. q. 7. Et fundant se isti in l. Si serua. ff. de iure dotium,ubi ait Vlpianus, quod spado contrahere potest,non autem castratus:quasi castratus sit,ut falsò isti putant, qui testiculis & uirga careat, spado uerò qui non nisi testiculis. Est tamen opinio intolerabilis: quia ubi non est seminatio, non fiunt coniuges una caro,& sic nec est matrimonium:ut scitè ait Panormit. cap. Quod sedem. eod. titul. Et legem illam idem ipse Vlpianus exponit. l. Pomponius. ff. de ædilitio edicto, ubi ait, quod tunc spado contrahere potest, quando uno duntaxat testiculo caret. Igitur eunuchi utroque uacui, quanuis uirili polleant,illudq; erigant,& in uas inducant, re uera nullum contrahunt matrimoniũ: quia uel non seminant, uel eorum semen non est eiusdem rationis cum prolifico. Imò uero idem de uiris,qui nimio sunt senio confecti,& exhausti cũ Scoto hic crediderim:uidelicet, quòd dum nullatenus seminare ualent,nequeunt tunc matrimonium contrahere. Nam licet illud impedimentum accidentale sit, ut ait illic Panormitanus,nihil tamen refert, postq; est perpetuum & nequeũt fieri una caro cum cõiuge. Vnde D. Tho. impræsentiarum uetuli,inquit,quanuis quandoque non habeant

Castrati-

Spadones.

Eunuchi

Deute. 23.

Sylueſt.

Panormit.

Vetuli.

S. Tho.

Universidad de Deusto
Biblioteca

beant caliditatem ad generandum, tamẽ habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam,& ideo permittitur eis matrimonium,quatenus est in remedium,licet non competat eis quatenus est in officium naturæ:ubi insinuat, quòd si dum contrahunt seminare nequeãt, matrimonium nullum est. ¶Sed quæ hinc emergit ambiguitas est,si illi, qui perpetuis eiusmodi impedimentis laborant, possint se ultrò coniungere. Respondetur q̃ per uerum matrimonium, certum est minimè posse.Sed tamen quantũ ad cohabitationẽ & cõicationem officiorum domus possunt se in totam uitã cõfœderare & obligare,ut fœmina seruiat uiro,& uir alat fœminam,qui quidem contractus non matrimonium, sed societas quædam ciuilis reputatur.Et hoc est quod aiunt Pontifices,ca.Consultationi, & ca. Laudabilem, quòd uir habeat illam non tanquàm uxorẽ sed tanq̃ sororẽ.¶Ex quo fit,quòd non possunt lasciue se amplexari,aut impudicè tangere,aut carnaliter osculari,non solùm propter periculum, si in aliquo illorum existeret extraordinariæ pollutionis quæ certum esset peccatũ mortale,uerùm quia isti tactus & oscula per se, ut uerior habet opinio,sunt mortalia,nisi inter ueros coniuges. Quapropter periculosissima hæc esset confœderatio. Imò uerò licèt istiusmodi perpetua impedimenta in uase seminandi post consummatum matrimonium uiro acciderint,non potest istis tactibus uti cum periculo extra seminandi,& multò minùs potest ad seminandum cum uxore conari, si modo legitimè certus fuerit minimè id posse in uase perficere.Secus si potest ibidem seminare,licet sit ad generandum debilis & impotẽs.

Dubium.

Solutio.

Nota.

¶Hinc rursus subsequitur, quòd ubi non est uerum matrimonium modo iam dicto,si ille qui non est impeditus, contrahat cum alia,etiam sine licentia iudicis, matrimonium tenet: peccaret tamen si sententiam ecclesiæ non expectaret.Præterquàm quòd si se obligauit alere consortem,tenetur contractui ciuili stare,cã. Requisisti. 33. q. 1. sicuti & ipsa si se obstrinxit seruire uiro. ¶Ad primum igitur argumentum iam respõsum est, quòd etsi copula non sit de essentia matrimonij, tamen potestas & obligatio eiusdem est necessaria, quæ tamen per impedimentũ impotentiæ tollitur. ¶Secundum autem argumentum cum omnibus suis particulis ex superioribus restat solutum. Caliditas nanque uix potest tantum exiccare, ut sit impedimentum.Si tamen per triennium impedire constaret, dirimendum quoque esset matrimonium.Cur autem illa & reliqua impedimenta tam ex parte uiri quàm ex parte fœminæ generali nomine frigiditatis designentur, iam dictum est.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

¶Tertium itidem sic solutũ est, quòd si illa frigiditas uiri,cuius mulier erat conscia,est perpetua,nullum re uera conficitur matrimonium, sed si uelint, possunt commanere tanquam frater & soror.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm maleficium sit matrimonij impediens dirimens q̃; impedimentum.

CVM frigiditate coniungit maleficium. De quo arguitur nõ esse matrimonij impedimentum. Maleficia fiunt arte & malignitate dæmonum:ipsi autem non habent potestatem impediendi coniugale officium magis quàm alias humanas actiones, alioqui & esum & gressum & sensum & alia omnia exercitia humana cohibere possent,quod esset intolerabilis peruersio orbis,potissimum cum matrimonium opus sit Dei,qui est fortior dæmone.

Partis 1. argumentum.

¶Secundò.Diabolus non habet potestatem nisi in peccatores, præsidio Dei destitutos:ergo non potest homini perpetuum impedimentum obijcere, imò expulso per pœnitentiam peccato, aut per exorcismum diabolo tolleretur maleficium:ergo illud esse nequit impedimentum perpetuum.¶Tertiò. Carnalis copula non nisi sublata coeundi potentia, quæ est eius principium,impeditur: potentia uero æqualiter se habet ad omnes fœminas:ergo per maleficium non potest homo impediri respectu unius & non respectu omnium.

2. Arg.

Tertium argumentum.

¶In contrarium est decretum can. Si per sortiarias. 33.quæstio. 1. Si per sortiarias atque maleficas artes, &c. Et sequitur. Quod si forte sanare non potuerunt, separari ualebunt.

Pars affirmatiua.

¶Maleficia

Decisio articuli.

¶Maleficia dæmonũ non defuerunt qui negauerint,dicentes in hominum æstimatione potius quàm in re existere,nempe, quia rerum euentus, quorũ homines causas ignorãt, dæmoniacis maleficijs adscribunt. Qua propter impedimẽta, quæ nos maleficia cẽsemus, ex frigiditate aut alia occulta naturali causa illi arbitrantur procedere. Istorum tamen opinio inde illis oriebatur, q̃ dæmoniacos spiritus, quia inuisibiles sunt fateri renuebãt. Quod autem huiusmodi spiritus reuera existant, fides nos orthodoxa docet,prædicans Lucifer um è cœlo cecidisse, & sub serpentis effigie primos parentes supplantasse. Quos itidem spiritus Christus sæpenumero in euangelio à corporibus obsessis proiecisse legitur. Eosdemq̃; Apostolus aereas potestates tenebrarum appellat. Quod uerò huiusmodi dæmones grassandi in hominesque potestatẽ habeant,nisi diuinitus coerceantur,historia Iob in ipso statim exordio nobis refert:qui & ca. 40. de dæmonibus ait, non esse potestatem super terrã, quæ eis comparetur. Cui & ratio patrocinatur: nam spiritus mouere possunt corpora ut intelligentiæ orbes. ¶Igitur ad quæstionem tribus conclusionibus respõdetur. Prima. Possibile est, imò frequenti usu contingens, ut dæmonum astu & opere maleficium carnalem copulam impediat. Probatur primo, quia comperiuntur sæpè coniuges non à causa naturali,sed à cã libera ligati. Natura. n. semper & uniformiter operatur: quare quæ naturlia sunt similiter ad omnia similia se habent. Quo fit, ut qui per naturam frigidi sunt, ergà omnes mulieres eiusdem qualitatis frigeant, & tamen experimẽto compertum est uirum aliquem hanc fœminam cognoscere non ualere,qui tamen circa alias potens est. Imò uerò cum hac congressum appetere, ac subinde membrum erigere, quod cum uas muliebre attingit subito relaxatur. Et simili experimento constat fœminam alijs uiris idoneam, dum maritus, quanuis eius complexum exoptet, illam aggreditur:eius congressum exhorrescere, quippe cui læsa phantasia uirile ingentioris se deformitatis ostentat, quàm est. Quod re uera maleficij indicium existit.

1. Cõclu.

Frigidi natura.

Maleficiati.

De fœmina.

¶At quoniam sunt alij sic de huiusmodi maleficijs opinãtes,ut persuadere sibi nequeant,quòd possint esse perpetua, Vnde inferunt nunquam esse impedimenta matrimonij,subditur secunda conclusio. Huiusmodi maleficia,ueluti de frigiditate dictum est,possunt esse tum temporalia tum etiam perpetua. Probatur,quia qua ratione dæmones diuinitus permittuntur in tẽpus homines deuexare, permitti possunt & per totam uitam molestiam eis facessere. Vnde cum per uoluntatem operentur,possunt,quocunque tempore permittantur,nos contorquere, & eadem ratione ab usu coniugij cohibere. Eadem conclusio autoritate ecclesiæ confirmatur, quæ, ut habetur trigesimatertia quæstione prima. canon. Si per sortiarias. decernit, ut si adhibitis remedijs: nempe,corde contrito & spiritu humiliato, facta sacerdoti confessione & exorcismis cæterisque ecclesiæ spiritualibus medelis adiectis,qui maleficia patiuntur non sanentur,separari ualeãt. Sed aiunt autores præ narratæ opinionis uetustum illud decretum abrogatum esse. Est tamen hic cauillus in ecclesiam iniuriosus. Non enim solùm non est abrogatum, uerum nouo est iure confirmatum cap. Literæ de frigid.& malefi. adiecta glo. Casus enim textus est, quòd quidã uir nequiuerat cum propria uxore coire, fatebatur tamen se coijsse cũ alijs. Ex quo fit,ut idem triennium, quod secundum Gregorium & Cælestinum locis supra citatis indulgetur frigidis ad suã comprobandam frigiditatem,concedatur & maleficiatis:quo elapso, comprobatur maleficium,atq; adeò matrimonium pronunciatur inualidum,ut ex eo.ca. Literæ. colligitur.

Dæmonũ incursus.

Autoritas ecclesiæ.

Casus ca. Literæ.

¶Veruntamen quia dictum est medicamina maleficio dimouendo non applicari nisi spiritualia, dubium se offert, utrùm possint & corporalia admoueri. Huius autem solutio notitiam modorum præsupponit, quibus hæc maleficia fiunt tam ex parte dæmonum, quàm ex parte magicorum, qui dæmonum facultate funguntur. Vbi notandum, quòd dæmones possint hæc multis modis perpetrare. Primo, mouendo hominis phantasmata ad illusionem. Quod quidem incommodum,ut in præstigijs accidere solet,fœminæ sæpe patiuntur, ut nuperrimè dicebamus, quibus horrificum uel tactu, uel usu uiri instrumentum offertur. Possunt

Quæ medicamina possint ad moueri.

Primus modus.

Secundus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tertius.

Quartus.

Nota.

Magici.

Miracula.

De D. Bartholo.

Dæmonũ fallacia.

sunt per eandem specierum alterationem inuisam & exosam uxorem uiro reddere, & uirum fœminæ. Possunt tertiò, per solum motum uirile impedire ne erigatur, erectumq; relaxare, sicut præsenti tenere motareq; lapidem. Possunt præterea citissimo tractu applicando actiua passiuis & instrumentum fœmineum indurare, & lũbos uiri infrigidare, & spiritus, quibus instrumentum erigitur, exufflare. Ac demũ alijs incognitis modis similia obijcere impedimenta. Imo uerò si modo diuinitùs permittantur, possunt per uenena uel aliã herbarum applicationem genitricem uirtutem in uiro exiccare, & cõceptricem in fœmina. Et tunc quidem non solùm respectu huius aut illius fœminæ, sed simpliciter uir redderetur impotens, uti sunt frigidi. Sed tamen hoc perquàm raro contingit. Quapropter glo. super citato cap. Literæ, hoc discrimen constituit, quòd frigidi sunt simpliciter impotentes, maleficiati uero, non, nisi respectu huius uel illius fœminæ. Et iõ qui maleficijs affecti sunt, propriè dicuntur ligati: quasi eorum potẽtia non quidem exhausta sit, sed ligata existat.

¶Magici uerò & malefici id facere sibi uidentur aut incãtamentis quibusdam, aut characteribus conscriptis, aut rebus alijs colligatis exustisq; aut in terram suffossis, aut de arbore suspensis. Contendũt enim seducti prius ipsi hominibus persuadere, quòd per huiusmodi impostoras dæmones cogant, ut maleficia ad ipsorũ magicorum nutum, & libitum uel faciant, uel infecta reddant. Id quod falsissimum est. Homines quippe nisi diuina uirtute nulla arte ualent inuitos dæmones trahere aut tenere, aut ad aliquod opus compellere: quippe quibus longè sint uiribus inferiores. Sed possunt inferiores dæmones à superioribus uinci & cogi. Nam de uiris sanctis nemini dubium est per miracula id posse: ueluti Christus eos expellebat, mittebatq; quo sua erat uoluntas. Et de Bartholomæo atq; alijs diuis legitur. Verũtamen dæmones, ut maleficos & magicos ad se alliciant, & illo modo inescatos teneant, illis persuadent eorũ obsequio sic se esse addictos, ut ad eorũ nutum eis obediant, & inuiti suis sint mandatis alligati. Quare nonnunquã dum incãtantur, audiri solent uociferantes, ut permittantur abire, aut non cogantur illuc aduenire, ne luti dum uirtute Christi & sanctorum propellebantur. Et eadem ratione dum illas ligaturas, quibus teneri se fingunt, magici auferunt, à maleficijs desistunt, illaq; dissoluunt quasi aliud facere nequeant, quã magicorum arti parere. Sed sunt omnia nugamenta diabolica ex fricie composita. Non enim nisi ultrò omnia faciunt miseros maleficos seducentes. Et quia ista maleficia sæpissime de criminũ meritis oriuntur, admonet ecclesia, ut corde contrito se in Deum conuertant, precibusq; tam ipsi pro se, quàm alij pro ipsis apud ipsum insistant: quod frigidis non iniungitur. Item ut exorcismorum beneficio utantur.

¶Ad dubium ergo propositum respondetur, quòd si eiusmodi maleficijs mederi per artem medicam posset, non est cur nõ sit licitum huiusce modi medelis uti: attamen cùm non ex causis merè naturalibus pendeant, sed ex uoluntate dæmonum, frustranea essent eiusmodi medicamina. Nisi forsan constaret, causas aliquas naturales dæmones applicuisse, quæ pharmacis aut alio humano remedio possint amoueri.

¶Quòd si quis scisciterur, utrùm fas nobis sit magicos adire, qui maleficia per alia maleficia dissoluant. In promptu est negatoria, responsio. Haud. n. licet, imò lethale crimen esset dæmonum potestate uti quãtumuis esset compertum eorum beneficio nobis nos posse consulere. Quare multò minus licet cum dæmonibus ipsis de eiusmodi rebus tractare: non solùm quòd hostes nostri sint, qui nullam nobis fidem, ni si in nostram perniciem seruant, uerum quòd in baptismo eorum pompis & auxilijs renunciamus, professentes semper nos erga eos, ueluti erga inimicos, gesturos, atque adeo nullum ab illis patrocinium, aut auxilium suscepturos. Et quippe ratione nos possent ad suum ipsorum amorem pertrahere. Quare Deuter. 18. & 1. Reg. 28. & Leuit. 19. & sæpe in sacris literis Phitones & magi & qui eorũ consilio utũtur, aut ope, aut opera, abominabiles habẽtur. Et 26. q. 2. can. Qui sine saluatore, refertur Augustini decretum, ubi qui sibi beneficio dæmonũ mederi satagunt, nõ sani, sed ægri, nõ prudẽres, sed stulti, & dementes, & ad æternam perditionem tendentes pronunciantur. Igitur dum maleficium non nisi arte dæmonum curabile est, incurabile ac perpetuum & tanquàm dirimens matrimonium est iudicandum.

Ligatur

Solutio ad bij.

Phitones

Dubium.

Solutio.

Cum dæmonibus

Augustin.

Nota.

Dubium.

Petrus Aureolus.

Angelus.

Argumentum eorũ.

Opinio falsa.

Regula generalis.

Solu. argu.

Maleficiũ ꝓ se est malum.

Scotus & Cæta.

¶Circa hoc autem forsan quis percontetur, utrùm licitum sit malefici operã, qui paratus est maleficia exercere, uti ad tollendum aliud maleficium. Petrus siquidẽ Aureolus dist. præsenti quæst. 2. ait, quòd quanuis non liceat maleficium facere, ad dissoluendum aliud, licet nihilominus uti maleficio alterius, qui paratus est, nõ quidem mouendo illum ut faciat, sed consentiendo, si sua sponte uult facere. Eandẽ opinionẽ sequitur Angelus in summa, uerb. Superstitio. §. 13. Et argumentum istorum est, quòd licitum est sub fœnore accipere ab usurario, qui paratus est dare. Et ut autor est Aug. licet & ab infideli per falsos Deos iuramentum suscipere: similiter ergo, ut aiunt, & maleficium ab eo poscere licet, qui paratus est. Hoc. n. nõ est ad maleficium concurrere.

¶Est tamen citra dubium opinio plusquã falsa. Sunt enim duo operum genera mala. Quædam sic intrinsecè praua, ut fieri probe nequeant. Alia uerò quæ de se fieri possunt bene, sed culpa facientis fiunt male. Ad hæc & regula generalis est quòd nemini fas est alium ad malum inducere: esset enim in malum consentire: & tamen Paul. ad Rom. 1. dignos morte pronunciat non solùm eos, qui mala faciunt, sed eos, qui facientibus consentiunt. Quando uerò quis ab alio id petit, quod licitè ille facere potest, nõ inducit ad malum. Etenim dum ego ab usurario mutuum peto, non nisi bonum postulo: nempe, mutuum, sed ipse dum non uult nisi cum spe fœnoris dare, perperam dat. Similiter dum ab infideli iuramentum postulo, id ego efflagito, quod ipse per uerum Deum exhibere potest. Quare licet sciam per falsos iuratum, ego non induco ad malum, sed utor iure meo. Maleficium autem de se est malum, quod fieri abs q; culpa nequit: & ideo qui illud quanuis à paratissimo petit, inducere censetur ad malum. Hoc tamen licitum est ac meritorium, ut Scotus distin. præsenti & Caiet. q. 2. quod lib. 2. in quo de hac re disseruit, scitè iudicant, quòd potest quisq; conuenire maleficum & rogare, imo & pecunia ab eo extorquere, ut illas ligaturas, quas hẽt sepultas aut suspensas aut alicubi asseruatas, inde dimoueat: quia illud maleficum facere uirtus est. Et quicunq; sciret ubi sunt, posset illas inde subtrahere: quia hoc non est maleficio uti sed quod factum est destruere. Nam tunc dæmon licèt non ui, tñ ex seductorio pacto, quod pepigit cum malefico, cessabit à maleficio: nempe, ut arbitretur ille in illis inesse maleficiorum uirtutem.

Dæmõ cessat.

Obiectio.

¶Vnum aũt hic argumentum posset quis nobis obijcere. Dictum à nobis superiùs est iuxta Innocentij decretum, impediméntum, quod non nisi per Dei miraculum est amouibile, censendum esse perpetuũ: maleficium ergo, cùm non nisi per orationẽ & confessionem & exorcismos diuina uirtute sit dissolubile, uidetur non nisi per miraculum esse amouibile, atq; adeò debere censeri perpetuum. Respondetur tamen, non quicquid supra naturali fit diuinaq; uirtute censendum esse miraculum, sed id quod insueto fit modo. Remissio enim peccatorum per gratiam, non est miraculum.

Dilutio.

¶Tertia conclusio. Quando maleficio legitimè comprobato dissoluitur per ecclesiam matrimonium, utrique coniugum æqua facultas sit ad aliud coniugiũ commigrandi, ut ex finalibus uerbis præallegati cap. Literæ, colligitur. Et in hoc discriminatur maleficium à frigiditate: nam cùm qui frigidus respectu unius probatur, respectu omnium fœminarum iudicetur, meritò nuptijs interdicitur. Qui aũt maleficiatus est respectu unius, põt respectu aliarum esse liber.

Tertia cõclusio.

Maleficij & frigiditatis discrimen.

¶Vtrùm uerò si postmodũ illi maleficiati alias celebrãtes nuptias, habiles ad matrimonium comperiantur, ad priora sint connubia reuocandi, sicut de frigidis dictũ est in dubiũ uertitur. Canon. n. ille, Si per fortiarias. 33. q. 1. negatiuam partem definit: ait quippe, quòd si alias nuptias expetierint, quãmdiu possibilitas concubendi eis reddita fuerit, illis uiuentibus, quibus secundò nupserint, reconciliari nequibunt. Glosia uero textui cõtradicit: censet enim Gregorianę dispositioni cap. Requisisti. esse contrarium. Quare ait autorẽ illius textus ignarum potiùs q̃ Gnarum hac parte esse censendum, putans archiepm illum Remensem Gnarum appellari, cùm tamẽ non nisi Hismarius nuncuparetur. Ricardus impræsentiarum sequitur opinionem glossæ contra textum: quia re uera text. nec est concilij nec Pontificis. Et prædictus canon Gregorij, & capitula, Laudabilem

Dubium.

Can. Si p fortiarias.

Glosſ. eiusdem.

Ricardus.

Can. Gregorij.

bilem, & Literæ, absolutè uidentur loqui sine discrimine frigidorum aut maleficiatorum, quòd prius matrimonium sit tunc ualidum iudicandum. Quare hęc opinio glossę est Magistri sent. & cõis. ¶ At uerò non deest in fauorem textus egregium argumẽtum: nam cùm maleficiati possint inter se, ut diximus esse inhabiles, & tamẽ ad alias personas idonei, qñ matrimoniũ propter maleficium dirimitur, vt simpliciter dirimi: quocirca & si postea uir reperiatur habilis ad aliam: & fœmina ad aliũ, non ideo reuocandi sunt ad prius coniugium: quia non ob id cẽsentur inter se habiles. Et ita tenent Scot. distin. præsenti & Abulensis super Matth. c. 19. q. 90. secuti decretum, Si per sortiarias. Rei ergo ueritas, ni fallor est, q̃ ubi non est aliud experimentum quàm quòd vir cum alia matrimonium consummauit, & fœmina cũ alio profectò non sunt ad prius matrimonium reuocandi propter argumentum modò factum: quia in maleficiatis non est illud indicium sufficiens, quod sint habiles inter se, sicut in frigidis. Et hoc forte uoluit textus Hismarij sentire, dum dixit, etiam si possibilitas concubendi reddita fuerit: intelligit enim concubendi cũ alijs, non aũt inter se. Id quod Gregorianæ sniæ non repugnabat. Quapropter postquàm secũda matrimonia consummarunt, fortasse non sunt cogendi ut inter se experimentum capiant, an coire possint, saltem si exploratũ fuisset propter maleficium non potuisse priùs coire: quia exponerentur periculo delinquendi absq; matrimonij consummatione. Quare tunc secunda matrimonia sunt seruanda. Attamen si forsan ipsi priuatim aio fornicandi aut experiundi congrederentur, & copulam consummarent, tunc si ecclesiæ legitimè constitisset, certò crediderim reuocandos fore ad matrimonium uetus perinde acsi propter frigiditatem fuissent separati. Quia tunc ecclesia iudicat se fuisse deceptam, & tunc scire q̃d uel illud non fuerat maleficium, uel q̃ nõ fuerat perpetuum. Adde q̃ si constare certo posset uirum priùs fuisse simpliciter maleficiatum quo ad omnes, quia plures tentauit, & cum nulla consummare potuit, tunc de illo censendum simpliciter esset, sicut de frigido: uidelicet, q̃ si postmodum aliud consummauerit matrimoniũ, iudicetur iam factus habilis ẽt ad priorem, atq; adeò ad prius matrimonium reuocetur. Sed certe hoc difficile est explorare. Et iõ Inno. cap. Fraternitatis, cordatè ait, q̃ de talibus non est facilè iudicandum.

Opinio glossæ est cõmunis.

Sẽtẽtia aut thoris.

Cap. si per sortiarias. 33. q. 1.

Nota.

Sol. 1.

¶ Ad primum igitur argumentum negatur, dæmones nõ habere uim aduersus homines & eorũ actiones nisi diuinitùs permittantur. At uero per Dei clementiã nõ permittuntur usq; adeò nobis incommodare, ut ab uniuersis nos nostris operationibus cohibeant: non enim tunc uitã transigere possemus. Sed occulto Dei iudicio quosdã eorum infestationi permittit. Vnde non colligitur, dæmonem Deo esse fortiorem: quia id non nisi Deo permittente perpetrat. Et quoniam per coniugalem usum originalem culpã contrahimus, per quam specialiter dæmoni fuimus subiugati, in illo actu & usu sæpiùs dæmon permittitur hominib. esse molestus, ueluti in serpentis effigie, qui sua calliditate Euam seduxit, crebrius incantamenta fiunt. Et (quod mirabilius est) frequentiùs in usu coniugij, quàm in fornicatione: nam illam cum peccatum sit illi gratum, prohibere non satagit, sed actum: qui Deo acceptus est. ¶ Ad secundum duo respondentur. Primum, q̃ licèt dæmon non habeat potestatem in hominem nisi propter peccatum, exercet tamen sæpe potestatem illam nõ propter peccatũ peculiare illius, quẽ torquet sed p̃p peccatũ Adæ, per q̃d potestatem obtinuit in orbem. Quare & innocentes potest uexare, ueluti de diuo Antonio eremita legitur. Secundum, quod rñdetur est, q̃ quanuis maleficium propter peccatum singulare hominis accidat, nihilominus non est necessarium ut cessante peccato maleficium cesset: quia pœna, remissa culpa, remanet. Neque exorcismos oportet contra omnes dæmoniacas infestationes uim habere, sed contra illas, contra quas peculiariter instituta sunt, ut puta ad expellendos dæmones obsessis corporibus. Neque habent uirtutem, quæ semper necessario sortiatur effectum, sed prout Deus ad salutem animarum nostrarum uiderit expedire. Præsertim q̃ iam modò aucta propagataq; fide nõ tã frequẽter exorcismi dæmones pellũt, quã in primordijs ecclesiæ, ubi ad eandem fidẽ confirmandã uirtutes illæ erant necessariæ. Sed nihilominus adhibendi sunt exorcismi tanquã habentes uirtutẽ, ueluti orationes & preces pro rebus temporalibus, licèt non semper effectum obtineant. ¶ Ad tertium denique iam responsum est, quòd dæmon non solùm sublata potentia generandi potest copulam impedire. uerùm illam ligando. Et ideo non solùm maleficium contingit in homine ad omnes fœminas, sed frequentiùs impedit respectu unius, modis supra expositis. Quare potest esse impedimentum dirimens matrimonium hoc, nõ tamẽ impediẽs personas respectu aliorũ.

Sol. 2.

Sol. 3.

Solu. 3. ar.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm furia impedimentum sit matrimonium dirimens.

Partis negatiuæ ar. primum.

IMpedimentum furiosorum facillimæ est expeditionis. Arguitur nihilominus, q̃d furia non sit impedimentũ. Spirituale matrimonium, quod in baptismo contrahitur, præstantius est carnali, sed furiosi baptizari possũt: ergo & matrimonium contrahere. ¶ Secũdò. Frigiditas & maleficium ob id impediunt matrimonium, quòd impediunt copulam: sed furiosi non impediuntur quin possint illam consummare: ergo non sunt à matrimonio arcendi. ¶ In contrarium est, quòd plus furia usum rationis tollit, q̃ error: error aũt impedit: ergo & furia. ¶ Ad qõnem per distinctionem unica conclusione, eademque trimembri, respondetur. Etenim si furia uel amentia matrimonio succesit siue consummato siue solùm rato, illud non dirimit, ut patet can. Hi qui. 32. q. 7. idque ob rationem iam factã: quia uerum matrimonium per nullum impedimentum dirimi potest, nisi per solam religionis professionem. Si verò rato antecessit, tunc furiosus uel perpetuus est, uel lucidis utitur iteruallis. Si perpetuus, nullatenus matrimonium contrahit, etsi attentet, nullum est: quoniam non potest habere consensum legitimũ, q̃ est de essentia matrimonij. Imò uerò neque ullum perficere ciuilem cõtractum, qui ualidus sit. Quare hoc impedimentum cõtinetur sub erroris genere. Eadem ratione nec si habens lucida interualla eo tẽpore, quo ratio illi eclipsatur, contrahere tenet. Eo tamen temporis articulo, quo rationis luce fungitur, si contrahat, solidum quidem fit matrimonium: sed tamen nonnihil iniuriæ eidem matrimonio irrogat: quia nõ satis ad educandam prolem idoneus est. Et re uera si tã uir quàm fœmina frequentiam amentiæ paterentur, fortasse esset mortale delictum. Nisi forte per alias coniunctas personas satis esset educandis prolibus consultum. Per hæc patet sensus decreti Fabiani eadem cau. & q. Neque furiosus neque furiosa matrimonia contrahere possunt, sed si contractum fuerit (scilicet extra furiam) non separentur. ¶ Circa primam partem conclusionis de usu matrimonij cum furioso dubitatur, utrùm liceat coniugi sano cum insano & amenti concubere. Apparet enim quòd cùm amens sit sicut bestia, non liceat. Respõdetur tñ id licere postquàm legitimũ est matrimonium: ueluti licet ad ebrium mente prorsus abalienatum accedere, tã etsi non sit usque adeò honestum, præsertim si est periculum ne legitimè seminet. Imò uerò si ipsa est mẽtis compos, potest uel causa liberos procreandi, uel in remedium concupiscentię dementem uirum incitare apparareque ad copulam. ¶ Ad aliud subinde quæsitum: uidelicet, utrùm teneatur coniux sanus uel sana amenti dũ est in amentia petenti, debitum reddere, respondetur, quòd quantum ad rei naturã per se attinet, non tenetur, q̃a amens nõ petit tanquàm homo per rõnis usum, sed tanq̃ bellua, maximè quia ineptus est ad educandam prolem. Tenetur tamen per accidens, si aliter succurri non potest periculo illegitimè polluendi se, uel commiscendi se cum alia. ¶ Vtrùm autem duos prorsus amentes liceat copulare: nõ quòd in dubium sit uertibile, an id sit matrimonium: certissimum quippe est nullum existere, sed utrùm liceat eos ueluti duo pecora coniugare. Audiui equidem Parisijs regem Franciæ id uel attentasse, uel fecisse. Et uidetur licitum: quia illi non sunt capaces, ut peccare possint magis quàm pecudes. Nihilominus respondetur non esse licitum. Primum, quia fieret proli iniuria non solùm educandæ: quia illi incommodo succurri posset per herum aut aliã præcipuam personam, quę curam gereret prolis, uerùm & generandæ, quia filiæ nascerentur ẽt amentes, quod est detrimentum humani generis. Quapropter quanuis ipsi se uellent copulare, essent prohibendi.

Fabia.

Dubium.

Dilutio.

Aliud dubium.

Dubium.

Solutio autoris

Nota.

Item

Secũdũ argum.

Pars affirmatiua.

Cõclusio.

Furia duplex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item propterea quod est monstrum permittere, ut homines belluarum more carnaliter congrediantur: id n. ubicunq; etiã in sacro attentarent. Veluti si infantes aut amentes blasphemarent aut aliud attentarent, quod genere suo, saltem lege naturæ, esset peccatum & fœdum, cohibendi essent. ¶ Ad primũ igitur arg. negatur consequentia. Matrimonium. n. furiosi nõ ob id prohibetur, quòd sit præstantiùs spirituali: sed quia dum fit, requirit consensum ac subinde rationis usum: baptismus uerò, quo matrimonium contrahitur spirituale, non requirit suscipientis cõsensum, sed sufficit ecclesiæ fides.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg. ¶ Ad secundum respondetur non eadem ratione furiam matrimonio obstare, quo frigiditatem aut maleficiũ. Illa enim, quia obstant effectui circa usum matrimonii, illud dirimunt, furia uerò non nisi quia obstat causæ: nempe, consensui, quo contrahitur. ¶ Hic Magister senten. ac subinde eius interpretes de incestu sermonem interserunt, cùm tamen impedimentum sit criminis, aptiùs dist. 37. inter alia crimina collocabitur.

DISTINCTIO TRIGESImaquinta, De coniugio seruorum et puerorum.

Textus. Cap. 1.

PRæter recensita impedimẽta cõditio quoq; seruitutis iter matrimonij impedimenta conscribitur. Nam etsi seruitus ius prorsus matrimonij contrahendi non extinguat, quominus si serui, heris ẽt renuẽtibus, pactũ matrimonij confœderent, solidum sit: quod Adrianus Pontifex ex illo ad Gala. 3. In Christo Jesu non est seruus, neque liber, celligit. Et Iulius præterea definit, quia omnibus unus est pater. Tamen quia matrimonium non nisi libero consensu conglutinatur, si liber ancillã ducat, uel ingenua seruo nubat conditionis ignara, matrimonium neutiquam consistit. Si uerò scientes & prudentes in eiusmodi coniugium consentiant, solidum est. Sic nos idem Julius illo decreto curauit admonitos. Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius acceperit, & existimat, quòd ingenua sit, si ipsa fœmina fuerit postea in seruitute detecta, si eam à seruitute redimere potest, faciat: si non potest, si uoluerit aliam accipiat: si autem ancillam eam scierat, & collaudauerat, pro ut legitimam habeat. Similiter & mulier ingenua de seruo alterius facere debet.

Cap. 1. de

coniug. ser. uor.

Cap. C. 29. q. 2.

L. Partũ. C. de rei uend. Cap. Vnico, de natis ex li be. uentre.

Can. Si ingen. 29. q. 2.

¶ At uerò si post pactum & ratum inter ingenuos coniugium, uir se in seruitutem dedat, non tamen proinde (ut Triburiẽsi synodo cautum est) aut matrimoniũ dirimitur aut uxor in seruitutem cogitur. At uerò uxor absq; coniugis facultate seruam sẽ facere nequit. Quo aũt res ad filios spectat, uentris conditionem secundũ Imperatorũ leges, et sacra Põtificum instituta sequuntur.

Cap. 1.

Cap. 3.

Dist. 27. q. 2. arti. 2.

Can. Peccatũ. 20. q. 2.

¶ Et quia puerilis ætas nonnullum seruitutis specimẽ refert, tandẽ aũaduertendũ ante ætatem quatuordecim annorũ uirilem, et duodecim fœmineã coniugale pactũ minimè connubescere, ut tam ciuili lege, de ritu nuptiarum, quàm sacris canonibus, de sponsatione impuberum, cautum est. Attñ cum hmõi decreta quodã potiùs arbitramento coniecerint, quàm punctim attigerint, prudenter excipiunt, q; si paulò citiùs & usus rõnis & uiri potentia maturuerit, ut tam prudentia q̃ malitia ætatẽ suppleuerit, matrimonia inter impuberes consistant, ut Alex. 3. ca. Continebatur, & ca. De illis, eo. tit. p uidenter admonuit. Nam de sponsaliorum ætate supra scriptum reliquimus.

DISTINCTIONIS TRIgesimæquintæ, Quæst. unica, De coniugio seruorum & puerorum.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm inter seruos possit absque licentia Dominorum matrimonium contrahi.

HAs quatuor distinctiones, quippe quę apud Magistrum non tãta ordinis luce fulgebant, decuit ordine paulò inuerso transmutare. Etenim post impedimenta naturalia frigiditatis & maleficij congruẽtiùs sequuntur impedimenta seruitutis, & ætatis, quæ conditiones sunt personæ, quàm impedimentum criminis, quod ex uoluntate procedit. De qua ergo seruitute in hac dist. dicere constituimus, & in duabus proximis de impedimento criminis, & in. 38. de ordine & uoto, quæ quandam inter se habent connexionẽ. Arguitur ergo quòd seruorum matrimonium absque heri licẽtia nullum sit. Nemo rem, cuius nõ est dominus, absque domini facultate potest alicui tradere: seruus autem, ut ait Philosophus, non est sui iuris, sed domini: ergo nõ potest absque eius facultate se in matrimonium alteri dedere. ¶ Secundò ad maiorẽ huius explicationẽ arguitur. Seruus tenetur Domini iussa capessere, & ei obedire: ex altera parte maritus tenetur uxori debitum reddere, ipsamque alere: hæc autem incompatibilia sunt, quia nemo potest duobus Dominis seruire: præsertim cùm ius herus habeat diuẽdendi seruum, eumque subinde ad exteras nationes traducendi, ubi uxorem amplius reuisere nequeat: ergo matrimoniũ absque Domini facultate contractum nullius est ualoris. ¶ Tertiò. Obligatio, qua homo se diuinis obsequijs addicit, fauorabilior est, quàm illa, qua se subijcit uxori: sed seruus absq; Domini consensu nequit religionem profiteri, uel ad clericatum promoueri: ergò multo minus se potest matrimonio cõplicare. ¶ In contrarium est uerbum Pauli ad Galat. 3. In Christo Iesu non est seruus neque liber: ubi æqua Christianorum liber-

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Arg.

3. Arg.

Pars affirmatiua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tas ad contrahendum matrimonium insinuatur, siue serui sint, siue liberi.

Cõclusio. ¶Ad quæstionem unica conclusione respondẽtur. Seruitus ius non adimit seruis matrimonium contrahendi, quominus si ẽt inuitis dominis illud contrahant, solidum sit & legitimum. Nomine seruorum ancillarumq; iuridico mancipia duntaxat intelligimus quocunq; iure in dominium aliorum uenerint, ut serui à liberis discernantur. Conclusio ẽst Adriani Pontificis cap. 1. de coniugio seruor. ubi testimonio citato Pauli probat inter seruos matrimonia nullatenus prohiberi etiã si inuitis dominis contracta fuerint, tametsi debita & consueta seruitia eisdẽ dominis nihilominus debeant exhiberi. Eadem est definitio Iulij Papæ, can. Oĩbus. 29. q. 2. Quòd si cõcilium obijcias Gabilonense can. Dictum

Probatur conclusio. est, ea. cau. & q. ubi cauetur, quòd coniugia seruorum tum non dirimantur, cũ per uoluntatem Dominorum fuerunt coniuncta. Respondetur, quòd illic insinuatur, q; si fuerint contracta inuitis heris dissoluãtur, sed quòd tunc debeat seruus nihilominus seruire domino. Quare non potest tã liberè cum uxore commanere.

Seruitus quo iure inducta. ¶Atqui conclusio hæc non solùm humano iure, sed ẽt diuino fulcitur. Enimuerò seruitus humano iure. s. gentium, introducta est: ius aũt positiuum naturali non obstat: est aũt nõ tantùm hominibus, uerùm & cunctis animantibus à natura inditum, ut quemadmodum per alimoniã propria indiuidua sustentant, ita & per generationem speciem propagando conseruẽt, quæ quidem generatio inter mortales, ut ex superioribus constat, nisi per matrimoniũ non fit legitimè: ergo sicut domini cohibere seruos nequeunt, quominus alimenta sumant & somnum capiant, atque alia faciant, quæ ad uitæ sustentamentum necessaria sunt, ita neq; arcere eos à matrimonio possunt, quin si contrahant, ualidum sit & firmum.

Ricardus. ¶Hanc rationem, quæ S. Thomæ, & theologorum est, Ricardus dist. prẽsenti art. 4. eneruare conatur. Ait siquidem falsum esse, seruitutem tantum iure gentium & humano introductam: quippe cùm philoso-

Obiectio Ricardi. phus. 1. Politi. homines elegantioris ingenij cæteris hebetibus ac rudibus, qui uiribus corporis ualent, dominari autumet. At uerò, ut lib. 4. de iustitia & iure. quæst. 2. arti. 2. diximus, sub illa Aristotelica sẽtentia obscurus intellectus latet, nisi prudenter legatur. Illa quippe naturalis seruitus longè à legali distat. Rudes enim homines, & qui non tam ingenio, quàm corpore ualent, non sunt sic elegantiorum seruũ, ut mancipia, imò seruitus illa libertatem non excludit, sed tenentur parere elegantioribus quantum ad doctrinã & eruditionem propter suum ipsorum propriũ bonum: teneturq; illis uicissim de honestate seruire. Quare neque ipsi, neque sua bona sunt aliena, ut ab elegantiorib. possideantur. De qua utique seruitute impræsentiarum non loquimur, sed de alia legali, de qua habetur Instit. de iure personarum. & ff. de statu hom l. Libertas, ut qui bello capitur, aut se ipsum uendidit, seruus fit: id est heri mancipium & possessio, quæ quidem proculdubio iure gentium introducta est post peccatum, cùm in primæua hominum conditione omnes fuerint liberi conditi.

Autor. Seruitus naturalis. Seruitus legalis. Ratio.

¶Hinc ergo ratio nostra originem ducit; nempe, quòd quemadmodum ius gentiũ diuisionem facit rerum, quarum possessio natura integra, communis erat, efficere nequiuit quominus in extrema necessitate, ipsa acclamante natura, possessio earum rerum sit egẽtibus communis, ita ius seruitutis non potuit hominibus ius naturæ adimere conseruandi tum propria indiuidua, tum & per matrimonia propriam speciem. De hac seruitute superiùs distin. 30. q. 1. arti. 1. nonnulla prædiximus. Cõclusio uerò intelligitur, siue serui inter se contrahant, siue cum ancilla liber, aut cum libera seruus, dummodo nullus error lateat, ut arti. proximo explicabitur.

Conclusionis declaratio. Obiectio.

¶Contra hanc tamen conclusionem ius ciuile pugnare uidetur. Nam lege, Cum ancillis. C. de incestis nuptijs, cauetur, ne cum ancillis coniugium fiat, ob id quòd serui inde nascuntur: nam partus sequitur uentrem. Respondetur autem, quòd quicquid ciuile ius propter suam Rempub. statuat, non tamen potest iuri canonico, quod naturali & diuino consonantius est, officere, quæ quidem iura huiusmodi seruorum matrimonia pro ratis habent & firmis. Quanuis certè liberis, si absque aliqua causa uel urgente, uel ualde commoda ancillam sibi in matrimonium adiungat, nequeat à culpa excusari, licèt gẽnere

Dilutio.

nère suo non sit mortalis, nisi grauibus circunstantijs aut scandalo augeatur.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, q; seruus nõ est heri in ijs, quæ sunt naturalia, sed in alijs seruitijs, quæ naturalibus adijciuntur. Et ideo licèt non possit aut se aut sua quantùm ad alia obsequia alteri tradere, potest tamen quantum ad munus illud generandi, quòd sibi à natura conceditur, in quo à Domini seruitute exemptus est.

Solut. 2. argumen. ¶Ad secundum per proximam solutionẽ partim respõsum est. Non enim seruus tenetur Domino obtemperare, si eum ab illo iure cohibeat, quod ei natura largitur sed in reliquis. Vnde si dominus seruo facultatem faciat ineundi matrimonij cum ancilla, quanuis non ideo eum libertate donet aut donare censeatur, iure tamen cogitur, eum permittere cum uxore habitare, saltem quantum ad honestam solutionem debiti, non obstante detrimento, quod sibi inde accrescat. Quare tunc non potest in longinquam regionem eum uenditum emittere. At uerò dum absque eius facultate seruus furtim se matrimonij uinculo irretiuit, siue cum ancilla eiusdem uel alius domini, siue cum libera, non subinde à debitis seruitijs domino soluendis eximitur, ut Pontifex decreto citato admonet. Imò aiunt nonnulli, quod potiùs tunc inclinandum ei est in obsequium Domini, quàm in ius nuptiale. Veruntamen sapientiùs hic D. Thomas edocet, tunc prudentia opus esse ad discernendum, quãdo maritus ille seruus seruire potius Domino teneatur, quàm uxori, & quãdo uicem uertere. Primùm enim, quando domino nocumentum non nisi parui momenti agitur, debet uxori morem gerere. Attamen domino tunc aliquid imperante dum uxori reddendum est debitum, aliæue eius necessitati prouidendum, librãda est utriusque necessitas, ut maiori succurratur, quãuis in re præcipui momẽti domino sit obtemperandum. Et re dubia utra necessitas præponderet, potiùs in fauorem matrimonij est inclinandum, & tunc potissimum dum periculum carnis in coniuge timetur, ut ex capitu. Licet, eod. titulo colligitur. Nam ius naturale matrimonij iuri gentium seruitutis præfertur. Ibi enim cùm mulier diuortium postularet causata uirum suum esse seruum, & maritus contra allegaret, se esse liberum, re dubia in fauorem libertatis pronunciatũ est.

S. Thom. In fauorẽ matrimonij re dubia. Casus ca. Licet.

¶De alio uerò argumẽti membro, utrùm fas sit Domino seruum absque eius licentia coniugatum uendere, ut in extraneam prouinciam transmissus uxore priuetur, glossa citati capituli. 1. eodem titu. quorundam opinionem recitat dicentium esse licitum, & tunc subinde uxorem cogi eum sequi. Sed aliam contrariam amplectitur dicentium, talem uenditionem esse prohibendam, quia est in perniciem naturalis iuris matrimonij. Cui quidem sententiæ impræsentiarum Diuus Thomas patrocinatur. Præcipuè cùm non desit facultas seruum iusto pretio ubicunque atque adeo in propria patria uendendi. Aduersaretur enim in primis talis uenditio charitati, & forsan iustitiæ, nisi bona fide herus compulsus id faceret: ut si peregrè proficiscens, uel ad bellum, uel aliqua de causa secum seruũ duceret. & illic egestate pressus illum uenderet. Tunc uerò si maritus commodè posset illuc uxorem transferre, tenetur quidem illa obedire, si tamen ipsa sine graui detrimento eum sequi non posset, certè iure matrimonij non cogeretur, teneretur tamen uiuente marito castè uiuere, nec ulla ei irrogaretur iniuria, postquam sciens ac prudens seruo se adiunxit.

An liceat dominocõ iugatũ seruum uẽdere. Opinio quorundã. Opinio uera.

Solutio. 3. argumen. ¶Ad tertium negatur, simile ius seruo suffragari, ut inuitis dominis religionẽ profiteatur: nulla enim est in hac parte religionis cum matrimonio similitudo. Nam per matrimonium seruus non omnino à seruitute subducitur: quandoquidem potest ad horam rei uxoriæ uacare, & protinus ad seruitia redire. Votum autem solennе religionis totum hominem absorbet, ut semper teneatur obedientię prælati præsto adesse, atque adeò à seruitijs domini semper abesse. Item, quia per matrimonium, ut dictum est, non se obligat homo uxori, nisi in illo officio naturali generandi, sed religioni obligatur monachus in omnibus alijs operibus, quæ Domino debet. Et ideo furtũ sui ipsius faceret seruus religionem ingrediens. Potest tamẽ etiam inuito domino uotum castitatis emittere: quia in hoc non ei subditur. An uerò possit ordines sacros suscipere, distin. 25. copiosè respõsum est.

Prima ratio discriminis.

Rõ secũda

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS II.

Vtrum seruitutis conditio aliquo saltem modo matrimonium impediat.

POstquam simpliciter ius patet seruis matrimonium cõtrahendi, quæritur, utrùm aliquo saltem modo per seruitutem impediatur. Et arguitur a parte negatiua. Nihil matrimonium prohibet, nisi quod ei aduersatur: seruitus autem, ut modo definitum est, nõ est matrimonio contraria: ergo illud non impedit.

Partis negatiuæ argum. 1.

2. Arg. ¶Secundo. Id, quod contra naturã est, impedire illud nequit, quod est secundùm naturam: seruitus autem est cõtra naturam, ut Institu. de iure personarum, & l. Libertas. ff. de statu hominum, habetur: ergo non impedit matrimonium, quod est secũdum naturam. ¶Tertio. Impedimentum matrimonij nihil refert, sciatur ne an ignoretur, ut patet de cõsanguinitate & affinitate: sed seruitus scita non impedit: ergo neque ignorata.

Tertium argument.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est decretum Innocẽtij, Ad nostram, de coniugio seruorum, ubi qui ignoranter contraxit cum ancilla nexu matrimonij exoluitur.

Prima cõclusio. ¶Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Si liber ancillam ducat, quam credit liberam; uel si libera seruo nubat, quem credit liberum, matrimonium nullum est. Conclusio præterquam decretali allegata, atque alijs eodem titulo confirmatur can. Si quis liber, & can. Si quis ingenuus, & can. Si fœmina. 29. quæstione. 2. Ac deinde ratione iure naturæ fulcita. Contractus coniugalis eam uim habet, ut alterutrum se coniuges obligẽt, tum debitum sibi inuicẽ reddere, tum in eadem domo & proles educare, & gubernare familiam: si ergo aut uir aut fœmina impotẽs est hæc munera persoluere, ignorantia eiusmodi personæ contractum uitiat, atque adeò matrimonium tollit. At uero sicut per impotentiam coeundi fit homo inhabilis ad soluendum debitum, ita per seruitutem ad libere soluendum atque ad alia obeunda domestica munia: ergo sicut ignorata impotentia coeundi matrimoniũ aufert, ita & ignorata seruitus: quoniam, uti ait Philosophus, ignoratia libertatem tollit: ideoque eiusmodi consensus non censetur spontaneus.

Ratio.

Dubium. ¶Dubium autem est, an hoc impedimentum sit de iure naturæ, an uerò solùm de iure Pontificio. Videtur enim quod sit de iure naturæ: nam error personæ, ut si quis credens se contrahere cum Maria, contrahat cum Ioãna, est impedimentum iure naturæ: quia non exstimatur consensus: ergo idem est de conditione seruitutis. Paludanus distinctione præsenti, quæstione 1. ait, hoc non esse impedimentum nisi ex statuto ecclesiæ, neque esse simile de errore personæ. Et certè ita uidetur: nam hic non est, nisi error qualitatis: & ideo si statutum ecclesiæ non obstaret, matrimoniũ teneret. At uero statutum hoc, multùm (ut dicebamus) iure naturæ fulcitur: nam per eiusmodi errorem plurimum homo detrimentorum accipit, cum ex ancilla non possit suscipere filios nisi seruos, ad ordines sacros atque ad alios honores publicos obeundos minus idoneos. Obiectio. Quæ quidem incommoda iniquissimum esset, hominem insciũ pati. Quod si quis arguat. Peius est homini ancillam diaboli: hoc est, peccatricem, in uxorem accersere, quàm ancillam legalem: sed illud impedimentum non obstat: ergo neque hoc. Negatur consequentia: quoniam licèt peior sit seruitus spiritualis, non tamen est fini matrimonij tam incommoda.

2. Concl. ¶Secunda conclusio. Quando inter seruũ & liberam, aut inter liberum & ancillam, conditione seruitutis cognita matrimonium cõtrahitur, solidum est & legitimũ. Cõclusio est eisdem citatis canonibus definita. Et ratio est liquida: quoniam cùm seruitus, ut superiori articulo definitum est, substantiæ matrimonij nõ obstet, sciẽtique & uolenti nulla fiat iniuria, cõsequitur, ut quanuis ingenuus sit contrahens eadem incommoda & detrimenta ex coniugio ancillæ in liberis cõtrahat, nihilominus consensus ille suus liber meritò reputatur, ut matrimoniũ consistat. Quapropter, ut superiùs adnotauimus, impedimentum seruitutis nõ inter necessaria, sed inter uoluntaria matrimonij impedimenta connumeratur.

Ratio conclusionis.

Ignorãtia de illa sermonẽ habemus, quæ usu & more reputatur ignorantia: nam leuissima, quippe quæ facilè purgari poterat, pro nulla reputatur. Qui enim cũ atra muliere & uili contraxit, quam ab hero infimè tractari uidebat, non censeretur ab ecclesia eius seruitutem ignorasse. Imò tã crassa esse posset ignorantia, ut in conscientia ille censeretur nõ ignoranter, sed sciens cum ancilla contraxisse. Mox in prima cõclusione notandum uerbum si liber ancillam ducat, nam si liber ingenuam duxerit quam putat esse ancillam, matrimonium non tollitur: quoniam error erat conditionis peioris: quare non censetur error. Neque si seruus ancillam ducat, etiam si ingenuam esse credat, matrimonium uitiatur, quia cùm æqualis sit utrinque obligatio, non est cur seruus in coniuge meliorem conditionem requirat, quàm ipse in se habet. Ex quo fit, ut in summa dicamus, quod seruitus nunquàm matrimonio obstat, nisi quando ab illo coniuge ignoratur, qui liber est. Vbi autem re uera nulla interuenit seruitus, licèt interuenire creditur, nullum est impedimentum. ¶Sed est præterea animaduertendum, quòd si ingenuus, qui ancillam, quã liberam crediderat, duxerit, postquam illã audiuerit esse ancillam, idque crediderit, aut probabiliter fuerit opinatus, carnaliter cognouerit, matrimonium sine alio consensu nouo fit legitimum: quia iam tunc censetur simpliciter consentire, & ita in foro eccle siæ præsumitur, ut patet capit. Proposuit. & capitul. Ad nostram. eod. titu. Imò & in conscientia sic pariter est iudicandum, nisi quando accessit, mente proposuerit. non tanquàm ad uxorem, sed tanquàm ad concubinam accedere. ¶Quid autem si in genuus ancillam duxit, quam liberam esse arbitrabatur, sed tamen quanuis nosset es se ancillam eam nihilominus duceret? Ricard. dist. præsenti artic. 1. respondet, quòd si in animo teneat, quòd etiam cum illa contraheret, licèt esset ancilla, matrimoniũ tenet. Non dicit simpliciter, quòd si esset ancilla, eam etiã duceret: nam huiusmodi cõditionales nihil ad rẽ ptinẽt, sed si in animo teneret: hoc est, talẽ habere affectum & consensum: scilicet, quanuis ancilla hæc esset, illam ducerẽ. Et ideo non prorsus probabilitate caret, nam uidetur ille tunc in ancillam consentire. Nihilominus explicatiùs respondendum est. Si enim expresè dicat, Duco te in uxorẽ quanuis sis ancilla, tum licèt credat esse ingenuam, uerum est matrimonium: quia consensus practicus fertur in ancillam, & ideo ignorantia speculatiua non obstat. Sed si seorsum apud se habeat illum cõsensum, Quanuis hæc esset ancilla, illam ducerem, nihilominus in consensu, quo contrahit matrimonium, nec uoce nec mẽte explicat illam conditionem, sed absolutè contrahit cum hac, quam credit esse liberam, re uera matrimonium non celebratur: quia canones simpliciter hmõi consensum pro nullo ducunt. Nisi postea cognita cõditione absolutè integretur. ¶Ex his colligitur, quòd si herus ancillæ ingenuo eam sua sponte desponsauerit, quanuis sponsus credat fuisse liberam, matrimonium uigorem obtinet, ut ait glossa super dicto ca. Ad nostram. & illic Panor. Et habetur in authen. de nuptijs. §. Si uerò ab initio, colla. 4. quoniam eo ipso, quòd dominus ancillam ingenuo nuptum tradidit, eam manumittit, & libertate donat. Imò si sciẽs, tacet, ut illic ait Panor. quia in tali casu qui tacet, consentire uidetur. Secus si tradat eã seruo. Vnde à fortiori si Dominus ancillam suam propriam in uxorem duxerit, matrimoniũ tenet: quia eo ipso liberam facit. Et de hoc extat lex regia in Hispania. Quid autem si postquã ancilla insciо domino ingenuo nupserit credẽti esse liberam, dominus eam manumittat? Respondetur, per hoc solum matrimonium non firmari, nisi nouus cõsensus utrinque accedat, quia illac usque nullum erat matrimonium. ¶Sed percontaris utrùm si dominus ancillam nuptam secretò manumittat, & pòst maritus manumissionem ignorans, eam cognoscat, uinculũ inde matrimonij innodetur. Palu. dist. præsenti. q. 1 quorundam refert opinionẽ dicentium tunc matrimonium iniri: quia ecclesia, cuius instituto hoc impedimẽtum innititur, decreuit impedimentum esse, nisi quandiu error durat: & iam tunc maritus credens esse liberam, nõ fallitur. Nescio tamen an contraria opinio sit probabilior: uidèlicet, matrimonium non cõualescere, nisi maritus nouerit esse manumissam: quia consensus ab initio nullus fuit, & illa ignorantia, qua scilicet credebat ab initio fuisse liberã, semper durat.

Si liber ancillam &c.

Error me dioris pariter cõditionis nihil matrimonio obstat.

Regula generalis.

Dubium.

Soluti oRicardi.

Autoris solutio.

Quãdo herus ancillã ingenuo locat.

Dubium.

Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Libertas perpetua.

Quare copula tunc non reputatur nouus consensus. Ita tenet glossa super cano. Si quis ingenuus. 29. q. 2.

¶Ad hæc cùm de libertate loquimur, perpetuam intelligimus: nam si fortè herus ancillam in tempus donauerit libertate, ut postea in seruitutem retrahatur, quanuis eo libertatis tempore eam ingenuus duxerit, credens esse liberam, matrimonium est nullum. Secùs si in perpetuũ fuerit manumissa: nam tunc licèt ingenuus credat nunquam fuisse ancillam, & si crederet, nunquam illam duceret, nihilominus matrimonium tenet, quandoquidem liberta in ratione matrimonij contrahendi, uerè libera est.

Dubium.

¶Vtrùm uerò ad dissoluendum huiusmodi matrimonium, postquam ingenuus nouit coniugem suam esse ancillam, requiratur publicum ecclesiæ iudicium, ambigere quispiam potest. Respondetur tamen, ut supra de adulterio diximus, & inferiùs de consanguinitate dicturi sumus, quòd si certior ipse factus fuerit, potest propria autoritate separare se quoad torum: imò si matrimonium fuerat clandestinum, poterit etiam quantum ad cohabitationem. Si uerò fuerit in facie ecclesiæ celebratum & ipsa reclamauerit, necessarium est, ut in foro iudiciali cognita causa pronuncietur esse ancillam. iuxta cap. Porrò. supra citatum de diuortijs. Quicquid de ingenuo respectu ancillæ dictum est, de ingenua respectu serui intelligatur.

Solutio.

Dubium.

¶Postremum dubium est, utrùm si quis cũ ancilla contraxit, ingenuam arbitratus, & postea conditionem resciscens uult cum illa coniugium confirmare, teneatur ipsa an illa consentire. A parte enim affirmatiua hoc pugnat argumentum. Illud matrimonium ab initio solum ex parte ingenui cõiugis claudicabat: nam illa uerè consenserat: ergo si postea ipsa uult consentire, ipsa tenetur in suo consensu permanere. Nihilominus respondetur, iure matrimonij ancillam non teneri consentire: nam cum matrimonium nequeat ex una parte claudicare, & consensus ancillæ ab initio nullus fuerit, matrimonium nullum erat. Et ideo nisi denuo consentiat, nihil fit. Quare si alteri nubat, secundum tenet matrimonium. Attamen ob honestatem promissæ fidei deberet induci ut consentiret, non tamen iure cogi. ¶Ad hæc in calce notandum, quòd quousq; homo seruus esse probetur, in possessione libertatis tuẽdus est. Imò uerò libertas decennio præscribitur. Quare si seruus in coniugio tanto tempore durauerit, non potest ab hero repeti.

Sol. 1.

¶Ad primum igitur arg. respondetur, q̃ si seruitus per se substantiæ matrimonij nõ obstet, ignorata tñ obstat eius cãæ: nempe, libertati consensus. ¶Et per hoc tertiũ arg. diluitur. Conditio. n. seruitutis nõ est per se impedimentũ, ut cognatio, sed relata ad consensum. Et iõ ignorata impedit, scita uerò minimè: cognationem uerò aut cognosci aut ignorari nihil refert. ¶Ad secundum rñdetur, nullam repugnantiã involui aliquid esse uno modo contra naturam & alio modo secundum naturam. Seruitus nanq; est contra primam intentionẽ naturæ: si. n. integra maneret, qualis erat in statu innocentiæ, seruitus illi repugnaret. Sed tamẽ est conformis secundæ intẽtioni naturæ. Etenim postq̃ per peccatum corrupta fuit, ex qua utique corruptione bella exorta sunt, & egestates, atque aliæ ærumnæ, & miseriæ, hoc hẽt contra mortem, quæ homini in bello imminet, remedium, ut in seruitute uictus seruetur. Et pariter, ut antiquus mos erat, qui extremæ inopia præmebatur, ut se ipsum uenderet. Hoc. n. pacto, ut 2. de cœlo autor est Philosophus, senium & quæcunq; rei corruptio contra naturam est: quippe quæ nullum intendit malum. Est tamen corruptio illa rõne secundum naturam, quod intendit per generationem corruptibilia indiuidua conseruare, & nõ ualet unum nisi per alterius corruptionem gignere.

Sol. 2.

Inopia.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm seruitus matrimonio superuenire possit.

Dictũ est de seruitute matrimonium præcedente, quæritur subinde an possit matrimonio superuenire. Et arguitur à parte negatiua. Quia in fraudem nocumentumq; alterius factũ est, pro rato haberi non debet: quod autẽ se uir ipsum uendat in fraudem cedit, aut saltem in detrimentum uxoris: ergo uenditio illa irrita est. ¶Secundò. Vir & uxor in ratione matrimonij ad paria, ut dictum est,

Pars affirmatiua.

1. Arg.

est, iudicantur: uxor uerò non potest se, inuito coniuge, in ancillam uendere: ergo neq; maritus inuita uxore. ¶In contrarium est, quòd unusquisque potest id alteri dare, quod suum est: homo autem liber est sui iuris: ergo pôt se ipsum uẽdere.

Decisio artic.

¶Cùm duplici ratione in seruitutem quispiam redigatur: scilicet, aut ratione belli, ubi iustè capitur, aut quia se homo ipsum uendit, de priori seruitute nemo ambigit: quia fit uiro inuito, eademq; rõne possit & uxor in seruitutem uenire. Sed de posterioti mouetur quæstio, ad quam breuissima

Cõclusio.

conclusione respondetur. Vir facultate uxoris non expectata potest se in seruũ uendere & dedere. Probatur: quia uir non est

Ratio.

uxoris nisi quantum ad torum, ubi opera procreandis liberis datur: de hoc enim ũsu ait Paulus, Vir non habet potestatem sui, sed uxor: in reliquis uerò est suarum actionum dominus: ergo saluo iure uxoris petendi debitum, cui ipse dum possit respondere tenetur, potest se alteri in seruũ dedere. Itaque sicut seruus nolente domino potest se in matrimonium tradere, ita & liber nolente uxore in seruitutem mancipare. Quocirca per huiusmodi accidentem seruitutem neque matrimonium distrahitur, cùm fuerit legitimum, neque diuortium fit quoad torum: quia potest ipsa si uult in libertate manens uirum sequi: siquidem non subinde cogitur serua esse, cano. Perlatum, eadem cau. & quæst.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd quanuis maritus in fraudem uxoris seruituti se se uendens mancipet: uidelicet, quia illud arbitratur fore medium, ne cum illa, quam odiosam habet, cohabitet, facit quidem contra charitatẽ, iusq; subinde matrimonij uiolat, & fraus illa in suum ipsius caput refunditur, quia ex libero fit mãcipium: nihilominus quia iure suo utitur, non peccat contra iustitiã, quam debet uxori. Veluti si ob eandẽ fraudem aliam sibi causam obtendens peregrè

Sol. 2. arg.

proficisceretur.

¶Ad secundum respondetur, quòd quanuis in re uxoria pari iure ambo coniuges teneantur, nihilominus in re domestica uir est caput uxoris: quare non quicquid ipse ea renuente ualet, ipsa quoque absque uiri facultate potest: atque adeò absque uiri facultate obtenta nequit se in seruitutem dedere.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm filij debeant conditionem patris sequi, an potius uentris.

Partis negatiuæ ar. primum.

TANDEM de seruorum filijs quæritur, patris ne an matris cõditionem sequantur. Arguitur. n. q̃ debeant sequi conditionem patris. Primò, quia a digniori debet fieri denominatio: & pater in generatione dignior est. ¶Secundò, quia esse rei est à forma, sicut esse rationale est ab anima: pater autẽ, ut 15. de animalibus autor est Philosophus, in generatione se gerit ut forma, mater autem ut materia. ¶In contrarium autem est, quòd dum quis in agro seminat alieno, fructus cedunt in dominium illius, cuius est ager: sed mulier se habet ut terra, quam uir seminat: ergo partus sequitur conditionem uentris.

2. Argum.

Pars affirmatiua.

¶Quæstiuncula hæc facillimæ expeditionis est, quia tota in iure positiuo collocatur, licèt rationibus sit naturalibus subnixa. Respondetur ergo duabus conclusionibus. Prima. Secundùm leges ciuiles partus sequitur uentrem. l. Partum. C. de rei uendica. Quæ quidem indiscriminatim loquiturs siue ex legitimo coniugio siue ex uago concubitu nascatur. ff. verò de statu homi. l. Lex naturæ, fit restrictio, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio sequatur matrem, nisi lex specialis aliud inducat. Quibus uerbis utitur Isidorus can. Liberi. 32. q. 4. ubi addit, quòd qui ex libero matrimonio orti sunt: scilicet, ex libero & ancilla, deteriorem partem sequuntur. Nec ualet glossa dicens, per deteriorem partem intelligi matrem: quandoquidem illic fit distinctio inter natos ex legitimo uel sine legitimo matrimonio: & hos dicat sequi matrem, illos uero deteriorem partem, scilicet seruitutem siue matris, siue patris. At uerò uniuersaliùs seruatur lex Codicis sine distinctione. Et idem insinuat Gregorius. 9. capit. Vnico, de natis ex libero uentre, dicens, quòd filij libertæ aut liberæ non retrahuntur ad seruitium. ¶Secunda conclusio. In his, quæ pertinent ad dignitatem, sicut in honoribus publicis, & municipijs & hereditate & alijs proles sequitur patrẽ. Et utriusq; ratio ait. S. Tho. est, quia proles habet a patre complemẽtum

Isidorus.

Glossa.

Grego. 9.

Secunda conclusio.

Ratio S. Thomæ.

formale, sed à matre substantiam corporis. Seruitus autē, corporalis conditio est, cùm seruus sit quasi instrumentum domini in operando: & corpus sit animæ seruitium, honor uerò & illa quæ ad perfectionem attinent, sequuntur formam, atque adeò patrem. ¶ Ricardus uerò hanc rationem satis firmam non existimat: quoniā libertas honorabilis conditio est, & nihilominus sequitur etiam uentrem. Item filij non solùm in hereditate patris, sed etiā matris succedunt. At uerò Ricardus nō satis rationis neruum inspexit: nam D. Thomas, eius, quod suapte natura constat, rationem non affert: libertas autem suapte natura, nisi aliunde obnubiletur, hominibus congruit. Ait ergo quòd macula seruitutis non nisi ex uentre contrahitur: si autem mulier sit libera, seruitus non contrahitur à patre seruo, quare ex natura rei libertas pullulat. Defectus autem hæreditatis non contrahitur ex matre sicut defectus seruitutis, sed ex natura rei sequitur hæreditas & patrem & matrem. Nihilominus & rationes aliæ Ricardi bonæ sunt. Partus nanque ratione matris certitudinem habet, non autem ratione patris. Et hanc arbitror rationem secundum leges ciuiles esse optimā: sicut fructus undecunque seminentur, certum est ab ista terra produci, & ideo cedunt in dominiū domini prædij. Et præterea terra est, quæ totam substantiam tribuit multiplicandi seminis, & in ea nutriuntur fructus, & pariter mater est, quæ totam corpulentiam fœtui ex suo sanguine subministrat: ita; ipsum sustinet, & in uentre nutrit, & labores perfert: quare naturali rationi consentaneum est, ut partus in dominiū heri matris ueniat. Et illa erat lex antiqua Exodi. 21. Si dominus dederit ancillam suam alicui in uxorem, & pepererit filios & filias, mulier & liberi eius erunt Domini sui. Ipse autem, si fuerit seruus ex Hebræis, septimo anno egredietur liber. Et est notandū, quòd ut partus sit liber, satis est matrem uno temporis momento antequàm fuerit partum enixa, esse liberam. §. 1. Insti. de ingenuis. ¶ Addit uerò S. Tho. in quibusdam terris, quæ iure ciuili: scilicet Imperatorum, non reguntur, partum sequi deteriorem conditionem, ut quanuis mulier sit libera, si pater est seruus, filij nascantur serui: dummodo ex matrimonio oriantur.

Ricardus.

Ricardus,

Aliæ rationes Ricardi.

Alia ratio

Exodi lex.

Nota.

Partus alicubi deteriorē cōditionem sequitur.

Et alludit ad præfatum cap. Liberi, Isidōri, ubi ait glossa, ꝙ secundum leges Lōgobardorum & Theutonicorum filij sequuntur deteriorem partem: scilicet, seruitutē aut patris aut matris. Intelligitur tamen lex, si pater ante contractum matrimoniū seruus fuerit, secus si post se ipsum uendiderit: quia non debet ingenua mater, quæ bona fide libero nupsit ex superuenienti facto patris iacturam in filiorum libertate pati. Vnde fit, ut si alicubi lex illa uiget, sequendi deteriorem partem, tunc si parentes sunt ambo serui diuersorum dominorum, domini illi debent inter se filios dispertiri, uel si unus fuerit tantū filius, tunc dominus, qui illum usurpauerit, debet alteri medietatem pretij refundere. At uerò non est credibile, ut ait S. Tho. in Repub. prudentium hominum hanc legem uigere, quandoquidem alia: scilicet, quòd partus sequatur uentrem, & legibus Imperatorum, & more plurimorum sapientiū & rationibus à natura profectis sit fulcita. Quare inter Hispanos, Gallos & Italos hęc more & usu seruatur. Verum est, quòd in odium mulieris, quæ seruo suo nupserit, antiqua lege cautum fuit, ut partus patrem sequerentur: essent scilicet serui, & omni nobilitate priuati, imò & à materna hæreditate exclusi, ut l. unica. C. de mulieribus, quæ se proprijs seruis iunxerunt.

Declaratio legis.

Nota.

Vsus imperitus.

¶ Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd licet pater sit dignior, quia principium agens: mater tamen dat substantiam corpoream, & corpus est, quod seruitio deputatur.

Sol. 1. ad

Solutio 2.

¶ Ad secundum respondetur, quòd propterea quòd pater dat formam, solùm sequitur esse specificum, atque adeò perfectiones filium potiùs à patre, quàm à matre ducere. Quapropter filij in rationis usu & prudentia patribus similiores nascuntur, quàm matribus, quibus ideo in publicis honoribus & hæreditatibus succedūt, atque adeò eorum nomina & stemmata sequuntur. Quocirca genealogiæ per lineā masculinam, potiùs quàm per fœmineam deducūtur, ut sacra nos etiam historia docet. Et ideo in Repub. illi qui nobiles per lineam paternam probantur, quanuis materna eis fuerit aut rustici aut contaminati sanguinis, iuribus nobilium fruuntur.

Filij similes patribus nascūtur.

ARTI-

ARTICVLVS. V.

Vtrùm ætas legitima contrahendi matrimonium recte in uiro statuta sit quartodecimo anno, & in fœmina duodecimo.

Parris negatiuæ arg. 1.

QVoniam defectus ætatis defectui libertatis quodammodo assimilatur, quæstio de ætate superiori de libertate adiungitur. Arguitur ergo, quòd ætas illa, quæ de nuptijs contrahendis lege præscribitur non sit idonea. Prouectior ætas ad consensum coniugalem exigi uidetur, ubi de statu totius uitæ deliberatur, quàm ad bonorū administrationem: hæredem aūt in bonorū possessionem leges non mittunt usque ad annum 25. ergo minor ætas ad matrimonium non deberet sufficere.

2. Arg.

¶ Secundò. Seruitus & imporentia coeundi tantum nocet matrimonio quantum puerilis ætas, sed illa non obstant, nisi dū ignorantur, ut superiùs dictum est: ergo cognita ætas illegitima non debet esse impedimentum matrimonij, quominus sit ualidum si contrahatur.

3. Arg.

¶ Tertiò. Fœmineus sexus non tanta rationis uirtute pollet, quàm masculinus: ergo diutiùs expectari deberet, ut matureſceret: non ergo satis illi consultum est, ut duodecimo anno fœminæ nubāt, cùm masculi non possint usque ad quartumdecimum contrahere.

Partis affirmatiuæ. Decisio articuli.

¶ In cōtrarium est lex canonica, quæ quatuordecim annos uiro, fœminæ uerò duodecim præscribit ¶ In ætate contrahendo matrimonio constituenda distinguendum est, quid de rigore liceat, quidve de honestate deceat. Institutores nanq; Reipub. ut Arist. 7. Politi. c. 16. tradit, non tantū quid liceat, sed quid deceat, contēplari debent.

Aristo.

Ait enim illic Philosophus, ꝙ si uires naturales consulamus, uirum spiritus gignē di anno septuagesimo aut circiter deficiūt fœminam uerò potestas concipiendi propē annum quinquagesimum. At uerò fœmina ad concipiendum circa annum decimumoctauum fit idonea: nam ante illum non nisi rarò, & plurimum fœmellas concipit, & cum magno periculo parit. Habet ergo mulier spatium triginta ferè annorum ad concipiendum. Et ideo tantum est uiris ad generationem indulgendum, ut ambobus eodem tempore uires exhauriantur. Quocirca fœminis decimusoctauus annus cōstituitur ad nuptias, uiris uero trigesimus septimus aut circiter. Præterquàm quòd citra hæc tempora alia incommoda subsequuntur: nam generatio non debet fieri nisi ex superfluo salua semper uiri substantia: dum autem uiri in tenerrima ætate rei Venereæ mācipantur, uires proprias extenuant, & malignè adolescunt, & proles corporis & uirium inopes gignunt. Nec fœminæ uterum habēt satis amplum, quo possit fœtus extendi & informari. Præterea, qui in pueritia rei Venereæ assuescunt, libidinosi maximè & intemperantes fiunt: quippe qui carnis illecebras ante tempus exuscitant & irritāt. Adde quòd pueri non debent ab ætate paterna aut nimiùm aut minimùm distare. Illi uerò qui in senectute rei uxoriæ operam impendunt, nec tenellis filijs oblectantur, ut iuuenes, neque illis possunt alimēta prouidere, imò crebrò non nisi post humos generant. Rursus qui in pueritia uxoribus se se dedunt, filios gignunt, qui non possunt parentes pro dignitate reuereri: quippe quibus sunt ætate ferè æquales. Hæc certè considerate deberent parēntes speculari, antequam teneros natos nuptialibus sarcinis & molestijs onerarent. At uerò leges nō tam decentiæ, quàm necessitati succurrunt, idcirco temporum rationem meditantur, quibus generationi homines operam nauare possunt.

Primū in cōmodū.

Secūdum.

Tertium,

Quartum.

In pueritia.

Nota.

Leges.

¶ Ad quæstionem ergo unica conclusione respondetur. Tempus legitimum matrimonij contrahendi est in uiro quatuordecim annorum, & in fœmina duodecim. Etenim in contrahendo matrimonio ratio habenda est, tum cōsensus, ut sit liber, tum etiam finis matrimonij, ut coniuges sint generare potentes. Et quantum ad rationem primam dist. 27. q. 2. ubi de sponsalibus agebamus tria temporis interstitia distinximus. Primum scilicet, quo homo, licēt per se satis consulere, sibi nequeat, potest tamen qualecunque ab alio consilium capere: & illud est in fine primi septennij. Et ideo licēt tunc non possit se in legitimum matrimonium tradere, potest tamen illud polliceri, postmodum legitima ætate complendum: quare illis tēporis articulus sponsalibus est idoneus.

Cōclusio.

Status tēporis triplex. Primus.

Secun-

Secundus. Secundum tempus est in fine secundi septennij, quo potest de se ipso disponere: nam habet tunc rationis lucem, ut liberè possit in matrimonium consentire.

Tertius. Sed quia id ad dispensationem & administrationem bonorum maturius iudicium exigitur, expectatur finis tertij septennij.

Potentia generādi. At uerò quantum ad potentiam generandi illo etiam tempore secundi septennij, ut experientia docet, reperitur in uiro, licet, ut diximus, malignè fiat & indecenter. Igitur cùm matrimonium, eo quòd ex una parte contractus ciuilis est, & ex altera à natura ad generationem inditum, subiectum est & iuri humano positiuo & naturali: utraq; ergo ratione, & liberi cōsensus & generationis considerata, leges tempus matrimonio contrahendo diffinierunt: quatuordecim. s. annorum in uiro, & duodecim in fœmina. Vnde capitu. Quod sedem, de frigidis & malefic. puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio. Et de desponsatio. impub.

Nicol. papa. cap. Vbi, ait Nicolaus, Districtius inhibemus ne aliqui, quorum uterque uel alter ad ætatem legibus uel canonibus determinatam non peruenerit, coniungantur. Lex autem ciuilis est de ritu nuptiarum. Minorem. Nam de ætate septem annorū in sponsalibus, est lex, In sponsalibus. ff. de sponsalib. Canones autem sunt, ca. Literas. & cap. Continebatur, & cap. Attestationes, de desponsatio. impube. Et intelligitur impedimentum hoc non solùm

Impedimē tum etiam dirimens. impedire contrahendum, sed etiam dirimere contractum. Veruntamen ante illā ætatem spōsalia, ut dictum est, ualēt post septennium: & quanuis matrimoniū per uerba de præsenti tunc ante secundū septennium contrahatur, non ualet nisi pro sponsalibus. de desponsa. impub. cap. Vnico. lib. 6. Quare nisi post legitimam ætatem denuò consenserint, separari posſūt. Tametsi propter fidem præcedentem, nisi causa aliqua legitima interceſſerit, teneantur de honestate matrimonium nouo consensu perficere. Si uerò ante talem cōsensum alia mrimonia confœderauerit illa tenēt. ¶ Et tamen adnotādum, ꝙ cùm hoc tēpus ecclesia arbitrāmēto quodā usa cōstituerit, nō est tā punctim considerandū, quominus si circiter illud spōsi copulā consummauerint, mrimoniū teneat. Ita habetur eo. ca. citato Cōtinebatur, & cap. De illis. 2. & cap. fi. eod. tit. Nā ut ait Philosophus 2. Physico. parum pro nihilo reputatur. ¶ Quòd si rursus efflagitaueris, quantum sit illud paruū tempus? Multi dicunt esse semestre, ut glossa eiusdem ca. Continebatur. nam dimidiatus annus postremus pro completo habetur. Determinatio est iuris ciuilis. l. Non tantum. ff. de excusatio. tutorum. At uerò glossa. §. Pupillus. Instit. de inutilib. stipula. & glossa in summa. Instit. de oblig. quæ ex delicto. ait, quòd masculus ab anno decimo cum dimidio incipit esse pubertati proximus: quia inde iam transiuit medietas secundi septennij. Et ita tenet Panorm. & Syue. uerbo, Matrimo. 5. Attamen quicquid sit de alijs contractibus impuberum tamen in contrahendo matrimonio non designatur nisi undecimus in fœmina, si modò copula consummetur. Vt cap. citatum Continebatur. ait, scilicet, quòd si fœmina fuerit ætati proxima: nempe, in undecimo, uel circa duodecimum annum & cognita fuerit à uiro, undecimus annus satis est cum consummatione copulæ. Ni si satius cum S. Thoma dicere existimaueris supra distin. 27. quæst. 2. art. 2. quòd usus rationis secundùm conditionem contrahentium determinetur: quia in quibusdam magis àcceleratur rationis usus, quā in alijs. Et tunc, scilicet accedente copula, ut habetur cap. citato. De illis. ætatem malitia suppleuisse uidetur. In capi. uerò finali dicitur, prudentiam tunc supplere ætatem. Et potest utrunque optimè dici. Nam cum, ut modò dicebamus, ad statuendum tempus contrahendo matrimonio utriusq; cōsideratio habenda sit: scilicet, & causę: nēpe, consensus, & finis: putā, generationis, quādo paulò ante legitimū annū acceleratur rōnis usus, tūc dicitur prudentia supplere ætatē, quādo uerò tūc ac celeratur potētia coeūdi, dicitur malitia supplere ætatem: quoniam præcox illa & præpropera potētia ab exuberanti carnis insultu nimiaq; concitatione illecebræ prouenit, quæ re uera meritò malitia uocari potest ab originali culpa contracta. ¶ Grauius tamē morale dubium hinc emergit, utrūm ad hoc, quòd mrimonium circiter tēpus legitimū ualidū sit, sufficiat ꝙ prudētia ætatē supppleuerit: id est, usus rōnis fuerit acceleratus: uel ꝙ sola malitia illā suppleuerit, s. potentia coeūdi, uel an

Parum temporis quo Semeſter

Opinio S. Thom.

Malitia supplet prudentia ætatem.

Prudentia supplet ætatem.

Malitia supplet.

An simul debeāt potentia & malitia supplere ætatem.

an requirantur ambo simul concurrere. Hic primum meditandum est, unde malitia illa: hoc est, potentia coeundi, explorari possit: utrūm non aliunde percipi legitimè ualeat, quàm si re uera impuberes illi copulam consummauerint. Id enim in sinuare uidetur Alexander citato cap. Cōtinebatur. s. si cognita puella à iuuene fuerit. Sed in allegato ca. De illis. non habetur, nisi quòd si ita fuerint ętati proximi, quod potuerint carnaliter coniungi: ubi

Opinio. sola potentia exigitur. Et ideo bipartiti sunt Iurisperiti, alijs asserentibus copulam requiri, atque alijs, sufficere potentiam. Quapropter si compertum sit masculum cum alia copulam consummasse, & fœminam cum alio, si inter se per uerba de præsenti prope legitimum annum consenserint, etiam ante copulam tenet, ut isti dicunt, matrimoniū. Atq; hanc opinionem amplexus est Sylu. uerb. Matrimonium. 5. q. 3. Et est valde probabilis in conscientia, quanuis tutius esse crediderim, copulam inter ipsos expectandam, ut in foro iudiciali sententia pro matrimonio pronuncietur. Et sufficit, quòd se maritali affectu commisceant, cum consensu præcedenti siue de præsenti, siue de futuro, qui eatenus non ualebat nisi pro spōsalibus. ¶ At uerò utrum si nulla interueniente copula maturescat ratio paulo ante annum legitimum, matrimonium tunc teneat, dubium est propter dictum ca. fi. ubi nulla facta fuit mentio copulæ, sed solum insinuatur, quòd si prudentia supppleret ætatem, matrimonium ualeret. At quia non constabat, pronunciatum est cō sensum de præsenti non ualuisse nisi pro sponsalib. Et accedit argumentū, quòd ut dist. 27. q. 2. art. 2. cum D. Thoma prædiximus, licēt primum septennium non fuerit completum, sed circiter, sponsalia censentur: pariter ergo in matrimonio circa quartumdecimū cōtrahendo uidetur iu-

Sententia authoris. dicandū. His tamē nō obstantib. nullatenus asserere auderē, ualere mrimoniū ante legitimū tēpus, nisi copula uerē fuerit cōsummata: uel saltē sponsi fuerint ad id idonei. Ità tenet cū Panor. Sylue. uer. Matrimoniū. 5. q. 2. quia in nullo canone hoc permissū hēt, & in cōtrahēdo mrimonio nō licet arbitrari, sed uerbis canonū insistere. De sponsalib. aūt, ubi cōtractus non est tā firmus, quin plurib. de causis ualeat irritari, non tantū imminet periculi tempus legitimo ꝓximū legitimū arbitrari.

Dubium. ¶ Quòd si rursus quis scisciteturꝰ Quid si fœmella ante undecimum annum, in decimo fortè, & uir in duodecimo copulam affectu maritali consummauerint, aut citiùs, in quibus tāta rationis lux effulgeat, quanta solet in maioribus. Casus enim ꝓ

Hierony. fectò non est impossibilis. Hierony. nanque in epistola ad Vitalem cōiecturas adfert, Salomonem decimo anno Roboam genuisse. Et Achaz Ezechiam. Quicquid autem de illis patrib. ueritas habeat, Gre

Gregor. go. 4. lib. dialogo. ca. 19. refert. puerum nouem annorum nutricem suam fœcundasse. Et Albertus dist. præsenti ait, se uidisse

Albertus Magnus. puellam in nono anno concepisse, & peperisse in decimo. Igitur ubi id usu uenerit, & rationis usum constiterit esse tantū

Sol. dubij. qui consensum faciat liberum, profectò non est cur negetur, matrimonium oriri, ut Sylues t. loco proximè citato ait: quoniam omnia ad matrimonium necessaria concurrunt. Nam ætas quatuordecim aut

Nota. duodecim annorum non est prescripta ni si propter arbitrium, ut dicebamus: quia non existimantur minori ætate impuberes ad liberum consensum & generationem idonei. Et ideo ubi experimentū contrarium palam edocet, arbitrarium iudicium cessat.

Solut. primi argu. ¶ Ad primum itaque argumentum respondetur interempta maiori. Lucidius enim rationis lumen requiritur ad administranda temporalia bona, quàm ad matrimonium, tum quòd ad hoc natura ipsa est magis propensa, tum quòd bonorum dispensatio multis est periculis & fraudib. peruia. ¶ Ad secundum respōdetur, quòd

Solutio secundi arg. immatura ætas non solum est impedimētum propter impotentiam coeundi, sed propter defectum usus rationis, qui est libero consensui necessarius. Et ideo siue cognita sit siue incognita ab altero contrahentium nihil refert. ¶ Ad tertium re-

Solu. 3. ar. spondetur, quòd potentia concipiendi, ut 9. de animalibus. autor est Philosophus, priùs aduenit fœminis, quàm gignēdi potentia masculis. Item in masculo uegetior matrioriq; ratio exigitur ad gubernandam & fœminam & domum, quàm in fœmina ad parendum uiro. Vtraq; ergo de causa minori ætate fœmina nubilis est, quàm uir connubio idoneus.

DISTIN-

DISTINCTIO TRIGESIMASEXTA, De impedimento criminis quo tori fit diuortium.

Textus. Cap. 1.

POST impedimenta frigiditatis, & maleficij, quæ uel naturæ uitio, uel dæmonis astu accidunt, sequuntur impedimenta criminis, quæ de uoluntatis nequitia prodeunt. Inter hæc primum se offert adulterium, cuius causa ius sit innocenti ab adulterio diuertendi, iuxta

Matth. 19. uerbum Redemptoris, Quicunque dimiserit uxorem suã, nisi ob fornicationem & aliã duxerit, mœchatur. Ratio e-

Cap. Peruenit de iudæis. nim legis sinit, ut fides ei frangatur, qui fidem fregit. Septẽ uerò casus sacrosancti canones diuino iure & naturali subnixi exceperunt, quibus legem illam moderandam curarunt: nempe. si uir quoq; eodem flagitio, quo uxor, implicatur: paria enim delicta, ut lex ait, mutua compensatione tolluntur, & ideo lege, quam ambo contempserunt, neuter est uindicandus. Quare nihil iniquius est, autore Aug. quàm causa fornicationis uxorem dimittere, si ipse conuincitur fornicari. Mox, si uxor per uiri lenocinium adulterata est: illud enim mariti scelus, licèt uxorem non excuset, ipsum tamen onerat. Deinde, si bona fide maritum defunctum arbitrata alteri nupserit. Præterea, si per ignorantiam adulterium ab eo passa, quem arbitrabatur esse maritũ. Cui proximè accedit, si per uiolentiã id fuerit perpessa, ut lib. 2. de Ciui. Dei. docuit Aug. Adde sextò, quòd postquàm fuerint coniuges reconciliati, nisi denuò committatur delictum, diuortio non patet locus. Ac demum, si uxor in infidelitate per libellum repudiata alteri nupserit, & cum priori marito catholicæ fidei nomen dederit: cogitur enim tunc eidem priori uiro uxor esse.

Cap. 1. ¶ His ergo exceptis casibus non modò uiro fas est uxorem fornicariam dimittere, uerùm & ratione cauendi scandali eaq; corrigendi nonnunquam tenetur: nam ut in Prouerb. est, qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem tenet adulteram stultus est & insipiens. Unde Chryso. Sicut crudelis & impius est qui castam dimittit uxorem, sic fatuus est & insipiẽs qui retinet meretricem, patronus siquidem criminis est qui celat crimen uxoris. Postquã uerò adultera resipuerit, spemque de se fecerit cautiùs pòst uiuendi, salubrius sæpè consilium est illam retinere. Nam ut Augu. ad Pollentium ait, Non est durum reputandum, ut coniux adultera per pœnitentiam sanata uiro reconcilietur. Atqui cum par sit utriusque coniugis obligatio fidei, pari subinde iure hac parte uxor cum uiro protegitur, ut possit adulterum quoque relinquere. Unde Aug. Indignantur, inquit, mariti si audiant adulteros uiros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tanto grauiùs eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & uirtute uincere, & exemplo regere fœminas. Et Inno. Papa, Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat.

Cap. 3. ¶ At uerò diuortium euangelicum non ueluti repudium cẽsendum est, quo Iudæi arbitrabantur matrimonium distrahi. Nam ut Inno. 3. ait, sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ipsum in coniugibus perdurat. Quocirca ne utiquã neu dimittenti neu dimissæ ad alias cõuolare nuptias fas est, dicente domino, Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Et Paul. His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à uiro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam. Et ad Roma. Quæ sub uiro est mulier uiuente uiro alligata est legi. Et paulò inferiùs. Igitur uiuente uiro uocabitur adultera si fuerit cum alio uiro. Unde

Hierony.

Prou. 18.

Ca. Sicut. 32. q. 1.

Ca. Quod autem. 32. q. 1.

Can. Christiana. 32. q. 5.

Ca. Quãto de diuort.

Matth. 5.

1. Corin. 7

Roma. 7.

Universidad de Deusto Biblioteca

Matth.19. Can.Dixit Dominus. 32.q.7.

Hierony. Vbicunque, inquit, est fornicatio, liberè uxor dimittitur. Sic autem uir priorem dimittere iubetur uxorem, ut prima uiuente secundam non habeat. Et August.

Can. Licitè.32.q.7.

ad Pollentium, Licitè, inquit, dimittitur uxor causa fornicationis, sed manet uinculum prioris, propter quod sit reus adulterij quicunque dimissam duxerit. Et infra, ambos coniuges in hac causa exæquans, Necesse est, inquit,

Lib. 2.c.9.

ex duobus coniugijs quatuor adulteros fieri, si & ille alteram duxerit, & illa alteri nupserit. Ex quibus fit consequens, ut diuortium uia reconciliationi non occludat, quominus fieri etiã tũc possit.

DISTINCTIO. TRIGESImæsextæ. Quæst. unica, De diuortio quod fit fornicationis causa.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm propter fornicationem licitum sit uiro uxorem dimittere.

HAEC distin. 36. quæ apud Magistrum senten. erat 35. generaliter de impedimento criminis, proponitur. Sunt autem huiusmodi crimina in triplici differentia. Quædam enim sunt, quæ non substantiam matrimonij, sed usum offendunt, ut adulterium, quo innocenti ius facit torum diuidendi, de quo hæc quæstio præcipuè disputatur. Alia sunt crimina, quæ contrahendum impediunt, contractum uerò non dirimunt. Tertij demum generis sunt illa, quæ & cõtrahendum impediunt, & contractum dirimunt. De quibus duobus generib. tractabitur distinctione proxima. Primus igitur articulus est, utrum diuortium fornicationis causa sit licitum. Et arguitur à parte negatiua. Non licet, uti. 1. Pet. 3. habetur, malum pro malo reddere: uir autẽ adulteram uxorem traducens malum pro malo reddit: ergo perperam agit.

Partis negatiuæ 1.

2. Arg.

¶Secundò. Alia sunt peccata adulterio peiora, ut si uxor blasphema esset, aut si uir contra naturam nefarie flagitiosus esset: sed propter hæc crimina non licet cõiugi ab alterius cubili discedere: ergo nec propter adulterium.

3. Arg.

¶Tertiò. Grauius est si ambo adulterentur, quam si alter duntaxat: sed si uir sit quoque adulter, non potest uxorem ob id crimen repellere: ergo neque si ipsa duntaxat offendat.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium est sententia Redemptoris Mattheus. quinto. permittentis fornicationis causa uirum ab uxore discedere.

Cõclusio.

¶Materia hæc præcipui est momenti. Et quidem nomen diuortij quid importet. distinctione. 33. dictum est, ubi de repudio disputabamus. Dicitur enim à diuertendo: hoc est, à mentis diuersitate: quia qui matrimonium distrahunt, in diuersas partes eunt. libro. primo. ff. de diuortijs. Hoc est, quòd toro se domoq; separant. Atqui primus hic articulus facillimæ expeditionis est. Cui ideo unica ista affirmatiua conclusione fit satis. Licitum est uiro uxorem suam fornicationis causa dimittere. Quæ utique conclusio, quando nullam aliam, qua fulciretur, causam haberet, per sententiam Redemptoris satis esset suffulta. Nihilominus sententia illa non solum diuina fuit, sed iuris etiam naturæ explicatoria. Est ergo conclusio hæc non solum humano iure, aut purè diuino, sed ét naturali fundata. Hoc enim ius natura docet, ut ubi duo mutua sunt fide inter se constricti, fides ei frangatur, qui fidem fregit,

Cõclusio.

Conclusionis confirmatio.

Triplicis rei fundatur.

Ratio.

fregit, cap. Peruenit, extra de iureiurãdo. In fœdere autem matrimonij coniuges fidem sibi mutuò seruandam pacisc̃untur, quæ est, ut sibi inuicem debitum reddant, simulq; coniuuant, neuter tamen alijs cõmisceatur: ergo quæ adultera est, digna redditur, cui debitum non soluatur, sed toro pellatur ac subinde domo. Secunda ratio itidem naturalis est, quia fornicatio, saltem uxoris, prolium educationi, quæ finis est matrimonij, plane aduersatur: quippe cùm partum incertum reddat, cuius pater ignoretur. Tertiò & alteri matrimonij fini, qui est conuictus, ad quem mutuus amor necessarius est, uehementer fornicatio uxoris repugnat, est enim hoc ita natura comparatum, ut uir, quod uas semel ad procreandas proles elegit, alterius uitio pollutum ferre nequeat, sed despectui pol lutam uxorem habeat odioq; subinde prosequatur. Vnde cùm antiquitus propter odiũ libellus permittebatur repudij, Christus seruator noster non aliam odij legitimam causam admisit, quàm uxoris fornicationem, quæ re uera in promptu est, ut uxoricidij causa esse possit. Sola quippe fornicatio est, quæ ut ait Hierony. uxoris uincit affectum, cano. Dixit Dominus. 32. q. 1. Iam uero & charitati naturali consentaneum est, ut pudicus coniux impudicam traducat, ne eius crimini conniuere uidea tur, sed illa per infamiam castigata emendetur. His igitur de causis Aug. super Deutero. 24. scripsit, quòd cùm multæ essent in lege causæ dimittendi uxores, Christus solam fornicationem excepit: cæteras molestias iubet pro fide & castitate sustinere. Ex his ergo fit consequens diuortium non esse solum inuentum & decretum humanum, sed ex diuino iure & naturali ortum.

Ratio. 1.

Ratio. 3.

Ob fornicationem.

August.

An nefandũ crimen det fit ad diuortium.

Opinio in Hyperotom.

¶Vtrùm uero nomine fornicationis imprehendatur ad faciendum diuortium, In noc. super cap. Maritus, de adulter. & glo. in c. Omnes. 32. q. 7. negant, eo quòd coniuges sola legitima membra & usum ad generationem uidentur sub fide coniugij sibi mutuò obligare. Et possumus nos id ex illo confirmare, quod distin. præcedenti diximus: nempe, quòd nefandus incestus cõtra naturam non impedit matrimonium nec eius usum: quia ad affinitatem nõ pertinet. Nihilominus opinio Panormi. eod. cap. & S. Thomæ impræsentiarum & Paludani & Sylue. verb. Diuortium. q. 7. & cõmunis est, quòd huiusmodi crimen ad diuortium sufficiat, tametsi propter pudorẽ, ut ait S. Tho. non nominetur. Et ratio est, quia nomine fornicationis omnis illicitus coitus comprehenditur. can. Meretrices. 32. q. 4. & can. Non solum. q. 7. Seminatio tamen extra uas non sufficit, quicquid Paludanus hic insinuare uideatur, & multo minùs tactus uel affectus impudici: quia per eiusmodi seminationem & impudicitiam mulier non fit una caro cum altero, atque adeò nec carnem suam diuidit. Ad Innocentium ergo respondetur, coniuges non solùm per legitimum usum, sed etiam per illegitimum in uase perpetratum carnem suam diuidere, & fidem coniugalem frangere, licèt per illum usum non contrahatur affinitas: cuius ratio distin. 41. patebit. ¶Quòd si contra conclusionem quis arguat. Vicaria solutio debiti inter coniuges, saltem obligatio est de intrinseca ratione matrimonij: nam uir potestatem sui corporis non habet, ut ait Paulus &c. ergo per nullam sententiam Ecclesiæ obligatio hęc extingui potest. Ex superioribus solutio colligitur, quòd id ecclesia non facit iure suo tantum proprio, sed diuino & naturali: utrunque enim illa iura insinuãt: scilicet, quod & seruanti fidem seruatur, & frangenti frangi possit.

Opinio cõmunis.

Ratio.

Obiectio.

Solutio.

¶Sunt autẽ septem casus, qui ab hac conclusione merito excipiuntur, quibus uir adulteram uxorem deserere non finitur. Nempe, quia uel uxor culpæ immunis est, uel uterq; æqualem habent. Primus est, si uir quoque adulterio se deturpauerit. Secundus si ipse uxorem prostituerit. In his enim tam culpandus est uir quàm uxor. Tertius, Tertius si uxor uirum suum defunctũ bonis coniecturis propter diuturnã eius absentiam existimans, alteri nupserit. Quartus si latenti fraude ab eo cognita fuerit qui sub specie mariti se in eius lectum insinuauit. Et quintus, si ui fuerit oppressa. Hi enim euentus culpam ei uel auferunt, uel extenuant. Sextus, si post commissum adulterium eam uir suo toro susceptam reconciliauerit. Iam enim tũc noxam ei condonauit. ¶Septimus demum casus est, si in infidelitate uxor, cui maritus libellum repudij dederat, alteri nupserit: tunc enim si ambo sacro fonte abluantur, tenetur uir eam in matrimonium resumere.

Septem casus.

Primus.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Sextus.

Septimus.

¶De

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dubium.

¶De his autem casibus in genere percontari quispiam posset, sint ne duntaxat per instituta ecclesiæ excepti, an uero iure diuino & naturali. Videtur enim sola ecclesia eos excepisse, quoniam Christus nullum exceptum reliquit, sed generaliter

Obiectio.

facultatem fecit uiro adulteram uxorem traducendi. Attamen ab altera parte argumentum existit: quod si Christus generalem facultatem uiro præbuisset, nequiuisset ecclesia exceptis illis casibus eandem facultatem restringere: quippe quæ supra

Solut. quorundam.

ius diuinum nulla fungitur potestate. Respõdere uero quispiam posset, quòd cum Christus non iusserit dimittendam fornicariam uxorem, sed permiserit, potuit ecclesia non obstante permissione, quæ ob delictum uxoris facta est, idem diuortium uetare. Quemadmodum, licet iure diuino permittamur toto anno carnes edere, potuit ecclesia uirtutem abstinentiæ interpretando earum esum in Quadragesima

Solutio imprudens.

prohibere. Attamen non est hoc satis scite dictum: quoniam non est simile de abstinentia nanque non dedit Deus præceptum nisi in genere, ut comedamus quæ, & quando, & ubi oporteat. Quare ecclesiæ relicta est facultas determinandi cibum & tempus edendi, sicut in præcepto confessionis definiendi tempus, & in sanctificatione festorum designandi dies. Sed tamẽ de diuortio fecit singularem permissionẽ. Quare fas non uidetur, ut illam possit ecclesia restringere, nisi tanquam diuini ipsius naturalisq; iuris interpres. ¶Quapropter dicẽdum restat omnes huiusmodi exceptos casus deduci ex iure diuino & naturali, ut singulos prospicienti constabit.

Primus casus.

Primus enim, quando uterque deliquit, habetur cap. Tua fraternitas, & cap. Significasti. de diuortijs. Et fundatur in illa naturali iuris regula. l. Viro. ff. solut. matrimo. Paria delicta mutua compensatione dissoluũtur. Ob id enim ea lege, quam ambo contempserunt, neuter est uindicãdus. Vnde Aug. lib. de sermone Domini in mõte, Nihil iniquius est quàm causa fornicationis dimittere uxorem, si ipse conuincitur fornicari. 32. q. 2. can. Nihil. Occurrit enim illud Pauli ad Roma. 2. In quo aliũ iudicas, te ipsum condemnas. Qui dicis, Non mœchandum, mœcharis. Atque illud euangelicum Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc uidebis eijce festucam de oculo fratris tui. Et de adustera, Qui sine peccato est uestrum, primus in eam lapidem mittat.

Dubium.

¶Dubium autem ad huius casus intellectum ex dictis resultat, utrùm quoties uir deliquerit siue ante siue post uxorem, ius amittat faciẽdi diuortium. Apparet enim semper illud perdere: quando quidem nihil referre uidetur, quo tempore crimen admittat. Respõdetur nihilominus per distinctionem. Si uir antequam uxor, adulter fuerit, iure se priuauit petendi diuortium: nam cum prior fidem uxori fregerit, atque adeo ipsa soluta fuerit fide reddendi debitum, non potest postmodum illi crimen fractæ fidei obijcere. Neque refert occultus ne ipse fuerit adulter quando ipsa adulterata est, si modò mariti crimen ipsa probare possit. Idem iudicium est quanuis ipsa prior se fœdauerit, si ipse antequàm diuortium popoſcerit, idẽ commisit scelus. Antea nanque quàm de diuortio agatur, aut recõcilientur, nihil refert, uter coniugum prius peccauerit, sed quandocunque unus de adulterio accusetur, si idem crimen potest coniugi obijcere, ut paria sint crimina, absoluendus est. Nam in prædictis capitulis. Tua fraternitas, & Significasti, nulla habetur prioris aut posterioris ratio. Imò uir, qui post uxorem adulteratus est, eam relinquere prohibetur. Secundum dubietatis membrum est. Postquàm causa fornicationis uxoris factum est diuortium, utrùm uir deinceps adulterium committens, teneatur sibi uxorem reconciliare: de quo membro art. 6. habendus est sermo.

Dilutio.

Nota.

Dilutio.

Secundi pars.

Dubium.

¶Dubitatio uero, quæ ancipitem uidetur tenere animum est. Si ante diuortiũ postquam uxor unum, maritusq; subinde alterum adulterium commisit, uxor iterum relabatur, ius fiat uiro illam relinquendi. Apparet enim non fieri: quoniam semper illa accusata potest idem crimen marito obijcere. Neque ualet argumẽtum si obijcias, pluries adulteratam esse uxorem, atque adeo crimina non esse paria. Quoniã si uxor decies & millies priùs fuerit adulterata, & postmodum maritus semel, nequit ipse de diuortio agere: quia iura numeri rationem non habent, sed paria crimina censent si ambo sint adulteri, nulla multiplicationis mentione facta. Neque rursus, ualet si obijcias, quòd ipsa posterior

Obiectio.

Dilutio.

Alia obiectio.

Dilutio.

Nota.

Dubium.

Nota.

Sententia autoris.

Dubium.

Secundus casus.

Dilutio.

rior deliquit. Nam iam dictum est, quòd quanuis ipse prior deliquerit, non potest illam postea adulteram relinquere. Profectò res est dubia. Hoc tamen est certum, quòd quando non nisi singula adulteria, antequàm de diuortio ageretur, commiserunt, nulla inter eos habita ordinis ratione, diuortium fieri nequit. Item & hoc certissimum est, quòd si quibuscunque utrinque adulterijs commissis reconciliatio fiat: nempe, quia uir fœminei criminis conscius illam cognoscit, tunc si post talem reconciliationem ipsa recidat, potest uir illam dimittere: quoniam reconciliatio contractum ad suum uigorem reduxit, acsi nulla esset illuc usque fornicatio commissa. Ob idque postea delinquens rea fit diuortij. ¶Dubium ergo restat, quãdo nec reconciliatio præcessit nec diuortium, sed ipsa priùs adulterata est, deinde ipse, postea ipsa, ac subinde ipse, ac demũ postremò ipsa, utrùm tunc maritus ius habeat diuortium petendi. Apparet enim ius habere propterea quòd antea erant crimina paria: si ergo ipsa pòst deliquit, rea uidetur diuortij. Fortasse sic quidpiam censere potest: quoniam (ut fertur) ultima mora nocet, illaque est, quæ ad se periculum trahit. Quid autem in usu fori ex terioris uersetur, nescio: ad eius tamen usum res est remittenda. Crediderim tamẽ cum temperamento respondendum: nempe, quòd si in ista alternatione peccandi unus corrigitur, præcipuè si alterum coniugem admoneat, tunc quia hoc quoddã genus reconciliationis est, qui post delinquerit, reus fit diuortij: nam pacta nouissima, ut ait lex. ff. de pactis, seruanda sunt. Vbi tamen ueuter corrigitur, nec reconciliatio fit, arbitror (saluo saniori iudicio) propterea quod ipsa ultimo pluriesq; fuerit fornicata, ipsum non acquirere ius, ut argumenta supra facta planè comprobare uidentur. Imò quandiu res occultè agitur, quousque reconciliatio uel emendatio fiat, aut diuortium petatur, idem reputatur crimen, atque adeò omnia paria.

¶Secundus casus idem in iure naturæ fundamentum habet: nam si ipse per lenocinium uxorem exposuit, in ipsum culpa refunditur. Casus est cap. Discretionem. de eo qui cogn. cõsan. uxor. & l. Cùm mulier. 1. ff. sol. matri. & l. 2. §. si publico. ff. ad leg. Iuli. de adult. ubi maritus propter lenocinium accusare prohibetur uxorẽ, ipsum enim maritum onerat, licèt mulierem non excuset. Sed dubium est, utrùm satis sit, ut maritus à diuortio petendo repellatur, quod uxori occasionem præbuerit fornicandi: nempe, quia ei in necessarijs non prouidebat. Respondetur, id non sufficere, ut patet cap. Ex literis, de diuortijs, ubi mulier de fornicatione delata id causabatur aduersus uirum, & tamen non est audita: quia propter pauperiem & egestatem nemini licet crimen committere. Quare nec sufficit, quòd uir illam domo expulerit, ut habetur cap. Significasti. eodem titul. Nisi illo animo eam ejecerit, ut fornicaretur, uel nisi adulterantem sciret, & permitteret: hoc enim est conniuere crimini, atque adeò lenonem esse. l. Crimen. C. de adulte. Secus si suspectam de adulterio retineat. Quapropter eiusmodi mariti propter lenocinium lege damnantur, ut ab uxoribus publicitùs ridiculis flagellis nupulent. ¶Quod autem tertius casus: scilicet, quando uxor bona fide arbitrata maritum defunctum, alteri nupsit, ius adimat uiro petendi diuortium, est decisio canonis, Cùm per bellicam. 34. q. 2. ¶Quartus uero: uidelicet, quod si ignoranter passa fuerit adulterium, excusetur, est sententia Augustini lib. de fide & operibus. can. Si uirgo. & concilij Triburiensis. canon. In lectum. 34. quæst. 3. Et ratio naturalis est, quia crimen requirit scientiam: ignorantia tamen inuincibilis excusat, ut exẽplum Iacob cum Lya documentum est. ¶Et eadem ratione excusatur in quinto casu per uiolentiam, ut autor est idem August. lib. 2. de ciuit. Dei. qui refertur cano. Itane. & can. Proposito. 32. quæst. 5. Intelligitur autem quando est absoluta uiolentia, cum mulier inuita sic patitur, ut culpam non contrahat: nam si per metum ipsa consentiret, non excusaretur neque à culpa neque à diuortio, ut ad Damasum, uel ad Amandum ait Hierony. can. Omnes causationes. 32. quæstione. septima. neque enim metu mortis licet contra legem agere, quæ est iuris naturæ, eo quod intrinsecam habet malitiam. ¶Sextus casus: nempe, quòd semel reconciliatam non possit uir, nisi iterum relabatur, abijcere, colligitur ex utroque cano. Si quis, & ex canon. Quod autem trigesimasecunda quæstione prima. Sed tamen ad reconciliationem

Dubium.

Solutio.

Pœna lenocinij.

Tertius casus.

Quartus casus.

Quintus casus.

Hierony.

Sextus casus.

criationem non sufficit, quòd eam post adulteriũ cognouerit, sed exigitur, quòd id postquam adulterium resciuerit, fecerit: nam uxorem cognoscens, quam adulteram esse ignorat, non censetur eam sibi reconciliare. Neque uxor uirum si graui eius metu perculsa ei debitum reddat: neque si id faciat per ecclesiam compulsa, quia adulterium mariti probare non ualuit, quem tamen scit esse adulterum. De quo infra, sicut neque qui non illico expellit uxorem, sed expectat opportunitatem petendi diuortium, ius perdit illud petendi. Adde quòd si post celebratum diuortium uir uxorem cognoscit, reconciliare illam censetur, atque adeò deinceps tenetur in matrimonio permanere. ¶Sed nota quòd etsi in his sex casib. uir nequeat uxorem ab alio cognitam dimittere, nihil hominus bigamiæ irregularitatem incurrit, eam cognoscendo. Et sunt casus, in quibus bigamia citra propriam culpam incurritur: nam canones, Si cuius, & Si laici. di. 34. absolute decernunt, quòd uir cum adultera contrahens, uel eam retinens, fiat irregularis, ut dist. 27. q. 3. artic. 1. diximus. ¶Septimus casus habetur ca. Gaudemus. de diuortijs. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quod fornicariam uxorem liuore uindictæ dimittere peccatum est contra charitatem, licèt nõ contra iustitiam, & hoc est malum pro malo reddere. Id tamen ad abstergendam infamiam facere, ne uir particeps criminis uideatur, uel ad turpitudinem uxoris corrigendam, uel ad prolis incertitudinẽ cauendam, nullum est peccatum, imò potest esse uirtus. ¶Ad secundum respondetur, quòd non permittitur diuortium adulterij causa, eo quòd sit crimen grauissimũ sed eo quòd è diametro cum bonis matrimonij pugnat. Tollit enim adultera prolis certitudinem, frangitq; fidem, nec significationem sacramenti, quæ est unius cum una, custodit. Peccatum autem contra naturam fornicationis, ut dictum est, censetur species. At uerò fornicatio spiritualis: nempe, infidelitas, aut idololatria, aut apostasia: hoc est, transitus ad Iudaismũ uel Paganismũ, delictũ quoq; cẽsetur ad diuortiũ petendũ, præcipuè dũ eiusmodi crimino sus coniux alterum ad suã pernicio sam sectam pertrahere molitur, ut Aug. li. 1. de sermone. Domini in monte, qui refertur cã. Idololatria. 28. q. 1. & Alex. 3. cap. Quæsiuit, de diuortijs, autores sunt. Hæc autem fornicatio spiritualis, nõ fundatur in uerbo Christi, ut causa fornicationis dimittatur coniux: quippe cùm non nisi de carnali loqueretur. Sed propter periculũ peruertendæ religionis. Moderatur tamen hoc hic prudenter S. Tho. discrimine inter has duas fornicationes interiecto: nẽpe, q̃ propter unum actũ fornicationis carnalis matrimoniũ diriminitur, non tamen propter unũ fornicationis spiritualis, sed ꝓpter consuetudinẽ, quæ pertinaciæ indicium est. Hæc aũt materia addist. 39. spectat, ubi Paulinũ illũ locum. 1. Cor. 7. enarraturi sumus, Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, nõ dimittat illam. Vbi & de hæresi uidebimus, an ratione illius diuortium sit faciendũ. ¶Tertium uero argumentum iam in casu primo illorum septem solutum est. Sed queris, num ob alia crimina licitum sit uxorẽ dimittere? Origenes super Matthęi. c. 19. quanuis anceps disputãdo procedat, tamẽ uidetur in hanc partem inclinare, quòd propter alia etiam crimina, quæ lege ciuili expressa sunt, ut l. Consensu. C. de repudijs, id etiã Christianis liceat, ut si mulier uenefica ẽ, uel liberorum interfectrix, uel substantiã mariti deprædetur, &c. Verumtamen non est in more ecclesiæ, præter fornicationẽ, diuortium permittere, nisi propter enormem sæuitiam coniugis: scilicet, quando uxor legitimè probat periculum sibi mortis à uiro imminere: tunc.n. uel cautio illi securitatis sufficiens danda est, uel discedendi facultas, & tunc debet maritus uel dotem illi reddere uel alimenta. capi. Literas. circa finem, de restitu. spoliatorum. Vtrùm uerò maritus possit adulteram accusare, & capite plectere, alia quæstio est, quæ dist. sequenti disputabitur.

Nota.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

Fornicario spirituales.

Discrimen inter carnalem & spiritualem.

Sol. 3. arg.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm uir teneatur ex præcepto uxorem fornicantem dimittere.

QVoniam arti. præcedenti solùm de potestate dictum est dimittendi adulteram, quæritur subinde de necessitate, puta, an sit præceptum. Et arguitur à parte affirmatiua. Vir, eo quòd caput uxoris est, tenetur eam corripere: separatio autem tori ad correctionem attinet: ergo uir tenetur eius se consortio subtrahere.

Partes artic.

Materia præcepti.

1. Argu.

¶Secundò. Qui consentit, ut ait Pau. peccanti, simili pœna condemnatur: uir autẽ cum adultera conuersatus, quia potest & debet eam corripere, consentit eius crimini: ergo se disgregare tenetur.

2. Arg.

¶Tertiò. Qui adhæret meretrici, ut 1. Corin. 6. ait Pa. unum corpus efficitur: ergo & uir adhærens adulteræ: nemo autem est qui se potest corpus meretricis & Christi, ut ibidem habetur: ergo ille est in peccato, atque adeò tenetur ab illa diuertere. ¶In contrarium est, quod sententia Christi de dimittenda uxore fornicaria, permissio uidetur, non præceptum.

Pro negatiua.

Decisio articuli.

¶Hanc quæstionem Magister senten. ac subinde S. Thom. reliquiq; eius interpretes facillima distinctione definiunt. Aiũt, inquam, quòd dum uxor adultera iam per pœnitentiam mutato corde emendata est, non tenetur illam maritus relinquere. Si uero emendari renuerit, & in fragitio persistere pergat, tunc ut ait Bonauen. Durand. & alij, si crimen sit occultũ, non tenetur. Tamen occultum uno modo dicitur, ut opponitur publico: putà, per infamiam notorio. Alio modo, quòd neque est publicum, neque potest legitimè probari. Et uidentur hoc secundo modo loqui: quia tunc non potest in iudicium proferri, ut diuortium fiat. Si autem est publicum, tunc aiunt, tenetur eam à se pellere, ne ei consentire uideatur.

Occultũ.

¶Sed re uera, ut rerum usus, & fortassis ratio docere uidentur, paulo accuratius res meditanda est. ¶Duabus ergo conclusionibus respondetur. Prima. Si adultera ad cor rediens pœnitentia ducta emendetur, potest illam uir retinere, imo sæpe id consilium est. Enimuero cum pœna illa diuortij ob culpam fornicationis sit posita, postquàm culpa per emendationem fuerit deleta potest uir iuri suo renunciare, & uxori pœnam illam condonare. Quocirca Aug. ad Pollentium libr. tertio. cano. Quod autem. 32. 1. ait, non esse durum reputandum, ut coniux adultera per pœnitentiam sanata uiro reconcilietur. Et infra can. Non erit, idem repetit. Quod autem hoc sæpè sit consilium, inde patet, quod mulier emendata cum se mariti præsidio uiderit destitutam, periculum subibit, ne per inopiam oppressa turpem procuret quæstum. Verum est tamen Gregorium in lib. qui Pastor inscribitur, rem fuisse moderatum: debet enim, inquit, maritus recipere peccatricem, quę pœnitentiam egit, sed non sæpe: nam sæpè relapsa spem emendationis adimit.

Prima cõclusio.

Aug. de adulteri. cõiug.

Consilium

Gregor.

¶De altero uero membro: scilicet, dum adultera neque emendata est, neque emendari proponit, perplexior est responsio. Caietanus quidem in quodlib. 21. quæstionum, uigesimam disputauit an uxor possit uiro adultero & in adulterio pertinaci debitum reddere. Et diffiniuit, licitũ esse. Attamen quæstio de uxore adeo non est tam difficilis, quàm ipse putauit, ut potuisset multa præterire uerba, quæ illic expendit. Est enim creditu quàm facillimum illud esse licitum: quoniã uxor, cùm non sit uiri caput, potestatem non habet eum corrigendi aut corripiendi. Quare licet cum illo adultero commaneat, nullũ indicium exhibet, se in adulterium consentire, atque adeò nullum perhibet scandalum. Imò usu exploratissimum est, fœminas id ægerrimè ferre & zelotypia exuri. Neque uero infamia ulla inde respergũtur, quia nulla, aut uix ulla est uirum ferre adulterum. Neque se periculo obijciunt incertitudinis filiorum: nam ipsæ sunt quæ certissimos edunt partus. Quare nulli sunt canones qui in hac parte de uxoribus loquantur, sed solis uiris uidentur iubere, ut à pertinaci adultera recedant. Quin uerò consilium à uiris prudentibus perhiberi solet uxori uiri adulteri ne torum diuidat: illa enim abstinentia adeo non cedit in remedium uiro, ut sæpius esse ei consueuerit maius præcipitiũ: recrudescere nanque tunc solent uiri, & peiores fieri.

Sententia autoris.

Ratio. 1.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Alterum membrum Caietanus

Nota cõsi.

¶De uiris ergo perplexior est quæstio, quando crimen est publicum, aut legitime probari potest: nam alioqui pro certo præfigitur, non teneri. Quod autem si sit publicum, teneantur uiri obstinatas adulteras deserere sunt in primis canones id admonentes. Ait enim Chrysosto. super Matth. c. 11. & refertur. 32. q. 1. Sicut crudelis, & iniquus est, qui castam dimittit uxorem, sic fatuus est & iniustus, qui retinet meretricem: patronus.n. turpitudinis

Quæstio de uiris.

est qui celat crimen uxoris: nam ut habetur Prouerb. decimooctauo. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens. Et subdit can. Si quis, quòd uir, qui uxorem, postquàm in adulterio eam deprehendit, cognouit, duobus annis pœniteat, & quousque à crimine fuerit purgata, ab eius matrimonio abstineat. Et Hierony. ibidem can. Dixit Dominus. Qui tenet adulteram, stultus & impius est. Atqui & rationes eisdem canonibus egregie suffragantur, quæ in capite obiectæ sunt: nã uir aliud faciens multis nominibus uidetur delinquere. Primum, quia cùm possit & debeat mulierem castigare, uidetur in eius crimen consentire & conniuere: consentire si quidem censetur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit. can. Consentire. 83. distinct. Secundò, quia periculo se subijcit prolis, ut uxor illi falsos hæredes supponat. Et tertio significationem sacramenti unitatis Christi cum ecclesia uiolat.

Hierony.

Rationes.

Ratio. 1.

Rõ secũda

Ratio. 3.

Sententia autoris.

¶His nihilominus non obstantibus miserum uirum in tã arctas angustias sub præcepto citra ullam ipsius culpam cõijcere, difficillimum est. Neque uidemus usu & more in tanto rigore seruari, neque confessarios tam pressim stringere uiros ut adulteras per diuortium relinquant, aut ab illis abstineant. Caietanus illic in calce de uiris obiter loquens, ait, quòd nec tenentur ab eiusmodi uxoribus abstinere, nisi subsit spes emendationis futuræ aut ratione scandali: sed satis esse illas & uerbo & uerbere castigare. At re uera & hoc quoque duriusculum apparet. ¶Sit ergo, sub peritiorum censura, secunda cõclusio. Viri non tenentur uxores quantũcunque pertinaces & absque spe emendationis obstinatas, simpliciter & absolute loquendo, relinquere. Probatur primo, quia si Christi uerba perpendantur, non iubet, sed permittit. Secũdò, quia cùm uir ob uxoris crimen nullam culpam contrahat, non obligatur illam deserere, nisi aliquod uinculum inde ad ipsum deriuetur: nam & uiro pœna etiam est, uxorem dimittere, cùm possit iuri suo petẽdi diuortiũ renunciare. Quare citra suã culpã non tenetur hoc genus supplicij subire. Vinculum aũt hoc uno quatuor modorũ põt uirũ ligare. Primum, inquantũ uxor ipsũ offendit. Et hoc adulteram solam denudat iure petendi, uirum autem non item: quare ex hac parte non tenetur illam abijcere. Alio modo quatenus illud crimen emendabile est pro bono ipsius uxoris. Ad quod re uera uir non tenetur nisi ex præcepto correptionis fraternæ: quia licèt sit eius caput, nõ tamen est prælatus. Huic autem præcepto satisfacit admonendo illam & diuina lege deterrendo: & forsan uerberando eo modo, quo uiro permissum est, Quòd si non se emendauerit, tenetur (ut Matth. 18. admonemur) dicere ecclesiæ. Sed hoc tamen intelligitur, si nulla fuerit spes emendæ, alioqui non tenetur illam denunciare. Neque uerò cùm denunciat, tenetur diuortium postulare: quia illud est ius suum, cui renunciare potest. Tertiò posset præcepto uinciri ad relinquendum illam propter bonum publicum: quia illa peccat in Deum & in rem publicam. At uero peccato, quod per se est in bonum commune, per denunciationem, & si oportuerit, per accusationem occurrendum est: adulterium autem per se non est in bonum commune, nisi adnexam habeat aliam communem perniciem: putà, hæresis uel proditionis. Quare ob solam rationem adulterij uir non tenetur accusare uxorem potiùs quàm alias adulteras, uel quam alij suam ipsius. Accusare autem uel ad necem uel ad diuortium, cum sint iura propria, non tenetur quia potest condonare iniuriam.

Secunda conclusio.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Vinculum deserendi uxorẽ fornicariam.

Primum.

Secundum.

Tertiũ.

¶Neruus ergo & punctum rei in hoc consistit, utrùm teneatur illam relinquere quatenus crimen uxoris in ipsum refunditur, quia ipsi labes impingitur quasi consentienti in crimen, qua ratione scãdalum dat, acsi patronus particepsque eius fiat. Vel ex altero capite: scilicet, quia sperat, quòd per diuortium uxor emendabitur, & aliàs non. De primo, ergo dicendum, quod si usu ueniret, ut uir non posset aliter monstrare se non consentire in crimen, sed ex eius cohabitatione cum uxore certum sumeretur argumentũ, quod consentit, ita ut sit scandalũ datum, quia scit uicinia quòd conscio uiro & prohibere potente uxor adulteratur atq; adeò propter suam ipsius uiri negligentiam & socordiam illud patiatur malum, tunc certè tenetur ab illa discedere: quia ne det scandalũ tenetur aliquid de iure suo perdere. Et hoc est quod rationes supra factæ & canones conuincunt. Si tamen hanc maculam potest aliter eluere, certè tunc nõ tenetur ab ea separari: quia tunc scandalum non quidem datum, sed acceptum esset: Nempe, si uehementibus carnis illecebris deuexa tur, quare nequit ab uxore, nisi cum magno periculo, abstinere: re uera tunc non tenetur tali periculo se obijcere, ut uxorem relinquat. Item si est uir infirmus, aut pauper, qui laborem manuum suarum uiuit, quam ob rem uxore nimis indiget, quæ ei in re familiari seruiat, nec tunc tenetur se, abijciendo illã, incommodare. Exemplum mihi ab Insulanis sæpe relatum referam: uitam enim illi miseri degunt in summa necessitate uxoriæ societatis: panis nanque illorum non potest in crastinum adseruari, sed debet uxor quotidie eum coquere & potum conficere: aliter uiri nequirent agriculturæ & alijs operis uacare. Ergo in similibus casibus profecto satis est, quòd uir uxorem acriter reprehendat, & quam poterit cautè custodiat, ita ut uicini intelligere ualeant se inuito & ægerrimè ferente illam delinquere, sed manere cum illa necessitate compulsum. Neque uerò tenetur adulterum occidere: & si est uir potẽs, nequit eum abigere. Præterea ad petendum diuortium requiritur, processus non facilis, & ideo non tenetur tanta se onere molestia. Præterquam quod diuortium facere in uiri etiam infamiam resultat. Quare uiri ingenui uxorem citiùs iure enecant, quam relinquant: quod tamen rarissimè consulendum est. ¶De secundo autem quando putat non esse aliam emendationis spem, quàm illam relinquere, respondetur, nullum esse remedium ab uxore abstinere, & multo minus eam domo expellere: imo esset maius periculum, ut peior fieret. Secundo, quando illud esset necessarium, non tenetur uir cum tanto detrimento uxori mederi. Si autem tantum non pateretur detrimentum, consilium esset, ut faceret. Ad hæc, quæ nobis dicta sunt, suffragium accedit Abulensis super Matthæi. capitulo decimonono quæstione septuagesimaprima. ubi post plurimas distinctiones de hac re factas, quibus præceptum de dimittenda adultera extenuatissimum relinquit, tandem concludit, quòd quandiucunque (ut uerbo eius utar) uir retinet uxorem fornicariam uel sub spe correctionis uel ut ipse non infametur (addiderim ego uel ne aliud incommodum graue patiatur) aut ut non infamet illam, non peccat. Sed tunc, inquit, uidetur peccare si non dimittat, quando nulla est emendæ spes, & res est manifesta, & putatur uir eius crimini fauere tenendo illam. Neque uerò tũc tenetur eam in perpetuum relinquere, sed quousque spes eius emendationis renascatur. Satis enim est quatenus ad obligationem, ut diuortium sit tanquam medicina, quæ duret quanto tempore morbus exegerit, nisi perpetuus fuerit. Rationes ergo, ut diximus, probant, uirum non debere crimini uxoris consentire, neque illud ulla de causa fouere. Et canones citati in hac præsumptione fundantur: nempe, quòd uir habitans cum adultera consentit in crimen & ei patrocinatur. Quando uero necessitate pressus id facit, re uera non consentit, neque adhærret illi tanquam meretrici sed tanquam uxori. ¶Et per hoc tam argumenta, quàm decreta canonum soluta restant.

Nota.

Vir infirmus & pauper.

Exemplũ.

Nota consilium.

Circa secũdam.

Secũda solutio.

Reiteratum.

Circa primum.

Rationes.

Argumenta soluta.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm maritus proprio iudicio non expectato ecclesiastico possit uxorem adulteram dimittere.

POstquam dictum est de potestate & præcepto, quæritur de forma, utrùm uir nõ expectato publico iudicio ecclesiæ possit privatim ab uxore, quam in adulterio deprehendit, se subducere. Et arguitur à parte affirmati na, tum quia Deus iustus iudex illam tam sententiam pronunciauit in adulteram: quare non opus est alia: tum quòd ut Matth. 1. legitur, Ioseph, cùm esset uir iustus cogitabat occultè uxorem sibi suspectam dimittere.

Partis affirmatiuæ argu. 1.

¶Secundò. Si uir adulterij uxoris conscius eam cognosceret, ius amitteret de diuortio agendi: ergo licet ei interim debitum denegare.

2. Argu.

¶Tertiò. Si res ad tribunal ecclesiasticũ deferenda esset, legitima opus esset probatione: illa autẽ perquàm difficilis est: nam ut Iob, 25. legit, oculus adulteri obseruat caliginem:

3. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pars negatiua.

caliginem: ergo sententia fori non est necessaria. ¶In contrarium est, quia nemini propria autoritate se ipsum uindicare licet, iuxta illud Pauli Roma. 12. Non uos defendentes: id est, uindicantes, charissimi: quia Mihi uindicta, dicit Dominus: sed si uir propria autoritate uxorē dimitteret, se ipsum uindicaret: ergo illud non est legitimum.

Diuortiū duplex.

¶Ad quæstionem per distinctionem tribus conclusionibus respondetur. Dimissio enim uxoris propter adulteriū intelligi potest aut quantum ad torum, aut quātum ad cohabitationē. De toro sit prima cōclusio. Potest uir priuata autoritate uxorem à se in adulterio deprehensam dimittere: hoc est, ab eius amplexu abstinere, debitumque illi etiam petenti denegare.

Prima cōclusio.

Ratio conclusionis.

Probatur, quoniam iam tunc certus est fidem sibi illam fregisse, atque adeo diuina lege solutum se esse obligatione reddēdi. Item quia si eam post notum adulterium cognouerit, tum bigamiæ irregularitatē incurrit, ut art. 1. dictum est, tunc & se iure petendi diuortium priuat. Quare non tenetur hæc subire incommoda. ¶Secunda cōclusio. Nemini licet adulteram quātum ad cohabitationem sine iudicio ecclesiæ domo pellere, saltem si matrimonium

2. Concl.

Rō conclusionis.

fuerit in facie ecclesiæ celebratum. Probātur, quia publicum supplicium nemo nisi iudex publicus inferre ualet, idque testibus aut alia legitima uia iuridicè comprobatum: traducere autē uxorem domo pellendo quam publicitùs sibi copulauit, est publicum supplicium: nemo ergo id priuata autoritate inferre ualet: idē enim tunc esset & iudex & actor: qd' iura abhorrēt. Tandem eadem conclusio definita est decreto Alexādri. 3. cap. Porrò, de diuortijs. Dixerim, si matrimonium fuerit in facie ecclesiæ celebratum, quod intellige, uel coram testibus, quibus legitimè probari possit: quionam si clandestinū fuit, priuatim potest eam dimittere: etiam quoad cohabitationem, ut autor est dist. præsenti Ricardus. q. 3. quoniam latentia non opus est in iudicium ecclesiæ, nisi pœnitētiale, deferri. Si autem matrimoniū fuit modo prædicto publicum, tunc quanuis crimen publicum esset & notorium: semper est ad eundus iudex, ut habetur in d. c. Porrò. Tametsi tam notorium esse potest, ut possit maritus eam absque alio iudicio deserere, ut pote si adultera in ædes adulteri se receperit, cum quo publicè habitat, ut ait Syluest. verb. Diuortium. q. 8. Aliàs si priuata autoritate quis uxorē dimittat, & ipsa restitutionem petat, compellendus est illam in domum recipere, nisi incontinenti testimonia ipse legitima fornicationis perhibeat, iuxta cap. Literas. de restitu. spoliato. ¶Tertia ex his colligitur conclusio. Diuortium fieri priuata autoritate non potest, sed sola publica ecclesiæ. Quoniam diuortium non dicit solùm abstinentiam illam occultam & priuatam ab usu coniugali, sed diuersionē hanc, ut nomen sonat, ut facultas innocenti fiat non cohabitandi cum uxore, neque in re familiari communicandi.

3. Cō

Circa pri mam cō clusio. dubiū. Solutio bij.

¶Circa singulas tamen primarum conclusionū nonnulla dubia oriuntur. Et primū circa primam quęritur, quænam cognitio criminis exigatur, ut uir possit uxori debitum denegare? Respondetur illam satis esse, quæ in foro ecclesiæ ad faciendum diuortiū sufficeret: nempe, si eam cū adultero in eodem cubili repererit, aut aliter amplexatos. nam alia minora indicia & rumores leuiores non sufficerent. Vnde verbum illud Hieronymi super Matth. c. 19. quod citatur can. Dixit Dominus. 32. q. 1. Vbicunque fornicatio est, uel fornicationis suscipio, liberè uxor dimittitur, nō sic intelligit, ut suscipio sola sufficiat, ut bene ait ibi glossa, sed quòd sit causa inquirēdi legitima testimonia. Nisi suspicio

Dubium.

vehementissima fuerit quæ pro legitimo testimonio & plumptione ualeat. ¶Quod si roges utrùm uir possit, postquā uxoris adulterium intellexit, ab illa debitum petere, nō tamen reddere. Et uidetur posse: cùm ius petendi non perdiderit. Respondetur tamen nequaquàm id licere, sed eligere debet aut nec petere nec reddere, aut si petierit, reddere: non. n. debet claudicare coniugium. Quare petendo iam cē setur illam sibi reconciliari.

Dubium.

¶Vtrùm uero uxor, quæ clam uiro adultera est, certo tamen credit, quòd si ille sciret, eam traduceret, possit debitum ab eo exigere. Apparet enim nō posse, eo quòd fracta fide uidetur ius perdidisse. Respondet nihilominus posse, ut in opusculo quodam ait Caietanus: quia rea non debet esse sui ipsius accusatrix, nec suum prodere crimen, sed maritus, uel iudex debet eā suo

Solutio. Caietanus

Dubium.

Solutio.

Nota.

Pœnæ ciuilis lex.

Dubium.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

Alia solutio.

suo iure expoliare: quare quandiu crimen latet, possessionem habet eiusdem iuris. ¶Alia est ambiguitas fortasse grauior, si mulier queretam apud iudicem deponat, quòd uir renuit ei debitū reddere, & ipse adulterium probare nequeat, utrum Ecclesia compellere ipsum possit, ut reddat. Respondetur id optimo iure, etiam per cē suras, posse, quia debet iudicare secundū allegata & probata. Attamē uir sic potest, si uelit, parere sententiæ, ut tamen non teneatur. Quia licèt sentētia in foro exterioti fuerit legitima, tamen quia in falsa fuit præsumptione fundata: scilicet, quòd illa non erat adultera, non ligat conscientiā: quare non tenetur ad illā accedere, neque excommunicatione in foro interiori ligatur, sed debet exteriora iudicia & molestias patienter tolerare. Potest tamen, ut diximus compelli, ut illam domi retineat & alat.

¶Circa secundam conclusionem rogabit fortasse quispiam, utrùm in foro conscientiæ possit uir innocens adulteram priuata autoritate à suis ædibus excludere, & diuortium inconsulta ecclesia facere. Respō detur, quòd si id absq; scandalo fieri possit, neque ipsa ad tribunal recurreret, posset quidem: quia re uera in conscientia nec debet ei copulam, nec alimenta, nec humanum conuictum. Et ideo si ipsa in separationem consentit, neque scandalum exoritur, neque ecclesia cogit eos cohabitare, tutas habebunt separati cōscientias. Quare si ipse uult peregrè proficisci & illam deserere, nullum eum ius vetabit. De alijs pœnis ciuilis iuris, quas adultera incurrit, quo modo sit dote priuanda, & ad quem dos pertineat, & de uia, qua legitimè debeat diuortium probari, non ad theologos, sed ad Iurisconsultos decernere spectat.

¶Ad primum igitur mēbrum primi argumenti respondetur, Dominum duntaxat legem tulisse, quare lege naturæ sentētia iudicis requiritur, qua ius ad factum accō modetur. Et ad secundum membrum respondetur. quòd Ioseph (ut nonnulli interpretantur) non uolebat uxorem tanquàm sibi suspectam occulte dimittere, sed propter reuerentiam, quia nonnihil diuinitatis in ipsa olfaciebat. Vel secundum alios, quanuis habuisset suspectam, non tamen uolebat traducere: quia tunc adultera non

ad diuortium, ut modò, sed ad lapidationem petebatur. Et ideo cogitabat fortè, quomodo eam citra illam accusationem dimitteret.

Solu. secū di argum.

¶Ad secundum iam satis per primam cōclusionem responsum est: licet. n. ei denegare debitū, non tamen expellere domo.

Sol. 3. arg.

¶Ad tertium verò respōdetur, quòd licèt oculatos testes turpidinis difficillimum sit inuenire, tamen potest uir ei, quem suspectum habet, insidias tendere, ut solā cum solo deprehendat: aliaue indicia expiscari, quæ sint ad diuortium legitima.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm uir & uxor in causa diuortij pari iure gaudeant.

Partis negatiuæ ar. primum.

HActenus de uiro, subsequitur ergo de uxore, & arguitur, quòd non eodem iure, quo maritus possit uxor diuortium petere. Diuortiū nanque in euangelio loco repudij ueteris legis succesit: in illo autem non erant cōiuges pares, quia non poterat uxor uirum repudiare, sicut uir uxorem, neque uerò in polygamia: haud enim uxori plures cō cedebantur uiri, ut uiro plures uxores: ergo neque in lege diuortij sunt pares.

2. Argum.

¶Secundò. Maius nocumentum infert adulterium uxoris, quàm uiri: nam tollit prolium certitudinem: acriùs ergo debet puniri, atque adeo eius diuortiū peti, quā legem uir subire non debet. Præsertim cùm uir, ut ait Paul. 1. Corinth. 7. caput sit uxoris qui ideo maiori iure fungitur corrigendi uxorem, quàm è conuerso.

Pars affirmatiua.

¶In contrariū est Innocentius Papa can. Christiana. 32. q. 5. ubi ait, quod Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat.

Caietani opinio.

¶Quæstionē præsentem uniuersi Doctores in partem affirmatiuam definiūt: quia sacri canones ita iubent. Caietanus autem super Matthæi. 19. non solùm rem in dubium adduxit, uerùm & partem negatiuā affirmare uidetur. Ait quippe, quòd Dominus non id ius uxoribus concessit, quod uiris: nam non est par ratio, quare de solo uiro locutus ait, quòd ob fornicationis cām ualeat uxorem dimittere. Fuit autem hæc assertio illi Parisijs cō dēnata, tametsi ipse labem abstergere co-

Assertio Caiet. Parisijs dam nata.

natus dixerit, id non asseruisse. Protulit tamen hæc uerba, Nemo ex Euangelio colligat uxori licere uirum dimittere: quoniam Deus id non concessit. Quibus certè uerbis suam negatiuam mentem satis aperuit.

1. Conclu. ¶Duabus ergo conclusionibus respondetur. Prima, quam inficiari nefas est. In causa diuortij uir & uxor ad paria iudicãtur. Par, inquam facultas conceditur uxori dimittẽdi uirum, & uiro dimittendi uxorẽ. Determinatio est ecclesię can. citato Christiana. & eadem cau. q. 7. cano. Apostolus. qui est August. & can. Vxor à uiro. qui est Ambrosij. Et ex concilio Mileuitano cano. Placuit,

Can. Christiana.

Ex Euangelio. ¶At uerò non solis ecclesiasticis sanctionib. sed ex euangelio & Paulo eadem colligitur cõclusio: quoniam cùm Apostolus æquali iure dicat, uxorem non habere potestatem corporis sui, sed uirum, nec uirum, sui, sed uxorem: pari quoque iure tenetur uir fidem uxori seruare, ut uxor uiro. Si ergo propter fractionẽ fidei ab uxore uir diuertere potest, ut ait Dominus, planè inde colligitur, idem ius uxori fauere. Dominus uerò, quia de Iudæorum lege & more oborta fuerat quęstio, inter quos uxori non permittebatur uirum repudiare, cùm inde gradum fecit ad legem euangelicam, non meminit nisi uirorum, dicens, quòd quanuis illis antea alijs de causis impunè permittebatur repudium, in ecclesia sua non erat permittendum nisi solius fornicationis causa. Sed tamen quia æqualis obligatio fidei seruandæ existit in utroque, propter quam uir diuortium facit, tanquam nbtissimum inde reliquit, uxori quoq; idem ius patrocinari. Quanuis in lege ueteri ad repudium non faueret, quod erat non solùm separatio tori, sed de facto distractio matrimonij.

Paulus. ¶Id ipsum Apostolus alijs uerbis confirmat, ubi ait, His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus, uxorem à uiro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam. Vxorem autem à

August. uiro discedere, ut Aug. lib. de adulterinis coniugijs aduersus Pollentium arguit nunquam fas est, nisi ob fornicationem. Cùm ergo Paulus non expelli, sed discedere, dicat, insinuat non tantum uirum posse illã expellere, sed mulieri causa fornicationis uiri liberum esse discedere.

¶Demum per uerbum illud, Et erunt duo in carne una, itidem confirmatur: nam ut uxor tradens se alteri carnem diuidit, ita & uir: ius autem diuortij est, ut à coniuge, qui carnem diuisit, alter se subtrahat.

2. Conclu. ¶Secunda conclusio. Non est par causa in utroque abscedendi. Vnde dici consuetũ est, ad paria se habere, sed non pariter. Nam licèt causa in uiro maior sit discedẽdi, tamen quæ est in fœmina ad idipsum sufficit. Solent enim duo homicidæ pari capitis supplicio plecti, quanuis unius sceAdulter. dupler o fidem. Prior o decus. lus atrocius, quàm alterius fuerit. Notandum enim est, quòd adulterium consideratur & quasi fornicatio contra temperãtiam, & quasi adulterium contra iustitiã. Atqui in prima consideratione masculus & fœmina mutuò conferuntur tanquam excedens & excessum: nam propensio ad Venerem ex duabus radicibus nascitur: scilicet, & ex superfluente humiditate, & ex uegeto calore ad digerendum. In fœmineo autem sexu plus humoris redundat, ex qua parte attenuatur culpa, usq; adeò ut Philosophus. 8. Ethico. fœminas nõ simpliciter incontinentes appellet: nam incõtinens est, qui à uehementibus insultibus carnis uincitur, cũ resistere debeat: & mulieres uix resistere ualent, ceu bruta. Ex hac ergo parte potius esset mulieri indulgendum, quàm uiro. Veruntamen in uiro plus caloris uiget ad digerendum & egerendum, qua ratione remissior est in eo culpa propter maiorem excitationem. Rursus quanquam in fœmina, quæ subdita est uiro, quò uiliùs in re illa seruit, maior debeat esse pudor, tamen in uiro plus debet uigere ratio, quæ omnium est affectuum moderatrix. Atq; eam ob rem, simpliciter loquendo, grauius est uiro crimen carni succumbere, quàm fœminæ.

Secũda fidei ratio. ¶Si autem coniugis fornicatio inquantũ adulterium consideretur, etsi uir, quia est caput & custos uxoris peiùs delinquat: nẽpe, contra secundum finem matrimonij, quæ est familiæ gubernatio, tamen mulieres longè sceleftiùs & perniciosiùs contra primarium finem delinquit propter prolis incertitudinẽ, cuius est causa. Nihilominus fractio fidei in uiro sufficiens est, ut ius faciat uxori diuortium petendi.

Vxor pe denęgare debitũ ro adulte ro. ¶Ex quo fit pariter uxorem adulterij uiri conscium posse priuatim sine iudicio ecclesiæ denegare ei debitum, illis modis, & formis, quibus ius uiri expositum est. Imò uerò quanuis semel aut pluries uir cogat uxorem pugnis & uiolentia, ut debitum reddat, & illo modo reddat, ius non amittit denegandi debitum, atq; adeò petendi diuortium. Non tamen tam uel honestum uel consuetum est uxorem diuortium petere, quàm uirum. Quin uerò, ut sic rem concludamus, ius ciuile coniuges hac parte non facit æquales. Concedit. n. uiro ut uxorem ad supplicium capitis petere ualeat, uxori autem nõ item. Imò ubi criminaliter defertur nihil ei exceptio suffragatur, quanuis uero simile crimen obijciat. Ius enim ciuile non tam æqualitatis mutuæ fidei inter coniuges rõnem hẽt, quàm honestatis & subiectionis uxoris. Et super hæc incertitudinis prolium, quæ falsos hęredes supponens Rempublicam perturbat. De hac autem dist. sequenti latiùs.

Ius ciuile. 2. Conclu.

Solut. primi argu. ¶Ad primum igitur argu. respondetur, q repudium illic non permittebatur, nisi ad uitandum uxoricidium in uiris: à fœminis aũt non imminebat illud periculum. Et iõ quanuis in fide tori pares essent, non tamen fœminis illud permittebatur. Polygamia uerò uiro concedebatur, non uxori, propter incertitudinẽ prolis, quæ ab uxore oriretur, non à uiro. ¶Secundo uerò argumento conclusio secunda satisfecit.

Polygamia uiro antiquitus concessa.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm celebrato diuortio uiro ius relinquatur aliud ineundi matrimonium.

Partis affirmatiuæ arg. 1. NOndum hucusq; diuortij naturam explicuimus, & ideo quæritur, utrùm fit matrimonij dissolutio, ut uiro liceat aliam accipere. Et arguitur à parte affirmatiua. Vir non tenetur ob culpam uxoris, cuius ipse non fuit causa, perpetuam seruare continentiam: compellitur aũt quandoque, ut ex secundo artic. superiori colligitur, in perpetuo diuortio ab obstinatissima fornicaria quæ spem correctionis nunquam de se offert, perseuerare: ergo tunc potest aliam sibi coniungere.

3. Argum. ¶Secundò. Non est peccati occasio offerẽda peius peccandi: si aũt dimissę ppter fornicationem aliæ interdicuntur nuptiæ, occasio ei offertur se in suis sordib. uolutãdi.

3. Argum. ¶Tertiò arguitur, quòd cùm per diuortiũ obligatione sit iam soluta & debitum reddendi & cohabitandi cum uiro, uidetur & à lege coniugij esse liberata.

Pars negatiua. ¶In cõtrarium est illud Apostoli. 1. Cor. 7. Præcipio non ego, sed Dominus uxorẽ à uiro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam.

¶Præsentem quæstionem, quam & canonicæ sanctiones & rõnes naturales planè in partem negatiuam concludunt, unus tãtum locus in dubium quibusdam uertit, qui apud Ambros. reperitur super illo modò citato Apostoli. 1. Corin. 7. & citatur. 32. q. 7. can. Vxor à uiro. ubi uidetur partẽ affirmatiuam tueri. Et difficultatem auxit nostra tempestate Caietanus qui super Matth. ca. 19. non solùm Ambrosiano testimonio, uerùm & uerbis, ut sibi apparet, euangelicis subnixus id ipsum astruxit.

Ambrosij locus.

Caietanus

Salua tamen, inquit, definitione ecclesiæ, quæ hactenus non apparet: nam Decretales, inquit, Pontificiæ de hac materia non sunt definitiuæ fidei, sed iudiciales facti. Hæc ille. ¶Nescio tamẽ, ut bona uenia dixerim, an Erasmi sentẽtiam de hac re pluris fecerit, quàm par erat. Miror. n. quo genio uir doctissimus hominem in theologia uix ullo nomine dignum tam frequenter obaudiebat. Erasmus nanq; tum super Matth. c. 19. & in Paraphrasi, & in annotationibus, tum latissimè super Paul. 1. Corinth. 7. non solum ob fornicationem, uerùm & innumeris alijs de causis nititur ecclesiæ persuadere, ut matrimonium dissoluere, atq; adeò fornicationis cã non tantùm uiro, sed etiam uxori cõtendit licere alias nuptias inire. Quare non absq; causa sua opera naufragium iam sub sanctissimo Paulo. 4. fecerunt. Peperit. n. sicut alibi crebrò, ita & hic oua, quæ postmodum Lutherus incubauit, ut pullos excluderet. Vnde Lutherani, ut Ekius homil. 74. de matrimonio fideliter refert, quàm plurimis, eisdemq; leuissimis de causis coniugibus indulgent, matrimonium discindere, alia optare: Vt si alter debitum recusat, aut crimẽ dignum supplicio commiserit, aut peregrè fuerit profectus. Has enim, aliasque cãs auditu indignas suo arbitratu confingunt. Alij suspicantur nõ ambobus coniugibus æquale ius patrocinari, sed innocenti, ut alias nuptias inire ualeat, quæ nocenti interdicuntur.

Nota de Caietano.

Erasmus.

Erasmi operũ prohibitio.

Lutherani.

¶His

¶His ergo nihil obſtantibus cõcluſio hæc firmiſſima, quæ ad quæſtionem reſpondeat, ſtatuitur. Cuius contrarium, ut manifeſtarius error, reputandum eſt. Neutiquã ſeu uiro ſeu uxori poſt diuortium ad alias nuptias commigrare fas eſt, ſed utriq; lex præſcribitur (ut ca. Ex literis, de diuortijs) ut niſi reconciliari maluerint, in perpetua caſtitate uitam deinceps ducant. Et quidem concluſio inde pendet, an per diuortium matrimonium dirimatur. Si enim dirimitur, liberum utrique eſt alia matrimonia paciſci. Si uerò non dirimitur, liquidũ eſt id nequaquàm poſſe. Quocirca de ſpõſalibus de futuro nihil hic diſputamus: quippe quæ antequàm fuerint per copulã conſummata, proculdubio per fornicationem dirimi poſſunt, ſi uult innocens à pacto recedere, ut ſupra diſtin. 27. mõſtratum eſt, ſed loquimur de matrimonio de præſenti rato ſiue etiam conſummato: utroq; enim modo diuortium adulterij gratia fieri poteſt. Atqui quanuis apud catholicos ſatis ſit Sanctorum canones allegare, tamen ad obuiandum hæreticis, his maximè temporibus, atque in re tanto periculo obnoxia, oportet, ut Apoſtolus Petrus admonet, rationes quoque huius catholicæ ueritatis reddere. Funiculo ergo triplici aſſerenda eſt: ſcilicet, ſacræ ſcripturæ fundamento, & ſanctorum teſtimonio, ac demum rationum energia. Et quo ab expoſitione euangelij ordiamur, ait Caiet. quòd cùm Chriſtus Iudæis reſpõderet, quibus repudium: hoc eſt, matrimonij diſſolutio in more erat, colligitur, quòd cùm dixit, fornicationis cauſa licere uxorem dimittere, intellexerit eo ipſo modo, quo inter Iudæos, matrimonio diſtracto, ad ſecũdas nuptias cõmigrare licebat. Hoc tamen gloſſema multis modis retũditur. Primùm, ſi uerùm eſt, quod ſupra arbitror ſatis eſſe à nobis commonſtratum, repudium illud nũquàm fuiſſe licitum, neque matrimonium per libellum diſſolutum, ſed permiſſum duntaxat, ut impunè fieret, adeò Caieta. nihil concludit, ut hoc ſit egregium argumentum ad noſtram ſtabiliendam ueritatem. Nunquàm enim matrimonium legitimum, niſi cauſa religionis Chriſtianæ profitendæ diſſolui licuit. Igitur quanuis eodẽ modo permitteret Chriſtianis fornicationis cauſa diuortium, quo Iudeis, non ſequitur, illud uſq; ad diſciſſionẽ uinculi permiſiſſe.

Cõcluſio.

An per diuortiũ matrimoniũ dirimatur.

Probatio triplex.

Argum. 1. contra Caietanum.

¶Secundò reſpondetur, quòd eſtò diſputationis gratia admittamus apud Iudæos p repudiũ uerè matrimoniũ diſſolui, nullũ eſt Caieta. argumentum: nam Chriſtus ex lege ueteri gradum fecit ad ſuam euangelicam, & duos illius mores corrigere uoluit. Primus erat, quòd multis de cauſis uxor abijciebatur. Et ſecundus, quòd illa abiecta, uterque ad ſecunda matrimonia tranſibat. Et ideo contra primum ait, Dico autem uobis, quòd quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, mœchatur: putà, fidem infringit coniugalem, atque adeò & ſibi & uxori periculum offert mœchandi. Et continuo cõtra ſecundum ſubdit, & qui aliam duxerit mœchatur: nempe, quia dimiſſio illa non eſt matrimonij diſſolutio. Et eadem ratione qui dimiſſam duxerit mœchatur, ueluti ipſa. Quocirca illa enũciatio, ut ait hic S. Tho. copulatiua fuit, ut uerbum, mœchatur, bis referatur & ad dimittere uxorem, & ad aliam ducere. ¶At uerò hæc eſt lis altera, quam nobis Caietanus, & ſui conteſtantur. Contendunt quippe non eſſe copulatiuã, ſed de copulato ſubiecto, ut mœchari, nõ ad ſingulas partes diuiſim, ſed ſimul ad ambas complexim referatur. In hoc ſenſu. Omnis, qui quauis de cauſa uxorem dimiſerit, & aliam duxerit, mœchatur, excepta cauſa fornicationis, ut exceptio feratur in ambas partes complexim uidelicet, ut ſignificetur, cauſa fornicationis utrunque licere, ſcilicet, & uxorem dimittere, & aliam ducere. Sed tamen quòd hic ſenſus Eraſmi & Caietani uim textui inferat, probatur. Primò, quia inde colligitur, dimittere uxorem quauis alia de cauſa extra fornicationem, dum modò nec dimittens nec dimiſſa ad alias tranſirẽt nuptias, non eſſe per uerba Chriſti prohibitũ. Conſequens tamen abſurdiſſimum eſt: quoniã Chriſtus planè prohibuit ulla prorſus de cauſa uxorem dimittere, etiam quo ad torum, niſi ob ſolam fornicationem. At quia Chriſtus ad morem Iudæorum loquebatur, qui dimittebant uxores, ut alias ducerent, ambas ſimul coniunxit partes, ſed tamen in ſenſu diuiſo. Atque hoc luculẽtius explicatur Matth. 5. ubi diſtinctiſſimam copulatiuam ponit, Omnis qui dimiſerit uxorẽ ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulterat.

2. Argum.

Primus mos.

Secundus

Matth. 5. Quia dimiſerit, &c. Caietanus

Sensus Caietani non tui inuentus.

¶Secun-

Secundus locus ſcripturæ.

¶Secundus locus, idemq; planiſſimus eſt ille Pauli proximè citatus. 1. Corinth. 7. His, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à uiro nõ diſcedere; quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut uiro ſuo reconciliari. Hoc autem cauillo Eraſmus illum locum eludere contendit dicens, quòd loquebatur de illis fœminis, quæ alia, quàm fornicationis cauſa à uiris diſcederent, quæ quidem debent abſque ſpe coniugij uiuere, ſecus ſi fornicationis cauſa diſcederent. Sed hanc ſuam impoſturam certum eſt apud Auguſtinum exploſam legiſſe, ſi fidẽ illi uoluiſſet adhibere. Illa enim erat hallucinatio Pollentij, qui hoc iſtorum errore tenebatur, cuius cauſa Auguſtinus tres contra ipſum libros de adulterinis coniugijs conſcripſit. Vbi ſtatim lib. 1. c. 2. & infra oſtendit, neutiquam illum eſſe poſſe apoſtolicũ intellectum: quoniam ſecundum euangeliũ, quod Apoſtolus interpretabatur, nulla de cauſa præter fornicationem licet uxori à uiro diſcedere: nam neque ut uacetur orationi, niſi ex mutuo conſenſu, liberum eſt coniugibus carnali ſe debito defraudare: quia uxor nõ habet poteſtatem ſui corporis, ſed uir, neq; uir ſui, ſed uxor. Et ideo ſi alter ab altero ſe ſubſtrahat, furtum ſui ipſius facit: ſi ergo nefas eſt alia de cauſa diſcedere, documentum eſt de illo diceſſu ob fornicationem Apoſtoli ſermonem intelligi, quando præcipit, ut innupta maneat. Id quod & uerbo ſubſequenti confirmatur, aut uiro ſuo reconciliari: nã reconciliari non eſt, niſi ab adulterij crimine, quod fuerat diuortij cauſa. ¶Tertius denique locus, qui hanc ueritatem confirmat, eſt apud eundem Apoſtolum Roma. 7. Quę ſub uiro eſt mulier, uiuente uiro alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit uir eius ſoluta eſt à lege uiri. Vbi non ſolis Iudæis ſed ipſis conuerſis atque uniuerſis Chriſtianis loquebatur, docens, uiuẽte uiro nullam cauſam interuenire poſſe uinculi matrimonij abrumpendi, ſed ſolam mortem id facere. Vnde colligit, Igitur uiuente uiro uocabitur adultera ſi fuerit cũ alio uiro: Nullam hic excipit fornicationis cauſam, ſed quancunque uiuente uiro alteri nubentem adulterij condemnat.

Eraſmi cauillus.

Tertius locus.

Canonum ſtatuta.

¶Secundùm hæc canones ſanctorum patrum, ſummorumq; Pontificum eandem ueritatem ceu orthodoxam ubique aſſe-

runt. Et ut Ambro. qui de hac re malè audit, in capite præponamus. Magiſter ſenten. diſtin. præſenti, & D. Tho. ſuper eundem locum Pauli ad Corinth. & Gratianus, canon. Quod propoſuiſti. 32. q. 7. & quotquot ſunt catholici aiunt, illla Ambroſij uerba eſſe à falſarijs deprauata. Verba Ambro. ſunt, quòd Apoſtolus præcipiens uxorem à uiro diſcendẽtem manere innuptam, ideo non ſubdit de uiro, ſicut de muliere: quia licet uiro aliam ducere. Et quod hæc fuerit deprauatio fit magna coniectura ex ſimilibus ferè Auguſtini uerbis ſuper eundem locum, quæ Magiſter hic citat, & Gratianus. 32. quæſt. 7. cano. Apoſtolus. Verba ſunt. Quare nõ addidit Paulus, de uiro (ita enim legendum eſt) quod præmiſit de muliere (uidelicet, ut diſcedẽs maneret innuptus) niſi quòd ſimilem formã uult intelligi, quòd ſi dimiſerit (quod cauſa fornicationis permittitur) maneat ſine uxore, aut reconcilietur uxori. Et re uera ita Ambroſius conijcitur ſcripſiſſe.

Ambroſij locus deprauatus.

Ambroſ. uerba.

Cõiectura non leuis.

¶Sed accedit ratio maior quàm coniectura. Et hoc ſit cõtra Caietanum & Eraſmũ perpendendum argumentum. Si Ambroſius ſenſiſſet uiro dimittẽti uxorem ius patrocinari accerſendi alteram profectò illud non denegaſſet uxori: quia ius illud uiri ex diſſoluto mſimonio naſceretur: quapropter & uxor libera eſſet à lege uiri, ut poſſet ſibi alterum copulare. Quod quidẽ argumentum contra Caietanum militat, tenentem licere uiro alias nuptias, non autem uxori. Nam diſcrimen, quod ex ueteri lege adfert, uidelicet, quòd uiro licebat repudiare uxorem, non autem uxori, uirum, nullius eſt ualoris: quoniam licèt hoc uerum eſſet, tamẽ facto iam repudio: quia putabant matrimonium diſſolui, credebãt pariter ambos poſſe alia inire matrimonia. ¶Quocirca Eraſmus bene intellexit, quòd facta uiro repudianti facultate, eadẽ fieri deberet repudiatæ accerſendi ſibi alium maritum, quod ipſe concedit. Sed tamen ipſum condemnat Ambroſius, quin uerò Pau. præcipiens dimiſſam manere innuptam. Vnde idem Ambroſius ſuper eundem Apoſtolum loco citato ad Roman. 7. Quod mulier uiuente uiro alligata eſt legi eius, ait, Hæc idcirco proſequitur, ut doceat, quòd mulier, etiam ſi à uiro fuerit deiecta, nubendi licentiam non habet. Quicquid tamẽ Ambroſius de marito illo tempo-

Rõ contra Caieta.

Eraſmus.

Ambroſ.

tempore senserit, quo ecclesia nõ erat tantis sanctorum testimonijs prouecta (nam idem opinatus fuit Lactantius lib. 6. diuin. instit. ca. 23.) nihilominus postquam iam modò tam multis est instructa, non debet Ambros. reliquo Sanctorum cœtui præferre. Vnde Hierony. Matth. 19. & refertur. 32. q. 1. can. Dixit Dominus. Vbicunque est fornicatio liberè uxor dimittitur: & quia poterat accidere, ut quis calumniam faceret innocenti, & ob secundã copulam nuptialem ueteri copulæ crimen impingeret, sic priorẽ dimittere iubetur uxorem, ut prima uiuente, secundam non habeat. Et super eundem locum Epistolæ ad Corinth. ad Amandum (sic enim legendum est, non Damasum) ead. causa. q. 7. Omnes, inquit, causationes Apostolus amputans apertissimè diffiniuit uiuente uiro, siue adulter sit, siue Sodomita, adulteram esse mulierem si alteri nupserit: nam quomodocunque derelictus, tamen maritus est eius semper reputandus. Idemque prorsus de uiro sentit. Augustinum autem non opus esset allegare, cum tres integros libros super hoc argumento ad Pollẽtium scripserit. Licitè enim, inquit, dimittitur uxor causa fornicationis, sed manet uinculum prioris, propter quod sit reus adulterij quicunque dimissam duxerit. can. Licitè. 32. q. 7. Et subdit commodatissimum exemplum, quòd sicut Christianus dũ excommunicatur manet in sacramento regenerationis, ita coniux propter crimen ab altero separatus non carebit sacramento coniugij. Et idem repetit cano. Quemadmodum, ex eod. lib. Demum lib. 2. cap. 9. ambos coniuges in hac causa exequans; scilicet, quòd sicut uxor uiuente uiro, ut ait Paul. alligata est ei, ita uicissim & mulieri uir. Concludit dicens, Vnde necesse est ex duobus coniugijs quatuor adulteros fieri si & ille alteram duxit, & illa alteri nupserit. Idem in lib. de bono coniugali cano. Interueniente. ead. cau. & quæs. Interueniente, inquit, diuortio non abo letur confœderatio nuptialis, ita ut sibi con uges sint, etiam separari. Et can. Tantum, idem ait. Vnde can. Vsquè adeò, concludit dicens. Vsque adeò inter uiuentes manẽt inita iura nuptiarum, ut potiùs inter se sint coniuges etiam separati, quàm cum his, quibus adhæserunt. Et magnus Gregorius, cano. Hi uerò, 32. q. 7. Qui uxores suas in adulterio deprehendunt, non licebit neque eum neque eam aliam uxorẽ accipere, neque uirum. Et Beda super uerbum Pauli. 1. Cor. 7. idem prorsus tam de uiro relinquente quàm de relicta uxore cum Augustino sentit.

¶ Quod si Græcos consulere lubet, Origenes homilia. 7. super Matth. eandem edocet in uiro & in muliere inesse rationem, ut alteruter possit alterum fornicationis gratia dimittere, cæterum neuter potest altera inire connubia, tamen si alteruter id faciat mœchatur. Et Chrysost. hom. 17. super uerb. Christi Matth. 5. Qui dimiserit uxorem suam facit eã mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat, ait, quòd tam ille dimittens, qui aliam ducit, quàm ipsa dimissa alteri nubens adulterium committit. Et ne dicat Caietanus aliud concedi uiro quàm uxori, subdit Chrysostо. quòd de muliere eo nihil Christus locutus est, quòd cùm muliebris sexus infirmior sit, dum deterret virum, uitium quoque uxoris emendat. Idem Theophylactus super Matth. 19. Causa, inquit, hominis cũ muliere perpetua & inseparabilis unio est.

¶ Sed ait Caietanus has non esse ecclesiæ definitiones. At quando tales non essent, saltem profecto error esset manifestarius tantos negare patres: erroris enim nomine falsa assertio censetur, quæ adeò sacris literis dissona uidetur, & sanctis est patribus contraria, ut sit hæresi quàm proxima. præsertim cùm eadem ueritas iam decretis tum conciliorum, tum & Sãctorum Pontificum effulgeat. Sic enim habet concilium Mileuitanum, Placuit, ut secundùm euangelicam & apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri coniungantur &c. 32. q. 7. can. Placuit. Idemq; in concilio Eliberti no can. Fidelis. Et Innoc. 3. can. Quanto, de diuortijs, Sacramentum, inquit, fidei, quod semel est admissum, nunquàm amittitur, sed ipsum in coniugibus perdurat. ¶ His demum accedat concil. Florentinũ, ubi in Armenorum institutione sic legitur. Quanuis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere non inde aliud matrimonium contrahere fas est, cùm matrimonij uinculum legitimè contracti perpetuum sit. Certè nõ uideo quomodo illæ non sint tanquàm Ecclesiæ definitiones habendæ. Quare Parisijs primum contra Erasmus

Aug. de adulterinis coniugijs. Exẽplum. Auguſt. Auguſt. Gregor. Hierony. Beda. Origen. Chryſoſt. Ratio. Theophylact. Concil. Florentin. Nota. Nota. Concil. Ieuitz.

Error Parisijs damnatus Argu. contra Caieta. Nota arg. Hierony. In commodum. Validũ ar.

Erasmum, ac subinde contra Caietanum hic error condemnatus est.

¶ At uerò, ut tertiam argumentorum sedem rationibus instruamus, quæritur, si fornicationis causa dirimitur matrimonium, quonam temporis articulo dirimatur. Aut enim cùm primum coniux adulteratur: quod affirmari non potest: nam postea liberum est alteri coniugi adulterum sibi sine nouo consensu denuò contrahendi reconciliare. Vel quando ecclesia facit diuortium uerùm neque hoc asserere licet: quia tunc ecclesia non facit nisi pronunciare sententiam illius separationis, quæ per fornicationem illuc usque incognitam acciderat. Et patet hoc manifeste, nam post diuortium celebratum potest uir dimissam sibi reconciliare: imò si fornicetur, potest ad reconciliationem compelli, ut articulo proximo dicemus. Reliquum ergo sit, quòd non dirimitur, quousque ipse transeat ad secundas nuptias. Itaq;, ut supra de repudio diceba mus, diuortium secundùm istos non dirimeret, sed faceret facultatem dirimendi. Esset autem concessio perquàm absurda dicere, quòd matrimonium ratum & consummatum per transitum ad secundas nuptias dirimatur, cùm neque per ascensum ad religionem dirimi ualeat. Ad hæc, ut Hierony. loco supra citato docet, si matrimonium per diuortium omnino rumperetur, tunc id, quod flagitiosis in supplicium decretum est, in lucrum & commodum sæpissimè eis cederet. Nam cum primum coniuges animo dissiderent, & inuisa mulier uiro esse inciperet, aut uxori maritus, aut si maritus aliam deamaret, aut uxor alium, facilè alteruter adulterium committeret, ut per illam occasionem matrimonio distracto ad alias optatas nuptias conuolaret. Imò uir facilè occasionẽ offerret uxori adulterandi, & uxor uiro, & (quæ audacia odientium & amantium esse solet) falsos testes disquireret, quib. se alter ab altero extricaret, ut ad noua ineunda connubia se succingeret. Qua uti que ratione diuortium, quod odiosissimũ inter Christianos esse debet, & uelut infame effugiendum fieret sæpè optatissimũ. Sed non opus est pluribus aduersus istos agere, satis enim ualidum argumẽtum reputandum est, quòd nunquàm in ecclesia aliqua natio uel prouincia inuenta est, ubi diuortium tale auditum sit, quo fuerit matrimonium discissum. ¶ Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd quanuis per se nulla in innocente oriatur obligatio perpetuò abstinendi, potest tamen per accidentarium euentum oriri. Quoties enim unus coniugum in morbum incidit incurabilem, quo rei uxoriæ perpetuò fiat inhabilis, aut si sit perpetuo carceri mancipatus uel in exilium missus, tenetur alter perpetuò abstinere. Eadem ergo ratione si sit perpetuò incorrigibilis, & alter citra scandalum datum non possit cum illo habitare. ¶ Ad secundum respondetur, quòd diuortium per se non est tanta occasio, ut sordida sordescat adhuc, quàm est remedium resipiscendi: quia illud opprobrium deberet errantem confundere, & in uiam reducere. Si autem tã peruersa est, ut occasionem inde mali nanciscatur, sua sit culpa.

¶ Ad tertium demum respondetur, quòd quanuis celebrato diuortio uterque sit liber ab obligatione reddendi debitum, non tamen matrimonium dirimitur: & ideo quomodocunque siue dimittens ad alteram, siue dimissa ad alterum accedat, committit adulterium. Potest tamen uterque uotum castitatis siue solenne siue simplex emittere, altero manente in seculo: attamen neque per uotum ipsum solenne dissoluitur matrimonium. Est nihilominus uotum ipsum, quantunuis simplex, ualidum, ita ut qui uouit non possit amplius debitum reddere coniugi, neque ab illo exigere propter uotum, quanuis se reconciliare uoluerint, nisi per dispensationem, si esset uotum simplex: secus autem si esset solenne. Quin uerò, ut supra diximus, maritus siue dimissus potest sacris initiari & fieri presbyter uxore in seculo relicta. At uerò si postmodum ecclesia comperiat se per falsos testes fuisse deceptam, & diuortium re uera non fuisse ualidum, debet saltem altero petente iteratò illos reconciliare: & tunc ille, qui uotum fecit quanuis solenne, tenetur exire à conuentu & debitum reddere, non tamen exigere, quanuis uotum non fuerit nisi simplex, quandoquidem bona fide susceptum est. Habet tamen iustam causam, ut cum illo debeat dispensari, postquam cogitur cum ea habitare.

Sol. 1. arg. Sol. 2. arg. Sol. 3. arg. Maritus potest ordinari.

ARTI-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm post celebratum diuortium locum habeat reconciliatio.

Partis affirmatiuæ argu. 1.

QVAERITVR tandem utrùm diuortiũ uim habeat perpetuã, ut nullus postea recõciliationi detur locus. Et arguitur non posse separatos pòst reconciliari. Nam si reconciliatio esset licita, id propter pœnitentiam uxoris adulteræ accideret: at uerò si pœnitentia facit reconciliationem licitam, uidetur illam facere necessariam: scilicet, ut pœnitẽs possit, cogere uirum, ut ad ipsam rediret: hoc tamen est falsum: ergo reconciliatio non est licita. ¶ Secundò. Sequeretur, quòd si post diuortium uir innocẽs uelet reconciliationem facere, teneretur ipsa, quæ fuerat dimissa ad eum redire: consequens tamen est falsum: nam per sententiam ecclesiæ uidetur ab usu coniugali liberata. ¶ Et tertiò. Si reconciliatio post diuortium locum haberet, sequeretur quòd si uir innocens, qui uxorem dimiserat postea adulterium committeret, teneretur ad illam redire: nam si ante diuortium inuentus fuisset adulter, non posset diuortiũ facere: ergo ipsum eius adulterium, quod antea fuisset impedimentum diuortij petendi, esse debet postea causa, ut diuortiũ postea infectum reddatur. ¶ Quarto denique arguitur. Si ante diuortium uir occultum committens adulterium, quod uxor probare non potest, ipsam adulteram per iudicium ecclesiæ dimittat, uidetur diuortium iniquè postulatum ex parte uiri: ergo si in aliquo casu reconciliatio haberet locum, esset in isto: & tamen in hoc uir nõ cogitur uxorem sibi reconciliare: ergo reconciliatio post diuortium non habet locum. ¶ In contrarium est uerbum Pauli. 1. Corin. 7. Si uxor à uiro discesserit, maneat innupta, aut uiro suo reconcilietur.

¶ Ad quæstionem illi, qui tenent celebrato diuortio ius fieri coniugibus ad aliud migrandi matrimonium, cogi uidentur cõcedere, post diuortium non fieri reconciliationi reliquum locum: quia putant illud esse dissolutum. Veruntamen secundùm rei ueritatem facillima est responsio, quæ unica conclusione bimembri continetur. Si post diuortium adultera resipiscat, ita ut constet emendatam esse, potest eam sibi uir reconciliare, quemadmodum ante poterat retinere: sin autem incorrigibilis appareat, non licet eam resumere eo modo, quo antea non licebat eam retinere.

2. Argum.

3. Argum.

4 Argum.

Pars affirmatiua.

Cõclusio.

Prima pars cõclusionis.

Prima pars patet, quoniam diuortium solùm fit propter crimen: illo ergo cessante, potest & diuortium cessare, siue antequã fiat, siue postquam factum fuerit, nã cùm diuortium in fauorem innocentis fiat; qui obligatione reddẽdi debitum absoluitur, eãdem libertatem, quam ante diuortium habebat ad retinendam uxorẽ, habet postea ad resumendam, si uult iuri suo cedere. Quòd si in contrarium regulam illam iuris obijcias. Quod semel bene definitũ est, nulla debet iteratione retractari. Respondetur, quòd definitio ecclesiæ non est compulsoria, ut coniux necessariò dimittat adulteram, sed permissoria, ut dimittat si uelit: quare semper est ei integrum, etiã facto diuortio, illam ad se reducere. ¶ Secundam uerò partem conclusionis, quòd incorrigibilem non potest sibi reconciliare, cum eisdem moderaminibus intelligito, quæ artic. 2. posita sunt inter disputandum, an illam teneatur relinquere. Difficultates ergo, si ullæ sunt, per argumenta reserantur.

Obiectio.

Dilutio.

Secunda pars cõclusionis.

¶ Ad primum igitur respõdetur, quòd pœnitentia uxoris quanuis debeat uirum emollire & ad ueniam inducere, tamẽ eum non cogit. Quare sicut uxor ante diuortiũ pœnitentiam suam & correctionem in iudicio allegans nõ auditur nisi ad mitigandum uirum, ita nec post diuortium ipsum cogit. ¶ Secundum uerò maioris est difficultatis. Videtur enim uxor dimissa non teneri amplius ad uirum redire. Nihilominùs Diuus Thom. impræsentiarum ait, quòd cum diuortium in fauorem innocentis fiat, ut absoluatur redditione debiti, non debet ei nocere & incommodare, ut priuetur iure petendi: & ideo quotiescunque ipse uelit, tenetur rea ei obtemperare. Certè est bona ratio, & antequam diuortium fiat, omnino conuincens: sed tamen facto diuortio non uidetur tam efficax. Nihilominus semper uidetur habere uigorem, nisi iam uotum ipsa emiserit. Sed addit S. Thomas de licentia ipsius uiri. Crediderim tamen profectò sentẽtiam ipsam diuortij ualere pro uouendi licentia: nam postquam ipse noluit illi parcere,

Sol. 1. arg.

D. Thom.

Sẽtẽtia D. Thom. uortij pro licentia.

re. & persistit usque ad sententiam, re uèra per talem sententiam uxor liberatur, ut saltem antequam ipse eam repetat, possit ipso inconsulto uotum castitatis facere. Quare si sit solenne, nunquam eam ecclesia reuocabit ad uirum, quantuncunq; ipse petat: imò uerò, ut reor, licèt fuerit simplex, si legitimè illa iurauerit & probauerit illud iam uotum emisisse.

Sol. 1. arg.

Cap. 6. de adulter.

Ca. Ex literis, de diuor.

Nõ secũda Intellectus. c. Ex literis.

Casus illius decretalis.

¶ At uerò tertium argumentum est intricatius, in quo dissoluendo uariæ uersantur opiniones: nam iurisperiti tenent uirum post diuortium fornicantem compelli ad uxorem redire, ad quod citant capit. fina. de adulter. Illud uerò nihil ad rem facit: nam illic sermo non habetur, nisi de uiro, qui si ante diuortium fuerit adulter, non potest adulteram eadem de causa dimittere. Et tamen textus, qui uidetur expressus, capit. Ex literis, de diuortijs. Sed nihilominus D. Tho. in hac præsenti distinctione & q. in solut. ad 4. ait, quòd propter adulterium, quod uir innocens post diuortium committit, secundùm rigorem iuris non debet cogi ad recipiendum uxorem adulteram. Priùs tamen ex æquitate iuris iudex ex officio suo debet eum cogere, ut caueat periculo animæ suæ & scandalo aliorum: quanuis uxor non possit reconciliationem petere. Et tamen D. Tho. textũ illum Alexand. 3. uiderat, qui eo fuit antiquior. ¶ Et re uera pro hac opinione S. Thomæ ratio militat, quòd per diuortium uir absoluitur ab obligatione reddẽdi debitum uxori, atq; adeò ille contractus societatis quoad torum & cohabitationem dissolutus uidetur: quare licèt posteà uir peccet in Deum adulterando: quia manet uerum matrimonium, non tamen uidetur in uxorem iam dimissam peccare, atque adeo cogi non potest, ut ad illam reuertatur. Et confirmatur hoc maximè, quia sententia diuortij non fertur sub conditione, nisi uir deliquerit, sed absolutè ut separentur. Quapropter ad textum illum respondeti posset, intentionem Pontificis non esse facere decretum uniuersale, quod haberet uim legis: nam si hoc S. Thom. intellexisset, nunquam dixisset, quòd rigore iuris non posset ille cogi: sed fuit sententia Particularis in illo casu propter circũstantias particulares. Vir enim ille priùs fuerat causatus, quòd per uim uxorem illam duxerat, & quia illo modo non potuit illam expellere, crimẽ ei fornicationis obiecit, quod illa non conuicta confessa est: quæ quidem indicia erant ipsos propter mutuum odium separationem concupijsse: & iideo episcopus consilio capituli permisit eos, ut separatim uiuerent, dummodò continentiam obseruarent. Quæ quidem permissio non uidetur omnino sententiam continuisse diuortij, sed cuiusdam permissionis. Deinde uir rebellis contra admonitionem ecclesiæ non solùm adulteratus est, sed nuptias contraxit nouas, unde in suspicionem uenit, quòd affectu illarum nuptiarum technas alias subtexuisset. Quocirca meritò compulsus fuit ad illam redire. Quare certè inde lex non planè colligitur in alijs diuortijs necessario seruanda. Et re uera solutio hæc omnino uidetur textui satisfacere.

Nota.

In cõscientia.

¶ At uerò quia hæc ad usum, qui uniuersalis in ecclesia seruatur, referenda sunt, dico primò, quòd uir post diuortium adulteratus non tenetur in conscientia ante compulsionem Ecclesiæ ad uxorem redire. Quia si fortè tenetur, nõ est nisi in pœnam criminis, quam ideo exequi ante condemnationem non tenetur: cum non debeat idem esse reus & iudex. Secundò addiderim, quòd neque iudex ex officio tenetur eum compellere, ni forsan perditissimè uiueret, & magnum suis adulterijs scãdalum daret. Tandem adiecerim, quòd si uxor eum in iudicium deferat reconciliationem petens, Ecclesia tanquam inobedientem suis mandatis, quibus ei præcepit, ut castè uiueret, propter sua scanda la potest eum compellere, ut cum sua uxore uiuat.

Iudex.

¶ Ad quartum demum respondetur, quòd uir occultè adulter peccat adulteram uxorem de eodem crimine accusans: quippe qui (ut uerbis Pauli utamur) cum dicat alteri non mœchandum, mœchatur. Quare illo casu, quo ante diuortium fuit adulter, si uxor reconciliationem petat, in conscientia tenetur uxori parcere: nam licèt illa eius crimen probare non possit, non inde iure suo priuatur: quemadmodum qui re uera æs contraxit alienum, quanuis creditor id probare nequeat, debitor nihilominus est.

Sol. 4. atg.

In cõscientia.

DISTIN-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISTINCTIO TRIGESIMAseptima, De alijs criminibus, quę sunt matrimonij impedimenta.

Textus. Cap. 1.

POsthæc alia sunt criminis impedimenta, quæ matrimonio ob sunt cõtrahendo, cõtractum uerò minimè dirimunt, atque alia, quæ etiam contractum dissoluunt. Prioris generis sunt incestus post matrimonium commissus, raptus alienæ sponsæ, homicidium simplex propriæ uxoris, baptizatio proprij filij, interfectio presbyteri, sacrilegum matrimonium cum moniali, quibus & solennis pœnitentia adiungitur. Posterioris verò sunt incestus matrimonio antecedens, adulterium cum homicidio coniunctum, adulterium fide adulteræ data post obitum coniugis contrahendi cum illa, ac deniq; matrimonium inter coniugatos de facto contractũ.

Cap. 2. ¶ Igitur, siquis cũ aliqua fuerit fornicatus, & cum eius postea consanguinea cõtraxerit, matrimonium iure propter incestũ dirimitur: qui vero post matrimonium cum consanguinea uxoris incestuosum adulterium commiserit, sic iure petendi debitum nudatur, vt tamen teneatur reddere. Vnde cõcilium apud Miciam, Siquis cum filiastra sua scienter formicatus fuerit, neque à matre unquàm debitum petere neque filiam unquàm habere potest uxorem. Et in concil. Aurelianen. Qui dormierit cum duabus sororibus & una antea uxor fuerit, neutram ex ipsis habeat, neque ipsi adulteri unquam in coniugio copulentur. Quod autem ait, neutram ex ipsis habeat, non sic intelligitur, quòd uxorem debeat dimittere, sed quòd debitum ab ea petere nequeat. Et pariter id intelligitur Zachariæ, Concubuisti cũ sorore uxoris tuæ, si feciſti, neutrã habeas. Quod autem subdit, Et si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui uelit, intelligitur, uiro uita defuncto. ¶ Interfectores autẽ suarum

Cap. 1. de eo qui cognouit consanguin. uxor.

Can. Qui dormierit 27. q. 2. 32. q. 5.

rũ coniugũ Nicolaus Papa ceu homicidas condemnat can. Interfectores. Id quod si absque publica autoritate perpetrent, interpretandum est. Nã Cęsarea iura id sanè bona causa permittunt, quanuis ecclesia hmõi gladio tpali nõ utatur, ut idem Põtifex cã. Inter hęc illic admonet. Ob idq; ea q. Pius papa, Quicũq; inquit, ppriã uxorẽ absq; lege et sine cã iterfecerit, aliãq; duxerit, publicam agat pœnitentiã. ¶ Ad hęc & ligaminis impedimentum accedit. Qui.n.uno matrimonio deuinctus est, aliud uiuente coniuge inire non ualet, qđ si inierit, distrahẽdũ est. Quocirca cõiugata, quę absentẽ suum cõiugẽ defunctũ arbitratur, quousque uel per certũ nunciũ uel alia legitima uia certior facta sit, aliũ sibi coniugem adsciscere nõ ualet, vt Clemens Papa c. In presentia, & Lucius c. Dominus. admonent. Quod si illud contraxerint, priorq; coniux pòst comparuerit, prius est matrimonium obseruandum, vt Leo, atq; Inno. 34. q. 2. iubent.

33. q. 2.

33. q. 1.

Cap. 4.

De sponsa duor. De secũd. nuptijs. Can. Cum bellica. Can. Cum in captiuitate.

DISTINCTIO. TRIGESIMÆseptimæ, Quæstio unica, De alijs criminibus, quę sunt matrimonij impedimenta.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm sint aliqua crimina, quæ matrimonium contrahendum impediant, contractum uerò non dirimant.

IN tribus præcedentibus distinctionibus de illis impedimẽtis disputatum est, quæ non sunt necessaria, atque adeò cõstituũt personas medias: id est, nec penitus legitimas, nec prorsum illegitimas. Subsequitur ergo consideratio de impendimentis necessarijs, quæ prorsus psonas illegitimas reddunt. Quæ quidem consideratio per sex protenditur distinctiones. In tribus ergo prioribus disputabitur de impedimentis, quæ ex actionibus oriuntur: scilicet, ratione criminis, aut susceptı ordinis, aut emissi uoti, aut susceptæ Christianę religionis. Et in tribus postremis de impedimentis ex cognatione cõtractis: nẽpe, ex consanguinitate & affinitate. Magister autem senten. in hac dist. agit de ordine, uerùntamen (ut supra diximus) commodius hic de reliquis criminibus disputatur, ut hæc distinctio præcedẽti cohæreat, ut in subsequenti de ordine & uoto, quæ connexionẽ habẽt, simul disputetur. ¶ Igitur prẽter simplex adulterium, de quo distin. præcedenti dictum est, quæritur, utrùm alia sint crimina matrimoniũ impedientia, non autem illud dirimentia. Et arguitur à parte negatiua. Matrimonium institutum est tũ in officium ad propagandum humanũ genus, tum & in remedium contra concupiscentiam: crimẽ aũt peculiare hominis nõ debet toti generi incõmodare, neque illo modo puniri, qui offendiculũ homini obijciat, ut perpetuo cõiugio priuatus identidem illecebris carnis succũbat. ¶ Secundò arguitur. Si aliquod esset huiusmodi crimen, maxime incestus cum consanguinea uxoris, ut habetur ca. 1. & 2. de eo qui cognouit consang. uxoris. hoc tamẽ nõ usq; adeo rationi consonũ uidetur: nã sceleſtius

Partis negatiuæ ar. primum.

2. argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est cognatam propriam incestu polluere, quàm consanguineam uxoris, quæ tãtùm est uiro affinis: sed incestus ille non legitur matrimoniũ impedire: ergo neq; iste.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium sunt sancti canones hmõi pœnam quibusdã criminibus decernẽtes.

Prima cõclusio. ¶Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Sex sunt crimina, quę matrimoniũ contrahendum impediunt, non tamen contractum dirimunt: scilicet, incestus, raptus alienæ sponsæ, uxoricidiũ, baptizatio proprij filij, ut uir ab uxore seperetur, interfectio presbyteri, & matrimonium sacrilegum cum moniali. His additur & septimum impedimentum, pœnitentia solennis, quæ licet non sit crimen, agitur tamen propter crimen: Vnde carmina, Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris, Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis, Vel si pœniteat, solenniter, aut monialem Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum. ¶Inter hæc autem crimina duo sunt, quæ uno modo considerata duntaxat impediunt matrimonium contrahendum, sed altero modo dirimunt etiam contractum. Hæc sunt incestus & uxoricidium. Vbi notandum, quòd incestus aut committitur cum consanguinea uxoris, aut cum propria cognata. Atqui prior aut committitur ante contractum matrimoniũ, aut post. Si ante, tunc propriè non est incestus, sed tamen dirimit matrimonium contrahendum cum consanguinea illius, cum qua fornicatum est, atque hac ratione dicitur incestus. De quo impedimento art. proximo disputabitur. Si uerò post matrimonium committatur, tũc duos habet effectus, quorum unus est, quòd incestuosus non potest debitum exigere. Secundus effectus est, quòd impeditur, ne etiam mortua cõiuge possit aliud matrimonium contrahere, non tamen si illud contraxerit, est rescindẽdum. Primus effectus pertinet itidem ad subsequentẽ articulũ, & secũdus ad istum. De incestu quantũ ad utrumq; istorum duorum effectuũ extant decreta, in c. 1. & c. Veniens. & cap. Transmissæ, de eo qui cogno. consang. uxor. & can. Qui dormierit. & Concubuisti. & Si quis nouercam. q. 32. q. 7. Quòd si roges, utrum si mortua uxore uir committat incestum cum eius consanguinea pariter impediat matrimonium contrahendum, dubium esse potest, sed tamẽ crediderim non esse impedimentum: quoniam hæc impedimenta restringenda sunt. Et tamen canones non loquuntur nisi de incestu uiuente uxore. At si incestus fiat cum propria consanguinea siue ante matrimonium siue post (nihil enim ad rem pertinet) est etiam impedimentum contrahendi matrimonij, non tamen illud dirimit, ut can. Si quis uiduam, ead. cau. & q. ubi id asseritur de incestu cum nepte, aut consobrina, aut filia auunculi. Et ratio huius impedimenti non est alia, nisi quòd qui tam impudica Venere se polluit, interdicitur, ne alioqui licita utatur. Vtrum uero talis incestus cum propria cognata impediat matrimonij usum, nec incestuosus iure ualeat debitum petere, arti. seq. uidebimus. ¶Simplex itẽ uxoris interfectio: uidelicet, quando non fit animo cõtrahendi cum altera, sed propter odium, aliaue de causa, impedit etiam matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum. 33. q. 2. can. Admonere, & can. Interfectores. Ratio autem huius impedimenti est, quod qui unã uxorem tã atroci affecit iniuria, indignus meritò est cui alia committatur. Syluester autem uerb. Matrimonium. 7. q. 6. adnotauit, non inueniri scriptũ ius, ubi uxor, quæ maritum occidit, matrimonio contrahendo prohibeatur. Sed tamen optimo similitudinis argumento colligitur. Vxoricidiũ uero causa & affectu conciliandi alterius matrimonium non solum impedit contrahendum, uerùm dirimit contractum, ut artic. 4. disputabitur.

¶De raptore alienæ sponsæ, quòd ineundo matrimonio priuetur, habetur in concilio Toletano can. Statutum est. 27. q. 2. Et ratio est, quia expedit, ut qui alienum matrimonium perturbare ausus est, iure proprij contrahendi priuetur, ut in eo puniatur, in quo deliquit. ¶Atqui de eo, qui proprium filium baptizauit, ut affinitaté cum propria uxore contraheret, habetur ex concilio Maguntinensi can. De eo. 30. q. 1. Intelligitur autem si consulto ob eum finem filium quis de proprio fonte leuauerit, ut discidium quo ad torũ inter ipsum & uxorem fiat, tunc enim ab ipsa debitum petere, & ea mortua aliud inire coniugium prohibetur, eo quòd infideliter in primo se gesserit.

¶De interfectore uerò presbyteri habetur ex eodem concil. Maguntinen. capit. Qui presbyterum, de pœniten. & remissio. In cuius glossa reliqui omnes casus appenduntur. ¶Sed de eo, qui matrimoniũ cum moniali contraxit habetur ex Concilio Triburiensi can. Hi ergo, & ca. Si quis. 27. quæst. 1. ¶De solenniter pœnitentibus habetur can. De his. & cano. Antiqui. 33. q. 2. Illud autem non impedit, nisi quandiu pœnitentia durat, ut ex illis capitulis colligitur.

¶Circa hos autem omnes casus & impedimenta contrahendi, quæ contractum non dirimunt. hoc in primis animaduertendum, quòd citra dubium super omnibus potest episcopus dispensare, ut de incestu ait Panor. cap. 1. De eo, qui duxit in matrimo. quam polluit per adulte. iuxta cano. Si duo. 35. q. 2. Sed præcipuè id adstruit Caie. uerb. Matrimonium. Quin uerò addit, quòd si contemptus desit, contrahere cum istis impedimentis absq; dispensatione, ubi non est consuetum illam petere, non est iudicandum mortale. Et ubi non est in hominum memoria, ut episcopi dispensent circa hæc, uidentur tacite consentire. Quanuis tutius sit secrete per tertiam personam dispensationem postulare. Atqui Panor. cap. Literis, de præsumptio. incestum occultum nullum esse impedimentum, ait, matrimonij contrahẽdi. Et super cap. Qui presbyterum, de pœnit. & remissio. asserit, quòd neq; occisor presbyteri arcetur à matrimonio, nisi fuerit cõuictus.

¶Et re uera cùm omnes isti canones impedimẽtorum non sint, nisi conciliorum prouincialium, nihil mirum si iam nunc tẽporis non tanta corũ habeatur ratio. Etenim fortasse olim in usu erant quantum ad forum pœnitentiale, ut confessarij illas pœnitentias iniungerent: qui mos iam non uiget. ¶Tandem ad pacandas consciẽtias notandum, quòd ubi etiam cõsuetudo perueneret petendi dispensationẽm, quanquã esset peccatum mortale absque illa cõtrahere, tamen postquam contractum fuerit, nulla opus est dispensatione: quia & matrimonium solidum est, & nullum horum impedimentorum præcedentium matrimonio aut solutionem aut exactionem debiti coniugalis impedit. ¶Secunda conclusio Præter hæc septẽ sunt & alia quatuor impedimenta matrimonij contrahendi, sed non dirimẽtia, quæ nõ sunt crimina. Hæc ibidẽ à Caietano recensentur. Primum, si

episcopus aliquibus rationabili de causa contrahere inhibeat: esset enim tunc peccatum mortale non parere mandato. Secundum, si quis in catechismo ante baptismum puerum catechizandum tenuit, ut dist. 41. uidebimus. Et hoc ligat sub peccato mortali, sed tamen est ab episcopo dispensabile. Tertium est, sponsalia de futuro, tunc enim peccatum mortale suo genere esset absque legitima causa dirimente cum alia matrimonium contrahere. Neque cadit sub dispẽsatione, quia est in præiudicium tertij. Quartum denique est, uotum simplex castitatis, post quod graue peccatum esset, si homo se in matrimoniũ immergeret. Neque episcopus, sed solus Papa dispensare potest. Post contractum uerò poterit episcopus super petitione debiti dispensare.

Secũdum. Tertium. Quartum. Quis dispenset.

¶Ad primum igitur argumentum iam responsum est, ubi rationes reddidimus, cur huiusmodi crimina matrimonium impediant. Haud enim graue supplicium æstimandum est, ut propter carnalia crimina arceatur homo à re uxoria: potissimùm cũ hæc impedimenta facillimæ sint dispensationis. ¶Et pariter secundum solutum est, nam quantum ad matrimonium futurum etiam incestus cum propria cognata impedit, ut patet can. citato, Si quis uiduam.

Sol. 1. arg. Sol. 2. arg.

ARTICVLVS II.

Vtrùm incestus, quo quis cognouit uxoris consanguineam, sit impedimentum dirimens matrimonium.

SECVNDO quæritur de incestu: & arguitur q̃ matrimonium non dirimat. Propter peccatum enim unius non debet alter puniri: ergo propter incestum Petri cum Ioanna, non debet Maria Ioannæ cognata prohiberi à matrimonio cum Petro. ¶Secũdò. Grauius crimen est uiro ad propriam cognatam accedere, quàm ad cognatam uxoris: sed propter primum nec dirimitur matrimonium, nec spoliatur homo iure petẽdi debitum: ergo nec propter secundum.

Partis negatiuæ arg. 1. 2. Argum.

¶In contrarium est, quòd per incestũ contrahitur affinitas cum cõsanguinea illius, cum qua commissum est crimen: affinitas autem matrimonium impedit.

Pars affirmatiua.

V 2 ¶Ince-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Incestus quid.

¶Incestus generali significatione idē est quod pollutio, & incestare idem, quod polluere. Et dicitur à cestu, quòd erat Veneris cingulum, quo Marti lumbos succinxit, quasi eum constringens, ut fidem tori ei ipsi seruaret. Quare in rigore quodcunque adulterium dici poterat incestus, quo torus coniugalis commaculatur. Sed tamen ecclesiastico usu arctatum est nomen ad pollutionem propriæ consanguineæ, uel uxoris infra quartum gradum.

Vnde.

1. Cōclus.

¶Ad quæstionem ergo duabus conclusionibus respondetur. Prima. Incestus cum consanguinea futuræ uxoris matrimoniū præcedens, etiam si sponsalia antecesserint, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Incestus, inquam, consummatus in uase legitimo, nā extra uel nefariè in uase illegitimo perpetratus non impedit, ut patet can. Extra ordinaria. 35. q. 2. & 3. In quo canone una negatio redundat, sic enim legendum est, Extraordinaria pollutio, nisi in naturalibus admissa, non uidetur matrimonium impedire. Nam etsi fornicatio illa cum cō sanguinea futuræ uxoris non propriè tūc dicatur incestus: tamen quia post haberet rationem incestus, si cum consanguinea illius fornicarie contraheretur, dicitur incestus impedimentum contrahendi. Conclusio patet ex decreto concilij apud Meciam capit. 1. De eo qui cogno. consang. uxor. & cap. Veniens. & Ex literis, atque alijs supra citatis eodem titulo. & 32. qu. 7. Hoc autem impedimentum non habet in iure naturæ perinde atque frigiditas & defectus rationis fundamentum, sed est merum ius positiuum: quia decreuit ecclesia per crimen incestus contrahi affinitatem, ueluti per matrimonium. Vnde sicut qui contraxit cum Maria, non potest ea mortua contrahere cum Mariæ cognata, ita neque qui illam fornicatione polluerit. Cur autem affinitas cōstitui debuerit impedimentum, di. 41. declarabimus: per tinet enim ad honestatem & decorem matrimonij.

Can. Extra ordinaria emēdatur.

Probatur iure.

2. Concl.

¶Secunda conclusio. Si uero incestus matrimonium subsequatur, siue cō summatū, siue non nisi ratū, matrimoniū non dirimit: nam ut crebò repetitum est, matrimoniū ratum per solum ingressum religionis dirimitur. Impedit tamē in incestuoso matrimonij usum, ne petere debitum ualeat. Ita eisdē citatis capitulis, & c. Tuæ fraternitatis, & 32. q. 7. can. Si quis uiduam, & reliquis, decernitur. Quare petere peccatum est genere suo mortale contra ecclesiæ prohibitionem. Atqui in hoc pari iure uir & fœmina tenentur. Quæ enim cōsanguineo Petri succubuit, nequit cum illo copulari, & si post contractū matrimonium incestuosum hoc adulterium commiserit, iure petendi etiam priuatur: tenetur tamen incestuosus petenti reddere, ut eo. ca. Tuæ fraternitatis, & cap. Iordanæ, definitur. Hoc enim decretum institutum est in pœnam criminis incestus, ut scilicet illud incommodum non petendi patiatur. Crimen autem unius non debet alteri innocenti nocere, & ius auferre suū Quocirca quod Magister sent. dist. præsenti cap. De his 2. ait, scilicet, q̄ incestuosus propriæ uxori reddere non potest debitū, non tenetur, nisi reddere, laxè pro eo, q̄d est, petere, usurpet. Rursus hic adnotandū quòd in foro conscientiæ quanuis incestus secrete commissus fuerit, matrimonium post contractum dirimit, tametsi in foro ecclesiæ dirimi non debeat, nisi legitimè fuerit comprobatus, ut habetur cap. De illo, & c. Transmissæ. eo. ti. licèt ambo incestum fateantur. ca. Super eo. Et idem est de commisso post contractum matrimonium quo ad petitionē debiti: ne fraudibus ansa offeratur. ¶Debet autem pœna hæc non petendi debitum mitigari: primùm, quia periculosum est coniuges concumbere, & uirum petendi iure carere, cōsilium est, ut cùm primùm fieri possit, dispensatio procuretur, idque quàm fieri potest secretè, ne innocens coniux intelligat. Artamē dū incestus est scelestissimus, ut cum sorore uxoris & potissimùm si est cum socru: cū multo maiori difficultate & accerrima iniuncta pœnitentia dispensandum est: & si possibilis est ad illū accessus ad Papam res est secretò referenda. Præterea si uir crimen cōmisit, & fœmina est innocens, quia mulieres rarò præ uerecūdia exigere consueuerunt, grauamē esset uxoris uirū nunq̄ exigere: & ideo licebit uiro, imò debet nonnunq̄ insinuare se uxori, & offerre se ad illū usum: nam genus illud petendi quodāmodo est reddere. Adhęc dum incestus ex ignorantia inuincibili processit: dum uir, inquam, adulteratus est cū consanguinea uxoris, cuius cognationem prorsus ignorabat, quanq̄ affinitatem

Nota.

tatem contrahat cum uxore, non tamen censetur iure petēdi priuari: nam cùm pœnæ sint restringendæ, & hæc priuatio in pœnam sit culpę incestus, & illic nulla præcesserit incestus macula propter ignorantiam speciei criminis, non debet iudicari priuatus. Et extat casus ad hoc attinēs propositum cap. Discretionem, eod. tit. ubi refertur, quendam qui quandam sibi per uerba de præsenti desponsauerat, quia odiosam habebat, antequàm eam cognosceret reclamantem & inuitam suo ipsius uiri cō sanguineo in uxorem tradidisse: & nihilominus prior uir compulsus fuit illam resumere. Si ergo quia inuita incestum commiserat non priuatur iure petendi, minus priuabitur qui eum per ignorantiam commisit. Caute ergo illi Canones legēdi sunt, quos in textu retulimus. 32. q. 7. Quod enim in can. Qui dormierit. & in cano. Zachariæ. Cōcubuisti, legitur: scilicet, ut qui cum sorore uxoris suæ dormierit, neutrā habeat, non sic intelligitur, quòd suam debeat relinquere, sed quòd. debitum ab ea non petat: hoc enim est eam non tenere, quia ad libitum ea non potest uti: tenetur tamen ei reddere, quod est ab illa teneri. Et quod ait Zacharias, uidelicet, quòd quę uxor eius fuerit, nubat in domino cui uelit, intelligitur, postquàm uidua fuerit: sed quod subiungit, adulteros absque spe coniugij manere, uerum est, ut præcedenti ar. dictum est. ¶Dubium autē circa has duas conclusiones occurrit, quisnam possit sucum dist inctione respondendum. Aut enim crimen subsequitur matrimonium, aut antecedit. Si sequatur, tunc, ut dictum est, non dirimit, sed interdicit petitionem debiti. Super hoc igitur certo crediderim episcopum posse, imò & debere dispensare, quanuis crimē ante consummatum matrimonium post ratum intercesserit, saltem si ad Romam non pateret incestuoso facilis aditus, aut propter eius paupertatem, aut infirmitatem, aut propter uiæ longitudinem, aut ob alia quæcunque impedimenta, in quibus nullum objcerē scrupulum: quanuis non essent tam manifesta: quia fortasse sine istis impedimētis etiam potest, cùm in huiusmodi dispēsationibus Potestatem episcopus habeat ordinariam, nisi per Papam fuerit cohibitus. & in his non uidetur cohibitus. Opinio est cōmunis, ut Palūdani in præsenti dist. & Syluester. uerb. Debitum coniugale. q. 9. & verb. Matrimonium. 8. q. 15. & omnium.

Ca. discretionem.

In incestu quis possit dispēsare.

Primus casus.

Nota.

Secundus casus.

Sylvester.

¶Si autem crimen præcesserit impediens matrimonium contrahendum & dirimens contractum, non tam affirmanter hoc assererem, quàm alios uideo id docere. Syluester nanque in verb. Dispensatio. q. 9. ait, quòd quando ad Papam nō potest haberi recursus, & separatio illorum, qui de facto cōtraxerunt, sine magno scādalo fieri non potest, episcopus potest dispensare, sicut sæpè accidit in mulieribus cognitis à consanguineis uiri antequam matrimoniū contrahatur. Hæc ille. Idque alibi etiā repetit. ¶Quam utique opinionem fateor (saltem tam generaliter assertam) nunquā mihi potuisse persuasam habere. Enimuerò cùm dispensare super matrimonio contrahendo: quando impedimentum est dirimens, ad solum summum Pontificem iure ordinario pertineat, ut more & usu ecclesiæ constat, non est ulla exceptio faciēda, nisi forte ubi ingens necessitas ingrueret: nulla autem cogit dispensandi super matrimonio cōtrahendo propter solum scandalum: scilicet, quia non possunt sine illo separari: ergo episcopus non potest dispensare: quia in illud scandalum ipsi se sua culpa coniecerunt. Loquor de illis, qui mala fide contraxerunt: putà, si uir sciens commisisse incestum cum cōsanguinea Mariæ, & illud esse impedimentum ecclesiæ, contrahit cum ea. Culpa nanque illorum non potest esse in causa, ut episcopus dispenser super illo, super quo aliàs non poterat. Itē quia possunt separare torū. Attamē quando matrimonium legitimè ante incestum contractum est, tunc, quia non potest dirimi, necessarium uidetur, ut facultas fiat petendi debitum, atque adeo tunc episcopus ualet dispensare. ¶Et per hoc respondetur ad argumentum, quod isti pro se faciunt: uidelicet, si quis post uotum simplex castitatis matrimonium contrahat, potest cum illo episcopus dispensare, ut debitum exigat: ergo & cum incestuoso, ut eius matrimonium postea contractum, conualescat. Etenim licèt antecedens uerum sit, ut credo & confiteor, tamen consequentia nihil habet uigoris: quia matrimonium post uotum simplex est ualidū, & dirimi non pōt: quare graue esset periculum si cū illo post matrimonium contractum non dispensaretur

Sylvester.

Nota

Ratio secunda.

Obiectio.

Dilutio.

retur in usu: tamen illud, quòd cum consanguinea pollutæ priùs per fornicationē contrahitur, nullum est & ideo nulla est dispensandi necessitas super illo.

2. Argum. ¶Secundum autem argumētum, quod me uehementius urget, est quòd opinio hæc technis & fraudibus uiam aperit. Certum enim est, ut isti fatentur, episcopum non posse dispensare super matrimonio contrahendo præcedenti incestu, nisi de facto sit contractum: igitur si fornicarius illo astu contraheret de facto cum illa suæ amicæ consanguinea, ut postea episcopus dispensaret, multo minus potest. Re uera ne scio quis consequentiam neget: nam matrimonium illud attentatum nullum est prorsus, sed crimen fuit illud attentare.

Nota. Nulla ergo ratio admittit, ut quod non erat dispensabile, techna illa & cautela faceret dispensabile. Profectò ubi matrimonium mala fide & clam post incestum contrahitur, adduci non possem, ut talem dispensationem consulerem aut permitterē.

3. Argum. ¶Præterea arguitur, quia idem quis statim inferret de alijs impedimentis: nempe, quod si quis contraxit de facto cū consanguinea uel affine prioris uxoris mortuæ, & nequeunt commode sine scandalo separari: quia scilicet plures procrearunt liberos, etiam tunc posset episcopus dispēsare, quod non credo ullus concedet. Illatū probatur. Illatio autem patet: nam etsi maius scandalum sit relinquere uxorem propter occultum crimen præcedens, quàm propter aliud honestum impedimētum: tamen iste paruus excessus rei naturam non mutat, ut facultatem episcopo conferat, quam alias non haberet. Ista non sunt per solam opinionum recitationem & hominum placita concludenda, sed rationibus examinanda. Quando uero bona fide matrimonium non clam, sed in facie ecclesiæ esset celebratum: nempe, quia ille neutiquam fuerat suspicatus, illam, quam cognouerat, consanguineam fuisse istius, cum qua contrahit, sed post contractum matrimonium id intelligit. hæc fortasse censenda esset honesta necessitas, ut nisi pateret aditus ad Vrbem, posset episcopus dispensare. Quanuis & hoc sapientiorum prudentiæ relinquimus.

Notæ casum.

Dubium. ¶Dubium autem est, utrum incestus cum propria consanguinea pariter petitionem debiti impediat. Nam Panormit. super capit. 1. De eò qui cogno. consang. uxor. uidens talem incestum impedire matrimonium contrahendū, licèt non dirimat contractum vt art. proximo ex can. Si quis uiduam, retulimus, subinde impedire putat, ne talis incestuosus post matrimoniū contractum possit à propria uxore debitum exigere. Et sequitur eum Angelus in sua summa verb. Incestus. Et posset quis simile deducere ab illo, qui post uotum simplex castitatis matrimonium contraxit. At uerò cum huiusmodi impedimenta potiùs restringēda sint, quàm amplianda, & hoc, ut ait Archidia. quem Syluester uerb. Matrimonium. 7. §. ulti. refert, nullibi reperiatur in iure, neque ille textus, quem Panor. glossat, tale insinuet, fit ut talis incestus nullum sit impedimentum existimandum ad petendum debitum, ut S. Tho. impręsentiarum & Ricardus & omnes Theologi docent. Neque est simile de uoto simplici castitatis ante matrimoniū emissum: nam illud cohibitionem petendi debitum secū adfert: quod de incestu cum propria consanguinea nullibi legitur.

Panormi.

Angelus Simile.

Syluester.

Theolog

Sol. 1. arg

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd non punitur soror Ioannæ, sed fit affinis. Et ideo si crimen præcessit, impeditur matrimonium cum illa, sin uero sequatur, punitur incestuosus ne debitum petat.

Sol. 2. arg

¶Ad secundum respondetur, quòd quanuis grauius sit uirum accedere ad propriā cognatam, quàm ad cognatam uxoris, nō tamen sequitur, ut sit par impedimentum exigendi debitum, quia hoc impedimentum non enascitur ex grauitate delicti, sed ex quodam affinitatis genere, quam uir contrahit cum uxore per hoc quòd eius consanguineam nouit: quàm utique non contrahit, quanuis propriam sororem poluat. Item ut ait Ricardus, quia maiorem irrogat iniuriam fidei, quam debet uxori: si cum eius cognata congrediatur.

Ricardus

ARTICVLVS. III.

Vtrùm uxoricidium sit in aliquo euentu licitum.

ALIVD crimē matrimonium impediens est uxoricidium, quæritur autem, utrum aliquo modo sit licitum. Et arguitur

Partis affirmatiuæ arg. 1. guitur a parte affirmatiua. Lex diuina adulteras lapidari permittebat, ut Ioa. 8. legitur: ex lege autem agere licitum est: ergo licitum est uiro uxorem in adulterio deprehensam interimere. ¶Secundò. Viri est uxorem propriam corripere & castigare, legitimamq; subinde pœnam infligere: sed uxor ab alio iudicari non potest, aut disponi, quàm à proprio uiro, ut ait Calixtus can. Sicut alterius. 7. q. 1. ergo potest eam legitimo supplicio afficere, qualis est mors iure decreta. ¶Tertiò arguitur ex cano. Interfectores 33. q. 2. Interfectores suarum coniugum sine iudicio cum non addis adulteratū, quid aliud habendi sunt quàm homicidæ? unde à cō trario sensu uidetur colligi, quòd adulterarum occisores non sint homicidij rei.

2. Arg.

3. Arg.

Pars negatiua.

¶In contrarium est textus illic proximus Nicolai can. Inter hæc ubi ait, quòd sancta Dei ecclesia mundanis legibus: scilicet, de occidendis uxoribus, non constringitur. ¶Ad quæstionem cōclusionibus tribus respondetur. Prima. Viro non licet autoritate priuata uxorem quantumuis in flagranti adulterio deprehensam enecare. can. Interfectores. & can. Quicunque propriam. 33. q. 2. Conclusio hæc ex ijs, quæ libro. 5. De iustitia & iure. quæst. 1. artic. 3. diximus, colligitur: nemini enim priuata autoritate uindicare se licet nisi uim ui cum moderamine inculpatæ tutelę repellere. Nam cum homo sui sit ipsius amantissimus, iniquus esset sui ipsius uindex, ut supra quàm par esset, supplicium de hoste sumeret. Vnde Paul. ad Roma. 12. non uos defendentes: id est, uindicantes, charissimi: nam mihi uindictam, & ego retribuam. Quapropter malefactorum ultio ad publicum iudicem spectat, qui nullo corrupto affectu ex lege agat in reum. Vnde idem Apostolus ibidem capitulo. 13. De publico iudice, Dei, inquit, minister est, nec sine causa gladium portat, uindex in iram ei, qui malum agit. Ex quo fit, ut maritus, qui miseram adulteram priuatim occidit, graue peccatum cō mittat contra præceptum, Non occides. ut can. Admonere. 33. quæ. 2. ait Stephanus Papa, rationem subdens, quòd quæ inuenta est adultera secundum legis tramitem debet accipere ultionis uindictā. Ob idq; can. Quicunque propriam, ait Pontifex, quòd quicunque propriam uxorem absque lege & sine causa & certa probatione interfecerit, publicam agat pœnitentiam. Et confirmatur: quia si priuatam autoritatem spectes, uxor cum uiro pari iure militat, ut in superioribus uisum est, præterquàm in domesticis mitioribus correptionibus: uxori autem non licet uirum adulterantem occidere: ergo nec uiro uxorem, quanuis uxor grauius peccasset.

Prima cōclusio.

Ratio.

Paulus.

Idem.

Nota.

¶Secunda conclusio. Occidenti uxorem in flagranti adulterio quanuis & adulterum simul confodiat, nullum est decretum supplicium publicum. Iure quidem antiquo communi id de adultero tantum permittebatur, qui esset uilis conditionis, tamen postmodum, ut nationi Hispanorum moris est, indiscriminatim, etiam si fuerit nobilis, impune occidi permittitur. Meditati nanque legislatores, eximium animi dolorem, quem zelotypia suscitat, indulgentiam illi decreuerunt. l. Gracchus. C. ad leg. Iul. de adulter. & l. Marito. ff. eodem. titu. Quinimò & patri olim licebat filiam in adulterio captam enecare. l. Patri. & l. Neque in ea. ff. eod. & l. Castitati. C. eodem. titu. Nihilominus maritus ille incurrit pœnam iuris ecclesiastici, ut sit ineundo matrimonio cohibitus. Dixerim, in flagranti adulterio deprehensam: nam si extra illum turpitudinis articulum eam occidat, quanuis postea legitimè probet, eam fuisse adulteram, non eximitur à pœna iuris in homicidas decreta. Et ob eandem causam ecclesia eum, qui in clericum cum sua uxore, uel sorore uel filia turpiter deprehensum manus iniecerit uiolentas, à sententia excommunicationis excipit. capit. Si uerò. in 1. de senten. excommuni. Posset quis uero ex hac pœnarum incolumitate arguere, nō esse peccatum: nam cum leges id permittant, uidentur dare maritis facultatē illam occidendi tanquàm ministris iustitiæ, ueluti nonnunquā sit etiā facultas filijs occisi hoīs occidendi homicidā patris, & ciuib. latrones publicos interimendi. De his casib. loco illo citato li. 5. De iusti. & iur. diximus: id scilicet, non nisi quàm rarissimè, & propter atrocissima aduersus Remp. crimina fas esse. Adulterium uerò nō est tā enorme flagitiū, ut tā atroci rigore iuris esset ulciscendū, potissimùm inter Christianos, ubi sæpenu-

Secunda conclusio.

mero eueniret, ut adultera repente sine præuio sacramento interfecta tam animæ quàm corporis morte deperiret. ¶Tertia conclusio. Autoritate publica ciuili marito adulteram, quanuis non in adulterio deprehendat, sed legitimis testimonijs cõuincat, licet occidere. Ratio est, quia adulterium est graue crimen, potissimum in uxore propter prolis incertitudinem, & falsos hæredes, quos adulteræ solent putatis patribus supponere: ergo illud est supplicio capitis dignum, atque adeò ab aliqua publica autoritate licitum est marito eiusmodi uindictam deposcere: non autẽ ab ecclesiastica: nam ut ait Papa can. citato. Inter hæc. Ecclesia gladium non habet nisi spiritualem, quo non occidit, sed uiuificat, ergo æquitas fuit, ut respublica ciuilis, cui incumbit de coniugijs, quatenus ad pacem & tranquillum statum Reipublicæ & legitimas hæreditates, disponere eiusmodi capitale supplicium in adulteras decerneret. Quod ait Pontifex, ecclesiam non habere gladium, nisi spiritualem, intelligitur in ulciscendis criminibus, secus ad sui ipsius defensionem. Lex autem adulteræ occidendæ extabat inter Mosaycas legales Leuiti. 20. & Deutero. 22. qua iubebatur adultera lapidibus obrui: & legalium exemplo licet Christianis similes ædere leges. Extant & leges ciuiles supra citatæ. C. & ff. ad leg. Iul. de adulte. Verum est tamen, quòd leges illæ priscæ supplicium capitis adulteris decernentes temperatæ fuerunt in auth. Sed hodie. C. eod. ti. ut scilicet adultera postquam uerberibus uapularet, in monasterium includeretur. Quæ quidem lex Gallis usu & more recepta est, & nunc etiam obseruatur in nonnullis Christianorum prouincijs. Aliæ uerò gentes rigorem antiqui iuris obseruãt, ut Hispani. Et re uera Hispanorum ingenio huiusmodi animaduersio competens est & congrua: alioqui uix possent creberrima adulteria caueri.

¶Scotus uerò in 4. distinct. 15. quæst. 3. ait, quòd licèt populo Israelitico fuerit diuinitus eiusmodi lex aduersus adulteras decreta, nihilominus eam Christus Ioan. 8. reuocauit dicens, Nemo te condemnauit mulier, neque ego te condemno. At uerò locus euangelicus huiusmodi abrogationem minimè insinuat: nam Christus illic solum officium iudicandi recusauit, ostendens se non uenisse ad iudicandum mundum, ut ait Ioa. 3. Atque eandem ob rem dixit alibi, Quis me constituit iudicẽ, inter uos? Quocirca tanquàm rex regni cœlorum æquitatem diuini iuris expressit dicens, Qui sine peccato est uestrum primum in eam lapidem mittat, ubi non negauit, adulteram supplicio illo esse dignã sed declarauit, quòd qui in peccato sunt, non rectè aliena peccata ulciscuntur. Qua re concludens, Nemo te condemnauit, nec ego te condemno, non abrogauit legem, sed tantum ostendit, se nolle illius causæ iudicem agere. ¶Est tamen adnotãdum, Hispanos rigorem legis antiquę moderari. Non enim adulteram necessaria morte condemnant, ut fures & homicidas, sed arbitrio mariti supplicium committunt. Traditur enim ei in manus, ut quod libuerit de illa decernat. ¶Vtrùm uero ille occidens delictum committat, inter aliquos ambigitur: imo non desunt qui affirment, mortaliter occidendo delinquere. Apparet enim eis ob id delictũ, quòd in sua uoluntate est ei ignoscere. At uerò ꝓculdubio nullius est criminis reus in conscientia apud Deum quanuis ipsam occidat. Primum, quia si peccaret, nefas inter Christianos esset publica solennięq; autoritate illã ei in manus tradere, ut apud Deum delinqueret: neque ecclesia id unquam fieri sineret. Neque ualet responsio dicentium, solum ei permitti, ut impunè eam occidat: quoniam huiusmodi permissiones non fiunt nisi in delictis, quæ priuata autoritate committuntur, quemadmodum in fornicationibus & si uir uxorem priuatim adulterantem enecasset. Cum ergo eam criminis damnatam publicè & solenniter iudex ei in manus tradat, & si quis eam surripere uellet, iudex ipse id defenderet, signũ est manifestum, quòd traditur ei tanquàm iustitiæ ministro, nó qui dem necessario, ut lictori, sed spontaneo, ut faciat quod uelit.

¶Neminem ergo fallat uerbum S. Tho. dist. præsenti. q. 2. in solu. ad 2. scilicet, ꝙ lex ciuilis non commisit uiro occisionem uxoris quasi præcipiens, quia tunc nó peccaret, ubi insinuat, eum peccare: loquitur enim de occisione, quam priuata autoritate facit: nam de publica autoritate præmitte rat, licitum esse eam accusare, & usque ad mortem persequi.

¶Attamen lex Hispana consultò adulterã non lictori tradit, qui iussu uiri in eius præsentia eam iugulet, sed ipsi uiro, ut cõmiserandus aspectus supplicis fœminę uehementius eius uiscera ad misericordiam commoueat, & cruentum ipsum facinus eius animum deterreat, ne proprias scilicet manus sanguine intingat, uileque officium atque infame exerceat. Hæc enim omnia possunt feruentem bilem hominis stupore illo mitigare. Nihilominus tã perdita esse posset mulier, tamq; eius emendatio desperata, & ex altera parte tanta infamia uirum respergens, ut potiùs uiro esset ad iustitiam, quàm ad misericordiam propendendum. Euentus tamen huiusmodi quàm rarissimus est, quare consulendũ est illi, ut à rigore illo animum temperet.

¶Colligito ergo inter diuortij iudiciũ & necis discrimen. Etenim quoniam diuortium ad emendationem flagitiosæ fœminæ, atque ad eius spiritualem salutem celebratur, ad tribunal ecclesiæ, cui incumbit de sacramento matrimonij, quatenus sanctificans est, decernere, iudicium illud defertur. Alterum uero iudicium, quod ad uindictam fit, ad forum ciuile pertinet. Rursum in priori iudicio & foro admittitur uxoris exceptio uiro idem flagitiũ ob ijcientis, qua ideo exceptione protegitur, in posteriori uero eadem exceptio nó auditur. Nam cum adulterium uiri nec tam infame sit, nec tam pernicioſum in proles & hæredes, nequaquam criminali pœna uindicatur. At uerò super idem crimen nõ admittitur utrumque iudicium. Quare si uir diuortium ab ecclesia poscat & obtineat, nequit postea uxoris caput in foro ciuili petere, nisi post diuortium iterum pertinax ad spurcitiæ uolutabrum reuertatur. Ad hæc demum si uir priuatim deprehensum in adulterio interimit, ius retinendæ dotis amittit, cùm uerò publica autoritate eam capite truncat, dotem iure sibi acquirit & arhas, ut Doctores super. l. pen. ff. solu. matri. adnotant. Et Hispanis Taurina lege. 82. sancitum est.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd ex lege agere priuatis personis ob rationes superiùs allatas non permittitur, sed est in publico iudicio rea, cognita causa, condemnanda.

¶Ad secundum respondetur, quòd correptio patris familias non ultra se extendit quàm usque ad correctionem & emendationem familiæ. Quare ei non permittitur carceres habere aut iudiciale forum, sed flagellare, aut aliquid huiusmodi leue. Atque adeò multò minus ei conuenit extremum suppliciũ capitis infligere aut mutilationis, sed hoc iudicio Reipublicæ reseruatur.

¶Canon uerò Interfectores, qui tertio argumento adductus est, insinuat, interfectores adulterarum, dummodò id publica autoritate faciant, non esse censendos homicidas, secus si uxoricidium perpetrent autoritate priuata.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm uxoricidium sit impedimentum matrimonij ipsum dirimens.

SVbsequitur de impedimento uxoricidij, & arguitur, quòd matrimonium non dirimat. Interfectio uxoris si consideretur quatenus fidei matrimonij obstat, minus matrimonio repugnare uidetur, quàm adulterium: si uerò consideretur ratione grauitatis, grauius est matrem occidere: sed tamen neque adulterium neque matris occisio est impedimentum, ergo neq; uxoricidiũ.

¶Secundò arguitur. Grauius peccatum uidetur occidere alterius uxorem uel maritum propter adulterium, quàm propriã, quia minus ad eum attinet illorum correptio: sed tamen occisio alterius mariti nõ impedit matrimonium, ut patet exemplo Dauidis, qui postquàm cũ Bersabee adulterium commisit, ipsius marito Vria occiso eam sibi matrimonio copulauit: ergo uxoricidium non impedit matrimonium.

¶In contrarium est can. Interfectores. 33. q. 2. quo interfectores suarum coniugum ad pœnitentiam commouentur, & deinde aliarum coniugio priuantur.

¶Hic in primis distinctio trimembris supponenda est, atq; adeò trina conclusione respondendum. Aut enim uxor publica autoritate à marito occiditur, aut priuata.

¶Si publica, tunc prima conclusio sit, quod huiusmodi uxoricidium nullum censendum est matrimonij impedimentum: nam sacri canones hoc impedimentum non nisi ob solum peccatum decernunt: cùm

Nota.

Adulterij crimen est mixti fori.

An occidens adulteram peccet.

Discrimen utriusq; fori.

Sententia autoris.

Iudicium unũ parit excep. rei iudicatæ.

Obiectio.

Dotis amissio.

Solut. primi argu.

Sol. 2. arg.

Solutio. 1. argumen.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Arg.

Pars affirmatiua.

1. Conclu.

cùm igitur illic nullum committatur: fit, ut nullum inde contrahatur impedimentum. ¶Si uerò tale uxoris homicidium priuata autoritate patretur, tũc aut id fit propter odium, aut propter fornicationem, aut propter aliam quauis id genus occasionem aut causam, & de hoc sequitur cõclusio secunda, quòd tale uxoricidium impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum, ut art. 1. dictum est. Et hoc est quod sancitur cã. Interfectores, & can. Admonere. 33.q.2. Quare licèt uir uxorem in flagranti adulterio deprehensam occidat, huiusmodi surgit impedimentum: quia culpæ labe commaculatur. Est tamen impedimentum, ut illic diximus, per episcopum dispensabile.

2. Conclu.

¶Sed si uxoricidium sit cum adulterio aut alio iniquo proposito aliarum nuptiarum commixtum, de hoc statuitur tertia cõclusio. Tria sunt crimina ad mortem coniugis relata, quæ matrimonium non modò impediunt contrahendum, uerùm & contractum dirimunt, quæ Alex. 3. in c. Proposuit. de eo qui duxit in matrimo. quam polluit per adulte. & D. Thom. impræsentiarum, Ricardusque & cæteri referunt.

3. Conclu.

Primum. Primum est, adulterium cum machinatione in mortem alterius coniugis. Secundũ, adulterium cum fide, quam adulter dat adulteræ, quòd eam post mortem coniugis ducet. Tertium, quando qui uxorẽ habet cum altera de facto contrahit, si tamẽ adulterium interueniat.

Secũdum.

Tertium.

Obiectio. ¶Obijciat quis forsan statim decretum Leonis primi, can. Nullus. 31.q.1. qui generalissimus est: scilicet, nemo ducat in matrimonium, quã priùs polluit per adulterium, unde titulus Decretalium desumptus est. Illic enim adulteriũ ponitur pro impedimento, quàmuis nulla mortis machinatio intercedat. At uerò, ut bene ait glossa, condimento & moderamine opus habet canon ille, ut uerus sit. Nam adulterium, nisi in tribus positis casibus, non impedit, quin mortuis coniugibus adulter cũ adultera contrahere possit. Et pariter est restringendum can. Illud uerò, ibidem, ubi idem statuitur. s. quòd qui fornicatus est cum uxore alterius, mortuo eius uiro non possint matrimonio coniungi: nam solum adulterium nõ potest esse causa tam atrocis pœnæ. ¶Quando autem adulteri machinantur mortem ipsorum coniugum, tunc in perpetuum spes matrimonij inter se frustrãtur, can. Si quis uiuente. 31.q.1. & c. Super hoc, de eo qui duxit in matrimo. quam polluit per adulter. Et causa huius impedimenti est enormitas criminis, ut ait Ricardus: quia non solum uiolatur torus, sed interficitur coniux. Et præterea si in tali casu adulteri non in perpetuum interdicerentur inter se matrimonio, occasio daretur adulteris suos enecandi coniuges, ut se inuicem copularent. Quando uerò talis machinatio mortis non interuenit, non eadem ratio currit, ut impedimentum, sed locum tunc habet sententia Augustini, de nuptijs & concupiscen. eadem causf. & quæstio. cano. Denique. ubi ait, q̃ mortuo eo, cum quo fuit uerum connubiũ fieri potest coniugium cum qua præcessit adulterium. Et in de bono coniugali, Posse, inquit, sanè fieri legitimas nuptias expersonis illicitè coniunctis, honesto placito subsequente, manifestum est. Nam concubinarij possunt postea coniugari. Et intelligitur crimen æqualiter ex utraq; parte, ut si adulter machinatur mortem propriæ uxoris, aut mariti adulteræ, aut adultera pari modo. Ricard. uerò hic, & Sylu. uerb. Matrimonium. 8. q.9. aiunt q̃ requiritur, ut machinatio in mortem sit illo fine uestita contrahendi matrimoniũ. Quare si adulter maritum adulteræ in bello interfecerit, aut alia causa aut casu, non impeditur, quin postea possint adulteri cõtrahere. Caietanus uerò in summa uerb. Matrimonium, impedimento. 5. hanc exceptionem non approbat: quia canones illam non faciunt. Videtur aũt dicendum q̃ quãtum ad præsumptionem ecclesiæ quo modocunq; sequeretur homicidium, impediretur matrimonium, quia cẽseretur illo fine factum. Sed in conscientia si homicidium fieret non illo fine, & esset occultum, nec in iudicium delatum, credo non impediret. ¶Maius aũt dubium est, utrùm sufficiat homicidium sine adulterio: ut si duo, qui mutuis complexibus frui cupiũt, impediuntur, quia alter illorum est coniugatus, occidunt coniugem antequàm se polluant, ut postea copulentur. De hoc dicendum, quòd si ambo adulteri in mortem coniugis machinentur, homicidium, sine præcedenti adulterio sufficit ad dirimendum postea matrimonium. Et est casus in ca. Laudabilem. de conuersio. infideli.

Augustin.

Caietanus.

Sniã autoris.

In cõcilia.

An impediat homicidiũ sine adulterio.

Resp̃sio.

Casus ca. Laudabilem.

fideli. uidelicet, quòd quidam Saraceni suggestione quarundam Christianarum uiros earum occiderunt, & postea conuersi per easdem Christianas ad fidem uolebant eas ducere, quibus tamen Cælestinus. 3. præcepit, ne ducerent, aut si duxissent, separarentur. Hinc infert Sylues. cũ alijs, quòd si tantùm uxores machinatæ fuissent in mortem suorum uirorum, aut tantùm Saraceni sine earum consilio non esset impedimentum, quia adulterium nõ præcesserat, secus si præcessisset. Adulterium uerò solum etiam cum machinatione in mortem, nisi mors in effectu sequatur ut hic planè ait S. Tho. non sufficit, quia prædicti canones de morte loquuntur. ¶Secundus casus habetur in citato c. Propositum. & ca. Veniens, & cap. Si quis uxore, de eo qui duxit in matrimo. quam polluit: &c. Et potissimum in concilio Triburiensi can. Relatum. 31.q.1. ubi habetur, quòd qui uiuente propria uxore, ei, cum qua adulteratur, fidem præbet, quòd mortua uxore illam ducet, in perpetuum impeditur cum illa contrahere, etsi contrahatur, matrimonium dirimitur. Et ratio huius impedimenti est, ne fide illa data affectantes illi coniugis mortem, eam procurent. Et idem est si iuramentũ unius interueniat, dum modo adulterium de facto perpetretur siue ante siue post fidem datam.

Appẽdix.

Fides data adulteræ.

Iuramentum.

¶Tertium uero crimen his simillimũ est, quando de facto adulteri contrahunt uiuente alterius uel utriusque coniuge. c. fi. De eo, qui duxit in matrimo. quam polluit per adulte. Ista uerò duo postrema crimina intelliguntur quando adultera cui fides datur, uel cum qua contrahitur, conscia erat adulterum tunc esse coniugatũ, secus si id ignorasset, ut hic ait S. Th. Imò & ipsi canones id planè explicant. Et intelligitur impedimentum si adulter solutus postquam sciuit alteram habere maritũ, illam eo uiuente fide data cognouit, uel postquàm eam cognouit, fidem dedit. Si uerò uiuente marito solum alterum præcessit: scilicet, uel adulterium uel contractus matrimonij de facto, aut fides, licèt illo mortuo alterum contingat, non impeditur matrimonium: quia mortuo marito non committitur adulterium.

Coniugatus contrahẽs secundò.

Nota.

¶Quod dicimus de adultero dante fidem adulteræ, uel cum illa contrahente, intelligendum etiam est èconuerso de adultera præbente adultero fidem. Et ait Ricardus, q̃ nuda promissio cum adulterio sufficit, ut sit impedimentum: nam illa reputatur sponsalia de futuro. Dicitur autem scire, non solùm qui certò scit, sed qui probabilem hẽt opinionẽ, c. Inquisitioni, de sent. excommuni. At uerò adulterium sine fide data, aut matrimonio contracto non impedit quominus postea defunctis coniugibus possint contrahere, ut cap. Significasti, de eo qui duxit &c. ¶Dubium autem est si coniugatus fidem dedit Mariæ sine adulterio, & mortua uxore ducit Bertam, & postea adulteratur cum Matia, utrum tunc exurgat impedimentum, ut mortua Berta nequeat contrahere cum Maria. Ioan. And. super. c. Si quis. eo. ti. ait non esse matrimonium: quia iam cõcurrit fides data cum adulterio, licet in diuersis matrimonijs. Panor. uerò ibidem, id negat: quia contrahens cum Berta uidetur recessisse à fide data Mariæ. Et profectò hæc est uera opinio, ut ait Sylue. uerb. Matrimoniũ. 8. q. 9. quia hoc crimen dandi fidem propterea est impedimentum, quia gignitur inde spes contrahendi, & inde machinatio in mortem: sed per secundum matrimonium iam tollitur illa spes: quare nisi machinatio, & mors intercedat, non est impedimentum. ¶Postremus casus est, quem ponit impræsentiarum Ricardus, si Maria sub hac fide cum Petro in adulterium consentit, ut defuncto marito ipsius Mariæ, & uxore Petri, ducet eam in uxorem, quam Berta eidem consuluerit: & postea mortuis coniugibus Berta consulit Petro, ut ducat Mariam, utrùm possit eã ducere. Respondetur, quod si Maria hoc fecit fraudulẽter sciẽs Bertã cõsulturã Petro, ut se ipsam Mariã duceret, certè est impedimentũ: quia Maria fraude seduxit Petrũ: quare perinde reputatur ac si fides daretur ei. Quare licèt ipse bona fide illud promitteret, tñ ex fraude Mariæ ortũ est impedimentũ: quia fraus & dolus nemini debet patrocinari, c. Aduersus, eẋ. de immu. eccl. Si uerò Mariã illã fidẽ à Petro nõ per fraudẽ, sed alia cã, accepit. s. qa credebat à Berta bene consultũ iri Petro, ut probã uxorẽ eligeret, nullum emergit impedimentum. ¶Ad primum igitur arg. respondetur, quòd licèt adulterium directius fidei coniugum opponatur, tamen occisio uxoris

Nuda promissio.

Nota.

Dubium.

Io. And.

Panormit.

Vera opi.

Postremus casus.

Solutio.

Sol. 1. arg.

uxoris atrocius amorem uiolat, quo debet esse coniuges confœderati: & ideo magis reddit hominem indignum, cui uxor altera concredatur. Sed quando adulterium usque ad machinationem mortis uxoris prorumpit, quanuis non sit tam atrox, quã occisio matris, est tamen legibus matrimonij aduersissimum. Qua de causa & præterea ad cauendam uxoris necem, quę usu semper ex affectu ad transitum ad alias nuptias accidere solet, sanctè institutum est, ut matrimonium cum tanta pernicie contractum dirimatur.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quòd qui casu alienum maritum occidit, non tam contrarius est alterius matrimonio, quàm si uxorem occideret. Si tamen illud faciat, ut adulterã sibi matrimonio adiungat, iã dictum est esse impedimentum. Ad aliud autem de Dauid & Bersabe respondetur, quod in lege Mosayca multa permittebãtur circa matrimonium, ut plures habere uxores, & repudium, quæ in lege euangelica permitti non licet.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm ligamen sit impedimentum matrimonium dirimens.

ALind impedimentum solet superioribus adhiberi, qđ est ligamen nempe, cũ quis matrimonium de præsenti contraxit: tale enim matrimonium, licèt non sit peccatum, sed genere suo uirtus, est tamen impedimentum, quod dicitur ligamen, contrahendi aliud uiuente coniuge sicuti ordo & uotum, ut

Partis negatiuæ argu. 1. dist. seq. uidebimus. Arguitur autem quòd hoc nõ sit impedimentum. Alioquì enim sequeretur, quòd sæpè coniux citra suam culpam compulsus esset uitam cœlibẽ perpetuò ducere, ut si alter perpetua infirmitate laboraret.

2. Argum. ¶Et secundò sequeretur, ut quanuis maritus longissimo tẽpore abesset, neque uxor certior fieri posset, mortuus ne esset, an uiuus, nũquam posset cum altero pacto matrimoniali coniungi, quod est concessũ difficile.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium tamen est ca. Accepisti. atq; omnes alij sub titulo de sponsa duorum, ubi duo connubia tanquam iure diuino interdicta prohibentur.

Decis. 1

¶Quæstio hæc ex his, quæ supetiùs diuersis locis dicta sunt, solutionem sortitur. In primis de sponsalibus de futuro, quo modo dissoluantur, dictum est dist. 27. q. 2. De matrimonio uerò rato non consummato, quòd non nisi per solum religionis ingressum dirimi ualeat, ostendimus. ead. dist. q. 1. ubi ostensum etiam est super matrimonio rato Pontificem maximum neutiquàm dispensare posse, ut illo distracto alia possint coniuges inire connubia. Atq; adeò subinde monstratum est matrimonium consummatum nullo modo aut uia posse dissolui. Id quod dist. 33. q. 2. rursus confirmatum est: nempe, quòd repudio antiquæ legis nullatenus in noua locus concedatur. Ac demum ead. dist. q. 1. pro consultissimo reliquimus per legem euangelicam neutiquam polygamiam licere, neque uiam dispensationi super hoc patere.

1. Concl. ¶Ex ijs ergo omnib. colliguntur tres conclusiones, quibus ad quæstionem respondetur, Prima. Matrimonium per uerba de præsenti legitimè contractum siue cõsummatum fuerit, siue non nisi ratum, ligamẽ est & impedimentum dirimens quodcunque aliud uiuente coniuge contractum, perinde ac de ordine sacro & solenni uoto subsequens nos distinctio docebit. Id quod & titulus de sponsa duorum admonet. Ad canonem autem Gregorij. Quod proposuisti. 32. q. 7. quo permittere uidetur, ut uiuente una uxore maritus aliã ducat, dist. 33. satis respõsum est. ¶Igitur ubi coniugato (& idem de fœmina censendũ) acciderit propter aliquam ignorantiam nouas inire nuptias, duæ sunt cõsiderationes habendæ, prior de facto, utrùm matrimonium teneat, posterior de fide, qua cõtractum est, an bona fuerit, an culpæ rea.

2. Concl. ¶Sit ergo secunda conclusio quantum ad factum. Quodcunque matrimonium uiuẽte coniuge, qui mortuus creditur, contractum, quantumuis optima fide & absque culpa fuerit initum, quotiescunque compertum fuerit priorem coniugem uiuere, dirimendum est, ut prius matrimonium in suo uigore permaneat. Itaque licet maritus uiginti aut triginta pluribusve annis fuerit absens, idemq; mortem obijsse creditus, atque uxor idoneis legitimisque testibus certior eius mortis facta alium uirum, ex illóque plures liberos susceperit quãdocũq; prior comparuerit, tenetur, secundo

cundo matrimonio soluto, ei, ut legitimo coniugi adhærere. Decretum est Leonis Papæ can. Cùm per bellicã. & can. Cũ in captiuitate, &, Si uirgo. 34. qu. 2. Et ratio est manifesta, quia prius nunquàm fuit solutũ, atq; adeò neq; secundùm fuit solidũ quantũuis absq; culpa contractum. Et ideo ait tali euentu illic Pontifex, quòd cũ præceptum sit, ut quos deus coniunxit homo non separet, necesse est, ut legitimarũ fœdera nuptiarum redintegranda credamus.

Leo Papa. Ratio.

3. Concl. ¶Ex hac sequitur tertia conclusio à contrario sensu, & quãuis mala fide, ac subinde graui culpa secundum fuerit contractum: nempe, quia uehemens opinio uigebat priorem maritũ uiuere, si mutuus adfuerit de præsenti consensus, cum intentione contrahendi, & re uera ille erat uita defunctus, matrimoniũ secundum tenet: quia omnia tunc, quæ sunt de essentia cõcurrerunt. Itaque stat, quòd sint ueri coniuges, & nihilominus reddendo & petendo debitum propter malam fidem delictũ committant. Si uerò tanta erat mala fides quòd contrahens credebat matrimoniũ non tenere, tunc non posset adesse intentio contrahendi, & sic matrimonium nullum esset. Secus si iure credebat matrimoniũ tenere cũ illo minus probabili dubio de morte uiri, licet esset peccatum. ¶Quatenus uerò res ad bonam uel malam fidẽ attinet, dubitatur, quanta certitudo sit necessaria, ut absente coniuge possit alter ad alias transire nuptias. Est enim casus usu frequentissimus idemq; perplexissimus.

4. Concl. ¶Sit ergo quarta conclusio. Ad hoc quòd huiusmodi fides bona sit, & à culpa liberetur, exigitur moralis certitudo secundũ arbitriũ & iudicium prudentum: s. per nũcium, aut per æquiualẽs testimonium. Sic nos admonet Clemens. 3. ca. In præsentia, de sponsalib. Quæsitum enim illic fuit utrùm quæ post septẽnium absentem præstolata est uirum, nec certificari potest, de eius morte quanuis solicitudinẽ diligentẽ ad id adhibuerit, & præ iuuenili ætate cõtinere non potuerit, possit ad alias transire nuptias. Et respondet Papa quòd cùm quantocunque tempore absentes fuerint, idemq; uiuentes, uiri, nequeant aliud inire coniugium, non est cum hmõi fœminis dispensandum, donec certũ nunciũ recipiãt de morte uirorũ. Et Lucius Papa cap. Dominus. de secund. nuptijs, similiter ait, ut nullus talis ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac uita migrauerit coniux eius. Idemq; & iure ciuili cautissimum est, ut C. de repudijs. Auth. Hodie. & in Auth. ut liceat matri & auiæ. §. Quod autẽ colla. 8. ¶De hac uero certitudine, quæ sufficit dubium coniugem secundas nuptias conciliantem à culpa excipere, Iurisconsulti multa congeminant uerba, ut refert Syluest. uerb. Matrimo. 8. q. 13. Sunt enim qui dicant, non requiri oino certum nuncium, sed sat esse probabilitatem moralem: nam prædicta capitula, quæ certum nuncium requirunt, loquuntur quantum ad ecclesiæ certificationem, quæ requiritur, ut licentiam conferat contrahendi. Maior enim, aiunt certitudo requiritur in ecclesia propter suam grauẽ autoritatẽ, quàm in persona ut priuatim contrahat. Sed re uera hoc nõ satis tutò assertum est. Crediderim nanq; nõ minorem certitudinem requiri in persona quàm in ecclesia, si tale testimoniũ posset ad eandem Ecclesiam deferri. ¶In primis ergo hoc in præsentia est obseruãdum, quòd re dubia potiùs inclinandum est in fauorem prioris matrimonij, ne contrahatur secundum, quandoquidẽ possessio, cuius melior conditio est, in fauorem prioris proclamat. Et in contrahendo secundo matrimonio imminet periculum, quod nullum sit, & in abstinendo ab illo nullum timetur. Hinc fit, quòd quandiu res est dubia: nempe, quòd nullus est uel assensus uel dissensus, sed animus pendet (hæc enim dicitur res dubia) nullatenus licet ad alias nuptias commigrare: quia illic esse nequit bona fides. Neq, uerò sufficit tenuis opinio de morte coniugis, sed requiritur tanta aut per nunciũ, aut saltẽ per testes, ut iudicio prudentum non solùm probabile, sed certum iudicetur. Quare, ut reor, nec cõiectura, nec fama sufficit Nisi forsan re diligenter exquisita lõgitudo absentiæ, uel uniuersalis fama, ubi coniux cõmorabatur, obitũ eius contestetur. Quod dictũ est de morte absentis coniugis, id quoq; intelligendũ est post matrimonium ratum non consummatũ dũ fertur religionẽ esse professum. ¶Dum uerò cõiugatus, qui ad secundũ transiuit coniugiũ de uita cõiugis hæsitat, tũc iubet Põtifex in allegato ca. Dominus. de secund. nup. ut debitũ reddat, nõ tñ exigat. Idẽq; habetur

Quæ certitudo sufficiat.

Opinio Canonistarum.

Sententia autoris.

Re dubia non licet secũdò nubere.

Nota.

Ca. in præsentia.

Cap. Dominus.

habetur cap. Inquisitioni. de senten. excommu. Hanc autem consultam sententiam auscultandam reor secundùm intelligentiam, quàm distin. 27. quæst. 1. art. 3. explicuimus. Meditãdum quippe est, utrũ possessio bonæ sit, an malæ fidei. Qui eñ mala fide in secundum illud matrimoniũ se immérsit, ius petendi non acquisiuit: quia mala fides nemini suffragatur: & iõ neq; exigere neque reddere potest: quia matrimonium fuit claudicans ex parte inquè contrahentis, ob idq; neque ipse neq; alter coniux possessionem exigendi acquisiuit. Si uerò bona fide pactum fuit cõtra ctumq; matrimonium, tunc locum habẽt prædicta decreta: intelliguntur quippe de illo qui bona fide non dubitans, sed secundum arbitrium prudentum contraxit, & postmodum quia nouos audit rumores de cõiugis uita incipit dubitare, nõ quidem scrupulo leui, sed morali. Tunc enim reddere quidem debet, exigere tamẽ nequit. Quod tamen sic intelligere mihi uideor, quòd non possit exigere quousque rursus diligẽtem nouam inquisitionem peragat ad explorandum utrum coniux uiuat. Illa tamen arbitrio sapientum adhibita si nihil comperti habere potest, licebit & deinceps sua uti petendi possessione, quam bona fide ingressus est, ut non solùm reddere, uerùm & exigere ualeat.

Considera tioduplex.

Opin. Magistri sent.

¶ Atqui ad hoc propositum Magister senten. dist. seq. 38. ait, q̃ si uir relicta in patria sua uxore in longinquam abiens regionem aliam ducat (scilicet mala fide credens priorem superstitem) & deinde pœnitentia ductus secundam dimittere uolens ad priorem legitimam redire conetur, sed ecclesia ad petitionem secundæ ex falsa præsumptione procedens eum cum eadem secunda commanere compellat, incipit, inquit, excusari propter obedientiam & timorem de hoc, quod poscenti mulieri debitum reddit, à qua ipse nunquam poscere debet. In hoc autem Magister nõ tenetur, sed meritò reprobatur illis rationibus, quas dist. 28. art. 2. demonstrauimus. Imò ut uenerabilis Hugo parte. 11. de sacramen. cap. 6. locupletissimè disseruit, citiùs debet talis coniux martyrium perpeti, quàm debitum contra conscientiã reddere: & tunc maximè quando conscientia legitima est, & rationi consona: nam reddendo fornicationem committit, ad quã Ecclesia hominem compellere nõ potest. Sententia enim ecclesiæ ex falsa præsumptione procedens eum non ligat, qui certus est, contra ueritatem fuisse prolatam, tametsi ecclesia iustum ferat iudiciũ quando secundùm allegata & probata sententiam pronunciat.

Magistri opinio reprobatur.

¶ Argumenta igitur in contrarium soluta per hæc, quæ dicta sunt, censentur. Nihil enim absurdi habet, quòd homo propter euentus, qui accidere solent, manere debeat usu coniugali priuatus.

Solutio argumentorum.

DISTINCTIO TRIGESImaoctaua, De impedimentis ordinis, & uoti.

Tertio.

HActenus de impedimentis tũ alijs, tum etiã criminũ, nunc uerò & de alijs ad religionem pertinentib. initur sermo. De ordinib. ergo sic discernere sacris canonibus admonemur, ut minores quidem nullatenus matrimonium respuant. Sic enim ait Leo Papa, can. Seriatim. dist. 32. Lectores, ostiarios, exorcistas, acolytos, si extra uotum & habitum inueniuntur, & continentiam profiteri nolunt, uxorem ducere uirginem ecclesia Romana permittit, non uiduam nec repudiatam, aliqui ad subdiaconatum deinceps prouehi non poterunt. Ma-

Leo Papa

Maiores uerò, qui sacri habentur, ordines tum ineundo matrimonio obsunt, tum, etiã si contrahatur, dirimunt, ut in concilio Carthaginensi sub his uerbis habetur. Placuit episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos etiam ab uxoribus abstinere: quod si non fecerint, etiam ab ecclesiastico remoueantur officio: cæteros uerò clericos ad hoc non cogi. Adeò ergo semper fuit sacris ordinib. hæc habita reuerẽtia, ut neq; occidentalis, neq; uerò orientalis ecclesia cuipiam sacris ordinibus initiato ad nuptiarum contractum retrogradi siuerit. Unde antiquissimus Calixtus canon. Presbyteris. dist. 28. Presbyteris, inquit, diaconibus, & subdiaconibus & monachis concubinas habere, seu matrimonium contrahere penitus interdicimus, contractaq́ue matrimonia ab huiusmodi personis distungi iuxta sacrorum canonum definitionem iudicamus. Et in sexta Græcorum synodo, Si quis eorum, qui ad clericatum accedunt, uoluerit nuptiali lege mulieri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciat.

Rad. dist. cano. Placuit.

Calixtus.

Can. Si qs 31. dist.

¶ At uerò quoniam Græci ordinibus non admittunt adnexum solenne uotum castitatis, quanuis propter ordinis dignitatẽ eos, qui ordinati sunt, coniugari deinceps non sinãt, coniugatos tamen neque ab ordinibus suscipiendis repellunt, neque ab uxorio usu cohibẽt, ut ex sexta synodo Gratianus cano. Quoniam, retulit. Veruntamen ecclesia Latina, ab ipso Apostolorum tempore sic instituta, huiusmodi solenne uotum ordinibus agnoscit adnexum: ob idque coniugatos, nisi uel diuortio celebrato, uel de consensu uxoris castitatem uouentis nullatenus sacris ordinibus initiari permittit, ut Grego. Papa hisce uerbis ait, Nullum facere Diaconum Episcopi præsumant, nisi qui se castè uicturũ promiserit: quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptũ

Cap. 2.

Dist. 31.

28. dist. cã. Nullum.

sceptum ordinem fuerit approbata. Quanuis quomodocunque ordines sacri matrimonio superueniant, sacramentum cũ suo charactere suscipiatur.

Quo fit, vt Grecorum mos non ex aliqua ecclesiæ sanctione, sed ex Vigilantij aut Nicolaitarum errore originẽ duxerit, qui, vt ait Hierony. & lib. de hæresibus August. neminem, nisi priùs cõiugatum, ad sacros ordines admittebant.

Hunc enim errorẽ Niceta Grecus suæ genti persuasit, ut Vmbertus Leonis noni legatus in lib. contra ipsum refert. Quorum duritiem ecclesia Latina miserata cum ipsis dispensare censetur.

Cap. 3. ¶ Cæterum vt sacris ordinibus, votorum religionem ea præcisa ratione, qua ad rẽ præsentem attinet, adiungamus, votum est testificatio quædã promissionis spontaneæ, quæ Deo, eius ve diuis, & ex ijs, quæ Dei sunt, propriè fieri debet. Votorum autem, ut alias à loco præsenti extraneas diuisiones omittamus, aliud est priuatum & simplex, aliud verò solenne. Simplex quidẽ est nuda promissio, qua homo se aut sua Deo pollicetur. Solenne uerò est illud, quo se se in dominium & possessionem dei & prælati eius vicem gerentis tradit. Quo fit, vt simplex votum matrimoniũ quidem sub reatu mortalis labis interdicat contrahendum: esset enim fidem deo obstrictam infringere: illud tamen non dirimit: nam qui promisit, nondum dominio expoliatus est, quominus se alteri dedat, cõtractus consistat. Votum uerò solenne non solum contrahendum impedit, verum & contractum diluit: nam dominiũ deo traditum ab illo abdicari non valet. Vnde ad Julianũ Aug. In viduali continentia & virginali excellentia virtute electa & voto oblata iã non solum capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle damnabile est. Et Hierony. Vouentibus, inquit, uirginitatem & uiduitatẽ nõ solum nubere, sed velle dãnabile

Simplex.

Diffinitio.

Votum solenne.

Voti finitio.

Votũ duplex.

1. Ad Timot. 5. bile est. Id quod Apostolus Timot. scribens admonet, viduas. n. inquit, adolescẽtiores euita: cum. n. luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem (scilicet quam deo vouerunt) irritam fecerunt. Hisce ergo verbis Augu. & Hierony. tam simplex uotum quàm solenne designant. At verò Gregor. ad Bonifacium scribens distinctiùs ait, Viduas à proposito discedentes viduitatis (per nuptias videlicet) nisi conuertantur, apostolica autoritate damnandas censemus: nempe, quousq; ad bonum, quod cœperunt, uel uoluntariæ vel inuitæ reuertantur. Hactenus de solenni uoto. Et subdit statim. De virginibus autem non uelatis (putà quæ uotum duntaxat simplex susceperunt) si deuiauerint, à sanctæ memoriæ prædecessore nostro Papa Innoc. taliter decretũ habemus. Hæ verò, quæ nondum sacro velamine sunt tectæ si nupserint, aliquanto tẽpore ijs agenda pœnitentia est: quia sponsio à domino tenebatur. Virgines enim non uelatas eas censet, quæ uotum solenne non susceperunt. Et extat decretum Innocentij ibidem canone, Hæ verò.

Can. Viduas. 27. q. 1.

Can. Hæ uerò.

Can. Hæ uerò. 27. q. 1.

Cap. 4. ¶ Qui ergo post votum simplex nuptiarum sarcinam sibi imposuit, exigere quidem coniugale debitum propter fidem voti non potest, reddere tamen propter fidem coniugi datam tenetur. Sic nos enim Pontifices sub titulo. de conuersione coniugatorum, atque alibi pluribus decretis cõmonent. Ad hæc Innocent. pontifex, capit. Cum ad monasterium. de statu monacho. adiecit, quòd abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeò adnexa est regulę monachali, ut cõtrà eam nec summus Pontifex possit indulgere. Vbi diuinum ius interpretatus super votum solenne nullam dispensationem locum habere decernit.

Cap. Quidam & ca. placet Innoc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISTINCTIO. TRIGESIMÆOCTAVÆ, Quæst. 1. De impedimento ordinis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm ordo matrimonium impediat.

SVbsequitur in hac dist. de ordine & uoto disputare: quæ igitur distinctio duabus opus habet quæstionibus, quarum prima est de ordine, atque altera de uoto. Arguitur ergò quòd susceptus ordo nullum sit matrimonio impedimentum. Nihil impeditur nisi à suo contrario: ordo uerò nō est matrimonio contrarius, quia utrunq; est sacramentum, imò uerò cùm matrimonium coniunctionem Christi & ecclesiæ significet, in ministris potissimùm eiusdem Christi & ecclesiæ congruens esse uidetur, ut eadem significatio per matrimonium fulgeat.

Partis negatiuæ ar. primum.

2. argum. ¶Secundò. Si ordo matrimonium impedit, id quidem uirtute spiritualis rationis facit: spiritualis uerò ratio in omnibus, & minoribus ordinibus, inest: ergo & minores impedimenta essent matrimonij, cuius contrarium decreuit Alexander. 3. capit. 1. de clericis coniugatis, & can. Seriatim. distin. 32. ergo ordo non est impedimentum.

3. Argum. ¶Tertiò. Eadem nobis est cum orientalibus Græcis ecclesia: illorum uerò presbyteri à re uxoria nō cohibentur, ut can. Alter. dist. 31. Stephanus Papa refert: ergo neque nostri arceri deberent.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est eadem Alexandri Decretalis, Si in subdiaconatu & alijs superioribus ordinibus uxorem susceperisse noscuntur, eos uxores dimittere compellere procuretis.

Decis. art. ¶Quæstio hæc latissimum nobis dicendi campū offerebat, quàm ecclesiasticos ministros florida uitæ castitas deceat, nisi qō sexta, quam septimo libro, De iustitia & iure locupletissimè disputauimus, & pro tenui ingenio nostro de hac re elaborauimus, ab hoc nos modò labore & negocio liberasset. Impudentissima enim hæresis, quæ sacerdotum cœlibatum labefactare contendit, à Iouiniano (quicquid alij dicant) cœpit, quam Vigilantius, ut Hieronymus ad Riparium epistola. 2. refert, impudentissimè auxit, non solum permittens sed compellens, ut nullus ordinaretur diaconus antequam matrimonium iniret. Hanc ebibit hæresim postmodum Vuitcleff, ut Thomas Vualdensis tom. 1. de sacramentis. c. 128. refert. Ac subinde Lutherus in illo suo sæpè damnato libello de abroganda missa priuata. Satanica rabie furens, contra clericorum cœlibatū inuehit dicens, nequaquā Papam posse cleri cis matrimonium interdicere. Hæc omnia illic copiosè artic. 1. retulimus, abūdéque perinde illis demonstrauimus, qui Græcanicū morem Latinis impingere affectāt quam sit ex uisceribus euāgelij sanctā hæc institutio deducta, ut sacri ecclesiæ ministri à re uxoria esse debeant alienissimi. Christus etenim ipse, utique de intacta uirgine natus, uirginitatis ipse decus, ecclesiam, ceu columbam candore uirgineo nitentem, sibi connubio copulauit, id exemplo suo sacerdotes docuit, qui bus eandem ecclesiam desponsauit, ut uirgini si non uirgines, saltim cœlibes fidem seruarent. Mox & cordis nitor, & corporis mūdicies, quam tractatio corporis & sanguinis Christi expostulat, id ipsum eos cō monet. Deinde & altissima meditatio assiduaq; orationis perseuerantia, & sacrorum impensissima lectio quibus dediti esse debent coniugali consortio è diametro aduersantur. Præterea solertissima cura, quam erga pauperes, uiduas & orphanos gerere tenentur solicitudinem familiæ, uxore & liberis occupatæ non permittit. Neque uerò autoritas & dignitatis splendor, quibus reliquo populo anteecellere debent, sinit ut cum uxoribus, sicuti reliquum uulgus, misceantur. Præterquàm quòd si liberos fas illis esset procreare, omnes illuc neruos intenderent, ut quasi hæreditario iure illis sacerdotia relinquerent. Hæc pauca ex illa disputatione detruncauimus, quam solertissimus quisque ampliſſimam illic & copiosissimam uisere meditariq; potest.

Hæresis impudētissima.

Primum.

Secundum.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

¶Quo ergo satis præsenti loco faciamus: quæstio hæc gemiuum habet sensum: primum de ordinibus, quemadmodum suscepti impedimento sint, ne matrimonium deinceps contrahatur. Secundum uerò nice uersa quemadmodum contractum matrimonium ordinibus suscipiendis uiā claudat.

Duplex sensus quæstionis.

Cōclusio. claudat. De uno disputabit articulus primus, & de altero secundus.

¶Ad priorem igitur unica illaq; bimembri conclusione respondetur. Ex ordinibus minores quidem, qui sacri non censentur, nullum sunt matrimonio contrahendo impedimentum: maiores uerò, qui sacri sunt, non solum contrahendum impediunt, uerum & contractum d ssoluunt.

Probatur conclusio. Vtraque cōclusionis pars constitutio est Conci. Carthaginensis canon. Placuit, & Leonis Pontificis contra epistolam Nicetæ Abbatis can. Omnium, & ca. Seriatim. 32. dist. & Alexandri decretali citata, de cleri. coniug. cap. 1. Multisq; subinde alijs decretis & celebri Occidentalis ecclesiæ usu est constabilita. Cur autem quatuor minores ordines non dicantur sacri: subdiaconatus uero & reliqui duo superiores ut sacri habeātur, dis. 24. q. 1. ar. 4. pscripsimus. Qui enim autumant minores quoq; esse sacramenta, aiunt ob id non esse sacros, quod eorum usus non est sacras species eucharistiæ tractare. Nos uero arbitrati sumus ob id non esse sacros, quòd non sunt uere sacramenta. Atq; inde argumentum exurgit, quòd non fuerit necessarium minores illos ministros re uxoria interdicere: quia neq; illa mentis spiritusq; puritas aut corporis mūdicies eis necessaria sunt, qui sacramenta non administrant. Minimè uero decet absq; necessitate tantam hominum multitudinem à nuptiarum ritu repellere. Atq; eādem ob rem neque onere persoluendi statis horis sacros psalmos obstringuntur.

Nota.

Minores ordines matrimoniū non impediunt.

Quando maiores ordines dirimant.

¶Dum autem dicimus maiores ordines matrimonium dissoluere, non intelligimus si fuerat legitimum. Dum enim quis de consensu uxoris religionem uouentis, uel eadem per mortium dimissa sacris initiatur, matrimonium non dissoluitur, sed usus eius cessat. Dicuntur autem ipsum dirimere, ut in superioribus expositum est, quia post ordines sacros contractum nullum est, ut præter canones superiores ait Calyxtus can. Presbyteris uigesima septima dist.

Dubium. ¶Dubium tamen est, quo iure ordo sacer à matrimonio ordinatum cohibeat: utrū. s. iure diuino, ut religionis professio. Quidam. n. neoterici, ut Maioris in 4. distin. 24. quæst. 2. & Clichtoueus lib. de continentia sacerdotali. c. 13. arbitrātur iure diuino esse prohibitum sacerdotibus matrimonium: quare, inquiunt, super hoc Papa dispensare non potest. Neutiquam tamē sententiam suam probāt. Arguamus nos ergo in eorum gratiam. Apparet enim tā intrinseca ratione uotum esse ordinibus sacris adnexum, quàm religioni: & ideo ambo inuicem comparant cap. unico. de uoto libr. 6. Quare sicut iure diuino cum religioso dispensari non potest, ut matrimonium contrahat, ita nec cum sacerdote. Responsio tamen huius ex illo discrimine colligitur, quod lib. 7. De iustitia & iure. quæst. 5. art. 3. elucidauimus: nempe, uotum sic esse penitus de ratione religionis, ut eo excluso religio desinat esse religio. Hoc enim ipsum nomen religionis sonat, quod solenne uotum, quemadmodū si rationale sustuleris, hominem prorsus abstulisti: non tamen sic est intrinsecum sacerdotio. Nil enim repugnat, quominus absq; castitatis uoto uere sit homo sacerdos, ut Græcorum mos nobis documento est. Doctrina est. S. Thomæ. 2. 2. quæst. 88. artic. 11. Quicquid Caietanus reclamet, quē loco citato satis oppugnauimus. Ex hoc ergo fit consequens, quòd & si ordo quandam suapte natura secum adferat congruentiam decentiamq; castitatis matrimonio repugnantem, non tamen ex se parit uirtutem præcepti, ut eo ipso diuino iure, quo ordinis sacramentum institutū est, sint ordinati à matrimonio prohibiti. Sed præceptum hoc & prohibitio iure pō tificio posita est. Quod quidem præceptū ecclesia ex decentia functionis sacrorum ordinum dedaxit. Et ideo nihilominus potest super eodem præcepto dispensare, quanuis dispensatio cum sacerdotibus indecentissima esset, & ecclesiæ pestifera, ut loco citato, De iustitia & iure demonstrauimus. Quocirca pestilentissima est hæresis Lutheri negantis ecclesiam tale præceptum edere potuisse.

Argumentum.

Solutio.

Continentia ordinibus sacris adnexa iure positiuo.

Dispēsatio Pontificis.

¶Est tamen animaduertendum discrimen, quòd hic Sanctus Thom. inter Græcos & Latinos dignoscit: uidelicet, quòd apud Græcos ordo sacer solùm ex ui ordinis matrimonium impedit: & ideo post susceptos ordines neminem nuptias conciliare permittunt: non tamen habent ordinibus adnexum uotum, ut Innocen. ait capit. Cùm olim, de cleri. coniug. Et ideo non solùm coniugatos sacris initiant,

Discrimē.

tiant, uerum & initiatos in usu coniugali uiuere sinunt, exceptis hebdomadibus, quibus altaris ministerio uacant. Vnde in sexta Græcorum synodo can. Si quis. dist. 32. Si quis, inquit, eorum qui ad clericatum accedunt, uoluerit mulieri nuptiali iure copulari, hoc ante ordinationem diaconatus faciat. At uerò Latini non modo propter ordinum dignitatem, uerùm & propter uotum quod habent adnexum, à matrimonio ineundo cohibentur: nam licet qui ordinatur, uotum illic non exprimat, tamen ex statuto ecclesiæ ibidem includitur. Quapropter non solum ordinati matrimonium contrahere prohibentur, & si id attentent, nullum est, sed etiam post contractum ab ordinibus suscipiendis excluduntur: nam uotum in illis inclusum non modò contrahendo matrimonio, uerum & eius usui impedimento est. Extat tamen discriminis plurimum, ꝙ suscepti ordines sacri matrimonium, quod post attentatur, prorsus tollunt, ut sit nullum: matrimonium uerò contractum non sic ordinibus obstat, quin si coniugati illos susceperint, uerum sit sacramentum, ut arti. proximo repetendum restat.

Latini quare prohibeantur.

Nota.

¶Colligito ex his ergo nusquam gentiũ ab orbe usque redempto usu fuisse receptum, ut sacris ordinibus initiati (saltem presbyteratu) matrimonium contrahere permitterentur. Sẽper enim in hoc sancto ordinis sacramento illa fuit cognita confessáque dignitas, ut respuere matrimonium crederetur propter illas nuper à nobis insinuatas, & loco citato, De iustitia & iure, amplificatas atq; alijs pluribus auctas rationes. Quocirca, ut illic adnotauimus, demirandum se Caietanus exhibuit. q. 12. primi quodlib. ubi hanc veritatem inficiatus ait, in more Græcis olim fuisse contrarium, propter uerbum Stephani Papæ can. Aliter. dist. 31. quod est hoc, Græcorum sacerdotes, diaconi & subdiaconi in matriomonio copulantur, ineptam existimans glossam, quæ uerbum, copulãtur, exponit: id est, copulato utuntur. Nam copulantur, inquit, non sonat, nisi ꝙ post ordines matrimonia contrahunt. Sed re uera uerbum illud passiuum non actionem tunc præsentem, sed permanentiã in præterito designat, ut ait glossa. Sed absurdius profecto Panor. super c. Cùm olim, de cleri. coniuga. consultum iri ecclesiæ arbitra-

Caietanus.

Glossa ca. Aliter. distin. 31.

Panormit.

tus est, si sacerdotibus abstinere nolentibus facultas fieret uxores sibi associandi. Hæc ille. Verum est tamen aliquandiu durasse apud Græcos, ut subdiaconi ad matrimoniũ permitterentur, ut Gregorius can. Ante triennium. 31. d. insinuat. Imò durũ illic reputat eos more Romanæ ecclesiæ usu uxorio arcere. Quinetiam & diaconi si in ipsa ordinatione protestati essent, ꝙ uellent habere uxores permittebantur illas postmodum accipere. At uero ipse idẽ Gregorius decreto suo inbibuit, quenquã in subdiaconum ordinari, antequam se caste uicturũ promisisset. can. Nullum. dist. 28. & can. Multorum. dist. 32. Et in concilio Carthaginẽsi. can. Placuit. dist. 32. atq; alijs supra à nobis allegatis. Ac demũ clerici in sacris de facto contrahentes anathematis censura feriuntur per clem. unicam. de consang. & affini. officioq; & beneficio priuantur, cap. Decernimus. & cã. De his. 28. distin. & can. Præsbyter. ead. dist. iubentur deponi. & can. Eos qui dist. 32. Quod si mihi plurimos obieceris, cum quibus Papa dispensauit post subdiaconatum, imò & post diaconatum ad matrimonia commigrare, Maioris, & Clicthoueus ubi supra, responderent, dispensationem non tenere. Id tamen absque ulla probabilitate. Igitur secundum ueritatem respondetur, de dispensationis causa, an fuerit legitima, non esse nostrum iudicare. Attamen cùm uotum, ut diximus, non sit de intrinseca ratione ordinis, sed de iure pontificio, quamuis accidere possit, ut qui huiusmodi dispensationem petiuit, graiter peccauerit, tamen facta dispensatione matrimonium est firmum & legitimum. Quare post pœnitentiam prioris peccati, si aliquod commisit, tuta conscientia debitum reddere debet, & si dispensationem habet, etiam exigere ualet, ac demum in matrimonio perseuerare.

Nota.

Obiectio.

Dilatio.

¶Ad primum igitur argumentum respõdetur, quod etsi quatenus ambo sunt sacramenta, ordo & matrimonium non sibi inuicem aduersentur, usus tamen matrimonij ordinum functionem dedecet. Illam autem desponsationem Christi & ecclesiæ dignius ac præstantius per sua obsequia spiritualia referũt, non habentes alias sponsas nisi ecclesiam, quã si alias haberent. ¶Ad secundũ respondetur, ordinẽ non ob quancunq; rationem spiritualem esse

Solutio.

esse impedimentum matrimonio, sed propter illam, quæ est in tractandis rebus sacris ad eucharistiam pertinentibus: quæ quidem ratio in minoribus ordinibus nõ inest. At uerò cùm beneficiorum possessio in stipendium spiritualium obsequiorum sit instituta, quibus obsequijs exhibẽdis se se coniugati inidoneos reddunt, ecclesia sanciuit, ut clerici coniugati beneficijs ecclesiasticis expolientur. ca. Sane, & Quod ad te, atque alijs in titulo de clericis coniugat.

Clerici cõiugati bñficijs priuãtur.

¶Ad tertium iam responsum est, Græcorum morem non esse ordinatis matrimonium permittere, sed coniugatos ordinari, atqui in usu coniugali relinquere. De quo utique more dicere pergimus.

Sol. 3. arg.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm matrimonio ordo sacer superuenire possit.

Partis negatiuæ arg. 1.

VEritur secundo uice uersa, utrùm post matrimonium ordo sacer locum habeat. Et arguitur à parte negatiua. Quantum ordo obstat matrimonio, tantum è conuerso: sed ordo præcedens sic impedit matrimonium, ut nullum sit: ergo & præcedens matrimonium eodem modo impedit ordinem: ut nullus imprimatur character.

2. Arg.

¶Secundo arguitur, quòd saltem si coniugatus inuita uxore ordinetur, nullum recipiat sacramentum. Quoniam tunc ratione uoti adnexi atque ordinum decentiæ nequiret rei uxoriæ uacare, atque adeo in iuriam irrogaret uxori, quæ ius habet petendi debitum: ordo autem, cum res sancta sit, nõ debet cum iustitia pugnare, præsertim cùm secundùm monitum Apostoli. 1. Cor. 7. neuter coniugum possit sine alterius licentia, etiam ut orationi uacet, alterum in tempus defraudare.

Partis affirmatiuæ.

¶In contrarium est, quòd nõ minus, imò plus religiosi ad continentiam obligãtur, quam ordinibus consecrati: & nihilominus post matrimonium possunt coniuges religionem uouere: ergo & uir ordines suscipere sacros.

Decisio articuli.

¶Quæstio præsens maius nobis negotiũ exhibet iuxta Græcorum morem, quàm secundùm Latinorum consuetudinẽ. Qua re distinguendum est tum inter matrimonium & eius usum, tum etiam inter hoc, quod est, ordinem digne suscipere, & hoc, quod est, ordinem uerè suscipere, quanuis illicitè. Atque adeò ad quæstionem quatuor conclusionibus respondendum.

1. Conclu.

¶Prima Latinis cum Græcis communis est. Post matrimonium siue adnuente siue renuente uxore suscepti ordines uere sunt sacramentum. Hoc iam superiori arti. declarauimus. Quoniam ordo est sacramentum characterem imprimens, atque adeo ubi legitima materia, forma & intentio adest, uere imprimitur: quare siue coniugatus, siue seruus, siue ante usum rationis quisquam cum uera intẽtione ordinetur, uere fit tam sacerdos quàm diaconus aut subdiaconus. ¶Secunda conclusio. Coniugatus consentiente uxore iure & more atque adeo licite põt quoscunq; ordines, ẽt sacerdotalem, suscipere. Imo uero facto fornicationis causa diuortio nulla indiget maritus uxoris facultate, ut licitè uel religionem profiteatur, uel initietur ordinibus. Quod aũt dicimus, consentiente uxore, quod diuus Tho. hic, atq; alij doctores aiunt, intelligitur quemadmodum dist. 27. q. 2. art. 5. de ingressu religionis dicebamus. Haud quippe talis consensus sufficit, nisi ipsa religionem approbatã profiteatur, aut sexagenaria sit, tunc enim potest in seculo manere. ¶Tertia conclusio. Citra diuortium uxore inscia uel inuita ordines sacros suscipere graue delictum & sacrilegium est. Enimuerò huiusmodi homo & uxori & ordinibus ipsis sacris insigniter iniurius est, quare perpetuo manet ab eorum usu suspensus. Quinimò, ut Ioannes. 22. in Extrauag. Antiquæ, de uoto, ordinauit. non modò in ordine suscepto ministrare cohibetur, uerum & ad superiores ordines prouehi, quod est esse irregularem, neque aliquod beneficium aut officium ecclesiasticum obtinere. Veruntamen per eosdem susceptos sacros ordines matrimonium præcedens, etiam si dũ taxat ratum fuerit, nondum consummatũ nequaquam dirimitur. Quocirca & uxor debitum petere potest, & ipse tenetur reddere, neutiquàm tamen exigendi ius habet. Adde quòd ẽt matrimonio, ut ibidẽ cauetur, soluto per uxoris mortem, manet irregularis, nisi aliquam tunc religionem approbatam fuerit professus: & tunc

2. Conclu.

3. Conclu.

Suspẽsus.

Irregularis.

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

diœcesanus poterit dispensare. Viuente tamen uxore ingredi religionem nequit, nisi ipsa uel sexagenaria sit, & consentiat, uel religionem pariter ingrediatur.

4. Conclu. ¶Quarta conclusio. Ex his fit consequens (quod hoc uno excepto casu huius tertiæ cõclusionis quòd scilicet reclamante uxore tenetur clericus debitum reddere) coniugatus, qui ordines sacros post coniugiũ quomodocunque susceperit, tenetur uitam perpetuò cœlibem uiuere. Hæc est conclusio, quam uniuersi supra citati canones constituunt, & ecclesia occidentalis more & usu perfanctè colit.

Mos Græcorum unde ortus. ¶Dubium autem hic grauissimum offertur, atq; hac præcipue tempestate necessarium scitu, qua non solùm hæretici, uerum alij, qui catholicorum nomine censentur, ut sacerdotes cum uxoribus copulentur, optant & procurant, utrum Græco tum contrarius mos in aliqua legitima synodo, aut ecclesiæ autoritate, aut deductione ex sacris literis fundamentum habeat, an uerò præter legem & rationem fuerit inuectus, ac perinde ab ecclesia Latina, ceu alij eius gentis errores, permissus. Enimuero uniuersi fere Doctores illum morem tanquam legitimum existimant, imò nonnulli canones id insinuare censentur. Attamen si res penitiùs oculatiùsq; inspiciatur, longè contra, ni fallor, iudicabitur. Quocirca eod. libro nostro citato septimo, De iustitia & iure. q. 6. arti. 2. latissimam & locupletissimam disputationem scripsimus, utrùm sacerdotalis cõtinentia ab ipsis statim ecclesiæ incunabulis cœperit. Vbi partem affirmatiuam non modo cõiecturis, uerum & rationibus & autoritatibus fultam curauimus. Quando enim alia non esset ratio, mos ipse illorũ id utique docet. Cùm enim constitutissimum illis fit post susceptos ordines nemini matrimonium permittere, eodem more fatentur eos, qui ante matrimoninm sacro clericatui addicuntur, ad cœlibatum teneri. Si ergo ita est, inde consequitur, ut coniugatos nullatenus ad ordines admittere debeant, nisi uoto etiam castitatis cœlibatum profiteantur. Nam si coniugatos qui postmodum ordinantur, in usu coniugij uiuere sinunt, quidnam causæ esse potuit legitimæ, ut ordinatis matrimonia interdicerent? Quandoquidem cùm ipsa sacrorum ordinum functio eadem sit in omnib. eandemq; subinde uitæ mundicię exigat: unde proinde iniquum fit, ut alij cœlibes uiuere cogãtur, alij uero cum uxorib. permittantur. Nã ratio Clichtouæi, quòd propter dignitatem ordinis non permittuntur ordinati ad matrimonium retrocedere, profecto nulla est, Qm̃ si uotum excludas, tam indecens apparet coniugatũ ordinari, quàm ordinatum coniugari. Sed ais, In primitiua ecclesia erat raritas Christianorum, qui idoneè possent ad sacerdotium promoueri, & ideo admittebantur, coniugati. Hanc equidem ueritatẽ fateor. Attamen non tanta erat raritas coniugatorum, qui non sua sponte consentientib. uxorib. dum ordinib. initiabantur, uotum castitatis emitterent. Quare profectò non dubito, quin tũc id fiebat, sicuti modo Latina ecclesia more seruat: uidelicet, quòd sine consensu & uoto uxoris nemo ordinabatur, & ordinatus uoto se quoq; cœlibatus constringebat. Nisi quòd tunc uxores non cogebantur religionem ingredi (quia nec erant huiusmodi monasteria) sed satis illis erat uotum simplex castitatis emittere, & alebantur ab ipsis maritis iam ordinatis, & fortasse non in eadem domo commorantibus. Quapropter uotum castitatis semper fuit à lata euangelica lege ordinibus sacris adnexum. Id quod inde præterea constat, quòd aliàs nunquàm ecclesia Latina tam graue onus sacerdotibus imponeret, nisi per apostolos edocta. Accedit, quòd Calixtus, qui autor fuit canonis citati Presbyteris, dist. 27. antiquissimus est. s. anno domini ducentesimo quadragesimo: nempe, centum annis ante Nicenum concilium. Et illic dicit Calixtus, q̃ cõtracta matrimonia à presbyteris, diaconis & subdiaconis separari debent, iuxta sacrorum canonum definitionem. Vbi docet à primordijs ecclesiæ definitum esse, ut ordinib. sacris uotum sit adnexũ. Vñ Epiphanius antiquissimus autor tomo. 1. lib. 2. in hæresi Catharorum, Ecclesia, inquit, post Christi aduentum eos non suscipit ad sacerdotium, qui mortua uxore aliã duxerint, imò neq; eum, qui niuentẽ uxorem hẽt, & filios gignit, sed eum, qui se ab ea continuit. Quod si alij (ad Græcos alludens) contra faciunt, non iuxta canonem, sed iuxta hoĩum mentem, quæ per tẽpus elanguit, id faciunt. Et tomo. 2. lib. 3. circa finem expresse ait, non esse ad sacerdotiũ admittendos, nisi eos, qui uirgines sunt, aut continentiam à proprijs uxoribus seruant. ¶Pluribus hanc ueritatem illic constituimus, uisat cui libuerit. Vbi ostendimus Græcos errorem Vigilantij in hac parte fuisse secutos: quoniam non solum permittunt presbyteros rei uxoriæ uacare, uerum neminem ordinant, nisi prius interrogatus responderit, coniungatum esse: quod re uera inter sacros canones nusquam reperitur. Nam canon sextæ synodi, Si quis cui synodo ipsi nituntur. 32. dist. non habet, nisi quòd si quis eorum, qui ad clerũ accedunt, uoluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinationem sub diaconatus faciat. Quamuis nec iste canon firma polleat autoritate. Sed illa fuit hæresis Vigilantij, ut ait ad Cromantium Hierony. & Nicolaitarum, ut refert lib. de hæresibus Augu. qui sic uerbum illud Paulinum intelligebant, Oportet presbyterum esse unius uxoris uirum, quasi uerbum, oportet, esset præceptum, ita quòd nemo nisi coniugatus ordinaretur ad sacrilegas fornicationes cauendas. Quem postea errorem Nicæta Græcus suæ genti persuasit, ut Vmbertus Leonis noni legatus in lib. contra ipsum refert. Qui quidem Pontifex ueritatem euangelicam cõtra ipsum Nicætam abbatẽ, ac subinde contra Gtæcos constituit, can. Omnino. 32. dist. Omnino, inquit, confitemur non licere episcopo, presbytero aut diacono propriam uxorem causa religionis à cura sua abijcere, sed ut ei victum & uestitum largiat, sed nõ cum ea carnaliter ex more iaceat. Sicut sanctos apostolos legimus egisse. Quocirca Gratianus illũ cã. Qm̃. 31. di. non debuisset ex sexta synodo tam syncere inter sacra decreta referre, quiquidẽ canon, ut iacet, uf Græcis patrocinari, cũ tñ boni autores, ut Albertus Pygius, atq; alij, satis doceant non fuisse canonem illum in sexta synodo editum, sed uigintiseptem post annis, ut ex tertio canone eiusdem sextæ synodi colligitur. Imò uerò neque uerba illius canonis autoritatem aut maiestatem aliquam præ se ferunt, sed inuidiam & odium sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, quod sanctam synodum non decebat. Audi uerba. Quoniam in Romani ordine canonis esse cognouimus traditum, eos qui ordinati sunt diaconi uel presbyteri confiteri quòd non suis iam copulentur uxoribus antiquum sequentes canonem apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum uirorum legales nuptias amodo ualere uolumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissoluentes aut priuantes eos familiaritate adinuicem in tempore opportuno. ¶Hæc ibi. In primis hinc conijcitur illic tunc non sedisse Romanum legatum, nam in præsentia illius non fuisset canon Romanus tam indigne abiectus sub illis uerbis, antiquum nos sequentes canonem apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum uirorum. Imo quanuis illic non sedisset, uidentur uerba illa nescio quid insolentiæ redolere atque odij sacerdotalis castitatis, ac perinde ecclesiæ Romanæ. Præterquam quod canon ille, apostolicæ diligentiæ, illic citatus nullibi extat: nam glossa, quæ dicit referri ad Paulinum uerbum, ne coniuges seipsos defraudent, commentitia est: quoniam Paulinum verbum, de secularibus coniugijs intelligitur, illud ergo ad connubium sacerdotum confirmandum afferre, iniquissima esset collectio. Item dum subdit, & constitutiones sacrorum uirorum, non alludit ad Paulum. Qua propter non fit allusio nisi ad concilium Cartaginense secundum & sextum. Fuit autem temeritas concilium prouinciale œcumenico Romano anteferre. Præterquam quòd ipsæ synodi Carthaginenses cũ ecclesia Romana expressissime sentiũt, ut patet can. Episcopus. dist. 31. & can. Cùm in præterito, & Cũ de quorundã. di. 84. Sed illi Græci consilio sui Nicætæ prædictos canones deprauarunt. Et ubi legit, in d. cap. Cùm de quorundã. Placuit, episcopos, presbyteros & diaconos, secundũ priora statuta (s. præcedentium Conciliorum Carthaginẽsium) ab uxoribus continere. adiecerunt, Cũ instaret tẽpus sacrificij. Ac subinde addiderunt, ut sacerdotes tẽpore ordinationis p fiteri castitatẽ nõ cogerent. Et ideo Adrianus illam synodũ, quia corruptam intellexit, noluit suscipere, nisi quatenus Romanis institutis non repugnaret. Paricer & quintum Apostolorũ canonẽ præuaricati sunt, & referẽ can. Si quis docuerit dis. 28. Est. n. canõ, Ne episcopi, presbyteri aut diaconi uxores suas ptextu religiõis abijciãt, quẽ quidẽ ipsi intelligũt, quasi pceptũ sit, ut illis

Ratio Clichtouæi.

Obiectio.

Dilutio.

Vxores ordinatorũ.

Calixtus.

Epiphanius.

Idem.

Vigilantij error.

Can. si qs. 32. distin.

Gratianus

Pygius.

Pa. locus.

Leo. 9. cã. Omnino.

Romanis legatus illic non sedit.

Nota.

Graeci canones deprauarũ.

Can. Si quis dist. 28.

ut illis utantur. Cum tamen non sit intelligendus, nisi sicut Leo nonus cap. Omnino, citato interpretatur, ut nō omnino ejiciant, sed uictū & uestitū suppeditent, tamen absq; tori contubernio. Et similiter detruncant & uitiant uerbū epistolæ cuiusdam, quæ dicitur Clementis, ubi habetur, Ministri altaris ad dominica tales eligantur officia, qui si semper continere noluerint, ante ordinationē cōiuges suas noluerint. Ipsi amputarunt, si semper continere noluerint, interpretantes illud esse præceptum, ne quis ad sacerdotium eligatur anteq̄ sit coniugatus. Alia quamplura illic coaugmentauimus ut Græcorū usum ostenderemus nulla fulciri legitima autoritate aut ratione, sed esse errorē aduersus primum Apostolorum institutum. Quare can. Quæsitū. de pœnit. & remiss. & cā. Aliter. 21. dist. & cap. Cùm olim. de clericis coniug. & alij plures, quibus asseritur Orientalem ecclesiam non admisisse uotum adnexum ordinibus, non refertur illē usus tanq̄ legitimus, sed tanq̄ error a Latinis toleratus. ¶Restat tamen uerbum Nicenæ synodi, quod refertur can. Nicena. 31. dis. quod contra nos pugnare uidetur. Cùm enim illic de hac re sententia interrogaretur, Pannutius coniugalem concubitum respondit sacerdotibus permittendum. Cui quidem sentētiæ reliqui patres auscultarunt. Ad hoc autem illic respondimus. illam historiam inter canones Nicenæ synodi non extare, sed Gratianus ex Cassiodoro desumpsit li. 2. Tripartitæ. c. 14. Et re uera si illud decretum illic fuit sancitum, mirum est quomodo in illo eiusdem synodi canone, quo fœminæ à domibus sacerdotum expelli iussæ sunt, excepta matre, sorore, aut auia, non fuerit pariter excepta uxor, si sacerdoti cohabitare fas erat. Sed ut fidei historicæ nō derogemus, respondetur, q̄ quia iam tunc corruptis sacerdotum moribus, ut ex Epiphanio citatimus, cœperant cum uxorib. habitare, synodusq̄; cogitaret rem ad primæuū institutū reuocare, ille bonus pater, quia id facilè fieri posse non uidebat, consuluit permittendum esse abusum, potiùs quàm nationē Græcam deturbandam, sicut modò ecclesia illos permittit libere. Et simili modo intelligendus est canon, Siquis discerni. 28. dist. ubi iubetur, quod sacerdotes nolentes abstinere, non sunt ideo a sacris arcendi. Et per hæc respondetur illis, qui nos hic rogabunt, utrùm sacerdotes Græci nunc in peccato perseuerent uxoribus utentes. Respondetur inquam, quòd cùm uotum castitatis adnexum ordinibus non sit de iure diuino, sed Pontificio, uidetur ecclesia latina eorum tolerando duritiem, cum illis dispensare. Hæc ex illa copiosa nostra disputatione decerpsimus, reliqua illuc uise.

Epist. Clementis.

Intellectus plurium canonum.

Can. Nicena. 31. dis.

Solutio. 1.

Solutio. 2.

Dubium.

Sol. 1.

Sol. 2.

De Græc.

¶Ad primum igitur argumentum negatur maior. Ordo nanque est sacramentū secum adferens characterem atque adeō causam à Deo determinatam, neq; ex nostro consensu dependentem. Quare matrimonium præcedens non obstat, quominus si coniugatus illud uelit recipere, si ad sit materia & forma, illud suscipiat. Matrimonium uero, quia ex consensu contrahentium pendet tanquàm ex causa subinde quoque pendet ex ecclesiæ arbitrio, quæ potest nostrum consensum irritare: & ideo matrimonium post sacros ordines contractum non tenet. Non ergo matrimonium tanta vi obstat ordini, quanta ordo matrimonio. ¶Ad secundum per secundam & tertiam conclusionem responsum est, quod scilicet, si quis sine uxoris licentia ordinetur, peccat grauiter, sed nihilominus sacramentum tenet, cuius essentia (ut modò dicebamus) à uoluntate humana non pendet. Et quanuis aliquatenus nexum coniugalem uioler, nihilominus contra iustitiam uxoris non facit, quia ab obligatione reddendi debitum nō absoluitur. Si autem id de eius licentia faciat, nullam ei irrogat iniuriam. Imo & Græci quanuis post sacerdotium cum uxoribus cohabitent, nequeunt tamen absque earum facultate ad ordines promoueri, propterea quòd per intercalatas hebdomadas torum ab illis separant.

Quæstio secunda, De impedimento uoti.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm uotum simplex sit matrimonij impedimentum ipsum dirimens.

MAgistri Sententiarum interpretes ipsum secuti occasione huius, quòd uotum impedit matrimonium, totam materiam

teriam de uoto, quæ latissimè patet, præsenti loco pertractant. Ob id præsertim, quòd cum Magister ipse de doctrina philosophiæ moralis non seorsum tractauerit, Theologi fragmenta moralia quauis nacta occasione in libris sentētiarum frustatim interserunt. At uero huiusmodi disputationes ordinis luce carent. Atque eam ob rem diuus Tho. de uirtutibus moralibus ac theologicis selectissime, simul ac locupletissimè secundam partem suæ summæ composuit, atque adeò in materia iustitiæ, ad quā disputatio uoti spectat: nempe. 2. 2. q. 88. diserte affatimq̄; disseruit: & nos totum septimum librum, De iustitia & iure hac eadem uoti tractatione totum insumpsimus. Quapropter impræsentiarū molestissimos nos exhiberemus, si eādem repeteremus materiam. Rursum, quia dixit hic Magister, quòd solenne uotum uio lare peccatum est & scandalum, ansam in de Sententiarij arripuerūt, totam tractandi materiam scandali, cùm tamen tractatio hæc ad materiam attineat charitatis. Quapropter S. Tho. 2. 2. q. 43. hunc tractatum appositè collocauit. Aliud uero impedimentum ligaminis, quod hic Magister immiscuit, dist. præcedenti nos aptiùs præmisimus. Ac simul de coniuge, qui alterum arbitratus defunctū, ad alias se trāsfert nuptias: nam hæc non sunt religionis, ut ordo & uotum, sed ligaminis impedimēta. Nobis igitur de tota d. 38. ut est apud Magistrum, nihil ferme quod dicamus, sit reliquum. Quæ quidem una fuit causa, ut impedimētum ordinis huc trāsferremus, quod est cum impedimento uoti coniunctum. ¶Vt ergo quod de materia uoti ad hunc locum attinet, de illo septimo libr. De iustitia & iure abscindamus, quæritur, utrùm uotum simplex sit impedimentum matrimonium dirimens. Et arguitur à parte affirmatiuæ. Vinculū fortius illud quod debilius est abrumpit: uinculum autē uoti simplicis nexu matrimonij fortius est: ergo illum dissoluit.

Reijcit nos autor ad li. de iust. & iure.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

2. Argum.

¶Secundò. Præceptum Dei ualentius est, quàm præceptum ecclesiæ: sed præceptum ecclesiæ, quo consanguinei prohibentur contrahere, matrimonium dirimit: ergo & præceptum Dei de uoto ipsi reddendo eundem habet effectum.

Pars negatiua.

¶In contrarium est sententia Bonifacij, de uoto cap. unico, lib. 6. ubi ait, quòd etsi uota simplicia quandoque impediant matrimonium contrahendum, non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta.

¶Ad solutionem quæstionis primum supponendum est, quod uotum, ut ait hic Magister sententiarum, est testificatio promissionis spontaneæ, quæ Deo & de ijs, quæ Dei sunt proprie fieri debet. Quam definitionem lib. illo nostro septimo citato, De iustitia & iure. q. 1. artic. 2. explicitam curauimus. Non enim ad rationem uoti sufficit propositum aliquid agendi, ni si accedat deliberata promissio, siue interna siue externa. Et dicitur testificatio, quia ad maiorem firmitatem solebat uouens adhibere testes, imò & nōnunquàm scripturam, can. Omnes fœminæ. 27. q. 1. quanuis si secrete, imò & interne in corde Deo fiat, ipse pro mille testibus sufficiat. Quare promissio, quæ nec Deo nec eius sit diuis, sed mortalibus hominibus, minimè uoti nomine censetur.

Votū.

Voti finitio explicita.

¶Ex omnibus uerò uoti generibus quod ad nostrum spectat propositum solum est uotum castitatis aut religionis. Id quod, alijs etiam diuisionibus prætermissis, diuiditur in simplex & solenne. De priori præsenti articulo agitur, & de soléni in subsequenti. Sed quia ad hoc propositum magni refert discrimen hoc internoscere, notanda ea sunt, quæ eod. lib. quæst. 2. artic. 5. scripta reliquimus. Caieta. quippe. 2. 2. quæst. 88. articul. 7. arbitratur, uotum solenne nō aliter à simplici, quam solo ecclesiæ statuto differre, quæ utique statuit, ut uotum solenne non dicatur nisi cum tali cæremonia. Nam ut habetur eod. capit. unico. de uoto lib. 6. solennitas uoti sola institutione ecclesiæ est inuenta. Quare ecclesia, ut ait Caieta. statuere posset, ut uotum coram tribus testibus emissum haberetur solenne, quanuis in manu superioris non fieret. Et eadem est opinio Scoti distinct. præsenti, & Paludani, ut articu. proximo uidebitur. At uerò S. Thom. illo articu. citato, in 2. 2. & impræsentiarum longe exactius rei punctum attingit. Ait quippe essentiale discrimen esse, quòd uotum simplex non aliud est, quàm promissio quædam, solenne uero est traditio in possessionem alterius: nempe, Dei. Et eadem est opinio Ricardi distinct. præsenti artiçu. 7. quæst. 2. & Bonauen-

Votum duplex.

Rursus duplex.

Caietanus.

Scotus.

S. Tho.

nauenturæ atque Alexandri, & omnium antiquorum theologorum. Sicuti inter homines aliud est, rem quamlibet alteri promittere, aliud uero eam in eius possessionem traducere: nam per simplicem promissionem non transfertur dominium, sed penes promittentem remanet. Et probat hoc optimè D. Tho. quoniam si solenne uotum solo statuto ecclesiæ, & non diuino iure hominem faceret religiosum matrimonioque inhabilem, consequeretur inde per contrarium eiusdem ecclesiæ statutum fieri posse, ut uotum solenne sub dispensatione caderet: quod D. Thom. & quotquot fuerunt clarissimi autores nunquàm sunt concedere ausi. At uero Caietanus inde ex suo peruerso principio solennitatis uoti collegit esse dispensabile. De hoc tamè illic latissimè disputauimus, & articulo proximo dicemus.

Ratio Sancti Thom.

Caietanus

Intellectus capit. unici. de uoto in 6.

¶ Quod ergo ad rem modo satis fuerit adnotare, est, quod dum Bonifacius ait, uoti solennitatem ex sola constitutione ecclesiæ inuentã, sic intelligitur, quòd cùm solenne uotum sit traditio personæ: & traditio non sit nisi ubi persona recipitur, illa cæremonia, qua ecclesia personam Dei nomine recipit, inuenta est ecclesiastico statuto. Attamen substantia solennis uoti non consistit, nisi in traditione ipsa, & translatione dominij, qua homo sub alterius potestate fit. Vnde si papa statueret, quòd uotum coram tribus testibus emissum iudicaretur solenne, illam reputaret traditionem & à uouente factam & ab ipsa ecclesia receptam. Sed re uera statutum illud minimè deceret. Et ideo ecclesia nũquam ab spiritu sancto id facere permitteretur. Et quanuis Glossa in ca. Rursus. qui clerici uel uouen. referat tres modos uoti solennis, reducuntur tamen illi ad duos: scilicet, per religionis professionem, & per susceptionem sacri ordinis, ut statuit Bonifacius, cap. unico. de uoto lib. 6. nam tertius modus, qui est per susceptionem habitus, qui à professis indui consueuit, in primum recidit. Vnde fit, non idem esse uotum publicum, & solenne. Publicum enim est, quod coram testibus suscipitur, etiam si sit simplex. Solenne uerò est, quo homo se prælato nomine Dei tradit, quod & secretè fieri potest.

Votum bifariam fit solenne.

¶ Ad quæstionem ergo quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Post uotum simplex castitatis, religionis aut sacri ordinis ad coniugium transmigrare scelus mortale est, idemq; ingens: quippe cùm tunc Deo fides frangatur. Atque hic est intellectus uerbi Cælestini in cap. Rursus. qui clerici uel uouentes. dicentis, quòd simplex uotum apud Deum non minus obliget, quàm solenne. Non enim intelligit, quòd perinde simplex uotum matrimonium dirimat, ac solenne, sed quòd sit etiam peccatum mortale simplex defrangere, sicut solenne, quanuis non tantum. Nam ut ait Magister dist. præsenti, simplex uiolare, peccatum est, solenne uerò peccatum & scandalum. Et ratio conclusionis est, quòd qui solutionem obligationis impossibilem reddit, fidifragus est: matrimonium autem è diametro uoto castitatis opponitur, quippe cùm coniux lege iustitiæ teneatur alteri debitum coniugale soluere: ergo matrimonium eum, qui uouit, contrahere, peccatum mortale est: imò, ut uerbis Hieronymi utamur, Vouentibus uirginitatem non solùm nubere, sed uelle nubere damnabile est, distin. 27. Et can. subsequenti, Si nupserit uirgo non peccat: non illa uirgo, quæ semet cultui diuino dedicauit. Harum autem si qua nupserit habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit, etiam de simplici uoto intelligitur. Et est allusio ad illud Pauli. 1. ad Timoth. 5. Adolescentiores uiduas de uita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo nubere uolunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Loquitur enim de uiduis, quæ uotum simplex castitatis emiserant.

Prima conclusio.

Intellectus capitis Rursus.

¶ Atqui super uoto simplici perpetuæ castitatis solus Papa dispensare potest, ut li. 7. citato. De iusti. & iure. q. 4. artic. 1. & 2. latè monstrauimus. Idq; iusta de causa: quare ille, cum quo sine causa dispensatur non manet tutus in conscientia, ut lib. 1. eiusdem operis. quæst. 7. artic. 3. docebamus. Animaduertendum tamen est, quòd uotum præcisè non contrahendi matrimonium, non est uotum castitatis, neque per fornicationem uiolatur: & ideo super eiusmodi uoto episcopus potest dispensare. Sicuti fortè & super uotum castitatis non perpetuæ, sed in tempus: quia illud non dicitur proprie uotum castitatis.

Papa dispensat.

Cũ causa.

Nota.

Secunda conclusio.

¶ Secunda conclusio. Matrimonium post uotum simplex contractum, siue castitatis

stitatis sit, siue religionis aut ordinis, firmum est & solidum. Itaque huiusmodi uotum matrimonium impedit contrahendum, non tamen dirimit contractum: etiam si uotum fuerit iureiurando confirmatum. Conclusio est Bonifacij loco citato, & Alexandri. 3. cap. Consuluit. & Cælestini cap. Rursus, qui cleri. uel uouen. Vnde illud Augustini de bono coniugali quod refertur can. Quidam. dist. 27. de uoto simplici intelligendum est. Quidam nubentes post uotum asserunt adulteros esse: ego autem dico uobis quòd grauiter peccant qui tales diuidunt. Et similiter proximus can. Si uir. Rationem conclusionis hanc, Magister sentent. subdit: quia uotum simplex, eo quòd fuerit occultum, probari non potest, & ideo non dirimit.

Confirmatio.

Augustin.

¶ Ratio autem nullius est ponderis, quia etiam si legitimè probaretur, matrimonium non iudicaretur dissoluendum. Rationem ergo optimam, subiungit hanc D. Tho. Qui rem suam promisit, non subinde dominio eiusdem rei expoliatus est: uotum autem simplex non est aliud quàm promissio, qua se homo Deo pollicetur continenter uiuere. ergo per huiusmodi uotum dominium sui nõdum amittit: quicunque autem habet dominium rei, potest alteri tradere, saltem traditio tenebit quãuis si alteri eam obligauerat, peccet. Etenim etsi ego Petro decem fuerim aureos pollicitus, si illos Paulo dono, firma est donatio: ergo si qui uotum simplex emisit in matrimonium se alteri dedat, contractus tenet, atque adeò sacramentum indissolubile celebratur. Neque ullo pacto commentatio Hugonis in præfato c. Rursus, cui Bernardus illic adstipulatur, audienda est, dicentis uotum simplex perpetuæ continentiæ absque ulla solennitate matrimonium dirimere: quoniam non solùm decretum ecclesiæ capi. unico, de uoto lib. 6. ei refragatur, ubi solùm uotum solenne sancitur matrimonium dirimere, uerùm & ratio modò facta: quia tale uotum non est nisi promissio. Sed isti non solent rationes rerum consulere. ¶ Contra has tamen duas cõclusiones exurgit extè plò argumentum, quòd secum inuicem ambæ pugnent. Cõtractus enim, per quẽ quispiam ad id se obligat, quod est delictũ irritus est natura sua: quia nemo se potest ad delinquendum obligare: nempe, ad fur tum uel homicidium perpetrandum: qui autem post uotum se matrimonio complicat, peccatum facit: ergo contractus non tenet. Item. quando datio aliqua est per legem prohibita, non tenet, ut si quis per simoniam sacerdotium alteri contulerit, quemadmodum ait Sanctus Thomas. 2. 2. quæst. 62. arti. 5. traditio autem personæ per matrimonium est ei prohibita, qui uotum simplex emisit: ergo huiusmodi traditio non tenet.

Obiectio. Ratio sancti Tho.

Obiectio. 1.

Obiectio. 2.

¶ Ad primum respondetur, fallaciam in argumento latere. Nam etsi contractus, per quem homo ad delinquendum se obligat, non teneat, non tamen inde sequitur, quòd omnis donatio, quæ per se est peccatum, sit inualida. Qui enim sua bona prodigè donat, prodigalitatis peccatum committit, & tamen donatio tenet, Quod si rursum redarguas. Coniugatus obligat se ad reddendum debitum: ergo ad peccandum. Negatur consequentia, quia reddere non est peccatum: ad exigendum tamen non se obligat. Ad secundum respondetur, quòd datio alicuius rei potest esse illicita dupliciter, uno modo quia datio ipsa per se ex natura rei est illicita, atque adeò prohibita, ut emptio & uendi tio simoniaca, quia spiritualia non sunt mercatu uenalia. Alio modo, quia prohibita est & illicita, non quatenus datio est ratione generis & substantiæ dationis, sed ratione circunstantiæ: scilicet, quia excessiua est, ut donatio prodiga, uel ratione subiecti, quia alteri uirtuti repugnat. Datio ergo prioris generis nulla est, datio uerò secundi est ualida. Et hoc secundo modo traditio per matrimonium ab eo, qui fecit uotum, est illicita, non quòd matrimonium per se illicitum sit, sed ratione subiecti, quia repugnat promissioni castitatis, quam fecit. Et ideo quanuis datio sit illicita, nihilominus tenet. Pretium autẽ, quod datur meretrici, non est ad propositum: quia datio illa licita est, licèt pro re fiat absurda. ¶ Contra primam conclusionem forsan quis iterum arguat, quòd contrahere matrimonium post uotum simplex non sit peccatum, sed illud per copulam consummare: quia potest ante consummationem uotum castitatis per ingressum religionis implere. Ita sentiunt & docent Sum. Angelica & Calder. super citato capitu. Rursus, atque alij. Attamen dicendum

Obiectionis. 1. solutio.

Alia obiectio.

Solutio.

Dilutio obiectionis.

Secundus modus.

Precium turpe.

Obiectio.

Angelus.

Sententia autoris.

dicendum potiùs, quòd non solum consummare, uerùm & contrahere peccatum est, ut bene ait impræsentiarum S. Tho. cum toto Theologorum cœtu. Nam si nõ fiat animo ingrediendi religionem, res est liquida, si tamen fiat illo animo, illudetur coniux: quippe cùm matrimonium non nisi proposito consummandi pacisci consueuerit, ut supra dist. 27. q. 2. arti. 5. super ca. Commissum, de sponsalib. dicebamus. Item quia per contractum matrimonij tradit coniux potestatem sui corporis alteri, per quod iniuria irrogatur uoto. Quare beata uirgo, ut supra diximus, non creditur uotum emisisse antequàm matrimonium contraheret: præterea quia aliud est expresè contra canones supra citatos 27. dist. & titu. Qui clerici uel uouentes. &c. quibus cauetur, ne post uotum simplex matrimonium contrahatur.

Percontatio. ¶Quid autem remedij adhibendum si post huiusmodi simplex uotum matrimonium contrahatur. Respondetur, quòd si fuerit uotum religionis etiam post ratum matrimonium, antequàm consummetur uis obligatoria durat, ut teneatur ille etiã tunc inuitam uxorem dimittere, & religionem ingredi. Neque poterit tunc episcopus dispensare, sed solus Papa. Nam cùm tunc res integra sit, ut possit religionem optare tenetur quidem. Consummato autem matrimonio id, nisi de consensu uxoris religionem etiam professus, facere nequit. Imò uerò quanuis uotum non nisi castitatis emiserit, ait Syluester uerb. Matrimonium. 7. q. 5. ad eundem religionis ingressum qui uouit, teneri: quia illo modo, & non alio, potest uotum implere. Durum tamen est eiusmodi hominem in tam arctas angustias adigere: non enim tenetur uotum castitatis cum tanto dispendio implere, nisi suapte sponte uoluerit. Quare satis ei est delicti pœnitere, & debitum citra exactionem reddere. Atque idem dixerim si uotum emiserit sacri ordinis: nam religio est res ardua. Qui uerò post ratum matrimonium religionem ingreditur, & quia bona fide eam experienti non uidetur tolerabilis, ad seculum regreditur, tenetur ad idem matrimonium redire: quia usque ad professionem non dirimitur.

Sylueſter.

¶Sententia autoris.

Post ratũ matrimo.

Dubiolũ. ¶Aliud uerò ex supra dictis dubiolum emergit, utrum uerò peccatum, quod est matrimonium contrahere, aliud sit nouũ illud consummare. Arguitur enim sic esse, saltem si uotum fuit religionis: quoniam cùm post ratas nuptias integrum illi sit religionem ingredi antequam consummet, consummatio ipsa, per quam fit iam remedium impossibile, erit peccatum. Et ita D. Tho. præsenti dist. q. 1. art. 3. & Ricar. arti. 7. q. 1. censent. Sed ex altera parte pugnat argumentum, quia nõ apparet, quod per matrimonium post uotum committatur nisi unum peccatum: quare si illud cõmittitur cõtrahẽdo, non cõmittitur aliud consummando. Responderi profectò, potest, quòd contrahere sit unum peccatum propterea quod tunc contrahens facit facultatem sui corporis alteri, quæ est iniuria uoti. Item si uotum præcessit religionis tunc aliud peccatum committit consummando, quanuis id faciat reddendo debitum prima uice: quia illuc usque durabat obligatio uoti: & tunc fit impletio eius impossibilis. Et de isto uoto satis est diuum Thomam intelligere. Qui uerò uotum tantùm fecit castitatis, si post ratum non tenetur religionem ingredi ut diximus, fit ut neque consummando peccet, nisi i d exigendo debitum faciat. ¶Tertia conclusio. Qui post uotum simplex solius castitatis matrimonij se uinculo innodauit, petere nequit debitum, reddere tamen tenetur. Decisio est cap. Quidam. & cap. Placet. de conuersio. coniug. & à simili in c. Transmissæ, de eo qui cogno. consang. uxor. Tametsi nonnulli ex sacrorũ canonum interpretibus, quia omnia in opinionem uertunt, opinentur, quòd cùm primum ille qui uouit, debitũ exigit, tunc peccat, postmodum uerò minimè. Quorum est Host. & Cardina. super dict. c. Rursus, atque alij, quos citat glossa in cap. Si quis post uotum. 27. q. 1. Est tamẽ opinio omni probabilitate destituta: nam uotum perpetuæ castitatis ad sui obseruationem quandiu in facultate uouentis fuerit, obligat. Includit enim negationem: scilicet, quòd nunquàm se uouens polluet. Quod isti non animaduertunt. Et ideo nulla est uel apparens ratio, quod in illa prima transgressione uoti obligatio extinguatur. Sed quocunque actu se ille polluit, uotum frangit: perinde acsi lex diuina esset, ne se pollueret: habet enim uotum illud uim perpetuæ legis. Et cõfirmatur autoritate citatorum canonum de conuersio. cõiuga. atque aliorum similium, quibus simpliciter uouens arcetur: ne debitum exigat. Atque hæc est S. Thomæ, Ricardi, & omnium theologorum concors sententia. Cui & plana demum accedit alia ratio: nam si ille qui uouerat, postea fiat uxore uiduus, tenetur castitatem perpetuò seruare: nunquam ergo obligatio extinguitur, nisi fiat super ea dispensatio. Reddere tamen ob id tenetur, quod ex natura matrimonij exurgit obligatoria illa iustitia: nam ut ait Pau. uir non habet potestatem corporis sui, sed mulier, & uice uersa. Quòd si obijcias, coniuges debere esse pares in exigendo. Respondetur id uerum esse, nisi alter sua sponte iuri suo per uotum renuntiauerit. ¶Reddere etiam debet uir-tualiter petenti, ut si uxor præ uerecundia non petat, debet se uir, qui uotum fecerat, insinuare. Potest tamen episcopus iusta de causa, ut si non pateat accessus ad Vrbem, uel alia urgenti, super illa petitione debiti dispensare. imo debet ad cauendum periculum. Haud tamen ob id dispensare potest simpliciter super uoto (nisi solus Papa) quominus defuncto coniuge teneatur uotum seruare. ¶Quarta conclusio. Qui uotum emisit simplex religionis non explicando castitatem, si postea uxorem accipiat, non solùm reddere debet, uerùm & exigere absque ulla dispensatione debitum ualet. Hanc conclusionem eod. lib. 7. De iustitia & iure. q. 2. artic. 1 demonstrauimus. Qui enim religionem uouet, ad id solum obligatur, ut illum religionis statum suscipiat: attamen quousque illũ profiteatur, cæremonijs ac legibus eiusdem status non præstringitur: quia obligatio illarum legum ex professione status emergit. Quemadmodum licèt uniuersi mortales ad baptismi sacramentum suscipiendum teneantur, tamen quousque eodem baptismate intingãtur, peculiaribus Christianismi legibus non subduntur. Atque id in uoto religionis mos ipse & usus manifestat. Non enim cùm primùm quis uotum religionis simplex suscepit, ad ieiunia & abstinentias ordinis & ad clausuram, neque uerò ad obedientiam seruandam constringitur: ergo neque ad castitatis uotum, quod postea ex professione nascitur. Quare dum huiusmodi homo fornicatur, nihil contra uotum committit, sed simpli-

Opin. communis.

Ratio.

Obiectio.

Dilutio.

Episcopus dispensat.

¶Conclusio. 3. Conclusio.

Ratio.

Simile.

Sententia autoris.

Confirmatio.

ci fornicatione commaculatur. Imo quanuis sit in mora ingrediendi religionem, solum peccabit, quia non adimplet uotum, non tamen quia non seruat religionis statuta. Cùm ergo contractum post uotum matrimonium teneat, fit ut coniugalis usus, etiam petitio, sit licita, neque ulla opus habeat dispensatione cõtra uotum, sed satis ei erit delicti, quod contrahendo commisit, pœnitere, & propositum seruare firmum, quòd mortuo coniuge religionem intrabit. Latius hæc loco citato diduximus.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd uotum etiam simplex quantùm ad eum, cui fit, fortius est quàm matrimonium: nam per uotum adstringitur fides Deo, & per matrimonium homini. Sed quantùm ad uim ligandi fortius est uinculum matrimonij: quippe quod est traditio, quàm uotum simplex, quod non est nisi promissio. ¶Ad secundum negatur cõsequentia: quoniam præceptum ecclesiæ, quæ cognatos inhabiles reddit matrimonio contrahendo, non dirimit matrimonium eo quòd fortius sit quàm diuinum, sed quia materiam matrimonij facit illegitimam. Deus autem non ita promissum uoti simplicis exigit, ut personam reddat matrimonio illegitimam.

Solu. 1. ar.

Sol. 2. arg.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm uotum solenne sit impedimentum matrimonium contractum dirimens.

ALtera species uoti est id, quæ est solenne, de quo subinde quæritur, utrum matrimonium dirimat. Et arguitur à parte negatiua. Votum simplex, ut Cælestinus ait capi. Rursus. Qui clerici uel uouent. non minus obligat apud Deum quam solenne: imò plus obligationis uidetur simplex iureiurando firmatum, quam solenne continere: quoniam solennitas uoti non est nisi de iure positiuo, ut ait Bonifacius de uoto lib. 6. & tamen iuramentum obligat iure diuino: sed simplex non dirimit: ergo nec solenne. ¶Secundò. In matrimonio nihil clauditur quod uoto solenni castitatis repugnet,

Partis negatiuæ. argu. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

6. Argum. pugnet, nam maxime id esset carnalis copula: sed hæc non est de essentia, quia coniuges possunt per uotum ius illud congrediendi à se abdicare: ergo sicut matrimonium consumatum per ingressum religionis non dirimitur, ita neque uotum solenne præcedens debet id dirimere. quod post contrahitur.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est decretum Calixti cano. Presbyteris. dist. 27. quo matrimonia post uotum sacrorum ordinum contracta dirimuntur. Et cano. proximo ait Hieronymus, Virgines, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ.

1. Conclusio. ¶Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Votum solenne non modò matrimonium impedit contrahendum, uerùm & contractum dirimit. Hæc conclusio canonibus citatis, & ca. Insinuante. qui clerici uel uouent. & ca no. Viduas à proposito. 27. q. 1. plurimisque alijs decretis ecclesiæ constabilita est. Quapropter non solum omnes, ut ait hic S. Thom. uno animo eam concedunt, sed etiam habenda est tanquam orthodoxa ueritas, cui nemo ex catholicis reclamat, sed eius negatio hæresis est. Imò & apud Græcos ut dixiuus, est etiam receptissima & constantissima. Ait uerò S. Thom. quodam scandalum in causam huius conclusionis afferre, & alludit ad sententiam. Magistrum, qui ait, uotum solenne infringere, peccatum & scandalum esse.

Opin. cõmunis.

Rõ concl.

Scandalũ. Quæ utique uocula occasionem obtulit eius interpretibus scandali materiam hic tractandi. Quanuis clare non dixerit, solum scandalum esse causam. Cuiuscunque autem hæc fuerit opinio, nihil ad rem attulit: nam & fractio uoti simplicis, quando publicum est, scandalum quoque offert. Et re uera solum scandalum non sufficeret uoti speciem sic demutare, ut propter ipsum solum dirimeretur matrimonium. Item quia indissolubilitas matrimonij ad ueritatem uitæ & status attinet: scandalum autem accidentarium est, quod ideo matrimonium dirimere nequiret. Ratio ergo legitima illa est,

Ratio uera quæ ex discrimine uoti simplicis & solennis supra designato colligitur: nempe quòd uotum solenne non tantùm promissio, ut simplex, est, sed uera traditio in potestatem alterius. Qui enim castitatem per religionis ingressum uouit, iam se se dedit, Deoque se in illam obedientiam, castitatem & paupertatem seruandam mancipauit. Quocirca deinceps non est sui iuris, ut possit se in coniugium alteri dedere. Et hæc est uniuersalis scholæ theologicæ ratio. Eã tamẽ Scotus diff. præsenti nihili pendit: quia per uotum inquit, etiam simplex & priuatum dat homo corpus suum Deo quantum ad actum uoti: nam traditio consistit in actu uoluntatis, per quam ideo homo dum uotum etiam simplex facit, transfert dominium sui in Deum. Sed re uera, ut bona uenia insignis doctoris dixerim, gratis uidetur argumentum hoc ueritati obmoliri. Nam etsi quisquis iuris sui est, possit dominium sui in alterum transferre, nõ tñ per solam pollicitationẽ hoc facit: quia promittere non est dare.

Rõ contra. ¶Præterea ad eandem conclusionem arguitur. Votum solenne religionis quædam est spiritualis dispensatio & matrimonium cum Deo. Nam etsi Paulus uniuersis Christianam religionem profitentibus dicat. Despondi uos uni uiro (scilicet per baptismum) uirginem castam exhibere Christo: quia illic se fideles diuino cultui dedicant, tamen quia religionis nomen per antonomasiam professioni solennis uoti competit, per eiusmodi professionem celebratur singulare coniugium cum Deo, & peculiariter cum Christo. In cuius testimonium uirgines, cùm solenni uoto religionis consecrantur, eodem uelantur modo, quo nuptæ dum suis traduntur uiris. Atque adeò qui sic uouerunt, omnẽ à se facultatem abdicarunt tradendi se alteri in matrimonium. ¶Accedit demum, ꝙ religionis status perfectior est longeq; sublimior statu nuptiali, quam ideo religionem ubique ecclesia fœliciorem frugẽ censet. Haud ergo fas est ab hmói statu ad alium inferiorem retrogradi. Quare ad hoc propositũ appositissimè illud Christi uerbum adaptatur Lucæ. 9. Nemo mittẽs manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei. Quod autem status solennis uoti castitatis dignitate & priuilegio statui coniungali apud Deum antecellat, non uacat hic affatim differere: neque uerò ad id aptus est locus, sed lib. 7. citato, De iustitia & iure. q. 6. art. 1. pro uirili nostra monstrauimus. Est enim

Lucæ 9. Status religiosus coniugali præferendus.

status ille perfectionis, quo Christus Seruator noster adolescentem, qui se mandata custodisse respondit, inuitauit. Atque adeò peculiariter eos, qui se propter regnum cœlorum castrauerunt, & seculo abrenunciantes obsequio obedientię manciparunt, beatos illic pronúciauit, ubi ait, Beati pauperes, & mites, & qui lugent. Ob idq; Paulus omnes sicut seipsum esse uolebat, sed non omnibus datum est. Et ideo propter eius sublimitatem ait, de uirginibus se præceptum Domini non habere, consilium tamen dare. Et tandem coniugatos cum his, qui nuptiarum expertes sunt, conferens ait, quòd qui sine uxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est. Et mulier innupta & uirgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uiro.

March. 5. Paulus.

An super uoto solenni castitatis possit papa dispensare.

¶De his ergo, quæ hactenus dicta sunt, nemo, qui catholici nomine censeatur, ambigit. Hoc autem in litem sunt qui uertãt utrùm super uotum solenne castitatis Papa ualeat dispensare, ut qui illud suscepit, citra delictum possit coniugari. Quæstio hæc præcipui est momenti, quippe cuius decisio magnopere ad ecclesiasticam Rẽpublicam refert. Eam tamen lib. 7. De iustitia & iure. q. 5. artic. 2. pro exilitate facultatis nostræ copiose disputauimus. Et ideo hic breuiùs rem perstringemus. Opinio quidem affirmatiua: scilicet, quod Papa possit dispensare, patronos habet non infimæ authoritatis, uidelicet, Henricum Gandensem quodlib. 5. q. 25. & 26. & Richardum dist. præsenti. arti. 9. & Durandũ quæst. 2. & Paluda. q. 4. Quinuerò & Scotus id ipsum insinuat dicens, ut Palud. & cæteri, quòd ecclesia illegitimauit uouentem solenniter, ne possit matrimonium contrahere: quasi non sit de iure diuino. Imò nec S. Tho. impræsentiarum illam respuit opinionem. Et Caiet. 1. 2. q. 88. & q. 12. 1. quodlibeti. non solum idem mordicus tenet, uerùm & adstruit diuum Thomam illam non denegasse.

Pars affirmatiua.

2. Conclu. ¶His tamen nihil obstantibus secunda sit huius præsentis articuli conclusio. Super uotum solenne religionis nulla cadit ecclesiæ dispensatio. Hanc conclusionem expresè & ex professo constituit. D. Th. 2. 2. q. 88. art. 11. Eademq; fuit indubitata opinio semper antiquorum patrum, ut Alfisiodorensis, & Alexandri Alensis. 3. part. & Bonauenturæ distinct. præsenti in fine: & inter iuniores Syluest. uer. Votum. 4. q. 5. & glossæ in cap. Cum ad monasterium. de statu monacho. Et procul dubio non solùm sanior est & tutior opinio. uerùm, ni fallor, omnino tenenda, ut ibidem latiùs stabilire curauimus. Imò est assertio Innocen. Pontificis cap. Cùm ad monasterium. de statu monacho. Cuius uerba sunt, Abdicatio proprietatis, sicut etiã custodia castitatis adeò adnexa est regulæ monachi, ut contra eam nec summus Pontifex possit indulgere. Quod quidem decretum. D. Thom. inter sua fundamenta refert.

Innocen.

Prioris opinionis corollariũ

¶Et ut claritatis causa ambo coniungamus, qui dicunt, Papam posse dispensare in uoto solenni, subinde inferunt eiusmodi uotum, non quidem ex natura sua iure diuino, sed solo iure Pontificum impedire dirimereq; matrimonium, quemadmodum id facit consanguinitas. Atque id loco citato Scotus opinatur, & alij. Qui uerò tenent esse indispensabile, subsequẽter aiunt ex natura sua iure diuino uotum dirimere matrimonium, sicuti ligamen unius matrimonij subsequens dirimit, ut distinct. præcedenti dicebamus. Quò autem assertum hoc exactè firmetur, distinguendum est inter uotum solenne sacrorum ordinum, & uotum solenne religionis, ut D. Tho. loco citato. 2. 2. doctè distinguit. Nam uotum continentiæ non est de intrinseca ratione sacrorum ordinum: siquidem Græci sine illo sunt ueri sacerdotes. Quare licèt indecentissimum esset, Papam cum sacerdotibus nostris dispensare, nihilominus dispensatio teneret, essentq; ueri sacerdotes. Ex quo fit, eiusmodi sacerdotale uotum non diuino sed Põtificio iure matrimonium dirimere. Votum autem continentiæ de intrinseca est ratione religionis. itaq; sublato uoto, non esset religio: hoc enim per se sola religio sonat, quod quidem ordo sacer non significat, sed est ei accidentarium uotum. Et mirandum est, quòd Caietanus quæst. citata. 12. cùm hanc differentiam agnouerit, nihilominus adstruxerit, solenne religionis uotum esse dispensabile.

Posterioris opi. appendix.

Distinctio uoti solennis.

Papæ dispensatio.

Sacer ordo iure canonico matrimoniũ dirimit.

¶Discrimen

Opinionũ discrimen.

¶Discrimen ergo harum opinionum, præ termissis alijs, quæ quæst. citata latiùs dedaximus, in hoc consistit, quòd aduersarij putant, solennitatem uoti esse de iure positiuo, propterea quòd cæremonia solennitatis ex statuto ecclesiæ inuenta est.

D. Thom.

Sed tamen D. Tho. ueritatem docens, ait consistere in hoc, quòd se homo Deo per tale uotum mancipat, & re uera se se tradit, perq; abrenunciationem seculi & propriæ uoluntatis in illum statum se conserat. Quare sicut Papa non potest facere, ut qui se umi per matrimonium dedit uxori, ab illa semoueatur quantum ad uinculum: ita, imò multò minus, amouere à religione potest religiosum. Quod pro tam certo ducit Diuus Tho. ur præter suum ingenium subiungat, quosdam Canonistas ignoranter contrarium dicere. Neque mirum, quia hoc ad ius diuinum attinet, quod eis exponere non incumbit. Sed Paluda. & Caieta. in hoc apud D. Thomam falluntur, quòd huiusmodi solennitatem ad quandam benedictionem & consecrationem ipse referre uidetur, quæ fit dum religiosus solenniter profitetur: & ideo ait quòd illud, quod semel Deo consecratur, perpetuò debet consecratum manere', ut altaria, & uestes sacræ, & illa, quæ in antiqua lege Deo sanctificabantur, ut Leui. ulti. legitur: quare à diuino cultu sequestrari nequeunt. Inde ergo inferunt, quòd cùm illa consecratio & benedictio sit de iure positiuo, possit Pontificia autoritate auferri. Debuissent tamen animaduertere. D. Thom. illam consecrationem & benedictionem non attulisse tanquàm id, in quo substantia solennis uoti consistat, sed tanquàm signa, quibus eadem mancipatio approbatur, Deoq; offertur. Nam in ordine nostro post emissum solenne uotum illa fit benedictio, sicut in matrimonio postquàm contractum est, solennes fiunt benedictiones.

Caietanus

Nota.

Sensus D. Thomæ.

Ratio S. Tho. confirmatur.

¶Stat ergo firmissima ratio S. Thomæ, cui nos illic secundam confirmationem adiunximus. Si enim religiosus per dispensationem fieri posset non religiosus, infirmissima esset ratio, qua affirmatur, per ingressum religionis matrimonium ratum dirimi. Demus enim maritum post matrimonium ratum ante copulam religionem profiteri, uxoremq; subinde alium sibi copulare coniugem, tunc si cum illo religioso fieri posset dispensatio, posset profectò subsequenter alias inire nuptias: quoniam matrimonium ab uxore cum alio contractum dissolui nequit, legitimè fuerit contractum. Vnde fit consequens, quòd post matrimonium ratum possent coniuges ad alia transire matrimonia, quod est omnino absurdum. Nam etsi Caietanus immeritò concedat, Papam posse super matrimonio rato dispensare, ut distinct. 27. q. 1. articu. 4. retulimus, in nostro tamen casu citra talem dispensationem hoc contingeret.

Appro.

Nota.

Ratio confirmatio.

¶Et confirmatur ratio. Quia non alia ratione per promotionem ad sacros ordines, ut supra diximus, non dirimitur matrimonium ratum, nisi quia uotum castitatis non est intrinseca ratione adnexum ordinibus, imò locum habet super eiusmodi uoto dispensatio: ergo à contrario sensu si per uotum religionis ratum matrimonium dissoluitur, euidens signum est, continere uotum perpetuæ castitatis indispensabile adnexum. Certè nescio quidnam Caietanus & alij fautores contrariæ opinionis responderent.

Contra argumen.

¶Perpendamus ergo obiectionum contrariæ opinionis energiam. Potissimum, quod fatetur Caiet. eum mouere, est gestum Pontificum: nam ut Paludanus refert, dispensauit quandoque Apostolica sedes cum Rege Aragoniæ, ut uxorem duceret. Et Cælestinus tertius fertur dispensasse cum sanctimoniali Constantia Rogerij filia. Et ait, quòd si tempore diui Thomæ Papa dixisset contra, quàm dixit Innocentius, ipse quoque sensisset cum illo.

Dispensatio quædam Pontificia.

Nota.

¶Sed profectò (ut detur uenia uerbo) satis mirari nequeo, quomodo Caietanus tantam autoritatem uni Pontifici aduersus alium Pontificem arrogauerit, ut credat diuum Thomam illum potiùs, quem ipse Caietanus sequitur, secuturũ, quàm alterum, quẽ secutus est. Præsertim quòd illa historia Regis Aragonum apocrypha est, neque alio fulta testimonio, quàm Paludani aut aliorum, qui originalem historiam non referunt. Et loco citato Syluester uerb. Votum. 4. quæst. 5. refert alios dicentes, illum monachum non fuisse professum. Et inter annales Aragonum illa historia non refertur. Et tamen decretum Innocentij est inter decreta Pontificia relatum,

Historia regis Aragonum apocrypha.

Paludani argumen.

Sylueſter.

Paludanus

Sententia autorũ.

latum, quo asserit non posse Romanum Pontificem dispensare. Et Syluester ubi supra ait, quod si alij contrarium fecerunt, id quidem de plenitudine potestatis, non tamen de iure fecerunt, ut ait glossa in dict. c. Cùm ad monasterium. Et addit, quòd ipse uidit Pontificem maiora faciẽtem cum scandalo totius Christianitatis. Paludanus uerò eludere uult decretum Innoc. dicens, Pontificem id tantum intelexisse, quòd cum monacho permanente monacho non potest in castitate dispensare. At uerò papa talem moderationẽ nõ insinuat, sed simpliciter ait, non posse dispensare cum monacho in castitate siue manente monacho, siue non manente. Alias glossas cõfarcinat glossator' super eo. cap. ¶At uerò nec decet de summo Pontifice sic irreuerenter loqui, neque oportet ad illas glossas recurrere. Sed rei ueritas, cuius sæpè meminimus, est, quòd Pontificum sententiæ in litibus occurrentib. & eorum gesta non sunt habenda tanquã canonicæ leges, & multò minus tanquam articuli fidei, quia neq; sub illa forma constituuntur. Sed in rebus, quæ sub diuersis opinionibus uersantur Pontifices nonnun quam unam opinionem doctorum sequũtur, non tamen eam tanquam legem constituentes, neque contrariam condemnantes. Et ideo quanuis concedamus, Pontifices aliquos super uoto solenni castitatis dispensasse, non illud habetur pro lege, potissimùm cùm inter decreta non referatur. Et mirandum, præter ea est Caietanum non animaduertisse, quòd Cælestino tertio, qui fertur cum Cõstantia dispẽsasse, proximè Innoc. 3. successit, qui non obstante facto sui præcessoris capitulum. Cum ad monasterium, de indispensabilitate uoti solennis inter decreta retulit. Quocirca Diuus Thomas idem gestum Cælestini, si uerum fuit, non ignorauit, sed quia non erat inter decreta relatum, nullam eius uel rationem habuit, uel mentionem fecit, sed decretum est Innocentij, tanquam de iure diuino, ueneratus. Arguit rursus Paluda. quòd in omni uoto, etiam solenni, includitur uoluntas Papæ, nisi aliud ipse uoluerit: quare pro bono communi totius reipublicæ potest in uoto solenni dispensare. Sed tamen nescio unde illam maximam suam corraserit. Si enim homo dum se per matrimonium cõiugi tradit nulla illic Pontificis uoluntas includitur dispensandi, nec pro salute totius reipub. matrimonium Papa dirimere ualet: cur cùm traditio uoluntatis per uotum solenne sit de iure diuino: non sit illa etiam absoluta, neq; à Pontifice ullo modo dependens? Reliqua in quæst. nobis ei tata, De iustitia & iure, locupletiùs dicta sunt.

Sol. 1. arg.

¶Primum argumentum sæpè & sæpissimè solutum est ex discrimine inter uotum simplex & solenne. Votum enim simplex quanuis apud Deum sub reatu etiam mortali obliget (qui intellectus est loco citato Pontificis) est tamen mera promissio, & quanuis sit iureiurando firmatum, contractum matrimonium non dirimit. Solẽne uerò quanuis cæremonia solennitatis sit de iure Pontificio, est tamen uera traditio hominis eiusque libertatis, & hac ratione iure diuino, imò & naturali, est indispensabile, ut satis superq; expositum est. ¶Ad secundum etiam in superioribus responsum est, quòd quanuis copula non sit de essentia matrimonij, traditio tamen corporis & libertatis ad illum usum est de eius essentia: & hac parte repugnat religionis uoto, per quod se homo suamq; libertatem Deo dederat.

Sol. 2. arg.

DISTINCTIO TRIGESIMANONA, De cultus disparitate.

Textus. Cap. 1.

POST sacros ordines religionisq; uotum, quibus connubialis cõtractus impeditur, reliquum fit, ut de cultus disparitate exploretur, quemadmodum eiusdem sit matrimonij impedimentum. Vbi hoc præiactum sit fundamentum. Inter infideles matrimonium

constat legitimum: quippe cũ illud Deus & natura ab orbe condito, ut in superioribus dictum reliquimus, in officium generandi constituerit, & aduersus concupiscentiam in remedium. Illud uerò quanuis nomen sacramenti inde fuerit sortitum, quòd ut ait ad Ephes. 5. Paul. mysterium erat in Christo & ecclesia: qua utique ratione Innocen. ca. Gaudemus, de diuortijs, ait, sacramentum coniugij apud fideles & infideles existere: non tamen perfectum fuit omninoq; ratum sacramentum gratiam conferens quousque lege Euangelica hoc ei Christus ornamentum adiunxit.

Innocen.

Cap. 2. ¶ Fideli autem cum infideli contrahere, quod ecclesia uetat, non modò sacrilegium mortale est, uerum & res nullius momenti: quippe cum eiusmodi matrimonium ob cultus disparitatem irritum sit et uanum. Nam & propter simile periculum, quod fideli ab infideli coniuge offertur, in Deutero. cautum erat, ne populus Israel uxores de filiabus alienigenarum acciperet, ne post Deos suos illos traduceret. Quare Esdras, quas deus accipere uetuit abijcere iussit. Unde ad Pollentium Augustin. Ne nubat, inquit, fœmina nisi religionis uiro, uel ne uir talem ducat uxorem iubet Dominus, monet Apostolus, utrunque præcipit testamentum. Et Ambrosius lib. de Patriarchis ca. 9. Caue Christiane Gentili uel Iudæo filiã tuam tradere. Et in Concilio Urbanensi iubetur, quòd si quis Judaicæ prauitati coniugali societate coniungatur, à Christiano cœtu & conuiuio ac communione ecclesiæ protinus segregetur.

Deuter. 7.

1. Esd. 10

Cano. Sic enim. 28. q. primo.

Can. Cauendum 28. q. 1. Canon. Si quis iudæ.

Cap. 3 ¶ Hoc ueruntamen non obstãte si infidelium coniugum alter in fidẽ Christianæ familiæ nomen dederit, alterq; cum eo absque iniuria fidei & contumelia Saluatoris commorari consenserit, consilium est Pauli, ut eum nõ abijciat. Si quis, inquit, frater sororem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet uirum infidelem, &c. Sanctificatus enim est uir per uxorẽ fidelem & uxor per uirum. Quæ uerba Augustin. eodem loco enarrans subdit, Aliud esse de matrimonio inter fidelem infidelemq; contrahẽdo, aliud uerò de illo, quod ab infidelibus in sua cæcitate fuerat contractum. Illud enim nullum est: de hoc uerò ait Apostolus quòd deus non iubet, sed tamẽ ipse dicit, ut fidelis infidelem, si lucrandi eum spes fuerit ulla, non deserat. Iam uerò tunc temporis dum infidelis requisitus & monitus, ut Christianismum cum suo coniuge suscipiat, illum respuit, meritò censetur citra contumeliam Saluatoris nequire cum coniuge habitare. Ob idq; iuxta tenorem Concilij Toletani, coniuges ea lege distrahuntur, ut fideli liberum sit aliud inire matrimonium, per cuius contractionem antiquum dissoluitur. Id enim Gregor. attestatur dicens,

1. Corin. 7

Can. Iudæi. 28. q. 1.

Can. Si infidelis. 28. q. 1.

Cõtumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur. Unde Augustin. in sermone Domini, sic uerbum Christi de uxore fornicationis causa dimittenda interpretatur dicens, Idololatriam, omnemque noxiam superstitionem fornicationem esse. Imò uerò Apostolus ipse, Ambro. ibidem interprete in hoc sensu ait, quòd si infidelis discedit, discedat: non enim est seruituti subiectus frater aut soror, in huiusmodi.

Can. Idolatria. 28. q. 1.

Can. Si infidelis. 28. q. 1.

Cap. 4. ¶ Sunt tandem alia crimina, quæ licèt uinculum matrimonij non rumpant, ius tamen tori diuidundi tribuunt: nempe, dum coniux in fœdera matrimonij pernicios us est, ut si uxor uenefica sit, aut quæ liberos enecat: aut si uir sæuitiam in uxorem exercet, aut si alter alterum ad latrocinia uel lenocinia incitat, alioue id genus corruptos mores ei impingere molitur. Idẽ nos Christus curauit admonitos dicẽs, Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs

Matth. 5.

abs te. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam & proijcie abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnũ membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

DISTINCTIONIS TRIGESIMÆNONÆ. Quæſt. vnica. De cultus diſparitate.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm inter infideles legitimum poſſit matrimonium contrahi.

IS, quæ ſuperiori diſtinctione de ſacris ordinibus & ſolenni uoto, nuptiarum uincula dirimentibus diſputata ſunt, proximè de religione Chriſtiana accedit ſermo utrùm dirimere etiam poſſit matrimoniũ Primò ergo quæritur, utrùm inter infideles poſſit matrimonium conſiſtere. Et arguitur à parte negatiua. Matrimonium eſt ſacramentum eccleſiæ: ſed baptiſmus eſt ſacramentorum ianua: ergo infideles, qui non dum baptiſmate loti ſunt, matrimonium inire nequeunt, ſicuti neque alijs ſacramentis exornari. ¶Secundò. Duo mala uehementiùs ſunt boni impedimentum, quàm unum tantum: ſed fidelis cum infideli contrahere nequit: ergo multò minus infidelis cum infideli.

partis negatiuæ. ar. 1.

2. Arg.

3. Arg. ¶Tertiò arguitur, quòd ſaltem inter duos infideles diuerſarum ſectarum matrimonium non ſit legitimum. Diſparitas enim cultus inter Chriſtianum & Gentilem matrimonium dirimit: ergo & inter Iudæum & Gentilem, ſeu inter Iudæum & Saracenum.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium tamen eſt uerbum Pauli. 1. Corinth. 7. ubi ait, Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Vbi infidelem uxorem appellat, quæ ſi uult, ſaluo honore fidei, manere cum uiro fideli ſine nouo conſenſu eſt uera uxor.

Decif. ad

¶Ad quęſtionem duabus breuiſſimis concluſionibus ſub diſtinctione reſpondetur. Matrimonium enim, ut in ſuperioribus monſtratum eſt, trinam induit rationem. Eſt enim contractus naturæ in officium propagationis humani generis. Cedit etiam & in remedium aduerſus concupiſcentiam. Sortiturq́; deinde ſacramenti uirtutem ex inſtitutione Chriſti. Sit ergo prima concluſio. Inter infideles poteſt cõtrahi cõſtareq́; matrimoniũ quatenus eſt naturæ contractus & cõcupiſcentiæ remedium, quod quidem uinculum habet indiſſolubile niſi per ſolam Dei diſpenſationem religionis cauſa diſſoluatur. Concluſio probatur. Natura Deusq́; eius parens & inſtitutor in medijs ad finem neceſſarijs non deficiunt: finis autem propagandi humani generis illico ex eius creatione ortum habuit: ergo & tunc medium ad id neceſſarium fuit inſtitutum: illud autem fuit matrimonium, ut dictum eſt: ergo in ſtatu naturæ integræ inſtitutum eſt, dum dixit Deus, Creſcite & multiplicate, id quod inſinuauit Adam dicens. Hoc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea, propter hanc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: ut latiùs diſt. 26. præmonſtratum eſt. Eadem ratione conſtat, illico poſt lapſum primorum parentum, ut ibidem adiecimus, idem matrimonium in remedium cõcupiſcentiæ ceſſiſſe. Hinc fit matrimonij uinculum, ab illo tunc tempore conditi orbis eſſe ſuapte natura indiſſolubile, ut diſtinct. 27. quæſtio. 2. oſtendimus: nam tale tunc inſtitutum eſt, quale finis eius exigebat, qui erat procreatio educatioq́; prolis, quæ ſine perpetuitate matrimonij fieri nequit commodè. Quocirca Chriſtus Matth. 19. indiſſolubilitatem matrimonij ad priſcam eius inſtitutionem retulit, atque adeò uim antiquæ legis naturæ confirmans concluſit, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Sed nihilominus Deo ipſo autore naturæ diſpenſante per ſuſceptionem Chriſtianiſmi infidelium matrimonium dirimitur, ueluti & inter nos matrimonium ratum per religionis ingreſſum.

Prima concluſio.

Ratio.

Genesis.

Indiſſolubilitas matrimonij

Matth. 19.

¶Quod

Obiectio.

¶Quod ſi mihi legem diuortij obieceris, qua licebat uxores repudiare, iam diſtin. 33. reſponſum reliquimus, credentes, diuortium nunquam tanquam licitum fuiſſe permiſſum, ſed ut impunè fieret. Quòd ſi ſecundùm alios admittatur, diſpenſatũ fuiſſe cum Iudæis, nihil contra nos: quia Deus tanquam autor naturæ diſpenſare poterat. Cum gentibus tamen non uideo quo modo fuerit diſpenſatum, niſi ignorantia eos à culpa exemerit. ¶Secunda cõcluſio. Matrimonium, quatenus ſacramentum nouæ legis eſt gratiam conferens, ante Chriſtum eius inſtitutorem nuſquam gentium extitit. Res eſt liquida, quoniam ſacramenta ex latere Chriſti pendentis in cruce promanarunt, indeq́; per ipſius inſtitutionem uirtutem conferendi gratiam adepta ſunt. Quocirca nec ſub lege Moſayca, neque uerò ſub lege naturæ illis, qui in gratia & amicitia Dei matrimonia conſœderabant, ulla uirtute operis cõferebatur rgatia, neque ſi modò catechumeni matrimonia contraherent. ¶Et hoc eſt, quod primum argumentum conuincit: nam baptiſmus eſt ianua ſacramentorum, & ideo ante ipſum nuptiæ non ſunt ſacramentum: ſunt tamen matrimonium & in officium & in remedium. Quòd ſi contra quis illud obijciat Pauli ad Epheſ. 5. ubi inducens illud, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo in carne una, ſubdit Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & eccleſia: unde inſinuatur ante Chriſtum natum matrimonium fuiſſe ſacramentum. Reſpondetur, ſacramentum bifariam accipi, uno modo ſecundùm propriam, ſed tamen nudam rationem ſacramenti, quæ eſt, eſſe ſignum rei ſacræ, quamuis gratiam non conferat, ut erant ſacramẽta ueteris legis. Et hoc pacto matrimoniũ etiã in lege naturæ erat ſacramentum id eſt, myſterium & ſignũ ſignificans unionem Chriſti & eccleſiæ futuram, per quã nos ſanctificamur. Et hoc eſt, quod ait Innoc. in c. Gaudemus. de diuor. quòd ſacramentũ coniugij apud fideles & infideles exiſtit. Non tamen erat ſacramẽtũ nouæ legis, qui eſt ſecundus modus. ſratio perfecta ſacramenti. ¶Ex his cõſequitur, q̃ matrimoniũ antequàm eſſet ſacramentum, quamuis eſſet perfectum perfectione naturali, ut per quod proles tum gigni poterat, tum naturalibus legibus imbui & educari, non tamen erat omnino perfectum perfectione ſupranaturali, quæ conſiſtit in gratia Dei. Nam etſi poſſent tunc coniuges per conuerſionem in Deum gratiam obtinere, ut dignè poſſent filios procreare, non tamen illam gratiam uirtute matrimonij nanciſcebantur, ad eiuſmodi liberos tanquam filios Dei adoptiuos educandos. Quapropter perfectio matrimonij in lege naturæ erat materialis, reſpectu perfectionis euangelicæ, quæ ceu ſuprema forma ei complementum adhibet. ¶Vnde Magiſter ſentent. præſenti diſt. quem Gratianus ſequitur. 28. quæ. 1. can. Si quis, tres ſpecies matrimonij colligit. Eſt enim coniugium legitimum ſed non ratum, ut inter infideles: quia ſecundùm leges naturales & mores prouinciæ contrahitur, non tamen eſt ratum, quia diſſolubile eſt per repudium. Ego autem dixerim per ſolam ſuſceptionem Chriſtianiſmi. Secundum eſt uice uerſa ratum ſed non legitimum, ut inter fideles clandeſtinum: quia indiſſolubile eſt, ſed præter leges & iuris ſolennitates. Sed tertiũ eſt ratum & legitimum, ut ſacramentum matrimonij ſolenniter celebratum iuxta decretum Euariſti. 30. quæ. 5. can. Aliter. Quanquam profectò ſacramentum gentilium ſimpliciter poteſt dici ratum, quia niſi Deo diſpenſante per conuerſionem ad fidem indiſſolubile eſt, ſicuti & inter fideles matrimonium per uerba de præſenti ratum quidem eſt, licèt per ingreſſum religionis diſſoluatur. ¶Quòd ſi quis argumenta Gratiani obijciat ead. 28. q. 1. in capite. quæ à theologis mutuatus eſt. Omne quod non eſt ex fide, ut ait ad Roma. 14. Pau. peccatum eſt: coniunctio autẽ infidelium non eſt ex fide: ergo eſt peccatũ, ac perinde nec uidetur eſſe matrimoniũ, cùm matrimoniũ ſit à Deo. Item ſecundùm Auguſtinum, Non eſt uera pudicitia hominis infidelis cum coniuge ſua: matrimoniũ autem culpã tollit impudicitiæ: ergo illic nõ eſt uerum matrimonium. ¶Ad primum reſpondetur, ſenſum Apoſtoli nõ eſſe, quòd omnia opera infidelium ſunt peccata, ſed illa, quæ ex infidelitate procedunt. Imò ſenſus eius legitimus eſt, uocare fidem conſcientiã: quod in fit contra cõſcientiam, peccatum eſt. Et ideo neque cõtractus matrimonij inter infideles neque

Alia diluſio.

Secunda concluſio.

Ratio.

Obiectio.

Diluſio.

Matrimonij perfectio diuerſa.

Species matrimonij tres.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Obiectio. 1.

Obiectio. 2.

Diluſio primæ obiectionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius usus, si fiat causa procreandæ prolis seruandæq; fidei uxoris peccatum est, sed est actus moraliter bonus. Attamen absq; charitate nullum opus obtinet uirtutis ab solutè gradum aut uerè nomen, sed est uirtus secundùm quid. Et hoc est, quod ait Augustinus, pudicitiam infidelium non esse ueram uirtutem: quod & de Christianis in peccato agentibus asserere simili modo poterat. ¶ Primum igitur argumentũ iam solutum est. Et ad secundum negatur, duo mala: scilicet, duo infideles plus obstare matrimonio, q̃ obstat Christianus cum infideli: quia in hoc secundo dispartas cultus trahit proles ad diuersos mores & instituta. Quod quidem obstat educationi liberorum non solùm secundum gratiam, quæ est supernaturalis perfectio sacramenti, uerùm etiam secundùm uirtutes naturales, quæ est naturalis eius perfectio: nam ipsæ uirtutes naturales in Christianismo perfectè docentur, in infidelitate uero imperfectè. Quando uerò ambo coniuges sunt infideles, eiusmodi educatio per rationem matrimonij non impeditur: quia non est disparitas cultus. Præterquam quòd ecclesia ius habet super fideles, super infideles uerò non item: quia ut ait Pau. de ijs, qui foris sunt, nihil ad nos. ¶ Circa materiam uero tertij argumenti, si inter infideles ipsos esset cultus disparitas, utpote diuersæ sectæ, quæ matrimonium impedirent, notandum est, quòd ante legem scriptam, cùm non alia uigeret lex, quàm naturæ, nulla erat talis disparitas, sed promiscue omnes gentes poterant inter se iure naturæ matrimonia contrahere. Tametsi Abraham noluerit filio suo Isaac ex gente Chananæa, ubi commorabatur, mulierem despõsare propter mysterium inimicitiarum, quæ inter gentem illam & suam sobolem erant futuræ. Sed Rebeccam ex cognatione sua accersi iussit. Ioseph autem Hebræus Assenem Aegyptiam duxit: & Moyses ipse Sephoram Madianitem. Postmodum uerò sub lege Mosayca Deus populo illi matrimonia cum gentibus terræ promissæ interdixit. Sic enim cautum legitur Deutero. 7. ne cum Hethæis & Gergezæis & Amorræis & Chananæis & Pherezæis & Euæis & Iebuzæis septem gentibus coniugia sociarent. Et ratio erat, ne illorum idololatria & corruptis moribus contaminarentur. Quapropter statuerat Deus gentes illas ex illa terra stirpitus conuellere. Com alijs uero gentibus illud non prohibuit, imò lex erat Deutero. 21. Si egressus ad pugnam uideris mulierem pulchram in medio captiuorum, & adamaueris eam, introeas ad eam, dormiesq; cum ea, & erit tibi uxor. Quod uerbum, ut ait Sanctus Thomas uel intelligitur de alijs nationibus, cum quibus licitè poterant iniri connubia, uel loquitur, quando illa captiua ad cultum & legem Dei conuerti uolebat. ¶ Dubium tamẽ est, utrùm prohibitio illa Deutero. 7. contrahendi matrimonia cum illis septem gentibus intelligeretur solùm tanquàm præceptum obligans ad mortale: an uero tanquam matrimonium irritans, ueluti si modo fidelis cum infideli contraheret. Quod enim in primo sensu duntaxat intelligeretur, inde apparet, quòd post illam legem Salomon duxit Raab ex Hiericho Chananæam, Iosue. 6. & Booz filius eius Ruth Moabitidem, & Hester nupsit Assuero. Et quod urgentiùs mouet Salomon, ut legitur. 3. Regum. 11. duxit alienigenas plurimas, ut filiam Pharaonis & Moabitidas, atque alias ex illis gentib. quas Deus prohibuerat. Et tamen subditur, quod fuerunt ei uxores quasi reginæ septuaginta, & concubinæ trecentæ: ubi uxores nominantur à concubinis distinctæ. Et idem arguitur de Samsone, qui Dalilam duxit è genere gigantæo. ¶ Sed profectò ijs non obstantibus probabile uidetur (quanuis nec contrarium probabilitate careat) intellectum illius legis, illegitimas fecisse personas illas ad matrimonium, nisi uelent ad Iudaismum conuerti, sicut modò non posset infidelis cum fideli contrahere, nisi conuerteretur ad fidem. Et ratio est, quia lex illa erat lex Dei, per quam peculiarem populum ad suum ipsius cultum instituebat: atque adeò tanta fermè erat inter illos fideles & infideles cultus disparitas, quanta modo inter infideles & nos. Non ergo satis uideretur illi populo consultum, nisi matrimonia cum corruptissimis illis alienigenis idololatris inita manentibus in sua perfidia essent irrita. De alijs uero gentilibus non erat par ratio, ut arti. seq. dicturi sumus. Vnde Esdras, ut li. 1. capi. 10. legitur, quia filij Israel præuaricati fuerant, uxores alienigenas ducentes, iussit coegitq́ue illos ab uxoribus illis separari: quod non fecisset, si matrimonia fuissent ualida. Tametsi Aug. ad Pollentium de Adulterin. coniugijs lib. 1. ca. 18. licèt non asserat, insinuat tamen fuisse cõiuges, sed iussu Dei propter periculũ idololatriæ, quod maritis imminebat, fuisse depulsas. At uerò fortasse quando Israelitæ eas duxerunt, fuerunt ad Iudaismum conuersæ, sed postea ad idololatriam reuersæ. Vel fortasse alienigenæ illæ erant ex alijs gentibus, cum quibus non erant matrimonia interdicta. Veruntamen etiã si ex Chananæis & alijs gentibus interdictis aliqui uellent legem circuncisionis p̃fiteri, non erant repellendi, neque ab ipsorum Iudæorum nuptijs arcendi. Lex em̃ generalis extat Exodi, 12. q̃ si quis peregrinorum uellet in eorum coloniam transire, circuncisus admitteretur. Et hoc est quod S. Tho. nuperrimè citatus insinuauit, dicens sub disiunctione, quòd poterãt cum captiuis conciliari connubia, uel ex alijs nationibus, uel si uellent Iudaismum suscipere.

¶ Et ideo ad obiecta respondetur, quòd Raab ad Iudaismum fuit conuersa antequam nuberet Salomon, & pariter Ruth. Hester uerò, ut ex eius historia colligitur, reuelatione & iussu Dei nupsit Assuero. Et Samson Dalilæ. Iudicum enim. 14. legitur connubium illud à Domino factum esse, ut quæreret occasionem eõtra Philistijm. Præterquàm quòd neque Assuerus neque Dalila erant ex alienigenis interdictis.

De Salomone uerò non est tam facilè respondere: nam expressè habet historia, quòd accepit Amonitidas & Sidonias & Hethæas de gentibus, de quibus Deus iuserat, ne cum illis matrimonium contraherent. Attamen in primis, quod in huiusmodi copulandis sibi uxoribus grauissime peccauerit, historia ipsa prædicat & ideo nil mirum si dicamus, quòd ex illis alienigenis uxoribus illæ quidem, quæ ad Iudaismum conuertebantur (quod forsan faciebant, ut tanto fruerentur honore) erãt ueræ uxores: illæ uero, quæ non conuertebantur, erant uxores de facto, cum quibus scilicet de facto contrahebat, non tamen de iure: atque adeo illa matrimonia non erant legitima, ut 33. dist. de libello repudij diximus. Adde quòd filia Pharaonis, & forsan aliarum aliquæ non erant ex interdictis, sed ex alijs gentibus. ¶ Sed aliud quispiam forsan interrogabit, utrum inter ethnicos potuissent respublicæ ciuiles & principes leges condere, quibus matrimonia cum extraneis prohiberent taliter ut nulla essent. Apparet enim id minime potuisse, cùm ius naturæ eam facultatem fecerit uniuersis. S. Tho. hic art. 2. ad 3. arg. nihil aliud respondet, quàm quòd iure naturali aut diuino non prohibetur, quominus quicunque infideles possint cum alijs etiam diuersi ritus & sectæ contrahere: quia apud Deum nihil refert, qualitercunque quis à fide deuiet. Neque uero ecclesia id prohibet, cùm non sint suæ iurisdictionis. Concedit tamen quòd ius naturæ per ius positiuum potest restringi, sed silẽtio de principibus infidelium prætermisit, an possint talia matrimonia cohibere.

¶ Ad hoc ergo dubium primum respondetur, quòd ante orbem redemptum nulli gentium poterant cum Iudæis matrimonia cohibere si uellent Iudaismum profiteri, sicut modo non possunt prohibere cum Christianis si uellent ad religionem conuerti: quia illa erat lex Dei, cui nullũ ius humanum reniti poterat. Secundò dicimus, quòd lex illa iudicialis synagogę prohibens matrimonia cum illis gentib. prorsus iam expirauit: quia tota lex quantùm ad illa iudicialia antiquata est. Et ideo si ipsi quando habebant Rempublicam legem aliam similem non tulerunt, cũ quibuscunque gentium possunt nunc nuptialia consortia confœderare. Tertiò cũ probabilitate possumus asserere, quòd quæcũque respublica etiam infidelium potest leges condere matrimonia irritantes si suæ Reipublicæ expedierit. Verbi gratia, si diuersæ sectæ gentilium inter se inimicitias gererent, posset utraque respublica matrimonia cum altera interdicere, ut non tenerent. Nam matrimonialis contractus est partim ciuilis, qua utique ratione subditur Reipublicæ quatenus ad pacem & tranquillum statum Reipublicæ pertinet: in hac enim parte infideles non sunt fidelibus inferiores: & fideles principes nostri, ut distin. sequenti dicemus, possunt huiusmodi leges facere, nisi ab ecclesia cohibeantur. Ecclesia uerò nõ potest in hac re, quæ ad suam ipsorum attinet Rempublicam infideles cohibere. Hoc dixerim, quia fertur Saracenos lege sua publicè

Dilutio secundæ obiectionis.

Sol. 2. arg.

Tertij arg. supellex.

Isaac & Rebecca.

Ioseph & Assenem.

Lex Moysi.

Ratio illius legis.

Deute. 21.

Dubium circa legẽ Moysi.

Sententia autorũ.

Ratio.

Augusti.

Obiectionum dilutio.

De Salomone.

Dubium.

Sol. S. Th.

Solu. 1. dubij.

Solutio. 2.

Solu. 3.

Saracenorum mos.

blicè lata esse prohibitos cum Iudæis per nuptias commisceri. Quod si ita est, profectò suspicor illa matrimonia non tenere. Et ideo si tales coniuges fidem nostram scirent, deberent ad tollendum scrupulum denuo in matrimonium consentire, alioqui nullum esset. Si tamen lex illa sic inter eos obseruatur, ut non reputetur matrimonium. Et per hæc solutum restat tertium argumentum.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm fidelibus modò liceat cum infidelibus inire coniugia.

EXpedita re de infidelib. quæritur subinde de fidelibus Christianis, utrũ liceat eis cum infidelib. matrimonia cõtrahere. Et arguitur à parte affirmatiua. Antiquo Israelitico populo licebat cum aliquibus ethnicorum, etsi Iudaismum non profiterentur, matrimonia contrahere: ergo non est cur etiã nũc in ecclesia non liceat quia tũc tanta erat cultus disparitas inter illum populum & idololatras, quanta modo inter nos & ipsos. ¶ Secundò arguitur. Sponsalia ad matrimonia ordinantur: sed sponsalia inter fidelem & infidelem sub conditione, si uelit conuerti, sunt firma & obligatoria: ergo & matrimonium.

Partis affirmatiuæ argu. 1.

2. Arg.

3. Arg. ¶ Tertiò. Inter duos Christianos potest esse disparitas cultus, ut si unus esset hæreticus uel apostata, & alter catholicus: sed matrimonium inter istos est ualidum, neque dirimitur: ergo similiter inter fidelem & infidelem matrimonium consistit.

Pars negatiua. ¶ In contrarium est uerbum Pauli. 2. Corinth. 6. Quæ cõuentio lucis ad tenebras? maxima autem temporalis cõuentio, quæ inter homines esse põt, est connubialis: ergo inter eum, qui fidei luce resplendet, & eum, qui tenebris infidelitatis caligat, nequeunt fœdera matrimonialia cõuenire.

1. Conclu. ¶ Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Matrimonium inter fidelem & infidelem & peccatum graue sacrilegij est, quo scilicet sacra religio commaculatur & nullũ est prorsus. Hæc enim proprie est cultus disparitas: quippe cum Christiani uerum Deum colant, infideles uero non nisi falsos. Ob idq; cultus disparitas inter impedimenta connumeratur matrimonium dirimentia.

Quæstio.

¶ De ratione autem & fundamento, cui conclusio hæc innititur, dubitatur, utrùm scilicet sit de iure naturali aut diuino, an uero solo iure Pontificio sancita. Arguitur enim quòd sit de iure naturali. Finis enim naturalis matrimonij est non solùm generatio (quam utique cultus disparitas non impedit) uerùm & liberorum educatio, quæ quidem utrique simul parenti cu ræ esse debet, ut concordi proposito liberos moribus imbuant: fidelis autem infideli in hoc negatio concors esse nequit: quia cùm minimè eandem profiteantur religionem, neque uero eadem sacramenta & sacrificia aut cæremonias colant, uterq; pro lem ad suam religionem pertrahet, atque adeo educatio eius impediretur. Eadem ratione & huiusmodi cultus disparitas secundo matrimonij fini, qui est tranquilla cohabitatio in eadem domo, aduersatur: nam inter quos religio & uitæ institutum non conuenit, reuera pax constare nõ potest, neque amor coalescere.

De iure naturali.

¶ Secundò & eadem conclusio uidetur iure diuino præcepta, ut patet ex illo prælegato Pauli, ubi ad literam commercium fidelium cum infidelibus uetabat, Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei uiui, &c. Et. 1. Corinth. 7. Mulier si dormierit uir eius, liberata est: cui autem uult nubat, tantum in Domino. quod quidem uerbum Pollentius, contra quem Augustinus de adulterinis coniugijs scripsit, glossabat: id est, tantùm Christiano. Vnde colligebat, solùm inter Christianos constare matrimonia, ob idque Apostolum contra præceptum Domini permittere, ut fidelis maneat cum infideli, si uult manere sine contumelia saluatoris. Augustinus uero per distinctionem ei respondebat concedens, illud uerbum intelligi de matrimonio contrahendo, inter fidelem & infidelem: quòd ait esse contra præceptum noui & ueteris testamenti: aliud uerò, quòd manere possit fidelis cum infideli, intelligi de matrimonio in infidelitate contracto: & refertur à Gratia-

De iure diuino.

Paulus.

Tãtum in Domino.

Augustini dilutio.

In domino.

Gratiano. 28. q. 1. cãn. Sic enim. Eadem expositio tantùm in Domino, fuit antiqui Tertulliani lib. 2. ad uxorem, estque Ambrosij in commentarijs eiusdem epistolæ. Et Hieronymi aduersus Ioui. libr. 1. & ad Gerontiam. Item ad idem arguitur exemplo ueteris legis, in qua ut artic. superiori diximus, nuptiæ inter fidelem populum & gentes illas terræ promissæ iussu Dei inhibitæ erant.

De Salomone.

¶ Et tandem arguitur, quòd huiusmodi matrimonium præsentaneum secum adferat periculum peruersionis fidelis coniugis, ut exemplo Salomonis. 3. Reg. 11. cõstat: ubi legitur, alienigenas uxores corum deprauasse & in idololatriam suã immersisse. Idemq; 1. Esdræ. 10. habetur documentum. Et Samsonis coniugium cum Dalila eius fuit internicies. Cuius exemplum inducit Ambro. libr. 9. epistolarum epistola. 1. quæ est ad Vigilium: cum alio de Phinees, qui gladio Hebræum & Madianitem transfixit, ubi multis rationibus probat esse contra ius naturale & diuinũ, ut fidelis cum infideli contrahat. Nã cum ipsum, inquit, coniugium uelamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat: quomodo potest coniugium dici ubi non est fidei concordia? Cum oratio communis esse debeat, quo modo inter disparis deuotione potest esse coniugij communis charitas? Iure ergo diuino & naturali uidetur cultus disparitas matrimoniũ impedire.

Ambro.

De iure Põtificio.

¶ His tamen nihil obstantibus communis opinio tum theologorum, tum etiam Iurisprudentium est, quòd non sit impedimentum dirimens nisi tantum iure Pontificio. Et patet hoc, quia in tota lege euangelica non habetur tale impedimentum matrimonium dirimens. Imò uerò Christus, ut sæpè diximus, nihil iuris naturæ in matrimonio immutauit, præterquàm q fecit, ut esset sacramentum gratiam conferens. Quin euidens argumentum est, non esse de iure diuino eiusmodi matrimoniũ fidelis cum infideli prohibitũ: alioqui per hoc, quòd alter infidelium conuerteretur ad fidem, matrimonium dirimeretur. Quare Paulus non potuisset consulere, quòd si infidelis uelit sine contumelia saluatoris cum fideli manere, eum fidelis non desereret. Neq; uero in ueteri lege, ut præcedenti art. dicebamus, connubium erat cũ

Rõ prima.

oĩbus infidelibus fidelibus interdictũ. Sed solùm cũ septem illis gentibus terrę promissæ propter imminens periculum idolatrandi. Quod Christus suę familiæ nõ usq; adeo timuit, sed suæ ecclesiæ rem cõcredidit, ut de huiusmodi connubijs disponeret. Et quicquid fuerit de illa uetusta lege, legalia eius iam cessauerunt. Et uerbũ illud Paulinum, nubat tantum in Domino, Calixtus in epistola ad uniuersos Galliarum episcopos, atq; alij non exponũt, nisi q nubat tantum regulariter: id est, secundum leges coniugij. Admonet enim ut matrimonium fiat ad gloriam Dei. Et hic est legitimus sensus. Sed nihilominus licèt fiat in peccato, non propterea dirimitur. Adde, quòd neq; omnia Pauli præcepta sunt de iure diuino, ut supra inter tractandum de bigamia dicebamus. Neq; illud, Quæ conuentio lucis ad tenebras? cõ nubiale cõmercium expresè uetat. Quin adde, q si ius positiuum non obstaret, euenire posset, ut salubre esset fideli cum infideli contrahere: scilicet, quando certus esset sibi non imminere periculum, sed spes ei fieret, quòd posset infidelem lucrifacere. Tunc enim consulit Paulus, ne fidelis infidelem deserat. Quare & posset illam ducere.

Can. Sicut alterius. 7. q. 1.

Autoris solutio.

¶ Apparet ergo cum moderamine & temperata distinctione respondendum. Aliud enim est de impedimento loqui, ne tale matrimonium fiat, aliud uero de impedimento illud dirimente. Enimuero, iure ét Pontificio secluso, stando in mero iure naturali & diuino, si Christi fidelis cum infideli contraheret, illud esset genere suo mortale, nisi aliqua urgens uel expediens cã culpam excusaret. Et hoc est quod ait Aug. esse contra præcepta ueteris & noui testamenti. Præceptum enim noui testamenti appellat illud Pauli de filijs Belial cum filijs lucis: & illud, Nubat tantum in domino: quæ non sunt propriè præcepta diuina. Sed re uera rationes inductæ id cõfirmare uidentur: uix enim absque imminenti periculo fidei tale matrimonium iniri posset: quin in magnam iniuriam fidei resultaret, religioque Christiana maxime inde contenebresceret: si filij Belial legibus connubialibus cum filijs lucis cõmiscerentur. Et ægrè fieri posset, quominus liberi in periculo uersarentur deflectendi ad infidelitatem, ut patet, si modò

Aug. c. Sic enim. in fine. 28. q. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Conclu. dò Christiana fœmina Iudæo uel Saraceno nuberet. ¶ Statuitur nihilominus præsentis articuli secunda conclusio. Matrimonium per cultus disparitatem dirimi, ius est mere positiuum ecclesiasticum. Sed tamen re uera si decreta consulas, neque hoc in iure alicubi apparet expressum, nã omnes, qui citantur canones, sunt sanctorum patrum, ut Augustini, Ambrosij aut Cypriani, aut cõciliorum prouincialium. Asserta uero sanctorum, nisi publica autoritas uniuersalis ecclesiæ accedat: nempe, Pontificis, aut œcumenici concilij, non habent uim aut articuli fidei aut legis ecclesiam obligantis. Neque synodi prouinciales sine uniuersali talem habent autoritatem. Item cano. Caue. 28. q. 1. Ambrosius non solùm cauere iubet connubia cũ Gentili aut Iudæo, uerum eodem uerborum tenore etiam cum hæretico. Et similiter ca.

Nota.

Can. Cau. Non oportet, concilium Agathense cum hæreticis prohibet iniri coniugia: & tamẽ connubia cum hæreticis, ut paulo post uidebimus, non dirimuntur. Et can. Si quis Iudaicæ. cohibens connubia cum Iudæo non est nisi concilij prouincialis Vrbanensis. sicuti & conci. Toletanum. 3. quod ca. 14. id ipsum prohibet. Neque loquuntur nisi speciatim de Iudæis. Imo sunt qui dicant, nullum uniuersale concilium quidpiam de hac re decreuisse. Sed isti non uiderant conci. Calcedonẽse œcumenicum unumq; ex quatuor præcipuis, ut ait Gregor. ubi cap. 14. fidelium nuptiæ cum infidelibus iniri prohibentur. Similiter tamẽ cum hæreticis: & ideo quia si cum hæreticis contrahantur, non dirimuntur, non inde clare colligitur, quòd si cum infidelibus copulentur, sint dirimenda. Igitur, in nullo citatorum canonum, neque alibi in iure expresse habetur, quòd matrimonium, si inter fidelem & infidelem contrahatur, sit dirimendum, sed solùm præcipitur ne fiat. Nam c. Iudæi. 28. q. 1. de matrimonio inter infideles contracto cùm alter coniugum fidem susçipit, præcipit, ut dirimatur.

Cõci. Calcedonẽse.

Cypria. Atqui & Cyprianus in sermone de lapsis licèt ad malos mores pertinere cõfirmet, iungere cum infidelibus uincula matrimonij, insinuat tamen tunc in more fuisse talia connubia, & tamen dissoluere ea non iubet, sed ait, illud esse prostituere gentibus membra Christi. Quam quidem Cypriani sententiam referens Augusti. lib. 1. de fide & operibus cap. 19. ait (quasi cõsuetudinem deplorando) Nostris temporibus iam non putantur esse peccata: quoniam re uera in nouo testamento nihil inde præceptum est: & ideo aut licere creditum est, aut uelut dubium derelictum est. Ex quibus sanctorum uerbis colligitur, illo seculo morem uiguisse, ut fideles cum infidelibus nuptias texerent.

Augu. lib. de fide & operib.

Nota. ¶ Hæc autem dicere constituimus, nõ quidem ad infirmandam conclusionis catholicam ueritatem, sed ut huic, quæ eius infirmitas uidetur, medeamur. Conclusionem ergo mos uniuersalis ecclesiæ receptissimus satis superq; confirmat. Neque catholicis alia est exploranda ratio, sed ut hæreticis etiam respondeatur, dicimus, ecclesiam sanctorum testimonijs & rationibus præfatis edoctam, imò traditione apostolorum instructam & sancto flamine irradiatam hanc sustinere ueritatem, ut matrimonium inter fidelem & infidelem si contrahatur sit nullum. Quoniam non opus est, ut omnes ecclesiæ consuetudines sint scriptis mandatæ aut inter decreta relatæ dicente Apostolo. 2. ad Thessalo. Tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem siue per epistolam nostram. Neque uero illo seculo prope ætatem Cypriani aut Hieronymi hæc cœpit institutio, sed certe ab apostolis, licèt tunc nequam Christiani sanctum morem corrumpere pergerent, quibus ideo sancti patres reclamabant. Quinimo ætate apostolorũ in contrarium plus iusto Christiani propendebant: scilicet, ut cùm primùm quis fidem susciperet, coniugem desereret. Cui quidem mori Paulus se se obiecit consulens, ut si coniux infidelis cum fideli uellet sine iniuria Saluatoris manere, non repelleretur, sed potius fidelis eum lucrifacere satageret.

Conclusio more seruatur.

Prohibitionis humortus.

Tempore apostolorum. Paulus.

¶ Hinc fit, quòd quanuis fidelis cum catechumena antequam sacramentum susciat contrahere tentet, non obstãte quòd illa credatur in gratia & amicitia Dei existere, matrimonium sit nullum. Et ille est sensus Ambrosiani uerbi citato cap. Caue. quòd etsi Christiana sit: nempe, catechumena, non est satis, nisi ambo initiati sint sacramento baptismatis. Etenim cùm matrimonium uerè sit sacramentum, & & baptismus sit omnium sacramentorum ianua, per quem homo peccatis moriens & ad

Cum catechumen.

Ratio.

& ad innocentiam resurgens, ceu uirgo uti ait Paul. Christo nubit, fit ut legitima materia matrimonij carnalis contrahendi non sit nisi Christianus cum Christiana: nempe, ut spirituale matrimonium carnali antecedat. Quocirca legibus ciuilibus ijs Christianis, qui talia intentant sacrilega matrimonia, potius facta, quàm uera, decreta sunt supplicia, ut. l. Nequis Christianam. C. de Iudæis. ut scilicet tanquam adulteri puniantur.

Pœna.

Cõci. Calcedonen. ¶ Vnde uerbum concilij Calcedonensis supra citati, quo Christianis non permittitur in sacramento coniugij iungi Iudæo uel pagano, nisi forte spoponderit se uenire ad orthodoxam fidem, intelligitur de sponsalibus sub conditione suscipiendæ fidei. nam si intelligatur de matrimonio de præsenti, nullum erit antequam fidem ille per baptismum susçipiat. Glossa nanq; super cap. Veniens. de presbytero non baptizato. quæ ait, ante baptismum fluminis solum flaminis sat esse, ut possit quispiam sacramentum eucharistiæ susçipere, explodenda est tanquam erronea. Imo esset peccatum illud susçipere, & ei ministrari. Sed glossatorem uerbum textus fefellit, quo uidetur Innocentius insinuare, baptismũ non esse ianuam omnium sacramẽtorum, quod quidem ut dist. 26. q. 2. art. 3. in fine, præmonuimus, non nisi narrando & disputando refert, imò contrarium ibi de presbytero non baptizato definit.

Glo. capi. Veniens.

Capi. Veniens intel lectus.

¶ Ex hac secunda conclusione responsum colligitur si quis scisçitetur, utrum Papa possit dispẽsare, ut fidelis cum infideli per matrimonium copuletur. Etenim cùm super omne ius positiuum Papa ex rationabili causa dispensare queat, fit ut super eiusmodi matrimonium id ipsum ualeat. Imò quanuis absque ulla causa ut contraheretur dispensaret, matrimonium teneret. Sed tamen absque urgentissima id facere fas non esset.

Solut. primi argum.

¶ Ad primum igitur argumentum posset quis forte neque absq; omni prorsus probabilitate respondere, quòd Iudæis cum nullis infidelium fas erat matrimonia contrahere, nisi circuncisionis legem susçiperent. Vt lex illa Deutero. 21. de cõtrahendo cum captiuis fœminis intelligeretur; si uellent Iudaicam legem susçipere: nam ea dẽ ratio militare uidetur de omnibus idololatris, quæ de Chananæis propter cultus disparitatem: & propter periculum Iudæis oblatum idololatrandi cũ uxoribus. Nihilominus secũdum aliam opinionem respondetur, quòd non erat tunc tanta cultus disparitas inter Iudæos & gentes, quanta modo inter nos & infideles. Et ratio est, quia lex illa non obligabat uniuersum orbem, sed peculiarem illum populum. Quocirca in lege naturæ poterant homines saluari. Et ideo ratio fidei synagogæ non excludebat naturale ius matrimonij cum alijs gentibus: quanuis per accidens peccatum esset cum illis contrahere, si periculũ Iudæo crearetur idololatrandi. Et ideo non nisi peculiariter fuit illis interdictum matrimonium cum illis idololatris terræ promissæ. Sancta uero lex euangelica non uni angulo, sed uniuerso orbi proposita est, extra quam nemini patet salus: ob idq; adeò Christianis cũ omnibus infidelibus inhibitæ sunt nuptiæ. Adde quòd tunc matrimonium non erat sacramentum, uti est modo: quare ex natura eius non repugnabat cum infidelibus copulari: modo autẽ carnales nuptiæ matrimonium spirituale cum ecclesia in illis prærequirunt, qui futuri sunt coniuges.

Alia solutio.

Discrimen legis ueteris & nouæ.

Aliud discrimen.

¶ Ad secundum respondetur, consequentiam non ualere. Quoniam sponsalia non secum commercium adferunt indissolubile, ut matrimonium: & ideo nihil obstat quominus ualeant sub conditione profitendi fidem confœderari.

Solutio secundi.

¶ Ad tertium denique egregie diuus Thomas respondet, quòd cùm matrimonium sit unum ex septem sacramentis eam præcise ut necessariam exigit paritatem cultus, quæ pertinet ad sacramentum fidei: hoc est, ad baptismum, quo fit professio fidei. Non tamen quantum ad necessitatem exigit paritatem fidei interioris. Quam ob rem hoc, de quo modo agimus, impedimentum non dicitur disparitas fidei: nã illa esse potest in coniugibus corrupta, sed disparitas cultus, qui quidem cultus ad externum in operibus seruitium & religionis imaginem spectat. Cùm ergo hæretici re uera sint Christiani, characterem Christianismi seruantes, imò & apostatæ, licèt à fide descisçentes ad aliam sectam perfugiant, quanuis cum illis matrimonium contrahatur, non ideo est irritũ, sed ualidum. Est tamen peccatum mortale cum hæreticis contrahere propter periculum. Et hoc significatur citatis canonibus

Solut tertij.

Disparitas cultus.

Matrimo. cum hæreticis.

Seruius legit Deutero. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nibus Caue,& non oportet. 28. quæstione prima. ubi cum hæreticis matrimonia interdicta leguntur. Nam cùm Paulus admoneat,hæreticum pertinacem euitare,& Ioannes prohibeat, Aue peruersis & corruptoribus fidei dicere, plane colligitur, multo minus licere consuetudinem, quanta est inter coniuges, cum illis cõtrahere.

ARTICVLVS III.

Vtrùm coniux ad fidem conuersus possit cum coniuge eandem fidem renuente commanere.

POSTQVAM de contrahendo matrimonio inter fidelem & infidelem dictum est, quæritur de contracto inter infideles, utrũ per conuersionem alterius coniugis non dirimatur,sed possit fidelis cum infideli commanere. Et arguitur à parte negatiua. Vbi idẽ periculum extat, eadẽ debet adhiberi cautela: propter periculum autem subuersionis fidei prohibetur fidelis ne cum infideli contrahat, imò eiuscemodi matrimonium dirimitur: ergo cùm idem sit periculum dum matrimonium fuerat in infidelitate contractum,necessariò per conuersionem alterius altero eandem conuersionẽ renuente dirimitur.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Arg. ¶Secundò. Si fidelis posset cum infideli coniuge commanere, consequens fieret, ut ad id quoque obligaretur,saltem si spes esset conuersionis eius, tum quòd contra charitatem esset eam dimittere, cuius saluti retinendo consulere uir posset, tum quòd etiam esset contra iustitiam soluẽdi debitum,quod coniux exigere potest.

3. Argum. ¶Tertiò. In concilio Toletano.4. ut can. Iudæi.28. quæstione prima.relatum est,iubetur,ut Iudæi,qui Christianas habent uxores: nempe, quæ post matrimonium in Iudaismo contractum conuersæ sunt, admoneantur eandem fidem Christianam cum uxoribus profiteri,alioqui ab eisdem uxoribus distrahantur: ergo non potest fidelis cum infideli manere.

4. Argum. ¶Quartò arguitur. Matrimonium inter fideles contractum præstãtius est illo,quod inter infideles initur: sed si fideles contrahant in gradu prohibito, matrimonium dirimitur: ergo si conuersus in infidelitate contraxit cum consanguinea,non potuit eam retinere.

5. Argu. ¶Quintò. Sequeretur, quòd si ille in infidelitate plures habuisset uxores, quas legitimè ducere quiuerat, posset manere cũ omnibus: consequens tamen est falsum, quia id per legem euangelicam non licet: ergo in tali casu cum nulla manere potest.

6. Argu. ¶Sextò. Vsu etiam venire potest,ut infidelis uxorem aliquam repudiasset, aliamq; subinde duxisset, quod secundùm ritum suum legitimè facere poterat: ergo tũc saltem si huiusmodi infidelis conuertatur, nequit cum illa secunda manere.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium autem est consilium Pauli 1. Corinth. 7. ut si infidelis manere possit sine contumelia Saluatoris,fidelis coniugem illum non expellat, sed studeat lucrifacere.

1. Concl. ¶Ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima,eademq; capitale fundamentum sit. Matrimonium inter infideles legitimè contractum per conuersionẽ ad fidem catholicam siue amborum simul coniugum,siue unius tantùm, non necessariò dirimitur. Hanc conclusionem Augu. contra Pollentium de adulterinis coniugi. qui contrarium asserebat,constituit: cuius lata disputatio atque decisio refertur can. Sic enim. 28. quæst. 1. Eandem conclusionem præfixerat idem August. in lib. de sermone Domini in monte. Vnde Innocentius. cap. Gaudemus. de diuort. Per sacramentum,inquit, baptismi non soluuntur coniugia,sed crimina diluuntur. Ratio autem cõclusionis,illaq; optima est,quòd fides naturam non tollit neque eius iura, perficit,cùm ergo matrimonia, ut dictum est, inter infideles iure naturæ coalescant & consistant, professio fidei catholicæ per se eiusmodi uincula non rumpit, nisi aliquod obstaculum fidei inde obijciatur.

Augusti. Rõ cõclu.

Conuersio infidelium multiplex. ¶Igitur de conuersione infidelium, cuius titulus lib. 3. Decretalium extat, pluribus est modis distinguendum. Aut enim ambo conuertuntur,aut non nisi alter. Si ambo,nemo dubitat,quin matrimonium antiquum sine nouo consensu permaneat. Id nanque ex conclusione modo præfixa subsequitur: quia cùm per se fides naturã non destruat neque alius inde obex fidei obijciatur, certum est matrimonium persistere. Si uerò non nisi unus,eam,altero repelente,fidem suscipiat, tunc aut infidelis ille adeò est pertinax,ut sine Saluatoris cõtumelia

2. Conclu. tumelia cohabitare nequeat cum fideli.

Ratio prioris partis. ¶Et tunc sit secunda conclusio. In tali casu fidelis nequit,neque unquam quiuit cũ infideli cohabitare, sed saltem quoad torum tenetur,tenebaturq; apostolorum seculo ab illo discedere: quanuis,per hoc solùm matrimonium non dirimebatur quo ad uinculum. Probatur prius membrum: quoniam cùm per fidem fiat connubium spirituale & supranaturale cum Christo, quodquidem longè præstantius est carnali, fides naturalis soluendi debitum coniugi cum detrimento fidei,quæ Christo præstatur,non est seruanda, imò frangenda.

Alia cõfirmatio. Et confirmatur, quia cùm hæreticum pertinacem iubeat Paulus euitari, à fortiori est infidelium,qui Christi fidem blasphemãt,consortium,etiam connubiale, uitandum. Atque hic legitimus est Apostoli sensus. 1. Corinth. 7. qui locus ex Ambrosio citatur,can. Si infidelis. 28. quæstione prima.ubi ait Paulus,Si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater aut soror in eiusmodi: in pace autem uocauit nos Deus.

Ratio secũdæ partis. ¶Secundum uero conclusionis membrũ: scilicet, quòd matrimonium non protinus dirimatur(quod art. 5. apertiùs confirmabitur)obiter nunc probatur. Nam quãuis post conuersionem unius coniugũ alter paulo tempore conuerti renuat, si tamen antea quàm fidelis ad alias transeat nuptias,ad cor rediens conuertatur, matrimonium antiquum custodiendum est.

3. Conclu. ¶Tertia conclusio. Si infidelis, quanquã baptismum renuat, non tamen adeo sit iniquus, quin uelit absque iniuria fidei & contumelia Christi cum coniuge fideli cõmorari, potest, si Apostolica uerba consideres, fidelis cum eodem infideli coniuge cohabitare & rei uxoriæ cum illo uacare. Imò uerò quandiu spes durat eius conuersionis consilium est Pauli cum illo uiuere. Hæc conclusio habetur apud Apostolum. 1. Corinth. 7. quam Augustinus locis citatis in libro. de sermone Domini,& ad Pollẽtium ceu catholicam defendit. Ait quippe illic Paulus,Cæteris (id est, indispari cultu coniugatis)ego dico,non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo(fidem scilicet non aspernando nec contumelijs afficiendo)non dimittat illam. Verbo enim illo,dico ego,non Dominus,docet,non est se præceptum Domini manere cum tali infideli,sed suum ipsius consilium, sicut paulò inferiùs de uirginitate subdit dicens, De uirginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Pari nanque consilio admonet fidelem coniugem ne infidelem dimittat: sanctificatus est enim,inquit, uir infidelis(idest sanctificari assolet)per mulierem fidelem:& sanctificata est mulier infidelis per uirum fidelem. Dixerim,si apostolica uerba consideres,quia utrùm nũc idem mos in ecclesia uigeat,illico uidebimus. Illa ergo uerba can. citato. Sic enim,scilicet. Non nisi eiusdem religionis & fidei coniugia maneant copulata, falso tanquàm Augustini citantur, sed erant Pollentii negantis posse fidelem cũ infideli in matrimonio prius contracto manere. Et ideo Aug. respondet, quòd licèt non possint talia matrimonia contrahi,possunt tamen in infidelitate contracta manere.

4 Conclu. ¶Quarta conclusio. Quanuis infidelis uelit sine contumelia seruatoris commorari cum fideli,fidelis non tenetur, neq; tempore apostolorum tenebatur manere, cũ illo, sed erat ei liberũ uel abiicere coniugem,quo ad torum,uel retinere. Conclusio colligitur ex uerbis Apostoli dicentis, Ego dico,non Dominus,ubi insinuat,non esse præceptum commanendi, sed facultatem,& quandoque consilium. Idque subinde Apostolus uerbis citatis insinuat dicens, Non enim seruituti subiectus est frater aut soror in eiusmodi: non enim id tantùm significat, quòd quando infidelis discedit, tunc fidelis debeat discedere, sed quòd siue infidelis discedat siue manere uelit,non est ei subiectus fidelis, sed possit,si libuerit,eum relinquere,nec cogitur cum illo manere, nisi ille catholicam fidẽ optauerit. Et ideo non iubet,ne discedat: quia ius etiam tunc habet discedendi, sed consulit,ut non discedat. Et ratio conclusionis est, quia secundum aliam atq; aliã uitam diuersa homini competunt & expediunt: per baptismum autem homo moritur priori uitæ & resurgit in nouam: est. n. baptismus regeneratio quædam, ut ait Christus: ergo ille tunc homo liber à seruitute præteritæ uitæ fit, ad quam præcedens matrimonium attinebat,atque adeo liberum eidem deinde fit,uxori,etiam optanti manere cum illo debitum reddere uel

Ratio.

Pau. 1. Co 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uel negare: sicuti qui statum religionis profitetur in sua habet potestate illa uota, quæ in seculo fecerat, eidemq; religioni non aduersantur, aut perficere, aut missa facere.

Durãdus. ¶Durand. rationes has debiles esse censet. At uerò quanuis non sint demonstratoriæ, tamen supposita ueritate, quæ ex verbis Pauli colligitur, re uera sunt satis ad rem aptæ. Enimuero ut per baptismum à peccatis & infidelitate liberamur, ita & à seruitute, quæ erat in illa lege infidelitatis & peccati à qua periculũ imminet peruersionis. Adde quòd cum in infidelitate nemo saluari ualeat, status fidei liberat hominem à seruitute matrimonij, quæ erat in illo statu. Quare sub lege naturæ si quispiam ad iudaismum conuerteretur, non ei suffragaretur eadem ratio, ut posset uxorem non conuersam deserere: quia illa poterat in lege naturæ salua fieri. Præterea id per similitudinem confirmatur. Infidelitas enim fornicatio quædam spiritualis est: ergo sicut ob carnalem fornicationem si obstinata uxor fuerit, debet innocẽs cõiux, ut dist. 36. dicebamus, eam deserere: si autem pœnitentia ducta emendetur, peteſt eam innocens retinere, sed non tenetur, imò si uelit potest eam relinquere: ita olim usu & more in conuersione infideliũ seruabatur. Et est animaduertendum, pari iure sub lege his quatuor conclusionibus explicita, maritum & uxorem militare: nihil enim refert, maritus ne sit ille q prior conuertitur, & uxor, quæ eum relinquit, an uice uersa uxor conuertatur, & maritus eam relinquat. Etenim infidelis est, qui dicitur relinquens dum non uult fidem suscipere & fidelis relinquitur, ut eod. cap. citato. Si infidelis, ait Gregor. Ait quippe, quòd ius matrimonij soluitur per contumeliam circa eum, qui relinquitur, putà, circa fidelem, qui iure soluitur cohabitandi cum infideli. Quasi dicat, non perinde solui circa relinquentẽ: scilicet, circa infidelem, qui iure diuino tenetur baptismate lotus suum coniugem sequi. Quare infidelis discedens & in Deum peccat (baptismum respuens) & in matrimonium, quod sua causa dissoluitur. ¶Sed rogas. Quidnã est, infidelem manere nolle sine contumelia Saluatoris? Videtur enim nemo absque illa manere posse: quoniam ipsa eadem opera infidelitatis exercere est contumelia Saluatoris. Respondetur, quòd illud exercitiũ præcisè antequàm fides suscipiatur, non censetur in præsentia contumelia Saluatoris, sed si Christum blasphemet, aut in ipsius fidem conuitia iactet, aut si fidelẽ coniugem ad suam sectam peruertere moliatur, aut alia morum corruptela inficere: tunc enim eius est consortium propellendum. Cætera inter soluenda arguméta clariùs elucescent.

Simile. Gregor. Dubium.

Error primus. ¶Ex primo igitur argumento duo oborti sunt errores. Pollentius quippe, ut supra diximus, credens prohibitionem esse diuinam matrimonij inter fidelem & infidelẽ, dixit. Paulum contra eiusmodi prohibitionem permisisse fidelem cum infideli manere. Alii, etiam è Iureconsultis, è conuersionis permissioni Pauli plus iusto insistentes aiunt, ecclesiam contra mentem Apostoli inhibere ne fidelis cum infideli cõtrahat. Vterque uerò error ex ignorantia distinctionis pullulauit. Aliud enim est, ut ait Augustinus contrahendum prohibere, aliudq; contractũ dissoluere. Facilius enim res, ne fiat, prohibetur, quàm facta, rescindi tur. Consultissima ergo ecclesiæ prohibitio matrimonium, si inter fidelem & infidelem contrahatur, irritantis & cassantis, minimè contraria est Apostolo consulenti, ne si in infidelitate fuerit contractum, dissoluatur. Neque consilium Pauli est cõtra Dei iussionem: quia Deus núquam cohabitationem fidelis cum infideli omnino cohibuit.

Error secundus.

Sol. 1. arg. ¶Secundi autem argumenti quod contra quartam conclusionem obiectum est, negatur consequentia: quoniam susceptio baptismi in libertate hominem constituit, ut tanquam nouam uitam professus non teneatur antiquæ seruire, atque adeò neque coniugi in illo antiquo instituto persistenti, sed solùm est opus misericordiæ, quod ideo in rigore iustitiæ non obligat.

Obiectio. ¶Et per hoc aliud soluitur argumentum, quod quis ab adulterio ducere potest. Dũ ambo cõiuges sunt adulterio commaculati, quanuis unus per pœnitentiam emendetur, non potest ab altero diuortium facere: ergo neque si ex duobus infidelibus unus conuertatur. Negatur enim cõsequentia: quoniam pœnitentia non est regeneratio in nouam uitam, & mors prioris, ut baptismus. ¶Quod si rursum arguas. Saltem si consummatum fuerit matrimonium uir

Aliud arg. detur

detur coniux non posse absque consensu alterius Christianismum profiteri, sicut nequit Christianus sine consensu Christianæ uxoris ad religionem trãsire. Negatur consequentia: quoniam susceptio baptismi non est solùm perfectior status, ut religio, sed mors in Christo, cui, ut ait, Paul. illic cõsepelimur, & regeneramur: & ideo sicut per mortem temporalem uiri, ut idẽ ait Apostolus, mulier nexu coniugali soluta est, ita & per baptismũ obligatione soluitur reddendi debitum infideli: quare eius consensus non exposcitur. Præsertim quòd religio non est de præcepto, sed de consilio: præceptum uerò suscipiendi baptismi uniuersos obligat mortales: & ideo culpa infidelis coniugis est, quod alterum in fide suscipienda non imitetur. ¶Arguitur autem præterea, quòd saltem postquã ille, qui conuersus est, infidelem coniugem cognouerit, non possit eam relinquere, ut patet ex similitudine à fornicatione carnali ducta: si enim maritus uxorem, cuius adulterij conscius est, agnouerit, non potest eam dimittere. Respondetur autem, exemplum non omnino conuenire: quoniam culpa fornicationis carnalis per carnalem copulam coniugis censetur condonata: fornicatio uerò spiritualis minimè.

Alia obiectio. Dilutio. Aliud arg. Soluitur.

¶Aliud argumentum etiam contra eandem quartam conclusionem militare uidetur de seruitute: quoniam seruus conuersus ad fidem, ut. 1. ad Timoth. 6. ait Paul. non fit à seruitute immunis: tanta autem uidetur obligatio matrimonij, quanta seruitutis: ergo per conuersionem non deobligatur coniux ab alterius iugo. Negatur minor, saltem obligatio coniugalis & seruitutis non est eiusdem generis: primùm, quia coniux non est alteri alligatus coniugi tanquàm eius possessio, ceu est seruus sub potestate Domini, sed per modum societatis cuiusdam, ut. 1. Corinth. 7. docet Apostolus. Præterea seruitus perfectioni Christianæ non repugnat, imò ad eius humilitatem spectat: esse autem Christianũ infideli alligatum, eidem Christianæ professioni multùm derogat. Et per hoc alia soluitur redargutio. Si quis ancillam, cuius conditionem nouit, uxorem ducat siue seruus siue liber, non potest eam relinque re: ergo neque fidelis infidelem. Negatur enim consequentia: nam cultus disparitas simpliciter facit personam illegitimam ad

Obiectio.

contrahendum: seruitus uerò non nisi quando ignoratur. ¶Dubitatio tandem huc subit, quando alter infidelium conuertitur, proles quem sequi debeant. Videtur enim quòd debeant sequi matrem, sicut in seruitute, cano. Liberi. 32. quæstio. 4. Veruntamen distinguendum est. Si enim filius est doli capax, non est cogendus ad fidem. 23. quæstio. 5. cano. Ad fidem, & 45. distinct. cano. De Iudæis. Quare siue pater siue mater conuertatur, suo arbitrio filius relinquendus est, & solis rationibus & monitis adducendus. Si uerò non est doli capax, debet sequi cõditionem fœliciorem. Quare si pater conuertatur, illi adiudicandus est, ut capit. Ex literis. de conuersio. infideli. Etsi mater, etiam eandem sequi debet, ut capit. Iudæi, quod nunc tractamus. 28. quæstio. 1. Et ratio est, quòd alteruter coniugatorum fidem suscipiat, acquirit ecclesia eum cogendi, ut filios baptizet, Canon. cùm multæ. 15. quæstione. 8. Non ergo eadem est ratio, quæ de seruitute: nam illa propter rationes, quas distinctione. 35. posuimus, sequitur uentrem, religio uerò fidem. Solet præscribi tempus septennii, ut dicatur proles non doli capax, nam illuc usque durat infantia: sed tamen potiùs ad lucem rationis, quæ in prole fulget, spectandum est: quanuis in re dubia in fauorem fidei est inclinandum.

Dubium. Can. Iudæi.

Sol. 3. arg. ¶Ad tertium argumentum posset uno modo responderi, canonem illum Toletanæ synodi non esse uniuersalem, sed peculiarem de Iudæis, eisdemque masculini generis. Loquitur enim de matrimonio in Iudaismo contracto: admonetq; ut si uxores fidem catholicam profiteantur, uiri admoneantur, quòd si cum eisdem uxoribus manere uoluerint, Christianismum suscipiant, alioqui separantur: quia cùm perfidia Iudæorum peior sit quàm ethnicorum infidelitas, maioriq; odio Crucem Christi insectentur, præsentaneum periculum à maritis crearetur uxoribus, ne ab illis peruertãtur. Quare dicere quis posset, eundem canonem ad alios infideles non protendi.

Distinctio trinm temporum. ¶Sed nihilominus Diuus Thomas, & Ricardus & aliorum pleriq; prudentius tria tempora dignoscunt. Primus enim decursus processit ab Apostolorum ætate per annos sexcentos, quo quidem seculo feruor

Universidad de Deusto
Biblioteca

uor sanguinis Christi durauit, atque adeò conuersio infidelium omnium, etiám Iudæorum, frequens erat. Quo ideo tempore consilium Apostoli usu seruabatur, ne fidelis coniux infidelem abijceret, sed illum ad Christum adducere studeret. Et præterea ne coniugati metuentes à coniugibus suis distrahi, grauem & odiosam haberent catholicam fidē, ab eaq; suscipienda absterrerentur. Illoq; medio tempore floruit Augu. qui illud Apostoli consilium contra Pollentium asseruit. Aliud deinde subsecutum est seculum, quo Iudæi, potissimum in Hispania, obstinacius suam perfidiam tuebantur. Et ideo tunc circa annum Domini DCXL. facta est Toleti illa Synodalis constitutio, ut Iudæi nisi admoniti Christianismum susciperent, ab uxoribus distraherentur. Gentilium uerò mariti non cum tanto rigore, à Christianis uxoribus abigebantur. Iametsi eodem concilio aliud adiectum sit decretū, quod refertur cano. Sæpè, eadem causa & quæstione, quo iussi sunt Christiani infideliū consortia uitare. Postmodum uerò seculorum successione usus inoleuit ecclesiæ, ut nemo infidelium cuiusuis sectæ fideli coniugi commorari permittatur. Neque uerò mos iste Paulino consilio contrarius est: nam cùm consilium illud non sit diuinum ius, sed tantùm Apostoli quatenus ecclesiæ pastoris, potuit post eadē ecclesia pro temporum uarietate & conditione diuersa idem interpretari aut mutare consiliū. Intellexit nāque neminem infideliū postquàm admonitus renuerit fidem suscipere, ullam de se spem relinquere conuersionis, atque adeò neq; tutò posse absque in iuria fidei & Christi contumelia cum coniuge fideli uitam ducere. Fine autem & ratione, ob quam condita est humana lex, in uniuersum cessāte, lex ipsa aboleri debet.

Dubium. ¶Quòd si roges, utrùm si nunc ulla spes existeret conuersionis coniugis, posset fidelis cōsilium Pauli sequi? utpote si admonitus non sic fidē respueret, ut spem prorsus suæ conuersionis extingueret, sed dicere temporis se fortasse decursu nomen in

Solutio. Christianismum daturum? Respondetur, minimè id licere, nam lex non respicit ea, quæ raro accidunt, sed quæ plurimùm cōtingunt. Et ideo postquam ab ecclesia prę scriptus est modus, quæcunque alia spes affulgeat, ille seruandus est. Admonēdus, inquam, & requirendus est ecclesiastico more: quòd si in mora fuerit cōuersionem procrastinando, non dutiùs expectandus est, sed diuortium fieri debet. Veruntamē iustum legitimumq; tempus expectandū est, quo possit catechismis erudiri.

De Infidelis.

¶In Insulis uerò & in alijs infideliū prouincijs, ubi cōuersiones crebriùs fiunt, Papa posset, imò uerò episcopus, inducias illas, quando fœlix euentus speraretur, nec quippiam periculi superesset, prolongare. Nam cùm hac prohibitione fidelis cum infideli cohabitet, non diuino, sed Pontificio iure uim fuerit sortita, potest, ut supra diximus, super hoc, per summum Pontificem fieri dispensatio. Est tamen cautè uidenda & cauenda infidelium simulatio, quorum pectus aliud condit, & aliud lingua profert.

Dubium.

¶Sed alia hinc emergit non dissimulanda dubitatio, quanto scilicet rigore ecclesia cohabitationem interdixerit fideli cū infideli coniuge: uidelicet, si Turcarum aliquis uel aliorum infidelium in sua prouincia conuerteretur ad fidem, & tamē si suā coniugem abijceret, capite truncaretur, utrùm deberet potius mori quàm habitare cum illa. Respondetur, fortasse non posse rem eiusmodi euenire: nam neophytus ille propter conuersionē citiùs quàm propter diuortium occideretur. Si tamen latenter esset Christianus, & ne proderetur, maneret cum uxore, certè nullum contraheret peccatum: quia ecclesia non uult cum tanto periculo quempiam hac lege obligare. Dum tamē ius seruare diuinum, quo tenetur quisque cauere, ne consortiū corrupti coniugis præsentaneum sibi offerat periculum peruersionis.

Dilatio.

Sol. 4. arg.

¶Ad quartum respondent theologi omnes, & secundùm eos Innocent. cap. Gaudemus. de diuort. quòd qui dum infidelitatis nebula tenebantur in gradibus contraxerunt ab ecclesia prohibitis, si sacro fonte abluantur, tenentur in matrimonio persistere: quoniam cùm ecclesiastica prohibitio eos, qui extra ecclesiam sunt, non cōprehendat, dicente Paulo, De iis, qui foris sunt, nihil ad nos, eorum matrimoniū fuerat legitimum. At uerò quia ius naturale & diuinum uniuersos obligat mortales, si forsan contraxerant in gradibus tali iure prohibitis, qui Leuitici. 18. referuntur, tales nuptiæ tanquàm nefariæ sunt dirimendæ. Non tamen de omnibus casibus illic prohibitis id intelligas, ut distinct. proxima explicaturi sumus: sed si quis contraxisset cum matre, filia, aut sorore: & fortè cum auia ut illico illic patebit.

Nota.

Sol. 5. arg.

¶Ad quintum citra cōtrouersiam & à cunctis Theologis, & ab eodem Pontifice per eandem modò dictam rationem respondetur, quòd cùm Polygamia: scilicet, multitudo uxorum uiuentium, sit contra ius naturæ: & quanuis illa Iudæis diuinitus fuisset permissa, tamē per euangelicam legem eadem permissio fuerit extincta, & res ad ius naturæ reuocata, nequeunt illa geminata matrimonia in Christianismo tolerari, sed tanquam illegitima sunt dissoluendā, præterquam cum prima uxore, quæ utique si conuertatur, sola est legitima uxor. Si uerò illa conuersionem respuat, aliæq; conuertantur, poterit maritus fidelis cum quacunque illarum, si libuerit, matrimonium contrahere, sed non tenetur.

6. Arg.

¶Pari prorsus iure ad sextum argumentum de repudiatis uxoribus respondetur. Est enim repudium contra ius naturæ, ut latè, & fusè distinct. 33. demonstrauimus. Et ideo si quis infidelitatis cæcitate uxore repudiata aliam duxerit, cùm primùm fidem susceperit, debet illam, quàm secundò accepit, abijcere, quia non est uera uxor. Sed si prima uoluerit conuerti, cum illa debet, tanquam legitima, uitam uiuere. Et quanuis illa alteri nupserit, non potest illam tanquam fornicationis ream repellere: quia consentiēte uiro, imò ab ipso repudiata nupsit. Si uerò aliter fuerit fornicata, potest ab illa diuerti quoad torum. Decisio est eiusdem Innocentij eodem ca. Quòd si prima noluerit conuerti, cum secunda poterit contrahere, non obstante mœchia, quam illa commiserat. Et simili modo intelligendus est canon Euticiani Papæ. 28. quæstione prima. Si quis gentilis gentilem uxorem duxerit ante baptismum, post baptismum in eius potestate erit eam habere uel non habere: nam si dimiserit per repudium absque tali fornicatione, & illa conuertatur, non poterit eam non retinere: si uerò non conuertatur, non poterit eam retinere.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm fidelis ab uxore infideli discedens possit aliam ducere.

Pars negatiua.

PENDVLVS hucusq; est sermo, nisi naturam diuortij inter fidelem & infidelem penetremus, utrum scilicet fidelis relictus possit ad alias transire nuptias. Et arguitur à parte negatiua. Nexus matrimonij, ut distinct. 26. demonstrauimus, indissolubilis suapte natura est, adeò, ut quemadmodū distin. 33. dicebamus, Iudaicus libellus repudij contra naturam militauerit: matrimonium verò, ut sæpè diximus, inter infideles contractum legitimum est: ergo nulla prorsus ratione est dissolubile.

2. argum.

¶Secundò. Non minus est uxori infideli quàm filijs consulendum: & tamen quanuis filius dum est infidelitatis pertinax ius paternæ hæreditatis amittat, nihilominus quocieſcunque postea cōuertatur, eadem hæreditas, etiam si in alius possessionem transierit, est ei in integrum restituenda: ergo pari modo quanuis uxor iniqui propositi tenax in infidelitate aliquādiu persistat, quoties conuertatur restituenda est uiro suo: quòd, si ille aliud matrimonium iniuerat, fieri non potest: ergo ille nequit ad aliud matrimonium transire.

3. Argum.

¶Tertiò. Hæresis tam pestifera est & pernicioſa fidei, quàm infidelitas: imò ut in 2. canon. cap. 2. ait Petrus, peius est crimē: Melius enim, ait erat illis non cognouisse uiam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab illo, quod eis traditū est, sancto mandato, & tamen catholicus non potest ab hæretico coniuge sic discedere, ut cōiugale uinculum rumpatur: imò cùm primùm hæreticus ad sanam mētem redeat, tenetur cōiux illum & domo & toro suscipere: ergo neque inter fidelem & infidelem locum habet tale repudium.

2. Petr. 2.

4. Argum.

¶Quartò arguitur. Si propter infidelitatē, quæ est spiritualis fornicatio, fas esset matrimonium dirimere, consequeretur, id ipsum ob quodcunque peccatum mortale licere: omne enim peccatum ex superbia descendit: initium autem superbiæ, ut habetur Ecclesiast. 10. est apostatare à Deo: & peculiariter de auaritia, ait Paul. ad Ephe. 5. quòd sit idolorum seruitus, atque adeò

Universidad de Deusto
Biblioteca

infidelitatis genus: sed ratione istorum non licet diuortium facere: ergo neque ratione infidelitatis. ¶In contrarium est, q̃ matrimonium infidelium licèt sit iure naturæ legitimæ & ratum, tamen non sic iure diuino ratum habetur, quin sit fidei gratia dissolubile: alioqui si infidelis sine contumelia saluatoris manere nequiret, deberet fidelis ob bonum fidei grauamen illud perpeti, ut perpetuò esset cõiuge orbatus.

Pars affirmatiua.

Decisio ar. ¶Ad quæstionem sub distinctione duabus conclusionibus respondetur. Supponitur enim ex primo articulo, quòd per solam susceptionẽ baptismi matrimonium non dirimitur. Quare si alter admonitus conuersionem pollicetur, expectãdus est, dum non est in mora: & si conuertatur, matrimonium antiquũ perseuerat, & fit simpliciter indissolubile. ¶Si uerò alter duntaxat conuertatur, tunc aut infidelis uult sine contumelia Saluatoris cohabitare cũ illo, de hoc est prima conclusio. Potest quidem tunc fidelis diuortium quoad torum facere, non tamen sic infidelem coniugem repudiare, ut possit illo uel illa uiuente ad alias tranfire nuptias. ¶At si infidelis manere renuit cum fideli sine iniuria fidei: itaque vel est in fidẽ iniurius, uel in Christum blasphemus, uel in coniugem scandalosus, quia illam conatur peruertere: de hoc subditur secunda conclusio. In tali euentu fidelis potest & debet ab infideli discedere & sic potest eum repudiare, ut ipso uiuente possit ad alias nuptias commigrare. Et intelliguntur conclusiones, ut in superiori artic. pari iure de utroque coniuge, siue maritus prior conuertatur quàm uxor, siue è diuerso. Distinctio est hic S. Thomæ, & Ricardi, & omnium Theologorum, & Gratiani can. Si infidelis. 28. q. 2. ubi Gregorius ait, quòd cõtumelia creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur. Et eadem est prorsus distinctio Innocentij cap. Quanto, de diuort. ubi easdem conclusiones constituit. Atque idem docet ca. Gaudemus. eod. titu. Ratio uerò discriminis harum conclusionum est, quòd cùm in priori casu scilicet, optante infideli cum fideli coniuge sine iniuria Saluatoris manere, non sit fideli necessarium infidelem abijcere, sed liberè possit eam retinere, non est cur eam libere relinquens, aliam sibi possit copulare. In secundo uerò casu cùm necessarium ei sit ab illa diuertere, non debet citra suam culpam absque uxore in cœlibatu uiuere. Ob idq; tunc iure diuino causa fidei matrimonium dirimitur, ut aliud possit iniri. Et in hoc casu aiunt in eisdem locis citati Pontifices habere locum uerbum Pauli, si infidelis discedat: quia tunc frater conuersus aut soror, non subiectus est infideli plusquam si fuisset simpliciter mortuus. Si uerò uoluerit sine contumelia fidei manere cum illo, tunc licet cõuersus nõ sit simpliciter subiectus quoad cohabitationem, si non uult, est tamen eatenus, ut interim nequeat aliud celebrare coniugium.

1. Conclusio.

S. Thom. & omnes.

Ratio discriminis.

¶Est tamen hic considerate inter tempora distinguendum ne eorum confusio lectorem seducat. Conclusiones enim istæ sub eo sunt costitutæ tenore, ut temporibus inseruirent, quibus fidei cum infidele coniuge consentiente manere cum illo, licitum erat, imò consilium commanere. Etenim iam modò si infidelis admonitus conuerti renuit, necessario debet fidelis ab illo dimoueri, atque adeò iure potest secundæ conclusionis uti alias optando nuptias.

Nota differentia.

¶Aduersus hanc tamen conclusionem extant nonnulla argumenta solutu necessaria. Christus enim Matth. 19. simpliciter iussit, ut quos Deus coniunxit, homo non separet, nullam faciens distinctionem. Eãdemq; sententiam ex ponens subdit. Quicunq; dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur, ubi nullam causam, nisi solam fornicationem, exemit. Quod si quis dicat, nomine fornicationis intellexisse etiam spirituale, cùm quis cultus disparitate fornicatur, re uera cõmentum hoc gratis uidetur inuentum: tunc quia illic solùm lis agitabatur de fornicatione carnali: deinde quia eadem ratione quoduis peccatum mortale, posset dici fornicatio, ut per quod homo Deum relinquit, licèt non tam propriè quàm infidelitas, per quam radicitus eius fidem respuit. Tandem quia nec facultatẽ illic dimittendi uxorem fecit, nisi quoad torum. Item Paulus Roma. 7. nũquam mulierem matrimoniali iugo solui censet, quàm per mortem coniugis. Accedit can. Si quis habuerit. 28. quæstio. 2. ubi censet Meldensis synodus seu potiùs Triburiensis c. 39. quòd si quis habuerit uxorem uirginem

Obiectio.

Fornicatio spiritualis.

Can. Si quis habuerit.

ginem ante baptismum, uiuente illa post baptismum alteram habere nõ potest. Postremò denique arguitur, quòd ex uerbis Pauli eiusmodi matrimonij dissolutio nõ colligatur: id enim duntaxat ait, quòd si infidelis discedere uoluerit, discedat: non enim illi seruituti subiectus est frater aut soror conuersa, sed debet Christianus uxorem, & patrem & matrem & filios atque omnes ne ecclesiarios, ut ait Redemptor, propter ipsum relinquere: non tamẽ ait quòd possit alias inire nuptias. Vnde Caieta. super eundem locum nõ solùm miratur, sed stupet, quòd torrens doctorum (uerbum eius est) ex hoc Paulino loco, cùm Christus non exceperit nisi fornicationis causam, interpretetur, quòd causa fornicationis spiritualis matrimonium dissoluatur. Sed tamẽ negare minimè ausus est eadem de causa dissolui propter antiquum ecclesiæ usum.

Caietani opinio.

¶At uerò non est usque adeò demirandũ: nam præterquam quòd sancti patres, potissimum in synodo confidentes non humanis tantùm rationibus subnixi, sed sancto flamine suffusi sacra interpretantur oracula. Verba etiam ipsa Pauli non obscurè id edocent. Non enim illic generalem sermonem, ut Caietanus arbitratur, de omnibus cognatis relinquendis facit, sed peculiarem de discedente coniuge. Nã quod ait, fratrem & sororem non esse in huiusmodi subiectos non refertur ad hoc, quòd frater fidelis debet relinquere sororẽ carnalem infidelem, aut soror fidelis fratrem infidelem, sed Christianos omnes more nascentis ecclesiæ appellat fratres & sorores. Quasi dicat, neque conuersus subiectus est uxori infideli, neque conuersa infideli marito. Et dicens, nõ esse subiectos, intelligit esse à prisco matrimonio liberos, sicut dixit ad Roma. 7. per mortem uiri liberatam esse uxorem quo. Secundò & inde quoque patres eundem sensum uenati sunt, quòd alioqui infideles rem durissimam existimarent, & quæ illos à sacro baptismate absterrere posset, si neophytos à suis uxoribus necessariò abigeret, neque aliarum eis coniugia permitteret. Hinc, inquam, colligitur, Deum rationem diuortij mendi matrimonia Apostolos ac subinde ecclesiam docuisse. Et tertia ratio eadẽq; potissima est, quòd illi, qui fidem baptismi Deo non offerunt, ad quam uniuersos

Paul. 1. Corinth. 7.

Ratio. 3.

mortales obligauit, d'gni non sunt, quibus coniugale fœdus seruetur. Meritissimò ergo Gregorius & Innocentius, non quidem ex suo capite, sed ecclesiam Apostolorum traditione sic intelligentes institutam, eandem pronunciarunt ueritatem. Et Ambrosius super eundem locum Pauli. & Augu. in lib. de fide ad Petrum, qui refertur can. Vxor legitima. 28. q. 1.

Gregor.

Auguſt.

¶Ad primum igitur obiectorum respondetur, quòd cùm fidelis ab infideli discedit, non homo sed Deus dissoluit illud matrimonium: non quidem propter illam exceptionem, quam Christus Matth. 19. facit, quasi hæc sit fornicatio, ut multi arbitrantur. Nam, ut modò arguebamus, illic non fit mentio nisi de fornicatione carnali, nõ spirituali: & quòd infidelitas dicatur fornicatio, est sensus typicus, qui ut ait Augustinus non est efficax, ut inde argumentum sumatur, neque loquitur nisi de diuortio quantum ad torum, sed propter rationes modo factas & testimonium Pauli sanè intellectum. Itaque Deus quemadmodum eo ipso, quòd religionem ceu perfectiorem statum instituit, per eius professionem dirimi uoluit matrimonium ratum Christianorum, ita & tanquam autor fidei, in qua sola patet salus, per eius professionem alterius coniugis, si alter eam detrectauerit, matrimonium dirimit, quod homo dirimere nequiuerat.

Sol. primæ obiectionis.

¶Propter canonem autem Triburiensis synodi non defuerunt qui contra assertam ueritatem fuerint opinati. At præterquã quòd synodus illa non fuit, nisi prouincialis, respondetur canonem illum intelligendum secundùm interpretationem pontificum, & sanctorum patrum, qui iam allegati sunt: scilicet, si illa absque contumelia Saluatoris cum illo commorari uoluerit. Quod autem ait, Virginem, nullum secundùm glossam claudit mysterium. Potuisset enim generaliter loqui, etiam de corrupta. Quanuis insinuauit, quòd si contraxisset cum uidua, liberiùs illam relinquere potuisset, ne bigamiam post baptismum contraheret. Opinabatur enim fortasse synodus cum Hieronymo bigamiam ante baptismum per ipsum extingui. Si uerò illa uxor cum marito uellet conuerti, nullatenus poterat deseri, quia matrimonium fiebat indissolubile.

Ad can. Si quis. 28. q. secunda.

Virginẽ.

¶Alia uerò dubia circa easdẽ cõclusiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quando huiusmodi matrimonium dissoluatur.

D. Tho.

sunt re uera perplexa. Primum enim ambigitur, quando eiuscemodi matrimoniũ dissoluatur? postquam, ut dictum est, per solam susceptionem fidei non dissoluitur. D. Tho. loco præsenti in solutione. 1. ait, quòd matrimonium, quod post in fide Christi contrahitur, soluit matrimonium quod priùs in infidelitate contractum erat. Itaque docet, nunquàm matrimoniũ dissolui quantumuis infidelis habitare cũ infideli recuset, quousque fidelis aliud matrimonium contrahat. Et tunc generatio unius est corruptio alterius. Quare si nunquam fidelis contrahit, nunquãm antiquũ dirimitur. Ricardo uerò artic. 2. q. 2. hæc non usque adeò placet opinio. Et argum. eius est: quia non uidet quo modo possit fidelis secundum matrimonium conciliare, nisi primum fuerit antea solutum. Et ideo ait, quod matrimonium soluitur cùm primùm infidelis renuit sine contumelia habitare cum fideli. Atque ad hanc opinionem uidetur Scotus propendere artic. 1. dubio 2. & glossa super citato ca. Si infidelis. 28. quæst. 2. Vnde carmen illud emanauit, Spernas spernentem uel blasphemare uolentem: Nam sunt absque mora sic uincula rupta priora. Et uidetur textus ipse Gregorij opinioni huic patrocinari, cuius uerba sunt. Contumelia quippe creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur. ¶Nihilominus profectò multò est probabilior opinio Diui Thomæ, cui Paluda. cum Durando adstipulatur. Et ratio est, quæ ex Innocent. ca. Gaudemus, de diuor. colligitur: nempe, quòd quantũuis infidelis uxor in sua perfidia persistat, iugumq; suaue Domini recuset, si tamen postea resipiscat, & antequàm fidelis maritus aliud matrimonium contrahat baptizetur, cogetur ille manere cum illa tanquam cum uera coniuge. Neque obstat, quòd ecclesia, uti ait allegata glossa, sentẽtiam diuortij protulerit: tũ quòd eiusmodi sniа fortè non est necessaria, tum quòd illa ecclesiç snia uinculum matrimonij nõ rũpit, sed facultatẽ facit fideli illud per alias nuptias rumpendi. ¶Respondent autẽ autores eius opinionis, quòd ecclesia, imò ipsa cõtumelia infidelis dirimit matrimoniũ. Tamẽ postea dũ idẽ infidelis conuertitur, cogitur tunc fidelis in fauorẽ fidei eundem coniugem resumere, sed tamen per nouum consensum, acsi diremptum

Ricardus.

Versiculi

Can. Si in fidelis. 28. q. 2.

Sententia autoris.

Ratio.

Obiectio.

Solutio.

matrimonium sponsaliorum uim retinuerit. Sed certè hoc non est uerisimile, imò crediderint, quòd absque nouo consensu priscum matrimonium perduret. Accedunt & ad hãc ueritatem exempla, quòd sicut sponsalia cum Maria contracta per matrimonium de præsenti cum alia contractum franguntur, & matrimonium ratum per ingressum religionis dirimitur, ita & matrimonium in infidelitate contractum, ut ait D. Thom. per aliud in religione Christiana initum dissoluatur. Solutio hæc non parui refert: nam si uera est, quãuis infidelis ante matrimonium à fideli celebratum, cum altero infideli cõtrahat, & ambo post simul fidei lumine irradiati baptizentur, dissoluendum est matrimonium illud, & suus coniux reddendus priori conuerso.

¶Ad uerbum ergo Gregorij uno modo respondetur, quòd non ait, contumeliam infidelis solúere uinculum, sed solum ius petendi debitum ante eius conuersionẽ. Et hoc denotat adiectio illa, Circa eum, qui relinquitur, quasi ille fidelis relictus soluatur ab obligatione tori. Secundò, respondetur, quòd licèt intelligatur, uinculum etiam rumpi, non tamen id significatur per solam contumeliam fieri, sed illã ius tribuere aliud fidei ineundi matrimonium, per quod alterum dissoluatur. ¶Secunda dubitatio huic proxima est, utrùm infidelis coniux, qui dicitur relinquens, eadem gaudeat libertate contrahendi aliud matrimonium, qua fidelis, qui relinquitur. Glossa enim super sæpè citato ca. Si in fidelis. in dubium reuocat, num infidelis quandiu manet in infidelitate, possit contrahere. Et utramque opinionem uidetur ut probabilẽ relinquere. At uerò S. Tho. hic, & Ricardus arti. 2. q. 3. & eadem glossa tripertitò respondent. Ait enim primò D. Tho. matrimonium infidelium per illud, quod fidelis contrahit, omnino dissolui quoad essentiam. Et ideo quantùm ad ius attinet naturę, illico posset etiam infidelis contrahere: quoniam matrimonium nõ claudicat ex altera parte. Quare si matrimoniũ ex parte fidelis iã solutũ est, pari iure dicendum restat ex parte infidelis esse distractum. Addit uerò secũdò, quòd matrimoniũ claudicat quantũ ad effectũ: scilicet, alterum contrahendi, quia pp cri men infidelis, qui non conuertitur, indiertur

Sententia autoris.

Exemplũ.

Dubiũ. 1.

28. quæst. 2.

Responsio 1.

Responsio 2.

Obiectio.

Can. Si in fidelis. 28. q. 2.

Responsio. 3.

Dubiũ. Responsio dubitationis.

Dilutio.

tur ei, ne possit matrimonium aliud inire altero uiuente coniuge, etiam si ad alias conuolauerit nuptias. ¶Contra hoc tamẽ assertum militare uidetur, quòd cùm ecclesia infidelibus ius non dicat, nequit eis huiusmodi pœnam indicere: & cum ius naturale, neque diuinum, ut ait Ricardus & alij, infidelem illum iam priori matrimonio solutum nullatenus ab alio ineũdo cohibeat, non apparet, quo iure illa decernatur pœna. Ad hoc respondendum credidẽrim primùm, quòd si eiusmodi infidelis alias concinnet nuptias, matrimonium tenebit, quod nec S. Thomas negat, neque ullus negare potest, postquam ille à prioris nexu enodatus est, sed tamen culpam committit mortalem contrahendo. Etenim (si mea non me fallit coniectura) ius ipsum, diuinum suscipiendi baptismum, quod uniuersos mortales obligat, eo temporis articulo, quo alter coniugum orthodoxam fidem profitetur, peculiari ratione matrimonij, quo alter scilicet infidelis est fideli deuinctus, tenetur eum in eadẽ Christiana religione sequi: & ideo si non cõuertitur, peccat nõ solùm in Deum, ut sapientissimè ait Grego. sed etiam in matrimonium. Quam ob rem non quidem ab ecclesia, quæ tali iurisdictione non fungitur, sed iure ipso naturali & diuino indicitur ei, ne fidelem coniugem relinquens, alterum sibi copulet. ¶At uerò (quod tertium dictum est D. Thomæ) si tandem ad fidem conuertatur, & eius coniux altero est coniugio colligatus, conceditur ei, ut alteras eligat nuptias. Intelligitur tamen, nisi forsan postquam eius coniux in Christianismo cum altera contraxerat, infidelis ante conuersionem alium adsciuisset maritum: nam tunc, si coniux illa cum suo marito conuertantur, matrimonium illud ceu firmum manere debet.

¶Sed alia huc quæstio protinus se insinuat: utrùm uotum solenne à neophyto susceptum eãdem uim habeat dirimẽdi matrimonium antiquum, ac si nouum ipse paciscꝛetur. In primis quæstio est, quando infidelis requisitus & commonefactus renuit conuerti: nam antea fidelis, ut nequit alio se implicare coniugio, ita nec religionis uoto: non solùm quia infidelis coniux difficiliùs tunc cõuerteretur, uerùm, quòd neque omnino fidelis ab obligatione reddẽdi debitum est absolutus. At uerò postquàm admonitus infidelis baptismum recusauerit, non est dubium, quin fidelis possit, ut matrimonium inire, ita & uotum suscipere religionis: quin uerò & citra religionem ad sacros ordines promoueri. Sed utrùm per tale uotum sic dirimatur matrimonium, ut infidelis possit ad aliud commigrare. D. Tho. non respondet. Nihilominus de uoto religionis nõ dubitatur, ut ait Ricardus, & omnes alij, quin perinde ac nuptię, matrimonium dirimat. Idem enim in hac parte de matrimonio infideliũ consummato cẽsendum, quod de rato nondũ consummato inter Christianos, quod quidem per professam religionẽ dissoluitur.

¶Sed re uera, sacrorum ordinũ susceptio perplexum me hoc loco habet, an matrimonium in infidelitate consummatum dirimet. Videtur enim D. Tho. in responsione quarti responsum dissimulasse: nam uoto religionis tacito quasi compertum sit, matrimonium illud dirimere, de sacris ordinibus initiato subdit. Quòd si uxor post conuertatur, non est sibi uir suus reddendus: & hoc certissimum est propter uotum adnexum ordinibus quos ille legitimè susceperat. Subdit uerò, Sed debet sibi imputare in pœnam suæ tardæ conuersionis, ꝙ uiro suo priuetur. Quibus uerbis insinuat, non posse alteri nubere. ¶Atqui si de matrimonio rato inter Christianos argumentum ducas, id ipsum confirmatur: nam ut dist. 27. q. 1. secundùm extrauagan. Antiquæ concertationi. Ioann. 22. sub titu. De uoto, monstratum est, susceptio sacrorum ordinum matrimonium ratum nequaquã dirimit. Item ad id urgentiùs arguitur, Si eiusmodi ordinum susceptio matrimoniũ cum infideli consummatum dirimeret, sequeretur quòd si postea coniux conuerteretur, posset alteri nubere: quod quidem hoc pacto redarguitur. Si Papa pòst super uotum sacerdotale castitatis dispensaret, quæ quidem dispensatio, ut dist. præcedenti dicebamus, si fieret, teneret, posset ille sacerdos secum aliam coniugem copulare. Quapropter inter Christianos contingeret, ut citra religionis uotum qui ueri erant coniuges, alia matrimonia potuissent contrahere. Certè argumenta conuincere uidentur, matrimoniũ illud per sacros ordines neutiquam dirimi, atq; adeò uxorẽ siue infidelitatis tenacẽ, siue fidem professam debere superstite marito, nec religionem

Dubium præsens.

Nota.

S. Thomæ solutio.

A simili.

Argumen.

Redargutio.

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem profitẽte uitam cœlibem ducere. Cui diuersa opinio fortè arriserit, debet simili tudinem matrimonij rati inter Christianos repellere, & conclusionem postremi argumẽti, quæ absurda uidetur, cõcedere.

Contraria opinio.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum igitur capitalium argumentorum satis responsum est. Nam etsi matrimonium infidelium sit natura legitimum, nec per legem naturæ dissolubile, non est tamen sacramentum, neque tã perfectum & ratum, quin iure diuino ratione fidei catholicæ, quæ fortius est uinculum, dirimatur, per quam tandem perficitur, fitq; simpliciter indissolubile.

Replica.

¶Quòd si redarguendo resurgas. Crimen matrimonio superueniens illud non dissoluit: sed si coniux infidelis uult sine contumelia saluatoris cũ fideli cohabitare, matrimonium non dirimitur: ergo crimen superueniens contumeliæ nolentis cohabitare illud non dirimit. Ad hoc, qui tenent matrimonium per contumeliam dirimi, negarent antecedens: non tamen concedimus per solum illud crimen non dirimi: sed tamen fit per illud facultas, ut per superueniens uel matrimonium uel solenne uotum religionis dissoluatur. ¶Sed ad secundum respondetur, non existere paremrationem de prole & uxore: nam per disparem cultum superueniente nouo matrimonio fidelis antiquum rũpitur, in quo ideo uxorem restitui amplius non est possibile. Sed tamen per eandem cultus disparitatem ius paternum non extinguitur, quominus filij quotiescunque post conuertantur, iure & beneficio postliminij gaudere debeant: hoc est, ad eorum hæreditatem admitti cano. Deinde, distinct. 26. & Authen. Item est de Nestorianis. C. de hæreticis. & in Authen. Vt cum de appella. cognosci. §. Generalem. collat. 8. Postliminium enim est cùm ille, qui post limina prouinciæ relegatus fuerat, tandem reuertitur, cui ideo tura sua restituẽda sunt. Vide titulus in. ff. nouo extat, De captiuis & postliminio reuersis. Et eadem de causa etiam uxor quotiescunque reuertatur, debet dotis priuilegio gaudere, ut doctores super capit. Placet, de diuortijs, adnotare solent. Et mulieres, quæ credentes maritos in bello occisos uel aliter defunctos ad alias nuptias euolarunt, ipsis reuersis sunt restituendæ. can. Cùm per bellicam. 34. quæst. 2.

Solutio.

De filijs.

Postliminiũ quid.

¶Ad tertium de coniuge in hæresim lapso in primis respondetur, per hæresim aut apostasiam nullatenus matrimonium solui: quia ut sæpè diximus, matrimonium ratum per solum ingressum religionis soluitur: consummatum uerò per solam conuersionem ad fidem alio superinducto matrimonio, ut Innocen. cap. Gaudemus. & expressius cap. Quanto, de diuortijs, cautum duxit. Quinimò, ut art. 1. dicebamus, licèt cum hæretico & apostata matrimonium contrahatur, tenet tatione characteris baptismalis. Licèt fœmina hæretico nubens dotem amittat, capit. Decreuit. de hære. in 6. Et uidi causam hanc in Germania agitari. Contendebat enim illustris quidam uxorem hæreticam repudiare, & alias inire nuptias, sed non fuit auditus. At uerò potest & debet diuortium fieri quoad torum, præcipuè si periculum subuersionis catholico immineat, quod utique semper imminere censendum est. Verbum enim Pauli, Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, ad paternum & coniugale atque ad alia omnia necessaria uincula extenditur, ut illis non obstantibus, commercium talium hæreticorum euitetur. Atqui hic est omnium euentuum potissimus, in quo ueritatem sortitur admonitio Christi, Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam &c. Matthæ. 10.

Sol. 3. arg.

Innocen.

Matt. 10

¶Si uerò talis hæreticus resipiscens ad obedientiam ecclesiæ redeat, illiq; reconcilietur, est dubium, utrùm catholicus teneatur reconciliatã in suam domum & torum suscipere. Sed distinguendum est. Nã si hæresis non processit usque ad ecclesiæ cõdemnationem, sed fuit ille uel illa coniux priuatim emendata, tenetur catholicus pœnitentem, si uerè pœnitens est, illã sibi reconciliare. Si uerò illa coniux publico ecclesiæ iudicio fuit hæresis damnata ac subinde à coniuge separata, eademq; ecclesiæ reconciliata, tunc maritus catholicus potest, si uult etiam inuita uxore, religionem approbatam ingredi & profiteri, illam scilicet religionem, cuius solennis professio impedit & dirimit matrimoniũ. Et idem est de uxore si maritus fuerit hæreticus. Decretum est ca. Mulier. de conuersio. coniuga. Et hoc catholico indulgetur ad cauẽdam infamiam facti, quæ ex cohabitatione cum hæretico uel hæretica re conciliata contrahitur. Quare tunc illa re conciliata nõ compellitur religionem ingredi, sed potest manere in seculo: quia facultas, quæ sit catholico, non debet uim inferre reconciliatæ religionem profitendi. Si uerò non uult religiosus fieri, cõpellitur pœnitentem coniugem ad coniugale commercium suscipere. cap. De illa. & cap. Quanto. de diuor. Intelligitur autem hæc compulsio dum modò ille reconciliatus sit adeò pœnitens, ut absque periculo possit coniux manere cum illo.

Pau. ad Tit. 3.

Nota.

Obiectio

Dubium.

¶Quòd si arguas. Peior est fornicatio spiritualis per hæresim, quàm carnalis per adulteriũ: sed post separationem tori fornicationis causa, etiam si adultera emendetur, non tenetur innocens eam pœnitentẽ suscipere: ergo nec resipiscentem hæreticam. Negatur consequentia multis de causis, quas glossa eodem cap. recitat: nã per hæresim sola anima cõmaculatur, sed per fornicationem anima & corpus, quod cõiux magis abhorret. Item, quia si adulteram post maritus agnosceret, bigamiæ labem contraheret. Adde tertiò, quòd fornicatio magis è diametro fidei matrimonij aduersatur.

Rõnes differentiæ.

Dubium.

¶Si uerò scisciteris, utrũ ille coniux recõciliatus possit inuita uxore catholica, uel uxor recõciliata inuito uiro catholico religionẽ ingredi, respondetur, minimè posse sine cætholici facultate: nam illa indulgentia facta est innocenti in eius fauorẽ. Quare nec sufficit licentia catholici, nisi ipse etiam ingrediatur religionem.

Sol. 2. ar. 3

¶Vtrũ uerò catholicus possit inuita uxore, quæ fuerat hæretica, sacros ordines suscipere & manere in perpetuo diuortio. Respondetur, quòd licèt hoc non sit expressum in iure, credendum tamen est illud posse. Ratio enim quare potest religionem profiteri, est, quòd cùm diuortiũ quo ad torum iudicio ecclesiæ condemnantis uxorem de hæresi factum fuerit, facta est facultas catholico per uotum solenne castitatis in perpetuo diuortio permanere, quod quidem uotum sacris etiam ordinibus adnexum est. Et ideo sicut de diuortio fornicationis causa dicebamus, potest uir ut religionis uotum, ita & ordines sacros in seculo suscipere.

¶Quartum argumentum partim dist. 36. art. 1. dilutum reliquimus: illic enim disputauimus, utrum propter alia peccata quã fornicationis causa liceat diuortium facere quoad torum. Nunc ergo hoc tantùm adijciendum est, ut cuncta liquidò sub cõpendio clarescant. Crimen enim simpliciter loquendo, nullum est, quod matrimonium possit dissoluere siue consummatũ, siue non nisi ratum. Nam inter Christianos ratum solùm per ingressum religionis dirimitur, inter infideles uerò altero eorũ conuerso coniuge crimen alterius cõuerti renuentis non sufficit per se matrimoniũ dirimere, sed ius facit, ut persequens matrimonium dirimatur. Præter hunc tamẽ casum uniuersalis est conclusio, quòd ob nullum prorsus crimen aut causam matrimonium quoad uinculum dirimitur. Attamen quo ad torum multifida opus est distinctione. Potest enim fieri diuortiũ quo ad torum & propter fornicationem carnalem, & propter lapsum in hæresim uel apostasiam, quæ fornicatio spiritualis est: diuersimode tamen: nam in fornicatione unicus sufficit actus, sed tamen in hæresi non propter unicum aut duos faciendum est diuortium, ut Diuus Thomas distinct. 35. art. 1. in solu. 3. adnotauit, quousque persistat quod admonitionem hæreticus in sua perfidia, uel periculum alteri coniugi offerat. Atque hæc sola peccata sunt, quæ per se diuortium quoad torum secum adferunt. Primum scilicet, quia fidei matrimonij contrarium est, & secundũ, quia catholicæ fidei aduersatur.

Crimẽ nequit matrimoniũ dissoluere.

Conclusio

Quoad torum.

¶Cæterum inter alia uniuersa crimina scelera & flagitia distinguendum est: quia aut sic sunt peccata in uno coniuge, ut ille non moliatur alterum peruertere. Et se Et secundum hanc considerationem peccata non adferunt rationem diuortij, neque ius habet alter coniux ea ratione à scelesto discedendi, nisi fortè, ut hic ait Sanctus Thomas in tempus se uelit uir ab uxore scelerata subtrahere, ut per priuationem illius solatij castigata emendetur. Atque id potissimum quando crimina essent grauia, quod & uxor eodem iure ualeret, si de facto posset. At uerò si crimina illa uel in perniciem uergunt corporalem & periculum coniugis, aut potissimum in detrimentum spirituale, tunc posset deberetque alter à consortio eius disiungi, & dum per se non posset deberet beneficio iudicis aut ecclesiastici aut ciui-

Aliorũ criminum distinctio.

Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

L. Conſenſu. procedit hodie quoad diuortium tori.

ſis uti. Crimina primi generis ſunt illa, quæ lege Conſenſu. C. de repudijs. exprimuntur. Vt ſi uxor uenefica ſit, aut liberorum interfectrix, aut ſubſtantiã mariti de prædetur: aut ſi maritus periculũ necis uxori offert, aut ſæuitiã in eam exercet, ut habetur ca. Literas, de reſti. ſpol. Secundi generis crimina ſunt, ſi coniux coniugem ad latrocinia inflecteret, uel alios corruptos mores ei moliretur impingere: tunc enim poſſet deberetq; alter à nequã illo & corruptore coniuge d. ſcedere. ut habetur c. Quæſiuit. de diuortijs. iuxta Domini admonitionẽ Matth. 5. Si oculus tuus dexter ſcãdalizat te, erue eũ, & eijce à te: & ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proijce abs te: ubi gloſſa in dextro oculo dexteraq; manu, uxorẽ, patrẽ & filios atq; alios neceſſarios agnoſcit.

Obiectio ¶ Quòd ſi arguas. Nullum ergo eſt diſcrimẽ inter fornicationẽ aut alia uitia quoad rationẽ diuortij: Negatur omnino conſequentia, imò eſt diſcriminis plurimum: fornicatio. n. ratione iniuſtitiæ toro coniugali illatæ ius facit alteri ab eodem toro diuertendi. Et ideo quantumuis fuerit fornicatio iã pridem elapſa, & correcta, poteſt uir uxorem in perpetuum dimittere. Sed propter alia crimina diſcedere nõ poteſt, niſi quando de præſenti fiunt, & non emendantur, dirigunturq; & referuntur ad peruertẽdum coniugem. His enim cauſis ceſſantibus repetendum eſt coniugale commercium. Et per hoc ſolutum reſtat argumentum. Nomen quippe fornicationis in ſenſu proprio & literali non niſi carnali turpitudini conuenit. cætera uerò peccata non niſi per metaphoram ſpirituales fornicationes nominantur, inter quas infidelitas & hæreſis potiſſimùm eodẽ noſe deſignatur: ob id quòd prima deſponſatio cum Deo fit per fidẽ, iuxta illud Oſeæ. 2. Deſponſabo te mihi per fidem. & iuxta illud Pauli, Deſpondi. n. uos uni uiro uirginẽ, &c. Quare Augu. can. Idololatria. 28. q. 1. idololatriã & oẽm ſuperſtitionẽ fornicationis nomine cenſet. Quocirca hæc duo crimina ſpecialem rationem habent diuortij, reliqua uerò minimè. Nã & auaritia itidem per translationem & ſimilitudinem dicitur idolorum ſeruitus: ob id quod auarus perinde aurum adorat & colit, quod fallens bonum eſt, atque idololatra falſos Deos.

Fornicationis nomine quæ intelligantur.

Auguſt.

DISTINCTIO QVADRAGESIMA. De cognatione carnali.

Textus Cap. 1.

INter impedimenta, quæ cõ fœderãdis ſtipulandis q; nuptijs obſtant, cognatio tandem poſtremum obtinet locum. Eſt autem triplex. ſ. carnalis, ſpiritualis & legalis. Carnalis autem in conſanguinitatẽ & affinitatẽ bipertitur. Eſt ergo conſanguinitas uinculũ ab eodẽ ſtipite deſcendentiũ carnali propagatione contractũ. Et quanuis olim plures gradus tenerentur, iam tamẽ nunc temporis ſatis eſt uſq; ad quartũ gradũ bicornẽ arborem, duorũ. ſ. ramorum, extendere, ut ſtipite extra numerũ poſito fratres ſint in primo, & in ſecundo nepotes, & pronepotes in tertio, ac demũ abnepotes in quarto, ut ex canone Zacharię Pontificis colligitur. In quibus duabus lineis hoc obſeruandum, ut nemo unius rami propinquior eſſe ſanguine cenſeatur alteri rami, quàm ipſe eſt ſtipiti: nempe,

Conſanguinitas definitur.

Can. Reſtelæ. 35. q. 5.

pe, ut quartus unius lineæ eodem quarto gradu à quocũq; alterius ſcilicet, tam ab eo, qui eſt in primo, quàm ab eo, qui eſt in quarto, diſtet. Ille autẽ, qui propinquior eſt ſtipiti per diuerſos gradus ab alijs alterius lineæ diſtat. Qui enim in uno cornu eſt in primo gradu ab eo, qui in altero eſt in ſecundo gradu, eodem ſecundo gradu diſtat: & ab eo qui eſt in tertio diſtat tertio &c. Itaq; quarto gradu remotior ab ſtipite, eodem ambo inter ſe diſtant.

Cap. 2. ¶ Ex ſic compoſitis diſpoſitiſq; gradib. aliqui ſunt, qui iure naturæ à nuptiarum ritu depulſi ſunt, atque alij, quos ius diuinum ſub lege Moſayca prohibeat, demum alij, quos lex pontificia vetat. At verò cum uetuſta lex, quantùm ad ea, quæ ceremonialia iudicialiaque continebat, per legem euangelicam fuerit prorſus antiquata illarum prohibitionum, quæ Leuit. 18. extant, nulla penitus ſub euangelica lege ducenda eſt ratio, niſi

Leuit. 18.

quatenus præcepta moralia inſinuabant. quæ ex iure naturæ perpendenda ſunt. Gradus ergo primus rectilineus, qui eſt inter parentes & natos, ſic eſt prorſus, id clamante natura à coniugali copula exploſus, ut ob nullam unquam neceſſitatem fuerit tale matrimonium permiſſum. Eſt enim filius, ut ait Philoſophus, pars patris. Quapropter coniunctionem patris cum filia, aut filij cum matre natura quantum poteſt tantum ſemper exhorruit. Imò & inter auos & nepotes ſimilem commiſtionem fortè abominatur. Tametſi quòd conſanguinitatis neceſſitudo in infinitũ abeat, nulla ratio perſuadet. Cæterum primus conſanguinitatis gradus in tranſuerſa linea: nẽpe, inter fratres, licèt non tantam, quantam in recta, efficaciam habeat, quapropter in orbis ortu ob neceſſitatem propagandi generis noſtri fratres iure matrimonij conuenerint, nihilominus illa expleta neceſſitate ſic ille gradus, ut 15. de

ciui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aug.c.6. *ciui.dei, autor eſt Aug. nuptijs aduerſatur, quaſi nunquàm licere potuerit.*

Cap.3. *¶ Alios uerò ſecundos ac ſubinde longiùs ſemotos gradus non natura, neque uerò iam poſt orbem redemptum lex ulla diuina, ſed tamen eccleſia diuinitus inſtructa à cõnectendis nuptijs meritò coercendos curauit. Et primum quidem, quanuis, ut apud Gregor. Magnum & Iſidorum atque alios antiquos patres.35.quæſtio.3.& 5. videre eſt, qui ad ſextum uel ſeptimum ſecundum uariam ſupputationem illos protendebant: tamen temporis curriculum experimento docuit tam longam decurtandam ſeriem.*

Innocen.3 *Quocirca ſanctum concilium ſub Innocen.tertio, ca. Non debet. de conſangui. & affinit. ſatis duxit uſque ad quartum gradum eodem ſanguine cognatos, ne coniuges fierẽt, pro*

Prohibitionis cãę. *hibere. Cauſe etenim, quib. huiuſmodi prohibitiones honeſtãtur, ultra illum gradum non*

Prima. *procedunt. Affertur enim in cauſis primum, quòd cùm eiuſdem ſanguinis feruor amorem ingeneret, non decet, ut Philoſophus in Politicis author eſt, carnalem alium ei adhibere, ne carnis illecebrę nimiũ per congeminatum amorem exardeſcant. Mox quia cùm conſan* Secunda. *guinei intra eoſdem lares commorentur, niſi eis religio aditum ad matrimonia occluderet, in preſentaneo inceſtorum* Tertia. *periculo uerſarentur. Demum ut nuptiarum iura inter diuerſos ſanguines compoſita amicitiarũ rationes latius propagarent. Nihil tamen iſtorum ultra quartum gradum locum habet, ſanè cum tam lõga auorum & proauorum ſeries in rebus humanis ſuperſtes eſſe non poſſit, atque propaginum ordo uſque adeò tũc elangueat, ut uix ampliùs ius amicitię & familiaritatis retinere ſufficiat. Quare non eſt cur ultra quaſi in carceribus & repagulis homines, ne ſe nuptiarum ritu confœderent, teneantur.*

DISTIN-

DISTINCTIO. QVADRAgeſimæ, Quæſtio unica, De cognatione carnali.

ARTICVLVS I.

Vtrùm definitio conſanguinitatis conſtitui ſolita rei definitæ competat.

TRactatum impedimẽtorum matrimonij, diſtin. 34. in nouem diſtinctiones: nempe, in tres ternos diſpertiti ſumus, ĩ quorum hoc poſtremo: his uidelicet tribus ſubſequentibus diſtinctionibus, de impedimento cognationis & affinitatis tracta re propoſuimus. Quæritur ergo de noĩe & re conſanguinitatis, utrùm. ſ. conſanguinitatis definitio conſtitui ſolita ſit legitima. Illa uerò apud oẽs, tam theologię quã utriuſq; iuris profeſſores hæc eſt receptiſſima. Conſanguinitas eſt uinculum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum. Et arguitur primò contra nomen. Laban, ut Gen.29. legitur, dixit ad Iacob, Os meum & caro mea es: idq; rõne cognationis inter eos contractæ: ergo eiuſmodi propinquitas potiùs carnalitas dẽt, q̃ cõſanguinitas nũcupari. ¶ Secundò. Si conſanguinitas pp propagationem ab eodem ſtipite contraheretur, uniuerſi mortales, ut pote qui ab Adã deriuantur, conſanguineorum noĩe cenſendi eſſent: quod tamen uſus non recipit. ¶ Tertiò. Si generatio ex eodem ſanguine conſanguineos procrearet, etiam inter bruta eadem eſſet neceſſitudo, quod tamẽ abſurdum eſt, & conceſſio ridiculum. ¶ In contrarium tamen eſt uniuerſalis doctorum autoritas.

Cõſanguinitatis definitio.

Partis negatiuæ arg. 1.

2. Arg.

3. Arg.

Pars affirmatiua.

Cognatio.

Cognatio triplex.

¶ Primùm omnium ut à noĩe proficiſcamur, cognatio ſecundùm amplitudinẽ ſuę ſignificationis ſuperius nomen eſt quàm conſanguinitas. Eſt. n. cognatio triplex. ſ. carnalis, ſpũalis & legalis. Carnalis eſt, q̃ noĩe conſanguinitatis deſignatur, & per carnalem generationem deriuatur. Spũalis uerò eſt, quæ per regenerationem in ſacro fonte baptiſmatis contrahitur. Et legalis, quæ per adoptionem lege acquiritur. At uerò ſi cognatio ſpecialiùs pro carnali accipiatur, idem eſt prorſus quod conſanguinitas. Græcè. n. συγγενεῖς: hoc eſt, congeniti, idem eſt latinè quod cognati & cõſanguinei. Tametſi Iuriſconſultis inter agnatos & cognatos ſic diſtinguere placuerit, ut agnatio genus ſit, cognatio uerò ſpecies. l. Inter agnatos. ff. unde legitimi. & l. Iuriſconſultus. ff. de gradib. Itaq; cognati non dicantur, niſi qui per lineam maternam deſcendunt ut auunculus, qui eſt frater matris, agnati uerò appellentur quõcunq; ad eundem ſanguinem attineãt, ut patruus: nẽpe, frater patris, tam agnatus ſit quàm cognatus. Titulus aũt iuris canonici has diſtin. non meditatur, ſed genera liter inſcriptus eſt, De conſang. & affini. ut conſanguinitas dicatur coniunctio, in eodem ſanguine: ſed affinitas ſit coniunctio quæ per carnalem ſit copulam. Nam cũ uir & uxor per copulam fiãt una caro, fit ut cõſanguinei unius fiãt alteri affines. ¶ In hac ergo diſt. diſputandum nobis eſt de conſanguinitate, & in ſubſequenti de affinitate, & in 42. de alijs duabus cognationibus. ſ. ſpirituali & legali. Ad qõnem ergo unica breuiſſima concluſione reſpondetur, prædictam conſanguinitatis definitionem eſſe optimam. Vbi adnotandum eſt, omnem amicitiam, ut. 8. Ethico. autor eſt Philoſophus, ſuper aliqua ſocietate & cõicatione collocari. Hæc autem ſocietas aut naturalis eſt, aut ciuilis: nam oĩs cõicatio ad unum uinculum refertur, quo plura cõicant, & ceu nodo quodam colligãtur. Ob idq; ſecundùm diuerſas uinculorũ rõnes diuerſæ ſpecies amicitię ſumũtur, quę diuerſa ſortiuntur noĩa. Et ut à ciuilibus exordiamur, inter Regẽ & ciues, interq; ipſos eoſdẽ ciues amicitia intercedit in illa cõicatione & ſocietate fundata, quæ ẽ gubernatio. Rex. n. ut ibidẽ ait Philoſophus, ad ciues, ut paſtor ſe ad oues gerere debet. Ob id nanq; Homerus Agamenonem paſtorem populorum nuncupauit. Et qui eiuſdem ſunt ſortis. conſortes appellantur: hoc eſt, eiuſdem conditionis & qualitatis: & qui eadem menſa participãt, commenſales. Eadem ergo rõne in naturę neceſſitudine & uinculo qui ex eodẽ ſanguine nati ſunt, conſanguinei nuncupantur, ueluti qui eodẽ lacte fuerũt nutriti, appellãtur, collactanei fratres, quãuis diuerſis fuerint parentib. geniti. Vnde Philoſophus ibidẽ c.12. conſanguinitatẽ naturalem amicitiæ

Iuriſperiti

Tit. de cõſang. & affi.

Concluſio

Amicitiæ diuerſę ſpecies.

Homerus.

Cõsanguinitas ẽ uinculum.

amicitiæ genus esse docuit. ¶Igitur cùm in definitione dicitur, consanguinitas est uinculum, Ricardus atque alij non arbitrantur esse prædicationem identicam(ut cum dialecticis loquamur) sed causalem: hoc est, consanguinitas est uinculi causa. Attamen fortè è conuerso potius dicendum est, uinculum esse causam consanguinitatis: cognatorum enim uinculũ est idẽ sanguis, & consanguinitas est communio plurium in eodem sanguine, quæ ideo nihil aliud est quàm relatio quædam & habitudo realis ad eundem sanguinem. Siquidem sanguis uinculum est, & glutinũ, quo plures colligantur. Quanuis si uinculum accipiatur pro amicitiæ iure, quo cõsanguinei obligantur, cõsanguinitas potest dici eiusdem uinculi causa. Stipes autem est persona, & origo, à qua tanquàm à fonte eiusmodi promanauit sanguis. Veluti Adam prima radix fuit & stipes humani generis, à quo uniuersi mortales ceu rami eiusdem arboris pullularunt.

Stipes qa.

Obiectio.

¶Sed arguas forsan contra definitionem. Sequeretur inde, patrem & filium non esse consanguineos: quia non ab eodem stipite ambo descendunt, sed unus ab altero.

Dilutio.1.

Respondetur primò, ꝙ ambo descendunt ab auo, præterquàm Adam & eius filij.

Dilutio.2.

Secundò, ꝙ sub disiunctione sensus est, uel ambos ab uno descendere, uel unum ab altero. Neque uerò descensus per carnalem concubitũ requiritur: qm̃ Christus & eius sacratissima mater opera spiritus sancti consanguinei fuerunt.

Eua.

Eua tamen nullatenus fuit Adæ consanguinea: quia ab illo non carnali propagatione descendit. Carnalis enim propagatio fit per decisum sanguinem uel utriusq; parentis uel saltẽ matris, ut in beatissima uirgine. Eua uerò nec per semen nec per sanguinem ab Adã descendit, sed ex eiusosse Deo carnem superducente fabricata est, non in uentre, sed extra. Quare nec genita fuit ab Adã, nec concepta nec parta. Neq; uerò ambo per carnalem propagationem, sed à deo ambo creati sunt.

Alia obiectio.

¶Quòd si quis tandem arguat. Consanguinitas nomen quoddam conuenientiæ est: conuenire autem homines, qui ex materia tantùm & forma constant, non possunt nisi aut rõne formæ, aut rõne materiæ: cõuenientia uerò rõne formæ est specifica, in qua uniuersi mortales conueniũt: in materia uerò oẽs differunt, ẽt fratres: quia secundum materiam hoies numero distinguuntur: ergo consanguinitas nulla est conuenientia. Rñdetur, consanguinitatem non esse conuenientiam specifica rõne formæ, sed materialem: sanguis. n. ad materiam spectat, ut caro. Et quanuis in diuersis individuis diuersæ sint numero materiæ, est tamen idem sanguis in ordine ad cãm efficientem: quia. s. ab eodem stipite & radice pullulat: ueluti idem est riuulus, qui ab eodem effluit fonte.

Solutio.

Sol.1. arg.

¶Ad primum igitur arg. rñdetur, denoiationem à proxima materia fieri debere, quæ quidem se hẽt ut forma respectu materiæ remotæ. Id aũt, quod proximè in semen conuertitur, non est alimentum aut caro, sed sanguis, ut 15. de aĩalib. autor est Philosophus. Ob idq; uinculum illud quo consanguinei conglutinantur, est sanguis. Quare cognatorum cõicatio consanguitas potiùs ꝙ carnalitas dicitur. Tametsi consueuerint cognati unum os, unaq; caro ob id nuncupari, quòd sanguis, qui in semen uiri, aut in menstruum fœminæ cõuertitur, potentia est caro & os.

Sol.2. arg.

¶Ad secundũ negatur cõsequentia. Est. n. definitio sanè intelligenda, ut cùm dicitur. uinculum descendentium ab eodẽ stipite, intelligatur cuius stipitis uirtus in eisdem perseueret. Virtus aũt agentis cũ per multa deducitur media, attenuari incipit & debilitari, adeò ut tandem deficiat. Virtus tamen patris non solum mouet ad id, quod est speciei, secundum quam uniuersi mortales sunt similes, uerùm & ad id qd̃ est proprium individui. Qua utiq; rõne filius patris, & nonnunquam aui nepos imaginem refert, complexionisq; & motũ effigiem, quæ quidem individualis conuenientia dicitur consanguinitas. Attamen uirtus illa paterna non secundum totam perfectionem descendit in filium, & debiliùs elabitur in nepotem: quia utiq; rõne ut lib. 11. Etymologiarum. ca. 6. ait Isidorus, & refertur dist. 35. q. 4. c. Consanguinitas, dum uirtus illa paulatim per propaginis ordinem exhauritur, consanguinitas extinguitur. Quemadmodum in arbore truncus radicibus proximus robustior est, mox rami, quò trunco propinquiores, eò sunt ualentiores: deinde tamen ramusculi adeò propagantur exiles, ut tandem in cacumine euanescant. Ricardus uerò & alij non

Filius patrem quoq; imitatur.

Nota.

Similitudo.

Ricardus.

non prorsus hanc rõnem approbãt, eo ꝙ hæc uirtus fortior est multò in uno q̃ in alio. Et ideo consanguinitas in uno stipite latiùs propagaretur, quàm ab alio descendens. Non tamen tam superstitiosè rõnes quæ à similitudine ducuntur usurpandæ sunt, sed secundum ea, quæ plurimum contingunt. Et certè similitudo arboris optima est: nã illo modo nobilitates, familięq; strennæ & illustres quò à trunco plus elõgantur, eo magis degenerant, & tandem fieri cõtingit, ut in paupertatem collapsæ dispereant. Atq; hac de cã iura primogenituræ, & facultatum diuitiarumq; amplitudines inuentæ sunt, ut domus illustres ueluti ossa reipublicæ & columnæ perseuerarent: nam genus & uirtus, ut ait Lyricus, sine re uilior alga est. Accedit nihilominus & alia ratio, quòd cùm consanguinitas, ut ait Philosophus, genus sit amicitiæ, eatenus protenditur, quatenus secundùm cõem cursum eiusmodi amicitiæ affectionisq; respectus & cognitio perdurat. Per quot autem gradus iure naturæ dilatetur, art. 4. uidebimus.

Ratio. 3.

Sol. 3. arg.

¶Ad tertium per idem respondetur fundamẽtum. Non, inquam, cõicatio sanguinis nudè considerata consanguinitatis nomẽ obtinet, sed quatenus est amicitiæ & humanitatis fundamentum. Brutæ uerò animantes, quia cognitione finis carent, & libertate, qua suarum possint actionum habere dominium, non sunt amicitiæ capaces: tametsi nonnullam præ se ferant societatis effigiem & amoris. Ob idq; in brutis consanguinitas non habet locum.

In brutis.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm consanguinitas per lineas & gradus commodè distinguatur.

Partis negatiuæ. arg. 1.

QVoniam consanguinitas instar arboris depingit, quæritur utrùm per lineas & gradus distinguatur. Et arguitur à parte negatiua. Linea cõsanguinitatis nihil aliud est, quã personarum collectio, quæ sunt consanguinitate coniunctæ: collectio autem huiusmodi eadem ipsa consanguinitas est: non ergo linea pars est, ex qua consanguinitas constet.

2. Arg.

¶Secundò. Gradus est habitudo distantiũ personarum, consanguinitas aũt est propinquitas unius ad alium: distãtia uerò & propinquitas sibi opponuntur: ergo consanguinitas non cõstat ex gradibus, alioqui unum contrariorum componeretur ex altero.

3. Arg.

¶Tertiò. Si consanguinitas per gradus distinguitur, & cognoscitur, sequeretur quòd quicunq; inter se eodem gradu distarent, æquali consanguinitate tertium attingerent: consequens tamẽ est falsum, ut colligitur ex can. Gregorij. Porrò. 35. q. 5. nam ego & frater meus in primo gradu distamus: & tamẽ filius fratris, qui primo gradu distat à suo patre, secundo distat à me.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium autem est autoritas Isidori, quæ refertur eadẽ caus. & quæst. cano. Primo gradu. & can. Ad sedem. Alexandri. 2. quibus consanguinitas per lineas & gradus distinguitur.

Linea ꝙd̃.

¶Ad intelligentiam quæstionis huius prænosse oportet, quòd linea consanguinitatis, ut D. Tho. hic & doctores aiunt, est ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum ab eodem stipite descendẽtium diuersos cõtinens gradus. Collectio aũt personarum, ut ad primum argumentum cum D. Tho. respondeamus, non est est idem quod consanguinitas: nam collectio sunt ipsæ personæ complexim sumptæ, ut pater filius & nepos &c. Veluti populus est personarum multitudo. Consanguinitas uerò est relatio ipsa: putà, habitudo & respectus inter personas: ueluti ordo est relatio inter magistratus & reliquos ciues. Itaq; linea dicit personas, quę sunt relationis consanguinitatis extrema.

Sol. 1. arg.

Gradus quid.

¶Gradus uerò est habitudo distantiũ personarum, qua cognoscitur quanta distantia personæ inter se differant: ut habitudo filij ad patrem est primus gradus: quoniã inter illos nulla persona media distat, sed dicitur primus gradus: quia est prima distantia. Gradus quippe ascensum siue descensum significat: descensus aũt duo extrema & terminos designat: scilicet, à quo & ad quem. Quare eiusdem ad se ipsum gradus esse non potest. Et ideo cauẽda est fallacia, quam quis posset cõtrahere, imò aliqui contrahunt ex illo uerbo Instit. & ff. de gradib. desumpto ab Isidoro can. Primo gradu. 35. q. 5. ubi habetur, quòd primo gradu sunt suprà pater mater, infra filius filia. Non enim pater & mater ponuntur primus gradus, sed ut primum extremum

Obiectio. mum primi gradus, qui terminatur ad filios. Quòd si arguas. Gradus idē est, quod consanguinitas: nam eadem ipsa distantia inter patrem & filium est consanguinitas.

Dilutio. Respōdetur, quòd quanuis eadem intercapedo sit gradus & consanguinitas, diuersis tamen rōnib. consideratur: nam per idē spacium res duæ appropinquāt: per quod distant. Propinquitas ergo filij ad patrem est consanguinitas, sed qua rōne distat dicitur primus gradus: & ideo sunt duæ re-

Sol. 2. arg. lationes rōne distinctæ. ¶Et per hoc respondetur ad secundum argum. Distantia enim hmōi & consanguinitas non opponuntur, sed sunt idem re rōne diuersa. Sed distantia illa, quæ eo usq; à primo stipite procedit, ut oēs consanguinitatis gradus transgrediatur: nempe, si in quinto gradu quis ab stipite distaret, illa iam esset con-

Linea. sanguinitati contraria. ¶Hinc fit, quòd linea ex plurib. gradib. constat: est. n. linea personarum series, ut quæ constat ex patre, filio, nepote, pronepote, & abnepote. Quòd si arguas. Linea inter duo tantùm extrema puncta secundùm Philosophos concluditur: ergo non potest ex plurib. cōstare gradib. Distinguitur antecedens. Si enim accipiatur linea pro una dimensione & specie quantitatis, ut superficies & corpus, conceditur duo duntaxat habere puncta in actu, sed tamen habet plura in potentia: quia in quolibet puncto secari potest, ut in duas medietates, & quatuor partes &c. Impræsentiarum uerò accipitur linea pro rebus ipsis dimensis, & linealiter ordinatis, quæ quidem linea constat ex plurib. unitatibus seorsum diuisis, sicut numerus. ¶Ex his ergo colligitur affirma-

Cōclusio. tiua conclusio, qua ad quæst. respondetur. Cōsanguinitas per lineas & gradus distinguitur. Quod est dicere, Sanguinis propinquitas instar arboris per ramos pluresque subinde ramusculos diffunditur & propagatur. ¶Distinguitur autem linea triplex:

Linea triplex. scilicet, descendentum, ascendentium & transuersalis, quæ est collateralium Nam cùm consanguinitas, ut 8. Ethic. ca. 12. ait Philosophus, sit sanguinis communicatio, triplex, inquit, est. Vna siquidem considera-

Cōsanguinitas triplex. tur secūdùm habitudinem principij ad principatum, qualis est descensus patris ad filium, filijq; ad nepotem &c. Vnde ait quòd patres diligunt filios tanquàm partes ab ipsis decisas, atq; ab ipsis existētes. Alia uerò est secūdùm habitudinem principati ad principium, qualis est ascensus filij ad patrem, & patris ad auum, &c. Et ideo ait, quòd filij diligunt patres tanquā illos, à quibus existunt, & sicut partes suū totum. Quo fit ut hæ duæ lineæ non sint re diuersæ, sed sola ratione & considera-

Transuersalis. tione: nam per eandem scalam descenditur & ascenditur. Tertia est linea transuersalis, quæ ad collaterales trāsfuertitur, qualis est inter duos fratres, & inter duos fratrueles, qui sunt fratruum filij: & inter patruum, qui est frater patris, & filiū fratris. Igitur si hunc ramorum ordinem & graduum consanguinitatis inspexeris, reliqui omnes gradus à primo, qui est inter patrem & filium oriuntur, & in illo tanquam linea in centro connectuntur. Ratione. n. patris auus & proauus connectuntur filio eiusdem patris, sicuti & nepos & pronepos, & reliqui ratione eiusdem filij uniuntur eius patri & superioribus. Item fratres ratione parentum inter se uniuntur: & ratione eiusdem trunci colliguntur patrueles cum consobrinis, & omnes breuiter transuersalis lineæ. Veluti omnes affines, ut dist. seq. dicturi sumus, cōpinguntur & compaginantur in uinculo mariti & uxoris. Etenim quia illi per copulam carnalem efficiuntur una caro, omnes consanguinei uxoris efficiuntur affines mariti, & uicissim omnes consanguinei mariti fiunt affines uxoris.

¶Hanc consanguinitatis arborem, ut 35. q. 5. & in titulo de consanguini. & affinita. est uidere, tanta ramorum & ramusculorum multitudine interpretes depingunt, ut confusionem potiùs oculis quàm lucem offundant: cùm tamen ad rei intelligentiam satis sit duas lineas ab eodem stipite quatuor gradib. cadentes sub hac bicorni forma delineare.



Declaratio arboris.

IN qua utique figura ab Adam primo parente per alterutram lineam rectà descéditur, cuius primus gradus est filius, secundus nepos, tertius pronepos, & quartus abnepos. Et per eandem rursus ascenditur: eo tamen ordine, ut qui erat descendendo abnepos, relinquatur tanquam primus filius & terminus. Vnde primus gradus sit pater, qui descendendo erat pronepos. Secundus, auus: & tertius, proauus: & quartus, abauus, qui est ipse Adam. Transuersim autem ab una linea ad alteram diuertatur, ut inter duos primos filios & filias qui sunt germani fratres primus gradus agnoscatur: & inter nepotes, secundus &c.

Iuris ciuilis & canonici discrimen.

¶Verum est tamen quòd in ista supputatione transuersalium linearum diuersam rationem Cæsares suis ciuilibus legibus secuti sunt, quam in suis canonibus Pontifices. Nam iure ciuili ex uno gradu Iuris canonici fiunt duo: qua utique ratione duplantur, ac subinde reduplantur, ut Alexâder. 2. can. Ad sedem. 35. quæst. 5. refert, qui quidem canon in concilio Lateranen si ad condemnandum supputationem ciuilem sancitus fuit. Enimuerò Iustinianus in Authentica, de hæredibus ab intesta. uenient. colla. 8. ob solam successionem hæreditatum ab intestato, gradus constituit, quam ideo decurtare uolens, cùm usque ad sextum gradum eiusmodi hæredes uocarétur, cogitauit sextum in tertio hac ratione terminare, quòd cùm unusquilibet filiorum uno gradu à parentibus distet, finxit duos inter se fratres duob. gradibus distare: scilicet, ut unus distaret ab altero uno gradu, & alter ab altero reciprocè altero gradu. Et eadem ratione de nepotibus: quia uterque ab auo distat duobus gradibus, promulgauit ambos inter se quatuor gradibus distare. Ac subinde pronepotes in sexto, ultra quem gradum noluit ab intestato hæredes succedere. Et potest in fauorem huius ciuilis diuisionis sic argui: Sicut nepos distat ab auo duobus gradibus, ob id quòd filius interstat medius, ita & duo filij uidentur duobus distare: quia pater est medius. Respondetur tamen, quòd inter filios non est medius pater, quasi filij sint duo extrema distincta in eadem linea, sed quia ambo eadem linea & gradu cadunt ab ipso. Et ideo ius canonicum non habet rationē numeri personarum cadentium ab stipite, sed solius distantiæ & casus, qui est unus amborum fratrum.

Iustinianus

Argumen.

Solutio.

Aliud exemplum.

¶Quòd si rursus arguas. Filius propinquior est sanguine patri quàm fratri suo: distat autem uno gradu à patre: ergo pluribus à fratre. Respondetur, quòd sicut una albedo esse potest altera maior uel intensiuè propter maiorem perfectionem, uel extensiuè, quia per maiorem quantitatem dilatatur, ita filius est magis consanguineus patri, quàm suo fratri ex eodē patre: quia arctius & perfectius est uinculum inter genitum & genitorem: eo quòd sunt sicut effectus & causa, quàm sit inter duos fratres, qui non se habent nisi sicut duo effectus ad eandem causam: licèt frater non sit propinquior suo patri quàm suo fratri: quia fratres non distant à se inuicem nisi quantùm distant à patre, qui est unus gradus.

Dilatio.

¶Refert subinde idem ibidem Pontifex quorundam morem, qui non primum patrem, sed primam generationem stipitem constituunt: & quia prima generatio est filiorum, supputationem à filijs tanquàm à primo trunco exordiuntur, ut primus gradus sit à filijs in nepotes, & secundus in pronepotibus. Et fuit fortè ab Isidoro desumptus can. Series 35. q. 5. ubi ait, ¶ filius & filia: scilicet, frater & soror, sit ipse truncus: sed nepos & neptis primus inde ramusculus. Sed tamen ecclesia iam uniuersalis non habet nisi unum supputandi modum ut primus gradus sit inter germanos fratres ut ait Zacharias Papa can. Parentelæ. eadem cau. & quæst. Secundus inter nepotes, qui si sint fratrum filij fratrueles dicuntur, & si sororum, sobrini: hoc est, sororini, & tertius inter pronepotes: ac denique quartus inter abnepotes. Quanuis iam omnes isti sub fratribus collaterales consobrini dicantur.

Mos supputationis quorundam.

Regula generalis.

¶Hinc ergo iudiciaria regula & index colligitur. Ad cognoscendum enim quoto gradu duo inter se distent, animaduertendum est, utrùm sint ambo in eadem linea recta: an uerò sint collaterales duarum linearum. Si sunt in eadem linea, & inter illos nulla est persona media, sunt consanguinei in primo gradu, ut pater & filius. Si uerò intersit persona media, tunc connumeratis omnibus medijs & extremis, sunt in tot gradibus, quot sunt personæ una dempta. Vt quia pater & filius & nepos sunt tres personæ, nepos distat ab auo secundo gradu, & pronepos tertio, & sic descendendo. Si uero illi duo sint transuersales in diuersis lineis, & æqualiter ab stipite distent, quoto gradu distant ab stipite, distant inter se. Vt fratres distant inter se primo gradu, quo distant à patre. Si uerò ab stipite inæqualiter distent, tùc quoto gradu remotior distat ab stipite, distant & ipsi inter se. capit. Vir qui ab stipite. de consang. & affinita. ut filius Adæ Abel distabat ab Enos nepote Adæ duobus gradibus, quibus Enos distabat à suo auo Adā. Et idem Abel tertio gradu distauit à Cainam pronepote eiusdem Adæ, & in quarto à Malaleel abnepote eius. Et ratio huius regulæ liquida est hæc: quòd cùm collaterales non habeant in se consanguinitatem, nisi quam habent ratione primi stipitis, in quo uniuntur, nullus unius lineæ maiorem habere potest propinquitatē ad lineam alterius, quàm habet ad stipitem: & cùm propinquitas inter duos sit relatio æqualitatis & similitudinis, sit ut abnepos non sit propinquior filio abaui, quàm sit ipsi abauo: putà, in quarto gradu, atque adeo nec filius abaui sit eidem abnepoti propinquior quàm in eodem quarto gradu. ¶Igitur si oculum ad figuram suprascriptam retuleris, & postremum: nempe abnepotem unius lineæ, conferas ad alterā lineam, omnes eodem gradu attingit: scilicet, quarto: uidelicet, abnepotem alterius lineæ, & pronepotem, & nepotem & filium. Si uerò filium unius lineæ ad alteram conferas lineam, nō omnes personas eodem attingit gradu: sed filium alterius lineæ attingit primo gradu, & nepotem secundo, sed pronepotem tertio, & abnepotem quarto. Itaque nemo unius lineæ propinquiùs quēquàm alterius attingere potest, quàm attingat stipitem. Potest tamen remotiùs se ad illum habere propter maiorem distantiam eius ab eodem stipite.

In lineatrā sueria.

Regula generalis.

Ratio regulæ.

Nota.

Sol. 3. arg.

¶Et per hoc tertium argumentum principale solutum restat: nam quanuis auus & nepos eodem gradu inter se distent, tamē filius eiusdem aui, qui est nepotis patruus, primo gradu attingit auum, & secundo nepotem: quia respectu radicis non æqualiter distant.

In linea recta.

Appēdix.

¶Hinc rursus sequitur, quoscunque duos siue in linea recta, siue in transuersali eodem gradu inter se differe. Quo enim gradu Petrus refertur ad Paulum, Paulus refertur ad Petrum: licèt non semper ad stipitem eodem referantur. Filius enim & nepos in eadem linea inter se in primo gradu referuntur: quia se habent, ut pater & filius, sed tamen ab auo pater distat uno gradu, & nepos duobus. Et idem est de filio unius lineæ, qui est patruus nepotis alterius: referuntur enim inter se secundo gradu, sicut nepos ab auo: & tamen filius ad eundem auum non refertur, nisi primo.

Nota.

Vsus communis supputandi.

Circa dispensationem.

¶Atque hoc obseruandum est, ut dum de dispensatione inter istos gradus sermonē habituri sumus, perpēdamus, quòd si unus ab stipite distat quarto gradu, licèt alius distet non nisi tertio, uel secundo, non tamen uidetur maior facienda difficultas, quàm si ambo essent in quarto: quia non sunt sanguine propinquiores.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm gradus quispiam consanguinitatis in linea recta iure naturali matrimonium impediat.

PLantata cōsanguinitatis arbore per suasque lineas & gradus distributa, reliquū fit, ut exploremus, quemadmodum conciliandis nuptijs impedimentum obijciat. Et quia hoc potest iure naturali diuino & humano cō tingere, exordiendo à iure naturali arguitur, quod nullus consanguinitatis gradus tali iure matrimonium impediat. Nulla mulier tam propinqua uiro esse potest, quàm Eua fuit Adæ: quæ quidem confessio ipsius fuit dicentis Gene. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: fuerunt nihilominus matrimonio coniuncti: ergo nulla carnis uel sanguinis coniunctio iure naturæ coniugalem nexum exhorret.

Partis negatiuæ argu. 1.

¶Secundò. Si lex naturalis inter parentes & natos matrimonia impediret, similiter & auos & nepotes à nuptijs arceret: nam aui, magni patres dicuntur: hoc tamen falsum esse uidetur: nam si talis esset prohibitio naturalis, consequeretur, ut nec matrimonium inter auum & neptem esset fixum, atque adeò dum conuerterentur ad

2. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fidem esset necessariò rescindendum: consequens autem uidetur, ut falsum decerne re Innocen. c. Gaudemus, de diuortijs, ubi ait, quòd qui in secundo uel tertio gradu contraxerunt, non sunt separandi.

3. Arg. ¶Tertiò. Ius naturale est, qđ natura omnia animalia docuit: sed brutæ animantes nullum in coitu sanguinis respectum habent: ergo ius naturæ hominibus talem respectum habere non iubet.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est, quòd illud iure naturæ matrimonio obstat, quod eius fini repugnat: fratres autem matrimonio coniungi fini generationis obstat: nam idem Gregorius loco citato ait, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere: qua ratione illud interdicit: ergo iure naturę impeditur.

Decisio ar. ¶Quæstio hæc præcipui momenti est, & à plerisq; doctorum multis agitata nominibus. Quo autem fulgentiori luce procedat, proponendæ statim ante oculos sunt nuptiarum prohibitiones, quas antiquo populo Leui. 18. Deus præscripsit, quæ quamuis sint numero duodecim, ad sex tamen gradus penitiùs perspectæ resoluuntur. Prohibentur nanque nuptiæ in primo & secundo gradu in linea recta consanguinitatis: scilicet, inter patrem & filiam, & matrem & filium, qui est primus gradus: & inter auum & neptem, ac subinde inter auiam & nepotem, qui est secundus: atque in transuersali quidem in primo, ut inter fratrem & sororem, & in secundo ascendédo: scilicet, inter consobrinum & amitam scilicet sororem patris & pariter cum matertera uidelicet sorore matris. Isti enim, licèt duo appareant gradus, non est nisi unicus: scilicet, secundus consanguinitatis ascendentium in linea transuersali. Rursum inter affines prohibentur quoq; matrimonia in primo gradu duobus modis: scilicet ascendendo & ad latera. Primo modo, ne quis agnoscat matrem & filiam: putà, ne quis ducat priuignam: id est, filiã uxoris suæ, neque gener socrum suam: neque una nubat patri & filio: uidelicet, ne nurus nubat socero patri mariti sui, neq; priuignus ducat nouercam. Omnes enim isti quatuor sunt idem gradus affinitatis. Prohibetur etiam secundo modo matrimonium in primo gradu affinitatis: uidelicet, ne quis ducat sorores duas, aut una duob. fratrib. nubat. Hic. n. ét primus gradus est licét non tam efficax ut priori modo. Disputatio aũt de duob. modis primi gradus affinitatis ad proximam attinet distin. At quoniam oẽs quatuor gradus consanguinitatis nimium extenderet articulum unum, in duos eum secuimus. ¶In capite ergo totius disputationis id præstitue re oportet, utrùm prohibitiones illæ Leui. 18. uim modò in lege nostra retineant. Operæpretium. n. est hanc qõné ad duos effectus dissoluere. Primùm ad uidẽdum, utrum infideles, qui in illis gradib. contraxerunt, si modò conuertantur, sint separãdi. Et deinde ad iudicandum, utrùm Papa modò possit super aliquem illorum graduum dispensare. Hæc. n. duo mẽbra mutua consecutione connectuntur. Si. n. ius illud diuinum modò perseuerat, nullum est matrimonium inter infideles, nec Papa dispensare potest. Si uerò abdicatum est, utriusq; membri contrarium est tenendũ. Et quidem qõ non solum cum hæreticis disputanda est, uerum, & inter catholicos controuertitur. Etenim Vuitcleff, ut est uidere apud Vualdensem tomo. 2. de sacra. c. 134. dicebat oẽs illas prohibitiones modò uim suam iure diuino retinere: & ideo in illis gradibus matrimonia esse illicita, nec esse dispensabilia: ecclesiam tamen nõ posse alios prohibere. Eundemq; errorẽ mordicus tenent Lutherani. De hoc uerò secundo membro. s. de ecclesiæ facultate ad prohibendum gradus arti. 5. nos docebit: sed primum est modò examinandum. Atqui inter catholicos, saltem si in superficie illos aspexeris, cõis ferè opinio est, illos gradus esse modò iure diuino prohibitos. Ita tenere uidetur Bonauentura dist. præsenti. art. 1. q. 2. & eod. loco Ricardus. Imò & S. Th. d. 39. art. 3. ad 3. argu. ait, qđ si infideles, qui in gradib. contraxerunt in Leuitico prohibitis, conuertantur, sunt separandi. Et Sylues. uerb. Matrimonium. 8. q. 6. & uerb. Papa. §. 17. ait, omnes ferè illos gradus esse iure naturæ prohibitos, in quibus ideo Papa dispẽsare non ualet. Et idem ait Maioris. Et potissimum Valdensis. At uerò Paluda. moderatiùs se exponit dicens, quòd ferè omnes gradus illic prohibiti sunt de iure naturæ. Cui subeisdem uerbis adstipulatur Arch. Floren. 3. par. tit. 1. capit. 14. In contrario extremo sunt Caie. & Thomas de Argentina, qui dicunt, ius naturæ solùm parentes & liberos prohibere, non tamen fratres.

Inter affines duplici ter prohibẽtur nuptiæ.

Leuit. 18.

Gradus prohibitio Leui. 18. an de ret modo

Cõis opinio catho licorum

Vuitcleff.

Maioris.

Sylues.

Paluda.

¶His

1. Conclusio. ¶His tamen prænarratis opinionibus ad quæstionem tribus respondetur conclusionibus. Prima. Præcepta illa prohibitoria Leuitici ea ratione, qua illa lege posita sunt, nullũ apud nos uigorem retinent, sed prorsus extincta cessarunt. Solùm aũt per sistunt quatenus moralia sunt: uidelicet, quatenus uim retinent naturalis iuris. Posterior pars nota est: quia Christus ius naturę non quidem extinxit, sed potiùs perfecit. Prior uerò pars probatur. Certũ. n. est totam illam uetustam legem, qua ratione illi populo posita fuit, penitus per Christum abolitam fuisse & antiquatam. Venit enim, ut eam adimpleret, ut idem ait Mat th. 5. Et ideo in morte eius & resurrectione, ubi tota ueritas, cuius ipsa fuerat figura, cõpleta est, illa fuit extincta, quod uerbum illud in cruce probatũ significat. Cõsummatũ est. Vnde Pau. ad Heb. 7. Translato sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat: cùm ergo in Christo translatũ fuerit sacerdotium ueteris legis in sacerdotium Melchisedech, fit ut & legis translatio facta fuerit. Et subdit. Reprobatio quidem fit prioris mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Et ad Heb. 8. testimonium Hieremiæ. 31. ad id cõfirmandum refert, Ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel testamentum nouum. Vnde subdit Pau. qđ nouum antiquauit prius: quod aũt antiquatur & senescit, prope interitum est. Idẽq; confirmat ad Rom. 7. per mulieris similitudinem, quæ sub uiro est, mortuo tamen uiro soluta est à lege uiri. Sic enim nos per mortẽ Christi liberati sumus à lege ueteri. Et ad Galat. 4. id ipsum per allegoriam Abrahæ declarat, qui habuit duos filios, unum de ancilla, & alterum de libera, qui duo testamenta significant: sed filius ancillæ eiectus est, & filius liberæ mansit, quo lex nostra libertatis designatur. Quocirca, ut Actuum. 15. legitur, apostolorũ concilio, Pharisæorum pertinaciã contendentium, circuncisionem cum euangelio seruandam sic pronunciauit, Visum est spiritui sancto & nobis nihil ultra uobis imponere oneris quàm hæc necessaria &c.

Lex uetus antiquata.

Paulus.

Hebræ. 8.

Rom. 7.

Ad Gal. 4.

Nota. ¶Igitur doctores huc deberẽt oculos cõijcere, ut intelligerent, nullũ posse argumentum desumi ex prisca illa lege modò post Christũ passum, nisi quatenus natiuã uim habet naturalis iuris. Quinuerò oculatiùs deberent attendere, hæresim esse illas prohibitiones, quatenus legales erant, modò tanquam obseruandas allegare perinde ac si legé circuncisionis retinere cõtenderẽt.

Ratio optima. ¶Et accedit præterea euidentissima ratio, Præcepta illa Leuit. 18. quatenus erãt præcepta illius legis Mosaycæ alias gentes nõ obligabant, quæ lege circuncisionis nõ tenebantur: ergo neq; nos lex illa modò obligat: quia non magis nos, quàm Gentiles comprehendit: si quidem ab illa, ut Roma. 8. ait Paulus, iam nos Christus liberauit. ¶Solùm ergo perpendendum est, quantum iuris naturalis illæ prohibitiones cõtineant: quoniam non amplius nos obligant.

Obiectio. ¶At uerò fortasse quispiam obijciat hic nobis August. q. 53. super Leuiti. ubi ait, omnia illa mandata in decalogo esse præconcepta, insinuans esse moralia: quo testimonio Vualden. Tom. 2. de sacram. c. 134. fundatur, ut dicat omnes illa prohibitiones nunc esse de iure diuino.

Dilutio. Verumtamen, ut demus quodãmodo esse moralia, non tamen subinde colligitur, ut illa uirtute matrimonia dirimãt. Aliud quippe est, rem aliquam præcepto morali & naturali esse prohibitam, aliud uerò eodem iure esse irritã. Nã prohibitio moralis solùm inducit peccatũ si contra fiat, non tamẽ subinde si fiat, euacuatur & irritatur. Iure. n. diuino & naturali prohibita est beneficiorum incompatibiliũ multitudo, & peccatum est illa possidere, nõ tamẽ ideo collatio eorũ non tenet. Item prodigalitas iure naturæ prohibetur, & tñ prodiga donatio tenet. Præterea q̃ post uotũ simplex castitatis matrimoniũ cõtrahit, peccat qdem, sed eius nihilominus matrimoniũ tenet. Et post spõsalia aliud mr̃imoniũ cõtrahere, peccatũ est cõtra ius naturæ, & tñ mr̃imoniũ ualet. Et mr̃imoniũ clãdestinũ quãuis sit culpabile, nihilominus est ualidum. Quin uerò prohibitio illa, cuius supra meminimus, ne populus ille cũ gẽtib. illis ter rę p̃missę mr̃imonia necteret, fortasse nõ erat nisi obligatoria sub reatu mortali, nõ tñ q̃ nuptias irritaret: nã hoc sub lite reliq. mus. Pariter ergo ex illis p̃hibitionibus Leui. 18. planè colligit, absurdũ esse pctñ iure naturę talia mr̃imonia cõtrahere, nõ tñ subinde cõsequit esse nulla. Sed solũ subsequit, expediẽs fuisse mõ in lege euãgelica, ut illa mr̃imonia iure positiuo impedirent, ut factũ ẽ. Et accedit sup hęc oĩa ma-

Simile.

Prohibitio Leui. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ratio. 1.

gnum argumentum, quòd in Leuitico aliqui gradus uetantur, quibus iure naturæ si miles non uetãtur. Prohibetur nanq; consobrinus cũ amita uel matertera: hoc est, cum sorore patris aut matris copulari, & tamen non prohibetur neptis seu consobrina patruo uel auunculo nubere, cum tamen iure naturæ idem sit gradus. Illud enim, Turpitudinem patrui tui non reuelabis, non sic intelligitur, ut neptis non nubat patruo, sed quòd consobrinus non ducat uxorem patrui. Cũ enim dicitur, Turpitudinem patrui tui nõ reuelabis, per modum expositionis subditur, Neque accedes ad uxorem eius, qui tibi affinitate coniungitur. Si ergo de iure naturæ aliqua illic uetantur, & aliqua permittuntur, non est cur nunc illæ prohibitiones tanquã iure naturæ matrimonium dirimentes sint auscultãdæ. ¶Restat ergo in illis prohibitionibus energia esse perpendendã, quam à iure naturæ mutuantur. At uerò non desunt qui dicãt cunctas prohibitiones illas esse de iure naturæ, ut est d. præsenti Palu. cui Archiepiscopus Floren. 3. par. tit. 1. c. 14. subscribit, ait, ferè oẽs esse de iure diuino. Et recẽtiores, in quibus est Ioan. Maioris, & Sylue. ver. Papa. §. 17. illa ratione arbitrantur non posse super illis Papã dispẽsare. His tñ non obstantibus dicendũ est, sic oẽs prohibitiones illas esse de iure naturali, ut tñ inter eas sit ordo dignoscendus. Multiplex quippe discrimẽ est in iure naturæ: quædã. n. sunt tanquam prima principia. alia uerò tanquã cõclusiones propinquiùs lõgiusve ex illis deductæ. Igitur inter eiusmodi prohibitiones, aliquæ sunt sic iure naturæ ualidæ, ut eodẽ iure matrimoniũ irritent, atque aliæ, quæ licèt iure naturæ id prohibeant, nõ tñ eodem iure irritent: attamẽ cõgruit, ut ecclesia sic talia matrimonia cohibeat, ut eadẽ casset & annullet, sed nihilominus poterit super ipsis dispẽsare. ¶His ita præhabitis sit huius articuli conclusio secunda. Inter patrem & filiam, sicuti inter matrem & filium iure naturæ ac perinde diuino sic prohibitum est matrimonium, ut quanuis nulla alia lex id prohiberet, esset nullum. Et ideo prohibitio hæc Leui. 18. in capite posita fuit. Turpitudinẽ patris tui & matris tuæ nõ discooperies. Mater tua est, non reuelabis turpitudinẽ eius. At quia dictum est, uim illius legis solo iure naturæ esse perpendendã, illud est perspiciendum. Rationes aũt à natura, pfectas adfert hic D. Tho. quatuor, sed luculẽtiùs. 2. 2. ubi de incestu disputat. q. 154. ar. 9. Quæ quidẽ quanuis ad alios consanguinitatis gradus referri ẽt possint, tñ ad parẽtes & liberos peculiari emphasi attinent. Prima sumitur, à turpitudine contra primũ finem matrimonij Et est hæc. Illud est matrimonio cõtrahendo cõtrariũ, quod eius potissimo fini, qui est generatio aduersatur: congressus aũt parentũ cum liberis eidẽ fini è diametro opponitur: ergo est impedimentũ dirimens. Probatur minor. Nã etsi pater ex filia posset filios suscipere & educare, sicuti & filius ex matre, id tamẽ fieri neqret, nisi modo inde dedecẽtissimo & fœdissimo. Etenim iura oia diuina & naturalia cõsonantissimo cõcentu sibi mutuo cõcordant: iure aũt naturæ & diuino liberi tenentur parentes reuereri adeò, ut quemadmodũ 5. Ethi. ait Philo. ipsis ueluti Deo paria debitis obsequia reddere nõ possimus: ad reuerentiã aũt potissimũ attinet, ut eorũ, quos uenetamur, hõorem colamus, & ipsorũ pudicitiæ, & honestatis simus in primis custodes. Qua ratione Val. Maxims refert, liberis inter Romanos non fuisse permissum simul cum parentibus balneari, ne se nudos conspicerent: in re autem uxoria summa detegitur turpitudo, adeò ut ipsæ coniuges pudore tunc suffundantur: reuerentiæ ergo, quam liberi parentibus debẽt, maximè repugnat eorum turpitudinem detegere. Atq; hæc causa est, quam lex citata diuina cõmemorat.

Prohibitiones Leuit. 18. an sint oẽs iuris naturę.

Ius naturæ multiplex.

2. Conclu.

Ratio. 2.

¶Secunda ratio sumitur à concupiscentia cõtra secũdũ matrimonij finem: & est hæc Matrimonium præterquam in officium generationis, institutum etiam est in remedium cõcupiscentiæ: si autem inter parentes & liberos, imò & inter illos, quos necesse est in eadem familia commorari, licitum esset, ingens offerretur periculum rei Venereæ: assidua quippe illa conuersatio de se incendium esset libidinis. Quòd si arguas. Etiam mulieris pulchra forma irritat: & tamen non impedit matrimonium. Hoc uerum est, sed tamen potest eius consortium caueri. Conuersatio aũt intra easdem ædes creberrimas offert illecebras & lapsus occasiones: quare nisi uetitum esset inter domesticos matrimoniũ, oẽs domus incestibus fordesceret. Quare & uxor zelotypia exureretur in maritum & filias: solent enim patres nimium esse filiarum amantes: quare uxores nunquam auderent filias permittere ut in secessu cum patribus colloquerentur, aut illos amplexarentur: sed religio, quæ tales nuptias abominatur, facit ut commercia illa tutò permittantur. ¶Tertia ratio eodem prorsus tendit, quæ est. 2. Politic. Aristot. ubi contra politiam Socratis easdem incestas nuptias reprehẽdit. Amor enim uenereus illi, qui ex sanguinis coniunctione oritur, adiectus nimium ardoris libidinem suscitaret, & inritaret: nam cùm per se uterque ingẽs sit, illẽ certè, qui consanguineus est, alterum libidinosum, nisi per prudentiam & temperantiam arceatur, parturit: & ideo quando secundus inter cognatos flammas emittit, uehementissimus est, atque adeò nisi inter ipsos interdictæ essent nuptiæ nimiũ homines emollescerent, & matrimonio, quod remedium est concupiscentię, ad maiorem libidinem abuterentur. Documentum profectò rei huius illæ prouinciæ perhibent, quæ postquam sacramentum confessionis abiecerunt, domesticis fœdissimisq; incestibus scaturiunt. Vnde barbarus ferinusq; ille mos erat, quem Oui. lib. 10. Metamor. illo carmine refert. Gentes tamen esse feruntur, In quibus & nato genitrix, & nata parenti Iungitur, ut pietas geminato crescat amore. Quem quidem concubitum idem lib. 7. hoc carmine uituperat. Dextera Cyllene est, in qua cum matre Menephron, Concubiturus erat sæuarum more ferarum. Istæ ergo rationes licèt uehementiorem habeant de parentibus & liberis energiam, de omnibus nihilominus cõsanguineis procedunt. Quare Leuiti. 18. peculiariùs eorum concubitus & matrimonia utebantur, quos in eisdem ædibus commorari conuersariq; oportebat.

Ratio. 3.

Ratio. 4.

¶Quarta demum ratio ad matrimonium, quatenus sacramentum, refertur: & sumitur ex Aug. loco citato. 15. ciuit. Dei cap. 16. Sacramentum enim matrimonij signũ symbolumq; est charitatis Christi & ecclesiæ: ergo ratione sacramẽti charitas est in ter Christianos propaganda & amplificanda: cùm ergo inter cõsanguineos ipsa sanguinis coniunctio charitatem conglutinet, condecens est, ut per nuptiarum uin cula diuersi sanguines affinitate copulentur: quã ratione noua amicitiarum generatio oriantur. Etenim, ut illic ait Aug. si pater filiam duceret, idem esset pater & maritus, imò idem auus & pater. Quæ utique ratio etiam alios cõsanguineos attingit. Si enim frater sorori per connubium colligaretur, idem esset illis pater, & socer. Quòd si rursus nepos & neptis coniungerentur, essent coniuges, & fratrueles, & eorum pater esset eis pater, & socer & auunculus: & mater esset simul socrus & amita: Istæ ergo necessitudines dum ad diuersos sanguines disseminantur, ut alij sint consanguinei, atque alij affines, latiùs honestiùs & pulchriùs possunt propagari. Quin uerò ipsa per se absurditas est, ut tãta confusione iura cõsanguineorum & affinium commisceantur. Ait Paulus, naturali affectione uirum quærere quo modo placeat uxori, & uxorem quomodo placeat uiro: indecorum autem esset maximè patrem solicitum esse quomodo placeret filiæ, & matrem quomodo placeret filio, cùm ius consanguinitatis contrarium iubeat. Et multò absurdius esset, si uir, qui consanguinitate est inferior, per matrimonium fieret superior. Absurdius enim esset cui uehementius natura reclamaret, si filius matrem cognosceret quàm si filia patri nuberet: quia cùm maritus debeat uxoris esse caput illiq; superior, abominatio esset, si si matrem filius superueniret. Et eadem ratione fœdiùs consobrinus ducit amitam, quàm auunculus consobrinam. Honores enim, qui maioribus iure consanguinitatis debentur, ratione affinitatis inter cognatos contractæ indecorè sæpissimè peruertuntur.

Ouidius. 10. Metamor.

Leuit. 18.

Aug. ratio nat.

Paulus.

Matris & filij matrimonium.

¶Sed ut alijs prætermissis gradibus ad parentes & natos reuertamur, hæc superioribus adhibetur ratio naturalis. In generatione, ut superiùs ex Aristotele retulimus, uir se habet ut agens, & fœmina ut patiẽs, qui per copulam efficiũtur una caro: cùm ergo liberi, ut idem ait Philosophus, sint sicut partes parentum, atque adeò pater & filia sint quodammodo una caro sicut pater & filius, natura exhortatur, ut filij & parentes, non coniungãtur ut agens & patiens: esset enim quasi reciproca actio, ut idem ageret in se ipsum.

Matrimoniũ parentũ cũ filijs

¶Atque eam ob rem non ineptè sancti interpretes & hunc quoque sensum ex illis uerbis enucleant, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori

Propter hoc relinquet, &c.

Obiectio.

Dilutio.

Valer. Maximus.

uxori suæ: hoc est, causa huius coniugalis nexus nec pater ascisceretur in maritum, neque in uxorem mater. Quanuis & alter addatur intellectus: scilicet, quòd ratione uandi rei familiari & uxoriæ posthabendi sunt parentes atq; alij cognati.

Alia rō.

¶Accedit in confirmationem huius ueritatis & enormis ætatis disparitas: nā cùm mulier parit, plurimum attingere consueuit annum ferè uigesimum: quando ergo filio nuberet, esset quadragenaria, atque adeò ad concipiendum inepta. Sed quid opus est pluribus? Cùm liberi à parentib. ea ratione prodeant, ut successione perpetua soboles ultra procedat: quid nam scelestius illo nefando regressu excogitari potest, ut uir eundem uterum, unde exijt, de turpare audeat, & fœmina eodem semine, quo sata fuit, polluatur?

Ratio optima.

Barbari.

¶Adde quòd quacunque extiterint Barbari feritate, nulli tamen, aut uix ulli talia matrimonia excogitasse feruntur, quod perquam euidens naturæ documentū est tale facinus abhorrentis. Referunt quidē Tertullianus in Apologetico ca. 9. & Strabo. lib. 15. & Quintus Curtius lib. 7. & nō nulli alij, Persis huiusmodi incesta connubia in more esse. Sed isti si hæc non impostura potiùs, ut quidam aiunt, quàm historia est, non sunt digni qui inter homines adscribātur: est enim huiusmodi ritus belluinus potiùs quā humanus: cùm & bruta etiam ipsa tales perhorrescant congressus. Scribunt enim tum Aristoteles lib. 9. de historia animalium cap. 47. tum & Plinius lib. 8. cap. 42. de camelo & equo, qui operimento contectas matres superuenire coacti, postquàm agnouerunt matres esse, alter camelarium morsu defixo interemit, alter uerò se præcipitem dedit.

Brutæ.

Plinius.

Ambro.

¶Vnde Ambr. lib. 8. epistolarum epistola 66. ad Paternum, contra connubia consanguineorum multa confert, ubi obiter ait, non reperiri specialiter sermone legis prohibitum, ne pater filiam suam accipiat uxorem. Quod quidam putant lapsum memoria dixisse, cùm id Leuiti. 18. expressè prohibitum sit. At uerò Ambro. in illo uerbo, Turpitudinem patris tui non reuelabis, non agnouit expressè prohibitum matrimonium filiæ cum patre: quia non censetur uxor reuelare turpitudinem uiri. Sed turpitudinem patris, putauit appellari uas uxoris patris, quia sunt duo in carne una: atque adeò prohibitum illic expressè matrimonium filij cum matre, sed uirtualiter & implicitè intelligi, ne filia nubat patri. Attamen cùm distinctè sint positæ, turpitudo patris, & turpitudo matris, cōmunis doctorum schola ambo matrimonia censet expressè prohibita. Nam & uxor quodammodo discooperit uerenda mariti.

¶Quòd si scisciteris, utrùm eatenus hoc sit iure naturæ prohibitum, ut etiam natura integra id ipsum uetaret? Videtur enim quòd si primus parens non fuisset præuaricatus, matrimonia inter parentes & liberos non fuissent prohibita: quoniā prima, eademque potissima ratio, quam fecimus, in illo statu non militaret: quādoquidem peccatum fuit in causa, ut hominum nuditas turpis esset & uerecundiam offunderet: etenim quousque primi parētes prolapsi fuere, non fuerunt in obscœnis motibus uerecundiam passi: fit ergo consequēs ut in illo statu absque ulla turpitudine fieret generatio, atque adeò filius matrē cognoscens non reuelaret eius turpitudinē. Item neque timendum tunc fuisset, ne carnis illecebræ ultra iustum excitarentur, quia nihil incommodi illis potuisset accidere: neque uerò opus esset iure nuptiarū amicitiarum uincula prolatare: quia omnes essent sibi satis amicitia deuincti. Respondetur nihilominus, quòd etiam in illo statu natura homines docuisset, nefas esse talia inire connubia. Eandem enim reuerentiam & honorem deberent parentibus liberi, ut modò. Hæc ergo argumenta illius status sæpè fallunt. Etenim quanuis illo durante nullum potuisset peccatum existere, tamen sicut per esum ligni uetiti illum amiserunt, ita eundem per quodcunque mortale delictum contra ius naturæ commissum perdidissent, ut si filius cognosceret matrem, statum perderet, & tunc concubitus ille fieret turpis. Item consanguinei plus se quàm alios etiam tunc diligerent: quare aliæ quoque rationes factæ tunc suo modo militarent.

Ratio 2.

¶Sed acrius dubium est, utrùm usq; adeò iure naturæ sit tale matrimonium repulsum, ut nullam ob causam quantumcunq; publicam possit super eo dispensari. Martinus enim, de temperantia, quæstione de incestu. tenet, ratione boni communis, ne scilicet humanum genus pereat, licere patri filiam, & filio matrem cognoscere. Casus eius est, Si Adam forsan non nisi filias ex Eua susciperet: & intelligeret maribus concipiendis ineptam fuisse. Vel fortè si eam tunc Deus sustulisset in cœlum, tunc, inquit, absque alia Dei dispensatione potuisset ad filiam accedere causa procreandi masculos. Vel demus nūc ex hominib. non esse superstites nisi patrem & filiam, qui crederent orbem abolitum iri, quod filiæ Loth cùm se se patri summiserunt, ar bitratæ sunt, tunc uidetur ille pater causa conseruandi humani generis posse filiam matrimonio sibi adiungere: ueluti dis. 26. q. 1. art. 2. de religiosis diximus, qui non obstante solenni uoto possent tunc matrimonia contrahere; & 33. d. de plurib. uxo tibus eadem necessitate ducendis.

Dubium.

Caieta. opinio.

¶Atqui Caietanus quæst. illa citata. 154. art. 9. usque adeò arbitratur matrimoniū patris cum filia esse indispensabile, ut ob nullam penitus necessitatem, etiam propagandi humani generis posset fieri licitè. Arbitratur, inquam, adeò esse prorsus intrinsecè malum, ut mentiri & furari, à quibus nequitia inseparabilis est. Sed certè plus nimio rem exaggerat. Etenim si tā intrinsecè esset malum, consequens fieret ut neq; Deus ipse posset dispensare: nam ut 1. 2. q. 100. art. 8. autor est D. Tho. cui Caie. ipse fidem adhibet, Deus super his, quæ sunt eo modo intrinsecè mala, ut super præcepta decalogi, dispensare non potest. Et tamen idem Caietanus loco citato insinuat, quòd posset Deus dispensare super matrimonio patris cum filia. Non ergo sibi satis constat.

Soſa autoris.

¶Igitur quicquid ipse uel alij senserint, ego negare minimè auderem, Deum super eiusmodi matrimonium dispēsare posse. Quo fit, ut non sit tam intrinsecè malū, ut mentiri aut peierare. Nihilominus addiderim secundò contra Martinū, casum eius & euentum non esse admittendum: nempe, quòd Eua conceptioni masculorū esse posset inidonea: nam cùm Deus illos parentes ceu prima semina, quibus humanum genus disseminandum erat, creasset, suæ prouidentiæ repugnaret, quòd non essent ambo ad id muneris idonei: aut si per mississet ut propagatio non nisi per tā fœdas nuptias, quales sunt inter parentes & liberos, fieri posset.

Ad Martinum.

Percontatio.

¶Si tamen scisciteando urgeas. Quid si modò non essent in orbe nisi pater & filia, aut mater & filius? Profectò saluo perito rum iudicio, compelli mihi uideor ut dicam, tunc tale connubium fore licitum: quandoquidem non sit tam intrinsecè malum, quàm illa, quæ primis principijs iuris naturæ sunt contraria. Cauillum enim illum, quòd tunc credendum esset, finem adesse mūdi, nunquàm facilè admiserim: nam cùm cognitio illa supranaturalis sit, quia de die illa nemo scit, non esset fas hominibus illud credere, sed tenerentur omnia naturalia remedia adhibere credētes, quòd natura ipsa, & qui eius autor est Deus in tali casu dispensaret. Alij forsan erunt nimium reuelationum amatores, qui dicent, tunc expectandam fore Dei reuelationem. At uerò extra illum casum in tale matrimonium nulla cadit pontificia dispensatio.

Nota.

¶Hoc de parentibus & liberis constituto, quæritur utrùm in linea recta idem ius naturæ remotiores gradu à matrimonio pariter arceat. Ricardus hic, Scotus, Durandus & Paludanus & Caius Iurisconsultus in l. Nuptiæ. 2. ff. de ritu nuptia. (adeò ut communis opinio censeatur) aiunt, lineā rectam in infinitum connubia interdicere, usque adeò ut Adam, qui nongentis triginta annis uixit, si uiduus tunc esset, imò si modo resurgeret, cum nulla posset matrimonium cōponere. Quare Enoch, qui in fine mundi cum Elia appariturus est, cum nulla contrahere fœmina poterit: quoniam Noe, ex quo omnes originē trahimus, eius fuit soboles. Caietanus uerò in illa citata quæst. 154. ar. 9. in 2. 2. & opuscu. ad Clementem septimum de coniugio Regis Angliæ tenet iure diuino solùm prohiberi unus gradus in linea recta: scilicet, parentum & natorum. Et sumpsit fundamentum ex uerbo S. Thomæ in solutione ad 3. ubi ait, quòd in commistione personarum coniunctarum aliquid est, quod est secundū se indecens & repugnās naturali rationi, sicut commistio inter parentes & filios. Aliæ uerò personæ, quæ non coniunguntur secundùm se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex se ipsis indecentiam, sed uariatur illa secundum consuetudinem & legem humanam uel diuinam. Ait ergo Caieta. q. ad rationem filij attinet, ut deriuetur ex sanguinibus utriusque parentis, uel saltem

In recta linea an solus quartus gradus an uerò citeriores prohibeantur.

Caietanus

Verba Sancti Tho.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem matris, ut Christus. Filio autem per accidés contingit habere auos ratione parentum: scilicet, quia patres, alios habuerunt patres: quare filij Adæ absq; auis fuerunt. uerè filij: id autem, quod est per se, secundùm Aristo. est necessarium, ut ignem esse calidum: id uerò quod accidit, est contingens, ut hominem calescere. Quare inter patrem & filiam est necessaria unitas, quæ iure naturæ matrimonium excludit: inter alios uerò non item.

2. Concl. ¶Vtraque uerò opinio uidetur extrema, & ideo constituitur conclusio media, quæ sit huius articuli secunda. Inter auum & nepotem ius naturæ matrimonium cohibet, licèt in infinitum huiusmodi impedimentum non progrediatur. Prior pars probatur quoniam Leuit. 18. post interdictũ primi gradus inter parentes & filios subditur in recta linea de auis & nepotibus, Turpitudinem filię filij tui uel neptis ex filia non reuelabis: quia turpitudo est: quasi nepotes sint etiam quodammodo auorum partes. Quocirca quanuis non omnia illa præcepta sint purè moralia, quæ debeant durare in noua lege, ut dictum est, nihilominus profectò in secundo illo gradu natura ipsa uidetur nuptias execrari: nam & aui solent appellari magni patres. Ob idque rationes suprà de patre & filia factæ si intimè inspiciantur, pari fere uigore militant de auo & nepte. Et ideo licèt non tanta cum turpitudine, tamen accessus aui ad neptem uidetur reciprocatio quædam agentis ad se ipsum tanquam ad passum.

Primæ partis probatio.

Rõ Caietani. ¶Ratio uero metaphysica Caietani licèt non sit omnino inefficax ad probandum longe esse absurdius matrimonium inter patres & filios, quã inter remotiores, non tamen urget, nullam esse fœditatem inter auum & neptem: imo qua parte auus senior est, plus quodammodo deformitatis adfert. Et quanuis non tam per se nepotes ad auos referantur, quàm patres, satis est tam uicinum ab illis sanguinem ducere. Et Diuus Thomas noluit fratres & auos à naturali prohibitione excludere, sed tãtùm in re euidentiori exemplum ponere. Quare non dixit, reliquas personas non habere indecentiam ex se ipsis, sed non ita ex se ipsis habere: id est, non habere tantam.

Secunda pars. ¶Secunda uerò pars: scilicet, quòd progressus non fiat in infinitũ, probatur: quoniam ludicra ridiculaq; uidetur tam longa consanguinitatum series. Et confirmatur primò ratione morali: nam consanguinitas consideratur, ut radix & fons amicitiæ: communi autem ordine naturali amicitia inter ascendentes & descendentes nimium distantes euanescit, & tandem disperit: ergo non est cur semper sit consanguinitas reputanda. Et confirmatur secundò, quia uidemus prosapias & illustrium stemmata temporum longitudine omnino euanescere & mutari, & humano iudicio consanguinitatem aboleri: ligamina uerò naturalis iuris ex communi hominũ iudicio & æstimatione pensari debẽt. Profectò propinquius se uidentur sanguine contingere Hispani, & Galli, & Itali, quã Adam uel eius filij, si modò uixissent, ad nos accederent, imò quàm nos Noe & Iapeth, qui fertur Europam populis repleuisse, attingerent. Accedit quòd consanguinitas, ut diximus, arboris instar propagatur: ergo sicut in arbore atque in alijs rebus datur methodus & terminus, ultra quem non est progredi, ita in consanguinitate.

Ratio 1.

Ratio 2.

¶Sed adhibetur demum & tertia ratio legalis. Etenim si linea recta in infinitum matrimonia interdiceret, id ius ecclesiasticum, quo gradus consanguinitatis prohibentur, admonitum curasset, at uerò sine ulla discrepantia rectæ aut transuersalis lineæ duntaxat fuerunt olim prohibiti uel sextus uel septimus gradus, & modò duntaxat quartus: ergo cùm ecclesia aduersus ius naturæ nihil ualeat decernere, signum est consanguinitatem lineæ rectæ iure naturæ perinde ac transuersalis finiri. Et reuera si modò tritauus, qui à trinepte quinto gradu distat, inter uiuos existeret, à matrimonio cum illa contrahendo minimè cohiberetur. Nam forma capituli, Vir qui à stipite citati tale matrimonium non respuit. Id quod patroni illius infinitatis prospicere debuissent, atque alij, qui dicunt eiusmodi prohibitoriam lineam rectã usque ad uigesimum uel trigesimum gradũ progredi: quod absque ulla uerisimili coniectura temerè, ut libet, diuinare uidẽtur. Certum enim est, quòd quantùm ad nuptias texendas ultra quartum gradũ nulla linea descendit.

Ratio 3.

¶Quo autem ad prædictum secundũ gradum reuertamur, fortasse Papa non ualet inter

inter auum & neptem coniugium dispensando permittere, saltem nunquàm fecisse legitur, nec credo facere auderet: propterea quod aui & nepotes proximè ad parentes & natos accedẽtes, quasi patres & filij reputantur. In alijs uero gradib. rectæ lineæ usque ad quartum, neque ut dispensaret consulendum uidetur, neque si urgenti causa id faceret, reclamandum. Sed res est, quę per quàm rarissimè potest usu uenire.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd etsi Eua ex osse fuerit Adæ cõposita, non tamen eius fuit filia, imò nec consanguinea: quia non fuit genita ex eius lumbis, sed ex osse à Deo diuinitus fabricata, sicut ex eodem osse poterat Deus facere quoduis animal.

¶Ad secundum, si uera sit opinio, quam ueram credimus: nempe, inter auum & neptem iure naturæ matrimonium interdici, necessarium est Innocentium restrictè glossare, & certè ita interpretandus uidetur, in secundo gradu consanguinitatis in linea transuersali: putà, inter patruũ & neptem, & inter fratrueles: & pariter in secũdo affinitatis, & in quocunq; tertio.

Sol. 2. arg.

¶Ad tertium respondetur, q̃ ius naturale ut alibi iam supra dictum est, dicitur illud quod natura oĩa aĩalia docuit, diuersimodè tamen secundùm ingenium quorumcũque animaliũ. Bruta uerò fœderis iuris q; consanguinitatis minimè capacia sunt, quia finem suarum operationum non cognoscunt, atq; adeò nec reuerentiam, quã nati parentibus debent, aut amicitiæ officia: consanguinitas autem ob id uinculum naturale est, quòd inde enascuntur reuerẽtiæ & amicitiæ iura. Item quia cùm non habent suarum actionum dominium & libertatem, sed mero instinctu naturali agãtur, non sunt aut fœlicitatis capacia, aut iniuriæ: ob idque nec consanguinitatis fructu potiuntur, nec propriè eius necessitudinem uiolant.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm aliquis gradus consanguinitatis in linea transuersali impediat iure naturæ matrimonium.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

SVbsequitur de linea transuersali consanguinitatis, & argui tur, q̃ nuptias non impediat. Si enim impediret, maximè primus gradus, qui est inter fratrem & sororem. Quòd autem iure naturæ illas nõ impediat, probatur. Lex naturalis eadem est apud omnes gentes: sed tamen ut Aug. 15. de ciuit. Dei ca. 16. refert: Barbaris gentibus in more sunt fraterna coniugia: ergo non sunt iure naturæ prohibita.

2. Arg. ¶Secundò arguitur. Non solùm filij Adæ matrimonium inter se contraxerunt, ut Caĩm & Seth cum suis sororibus, uerùm & Abraham cum Sara sorore sua matrimonio coniugauit: arguenti enim eum Abimelech, quòd dixisset Saram sororẽ suam esse, cùm esset uxor, respondit, Verè soror mea est filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.

3. Arg. ¶Tertiò arguitur. Si primus: scilicet, inter fratrem & sororem matrimonium iure naturæ impediret, sequeretur, q̃ etiam secundus gradus idem impedimentum secum ferret: putà, inter patruum uel auunculum & consobrinam: nam patruus est alter pater: & ideo simili modo & contextu hic gradus Leuit. 18. prohibitus est, Turpitudinem sororis patris tui aut matris tuæ non discooperies: quod autem hoc nõ sit naturale impedimentum, inde apparet, q̃ ecclesia super hunc gradum dispensare assolet: ergo gradus transuersalis consanguinitatis iure naturæ non impedit.

Pars negatiua. ¶In contrarium tamen est, quòd gradus transuersalis inter fratres etiam est primus, ut inter patrem & filiam: ergo iure naturæ idem contrahendis nuptijs impedimentum obijcit.

Decis. art. ¶Quemadmodum in linea recta consanguinitatis, ita & in trãsuersali duo gradus distinguntur, qui difficultatem habent, an iure naturæ sint impedimenta. Primus em̃ est inter fratres, qui eodem gradu cadunt à patre, & secundus est inter ascendentes & descẽdentes, ut inter patruum uel auunculum & consobrinos, qui ratione prioris uinculi coniunguntur. Et ideo ad quæstionem duabus, ut ad superiorem, conclusionibus est respondendum. Igitur de primo gradu inter fratres Caietanus eodem loco citato. 2. 2. partem similiter negatiuam sustinet, ut de auo & nepte: nempe, quòd iure naturæ fratribus non sunt nuptiæ interdictæ. Idem q; sentit Ricar. dist. præsenti quæstione secunda, & Durand. imò & Scotus. Reliqui uerò præter Caietanũ, uidentur non constanter loqui, sed pugnã

Inter fratres. Caietanus

Dispensari an possit inter patrem & filiam.

tia

tia dicere. Aiunt quippe nō esse illum gradum iure naturæ prohibitum, prohiberi tamen etiam post orbem redemptum iure diuino ob id quod Leuit. 18. habetur, Turpitudinem sororis tuæ siue ex patre siue ex matre non reuelabis. Et ideo autores isti (ut conijcio) non concederent, Papam posse super matrimonium inter fratres dispensare: Sed re uera non seruant dicendi consecutione: quoniam licèt iure diuino uetustæ legis illa fuerit facta prohibitio, modo tamen certè id esse non potest de iure diuino, nisi sit de iure naturali. Nam lex illa quoad cæremonialia & iudicialia, ut satis supra monstrauimus per euangelium exposa est, sed solùm quantum ad moralia perseuerat: præcepta uerò moralia sunt de iure naturæ, præter præcepta supranaturalia fidei & sacramentorum, quæ Christus in euangelio adiecit. Cùm ergo idem Redemptor in lege gratiæ nullam nuptiarum prohibitionem inter consanguineos fecerit, fit ut si modò prohibitio inter fratres est de iure diuino, sit etiam de iure naturali. Ob idq; Caietanus: quia arbitratur, non esse de iure naturali, subsequenter censet nec esse de iure diuino: atque adeò expresè concedit, quòd Papa posset modò super tale matrimonium dispensare. Et Thomas de Argentina, qui dist. præsenti ante ipsum eiusdem fuit opinionis, subinde infert, quòd si frater in infidelitate cū sorore contraxisset, conuersi ad fidem non sunt separandi. Rationes suas Caietanus sic disponit. Primùm enim arguit, quòd si fraternum connubium iure esset naturali interdictum, nulla prorsus ex causa posset super illud dispensari, nisi ab autore naturæ: inter fratrem uerò & sororem in orbis ortu fuerunt contexta coniugia, ut inter filios Adæ: nam non erant tunc uxores aliæ quàm sorores. Et tamen nulla illic legitur diuina dispensatio. Neque uerò interuenisse creditur: quoniam cùm ius naturæ diuinitus conditum sit, ridiculum esset dicere, Deum ceu naturæ autorem fraterna coniugia interdixisse, super quo tamen interdicto illico erat dispensaturus.

Circa dispēsationē

Lex uetus.

Nota.

Thom. de Argētina.

1. Argum. Caietani.

2. Argum. ¶Secundò utitur eadem ratione, qua supra de auo & nepte: quia fratres, inquit, non cōiūguntur per se, sed ratione patris: tamen S. Thom. ibidem ait, quòd personæ, quæ non iunguntur nisi ex ordine ad parentes, non habent ita ex se ipsis inde-

centiam. ¶Tertiò demum id sibi uidetur palàm concludere: quia Pontifices in hoc gradu dispensasse leguntur, ut cum rege Portugalliæ Emanuele, qui duas deinceps sorores duxit: & cum Catherina filia Ferdinandi & Elisabeth Hispaniarum Regū, quæ duobus nupsit fratribus regibus Angliæ. Et potest eadem opinio per historiam illam foueri. 2. Reg. 13. de Thamar, quæ fratri suo Amon incestuosum stuprū cum ea committere conanti, respondit, Noli facere stultitiam hanc, quin potiùs loquere ad Regem, & non negābit me tibi, quod certè nisi fraterna connubia tunc essent licita, nunquam dixisset.

3. Argum.

Historia Thamar.

¶His tamen non obstantibus statuitur hic prima conclusio. Matrimonium fratris cum sorore usque adeò naturali iure prohibitum est, ut si attentetur, nullum sit, neque, ut sit ualidum, ecclesia per dispensationem efficere ualeat. Conclusio nō inde solùm probatur, quòd gradus hic sit in Leuitico expressus, sed quòd sit consanguinitatis primus. Etenim sicut filij ad patrem in linea recta, ita fratris ad sororem in transuersali primus est consanguinitatis gradus. Et ideo quanuis intensiuè, ut diximus, efficacior sit filij ad patrem, nihilominus eadem natura inter fratres eandem prohibitionem interponit: quandoquidem patri proximè & sine medio accedunt. Imò uerò arctior est inter fratres consanguinitatis nexus, quàm inter auum & nepotem quia ille est primus, hic uerò secundus. Et secundò arguitur: quia omnes illæ rationes, quas superius de patre & filia accumulauimus, de fratribus quoque militant: nam ferè idem est pudor, si frater sororem cognoscat, ac si pater filiam adoriretur: & tam necessariò fratres in eadem domo habitant, imò sæpè in eodem cubili iacent, ut pater & filia. Et uti. 8. Ethic. cap. 12. ait Philosophus, amicitia fraterna ingentissima est, Amant enim se fratres tanquam idem se ipsum: quia eodem sunt sanguine geniti, & lacte nutriti, & moribus imbuti, & arctissima consuetudine iuncti. Quare nisi religio eas nuptias uetaret, eadem succrescerent lidibidinis irritamenta. Quapropter Aristoteles. 2. Politicorum contra Politiam Platonis eodem ferè modò fraterna connubia atque parerna abominatur. Vnde. C. de episcopis & cleric. l. Eum

Prima conclusio.

Ratio 3.

Ratio 2.

Aristot.

Eum qui. ubi sacerdotibus matres & germanas sorores domi habere permittitur. In his, inquit, nihil sæui criminis existimari fœdus naturale permittit. Et Lucanus, omnesq; Poetæ lumine naturali docti incestos appellant sororum partus ex fratribus. Et Lucianus in Necromantia eiusmodi connubia tanquam nefanda apud inferos haberi refert. Vnde Ouidius lib. 9. Meta. impudicam Byblim inducit conquestam, quòd sibi non liceret cum fratre commisceri sicut Diis, qui suas duxerunt sorores. Sic Saturnus opem iunctam sibi sanguine duxit, Oceanus Thetym, Iunonem rector olympi. Illa enim Gentilium Deorum monstra similia feruntur inculcasse connubia. In his, quæ iuri naturæ nituntur, sacris fas est profana miscere.

Lucanus.

Lucianus.

Ouidius.

Ratio 3.

¶Item Genes. 20. & 26. Ob id Abraham iussit uxori suæ, ut diceret, sororem se eius esse, ut illo nomine celaretur esse uxorem. Quare cùm primùm Abimelech resciuit esse uxorem, intellexit, non esse sororem. Quæ quidem historia documentum perhibet etiam gentibus illis lumine naturali innotuisse, fraterna connubia esse nefanda. Et tandem Diuus Augustinus loco citato de ciuita. Dei, ait quòd non nisi peruersis legibus permittebantur fraterna coniugia. Melior tamen, inquit, consuetudo, ipsam maault exhorrere licentiam. Et ad Paternum Ambrosius lib. 9. epist. 66. in easdem sceleratas nuptias uehementer inuehitur. Iam uerò & lege ciuili inter fratrem & sororem nuptiæ prohibitæ sunt si ue utroque parente siue altero tantū progenitos. Insti. de nuptiis. §. Inter eas. Ac demum iure canonico apud Inno. ca. Gaudemus, de diuor. decretum est, ut infideles, qui in primo gradu contraxisse fuerūt reperti, non permittantur in matrimonio permanere: sed illi duntaxat, qui in secundo uel tertio gradu contraxerint. Et necesse est intelligi de consanguinitate: nam de affinitate non est forsan tam certum, ut distin. seq. disputaturi sumus. Igitur primus gradus, qualis est inter fratres, iure naturæ est prohibitus. Neque scio quid habeat cōtraria opinio, quod ad hoc respondere possit.

Auguſt.

Ambro.

Lege ciuili fraterna coniūctio uetita.

Ratio 1.

Nota.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum igitur argumentum Caietani respondetur, consecutionem non esse legitimam, ut si aliquid iure naturali prohibitum est, nullam possit dispensationem susципere: nam matrimonium inter infideles est natura sua perpetuum, & tamen per conuersionem alterius ad fidē dissoluitur ab autore ipsius naturæ. Sicuti & matrimonium ratum fidelium per religionis ingressum. Veluti è contrario plures uxores uni uiro coniūgi contra ius naturæ est, ut distinct. 33. ostendimus, sed nihilominus Deus ad propagandum populum Israel super illud dispensauit. Et Caietanus ipse fatetur, nuptias inter patrem & filiam iure naturæ esse nullas: & tamen non negauit dispensationem diuinam illic locum habere: quia re uera nemini est dubitandum.

Inter fratres nuptiæ iure naturæ uetitæ.

¶Huic ordini patris & filiæ proximè accedit ordo fratrum inter se, adeò ut non sit secundus gradus, sed primus sicut ille, licèt ille uehementiorem habeat efficaciā. Et ideo qua particula ab illo deficit, licèt sit eodem iure naturæ matrimonium in illo prohibitum, eodem ipso tamen naturali iure in extrema necessitate procreandi humani generis, fuit super illo dispensatum. Idem enim est dispensari à natura, & à Deo tanquam autore naturæ. Et ideo in exordio mundi non alia opus fuit reuelatione præter clamorem ipsius naturæ, ut fratres sororibus commiscerentur. Quanuis inter patrem & filiam nunquam fuerit dispensatum, prouidente Deo, ut nulla id necessitas exigeret. Cessante uero illa necessitate omnino indispensabile restat. Vnde Aug. eod. loco. de ciui. Dei cita to. Sorores, inquit accipere in matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuit: illa tamen necessitate cessante, sic naturæ aduersatur, quasi nunquā licere potuerit. Quare omni procul dubio certissimum est Innocentium in cap. Gaudemus, hunc primum gradum tam lineæ transuersalis quàm rectæ censuisse tanquam iure naturæ simpliciter prohibitum. Et ideo neque inter infideles fuisse unquam in tali gradu ualidum matrimonium. Quo fit, ut arctius sit uinculum inter fratres ad irritandum matrimonium, quàm inter auum & neptem: quia iste iam est secundus gradus, & plus ponderis habet primus gradus in trāsuersa linea quàm secundus in recta: quoniā immediatius fratres uniuntur patri, à quo sine medio deriuantur, cùm tamen inter auum & neptem medius sit pater. ¶Et per hoc solutū restat aliud

Auguſt.

Cap. Gaudemus.

Solu. alius arg. Caie.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliud metaphysicem argumentum Caietani: nam etsi fratres inter se non per se ipsos coniungantur, sed ratione parentum, satis tamen est tam propinquo strictoque nexu in illo uniri, ut quasi idē reputentur. Nam si filius, ut ait Aristoteles, est pars patris, filius & soror tanquam partes totius reputantur.

Sol. 3. eiusdem. ¶Tertium autem argumentum ut cum reuerentia Caietani, quæ illi ubique debetur, loquar, intelligere nequeo. Vnde enim illa consequentia? Papa dispensauit, ut idem unam ac subinde alteram sororē duceret, & ut una duobus similiter fratribus nuberet: ergo dispensauit, aut dispensare potest inter fratres. Est arguere à gradu affinitatis ad gradum consanguinitatis qui longissimè distant. Sororius enim contrahens cum sorore uxoris, non contrahit cum sua ipsius consanguinea, sed cum affini: & similiter, quæ nubit leuiro: scilicet fratri mariti. De quo gradu dist. sequēti futurus est sermo.

Nunquam dispensatū ¶Imò nusquam ab orbe redempto talis dispensatio facta legitur. Quin etiam in Gallorum annalibus extat de Comite Armeniaco, qui nullum non lapidem mouit, ut sororem quam perditè deamabat, matrimonio sibi iungeret, obtulitq; Pontifici ampliſſima munera, & allato sibi dispensationis breui, nuptias celebrauit. Qua de re admiratus Rex misit ad Pontificem, qui uehementiùs demiratus fuit, id sibi fuisse impositum. Et repertus fuit Apostolicus notarius, qui literas ceu Apostolicas falso subscripserat. Cuius criminis pœnas dedit. Quamobrem Comes reuertens sororem relinquere, bello à Rege inuasus fuit, suoq; patrimonio expoliatus Syluester. uerò uerb. Papa. q. 17. falsus est dicens, quòd Archiepiscopus Florenti. 3. par. tit. 1. cap. 11. referat Martinum quintum dispensasse cum fratre & sorore in matrimonio: non enim dispensauit nisi cū quodam, ut cōtraheret cum illa, cuius germanam occulta fornicatione polluerat, ut dist. seq. art. 3. uidebimus.

Ad argu. Thamar. ¶Ad aliud autem de Thamar cum fratre Amon, Paludanus respondet, quòd fortè Dauid non fuit uerus pater Thamar, sed nutritius. Sunt enim qui dicant Thamar filiam fuisse cuiusdam captiuæ Dauidis, quam bello cepit, ex qua suscepit Absalon, qui ideo erat frater Thamar maternus: nam Amō ex alia uxore genitus fuit. At uerò ut 2. Reg. 3. legitur, Maacha mater Absalon, fuit filia Regis Iesur, quam non est uero simile fuisse captiuam. Creditur ergo Thamar filia fuisse Dauidis. Et ideo forsan melius est dicere, quòd inopinata repentinaq; sceleris immanitate perturbata uerbum illud protulit, non tamen quòd crederet per legem illi licere uxorē esse fratris, cùm expressè in lege esset prohibitio illa præscripta: quam quidem scriptam legem pluris ipsi, quàm legem naturæ æstimabant.

Sol. 1. arg. ¶Simili ergo modo primum argumentum principale solutum restat. Barbari nāque detestandis fratrum nuptijs utentes non id iure naturæ faciunt, sed illud adulterantes: quare talia matrimonia nullius sunt uinculi.

Sara ac fuerit & ror & cius iux Abrahæ. ¶Ad secundum uerò de Abraham, utrùm ei fuerit Sara & uxor & simul germana soror, non desunt qui id affirment. Quorum est Caiet. super Genesim. cap. 20. ubi postquam Abrabam in Geraris de uxore sua affirmauerat, soror mea est, quo nomine celaret esse uxorem, Abimelech Rex Geraris cùm eum mendacij redargueret, respondit, non esse mentitum: nam uerè, inquit, soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem: quæ utique uerba ponderans ait Caietanus nihil expressius dicere potuisse, quàm uerè soror mea est præsertim cum adiecerit, filia patris mei & non filia matris meæ: nam si sororem esse clarè asserere uoluisset, non id alijs utique uerbis potuisset explicare. Caiet. ar. 1

2. Arg. ¶Accedit, quòd si erat consobrina: scilicet, filia Aram fratris eius, ut communis habet opinio, atque adeò dicens, filia fratris mei, intelligeret, neptis, non adiecisset, & non filia matris meæ: quoniam pariter etiam esset neptis matris eius: quia Abraham, inquit, & Aram utroque parente fratres erant. Eandem opinionem tenet Clemens Alexandrinus libr. 2. Stromatū non multum ante finem, dicens propterea adiecisse, & non filia matris meæ: quia licebat ducere uxorem ex parte patris, & non ex parte matris. Clemens Alexandrinus.

3. Argum. ¶Atqui rationibus Caietani adhuc alia adiungitur, quòd si non erat nisi consobrina, quando postea Abimelech insimulauit eum de mendacio, facilè crimen potuisset

tuisset diluere dicens, Soror mea est, filia patris mei: mos enim nobis est propinquos cognatos appellare fratres & sorores, ut uerè sunt apud nos: & tamen hoc non dixit, sed ait, non simpliciter, soror, sed uerè soror: & ad explicandum quomodo esset soror, adiecit natiuam rationem sororis: scilicet, quòd esset filia patris eius.

4. Arg. ¶Præterea quanuis fratrueles & consobrini fratres dici possent, quia sunt pares, tamen maiores natu, ut patrui, non solent appellare consobrinas sorores, sed potiùs filias.

5. Arg. ¶Itē Abrahā senior fuisse uidetur, quàm frater eius Aram: nam Gen. 11. prior refertur quàm alij fratres: & tamen non superabat ætate uxorem nisi decem annis: erat enim nonagenaria, ut Gen. 17. legitur, quando Isaac concepit, & Abraham, ut cap. 21. refertur centenarius: ergo non potuit Sara esse Aram filia.

6. Argum. ¶Magnum demum rei huius colligitur argumentum ex Genesi cap. 11. ubi habetur quòd Abraham & frater eius Nachor duxerunt uxores: nomen uxoris Abrahæ Sarai: & nomen uxoris Nachor Melcha filia Aram patris Melchæ & patris Ieschæ: cū ergo Melcha explicatur fuisse filia Aram, si Sara eius quoque fuisset nata, idem pariter explicaretur: potissimum cùm pluris referret id de Sara scire, quàm de Melcha.

7. Argum. ¶Ad hæc si non erat uerè soror, fefellit Regem, qui credidit esse germanam sororem, aliàs non colligeret non esse eius uxorem. Re uera his coniecturis suo ponderibus libratis res uidetur ualde fieri probabilis, quòd fuerit uere soror.

Sententia autoris. ¶Veruntamen hoc nec credendum est, neque ullo pacto, ut reor, asserēdum, qua ratione id Caietanus affirmare censetur: nempe, quòd iure naturæ non esset connubium fratris cum sorore prohibitum. Imò profectò, ut bona uenia dixerim, crediderim hoc erroneū esse: præsertim cùm ut diximus, Innocen. in ca. Gaudemus, do ceat, matrimonium infidelium in primo gradu non tenere. Et ideo cui illa opinio placuerit, dicere subinde compellitur, tale matrimonium Abraham cum sorore non nisi speciali Dei reuelatione contraxisse, ut sicut in primordijs mundi ad propagandum humanum genus licuit fratribus sorores accipere: sic cùm Abraham ex infideli Vr Chaldæorum iussū Dei egressus seminaturus esset Dei populum, iussus fuerit religiosam fidelissimamq; sororem suam uxorem ad id muneris accipere.

Nota. ¶At uerò cùm neque ista necessitas tam urgens appareat, neque illa reuelatio scripto sit memoriæ prodita, consultiùs tum Iosephus. lib. 1. de antiquita. cap. 14. tum & sancti Patres non potuerunt sibi tale matrimonium persuadere, contra quod naturam prorsus reclamare uidebant. Et ideo Hieronymus tum in quæstionibus Hebraicis super eundem locum Geneſis. 20. tum contra Eluidium, & in prologo super Iob, & August. 16. de ciuitate Dei cap. 19. Sed latius. 22. contra Faustum ca. 35. & in quæstio. Gen. & refertur. 22. q. 2. can. Quæritur. assueueranter docēt Saram non fuisse nisi filiam Aram fratris Abrahæ, ac perinde sororem Loth, quem Arā, ut Gen. 11. legitur, genuit. Et eandem sententiam amplexus est D. Tho. 2. 2. q. 110. ar. 3. Et quanuis Chrysostomus Homilia. 45. super Genesim uideatur in contrariā opinionem deflectere, non tamen ita plānè hoc affirmat, solùm enim addit ad uerba textus, Data est mihi in uxorem, quia & eundem patrem uocat, quem & ego, & ideo eam sororem uocaui. Enimuerò quia Thare erat paterfamilias illius domus, quæ à Babylonia recesserat, illeq; totam ductabat administrabatq; familiam, non solùm filij, uerùm etiam nepotes appellabant eum patrem.

Iosephus. Hierony. Auguſt. Sara cōsobrina Abrahæ. D. Thom. Chryſoſt.

Solutio. 1. ac tertij argumenti. ¶Et per hoc soluitur argumentum ex Gene. 20. collectum. Dixit enim non solum esse sororem, sed uerè sororem: quia soror & uerè soror idem est: sed adiecit, filia patris mei: nam illa ratione omnes dicebantur fratres, quòd Thare omnes appellabant patrem. Atque id planè confirmatur quia similiter Isaac de Rebecca Gen. 26. quam constat non fuisse sororem eius, sed filiam Nachor fratris Abrahæ, rogatus à uiris Geraris, Quæ nam esset, respondit, Soror mea est. Et Gene. 13. ait Abraham ad Loth, fratres sumus, quod si dixit, quia erat consobrinus eius, eodem modo Sarā appellauit sororem: si uerò, quia erat leuir: scilicet, frater Saræ uxoris ipsius Abrahæ, idem colligitur: uidelicet, quòd Sara erat filia Aram patris Loth.

Isaac & Rebecca. Loth & Abraham. Solutio. 4.

¶Cuius

Universidad de Deusto
Biblioteca

¶Cuius præterea magnum argumentum est.quòd Gene.11.ubi familia Thare recẽsetur,sic legitur. Tulit itaque Thare Abraham filium suum,& Loth filium Aram filij sui,& Sarai nurum suam uxorem Abrahæ filij sui: si autem Sara esset filia sua,id quòque expressisset,sicuti de Aram & Abraham:& tamen non appellauit nisi nurum,uxorem filij sui Abrahæ.

Solutio ex ti. argum.

¶Ad aliud uerò argumentum, quod ex eod.cap.obiecimus,quòd scilicet Melcha refertur illic filia Aram,& non Sara, respondet Hierony.Gen.20. ac subinde Augu.lib.16.de ciui.Dei cap.12.quòd ubi legitur Aram pater Melchæ & pater Ieschę illa Iescha creditur ipsa esse etiam Sarai uxor Abrahæ.

Argu. optimum.

¶In summa unum pro omnibus argumentis hoc est concludentissimum,quòd Abraham absque expressa reuelatione & dispensatione Dei non potuit cum sorore contrahere, unde Augu.

Augusti.

22.lib.citato contra Faustum.ca. 35. hoc pacto colligit.Cùm igitur Abraham eo tẽpore uiueret in rebus humanis, quo quidem iam fratres ex utroque uel altero uel altera parente natos necti coniugio non licebat,filios autem fratrum aliosque longinquiori gradu generis consanguineos, nulla lege nullaq; potestate prohibita cõsuetudo iungebat,quid mirum si sororem suam,ideſt,ex patris sui sanguine procreatam habebat uxorem?Nam & Tobias: ut

Thobiæ. 6

cap.6.legitur, quam accepturus erat in uxorem sororem appellauit,eo quòd ex eius cognatione fuisset exorta.Hoc enim idiomate fratrueles & alij cognati Christi

Sol.2. arg.

fratres Domini uocantur. ¶Ad aliud autem argumentum,filia patris mei, & non filia matris meæ, dicere possumus, quòd Thare ex altera uxore genuit Abraham, & ex altera Aram patrem Saræ. Id enim ipsum Caietanus dicere cogitur, tenens Saram fuisse sororem Abrahæ: nempe, quòd ex altera uxore Thare ipsam genue-

Ad Clemẽtem Alexãdrinum.

rit.Commentum enim Clementis Alexãdrini nulla fulcitur autoritate, imò illud Augustinus loco nuperrimè citato planè

Sol.5. arg.

refutauit.¶Aliud uerò argumentum molestius est de ætate Abrahæ & Saræ, qui non nisi decennio distabant. Sed respon-

Abulensis.

detur cum Abulensi quæst.27.super Gen. cap.21.quod etsi ordine prior Abraham propter eius dignitatem fuerit nominatus, quàm eius fratres,fuit tamen omnium minimus,& Aram maximus. Itaque ubi legitur Gen.11. quòd Thare septuagesimo anno ætatis suæ genuit Abraham Nachor & Aram,intelligitur tunc genuisse Abraham, sed antea, cùm esset forsan quadragenarius uel sexagenarius genuerat Aram, quiquidẽ Aram decennio post natiuitatem Abrahæ genuit Saram, & cùm uita ille defunctus fuisset Vr Chaldæorum,Thare tulit alios duos filios Nachor & Abraham, & duas neptes,filias Aram,ut commigraret in terram Chanaam.Et ideo unam neptem nuptui tradidit uni filio,atque alteram alteri.

Sol.3.arg.

¶Tertium argumentum in secundo gradu consanguinitatis inter ascendentes & descendentes:putà,inter patruum, uel auunculum & consobrinam, alteram à nobis conclusionem efflagitat. Et idem est de amita uel matertera cum consobrino: qui utique secundus gradus pariter est in

Vvitcleff.

Leuitico prohibitus. Vvitcleff,ut est uidere apud Vvaldensem tomo.2.de sacrament.capitulo.134. opinatus, omnes illas Leuitici prohibitiones uim suam sub lege Euangelica retinere, dicebat, hunc quoque secundum gradum minimè sub dispensatione Pontificis cadere,ut matrimonium teneat,addens quòd neque Papa neque ecclesia ullos alios gradus prohibere possit. Hoc autem secundum assertum articu.sequen. reprobabitur. Primum tamen etiam Maioris atque alij adstruunt,ut Sylvest. uerb. Matrimonium. 8.quæst.6.& uerb.Papa.§.17.& glossa super capit.Literas.de restit.spoliato.Omnes enim isti dicunt,super gradus iure diuino prohibitos non posse Papam dispensare. Et uocant ius diuinum illud antiquum Leuitici. Et glossa subiungit exemplum in matrimonio materteræ cum consobrino, & patrui cum consobrina.Quare inter fratrueles, quia non erant illa lege prohibiti, non negat, matrimonium per dispensationem ecclesiæ posse constare.

Super gradus in lege Leuitico prohibitos non possit Papa dispensare.

¶At uerò ut contra istos hoc in primis animaduertamus,in Leuitico,ut paulo ante prænotauimus,non exprimitur prohibitio,inter patruum:uel auunculum & cõsobrinam,sed inter consobrinum & amitam uel materteram,cum tamen, ut Ambrosius in illa citata epistola.66. libro.9. ad Paternum ait, similiter non solùm diuino,

Sententia autoris.

Ambros.

uino, sed etiam naturali iure prohiberi matrimonium patrui cum cõsobrina.Volebat enim ille filium suum cum nepte ex altero filio copulare,de quo uehementer reprehendit eum Ambrosius.

2.Conclu.

¶Illis ergo citatis opinionibus nihil obstantibus statuitur hic secunda conclusio.

Probatur conclusio.

Secundus hic gradus consanguinitatis ascendentium & descendentium nullo diuino iure aut naturali sic modò prohibitus est,quominus Papa super illo dispensare ualeat. Et primum quantum ad ius diuinum probatur. Est enim ius diuinum unum positiuum,quod non est de iure naturæ,ut præcepta fidei & sacramentorum in euangelio, aliud uerò est ius diuinum & simul naturale. Præceptum prioris generis sub lege euangelica nullum est positum,quo eiusmodi matrimonia prohibeãtur:illæ uerò Leuiticæ inhibitiones,ut satis probatum est,abolitæ sunt prorsus,nisi quatenus uim naturalis iuris retinent: nullum ergo iam modò diuinum ius censendum est in matrimonio nisi quatenus

Nota.

est naturale.¶Vt ergo ius hoc in hoc gradu secundo ascendentium perpendamus, quanuis tantum absurditatis adferat, ut condecuerit ecclesiam tale matrimonium

Ratio 1.

irritare: nihilominus merum ius naturæ non usque adeò illud uetat, ut secluso iure Pontificio illud redderet nullum. Probatur primò,quoniam rationes illæ, quas de patre & filia deq; fratre & sorore, & fortè de auo & nepte supra instructæ sunt ultra illos gradus non usque adeò urgent, ut matrimonium ostendant esse nullum: neque enim tanta conuersatio est inter patruum & consobrinam, neque tanta naturalis amicitia,ut idoneo usui matrimonij sint illæ personæ tam repugnantes,neque tantum fœditatis habent, ut coniungantur.Quare certè sub lege naturæ nullatenus credendum est, hunc gradum fuisse

Ratio. 2.

prohibitum.¶Secundò.Id palam conuincitur, nam Thare pater Abrahæ & Nachor, qui pater fuit illius familiæ, quam Deus ut plantationem sui populi selegerat,ambobus illis filijs neptes: nempe filias primi filij Aram matrimonio iunxit, quod planum documentum est sub lege naturæ non fuisse prohibitum: nam illud ante legem scriptam plusquam quadringentis annis fuit.¶Et tertiò ex illa prohibitione Leuitici argumentum sumiturnam si huiusmodi gradus iure naturæ esset prohibitus,profectò non solùm amita & matertera prohiberetur consobrino nubere,uerùm & patruus & auunculus consobrinam ducere, quandoquidem, ut ait Ambro.par ius sit in utroque: sed tamen in Leuitico tantum fuerunt prohibitæ fœminæ majores natu contrahere cum consobrinis secundum S. Thomam: quia soroAmbros.
res patris aut matris solent in eadem domo cum pueris consobrinis conmorari, & ideo si possent contrahere, periculum oriretur incestus.Fratres uerò parentum domo consueuerunt esse separati. Vel fortè ratio fuit,quòd plus absurditatis oculis Ratio alia.
omnium offert,ut consobrinus, qui subditus debet esse amitæ & materteræ, illam ducat uxorem,quæ sibi debet esse ratione coniugij subiecta: si enim patruus ducat consobrinam utroque iure & consanguinitatis & coniugij erit illa subiecta. Et ideo Abraham duxit consobrinam,sed nõ legitur amitam consobrino nupsisse.

Ambr. ex ponitur.

¶Igitur Ambrosius non intelligit iure naturæ sic esse istum gradum prohibitum, ut secluso iure positiuo matrimonium esset nullum,sed quòd pari iure naturæ cohibetur patruus à consobrina, quo amita à consobrino quantùm ad peccatum si matrimonium fiat. Et ideo coniectura fit,iam tunc morem ecclesiæ cœpisse, ut iste gradus secundus prohiberetur non solùm in ascendentibus istis,uerùm & in lateralibus:scilicet, inter fratrueles,ut colligitur ex Gregorio can. Quædam. lex. 35.quæstione.2.

Argumẽtũ optimum.

¶Supremum autem argumentum, quod rem præsentem conuincit, est sententia Innocentij ca.Gaudemus,qui ait, infideles, qui in secundo gradu contraxerunt,si conuertantur,non esse separandos: ubi planè docet, non esse impedimentum de iure naturę.Ex quo rursus colligitur Papã super illo gradu posse dispensare. Quod & ecclesia more & usu ostendit. Hanc ergo definitionem debuissent Maioris & alij animaduertere ante quàm dixissent,id Papam facere non posse. Glossa ergo citata capitulo. Literas,dicens Papam posse dispensare in secundo gradu collateralium: scilicet, inter fratrueles, non tamen inter ascendentes,nullo nititur fundamento:quoniam textus non habet, nisi quòd contrahentes in gradibus, quos lex

Glo. ca.Literas de resti.spoliat.

diuina

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuina prohibuit, non possunt permanere. Intelligit autem, lex diuina naturalis, primum prohibens gradum. Quandoquidem in allegato cap. Gaudemus. idem Pontifex eodem modo loquitur de secundo gradu nulla facta distinctione inter ascendentes aut laterales. De capitulo uerò finali eiusdem tituli de diuortijs, ubi habetur, quod Iudæa, quæ secundùm legẽ Mosaycam nupsit fratri uiri sui defuncti sine liberis, non separetur, dicemus distinctione sequenti.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm gradus consanguinitatis matrimonia prohibentes potuerit ecclesia usq; ad quartum taxare.

Partis negatiuæ ar. primum.

RAmissis gradibus, quos ius naturæ uidetur à matrimonio prorsum cohibere, sub sequitur de alijs, quos ecclesia adhibuit. Et quæritur, utrùm potuerit usque ad quatuor eos extendere & taxare. Et arguitur à parte negatiua. Mandatum Christi est Matthæi. 19. ut quos Deus coniunxit, homo non separet: eos autem, qui in secundo aut tertio gradu iuncti sunt, Deus coniunxit, quandoquidem ius diuinum antiquum illud non uetuit: ergo non possunt per ecclesiam separari.

2. Argum. ¶Secundò. Matrimonij uinculum, ut distinct. 26. dicebamus, est naturale: nempe, naturæ instinctu constitutum: ius uerò naturale nequit lex humana uel decurtare uel ampliare: ergo ecclesia non potuit gradus huiusmodi præscribere.

3. Argum. ¶Tertiò. Matrimonium est sacramentum ueluti baptismus: nequit autem ecclesia materiam baptismi sic mutare, quominus qui illum recta intentione susc ipere uelit uerè baptizetur, & characterem suscipiat: ergo nec ualet materiã matrimonij: hoc est, contrahentes, alter quàm ius diuinum uel naturale, definire.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est, quòd præceptum ecclesiæ, quæ spiritu sancto regitur, diuinitus habet firmitatem iuxta illud, qui uos audit, me audit, qui uos supernit, me spernit: sed ecclesia huiusmodi gradus decreuit non esse nuptijs cõfœderandis idoneos: ergo illa prohibitio est legitima.

¶De hac quæstione, ut arti. 3. dicebamus, hæretici, ut Vvitcleff apud Vvaldensem tomo. 2. de sacrament. cap. 134. & eius asseclæ Lutherani à catholica ueritate dissentiunt, pontifici utique & ecclesiæ facultatem adimentes prohibendi à nuptiarũ iure gradus aliquos consanguinitatis uel affinitatis. Ad quæstionem nihilominus tribus conclusionibus respondetur. Prima. In facultate ecclesiæ munere Christi instituræ & sancto flamine gubernatæ positum est, ut paciscendis coniungendisque nuptijs legitimas illegitimasque decernat, ob sanguinis propinquitatem personas. Probatur. Connubialis contractus, ab orbe condito naturalis, fuit ab autore naturæ Deo in officium naturæ institutus: nempe, ad nostrum genus propagandum: sed tamen quia & ad pacem tranquillúq; reipublicæ ciuilis statum attinet, ad ciuilem quoque rempublicam de ipso statuere pertinebat, sicut de reliquis ciuilibus contractibus & stipulationibus, quorum peruersitate potest respublica perturbari: per legem uerò euangelicam autore Christo seruatore nostro idem matrimonium in sacramentum statutum est: ergo cùm sacramentorum administrationem & dispensationem idem redemptor ecclesiæ commiserit, huius etiam curam illi cõcredidit, ut pro locorum & temporum & gentium uarietate de eius causis & conditionibus disponeret. Quocirca ius, quod penes rempublicam ciuilem erat de causis matrimonialibus decernendi, dum nõ erat sacramentum, ad ecclesiam facto sacramento translatum est. Legibus autem ciuilibus, ut patet. ff. de ritu nuptiarum. l. Sorores. l. Semper. & l. fina. & ferè cunctis eiusdem tituli. & l. Si adulterium cum incestu. ff. ad legem Iuliam de adulter. & compluribus alijs, certi personarum gradus sunt à pactis connubiorum repulsi: multò ergo sanctiori iure ecclesia fungitur, ut eosdem ualeat diffinire gradus.

Decisio artic.

Prima conclusio.

Ratio.

Leges ciuiles.

¶Et confirmatur. Naturalis rationis lumen ostendit absurditatis plurimum quod piam eiusmodi graduum afferre si per matrimonia commisceantur: sed tamen non satis lumen ipsum naturæ ostendit quantum se absurditas ostendat: ergo necessaria est ad id discernendum in republica facultas, quam utique maximè condecuit ecclesiæ tribui, cui Christus sacramentorum

Rationis confirmatio.

Ratio. 3.

rum curam commisit. Enimuerò, ut circa alia sacramenta multa ecclesia dispensat de temporibus eorum & ritibus: & ad sacramentum ordinis, non promouet bigamos, homicidas atque alios, ita potest & à sacramento matrimonij consanguineos arcere. ¶Sed redarguat quis forsan. In alijs non potest facere, ut sacramentum sit nullum, quanuis faciat esse peccatum id contra eius iussionem suscipere: ergo nec potest facere, ut matrimoniũ, quod aliàs ualidum esset, sit prorsus nullum. Negatur consequentia. Hoc enim discrimen ex natura sacramentorum colligitur: illa nanq; quæ characterem imprimunt, quia suum secum adferunt effectum, qui à uoluntate humana non pendet: si legitima intentione & conferantur & suscipiantur, impedire ecclesia non potest quominus sint ualida, quanuis per delictum suscipiantur. Secùs autem in his, quæ ex humana pendẽt uoluntate. Vnde sicut potest per excommunicationem & suspensionem efficere, ut sacramentum absolutionis sit nullum, & uotum solenne, nisi iuxta suas leges suscipiatur, sit irritum, ita quia matrimonium consensibus humanis contrahentiũ conglutinatur, potest illos consensus super tali materia eneruare, ut cassi sint, sicuti in alijs stipulationibus, quæ per merum ius naturæ firmæ essent, humana lege infringuntur. ¶In summa, cùm Deus in lege Mosayca de huiusmodi gradibus prohibitiones decreuerit, quæ quidẽ prohibitiones per legem euangelicam, quatenus erant legis illius mandata, antiqua ta sunt: mancam Christus Dominus ecclesiam suam relinqueret, nisi illa facultate eam communiret, qua posset eiusmodi gradus secundùm naturalem decentiam & ornatum taxare & definire.

Obiectio.

Diluitio.

Discrimẽ.

An seculares principes possint leges condere circa matrimonia.

Para affirmatiua.

Para negatiua.

¶Sed scisciteberis forsan, utrùm seculares principes, etiam sub lege Euangelica, eadem facultate polleant & iure sic cohibendi matrimonia, ut si cõtra eorum prohibitiones fiant, sint nulla. Apparet enim ex una parte id posse: quoniam cùm naturæ iura fides non sustulerit, sed perfecerit: & ante Euangelium in lege naturæ potuerint Cæsares huiusmodi leges de coniugijs condere: apparet & eandem nunc facultatem retinere. Sed tamen ex altera parte extat argumentum, quòd si sub lege Euangelica eadem fungerentur facultate, cùm eadem penes ecclesiam existat, accideret, ut sæpe sibi eiusmodi potestates contradicerent, quod in perniciem ecclesiæ uergeret. ¶Interrogationis huius bimembre responsum est, Respublica, inquam, ciuilis, & princeps, qui eius habet facultatem: leges potest de paciscendis stipulandisq; nuptijs condere, atque adeò sic consanguineos & affines à matrimonijs concinnandis arcere, ut si illa contrà inire tentauerint, nulla sint. Veruntamen in huiusmodi ferendis legibus Respublica ciuilis subdita prorsus est ecclesiasticæ, ut absque permissu concilij, aut Pontificis Maximi eas ferre nequeat: quòd si Papa contradixerit, irritæ erunt prorsus & inanes. Prima pars responsionis sic patet. Respublica ciuilis & principis potestas in pacem & prosperum Reipublicæ statum instituta est: huiusmodi autem pax & tranquilla fœlicitas plurimùm ex nuptijs, contrahendis pendet: imò plus quàm ex alijs ciuilibus contractibus: ergo potest legibus eiusmodi matrimonia definire & dirigere. ¶Secundò, quia rationes illæ, ob quas gradus cognationis prohibeatur, lumine naturali innotescunt: nempe, quia fœditatem habent, & quia cùm consanguinei in eadem habitent domo in periculo incestuum uersarentur, quos quidem incestus Principi incumbit suæ Reipublicæ cauere. Item principi etiam incumbit amicitias in sua Republica pro pagare, quod per matrimonia diuersi sanguinis contexta fieri potest: ergo de huiusmodi coniugijs leges potest condere.

Solutio bicornis.

Prima solutionis pars

Ratio. 2.

Ratio. 3.

¶Neque obstat cauillus, quòd cùm matrimonium iam sit sacramentum, non potest princeps materiam eius & subiectum mutare: hoc est, prohibere, ut si cognati contraherent, matrimonium non teneret. Non, inquam, hoc obstat, quoniam institutio sacramenti non abstulit quominus matrimonium sit ciuilis contractus: & qua ratione contractus ciuilis est, à potestate ciuili non eximitur. Et sæpe matrimonia inter consanguineos in perniciem Reipublicæ uergerent. Vnde Diuus Thomas distinctione 26. quæstione 2. articul. 1. ait, quòd matrimonium, quatenus ad ciuiles utilitates, qualis est amicitia & mutuum obsequium, institutionem habet à lege ciuili. Et distin. 34. articu. ad quartum ait, quòd inquantum est in

Obiectio.

Dilutio.

D. Tho.

Universidad de Deusto
Biblioteca

officium communitatis, ſtatuitur lege ciuili. His demum accedit, quod iure ciuili adoptiones filiorum inſtituuntur & approbantur, ex quibus legale uinculum cõtrahitur matrimonium impediens. ut §. 1. Inſtituta, de nuptijs.

Secunda ſolutionis pars.

¶Nihilominus ſecundum membrum eiuſdem reſponſi probatur: nam cùm eccleſię incumbat de ſacramentis cenſere, & ut diſtinctione 35. dicebamus, in his, quæ pertinent ad regnum cœlorum, reſpublica ciuilis ſpirituali ſit ſubdita, nequit ciuilis in matrimonialibus cauſis, præſertim in conſtituendis perſonis legitimis uel illegitimis ab eccleſiæ ſanctionibus & poteſtate deflectere: alioqui duo eſſent capita, quod utique monſtrum uineam Domini demoliretur. Vnde D. Thomas diſtinctione 42. quæſtione 2. articu. 2. ad quartum. Prohibitio, inquit, legis humanæ nõ ſufficeret ad impedimentum matrimonij, niſi interueniret autoritas eccleſiæ, quæ idem etiam interdicit. Et idem obſeruandum eſt in diſcernendo quodnam matrimonium ſit legitimum, quod re uera iudicium ad eccleſiam ſpectat. De dotibus uerò & hæreditatibus, decernere, atque de alijs, quæ merè ſecularia ſunt, ad ſeculare attinet iudicium.

2. Conclu. ¶Secunda concluſio. Gradus conſanguinitatis (nã de affinitate poſt dicturi ſumus) temporum lapſu & ſucceſſione uarietatẽ quantum ad nuptias coniungendas ſuſceperunt. Etenim primus conſanguinitatis gradus in linea recta adeò eſt iure naturæ à matrimonio repulſus, ut nulla unquã neceſſitate fuerit permiſſus: putà, patris cum filia: neque uerò ſecundus: ſcilicet, aui cum nepte. Primus uerò gradus collateralium: nempe, inter fratres, quia paulo minus efficaciæ habet, in primo orbis ortu propter extremam neceſſitatem diſpenſationem admiſit. Sed tamen, ut ſupra citatus Auguſtinus ait, adeò poſtmodum ubiq; gentium, ubi tantillus rationis radius illucebat, prohibitus eſt aeſi nunquàm potuiſſet eſſe permiſſus. Quare matrimonia in hoc primo gradu, ſeu rectæ, ſeu tranſuerſæ lineæ, poſt orbis initia ſub nulla lege potuerunt eſſe firma & ualida.

Primus gradus linea recta.

Primus gradus linea tranſuerſæ

2. Gradus Deinde ſub lege ſcripta huic gradui adhibitus fuit ſecundus aſcendentium & deſcendentium: nempe, materteræ uel amitæ cum conſobrino, ut patet Leuitic. 18. (nam de affinitate modò non loquimur.) Quæ quidem prohibitio non uſquequaque fuit moralis, ſed iudicialis, ut articu. præcedenti diximus. Quare hic ſecundus gradus Pontificis diſpenſationem tolerare poteſt. Poſtmodum uerò ſub Euangelica tempore Auguſtini quadringentis annis ab orbe Redempto non ſolùm ille gradus, uerùm & ſecundus collateralis lineæ: nempe, inter filios & filias fratrum, qui fratrueles dicuntur, iam erat à nuptijs conſœderandis excluſus, ut ipſe. 15. de ciuitate Dei cap. 16. docet. Et Gregorius in epiſtola ad Auguſt. Anglorum epiſcopum, & refertur canone. Quædam lex. 35. quæſtione. ubi Romanam legem condemnat, quæ huiuſmodi connubia inter fratrueles permittebat: quoniam ex huiuſmodi, inquit, coniugio experimento didicimus, ſobolem non poſſe ſuccreſcere. Indulget tamen, ut in quinto uel quarto gradu contrahatur. At uerò, ut bene Alexand. 3. in can. Ad ſedem, eadem cauſa quæſt. 5. admonuit, indulgentia illa ſolùm intelligatur reſpectu gentis Anglorum, quæ tunc recenter conuertebatur ad fidem: nam ut eodem can. Quædam lex. ſubiungitur, interrogatus Gregorius à Felice Meſſaniæ Siciliæ præſule an eadem licentia poſſent ſui ſubditi uti, reſpondit minimè poſſe.

Secundus gradus lineæ collateralis.

Gregor.

Alexan. 3

¶Iam ergo prohibitio tunc uſque ad ſextum uel ſeptimum gradum fuerat prolata ut patet can. De affinitate. & can. De conſanguinitate. & cano. Progeniem. & can. Porrò. 35. quæſtione. 3. & cano. Series. & ad ſedem, & reliquis, eadem cauſa quæſt. 5. At uerò neminem gradus ille ſextus uel ſeptimus fallet, non enim re, ſed ſolo nomine ſecundum diuerſam ſupputationem differt, ut Iſidorus ibidem cano. Primo gradu. exponit. Qui enim primum ſtipitẽ: ſcilicet, primum patrem tanquam primum gradum faciebant, ſeptem numerabant gradus uſque ad quintum nepotem, ut patres eſſent in primo, & fratres in ſecundo, ac quinti nepotes in ſeptimo. Sed qui (ut moris iam modò eſt) ſtipitem nõ connumerabant, ſed fratres in primo gradu collocabant, non ſtatuebant niſi ſex uſque ad eoſdem quintos nepotes, ultra quos nullus fuit unquam conſanguinitatis gradus à matrimonio ſeclusus. Et ſubdebatur numeri ratio, eo quòd hebdomada ſeptem diebus decurrit, ac ſubinde eodem iterato numero recurrit. Quæ quidem non eſt, ut urgens ratio æſtimanda, ſed tanquam adaptatio quędam audienda. Ratio enim non erat, niſi quòd cùm cõſanguinitas tanquam fundamentum amicitiæ & familiaritatis habeatur, ultra illos ſex gradus nullus uel odor amicitiæ ſit reliquus: quia nemo poteſt natiuitatẽ quinti nepotis attingere. Vnum enim integrum ſeculum centum annorum & eo amplius inter ſtipitem & ſextum in ſobolis ſucceſſione effluit.

Sextus & ſeptimus idem.

Ratio.

3 Conclu. ¶Tertia concluſio. Iam nunc temporis conſanguinei in ſolo quarto gradu, fratribus in primo collocatis, à nexu coniugali cohibentur. Decretum eſt concilij generalis Lateranenſis ſub Innocen. 3. cap. Non debet de conſang. & affinita. Et intelligitur, quòd per alterutram lineam perſona in quinto gradu ab ſtipite diſtet, poteſt cum quocunque alterius lineæ ſiue in quarto ſiue in primo differat, contra here, ut Gregorius nonus. cap. Vir qui ab ſtipite. declarauit. Quoniam, ut artic. 2. dictum eſt, nemo unius lineæ alteri alterius propinquior eſt, quàm ſtipiti. ¶Quòd ſi arguas, Vbi eadem eſt cauſa eundem conuenit effectum exiſtere: ergo non debuit tanta uarietate eccleſia in his prohibitio nibus uti. Ad hoc reſpondet ibi Innocentius, quòd non debet reprehenſibile iudicari, ſi ſecundùm uarietatem temporum ſtatuta quoque uarientur humana, præſertim cùm uſus neceſſitas uel euideus utilitas id expoſcit: quia Dominus de ueteri teſtamento multa in nouo mutauit. Et ex perientia compertum eſt expedire gradus illos decurtari. Enimuerò eccleſia quodãmodo ius naturale contemplata huiuſmodi gradus prohibuit: nam etſi idem naturæ ius non ſic omnes prohibuerit, ut matrimonia eſſent nulla, nihilominus nonnihil abſurditatis admonet præ ſe ferre in illis gradibus coniugia componi.

Obiectio.

Diluitio.

Gradum prohibitio

Gregor.

Rationes.

¶Accedunt & rationes in tertio articulo adductæ, quæ licèt non tam efficaciter in alijs gradibus militent, quàm inter parentes & natos, nihilominus quandam habent honeſtatem & decentiam. ¶Verùntamen ultra quartum gradum omnes profectò ceſſant, tum quòd uix uſu uenire poteſt, ut pater abnepotem qui in quarto gradu eſt, agnoſcat, ut dicebamus de ſeptimo, propter breuiorem uitæ periodum quæ ſeneſcente mundo breuior fit indies, tum etiam, quòd tepeſcente iam quotidie charitate, uix inter propinquos in illo gradu ullus ſanguinis calor uiget, qui amorem retineat, & ideo illa de cauſa nõ eſt cur à coniugijs cohibeantur.

Ratio 1.

Ratio 2.

¶Prætera tam longa graduum ſerie interdicta difficile eſt inuenire pares, inter quos cõiugia debitè confœderari ualeant. Atque alia ſubinde incommoda ſubſequuntur.

¶Adducit illic Pontifex alias congruitates in quarto gradu, quæ licèt non ſint tãquàm neceſſariæ audiendæ, non ſunt tamen ineptæ. In primis, ut Deutero. 5. legitur Deus uiſitat peccata parentum in filios uſque in tertiam & quartam generationem. Et homo habet quatuor humores quatuor elementis ſimiles. Quare ſanguis parentum in primo gradu: ſcilicet, in filijs, amittit, quod ſubtiliſſimum eſt, ut naturam ignis: & in ſecundo: ſcilicet, fratrue libus, quod minus tenue eſt, ut aereum: & in tertio aqueum, & in quarto terreum: ubi ergo conſanguinitas prorſus euaneſcit.

Tridentina ſynodus.

¶Imò uerò non ita multum abſurditatis ineſt, quando cauſa ſubeſt, in diſpenſando ſaltem ſuper quarto gradu. Quapropter in Tridentino concilio tanquam res expediens inter patres agitabatur, ut quartus amoueretur gradus, ueluti iam certè non uſqueadeò utilis & commodus, dum tamen ſanctiſſimè ſtatueretur tertius & ſuperiores, ut nunquam, uel non niſi ex urgentiſſima cauſa, illa admitteretur diſpenſatio, ſed omnis diſpenſandi occluderetur uia.

Lex futura proſpicit.

¶Sed eſt tandem hic unum, quod notiſſimum eſt, adnotandum, quòd cùm leges præterita non reſpiciant, ſed proſpiciant in futurum, quando Innocẽtius uer bi gratia ſubmouit quintum uel ſextum gradum, non diſpenſauit cum illis, qui in quinto contra eccleſiæ interdictum contraxerant: quia illud nullum erat matrimonium: & uice uerſa ſi modò quintus gradus prohiberetur, non ideo ſeparandi eſſent qui in tali gradu hucuſque contraxerant, ſed prohibitio à tempore promulgatæ legis uim obtinet ſuam.

Sol. 1. arg.

¶Ad primũ igitur argumentum reſpondetur, quòd cùm Chriſtus eccleſiæ ſuæ poteſtatem tradiderit Chriſtianam familiam, & potiſſimùm in ſacramentis, adminiſtrandi,

legesq; ſubinde condendi, ſit ut Deus ſicut illos, qui contra ius naturale diuinum contrahunt, non coniugat, ita neque eos, qui contra eccleſiaſtica iuſſa copulantur.

Sol. 2. arg. ¶Ad ſecundum reſpondetur conceſſo quòd coniugium, naturale ſit uinculum, & pariter quòd conſanguinitas, naturalis ſit neceſſitudo, & ideo eccleſia nec uinculum diſſoluere poteſt poſtquam legitimum eſt, nec conſanguinitatem mutare, ut qui non erant conſanguinei, ſint, aut qui erant, non ſint: attamen, quòd conſanguinitas matrimonium impediat, ne uinculum exurgat, non eſt naturale, niſi in quibuſdam gradibus, ut expoſitum eſt. Et ideo condere leges per diuinam facultatem ualet, quibus pro temporum uarietate uarij gradus matrimonium impediant.

Sol. 3. arg. ¶Ad tertium iam ſupra reſponſum eſt: baptiſmus nanque eſt ſacramentum nullatenus ex humana uoluntate dependés: quare ubi legitima intentio adeſt, eccleſia nihil poteſt uariare. Matrimonium autem ſic eſt ſacramentum, ut ſit etiam ciuilis contractus ab humano conſenſu dependens, quem eccleſia prohibere poteſt.

DISTINCTIO quadrageſimaprima, De affinitate.

Textus. Cap. 1. QVemadmodum in unitate ſanguinis, quæ à patre deſcendit in filium, conſanguinitas fundatur, quæ per ſobolem diffunditur, ita et per coniunctionem mariti & uxoris, qui ut Gen. 2. legitur, fiunt duo in carne una, compingitur affinitas, quæ ex duobus illic coniunctis ſanguinibus conglutinatur. Et ideo cõſanguinei uiuus alteri fiunt coniugi affines, & uice uerſa. Vnde Gregor. 35. queſt. 10. Gregor. Si coniuges, inquit, una caro fiunt, quomodo poteſt aliquis eorum propinquus uni pertinere, niſi pertineat alteri? Hoc minimè credendum eſt. Non tamen ſubinde conſanguinei uiuus cum conſanguineis alterius affinitatem colligunt, imò poſſunt duo fratres cũ duabus ſororibus commiſceri, ut Alexand. 2. canon. Quod autem 35. q. 5. ait, ſicuti & filius uiuus ex altera uxore cum filia alterius ex alio marito. Alexan. 2. Eſt ergo affinitas perſonarum propinquitas ex carnali copula proueniens omni carens parentela: hoc eſt, in ſua ratione non includens, ut ab eiſdem parentibus deſcendant. Definitio affinitatis.

¶Et quanuis antiquitus tria extiterint affinitatis genera, iam uerò reliqua ab uſu abo leuerunt, & tantum primum hoc reliquum eſt in uſu. Solebantq; perinde ac conſanguinitatis, Cap. 2.

tatis, ita & affinitatis gradus ad ſextum & ſeptimum protendi, ſed iam modò iſti, ſicuti illi, reciſi ſunt, ut ultra quartum nullus obſeruetur, ut Lateranenſi ſynodo ſub Innocen. 3. c. Non debet. de conſangui. & affinit. definitum eſt. Qua propter canones illos uetuſtos aliorum generum & graduũ hic recenſere ſuperuacaneum eſt. Vnde cum affinitatis gradus non per ſe, ſed ratione conſanguinitatis, unde originem trahunt, diſtinguantur, quo gradu quiſque ſanguinis ab uxore diſtat, eodem affinitatis elongatur à marito, & uice uerſa, ut ex Gregor. cano. Porrò de affinitate. 35. quæſt. 5. colligitur. Ob idq; facile eſt conſtitutis marito & uxore utrinque gradus affinitatis depingere. Can. Non debet. Gregor.

¶Cõtrahitur autem affinitas non modò ex legitimo connubio, uerum & ex fornicario concubitu, dum tamen in uaſe legitimo conſummetur: quãdoquidem per huiuſmodi congreſſum duo etiam fiant in carne una ad generationem idonei, iuxta uerbum Pauli 1. Corinth. 6. Qui adhæret meretrici unum corpus efficitur. 1. Cor. 6. Itemq; ex can. Si homo. 35. quæſt. 3. colligitur. Ex nefanda uerò ſeminatione, ut can. Extraordinaria. ead. cauſ. & quæſt. habetur, eiuſmodi affinitas non emergit. Per ſponſalia uerò, licèt non propriè affinitas, quippiam tamen paulo minus: nempe, publica honeſtas pullulat, ut Alexand. 3. ca. Ad audientiam, de ſponſalibus. & eod. tit. c. unico. li. 6. Bonifacius affirmant. Quocirca longè efficaciùs uel eadẽ honeſtas, uel fortè affinitas prematrimonium ratum ante eius conſummationem conglutinatur. Alexan. 3.

¶Effectus autem affinitatis eſt matrimonium deinceps, quod ſcilicet antea non preceſſerat, impedire, et attentatum dirimere. Vnde Julius Papa. 35. quę. 3. Aequaliter inquit, uir coniungatur conſanguineis proprijs & conſanguineis uxoris ſuæ. Idemq; caue Cap. 4. Cano. Aequaliter. 35. q. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur cano. Sane atque alijs eadem cau. Atque idem prorsus effectus publicæ honestatis, iuxta tenorem precitati.c. Ad audientiam.de sponsal. & ca. vnici. eod. titul. in 6. Vtrum verò aliquis affinitatis gradus sic iure naturę sit à matrimonio repulsus, vt omni alio secluso iure, ipsum irritet, non desunt qui ambigant. At verò primò gradu excepto, eodemque inter ascendentes & descendentes scilicet inter vitricum & priuignam, & inter nouercam & priuignum, inter nurum & socerum, ac inter generum & socrum, de quo nulla vnquam legitur in ecclesia facta dispensatio, atq; adeò fortasse neque est factibilis (quanuis contrarium probabilitate non careat) in ceteris locus Pontificię dispensationi non est negandus, quandoquidem Innocent. 3. capit. vlti. de diuort. cum quodam dispensasse legitur, vt cum vxore defuncti fratris sui cõtraheret, cuius similes dispensationes alios subinde Pontifices fecisse constat. ¶ Ceterum filij, qui extra matrimonium procreantur, illegitimi censentur, atque adeò à parentum hereditate maiori minoriue rigore abdicantur. Procreantur enim illi aut per simplicem fornicationem, aut per stuprum virginis, aut per raptum, aut per adulterij iniquitatem, aut per incestas cognatorum sordes, aut per sacrilegij nefas, quod sacrę personæ committunt: nam nefandum crimen, quod autor Auguſt. cano. Adulterij trentesimasecunda quęstione septima istorum omnium pessimum est, extra lineam generationis ponitur. Sed de istis non est hic locus dicere. Atqui quanuis plures soleant illegitimorum species discerni, satis tamen ad rem est duas denotare. Sunt enim naturales & manzeres, qui ex simplici fornicatione procreãtur, qui ideo ab intestato matri absque legitima prole decedenti succedunt. Sunt item spurij & nothi, qui ex adulterio vel sacrilegio suscipiũtur, qui ideo illo successionis beneficio non gaudent.

Cap. 5.

Innocen.

Auguſt.

Cap. 6. ¶ Quo ergo tandem res sit cõclusa, vbi matrimonium, impedimento aliquo consanguinitatis vel affinitatis laborat, dissoluendum est: nempe, si clam contractum fuerit, & de impedimento constiterit, priuatim se possunt debentq; coniuges separare: si autẽ in facie ecclesię fuerit cõtractum, eius est iudicio dirimendum. Imò licèt illud decepta vt validum pronunciauerit, cùm primum impedimentum innotuerit, suam debet sententiam rescindere secundum formã prescriptam sub titulo Qui matrimonium accusare possunt. & vigesimaquinta quęstione sexta, & alibi crebrò.

DISTINCTIONIS QVAdragesimæprimæ, Quæstio unica. De affinitate & eius annexis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm ex matrimonio affinitas aliqua contrahatur.

AD consanguinitatem consequitur affinitas, de qua in præsenti distinctione disputatur. Primò igitur quęritur, utrùm ex connubio uterque coniugum cum consanguineis alterius affinitatem contrahat. Et arguitur à parte negatiua per regulam Philosophi ex Posterioribus. Id, propter quod unumquodq; est magis est: uxor autem propter copulã matrimonij non fit affinis mariti: ergo neque eius consanguinei fiunt propter ipsam eidem marito affines.

Partis negatiuæ argu. 1.

¶ Secundò. Si aliqua sunt inter se separata, ex eo quòd aliquid uni eorum iungatur, non subsequitur ut coniungatur alijs: cõsanguinei autem inter se separati sunt: ergo propterea quòd una mulier per matrimonium iungatur uni, non censetur alijs mariti cõsanguineis coniungi, alioquí etiam consanguinei uxoris fierent affines consanguineorum mariti, quod est falsum.

2. Arg.

¶ Tertiò. Si affinitas ratione unius coniugis alteri competeret, sequeretur, quòd mortuo illo coniuge affinitas cessaret: nã cessante causa cessat effectus: consequens tamen est falsum & contra Gregoriũ can. Fraternitatis 35. q. 10. ergo nulla est affinitas.

3. Arg.

¶ In contrarium est, quòd cum uir & uxor per copulã una caro fiant iuxta illud Gen. 2. Erunt duo in carne una: fit ut consanguinei uxoris fiant marito affines, & consanguinei mariti fiant affines uxori.

Pars affirmatiua.

¶ Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Per matrimoniũ contrahitur affinitas inter unum cõiugem & consanguineos alterius, & uice uersa. Probatur conclusio. Affinitas idem est, quod confinitas: id est, finium propinquitas. dicuntur. n. agri affines siue confines, quia finis unius proximus est fini alterius, & ipsum attingens: cùm ergo per copulam carnalem fiant uir & uxor una caro, sanguis unius attingit sanguinem alterius, & uice uersa, atque adeò consanguinei unius efficiuntur alteri affines. Itaque sicut stipes consanguinitatis est pater, & consanguinei iunguntur in unione patris & filij, ita fundamentum affinitatis est copulatio mariti & uxoris. Ex qui-

1. Conclu.

Affinitas.

Stipes affinitatis sũt maritus & uxor.

Affinitatis definitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus elicitur illa uulgata definitio. Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula prouenies omni carens parẽtela. Quam quidem postremam particulã ob id adijciũt, ut à consanguinitate secernatur, quę propriè dicitur parentela. Quãuis Grego. can. Porrò de affinitate. 35. q. 5. non neget, affinitatem speciem quandã esse parentelæ. ¶Secundò probatur eadẽ conclusio ratione naturali Aristo. 8. Ethi. Cõsanguinitas enim ut suprà diximus, ob id uinculum naturale est, quia est fundamentum amicitiæ & familiaritatis inter cognatos, qui in eodem stipite connectũtur: sed affinitas simile fundamentum est amicitiæ & familiaritatis ratione copulationis uiri & uxoris, quæ copulatio iure naturæ instituta est: ergo pari modo est naturale uinculum & necessitudo, qua homines coniunguntur. Quapropter duas illic Aristoteles naturales amicitiæ necessitudines dignouit: unam scilicet, quæ per carnis propagationem descendit, alteram uerò, quæ per carnis coniunctionem ad eandem generationem conglutinatur.

Duo amicitiæ.

Sunt autem duæ istæ necessitudines ratione diuersæ. Nam illa, quæ per generationem descendit, quia personæ eundem sanguinem ab eadem radice trahunt, eandem rem & nomen semper retinent: successores enim filij consanguinei patris sunt, sicut antecessores patris consanguinei filij, licèt plus minusve distent: at uerò quia uxor non trahit sanguinem à marito, nec maritus ab uxore, consanguinei uxoris nõ retinent eandem rem & nomen cum marito, ut dicantur eius consanguinei, sed transit necessitudo & coniunctio in aliam speciem, ut dicantur affines: & similiter consanguinei mariti respectu uxoris. Et hoc significatur illo uersiculo. Mutat nupta genus, sed generata gradum: quia. s. uxor mutat necessitudinis & attinentiæ (ut aiunt) speciem, nam cõsanguineos facit affines, genita uerò proles non mutat genus, quia manet consanguinea, sed elongationem gradus. Discriminantur ergo duæ istæ pertinentiæ seu necessitudines sicut ordo in causis uniuocis: & ille, qui est in causis æquiuocis: sol enim & homo generant hominem: homo autem est causa uniuoca: hoc est, eiusdem speciei & nominis cum effectu: nẽpe, cum homine genito, & huic assimulatur consanguinitas: sol uerò est causa æquiuoca: & ideo ex sole non generatur sol, sed res alius speciei.

Cõsanguinei uxoris fiũt affines mariti.

Versiculus

Diferimẽ.

Conclusio declarat.

¶Et pari modo uxor non facit suos consanguineos cognatos mariti, sed affines. Et est tenor conclusionis adnotandus: scilicet, quòd consanguinei uxoris efficiuntur affines mariti: non enim subinde fiunt affines consanguineorum mariti: quare si lia uxoris ex alio marito potest nubere filio sui mariti ex alia uxore, & duæ sorores duobus fratribus, quæ quidem tunc sorores dicuntur ianitrices, quasi eandem ianuam intrantes, ut ait Alex. 2. can. Quod autem. 35. q. 5.

¶Dubium tamẽ est, utrùm affinitates sint concatenatæ, ut una oriatur ex alia. Et apparet esse sic: quia commistio carnis per copulam perinde affinitatem parit, ac propagatio per generationem consanguinitatem: sed una consanguinitas trahit aliam: nam propterea quòd filius est consanguineus patris, nepos est eiusdem consanguineus: ergo pariter affinitas una aliam nectit. Idemq; confirmatur autoritate Iulij Papæ can. Contradicimus. 35. q. 3. ubi ait. Relictã consanguineorũ uxoris suę nullus ducat uxorem. & can. proximo Porrò, ait idem Pontifex, Duæ consanguineorũ uxores uni uiro unam post alteram nubere prohibentur.

Affinitas una aliam trahit.

Iulius Papa.

2. Concilio

¶Nihilominus subnectitur secunda conclusio. Quanuis antiquo iure tria essent necessitudinum genera, quas pertinentias & quodam modo genera affinitatis appellabant, ut in citatis canonib. continetur, iam uerò iure nouo secundum & tertium genus extincta sunt, & solùm durat primũ quod aliud neutiquam perit. Exempli gratia, quemadmodum D. Tho. Ricardus & Bonauentura explicant. Si Maria fratri meo esset matrimonio coniuncta, erat mihi & sorori meæ affinis in primo genere. Si autem fratre meo defuncto eadem Maria nuberet Petro, ille fiebat mihi & sorori meæ affinis in secundo genere. Et si Maria defuncta ille postea Petrus duceret Anam, illa efficiebatur mihi affinis in tertio genere. Dicebantur autem istæ nõ gradus sed genera affinitatis: quia non erant eiusdem speciei cum prima affinitate: nam in causis æquiuocis semper effectus mutat genus causę, ut diximus in sole & homine, sol enim non generat solem sed alios effectus alterius speciei. Vnde sicut copula cõ

Exemplũ.

Nota.

iugalis

iugalis non generat cõsanguinitatem, sed aliud genus: putà, affinitatem, ita si mortuo primo marito uxor alteri nuberet nõ exurgebat propriè affinitas inter fratrem uel sororem prioris mariti, & secundũ maritum, sed aliud genus attinentiæ aut necessitudinis. Et eadem rõne si mortua illa uxore secundus maritus alteram duceret, inter fratres primi mariti & illam non cõtrahebatur secundum necessitudinis genus, sed tertium, iuxta uersiculum citatũ, Mutat nupta genus, sed generata gradũ.

Versiculus

¶Antiquitus ergo ad omnes istas coniunctiones impedimenta matrimonij extendebantur, ut nec consanguinea primi mariti posset cum secundo marito mortua uxore contrahere, neque consanguinea secundi mariti cum tertio marito. Nõ qui dem propter consanguinitatem aut affinitatem, quæ nulla erat, sed propter iustitiã publicæ honestatis. Iam uerò illa impedimenta prorsus euanuerunt, & nullum iure nouo fit reliquum nisi in primo genere affinitatis, ut patet can. Non debet. de consan. & affini. Quocirca loco illo Iulij, qui

Cã. Cõtradicimus. 35. q. 3.

canon. Contradicimus. 35. q. 3. citatur, ubi exprimitur ius antiquum, non est legendum, ut mendosa impressio apud S. Th. dist. præsenti ar. 1. quæstiunc. 5. habet Relictam consanguineam uxoris suæ nullus ducat in uxorem: nam illud ius nouũ est, & seruandum: sensus. n. est, quòd nullus maritus mortua sua uxore ducat consanguineam eiusdem uxoris usq; ad quartum gradum. Sed legendum est, Relictam consanguinei seu cõsanguineorum (ut ait Gratianus) uxoris suæ: erat. n. ius illud, ut maritus mortua sua uxore non posset ducere relictam fratris suæ uxoris aut aliorum consanguineorum eius. Et si militer can. Porrò duorum. habetur, quòd coniuges duorum consanguineorum: putà, duorum fratrum aut fratruelium maritis mortuis non possent successiuè eidem postea uiro nubere propter iustitiam publicæ honestatis: quod quidem impedimentum iã sublatũ est, & meritò: alioqui si quis duas mulieres cognosceret, neutra posset eidẽ nubere, quod est absurdum. Item si cõsanguineæ uxoris non efficiuntur affines cõsanguineorum mariti, ut dictum est, multò minus illi, qui postea uxori affinitate coniunguntur, efficientur affines mariti. Quare canones hic citati iam antiquati sunt. Igitur secundum ius nouum Constantiensis synodi gradus affinitatis ad normam graduum cõsanguinitatis exigendi sunt.

Can. Porrò duorũ.

Gradus affinitatis.

Arbor affinitatis.

¶Solet autem arbor affinitatis depingi tũ trunca, tum nimium confusa. Pingitur autem secundùm tenorem can. Porrò de affinitate. 35. q. 5. ubi ait Grego. Ego & soror uxoris meæ in uno & primo gradu (scilicet affinitatis) erimus: filius uerò eius (nẽpe sororis uxoris meæ) in secundò gradu erit à me: neptis uerò in tertio, & pronetis in quarto. At uerò non ille solus est primus gradus: quoniam & parentes & filij uxoris meæ attingunt quoq; me in primo gradu, idemq; arctiùs quàm eius fratres & sorores. Sed quia si isti gradus usq; ad quartum cum omnibus suis laterib. delinearentur, arbor creseceret opacissima & cõfusissima, satis est primum gradum oculis obijcere, per quem solertissimus quisque alias diducẽdo lineas potest reliquos facilè percipere. Esto ergo hæc exempli gratia figura.



Declaratio arboris.

VBI hoc in primis cum D. Thoma, hic adnotandum est, q̃ gradus affinitatis non distinguũtur per se, sed ratione cõsanguinitatis, unde nascitur. Consanguinitas enim est, quæ per se habet ramos ratione cadentis sanguinis, sed affinitas non nisi ratione eiusdẽ sanguinis, cui maritus per uxorem coniungitur, aut uice uersa. In hac igitur figura sunt tres circuli dextri maritum circunstantes: scilicet, parẽtum, filiorum & fratrum. Isti ergo primo gradu affinitatis uxorem attingunt, & pariter tres sinistri eodem gradu ad maritum pertinent. Itaque quo gradu consanguinitatis persona distat à marito, eodem gradu affinitatis distat ab uxore, & uice uersa. Quare si protrahas lineas sursum ad auos, & deorsum ad nepotes, & ad latera ad filios fratrum eiusdem mariti, omnes distãt secũdo gradu affinitatis ab uxore. Idemq; in uxore contẽpleris respectu mariti. &c.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum per ea, quæ dicta sunt respondetur: nam quanuis causa præstantior sit effectu, nihilominus in æquiuocis id, quod est in effectu, non eodem modo, sed præstantiori est in causa. Calor enim eminentiori modo est in sole, quàm in ipsa terra, quam ille calefacit. Eodem ergo modo licèt uxor copulata uiro affinitatem generet suorum consanguineorum cum marito, ipsa tamen non fit ei affinis, sed quid propinquius: nempe, quodammodo eadem caro: quemadmodum eiusdem ad se ipsum non est similitudo aut æqualitas, sed identitas.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quòd consanguinei licèt inter se sint separati, quia sunt diuersæ personæ, sunt nihilominus quodammodo idem propter unionem sanguinis: & hac ratione uxor copulata marito quodammodo coniungitur illis.

Obiectio. ¶Quòd si metaphysicè arguas. Illi consanguinei mariti propter eius matrimonium nullatenus mutati sunt: ergo non acquirũt relationem affinitatis cum illa uxore. Negatur consequẽtia. Quemadmodum enim ego fio alij similis dum habitum ille meæ religionis induit, licèt ego non muter, propterea quòd eandem religionem ego antea fueram professus, eodẽ modo isti propterea quòd eodem sanguine, quo Petrus, fuerant geniti, accidit eis ut Petro uxorem ducente, efficiantur uxoris affines. Non tamen sequitur, quòd consanguinei unius efficiantur affines cõsanguineorum alterius: quoniam requiritur una immediata coniunctio, quam alia consequatur. Vxor enim quia proximè unitur marito, fit cum eo una caro, & ideo unitur consanguineis mariti: sed tamen consanguinei mariti non uniuntur immediatè eius uxori, nec fiunt una caro cum illa, & ideo non efficiuntur affines consanguineorum eius. cap. Quod super. de consangui. & affinita.

Sol. 3. arg. ¶Ad tertium denique respondetur prima consequentia interempta: nunquam enim affinitas deletur, quandiu illi, qui eam contraxerant, superstites fuerint. Relatio etenim illa affinitatis non fundatur in actione transeunte, sicut illa quæ est mouentis ad id, quod mouetur, & è conuerso: sed in eo, quod factum est, quod quidem semper permanet. Veluti filius in humanis non dicitur est filius patris, quia nunc actu gignitur, sed quia ab illo genitus est. Eodẽ, inquam, pacto quia Maria meo nupsit fratri, affinis mea est: quare sicut mortuo fratre nihilominus in me semper manet consanguinitas respectu illius, ita & affinitas respectu uxoris eius uiduæ. Nam cùm affinitas, ut diximus, ex consanguinitate oriatur, sicut consanguinitas est perpetua

Affinitatis uinculum perpetuũ. uiuente persona, ita & affinitas. Quocirca licèt, ut ait Apostolus ad Roma. 7. mortuo uiro uxor soluatur à lege uiri, non tamen ab affinitate eius consanguineorum qui sunt superstites. Imò quanuis ipsa moreretur, & postea resurgeret, ut de consanguinitate diximus, non posse mus matrimonium transigere. Nam affinitas ut cum moriente mortua fuerat, ita cum resurgenre resurrexit.

carium concubitum non uidetur affinitæ contrahi: ergo nec per sponsalia. Probatur minor, tum quia affinitas est res honesta, quare non debet per turpem amplexum contrahi: tum quòd alioqui cõtraheretur per flagitium contra naturã commissum, quod cano. Extraordinaria. 35. q. 3. negatur. ¶Secundò. Si per sponsalia contraheretur affinitas, sequeretur quòd per omnia sponsalia contraheret: nam eadem causa eundem semper effectum profert: non tamen per omnia contrahitur, ut colligitur ex cap. Literas. de desponsatio. impub. ergo per nulla contrahitur. ¶Tertiò. Per matrimonium ratum non consummatum propriè non oritur affinitas, eo quòd coniuges nisi per copulam non efficiuntur una caro: ergo multò minus contrahitur per sponsalia. ¶In contrarium est textus Eugenij Papæ cap. Iuuenis. de sponsalib. ubi ex sponsalibus aliquid affinitati simile contrahi censet, quo matrimonium cum consanguinea sponsæ impeditur. ¶Tria in præsenti arti. per tria proposita argumenta insinuantur ad superioris intelligentiã pertinentia: scilicet, utrùm affinitas contrahatur per illicitum concubitum, & per sponsalia, & per matrimonium ratum non consummatum. Ad quam ideo quæstionẽ tribus conclusionibus respondetur. Prima. Per illicitum concubitum, dummodò in uase legitimo copula cõsummetur, contrahitur affinitas. Probatur primò naturali ratione. Maritalis quippe coniunctio duos habet, ut supra uisum est, fines: unus qui est prolium germinatio, ac secũdarius alter, qui ad communionem & consortium officiorum spectat. Et quanuis secundus non nisi inter coniuges consistat, primus tamen in quacunque copula, quæ suapte natura genitrix est, reperitur. Hinc ergo argumentum hoc colligitur. Matrimonium quatenus carnis commistio est ad germinandum, affinitatem parit: in illicito autem concubitu eadem est corporum commistio: ergo ex illo profertur affinitas. ¶Secundò explicatiùs arguitur. Affinitas ob id ex matrimonio contrahitur, quòd duo illic una caro fiunt, iuxta uerbum Gregorij cano. Fraternitatis. 35. q. 10. ubi citans illud, Erunt duo in carne una, infert. Si una caro fuerint, quo modo pót aliquis eorũ propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri? Hoc minimè posse fieri

2. Arg.

3. Arg.

Pars affirmatiua.

Prima conclusio.

Ratio naturalis.

Arg. primum.

Arg. secundum.

ARTICVLVS II.

Vtrum affinitas, uel aliquod matrimonij impedimentũ per spõsalia cõtrahatur.

Partis negatiuæ arg. 1.

QVAERITVR subinde, utrùm sicut per matrimonium, ita per sponsalia contrahatur affinitas. Et arguitas potius per copulam cõtrahitur, quàm per consensum desponsationis: quia per illam fiunt duo in carne una: sed per forni-

Decisio articuli.

fieri credendum est: sed quia adhæret me-
Paul. 1. Co rint. 6. retrici, ut. 1. Corin. 6. ait Paul. unum cor-
pus efficitur ubi idem citat testimonium,
Erunt duo in carne una, ex Genes. 2. ergo
per illicitum concubitum contrahitur af-
finitas. Accedit, quòd cùm per illicitū con
cubitum etiā fiat generatio, si fornicarius
contraheret cum matre fornicariæ, idem
esset & filius eius, & priuignus: nempe, ne-
pos uxoris suæ: etsi contraheret cum soro
re fornicariæ, idem esset & filius & conso-
brinus: & sic geniti ex fornicaria & ex le-
gitima uxore necessitudines consanguini-
tatis confunderent.

Can. Si ho rm. ¶Idem confirmatur ex can. Si homo. 35.
q. 3. ubi habetur, quòd si homo fornicatus
fuerit cum muliere, & frater eius nesciens
eandem duxerit uxorem, ipsa sine spe con
iugij maneat. Atque hac de causa in defi-
nitione affinitatis non diximus contrahi
duntaxat ex legitima copula cōiugali, sed
in genere ex quacunque copula per quam
duo fiunt una caro.

Appēdix. ¶Ex quo fit, nec per oscula, & impudicos
tactus, imò nec per solam penetrationē,
nec per effusionem seminis extra legitimū
vas affinitatem exurgere: quia per nullum
illorum fiunt duo in carne una, quousque
seminatio in legitimo uase fiat. Neque ob
stat cap. citatum Iuuenis, de sponsalib. cu-
ius casus est, quòd licèt iuuenis puellam
nondum septennem uitiare tentaret, nec
tamen complere potuisset, nihilominus af
finitatem contraxit, ne posset eius conso-
brinam ducere: quoniam illa affinitas non
fuit contracta propter illos impudicos ta-
ctus, sed quia illam sibi disponsauerat.

Coitus ne farius non parit affini tatem. ¶Quapropter neque per nefariam semina
tionem contra naturam, ut ait Vrbanus
Papa can. Extraordinaria 35. q. 3. ubi men
dosa est litera, quæ habet, Extraordinaria
pollutio non nisi in naturalibus admissa
&c. sed expuncta priori negatione legen-
dum est, Extraordinaria pollutio nisi in
naturalibus admissa non uidetur matrimo
nium impedire.

Cano. Extraordinaria emendatur. ¶Quòd si redarguas. Eiusmodi nefanda
pollutio ius facit innocenti coniugi peten
di diuortium, ut distin. 36. prædiximus er-
go pari ratione sufficit ad contrahendam
affinitatem. Negatur consequetia: quoniā
per illam coniux frangit fidem, quam con
iugi debet: quia diuidit corpus suū in duo.
Sed tamen non propriè illa fit una caro cū
altero ad sensum illius uerbi, Erunt duo in
carne una: scilicet, ad generandum. Obiectio.

¶Quòd si obijcias textum in ca. Fraterni-
tati. de eo, qui cogno. consang. uxo. ubi il-
le, qui extraordinaria pollutione quandā
deturpauerat, prohibitus est cum eiusdem
puellæ sorore contrahere. Respondetur il Dilutio.
lud diuortium non esse factum propter af
finitatem ratione pollutionis, sed propter
publicæ honestatis iustitiam: quia cum
eadem puella sponsalia pepigerat.

¶Aliter tamen arguitur. Affinitas, ut dice Aliud arg.
bamus, est propinquitas personarum ex
carnali copula proueniens, omni carens
parentela: si autem per illicitum concubi-
tum contraheretur, nō omni affinitati hęc
definitio conueniret, ut pote si quis cum lo
rore uel alia sua consanguinea incestum
committeret: tunc enim fieret affinis eif-
dem: quibus erat consanguineus: quæ ideo
affinitas non careret parentela. Respondē Solutio.
tur, quòd cum parentela à parentibus pro
prie dicatur, uoluerunt Doctores puram
& nudam affinitatē per hoc definire, quòd
non esset admixta consanguinitati. Nihi-
lominus nihil uetat ambo respectus eidē
conuenire posse. Imò non modò per ince-
stum, uerūm & per legitimum matrimo-
nium, ut si qui mihi ex parte mei patris
consanguineus est, consanguineam meam
ex parte meæ matris duceret. quæ illi non
erat consanguinea. Tunc enim meus con-
sanguineus fit ex alia parte meus affinis.
Satis ergo est, ut affinitas, quantum est de
sua propria ratione, sit carens parentela. Nota.
Ex quo fit, quòd si aliqui duo ex una parte
consanguinei sunt, & ex altera affines, su-
per utrumque impedimentum debeat Pō-
tificia dispensatio obtineri antequam con
iugio copulentur. Sol. 1.

¶Vnde ad primum argumentum respon-
detur, quòd quanuis affinitas res sit hone-
sta, nihilominus ex turpi congressu contra
hitur, non quatenus turpitudinem habet,
qua à matrimonio differt, sed quatenus cū
matrimonio hoc habet naturale cōmune,
quòd per ipsum fit duorum una caro. Ad
aliud uerò membrum de nefanda copula
iam dictum est, nō esse affinitatis causam. Sol. 2.

¶Secunda conclusio. Per sponsalia impe-
dimentum contrahitur, quod matrimoniū
tum impedit, tum subinde dirimit, quod li
cet propriè non sit affinitas, est tamē quip
piam ei simile: nempe, publica honestas.

De

Decretum est Alexandri tertij capi. Ad
audientiam. Et cap. Iuuenis. de sponsalib.
Et cap. unico. eod. tit. lib. 6. Et cap. Discre
tionem. de eo qui cogno. consang. uxor.
Quòd autem illa non sit propriè affinitas,
probatur: nam cum sponsalia non consum
mata perfectam non obtineant matrimo
nij rationem, sed quandam inchoationem
ac præparationem, consequens fit, ut nec
propriè affinitatem ingenerent, sed quid-
piam aliquantulo minus. Vnde publicæ
Publica honestas quid. honestatis iustitia est propinquitas ex spō
salibus proueniens, robur trahens ab ec-
clesiæ institutione propter eius honesta-
tem. Consequitur ergo ut citra copulam
carnalem contrahatur: nam si copula su-
Obiectio. peruenisset cum maritali affectu, in affini-
tatem transit. Quòd si contra conclusio-
nem obijcias. Sponsalia non faciunt per-
petuum uinculum, nam genere suo mul-
tis modis dirimuntur, neque faciunt obli
gationem cohabitandi, neque facultatem
Dilutio. mutuam corporum: ergo nullum impedi-
mentum matrimonij secum adferunt. Ne
gatur consequentia: quoniam sponsalia
nullum adferunt impedimentum ex se ra
tione nodi, quem in se habent, sed ratio-
ne uinculi matrimonij, ad quod ordinan-
tur & referuntur: & ideo sicut matrimo-
nium est perpetuum uinculum, ita & pu-
blica honestas, quæ ex sponsalibus contra
Dubium. hitur, est perpetua. ¶Emergit hinc autem
dubium, utrūm ex quocunque sponsalio-
rum genere, quomodocunque illa compo
S. Thom. nantur, publica honestas oriatur. S. Tho.
quæstiūcula præsenti ad 3. arg. respon-
det, quòd c nia impedimenta, quæ fa-
ciunt sponsalia non esse sponsalia, non p-
mittunt ex pactione nuptiarum affinita-
tem fieri. Vnde siue habens defectum æ-
tatis, siue uotum solenne continentiæ, aut
aliquod huiusmodi impedimentum, spon
salia de facto contrahat, ex hoc non se-
quitur, ulla publica honestas: quia nec
Syluester. sponsalia ulla sunt, nec aliquis affinitatis
modus. Et idem ait Ricardus, & antiqui
omnes. Syluester uerò uerb. Matrimoniū.
8. q. 14. dicit S. Thomam fuisse secundùm
rationem naturalem locutum, quæ do-
cet, ut quod nihil est, nihil efficiat: & secū
dùm antiquas expositiones canonum. Ni
Posti. S. Th. hilominus post secula S. Thomæ Bonifa-
canon con cius. 8. cap. unico. de sponsalibus in 6. de-
ditur. creuit, quòd quocunque uitientur impe-
dimento sponsalia siue consanguinitatis,
siue affinitatis, frigiditatis, religionis, aut
alia quauis ratione sint nulla, dummodò
non sint nulla ex defectu consensus, ori-
tur efficax impedimentum iustitiæ publi
cæ honestatis ad impediendum & diri-
mendum subsequentia sponsalia & matri
monia, non autem præcedentia. Sed pro- Nota.
fectò nequeo satis D. Thomam Ricar-
dum & alios intelligere: nam idem Ale-
xander tertius, quem ipsi longè antiquio
rem ipsis citant, cap. Ad audientiam, de
sponsalibus id ipsum decernit, quod po-
stea Bonifacius, sanè ubi casus refertur, Casus cap.
quòd cùm quidam cum puella sponsalia Ad audien
contraxisset, inter quos impedimentum tiam.
consanguinitatis fuisset postea repertum
ex parte patris sponsæ, frater eius ex alte
ra matre matrimonium cum eadem con-
trahere tentauit, & non fuit permissus.
Causa uero huius Pontificiæ sanctionis, Ratio.
ut sponsalia, quæ iure ipso nulla sunt, im-
pedimentum alteri matrimonio cum prio
ris consanguineo obijciant, non aliam ad
ferre possumus, quàm quòd consulta fue-
rit cautio ad obuiandum fraudibus, & ad
propellendam iniquitatem eorum, qui
contra impedimenta iuris sponsalia con-
texere nituntur: scientes enim per illa pu
blicam honestatem contrahi, cauebunt il
la tentare.

Pura & certa. ¶Consultò tamen Bonifacius ait, si spon
salia sint pura & certa. Pura enim sunt,
quę sine conditione absoluta contrahun-
tur: nam si contrahantur sub conditione,
& antequam adimpleatur, alter illorum
cum alterius consanguinea contraxerit,
secundum matrimonium tenet, ut eod. ca.
sancitur: quoniam cùm conditio non fue
rit adimpleta, locum non habuit publica
honestas, dummodò conditio non sit im-
possibilis aut turpis, aut illarum, quæ ha-
bentur pro non adiectis, sed sit honesta,
quæ faciat sponsalia esse in futurum pen-
dentia: nam tunc quousq; conditio sit im-
pleta, sponsalia non sunt firma, atque a-
deò nec oritur publica honestas. Certa ue Certa.
rò sunt, quæ cum certa persona: nempe,
cum Maria uel Ioanna contrahuntur: nā
si quis in genere sponsalia contrahat cum
aliqua filia Petri, certè illa non sunt effi-
cacia ad conciliandam publicam hone- Defectus
statem. Item requiritur, quòd defectus nō ex parte
sit ex parte consensus: nempe, quia defuit consensus.
rationis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Defectus ex parte consensus.

rationis usus, cuius casus habetur cap. Literas, de sponsas. impub. nam cum quidam perfectæ ætatis puellulam in cunabulis sibi desponsasset, postmodum contraxit cũ puellæ matre, & matrimonium pronunciatum est ualidum propter defectum usus rationis in puella. Neque obstat cap. Iuuenis. de sponsalib. citatum: nam illa puella iam proxime septẽnium attigerat, & ideo præsumpta est usum habuisse rationis. Alioqui sponsalia contracta ante septẽnium ex defectu consensus non pariunt publicã honestatem. Imò neque si contrahantur per parentes ante septennium filiorum, ni si sponsi post septennium consentiant, uel scientes non contradicant. Et idem est si defectus consensus fuerit uel per errorem habitus, uel per metum cadentem in constantem uirum extortus. ¶Vbi tamẽ sponsalia fuerint pura & certa liberoq; consensu firmata puellæ, quæ cum sacerdote uel monacho, uel frigido, uel aliàs impedito illa contraxerit, non potest cum consanguineo illius intra quartum gradum sine dispensatione contrahere. ¶Aliud uerò ait loco citato S. Tho. uidelicet, quòd si quis re uera frigidus uel maleficiatus in tenella ætate antequàm defectus per experientiam explorari posset, post septennium tã uel propè cum adulta sponsalia cõtrahat, iure sunt legitima: quia tunc incognitus defectus sponsalia nõ impediebat. ¶Et per hoc solutum restat argumentum secundũ. Explicitum enim est quænam sponsalia pariãt honestatẽ, quæ uerò minimè. ¶Sequitur tandẽ de matrimonio rato nõ consummato, de quo tertia subtexitur conclusio.

Obiectio diluitur.

Nota.

Frigidi aut maleficiati.

Sol. 2. arg.

Tertia cõclusio.

Per matrimonium ratum non consummatum contrahitur impedimẽtum, quod matrimonium contrahendum impedit, & cõtractum dirimit. Conclusio notissima est, tum quia illud est uerum & legitimum matrimonium, tum q; si ex sponsalibus tale oritur impedimẽtum, multo efficacius ex matrimonio rato per uerba de præsenti pullulabit. ¶Dubium tamen est, an tale impedimentum sit affinitas, an uerò publica honestas. Nam D. Tho. impræsentiarum ait, esse affinitatem: Scotus uerò hic, cui Paludanus adnuere uidetur, & Panor. cap. Sponsam. de sponsalib. & iuris canonici professores aiunt esse publicam honestatem. Et possunt se illa ratione tueri, quam tertio loco in capite proposuimus, quòd affinitas non uidetur contrahi nisi per carnalem commistionem, quam coniuges una caro fiunt.

Dubium.

¶Ad hoc tamen primùm respõdetur, quæstionem nõ esse de re, sed de nomine: nam de re nemo dubitat, quin per matrimoniũ ratum efficacius impedimẽtum contrahatur, quàm per sponsalia: quæstio autem de nomine minimi momenti est. Sed nihilominus D. Tho. uidetur ad rem uicinius loqui: nam certum est, per matrimonium ratum maius uinculum contrahi, imò alterius generis, quàm per spõsalia, cùm sponsalia non nisi in uirtute matrimonij impedimentum germinent: & id quod ratum est, uerum matrimonium existat: cùm ergo inter publicam honestatem & affinitatem nullum interfit medium, colligitur ut impedimentum, quod fit per matrimoniũ ratum, nomen affinitatis obtineat. Et ideo bene ait S. Tho. quòd affinitas non solùm ratione carnalis copulæ in actu contrahatur, sed etiam secundùm societatem coniugalẽ, quæ naturali eodemq; perpetuo uinculo perficitur. ¶Vnde ad argumentum in contrarium respõdetur, q̃ quanuis per copulam carnalem fiant coniuges una caro, nihilominus quia in matrimonio rato traditur facultas corporum ad eandem copulam, per illud dicitur etiam fieri una caro.

Solutio 1. bij.

Opinio D. Tho.

Sylu. uerb. Matrimo. 8. q. 14. ait, quòd dicatur affinitas inchoatiuè. Sed quando de re inter nos cõuenit, parui refert quomodo loquamur.

Sylueſter.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm affinitas matrimonium impediat.

SEQVITVR de affinitatis effectu, utrũ scilicet matrimonium impediat, & arguitur à parte negatiua. Effectus rei non uidetur esse causa impedimenti eius: affinitas autẽ contrahitur ex matrimonio: ergo illud non impedit.

Pars negatiua. Effectus rei non uidetur esse causa impedimenti eius.

¶Secundò. Ille qui mulierem per carnem cognoscit, immediatiùs ad illam attinet, quàm eius consanguinei, qui non nisi ratione illius efficiuntur mulieris propinqui: sed qui cum muliere fornicatur, potest cum illa deinceps contrahere: ergo affinitas matrimonio nihil obstat.

2. Arg.

¶In

Pars affirmatiua.

¶In contrarium autem est decretum Iulij Papæ can. Aequaliter. 35. quæstione. 3. ubi ait, Aequaliter uir coniungatur consanguineis proprijs & consanguineis uxoris suæ.

1. Conclu.

¶Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Omnis affinitas usq; ad quartum gradum impedimentum est matrimonium contrahendum impediens, & contractum dirimens. Decretum est cano. citati. 35. quæstione. 3. cum aliis ei ibi dem multis adhærentibus: scilicet, cano. Et hoc. & Sanè. & Si uir. & canon. Porrò. de affinitate eadem. causa quæstio. 5. & cano. Fraternitatis. quæstione. 10. Et capit. Discretionem. de eo qui cogn. consang. uxo. suæ. Idemque ut supra expositum est, de iustitia publicæ honestatis asserẽdum. Et quemadmodum superiori distinctione de consanguinitate diximus, id ipsum de affinitate sentiendum: nempe, quòd antiquitus usque ad septimum gradum interdictum matrimonii proferebatur, iam uerò post concilium Lateranense non ultra quartum protenditur, cuius uerba sunt in capit. Non debet. de consangui. & affinita.

Affinitas quoto gradu prohibeat.

Nota.

Prohibitio copulæ coniugalis quartũ consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat. Meminisseq; subinde oportet eius, quod artic. 1. diximus, uidelicet, secundum & tertium affinitatis genus iam esse abolita, quorum unũ alterum pariebat. Quare iam solum primum durat, ut non nisi soli uxori consanguinei mariti fiant affines, & consanguinei uxoris soli marito. Quapropter quatuor illic canones, Si cuius. & tres sequentes, Si qua mulier. 35. quæstione. 10. iam non sunt in usu, quibus cauebatur, ne si defuncto marito uxor ex altero sobolem susceperit, liceret consanguineis prioris mariti cum illa sobole secundi matrimonio sociari. Imò uerò possunt fratres prioris mariti cum filiis uxoris ex altero marito coniugari. Sed si prior maritus resurgeret, ille non posset.

Solutio alterius opinionis.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd affinitas non impedit matrimonium, ex quo contrahitur, sed alia deinceps propter illas rationes, quæ in consanguinitate adduximus, & potissimùm ad ampliandam amicitiam. Et quia cùm coniux efficiatur una caro cum altero, quodammodò efficitur cum eius consanguineis. ¶Aliud uerò sophisma est: nam qui carnaliter mulierem cognoscit, neque efficitur eius consanguineus, neque affinis, sed una caro, quæ non impedit uinculum, imo illud facit.

Sol. 2. arg.

¶Potissimum autem dubium huius articuli est simile illi, quod de consanguinitate disputauimus, utrùm aliquis affinitatis gradus iure naturæ sic matrimonium impediat & dirimat, ut neque in lege naturæ fuerit ualidum, neque modò per Papam possit super eo dispensari. Et totum ambiguitatis pondus in primum gradum incũbit: nam de secundo & duobus sequentibus Innocentius cap. Gaudemus. de diuortijs. respondere uidetur, non eo rigore esse prohibitos iure naturæ, quin inter infideles in eisdem gradibus inita connubia sint solida & ualida.

An sit aliquis affinitatis gradus iure naturæ uetitus.

Cap. Gaudemus.

¶Primus autem affinitatis gradus instar primi gradus consanguinitatis, imò ratione prorsus ipsius constituitur. Est ergo in duplici specie: scilicet, secundùm lineam rectam, & secundum lateralem. In linea recta ascendentium est, si quis matrem & & post filiam ducat, aut si maritus matris ea mortua ducat priuignam, aut si gener socrum. Aut si una nubat patri & filio, ut si nouerca nubat priuigno, aut si nurus socero. In alia laterali specie primus gradus est, si quis duas successiuè ducat sorores, aut si una duobus fratribus nubat. Et ex his speciebus efficacior est illa, quæ est in linea ascendentium: nam sicut in consanguinitate arctior est nexus inter patrem & filiã, quàm inter duos fratres, licèt ambo sint primus gradus, ita in affinitate. Quare turpius esset matrimonium si quis matrem & filiam duceret quàm si duas sorores sibi copularet.

Primus gradus affinitatis.

Recta linea.

Transuersa linea.

¶Disputemus ergo priùs id, quod minus præ se fert de honestatis: nempe, in latera li. Et quidem casus uterq; iam usu uenit in Hispania. Nam Rex Portugalliæ Emanuel per dispensationem Alexandri sexti, duas subinde sorores matrimonio sibi coniunxit filias Catholicorum Regum Hispaniæ Ferdinandi & Elisabeth. Et deinde serenissima Catherina eorundem Regum filia, quæ Regi Arcturo Angliæ fuerat per uerba de præsenti desponsata, eodem absque liberis defuncto per dispensationem Iulij secũdi nupsit Iuiro: scilicet, mariti fratri Henrico octauo, ex quo Mariam

Primus gradus affinitatis lineæ collateralis.

Henricus Angliæ rex.

riam genuit. Postmodum uerò idem Henricus occasionem ex quodam negotio arripiens, quod ei non ex uoto succesſerat, ardentiſſima correptus cupidine gignendi maſculinam prolem, cauſari cœpit, non potuiſſe ſummum Pontificem ſuper matrimonium eius cum fratria diſpenſare, atq; adeò poſſe aliam optare uxorem. Quę qui dem concepta opinio monſtruoſam illam malorum Hydram peperit, quæ Angliam hæreſum clade proſtrauit.

1. Arg. ¶Fautores autem illius opinionis primũ ei fundamentum ex Leuit. 18. ſubijciebãt, ubi legitur, Turpitudinem uxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui eſt, ubi idem gradus prohibetur. Quare Paluda. diſtin. præſenti quæſt. 1. tenet, quòd ſuper hoc gradu affinitatis Papa diſpenſare nequeat, ſicut & Maioris ſupra citatus.

2. Argum. ¶Mox ſecundum obmoliebãtur argumentum, quòd Ioãnes Baptiſta, ut Matth. 14. & Marc. 6. legitur, ob id martyrio coronatus eſt, quòd Hærodem de inceſto matrimonio uituperabat cum Herodiade uxore fratris ſui Philippi: unde collectio fieri uidetur, adeò eſſe cõtra ius naturæ, ut nullis unquam gentium fuerit licitum.

3. Argum. ¶Deinde & ex cap. Gaudemus. de diuortijs. maius ducitur argumẽtum, ubi ait Innocentius, quòd infideles ad lucem fidei conuerſi ſi in primo gradu reperiãtur contraxiſſe, ſeparentur: quod non dixiſſet, ſi gradus ille in lumine naturæ matrimonium non dirimeret: hic autem eſt primus gradus affinitatis.

2. Concl. ¶Nihilominus ſtatuitur concluſio, quę ſit huius articuli ſecunda. Connubium inter leuirum & fratriam: ſcilicet, uxorem fratris: & inter ſororem uxoris & ſororium: nempè, maritum ſororis, licèt aliquam præ ſe ferat iure naturæ turpitudinem & fœditatem non tamen uſque adeò eodem iure eiuſmodi matrimonium uetitum eſt, ut excluſo quocunque iure eccleſiaſtico fuerit ſub eadem lege naturæ nullum. Ad probationem concluſionis illud præ oculis ſemper habendum eſt, quod diſt. præcedenti abundè monſtraſſe credimus: nempe, ex lege Moſayca nullum ad euangelicam argumentum trahi, niſi quatenus eius præcepta moralia erant, & iure naturæ conſtituta: nam quod in ea iudiciale aut cęremoniale erat, totum, abolitum & antiquatum

Ex lege Moſayca ad noſtrã nullũ ducitur argu.

eſt. Rurſus & illius quoque meminiſſe oportet: quod ut illic dicebamus, quanuis ius naturæ propter turpitudinem matrimonium uetet, non inde ſit conſequens, ut illud faciat nullum, alioqui in ſecundo & reliquis cõſanguinitatis gradibus annulla ret matrimonium: quia in illis cõtrahere, etiã quidpiam naturalis fœditatis habet, cuius de cauſa eccleſia eos gradus prohibuit. In iure autem naturæ, ut dicebamus, tres gradus diſcernuntur. Quædam enim ſunt ſicut prima principia, quæ intrinſecè indiuiduam & inſeparabilem rectitudinẽ iuſtitiæ includunt, quæ ob id indiſpenſabilia ſunt, ut præcepta decalogi. Alia ſunt, quæ licèt iure naturæ ſint honeſta, & eorum contraria inhoneſta, nihilominus extrema neceſſitas boni communis, poteſt ea iure ipſo naturali mutare, & quod inhoneſtum erat facere honeſtum, ut diximus de matrimonio fratrũ in primordiis mundi: ſed tamen illa extrema neceſſitate ceſſante nulla lex humana poteſt illa mutare. Alia ſunt in tertio gradu iure quidem naturæ honeſta, & eorum contraria inhoneſta, quæ etiam citra extremam neceſſitatem propter honeſtas cauſas & fines, præſertim ſi ad bonum publicum ſpectẽt, poſſunt iura gentium & ciuilia, & multo efficaciùs eccleſiaſtica uariare & mutare: nã id, quod ex mero iure naturæ inhoneſtum erat, põt per aliud bonum repenſari & honeſtari. Imò & ius ipſum naturæ hanc mutationem perſuadet. Nam natura integra omnia ut eſſent communia admonebat, quæ tamen corrupta perſuaſit, ut res per proprias poſſeſſiones diſtribuerentur & diuiderentur.

Nota.

Iuris naturæ tres gradus.

Secundo gradus.

Tertio gradus.

Concluſio claratur.

¶Quod ergo noſtra aſſerit concluſio eſt, connubium in primo gradu affinitatis eſſe iure naturæ turpe & inhoneſtum in hoc tertio gradu. Quod enim turpe per ſe ſit, ſi nudè conſideretur abſque alia honeſtante cauſa, uerba illa legis oſtendunt: ſanè cũ in omnibus prohibitionibus dicatur. Turpitudinem patris tui, aut matris tuæ &c. non reuelabis. Et eodem modo ſubiungitur, Turpitudinem uxoris fratris tui non reuelabis. Lumen ergo ipſum naturæ turpitudinem oculis in huiuſmodi connubijs offundit. Et illa inter alias de cauſa tum olim Deus, tum modò eccleſia eiuſmodi coniugia interdixit. Quòd autem ius naturæ non uſque adeo tale matrimonium inhibeat,

Ius naturæ huiuſmodi matrimo. non inhibet.

hibeat, ut illud prorſus irritet & caſſet, probatur: quia ratio naturalis ex fine ſumenda eſt: quod autem quis duas ſubinde ſorores ducat, aut aliqua duobus fratribus nubat, neque primo fini matrimonij: nempe prolibus gignendis & educandis, neque ſecundo: ſcilicet, cohabitandi & in domeſticis officijs communicandi obſtat: ergo iure naturæ tale matrimonium nõ irritatur.

Obiectio. ¶Quòd ſi arguas. Neque uerò inter patrem & filiam matrimonium eiſdem finibus contra pugnat, & nihilominus diximus iure naturæ nullum. Reſpondetur, q̃ alia ratio ſupra relata militat in patre & filia, quæ inter huiuſmodi affines non eandem uim obtinet: nẽpe, quòd filia eſt pars patris ex eius lumbis deciſa, & filius pars matris ex eius uentre deciſus, cui proximè accedunt fratres ex eodem utero prolati, quod quidem inter leuirum & fratriã non reperitur; nulla ergo naturali ratione tale matrimonium euacuatur.

Ratio 1.

¶Secundò probatur Philoſophorum autoritate, quia naturali lumine peregregiè philoſophati ſunt, quorum fuere Ariſtoteles & Plato atque alij id genus præclari, qui nullibi tale cõnubium tanquam nullum condemnaſſe leguntur.

Ratio 3.

¶Tertiò arguitur exemplo ſancto rum patrum ſub lege naturæ. Iacob enim ante ſcriptam legẽ Leuitici duas ſorores unam ac deinceps alteram ambas ſuperſtites ſibi aſſociauit, & tamen nulla uel legitur uel creditur facta diſpenſatio: quia nõ erat tanta diſpenſandi neceſſitas: ergo id fecit, quia ſciebat iure naturæ non eſſe adeò uetitum, quia bona de cauſa fieri poſſet licitè.

Ratio. 4.

¶Tandem & eccleſiæ autoritas, quæ ſuper hunc gradum diſpenſat, & apud catholicos ſummum habet in terris momentũ, quoſcunque deberet conuincere, quæ poſt quam id facit, credenda eſt ius naturæ intelligere, ut ſi faciat, certum ſit tenere. Haud enim Alexãder ſextus, qui cum Rege Portugalliæ diſpenſauit, aut Iulius. 2. qui diſpenſauit cum Rege Angliæ, primi huiuſcemodi diſpenſationis fuerunt autores, quoniam & Innocentius tertius, ut capit. ulti. de diuortijs relatum eſt, cum quodam Lugonienſi diſpenſauit, ut uxorem fratris duceret, licèt ibidem prohibuerit, ne deinceps fieret: quod eſt ſignum non tam lege naturæ, quàm eccleſiaſtica tale matrimonium eſſe prohibitum. Et Archiepiſcopus Florenti. 3. partic. titul. 1. capit 11. in fine refert Martinum quintum theologorum conſilio diſpenſaſſe cum quodã, ut contraheret cum illa, cuius germanam fornicariè occultè tamen cognouerat. Nõ quod certè diſpenſauerit ut frater cum ſorore conttaheret, ut putauit Sylueſter uerbo. Papa. quæſtione. 17. Imò uerò quòd aliquando talis diſpenſatio expediat & decet.

¶In cuius confirmationem noua ex ueteri lege argumenta ducũtur. Primum enim in Leuitico ſolùm prohibetur, ne leuir uxorem fratris ducat: ſcilicet, ne una uxor duobus fratribus nubat: non autem prohibetur, ne ſoror uxoris leuiro nubat: ſcilicet, ne quis duas ſorores ducat: & profectò ſi ius merum naturæ conſulas, eadem eſt prorſus coniunctio & neceſſitudo, atque adeò prohibitio: nam eſt idem primus gradus affinitatis: quam ob rem eccleſia utrumque pari iure prohibet: ergo prohibere matrimonium leuiri cum fratria, & non è conuerſo ſororis uxoris cum ſororio, certè non erat prorſus moralis, ſed partim iudicialis mandati: quare nullum inde ad nos argumentum trahitur.

Argumenta ex Leuitico. 18.

¶Sed tandem efficacius arguitur. Lex illa Leuitici non erat omnino indiſpenſabilis, quin bona de cauſa poſſet ſuper illam diſpenſatio cadere. Imò alia erat huiuſmodi lex Deuteronom. 25. Quando habitauerint fratres ſimul, & unius ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui: & primogenitum ex ea filium nomen illius appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Iſrael. Quæ quidem leges prima facie pugnare ſibi uidentur. Ob idq; Maioris diſtinct. 40. quæſtione. 3. ſuſtinens ſuper nullum caſum Leuitici poſſe Papam diſpenſare, & cernens diſpenſatum eſſe cum Regibus Portugalliæ & Angliæ, auſus eſt dicere, illam prohibitionem, ne quis reuelaret turpitudinem uxoris fratris, non eſſe Leuiticã, ſed ſcriptorum errore fuiſſe adiectam. Vide quo nimius amor propriæ opinionis prorumpere ſoleat. Ambigere enim nefas eſt talem prohibitionem illic eſſe cum alijs. Dicendum ergo quòd lex Leuitica in gẽnere poſita eſt de uxore fratris ſiue defuncti ſiue uiui, ſiue filios habentis, ſiue illis carentis. Illa autem Deuterono.

Aliud arg.

Deute. 25.

Io. Maior.

Diſcrimen harum legum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat specialis de uxore fratris sine liberis defuncti, & simul habitantis &c.

Nota. ¶Has autem leges sic forsan quis posset intelligere, ut secunda esset dispensatio primæ hoc pacto, quòd quemadmodum nũc omne matrimonium in quarto gradu prohibitum est, & nihilominus Papa singulariter cum Maria & Petro dispensat, ita in Leuitico uniuersim matrimonium cum uxore fratris esset prohibitum, sed postea dispensatum est fieri cum uxore defuncti sine liberis. Sed re uera hæc interpretatio

Sententia autoris. non uidetur idonea: quoniam dispensatio nunquàm ponitur per modum legis. Multo autem minus credendus est Deus duas tulisse leges, unam quæ esset dispensatio alterius. Non enim diuina sapientia & prouidẽtia permittit, ut credamus omne prorsus matrimonium leuiri cum fratria primum prohibuisse, & illud statim per alteram legem relaxasse.

Epilogus. ¶Colligitur ergo, quòd lex illa Leuitici nunquam prohibuit connubium leuiri cũ uxore fratris defuncti sine liberis sicut lex, Non occides, nunquam prohibuit homicidium, quod sit à iustitia, uel ab illo, qui se caute, inculpateque defendit. Et tamen si merum ius naturæ perspicias, æqualiter omne matrimonium respuit cum uxore fratris defuncti, seu cum liberis, seu sine liberis. Non ergo lex illa omnino moralis fuit, sed iudicialis. Et ideo nunc talis prohibitio ecclesiastica est & Pontificia.

Postremũ argum. ¶Postremum igitur argumentum a fortiori ex illa lege deducitur. Si enim Deus illam ob causam tale matrimonium leuiri cum uxore fratris defuncti permisit, ut semen fratris suscitaret, ne domus successoribus orbaretur, id quod nondum certum erat fore: nam poterat & secundus frater sterilis quoq; esse, ut prior,

Nota. & fortè uxor simpliciter ad pariendum inhabilis: profectò nunc tam expediens esse potest eiusmodi dispensatio: nam possunt causæ concurrere publicæ, quæ illam naturalem turpitudinem abluant, & matrimonium honestent, ut si fieret ratione pacis inter principes componendæ, aut ob aliam causam publicam: nam propter alias leuioris momenti non deceret.

Sol. 1. arg. ¶Ad primam ergo propositarum obiectionum de Leuitico iam responsum est, uim modò non retinere, nisi quatenus erat moralis, quæ huiusmodi matrimonium inter affines non reddidit nullum. Ex quo sequitur, & est adnotandum, quòd si Iudæus nunc, qui cum uxore defuncti fratris contraxit, ad fidem modò cum sua uxore conuertatur, non sunt separandi: non quia uirtute legis antiquæ matrimonium tenebat: quoniam lex illa, ut diximus, post orbem redemptum quassata est prorsus & annullata, sed quia ius naturæ non sic tale matrimonium prohibet, ut nullum reddat.

Sol. 2. arg. ¶Ioannes uerò Baptista Herodem illius criminis increpabat, quòd cum uxore uiuentis fratris sui incestum committeret, quod siue matrimonium esset siue adulterium, nefarium erat. Si uerò defuncto fratre fratriam in uxorem duceret, uel illum nõ obiurgasset, uel nõ tantum, ut martyrium illam ob causam oppeteret.

Sol. 3. arg. ¶Ad aliud uerò Innocentii capit. Gaudemus. dicentis infideles, qui in primo gradu contraxerunt, esse separandos, respondendum est per suam ipsius Decretalem citatam ultimam de diuortiis: nam postquam super illo gradu dispensauit, sensit tale matrimonium non esse contra ius naturæ, quod illud irritaret. Atque adeò in capitu. Gaudemus. non loquitur de illo primo gradu affinitatis in linea laterali, sed consanguinitatis, ut diximus, & fortasse affinitatis in linea recta ascendentium & descendentium, de qua dispure iam pergimus.

Dubium. ¶Quæritur ergo utrùm primus affinitatis gradus in linea ascendentium & descendentium sic iure naturæ sit à matrimonio repulsus, ut illud irritum & inane efficiat. A parte enim affirmatiua uidetur Apostolus prima ad Corinthios quinto. proclamare: Omnino, inquit, auditur inter uos fornicatio, qualis neque inter gentes, (scilicet auditur) ut uxorem patris sui aliquis habeat. Intelligit enim de nouerca, inter quam & priuignum primus est gradus affinitatis in prima specie: scilicet, in linea ascendentium & descendentium. Et idem est de genero cum socru, & de nuru cum socero, & de uitrico: scilicet, marito matris, cum priuigna. Secundò est magnum argumentum, quòd ille gradus proximè accedit ad illum consanguinitatis, qui est inter patrem & filiam: unde in Leuitico

Paul. 1. Corinth. 5.

Argumen tum opti- mum. titico simul componebantur. Turpitudinem matris tuæ non discooperies, mater tua est. Et turpitudinem uxoris patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est: eandem enim ferè pietatem filij nouercis debent, quam patribus, & filiæ uitricis: cùm ergo primus ille consanguinitatis gradus tanto cum rigore sit iure naturæ prohibitus, profectò adeò nefas apparet similia matrimonia contrahere, ut iure naturæ uideantur esse nulla. Nam cùm coniuges, ut dictum est, una fiant caro, profectò eodem propè modum iure respui uidetur matrimonium cum uxore patris, quo cum matre. Vnde quoniam Ruben cum Bala uxore patris sui Iacob se se commiscuit, ut Genesis. 35. refertur, acerbam postmodum ab eodem patre maledictionem, ut cap. 49. legitur, audiuit. Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Et ut ibidem. 38. cap. uidere est, Thamar nurus Iudæ, quia per fraudem socero se submisit, enorme flagitium commisisse censetur, quanuis id ea causa fecisset, quòd socer nolebat fratrem mariti defuncti sine liberis cum ea coniugare ad suscitandum eius semen. Accedit quod & priuigno cum nouerca, aut nurui cum socero non est idonea ætatis ad matrimonium æqualitas.

Genes. 35. Genes. 38.

Aliud arg. ¶Profectò quanuis contraria opinio probabilitate fortè non careat, probabilius tamen uidetur hanc primi gradus speciẽ affinitatis sic esse natura prohibitam, ut super illam Papa dispensare non ualeat. Et ita tenet præsenti distinctione Paludanus. imò & Diuus Thomas. 1. Corinth. 7. id sentire uidetur. Et est prægrande argumentum, quòd nunquam talis dispensatio facta legitur. Nihilominus, ut dicebam, contraria opinio non omni probabilitate destituta est: quia certe nouerca non est uerè mater: & sic tale matrimonium non est prorsus contra eius finem. Paulus nanque. 1. Corinthio. 5. loquebatur de filio, qui uiuente patre cum nouerca consuetudinem habebat. Quod patet primò, quia alioqui non appellasset eam fornicationem qualis neque inter gentes auditur. Item quia in 2. epistola capitu. 7. ait, reprehensionem prioris epistolæ non misisse, propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum, qui passus est: scilicet, pater, sed ad manifestandum, inquit, solicitudinem uestram. Et Persis, lib. 3. quæstionum in Leuiticum quæstione 6. ait Augustinus moris fuisse, ut mortuo patre filius nouercam duceret. Et Plutarchus in uita Demetrij de Seleuco narrat, qui filio suo Stratonicam, quæ sua fuerat, in uxorem dedit. Et Adonias filius Dauid petijt Abisac Sunamitidem, quæ fuerat patris uxor.

2. argum. Persarum mos. Plutarch. Adonias.

Solutio. ¶At uerò Persarum argumenta, & aliarum gentium non sunt satis idonea. Imò Chrysostomus. in 26. Homilia Pentecostes Persas de hoc tanquam de incestu obiurgat. Et Abisac non fuerat Dauidi cognita, imò non desunt qui negent eius fuisse uxorem. Præterquam quod Adonias repulsam fuit passus. ¶Faciamus ergo sub compendio eorum epilogum, quæ dicta sunt. Primus consanguinitatis gradus tam in linea recta patris & filiæ, quam in transuersali fratris & sororis, adeò iure naturæ est à matrimonio propulsus, ut etiam inter infideles nullum sit: quare conuersi ad fidem separandi sunt: nec super hunc gradum Pontifex Maximus dispensare ualet. De secundò uerò rectilineo putà, inter auum & neptem, licèt res non sit tam certa, probabilius tamen est idem esse cẽsendum. In secundo uerò gradu consanguinitatis transuersali & in tertio & in quarto, & in ascendenti: scilicet, inter patruum & consobrinam, & cæteris omnibus, non est dubium inter infideles matrimonium tenere, atque adeò conuersos ad fidem non esse separandos: quapropter super illos non ambigitur, quin dispensatio Pontificis locum habeat.

Epilogus duarum distinctionũ

Secundus gradus cõsanguinei.

Gradus affinitatis. ¶At uerò graduum omnium affinitatis, si modò primum excipias ascendentium (de quo proximè dicebamus, matrimonium iure naturæ etiam inter infideles fortè dirimere) nullus est præter ea matrimonia iure naturæ irritans: quare super omnibus potest Papa dispensare.

Circaquar tũ gradũ ¶Imò uerò quartus gradus tam in consanguineis quàm in affinibus, ut in concilio Tridentino inter patres colloquebatur, non usqueadeò iam nunc ætatis tam necessarius uidetur. Quocirca si sanctum ecclesiæ iudicium adesset, fortasse Christianæ familiæ consultum foret in illo gradu matrimonia permittere, dummodo tam frequenti dispensandi usui uia in cæteris occluderetur. Nam de illa clementia apostolicæ sanctæ sedis, quæ fa- Nota.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciliùs super matrimonium consanguineorum de facto contractum dispensare solet quàm dum non est contractum: ut contrahatur, uulgaris hominum astutia ansam arripuit, ut cognati de facto incesta matrimonia contrahant & consumment, quo per talem actum dispensationem faciliùs impetrare queant. Quapropter maiori cum difficultate, imò nullatenus esset cum illis dispensandum. Nam delictũ graue, & excommunicatio, quam incurrunt, non deberet eis patrocinari, sed potiùs officere & nocere, ne posset eis indulgeri. ¶Publicæ tandem honestatis, quæ ex sponsalibus, contrahitur, nullus iam aut unx ullus est usus: quoniam pura sponsalia de futuro quàm rarissimè fiunt. Et ideo fortasse nullum esset periculum si sancta ecclesia de rigore illius legis aliquid remitteret. Imò si post sponsalia contra iustitiam publicæ honestatis aliqui contrahant, & expeditissimus non sit ad sacram sedem accessus, nullum esset periculum, quanuis episcopus dispensaret.

Publicę honestatis usus.

Episcopi dispensant

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm qui extra uerum matrimonium nascuntur filij sint illegitimi.

AD tractatum illegitimi matrimonij spectat & de illegitimis liberis disputare. Et ideo quæritur, utrùm extra matrimonium nascantur filii illegitimi. Et arguitur à parte negatiua. Legitimus à lege dicitur: ergo qui secundùm legem naturæ nascuntur, quales sunt qui fornicariè sunt geniti, ut legitimi sint habendi: sanè cùm lex illa post æternam diuinam omnium sit legum fundamentum & basis. ¶Secundò. Si filij ex fornicario concubitu sunt illegitimi, uidentur subinde paterna hæreditate expoliandi: at uerò iniquum apparet, ut quispiam propter alienum peccatum, cuius non fuit causa, puniatur: quia ut Ezechiel. 18. legitur, filius non debet puniri propter peccatum patris: qui autem ex nequã concubitu fuit genitus, non fuit in culpa sui conceptus: ergo nec hæreditatis priuatione mulctandus est.

Partis negatiuæ arg. 1.

2. Arg.

3. Arg. ¶Tertiò. Si filius extra matrimonium genitus esset illegitimus, per nullam posset legem legitimus fieri: quia præteritus concubitus, qui illegitimus fuit, nõ potest heri legitimus. Item quia cùm tantum legitimus ab illegitimo distet, quantum è cõuerso: & legitimus nequeat illegitimus fieri, fit ut neque illegitimus possit fieri legitimus: consequens tamen uidetur absurdum: ergo nulli sunt filii illegitimi.

Confirmatio arg.

¶In contrarium est, quòd illegitimum id dicitur, quod est contra legem: sed qui nascuntur extra matrimonium, nascuntur contra legem: ergo sunt illegitimi.

Pars affirmatiua.

¶Ad quæstionem iuxta argumentorum numerum tribus conclusionibus respondetur. Prima. Omnes filij, qui extra matrimonium procreantur, generali nomine dicuntur illegitimi propter rationem modò factam. Est enim lex non solùm humana & diuina, uerùm & hominibus naturalis, ut non nisi per matrimonium generatio fiat: quod quidem Deus & natura ad illum finem instituit, ac perinde qui aliter nascuntur, illegitimi sunt. Vnde quadruplex filiorum genus solet distingui: quod in glossa. capit. Tanta. qui filii sint il legitimi refertur. Quidam enim sunt naturales & legitimi: nempe, qui ex legitimo matrimonio oriuntur, quippe quibus procreandis & natura & lex conuenerũt. Alii sunt naturales & non legitimi: utpote qui ex simplici fornicatione nascũtur. Dicuntur enim naturales, quia nuda natura, qualis etiam in brutis reperitur, fuit illius generationis ministra sine alia grauiori culpa, quàm est in illo simplici congressu. At uerò quia contra legem matrimonii delictum committitur, sunt illegitimi. Alii uerò uice uersa sunt legitimi, sed non naturales, sicuti filii adoptiui. Quidam denique nec legitimi sunt nec naturales, ut spurii, qui de adulterio aut stupro aut de sacrilegio progignuntur, quia non solùm contra legem matrimonii & humanam tam canonicam quàm ciuilem nascuntur, uerùm etiam expresè contra legem naturæ, quæ homines arcet ab iniustitia adulterii, & à fœditate stupri & à sacrorum uiolatione, quam committit uel clericus uel monachus uel monialis. Quanuis capitulo. Nisi cum pridem. de renuncia. illegitimorum aliter distinguantur species. Sunt enim naturales, & præterea manzeres: nempe, qui ex ignoto scorto & uaga meretrice omnibus exposita

1. Concl.

Ratio.

Filiorum quadruplex genus

Naturales

Illegitimi

Adoptiui

Spurij

Illegitimorum species.

Spurij.

fita ortum ducunt. Et spurij qui ex peculia concubina suscipuntur: quanuis si etymologiam spectes græcam, spurius idem sit quod seminatus ab σπείρω, quod est semino. Quare hoc nomine denotantur illi qui incerto patre nascuntur, quasi à patre nihil aliud quàm semen habentes. Nothi verò, ut Quintilia. lib. tertio, inquit, sunt illi, qui ex uxore non legitima: nempe, ex adulterio sunt geniti: quicquid enim incertum est Græci nothum appellant, ueluti notham febrim, quæ certum terminum & periodum non seruat. Illi uerò qui ex sacrilegio: nempe, ex clerico, monacho, uel moniali procreati sunt, peiori etiam nomine sunt digni. Quanuis ad rem satis est has quatuor ad duas species reducere, ut naturales & manzeres sidem sint: scilicet, qui absque peiori crimine quàm fornicatione nascuntur. Spurij uerò & nothi, quorum genituræ adulterium uel stuprum uel sacrilegium adijcitur.

Nothi.

Solut. arg.

¶Et per hoc primum argumentum solutũ restat: nam etsi spurij secundùm naturæ legem, quæ est etiam brutis communis, generentur, non tamen secundùm eam, quæ hominibus est peculiaris.

Obiectio.

¶Quòd si arguas, legitimum matrimoniũ dupliciter usu uenire: scilicet, in conscientia secundùm ueritatem, & in foro exteriori secundum iudicium ecclesiæ: tunc ergo accidere potest, ut qui sunt in rei ueritate legitimi, ceu illegitimi habeantur, atque adeo contra iustitiæ ueritatem ab hæreditate sint abdicati: quod nefas esse uidetur. Respondetur, quod si contrahentes bona fide putent, nullum inter eos interesse impedimentum cognationis aut alius generis quominus matrimonium sit ualidum, & contrahant non clam, sed in facie ecclesiæ, culpæ omnino expertes sunt: & quanuis postmodum impedimentũ cõpertum fuerit, matrimoniumq; dissoluatur, nihilominus filij cum illa bona fide & in facie ecclesiæ geniti habentur legitimi, ut patet. c. Cùm inter, qui filij sint legitimi. Si uerò matrimonium fuit clandestinum, tunc ignorantia & bona fides parentum non patrocinatur liberis, ut propter illam possint se in iudicio tanquam liberi defendere: quia ecclesia in odium clandestini matrimonii bonam illam fidem repellit tum propter culpam, quam clanculò contrahendo committunt, tum quia illa ignorantia non prorsus bona fides reputatur: quoniam si publicitus contraherent, præsumuntur ueritatem potuisse nosse. Et uice uersa si mala fide contraxerunt: nempe, uel quia sciebant, se non posse contrahere, uel ignorantiam habebant crassam quam uincere tenebantur, tunc quanuis in facie ecclesiæ publicitus contrahant, non tamen illa solennitas suffragatur filiis ut habeantur legitimi propter malam fidem parentum. Vtrumque membrum ut distinct. 28. quæstione. 1. articul. 2. expositum reliquimus, definitum est capitu. Cùm inhibitio. de clandestina. desponsa. Itaque ad hoc quòd filii sint legitimi, utrumque requiritur, & bona fides parentum, & quòd matrimonium sit publicum. Quanuis glossa ibidem, & fortasse non aspernenda, dicat, quòd quando matrimonium est publicum sufficit bona fides alterius coniugis, ut filii habeantur legitimi.

Clandestinæ contrahentes.

Cõtrahentes mala fide.

¶Secunda conclusio. Filii illegitimi utriusque generis: scilicet, siue naturales sint & manzeres, siue spurii & nothi, honoribus publicis parentumque hæreditate priuantur, quanuis non omnes eodem pacto, sed magno discriminis interuallo. Hanc conclusionem latè & explicitè libr. 4. De iustitia & iure, quæstione. 5. articul. 1. pro captu nostro tractauimus. In primis omnes honoribus publicis priuantur, quia ad ordines sacros suscipiendos irregulares sunt, & ad episcopatum inhabiles, nisi cum eis dispensetur, atque ad alia ciuilia munera obeunda secundùm quod Cæsarum leges aut aliorum regum peculiares decreuerunt.

2. Concl.

Illegitimi sunt irregulares.

¶Sed quantum ad hæreditatem naturales quidem dummodo pater aut mater alios habeat legitimos, in nullam possunt assis partem ab intestato succedere nam testator non uidetur alienas successiones propriis anteponere. l. Cùm acutissimi. C. de fideicommiss. Vnde lex Hispana. 9. Tauri, originem duxit, quæ spurios ab hæreditate repellit. Potest tamen mater hæredem illum ex quinta parte assis instituere, imò & pater: quia unusquisque potest quintam partem, exceptis legatis piis, cuicũque extraneo legare. Si uerò mater prolem non habet legitimam, tunc filius naturalis ei succedit ab intestato, non tamen patri propter eius incertitudinem. ¶Spurii uerò & nothi:

Naturales non succedunt ab intestato.

L. 9. Tauri.

Spurii & nothi.

nothi: nempe, qui ex dãnato coitu nascuntur: scilicet, uel ex adulterio, stupro, aut sacrilegio, neque patri neque matri ab intestato succedunt. Tenentur autem parentes iure naturæ illos alere & educare, si habeant in bonis, & possint id commodè facere. Quod dixerim propter matrem adulteram, quæ sine licentia mariti nihil potest expendere, præterquã quòd citra scandalum & periculum nequiret spurium filium nutrire. Patrem uerò, licèt esset matrimonio solutus, non arbitror rigore iuris teneri filium spurium tollere & alere, quia non tenetur credere suum esse. Neq; uerò si credat, cura sibi incumbit, sed matri, si potest, cuius certus est filius. Si uerò mater non posset, tunc pater ex quadam naturali misericordia deberet eum educare. At uerò neuter parentum uetatur quin tam bonorum eis legare. ¶ Hactenus de illis qui uel ex adulterio uel incestu oriuntur. Nam de illis, qui nascuntur ex sacrilegio: nempe, de filiis sacerdotum aut monachorum peculiares leges Hispanorum acriùs acerbiusq; in odium talis sacrilegii decernunt, ut loco citato latiùs explicuimus. Extat enim lex Regia. 22. tit. 3. lib. 1. & l. 2. tit. 3. lib. 5. ordinamenti. quibus sancitur ne clericorũ filii (& in l. 9. Tauri extenditur usque ad filios religiosorum) habeant neque hæreditare possint bona suorum parentum aut consanguineorum, neque suscipiant. Habetur enim Hispanè, Niayan. Quo utique uerbo uidetur lex eos prorsus inhabiles reddere ad suscipiẽdum dominium eorum, quæ sibi per hæreditatem relinquantur. Hoc ergo, ni fallor, discrimen est inter filios ex adulterio seculares & filios clericorum, quòd licèt utrique priuentur hæreditate, non tamẽ prorsus æqualiter fiunt inhabiles ad suscipiendum. Et ideo quanuis si pater adulter secularis carens legitima prole relinquat bona sua filio spurio, fiscus possit sibi adiudicare, nihilominus lex illa pœnalis est, & ideo quousque filius condemnetur, potest illa bona absque culpa possidere, atque adeò si pater bona illa secretò concredat amico, ut ea traducat in filium, tenetur ille amicus lege naturæ seruare, & dare filio, nisi fiscus eum præueniat. Dico, tenetur, nisi tamen timeat, quòd fiscus postea re comperta, ab eo sit eadem exacturus bona: quoniam non tenetur damnum illud

Pater an teneatur alere spurium.

Fili presbyterorũ.

L. 9. Tauri.

Discrimẽ.

Spurius nõ tenetur in conscientia hæreditatẽ fisco restituere.

incurrere: sed loquor dum res potest secretò & cautè transigi. In filijs autem sacerdotum & monachorum non id prorsus crediderim: nam cùm sint inhabiles ad suscipiendum dominium (quæ quidem lex in odium infamis sacrilegii potest esse iusta) non est expectanda condemnatio, sed si sacerdos bona sua amico suo sub illo pacto expresso uel tacito concredat, ut det filio, donatio illa non tenet, nec per illam transfertur dominium uel in amicum uel in filium, sed in conscientia succedunt hæredes eius ab intestato, uel si nullos habeat, cedunt uel in usus pauperum, uel in alios publicos. Si tamen absolutè & sine pacto illa dederit tali amico, quanuis amicus intellexerit, animum sacerdotis esse, ut transfundat in filium, dominium nihilominus acquirit, & potest cum bona conscientia, si uult, sibi retinere. Sed tamen potest, si l buerit, tanquam bona sua propria dare filio sacerdotis. Hęc latiùs loco citato, De iustitia & iure. diduximus.

¶ Vnde ad secundum argumẽtum respondetur, quòd damnum potest quispiam dupliciter incurrere, uno modo ob id, quod ei subtrahitur, cuius iam ius sibi erat quæsitum & debitum. Et hoc pacto illegitimus filius nullum damnum incurrit. Alio modo per hoc, quòd aliquid ei non fit debitum, quod alias posset esse debitum. Atque hoc modo nihil obstat, quominus filiis, qui extra matrimoniũ nascuntur, non acquiratur ius, nec debitum fiat, id quod alias per matrimonium fieret debitum. Neque hoc tribuitur pœnæ propter eorum culpam, sed potiùs naturæ & fortunæ. Haud enim reputatur pœna, quòd qui non nascitur parentibus regibus non fit Regni hæres, neque quod qui nascuntur ex paupere aut ex infecto sanguine, pauperiem aut aliam labem cõtrahant. Nisi pœnam dixeris esse peccati Adæ. ¶ Quòd si rursus arguas. Lex humana instar diuinæ condenda est: Deus autem bona naturalia illegitimis filijs non subtrahit, imò nonnunquam locupletiùs eis largitur, quàm legitimis tam secundùm corpus, quàm secundùm animam: ergo non decuit humanam legem illud discrimen interiicere. Negatur consequentia. In congressu enim illegitimo cõsideratur quod naturale est, & quod est culpabile: quatenus enim naturalis est, & legitimis & illegitimis est cõmunis: & ideo Deus tanquam autor naturæ secundùm illam rationis æqualitatem concurrit ad dotandam prolem bonis naturalibus. Secundum autem, quòd est coitus culpabilis, lex humana illustrata etiã diuinitus tum per naturæ lumen, tũ etiam ecclesia per spiritum sanctum pronunciat filios illegitimos. Et est in lege ueteri non nullum huiusce rei exemplum. Legitur enim Gene. 25. quòd Abraham dedit omnia bona Isaac filio Saræ, filijs autem concubinarum largitus est munera: & tamen illi non erant filij illegitimi: quoniam matres eorum, licèt dicantur concubinæ, erãt tamen uxores. ut distin. 32. explicuimus: ergo fortiori ratione potest lex humana illegitimos ab hæreditate secludere.

Sol. 1. ob.

2. Modus.

Legitimã di modi sex.

1. Modus.

Obiectio.

Dilutio.

Gene. 25.

1. Conclu.

¶ Tertia conclusio. Possunt filij illegitimi fieri per legem legitimi: non quidem, ut tertium argumentum contendebat, faciendo quòd coitus, qui illegitimus fuerat, fiat legitimus: quia ad præteritum non est potentia: sed hoc pacto: quòd à damnis & incommodis, quæ illegitimi per legem incurrunt, per principes quoque aut per ecclesiam liberentur. Nam quod per legem inducitur, per legem quoque reuocari potest: cùm igitur illegitimi per legẽ fiant, possunt priuilegio principũ legitimi fieri. ¶ Et sunt sex modi & uiæ, quibus illegitimi hoc beneficium consequuntur: duo scilicet secũdum canonica iura, & quatuor secundum Cæsarea. Primus modus est, dũ soluti ex simplici fornicatione filium suscipiunt, & postmodum in facie ecclesiæ matrimonium contrahunt. Decretum est Alexandri. 3. cap. 1. & cap. Tanta. qui filii sint legitimi. Id quod & legibus ciuilibus concessum est, ut §. ult. Institu. de nuptiis. & in l. Cum quis. C. de naturalib. liber. & in Authen. Quibus mod. naturales effician. legit. §. Si quis igitur. colla. 7. Vtrùm uerò is legitimorum modus sit etiam sufficiens ad honores ecclesiasticos: nempe, ad sacros ordines suscipiendos, ambigitur. At quia pœnæ restringẽdæ sunt, fauoresq; ampliandi, uerisimilius est, quòd simpliciter fiant legitimi etiam ad sacros ordines. Si uerò uir uiuente uxore aut uxor uiuente uiro ex adulterio talẽ filiũ susceperint, quanuis postea defuncto coniuge legitimum matrimonium cõtrahant, proles nõ fit legitima, ut habetur in dicto cap. Tanta. ¶ Secundus modus est per dispensationem Pontificis. Sed tamen huiusmodi dispensatio locum duntaxat habet in sacris suscipiendis: nam per Pontificis dispensationem tollitur irregularitas. Sed tamen quantum ad hæreditatis successionem res deferenda est ad Cæsares & Reges. Nam quanuis capitu. Per uenerabilem, qui filii sint legit. Papa dicat, super hoc apostolicã sedem plenam habere potestatem, etiam ut filii parentibus succedant. Quod & Ioãnes Glossator illic extẽdit ad totum Christianum orbẽ propterea quòd dum in spiritualibus dispensat, uidetur à fortiori in temporalibus, quæ minora sunt, dispensare. Tamen glossa alia, quæ plurimùm usu & more celebratur, est quòd idẽ summus Pontifex quãtum ad successiones nequeat spurios legitimos facere, nisi in terris, quæ sibi sunt temporaliter subiectæ: de quibus ideo textus ille glossandus est. Id quod Alexander eodem titu. cap. Lator. sentire uidetur. Nam hæreditatum successio. ut quę res temporalis est, ad Rempublicam ciuilem spectat. Attamen causa cognoscendi matrimonium, sit ne legitimũ, ex quo pendet filios esse legitimos, atque adeò hæreditas, ad summum attinet Pontificem, ut eodem cap. Lator. habetur.

2. Modus.

Ca. per uenerabilẽ.

Glossa.

¶ Alii quatuor modi sunt iuris Cæsarum, quibus naturalis fit legitimus. Primus est, si pater filium naturalem curiæ Imperatoris offerat, tunc enim propter curiæ honestatem fit legitimus ut locis citatis Instit. Authent. & C. est uidere.

Alii sex modi.

Primus.

¶ Secundus, si pater nominet eum legitimum hæredem, & filius testamẽtum postmodum imperatori offerat. Intelligitur tamen, nisi testator filium habeat legitimũ.

Secundus.

¶ Tertius casus est, si deficiente alio legitimo filius ipse se curiæ Cæsaris offerat ad officium aliquod obeundum. ¶ Quartus, si pater in publico instrumento cum trium testium subscriptione eum legitimum nominet. ¶ Ricardus adhuc quintum adhibet, si filia naturalis nubat officiali curiæ. ¶ Et sextum, si ipsa concubina filium offerrat Cæsari. Sed ista, quia ex mero iure humano pendent, in diuersis prouinciis & nationibus uarietatem suscipiunt: in quibus ideo non est plus immorandum. ¶ Tertium igitur argumentum partim solutum est. Sed ad alterum membrum respondetur, quod Papa & prin-

Tertius.

Quartus.

Quintus.

Sextus.

Sententia autoris.

Sol. 3. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cipes possunt quidem ciuibus suis & subditis per sua priuilegia beneficia indulgere, non tamen eosdem ciues suis iuribus sine ipsorum culpa spoliare. Et ideo possunt ex illegitimis legitimos creare, non tamen subinde eos, qui legitimi sunt, illegitimos efficere. ¶ Cæterum quia dictum est per illicitum concubitum tum affinitatem contrahi, tum & filios illegitimos procreari, interserunt hic nonnulli interpretes Magistri sententiarum, autorem ipsum secuti, species luxuriæ. Quæ certè ad propositum nihil attinent. Pertinet enim disputatio hæc ad materiam temperantiæ. Quam ideo materiam Sanctus Thomas. 2. 2. quæst. 154. copiosissimè, quod suum ingenium est, & disertissimè pertractat. Sunt autem species istæ numero septem, quas generali nomine fornicationis Apostolus. 1. Colossen. 3. comprehendit. At uerò dum mera est fornicatio soluti cum soluta: etiam si sit uidua, nomen generis trahitur ad speciem: quare simplex fornicatio ponitur prima & minima infimaq; species luxuriæ ex genere suo, Secunda species ascendendo est stuprum: nempe, corruptio uirginis. Additur enim illic noua ratio iniustæ læsionis propter damnum uirgini illatum, & iniuriam parentibus irrogatam. Quanuis fortasse dū uirgo ultro se offert species non mutetur, ut supra distinctio. 18. quæstione. 2. artic. 4. disputauimus. Si uerò additur uiolentia est raptus. Quarta species est adulterij, per quod uiolatur iustitia & coniugalis fides. Quinta, incestus: putà, cum consanguinea uel affini. de quo distinctione. 37. Sexta est sacrilegium: nempe, sacerdotis, monachi uel monialis: & propterea filij ex sacrilegio nati, longe acerbiùs ab omni hæreditate propelluntur. Septima denique atque omnium pessima est nefandum flagitium contrà naturam. De quo Augustinus in lib. de adulterinis cōiugijs, & refertur can. Adulterij. 32. quæstione. 7. Adulterij malum uincit fornicationem uincitur ab incestu, sed horum omnium pessimum est quod contra naturam fit, ut si uir membro mulieris non ad hoc concesso utatur. Hoc execrabiliter fit in meretrice, sed execrabiliùs fit in uxore. Horum autem disputatio præsenti loco præterennda est.

Species luxuriæ septam.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Can. Adulterij.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm omne coniugium, quod inter consanguineos & affines contractum est, sit per diuortium dirimendum.

TAndem quæritur de modo, quo est inter consanguineos & affines matrimonium dirimendum. Et arguitur, quòd non omne huiusmodi coniugium debeat dissolui. Quicquid ecclesia facit, nutu dei efficit: solet autem aliquando secundum allegata & probata eos coniungere, qui re uera erant occultè cognati: ergo illos Deus tunc coniunxit: quos autem Deus coniunxit, homo separare non debet: ergo quanuis postea impedimentum comperiatur, non est matrimonium dissoluendum. ¶ Secundò. Si deberet eiusmodi matrimonium distrahi, per uiam accusationis esset procedendum: quandoquidem non nisi propter crimen dissoluitur: accusationem uerò in scripto præcedere debet, qua se homo pœnæ talionis subijcit, quod impræsentiarū locum non habet: ergo non est dirimendum. ¶ Tertiò. Si in iudicio ad dirimendum matrimonium esset procedendum, deberent legitimi testes adhiberi, ueluti in alijs forensibus causis: hoc tamen est falsum, quia in alijs omnes fidē digni producuntur, in hac uerò non admittuntur extranei: ergo huiusmodi matrimonium uia iuridica non dirimitur.

Partis negatiuæ. 1.

2. Argum.

3. Argum.

¶ In contrarium est textus Innocentii citatus in capitu. Non debet, de consanguinit. & affinita. ubi contrahentes in quarto gradu consanguinitatis & affinitatis separari iubetur.

Pars affirmatiua.

¶ Ad quæstionem, quæ facillima est, secūdùm numerum argumentorum tribus cōclusionibus respondetur. Prima. Omne matrimonium, quod cum impedimento dirimente contractum est, dissolui debet. Inter quæ quidem impedimenta, ut dictū est, consanguinitas, affinitas & publica honestas connumerantur. Conclusio est liquida: quoniam si impedimentum est dirimens, concubitus est fornicarius atque adeò peccatum, quod si coniuges ipsi reputati cauere nequeunt per ecclesiam sunt separandi. Et quidem conclusio iam in superioribus satis est comprobata.

1. Conclu.

¶ Sed

Dubium.

Diluitio.

Nota.

¶ Sed de forma quæritur, utrùm ipsi priuatim non expectato iudicio ecclesiæ possint à se inuicem diuertere. Respondetur, quòd si impedimentum satis nouerint, & matrimonium fuerit clandestinum, non est dubium quin uterq; altero inuito possit, imò debeat separari: quia de illo matrimonio, quod in iudicio probari non potest, non est ecclesiastica sententia expectāda. Si uerò matrimoniū fuerit in facie ecclesiæ celebratū: siue bona siue mala fide, & impedimentū fuerit uel antea uel post planè manifesteq; cognitum, pariter possunt priuata authoritate ab inuicē discedere, & uterque illorum ad alias nuptias transire: nisi propter scandalum dū uicinię constare impedimentum non potest, uel nisi ecclesia eos cogere tentauerit in coniugio persistere: tunc enim debent impedimentum ei patefacere. ¶ Sed contra pugnare uidetur argumentum primò factum, quando ecclesia eos coniunxit, de cepta tamen. Respondetur nihilominus, quòd in iudicio ecclesiæ interuenit diuina autoritas, quam ei Christus impertitus est: & hæc semper est solida & firma: concurrit nihilominus & humanum eius iudicium, quod de hominum testimoniis colligitur: qua utique ratione falli sæpè potest: illos ergo tunc Deus non coniunxit, imò uerò præcepit, ut ueritate comperta ecclesia suum retractet iudicium.

Sol. 1. arg.

Obiectio. alia.

¶ Quod si contra rursus arguas. Vinculū matrimonii fauorabilius est, quàm dominium: rerum uerò dominia certo præfinitoq; à iure tempore præscribuntur: ergo & matrimonium. Respondetur quòd ut est in regulis iuris, Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. Cùm primùm autem coniuges impedimentum non nouerint mala fide inficiuntur. Quare ut ait ad hoc ipsum positum Innocen. in cap. Non debet. de consanguini. & affini. diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget. Cùm ergo consanguinitas faciat, ut concubitus sit fornicarius, non habet illic locum præscriptio, potiùs quā super alia peccata iure diuino prohibita.

Diluitio.

Rerum dominia.

Secùs autem de rerum dominio, quod cō suetudo transferre potest; eo q; principes ad trāquillū statum reipublicæ ius habēt de rebus ciuium ipsis inuitis disponendi.

Decimarū ius.

Imò & in iure percipiendi decimas, quanuis spirituale quid habeant adnexum, uim obtinet præscriptio, ut habetur de præscriptio. cap. De quarta. Matrimonium uerò iure diuino & naturæ constitutum est, ut non nisi per cōsensus fiat, quos quidem ecclesia impedire potest. Et ideo fornicatio in incestuoso matrimonio semper durat. Quapropter nullus est matrimonii fauor, quòd per præscriptionem solidum illud fiat, quod nullum erat. ¶ Accedit ad robur huius conclusionis Innocen. in ca. Quod super. de consang. & affin. ubi ne in gradib. prohibitis contrahatur, iubet Pōtifex, non obstante aliqua consuetudine, quæ dicenda est potius corruptela, publicè inhibendum esse. ¶ Secunda conclusio. Quando per rebellionem imò etiam si per ignorantiam & bonam fidem, illegitimum matrimonium retinetur, matrimonium ipsum accusationi sit obnoxium.

2. Conclu.

Titul. Decretalium.

¶ Et nota quòd non solùm accusantur personæ in matrimonio illegitimo persistentes, uerùm & matrimonium ipsum. Etenim sicut matrimonium, ut 31. dist. dictū est, per se excusatur, ita quando cum impedimento aliquo ecclesiæ contrahitur, id ipsum matrimonium accusari potest. Et ideo titulus decretalium sub illa forma inscribitur. Qui matrimonium accusare possunt. Quo fit, ut etiam dum personæ bona fide contraxerunt, & per ignorantiam inuincibilem à culpa excusantur, nihilominus matrimonium ipsum accusatur. Et ita habetur illic cap. A nobis. & Videtur. & Cùm tua. Probatur conclusio: quoniā accusatio ad hoc instituta est, ne qui innocēs existimatur, in culpa persistat: sicut autē ex ignorātia facti culpabili contingit aliquē innocentē reputari, qui in culpa est ita & ex ignorātia alicuius circunstantiæ ad contractū requisitæ usu uenit, ut contractus ipse uitiosus sit & pactum nullum: atq; hac de causa potest matrimonium accusari tū propter alia impedimenta, tum propter illud, quod est cōsanguinitatis & affinitatis. Atqui accusatio coram ecclesia, cui incumbit de sacramentis censere, & per sacros canones fieri debet, ut ca. 10. de consang. & affin. ¶ Quòd si arguas. Spōsaliorū contractus multo faciliùs dissoluitur q̄ matrimonium: & tamen sponsalia non accusantur secundùm iura: ergo nec debet accusari matrimoniū. Respondetur id, quod nondum est colligatum, non est cur accusetur ut dissoluatur: & quia sponsalia

Ratio cōclusionis.

Coram ecclesia.

Obiectio.

salia nondum habent perpetuum uinculum,nec sunt propriè matrimonium,ideo non accusantur. ¶Atqui quemadmodum potest matrimonium accusari,ut dirimatur,ita potest,ut sustineatur,defendi. Vnpotest iudicium pro matrimonio iniri aut sub forma petitorii,ut si mulier petat hũc aut illum eam sibi desponsasse, aut duxisse,& nolle datæ fidei stare,ut ca. Super eo. tit.& ca. 1.& Ex parte. & Veniens.de spõsalib. Aut potest ipsa uel ipse agere super possessorio:quia scilicet cum iure matrimonii fuerint usi,ipsa uel ipse aliqua uana impedimenta causatur,ut discedat, ut cap.Ex conquestione,& cap .Ex transmissa.de restit. spoliat.Et in prima forma potest alter,qui accusatur, excipere, quòd consanguinei,uel alio impedimento interdicti. Et tunc quousque causa cognoscatur,non sunt ad cohabitandum cogendi.cap.ulti.de cognatio.spirituali. Verum tamen si fœmina à uiro petitur,& probatur, uim à parentibus uel tutoribus pati, auferenda est ab eorum potestate, & loco honesto sequestranda .Sed in secundo casu, quia melior est conditio possidentis, non obstante exceptione regulariter qui possidet restituendus est, nisi in quibusdam casibus, ut si uiro petenti cohabitationem,in promptu probatur sæuitia aut metus mortis,tunc enim sequestranda est uxor ut eodem cap.Ex transmissa. & cap. Literas.de restitu. spoliato. Aut si probationes impedimenti sunt in promptu, aut si petenti se in possessionem asseruari opponatur hæresis, aut quòd sine contumelia creatoris cohabitare renuit.cap. Gaudemus. de diuor. Aut si post matrimoniũ ratum petenti consummationem alter opponat se uelle religionem profiteri: nam tunc induciæ duorum mensium ad deliberandum concedendæ sunt, cap. Ex publico.de conuersi.coniuga. ¶Quod si opponatur adulterium,cap.Significasti. de diuortiis. Dum autem opponitur exceptio rei iudicatæ, à qua non est appellatum, ait Paluda.quæstio.2. reum esse absoluendum,ut cap.Lator.& capi.Tenor.de sententia & re iudi. At profectò contrarium ex eisdẽ capitulis colligitur: imò uerò ex natura & conditione matrimonii: quæcũque enim sententia uel de dissoluendo uel da conseruando matrimonio præcesserit, etiam si reus in eam consenserit, si postmodum constiterit sententiam,quæ secundùm allegata & probata lata est, contra rei ueritatem fuisse prolatam, matrimonium,quod dissolutum erat,in suam uim restituendum est, & quod pronunciatum fuerat esse ualidum, dirimendum . Nam cùm matrimonium iure diuino & naturali fuerit institutum, nec consistat nisi per consensus liberos, & per ecclesiam non impeditos, nulla præscriptio aut sententia ex falsa præsumptione procedens potest quod legitimum erat irritare, aut qđ erat nullum,consolidare. Veruntamẽ quãdo post latam sententiam, à qua non est appellatum,accusatio præsumitur non iterari & integrari nisi ad exhibendam molestiam innocenti & ad fugiendas & eludendas iustitiæ metas, non est admittenda. ¶Adde quòd accusare propriè matrimonium nemo potest, nisi cuius interest: nempe,alter coniux,aut qui eius habuerit speciale mandatum:nam sua solius pro priè refert matrimonium dimittere aut retinere : & quanuis matrimonium non sit legitimum,possunt cohabitare, & uir habere fœminam si non ut uxorem, saltem ut sororem,can.Consultationi 32 q.5.ni si ab ecclesia separentur. Quare neque cõsanguinei,neq; extranei id possunt. At uerò denunciare quicunque potest per uiam correctionis fraternæ,ut iudex proprio officio, aut procurator fiscalis pertinaces compellat. Et ita intelligendum est cap. Quod in tua.Qui matrimo.accus.possint. ubi agitur de matrimonii accusatore. Et cap.A nobis.& Significante.eod.titu. ¶In ordine uerò denunciandi præferuntur cõsanguinei.ca. Consanguineos, 35. q.6.ut pater, mater , soror, &c. Verba capituli sunt, Consanguineos extraneorũ nullus accuset,sed propinqui,&c. ubi ait glossa, quòd accusare illic usurpatur pro agere, seu denunciare:nam certè propriè accusare non potest nisi coniux.Deficiente autẽ parentela possunt extranei admitti . Imò ordo ille non uidetur necessarius, sed per uiam correctionis fraternæ potest quicunque denunciare .Verum est,quòd cùm filii sint sicut partes parentum, fortasse parentes possunt accusare pro filiis . Præsertim quòd cùm accusatio matrimonii non sit accusatio contrahentium, sed contractus : quia illi possunt se per ignorantiam à culpa defendere,

Nota.

Possessorio recuperandæ.

Sæuitia.

Exceptiones.

Ca. Tenor de re iudi.

Accusare matri. quis possint.

In ordine denunciandi.

Rõ illius ordinis.

dere; parum refert si illa cognatorũ actio censeatur accusatio . Et rationem illius ordinis accusatorum exponit hic D.Th. hãc esse,quòd cùm extranei cognationem scire non præsumantur nisi per consanguineos,quando consanguineis tacentib. accusant extranei , in suspitionem ueniunt , quòd ex maleuolentia,aut alia iniqua causa id faciant. Et ideo in præsentia consanguineorum ab accusatione repelluntur .

Diſcrimẽ.

¶Est tamen discrimen,quòd quando matrimonium ob aliquod impedimentum accusatur,quod perpetuum est,& matrimonium dirimens, parentes etiam ipsi admittuntur,ut eod.can. Consanguineos,sancitur.& can.Subsequenti . Videtur , qui est Cælestini Papæ,quod etiam citatur extra. Qui matrimo.accusa.possunt. Quanuis in criminalibus causis & contractib.non admittantur in testes,ut illic habetur , iuxta illud uulgatum . Pater non recipiatur in causa filij:nam tunc sunt suspecti.

Nota.

¶Et eadem ratione quando accusatur matrimonium non propter impedimentum , sed quia negatur de facto fuisse cõtractũ , parentes,ut ait hic S. Th.suspecti sunt . Si enim sunt diuites,& sua non refert , ut filius uilem mulierem duxerit,non admittũtur in testes propter suspicionem.Nec uice uersa si sint pauperes,& filius eius aut filia cum aliquo uel aliqua superioris classis fuerint coniugati.Et isti sunt casus ca. Super eo . de testibus. quod eius interpretes malè uexare solet:Repellitur enim mater illic à testimonio ferendo circa matrimonium filij , cùm tamen in multis canonib. parentes in tali casu præferantur . Sed est distinguendum,quòd in causa,in qua agitur de impedimento consanguinitatis,præferuntur parentes, quando uerò agitur de facto, utrum sit contractum , si è re sua sit esse ualidum , aut non esse ualidum , tunc sunt suspecti.Et ideo Papa,quòd quia mater filiæ incrementum & honorem uidetur diligere,ubi uir superior est diuitijs,nobilitate,potentia uel honore , testimoniũ matris asserentis matrimonium esse ualidum,est suspectum .

Cap.Super eo.

Cap. Cùm in tua.

¶Propter eandem denique causam qui cũ matrimonium celebrabatur,accusare poterant,si tunc siluerunt, postea accusationem molientes repelluntur, ut patet cap. citato. Cùm in tua. qui matrimonium accusare possunt. Nisi constiterit quãdo bona fiebant absentes fuisse, aut alia ratione tractationẽ matrimonij ad suas aures peruenire non potuisse.

Sol. 2.arg.

¶Ad secundum igitur argumentum respõdet duo Diuus Tho.Primum, quòd accusatio potest uerbo & scripto fieri, & secundo quòd neq; accusator obnoxius sit pœnæ talionis . Et ratio est hæc sæpè relata , quòd accusatio matrimonij non est accusatio personarum , sed ipsiusmet contractus,qui præter legem confectus est . De hoc loquitur Innocentius.3.cap. Tuæ fraternitati.de procurator. sub distinctione , quòd quando uir accusat uxorem crimina liter de adulterio coram iudice seculari , debet accusationem in scripto porrigere: quod etiam habetur can. Admonere . 33. q.2.debetq; se pœnæ talionis submittere. Si uerò accusat de adulterio coram ecclesiastico,tunc etsi forsan oporteat libellum inscribere,non tamen se debet ad pœnam talionis obligare.Sed ille casus non est hic noster : quia ibi est accusatio de crimine ad diuortium tendens. Quando uerò non accusatur crimen,sed matrimonium propter impedimentum , multò minus rationis inest,ut inde exurgat ad talionem obligatio. ¶Tertia conclusio. In accusatione matrimonij testes sunt adhibendi : quia propter solam coniugum assertionem ẽt iuratam non debet matrimonium dissolui.cap.Consanguinei.de sententia & re iudica.Vnde capi. 1. de consangui. & affini. testes circũspecti, & omni exceptione maiores sunt coram iudice adhibendi,ut ueritas cum omni diligentia inquiratur. Inter quos ad dirimendum matrimonium ratio ne consanguinitatis præferendi sunt cognati, imò ab stipite , si fieri potest,incipiendum est : nempe,à parentibus & germanis.cap. Tua nos.eo.tit. can. Consanguineos,& can. Videtur.35.q.6.& c.Videtur.extra.qui matrim.accu.possunt.putà, qui certiorem cognationis notitiam habere censentur . De hac re.35.q.6. & illo titu. Qui matrimonium accusare possunt .

Cap. Tuæ de procur.

3. Conclu.

Nota.

¶Sed est notandum aliquod testimonium ualere ad impediendum matrimonium contrahendum , quod non sufficit ad id dirimendum postquàm contractum fuerit . Atque hic est secundus casus capit. Super eo.de testibus ubi asseritur, quòd si dum tractatur de matrimonio iuuenis,

Ca. Super eo.

mater

Universidad de Deusto
Biblioteca

mater aut pater alterutrius asseruerit eos esse consanguineos, prohibendi sunt propter periculum, ne contrahant, quousque res fuerit comprobata. Si autem fuerit iã contractum, propter testimonium unius non est dirimendum, sed plura sunt accumulanda testimonia: nam cum melior sit conditio possidentis, plus requiritur ad di strahendũ matrimoniũ, q̃ ad contrahẽdũ.

S.Th. ¶Addit præterea hic S. Tho. quòd in hac causa, qua non crimen, sed matrimonium accusatur, ut aiunt Iurisconsulti, plurima inueniuntur specialia, quæ in alijs causarum speciebus non admittuntur.

Accusator & testis. Potest enim esse hic unus accusator & testis, præsertim si qui accusat non est ipse coniux: nam aliorum accusatio imaginem potiùs habet denunciationis quàm accusationis: & denunciator potest esse testis. Itẽ neq; hic iuramentum calumniæ exigitur. Tertiò parentes & cognati in testimoniũ admittuntur, quod in alijs causis non fit, ca. Si testes. 4. q. 3. Neque ad amussim ordo iudiciarius seruatur: quia denunciatione facta contumax potest excommunicari lite non contestata. Et admittitur testimoniũ

Post publicatas attestationes. de auditu. Et post publicationes testiũ testes etiam alij admittuntur.

¶Hoc tamen ultimum assertum inter canonum professores sunt qui non admittant, ut refert glossa super cap. Iurauit. de probatio. Sed illorum opinio inde procedit, quòd non distinguunt inter sponsalia & uerum matrimonium. Hæc enim, quæ in accusatione matrimonij peculiariter, secus quàm in aliis causis conceduntur, duo

Ratio 1. habent fundamenta. Primum in fauorem matrimonii, ne aut quod non est legitimum, sustentetur, aut quod legitimũ est,

Ratio 2. irritetur. Et secundum fundamentum est, ne aut in peccato fornicationis existimati coniuges persistant, aut qui uerè sunt coniuges, fidem tori non seruent. Hæc autem in sponsalibus non habent locum, quia illic nullum est uerum matrimonium: quare non est fauor matrimonii, ut sponsalia tantopere defendantur, imò melius illis esset alium statum castitatis eligere. Neque est idem periculum peccandi. Et ideo causa in sponsalibus tractatur, ut reliquæ

Iurauit. de probatio. forenses. Vnde in dicto c. Iurauit, quia quidam iurauerãt sponsalia, & alii legitimè probauerant illorum consanguinitatem, dum postea uoluit alius probare eosdem non esse consanguineos, non sunt admissi secundi testes. Quare eidẽ capitulo non aduersanturalia. l. Fraternitatis, & Series, de testibus, ut bene ait glossa eiusdem ca. Iurauit, quia in illo agitur de sponsalib. ad contrahendum matrimonium, ubi nullum est periculum, licèt nõ contrahantur. Sed in ca. Fraternitatis, & Series, agebatur de matrimonio iam cõtracto: & ideo post publicationem testium propter periculum admissi sunt noui testes contrarii. Et quãuis in dicto ca. Fraternitatis, admissi fuerint propter noua capitula emergentia, nihilominus & propter eadem sunt admittendi, ut insinuatur in dicto cap. Series. In summa, tantus est fauor & præeminentia matrimonii contracti, ut semper pro illo clamantes, aut reclamantes sint audiẽdi, si non uanam aut maleuolam, sed legitimam adferant probabilitatem. ¶Et per hæc solutum restat tertium argumentũ.

Concilio cancorum.

DISTINCTIO QVAdragesimasecunda, De cognatione spirituali, & de legali, & de secundis nuptijs.

Textus. Cap. 1.

QVO demum tractatum cõiugalis huius sacramenti sua perido concludamus, quemadmodum per sanguinis lineam cõsanguinitas, & per coniugalem nexum mariti & uxoris affinitas carnalis contrahitur, ita & ex sacramento baptismi & confirmationis spiritualis cognatio pullulat. Est quippe spiritualis propinquitas quædã personarum ex collatione sacramenti uel tentione statuto eccle-

siæ proueniens. Enimuerò sicut per carnalem copulam anima infunditur, ita & per collationẽ baptismi confertur gratia, quæ anima spiritualis est. Quare tunc homo quasi in utero ecclesiæ concipitur & gignitur, iuxta uerbum Domini.

Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. At uerò quemadmodum baptismus sacramẽtum est fidei, ita & in confirmatione robur adijcitur gratiæ, ad eandem fidem publicitus propugnandã, quæ idcirco iam ueluti quædã est publica ex utero natiuitas: quod cum cæteris non competat sacramentis, fit ut per nullum aliud cognatio contrahatur. Quod enim Symmachus

30. q. 1. ca. no. Oẽs. ait. Omnes, quos in præsentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij, ut & ipsi, quos uel nobis suscipientibus uel sub trinæ mersionis uocabulo mergentibus unda baptismatis regenerauit, aliam spiritualis uinculi rationem insinuat: scilicet, quòd cum absolutionis gratia quædam sit cum deo reconciliatio, quodammodo pœnitentes fiunt spirituales sacerdotis filij. At cùm non sit regeneratio, non habet propriã cognationis spiritualis uim, quæ matrimonia uetet.

Cap. 2. ¶Effectus autem huius cognationis est si præcesserit, matrimonium subsequens nõ solum impedire, uerum & dirimere: si uerò nuptias iam contractas subsequatur, illas nequaquam dirimit: ueruntamen sic usum coniugalem interdicit, ut ille, qui in culpa fuerit, iure petendi debitum expolietur, tametsi innocenti reddere teneatur, ut si uir uxoris filium baptizauerit, aut ad baptismum uel confirmationẽ tenuerit, ut trigesima quæstione prima & sub titu. de cognatione spirituali, & libr. sexto multis est canonibus sancitũ. Quapropter qui de industria filium uxoris suæ baptizauit, graui pœnitentia punitur. Vt synodus Maguntinensis can. De eo. definit. Per catechismum uerò talis cognatio matri-

Syno. Maguntinen.

monium

Universidad de Deusto
Biblioteca

monium dirimens non contrahitur, tametſi illam inde emergere Bonifacio viſum fuerit eod. titu. libr. ſexto quæ contrahendum matrimonium impediat.

Cap. 4. ¶ Huius autẽ cognationis tres ſunt non tam gradus quàm ſpecies: ſcilicet, paternitas, compaternitas (ut patrum vocibus uti liceat) & fraternitas. Paternitas quippe inter baptizantem intercedit, eademque inter ſuſceptorem & baptizatum. Compaternitas verò inter baptizantem & ſimiliter inter ſuſceptorem & parẽtes baptizati. Adde quòd eandem cognationem tam baptizans quàm ſuſcipiens in ſuas coniuges tranſmittit, ut ſint pariter & baptizati matres, & eius parentum commatres, ſimiliterque ab uxoribus trãſfertur in viros. Fraternitas verò inter filios baptizantis & inter filios ſuſceptoris cum ipſo duntaxat baptizato, non autem ad fratres eiuſdem baptizati protenditur. Hæc trigeſima quæſtione prima & ſecunda & extra de cognatione ſpirituali, & libr. 6. definita ſunt. At verò huiuſmodi ſpiritualis cognatio nequaquã niſi inter eos contrahitur, qui ſacramẽto fidei baptizati ſunt: quare neque non baptizatus, licèt baptizet illam contrahit, neque cum non baptizato ab eo, qui eius filium ſacro fonte aut tinxerit, aut leuarit, contrahitur.

Cap. 4. ¶ Tertia demum cognatio eſt legalis, nempe, quæ lege per adoptionem introducta eſt. Hæc enim (præſertim ſi perfecta ſit, quam abrogationem appellant per quam filius qui adoptatur in poteſtatem adoptantis tranſmittitur) matrimonium non ſolum impedit, verum etiam diſſoluit: idque inter tres perſonarum ſortes. Pater enim ille qui filiã adoptat non ſolum cum ipſa, uerũ cum eius deſcendentibus uſq; ad quartum gradum huiuſmodi contrahit cognationis uinculum. Deinde inter adoptatum filium & uxorem adoptantis, quæ illi uelut nouerca fit, pariq;

que ratione inter adoptantem & adoptati uxorem, quę ceu nurus eius habetur, atque hæc impedimẽta perpetua ſunt ut more et uſu eccleſiæ ſolẽne eſt, de quibus inſtit. de nuptiis. §. ergo. & l. adoptiuis. ff. de ritu nuptiarum.

Cap. 5. ¶ Tertiò denique & inter filium adoptatum & naturales adoptantis proles, idem impedimentum intercedit non tamen perpetuum, ſed quandiu naturales filij ſub paterna poteſtate extiterint, ut ait Nicolaus Papa tertia quæſtione tertia, & cap. unico. de cognatione legali.

Cap. 6. ¶ Sermo igitur de ſecundis nuptiis tractatum nuptiarum claudat: Nouatus quippe, Montanus, Cataphrige & Tertullianus ſecundas conati ſunt extirpare nuptias: ſed tamen contra Apoſtolicam veritatẽ. Mulier enim (ut ad Ro. 7. ait Paul.) uiuente uiro ligata eſt legi. Si autẽ mortuus fuerit uir ſoluta eſt lege. Quare 1. Corint. admonet uiduas, quæ abſtinere non poſſunt, ut in domino nubant. Nubere aũt in domino nõ niſi rem honeſtã deſignat. Unde ad Pãmachiũ. Hiero. Nõ damno inquit bigamos imò nec trigamos, & ſi dici poteſt octogamos. Idẽq; Auguſt. de bono uiduitatis. Et li. 2. contra aduerſarium legis, et ſuper epiſtolam ad Corinth. Hæc de ſeptem eccleſiæ ſacramentis.

31. q. 1. cã. Aperiãt & canone Deus maſculum.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆSECUNDÆ, Quæſt. 1. De cognatione ſpirituali.

ARTICULUS. I.

Vtrùm ſpiritualis cognatio ſit matrimonij impedimentum.

TRactatus hic demum de impedimentis matrimonij ut ſuã periodum finiat, trib. paruis quæſtionib. cõcluditur, qui in hac diſtin. de ſpũali cognatione & de lega 1 & de ſecundis nuptijs diſputantur. Quæritur ergo primò utrùm ſpiritualis cognatio impedimẽtum ſit matrimonij. Et arguitur à parte negatiua. Nil eſt matrimonij impedimentum, niſi ei fuerit contrarium: quia una quælibet res per ſuum contrarium impeditur: cognatio uerò ſpiritualis non eſt matrimonio contraria: quia nulli eius bono aut fini repugnat: ergo non eſt ei impedimentum. Partis negatiuæ argum. 1.

Secundò. Vnio ſpiritus nõ trãſit in carnem: ſed matrimonium eſt carnalis coniugatio, & cognatio ſpiritualis ſpirituum coniunctio: ergo hæc non eſt illius impedimentum. 2. Arg.

Tertiò. Ex duobus contrariis nõ idem emanat effectus: ſpiritualis aũt cognatio diſparitati cultus videtur contraria, cùm illa 3. Arg.

illa sit sacramentorum communio, hęc uerò sacramentorum discrepantia: cultus autem disparitas impedit matrimonium: ergo cognatio spiritualis illud non impedit.

Pars affirmatiua.

¶Contrarium decernitur. 30. quæstione prima can. De eo. & de cognatione spirituali, per totum.

Prima conclusio.

¶Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Cognatio spiritualis, est impedimentum matrimonij. Conclusio est, quæ determinatur causa & titu. citatis, & signanter cap. Veniens. & cap. ult. eod. tit. Et theologa ratio est hæc. Quemadmodum homo per carnis propaginem esse accipit naturæ, ita & per sacramenta suscipit spirituale esse gratiæ: ergo sicut uinculum ex carnis propagatione contrahitur, quod est naturale homini inquantũ est res quædam naturæ, sic & uinculum ex sacramentorum susceptione resultat, quod est ei supranaturale inquantum fit membrum ecclesiæ. Ex quo fit rursum, quòd ut carnalis cognatio matrimonium impedit, ita & spiritualis.

Cognatio spiritualis quid.

¶Vnde cognatio spiritualis est propinquitas quædam personarum ex collatione sacramenti uel tentione proueniens ex statuto ecclesiæ. Fit enim baptizans, ac subinde susceptor, quem patrinum appellant, spiritualis baptizati pater: quæquidem cognatio spiritualis est. Adiecimus autem, ex statuto ecclesiæ, ad significandum non modò, quòd huiusmodi cognatio per decretum ecclesiæ est impedimentum (nam & hoc quibusdam etiam gradibus consanguinitatis & affinitatis conuenit) uerùm & ad admonendum, quòd eadem ipsa spiritualis cognatio non habet fundamentum in natura, ut cognatio carnalis, quæ per carnalem generationem contrahitur, sed in ecclesiæ statuto, per quod baptizans, & suscipiens seu tenens patres spirituales declarantur, eo quòd per sacramentum gratia infunditur quæ animæ uitam tribuit æternam, iuxta uerbum Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Cognatio spũalis solũ ex statuto ecclesiæ.

Cognatio spiritualis post legẽ euangel.

¶Ex quo subsequitur, hanc spiritualem cognationem ante legem euangelicam non uiguisse, sed ex lege euãgelica, cuius sacramenta gratiam conferunt, ortum ducere. Nam etsi in circuncisione gratia conferretur: tamen quia non conferebatur ratione sacramenti, sed fidei, nulla contrahebatur cognatio. Solet inter baptizantem & suscipientem sic non ineptè distingui, quòd baptizans sic sicut pater generans, & susceptor sicut mater, quæ nomine ecclesiæ suo gremio baptizatum suscipit quanuis uterque sit ecclesiæ minister: nam & unus nomine ecclesiæ fidem exigit à baptizato, & alter pro baptizato illam pollicetur.

¶Si autem roges, quale hoc sit impedimẽtum, utrùm matrimonium duntaxat impediens contrahendum, an uerò contractum etiam dirimens? Per distinctionem respondetur. Etenim uidendum est, utrùm eiusmodi cognatio matrimonio antecedat, an uerò ipsum subsequatur. Et ideo statuitur secũda conclusio huius articuli: si talis cognatio matrimonio antecedat, ipsum impedit ac dirimit, ueluti si esset cognatio carnalis. Si uerò ante talem cognationem matrimonium fuerit contractum, nullatenus per illam subsequentem dirimitur. cap. Si uir. de cognatio. spiritua. li. & can. Dictum, & Ad limina. 30. qó. 1. Vbi autem eod. cap. Si uir. dicitur, generaliter fuisse statutum, ut debeant separari, allusio fit ad can. Peruenit, ead. cau. & q. ubi hoc uidetur constitui. Hoc tamen art. seq. repetendum est. Persistẽdum enim est in illa generali regula, quòd matrimoniũ semel legitimè initum nunquàm dirimitur quoad uinculum, nisi Christianismi religionis gratia, modis supra expositis.

Cognatio spiritualis an dirimat matrimonium.

2. Concl.

Regula generalis.

¶At uerò in hoc casu de usu matrimonij distinguendum est, ut tertia hæc subiungatur conclusio. Vbi huiusmodi spiritualis cognatio causa necessitatis, aut per inculpabilem ignorantiam fuerit inducta, nequaquam coniugalem usum aut in petendo, aut in reddendo interdicit. Si uerò fuerit aut extra casum necessitatis, aut ex ignorantia culpabili contracta, impedit eum cuius culpa inducta fuerit, ne debitũ petere ualeat: tenetur tamen semper exactum reddere: quia culpa eius non est cur alteri coniugi noceat. Igitur si quis, exempli gratia, suæ coniugis filium tempore necessitatis baptizauerit, licèt cognationem spiritualem cum ea subinde contraxerit, potest tamen & debitum petere & reddere: quia necessitas, ut caret lege, ita & à pœna legis excusat. Et eadem est ratio si quis suum, uxorisque suæ filium facta sufficienti diligentia putans nõ esse suum baptizauerit. Quod uerò dum citra necessitatem

3. Concl.

Ignorãtia an excusat.

latem sciens ac prudens eum baptizauerit, aut per ignorantiam crassam, quæ sciẽtiæ æquipollet, tunc debitum à sua coniuge exigere nequeat, licèt, ut ait Durand. non sit expressum in iure, colligitur tamẽ ex capitulis supra citatis: nam capit. Si uir habetur, quòd debitum alteri subtrahi nõ debet, ubi insinuatur, quòd exigere nequeat. Itẽ colligitur ex finali uerbo, quòd illi fraus uel dolus patrocinari non debet. Et idem insinuatur altero cano. De eo. Et est simile de coniuge, qui incestum cũ consanguinea alterius coniugis committit, is enim iure petendi priuatur, ab obligatione tamen reddendi non absoluitur, ut capitu. 1. & reliquis, de eo qui cognouit consang. uxor.

2. Concl.

Dubium.

¶Dubium tamen hic profectò potest cuilibet in animum subrepere, utrùm qui in extrema necessitate paruulum morti proximum absq; solennitate baptizat, talem cum matre affinitatem spiritualem cõtrahat, quæ matrimonium cũ ipsa impediat, & contractum dirimat. Et ratio dubitandi est, quòd sicut extrema necessitas post cõtractum matrimonium baptizantem excusat, ut liberè possit à sua uxore debitum petere, profectò ratio persuadere uidetur, ut eadem necessitas ius non adimat baptizanti contrahendi cum matre baptizati. Nam cùm ius petendi debitum ex cõtractu matrimonij oriatur, uidetur necessitas quæ ius exigendi non tollit, neq; facultatem contrahendi auferre. Et confirmatur hoc hominem priuare iure contrahendi matrimonium cum aliqua molestum grauamen est: ergo si propter baptismum in extrema necessitate collatum illud onus baptizanti imponeretur, multi illud officium recusarent, atq; adeò periculum paruulis extrema patiẽtibus crearetur, ut absque baptismo perirent.

Partis negatiuæ argum. 1.

¶Et tertiò arguitur. Baptizare in extrema necessitate iure diuino omnes obligantur: ergo ecclesia non potuit, aut saltem nõ debuit hoc detrimẽtum illis offerre qui munus illud obirent. Enimuerò quando solẽniter baptizatur, sacerdotes, qui sacramẽtum administrant, ultrò ordines suscepe-runt, & susceptores sua sponte ad illud se officium offerunt: quare non est mirum si cognationem illam spiritualem contrahant: sed quòd illi, qui ex necessitate iuri diuino obtemperant, illud patiantur incõ-

2. Arg.

3. Arg.

4. Arg.

modum durum apparet. ¶Profectò rationes non sunt contemnendę. Et quidam ex Iurisconsultis, quos refert Paluda. aiunt, de hoc esse Papam consulendum. At uerò in his, quæ ex mero statuto ecclesiæ pendent, non est tanta usurpanda licentia, ut ex similitudinibus aut coniecturis in re tã ti momenti iudicium sumatur. Et ideo dicendum quòd eiusmodi baptismus causa est spiritualis cognationis. Nam canones absq; ulla exceptione aiunt baptizantem & susceptorem cognationem contrahere cum baptizato. Ex baptismus in extrema necessitate uerè sacramentum est. Et ideo cùm postea in ecclesia adhibentur sacramentalia, non contrahitur cognatio, ut illico repetemus: quare nisi priùs in baptismate nasceretur, nunquàm oriretur. Veruntamen quia illic non celebratur solenniter sacramentum, non planè affirmarẽ; quòd si quis puerum teneret, cui alter aquam infunderet, tenens ille cognationẽ contraheret: quia ubi non est solennitas, non dicitur propriè susceptor.

Sententia autoris.

1. Arg.

2. Arg.

Solutio obiectionũ.

¶Vnde ad obiectorum primum respondetur, quòd cùm post contractum matrimonium ius iam sit quæsitum ad petendũ debitum, consentaneum rationi est, ut cùm adest necessitas, coniux illo iure non denudetur: secùs autem ante cõtractum, ubi nondum ius ullum acquisitum est. Et ad secundum respondetur, cognationem in extrema necessitate cõtractam non propriè dici grauamen, sed potius ius amicitiæ, quæ cum baptizato & parentibus eius cõtrahitur. Et ideo quanuis iure diuino unus quilibet teneatur baptizare, nihilominus ecclesia potuit ratione amicitiæ prolatan dæ statuere, ut matrimonium non cum illis, sed cum alijs iniret. Mihilominus profectò adiecerim, quod si sancta ecclesia ex sum illum extremæ necessitatis exciperet ut eiusmodi matrimonia non impediret, uel saltem non dirimeret, fortasse nihil aliud quàm operepretium faceret. Neque si episcopus dispensaret, dum facillimus non esset ad curiam transitus, ullum (ni fallor) subesset periculum.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum igitur capitalium argumentum respondetur, quòd quanuis cognatio spiritualis propagationem non impediat carnalem, neque uerò cohabitationem domesticam, qui sunt matrimonij fines, decurtat tamen amicitiæ amplitudinem:

tudiuem: nam cùm ipsa per se sit sufficiēs amicitiæ nexus, expedit, ut per matrimonia eadem amicitiæ iura ad alios profundantur. ¶ Ad secundum respōdetur, quòd in matrimonio non tantùm coniunctio inest corporalis, uerùm & spiritualis, & ideo quanuis cognatio spiritualis non trāseat in carnalem, nihilominus impedit matrimonium: quia expedit, ut spiritualis coniunctio ad alios, qui non sunt illo modo coniuncti, dilatetur.

Sol. 3. arg.

¶ Ad tertium quo que respondetur, minimè repugnare, ut duo contraria eidem tertio diuersis rationibus aduersentur, sicut magnum & paruum per duo extrema opponuntur æquali. Qua utique ratione & cultus disparitas & cognatio matrimonio aduersantur: illa quidem, quia plus distat, hæc uerò quia plus appropinquat, quàm ratio matrimonij contrahendi permittit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm per solum baptismum spiritualis cognatio contrahatur.

POstquam constitutum est cognationem spiritualē ob ſtaculum matrimonio opponere, consequens est, ut exploremus, per quid contrahitur, utrùm per solum baptismum.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

Et arguitur à parte affirmatiua, ex proportione corporalis ad spiritualem cognationē. Cognatio corporalis per solam carnis generationem contrahitur: sed inter sacramenta solus baptismus formam habet generationis: ergo per ipsum solùm cognatio spiritualis exurgit.

2. Argum.

¶ Secundò. Si ex alio sacramēto à baptismo spiritualis pullularet cognatio, maximè, ut fertur, ex confirmatione: sed hoc nō: quia potissimùm id accideret propter characterem, qui illic imprimitur: sed tūc similiter deberet ex datione sacrorum ordinum oriri, quod est falsum: ergo ex solo baptismo talis cognatio exurgit.

Pars negatiua.

¶ In contrarium autem est textus Bonifacij octaui c. 1. de cognatio. spirituali li. 6.

Prima opinio.

¶ De ista quæstione, ut hic D. Tho. refert, tres fuerunt opiniones. Quidam enim dixerunt, quòd spiritualis regeneratio sicut per septiformem spiritus sancti gratiam datur, ita per septem efficitur, incipiendo à primo pabulo salis sacramenti usque ad confirmationem per episcopum factam: & per quodlibet eorū spiritualis, cognatio contrahitur. Pabulum salis nominatur, dum inter catechizandum catechumenum, sal eius ori apponitur. Et hæc opinio refertur can. Peruenit. 30. q. 1. Sed re uera nunquam creditur in uniuersali ecclesia illud fuisse usu & more receptum: quia neque ulla id ratio permittit. Enimuerò cùm à generatione carnali ad spirituālem ducere exemplum oporteat, sicut consanguinitas non nisi ex generatione enascitur, ita neque spiritualis filiatio nisi per generationem spiritualem, quæ quidē non nisi per sacramentum fit, ubi gratia animæ uiuificatrix confertur: cùm ergo illa, quæ baptismum antecedunt, non sint sacramentum, sed sacramentalia, fit ut per illa nulla contrahatur spiritualis cognatio. Glossandus ergo utcunque canon ille est, non quòd figillatim per illos catechismos contrahatur cognatio, sed complexim, ut per omnia simul, si tamen usque ad baptismum fuerit peruētum, talis oriatur cognatio. Similiter & aliud quod eod. can. Peruenit. iństitutum apparet, quòd si maritus filium uxoris suæ uel à segenitū uel ab alio uiro, uel si uxor filium mariti sui baptizauerit, separentur, nunquam receptum est, ut cap. Si uir. de cognatio. spiritua. ait Alex. 3. Quare Magister sententiam, uel illud solùm ad terrorem dictum esse, uel intelligendum fore, quando cognatio illa matrimonium antecessit.

Opinio probatur.

Ratio.

Can. Peruenit. 30. q. 1.

Secunda opinio.

¶ Alij deinde dixerunt, quòd cognatio cō trahatur per tria. s. per baptismum, & per catechismum, & per sacramentum confirmationis. Sed isti, ut ait S. Tho. propriam uocem ignorarunt, connumerantes catechismum inter sacramenta.

Cōclusio.

¶ Ad quæstionem ergo unica conclusione respondetur. Cognatio spiritualis duntaxat per duo sacramenta baptismi & confirmationis contrahitur, ut can. citato Bonifacius. 8. ait. Et quidem de baptismo plures sunt canones, ut citati, & alij. 30. q. 1. & de cognatio. spirituali. Sed de confirmatione extat ead. cau. & q. can. Si quis filiastrum suum uel filiastram ante episcopum tenuerit ad confirmationem, separetur ab uxore, & nunquam aliam accipiat. Intelligitur autem si tenuerit ante matrimonium, sed si pòst, solùm impeditur ab exactione

Ratio.

exactione debiti. Ratio uerò conclusionis est hæc. Cognatio spiritualis per generationem spiritualem succrescit: generatio autem spiritualis per baptismū fit, & per confirmationem confirmatur: confirmatio enim, ut distin. 7. explicuimus, nihil aliud est quàm augmentatio quædam baptismalis gratiæ: per baptismum enim recipitur esse spirituale, & per confirmationem irroboratur Christianus ad publicā fidei defensionem, sicut per generationē fit homo, & per quantitatis augmentū ualidus homo. Alijs uerbis eandem ueritatē D. Th. in præsentia & Ricardus explicāt dicentes, quòd sicut in generatione naturali præcedunt dispositiones, & subsequitur generatio, quam tandem consequitur natiuitas, ita in spirituali antecedunt catechismi, qui sunt præparamenta, & subsequitur baptismus, ac demum consequitur confirmatio, quæ est uelut natiuitas, per quam homo publicitus exponitur ad defendendam fidem. Et ideo sicut duplex est natiuitas: scilicet in utero, & ex utero: ita generatio per baptisma est natiuitas in utero, qua scilicet homo in utero ecclesiæ concipitur quasi ab ipsa fouendus, iuxta uerbum Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto. Sed tamen per confirmationem exponitur iā homo extra uterum quasi fide irroboratus, ut publicitus confessionem Christi tueatur, in ambobus assignantur susceptores. ¶ Atque hinc consequitur ratio, quare per nullum aliud sacramentorum huiusmodi cognatio contrahatur. Ratio enim est, quòd aliorum nullum censetur generō, sed uel alimentatio, ut eucharistia, uel sanatio & recōciliatio, ut pœnitentia &c.

Ricardus.

Obiectio.

¶ Quòd si canonem, Omnes. 30. q. 1. obijcias, ubi Symmachus Papa ait, Omnes quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filij, ut & ipsi, quos uel nobis suscipientibus, uel sub trinę mersionis uocabulo mergentibus unda sacri baptismatis regeneruit. Respondetur, quòd pœnitentes non dicuntur ea ratione sacerdotis filij, ut cognatio illa matrimonium baptizati cum filia sacerdotis impediat: alio qui eius filij cum nullo de tota parœcia possent contrahere. Sed dicuntur filij spirituales, quia per doctrinam, & monita atque administrationem sacramenti reconciliat eos Deo, quod quandam gerit cum spirituali genitura similitudinem. Illud autem Symmachus ob id induxit, ut duos subinde canones appenderet, quibus cauere sacerdotibus & deinde episcopis iubet, ne se cum illis, quas à peccatis absoluerint, carnaliter commisceāt, esset enim graue sacrilegium. Et ait hic D. Tho. tantum esse peccatum, quantum si cum filijs spiritualibus delinqueret: quod utrum uerum sit nescio: potest enim ex circunstantijs esse tam graue, imò grauius, præsertim si ex confessione sacerdos nactus esset ansam complicandi se cum filia pœnitenti. Attamen illa species peccati spiritualis incestus qui committitur inter cognatos spirituales, non committitur nisi cum illis, quos uel sacerdos uel alius baptizauit, uel leuauit de fonte.

Can. Oēs. 30. q. 1.

Aliud argumentū.

¶ Aliud argumentum ex illo uerbo Pauli. 2. Cor. 13. existit, In Christo Iesu per euāgelium ego uos genui: ubi docet per prædicationem euangelij prædicatores fieri patres spirituales, & per pastoralem curā. Sed facilè respondetur, quòd dicuntur patres per metaphoram: quia conferunt subditis tria, quę secundùm Philosophum. 8. Ethic. natis impendunt patres. s. esse per gratiam sacramentorum, & nutrimentum per doctrinæ pabulum, & instructionē per legum lationem, Non tamen hoc sufficit ad contrahendam cognationem spiritualem, sed sola collatio gratiæ per modū generationis, qua anima spiritualis infunditur aut corroboratur.

Obiecto alia.

¶ Vrgentius tamen argumentum imminet ex decreto Bonifacij. 8. Per catechismum. de cognatio. spiritua. lib. 6. ubi ait, Per catechismum, qui præcedit baptismū contrahendum matrimonium impediri. Adhoc autem duo respondentur. Primum illud non asseruisse nisi quia id sibi uisus est ex decreto Clementis. 3. euidenter collegisse: & tamen in collectione non est tāta euidentia. Verba enim Clementis cap. Contracto. extra eo. titul. sunt hæc, Quod etsi constaret, quòd uxor Petri filium eiusdem ante matrimonium in catechismo tenuisset, uix contrahendo matrimonio impedimentum afferret. Ex hoc ergo, quum ait, uix afferret, colligit Bonifacius Clementem sensisse, quòd tale impedimentum afferret: cùm tamen eius uerba potiùs sint dubitantis, quàm quidpiam asserentis. Secundò respondetur,

Solutio. 1.

Solutio. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uerait hic Sanctus Thomas, quòd secundũ aliquos ex catechismo contrahitur aliqd debilius quàm cognatio: uidelicet, quod impediat matrimonium contrahendum. (Et hoc est quod Bonifacius ex Clemente colligit) non tamen dirimit contractũ. Et ducitur exemplum de sponsalibus: nã sicut ex illis, quia non sunt uerè matrimonium, sed eius præparatio, non nascitur affinitas, quæ matrimonium dirimat, sed sola publica honestas, quæ impediat contrahendum, ita ex catechismo, quia est dispositio baptismi, contrahitur non cognatio prorsus, sed debilius quiddam. Sed profectò, nescio an hoc usu iam obseruetur.

Simile.

Quando cognatio spũalis cõtrahitur.

¶Ex his prudentissimus quisque colligat quo temporis articulo cognatio hæc spiritualis contrahatur. Putat enim uulgus, quòd qui ducunt infantem, eumq; in ecclesiam comitantur, patrini, quos ipsi nominant, existant, cùm tamen non solùm hoc falsum sit, uerùm neque qui illum ad ualuas ecclesiæ uel super fontem ad catechismos & exorcismos, & unctiones tenet ullam cõtrahit cognationem: quia nec sacerdos illam contrahit, saltem quæ matrimonium dirimat. Quare si contingeret, ut Petrus baptizandum ad omnes illas cæremonias teneret, sed illo articulo, quo baptizandus est, alter infantem acciperet, qui eum dum aqua infunditur, teneret, uel de fonte leuaret, solus ille secundus cognationem contraheret, Petrus uerò minimè. Contrahitur ergo tunc propriè cognatio hæc cùm quis infantem tenet dum sacerdos aquam suffundit, uel tunc cùm illum de manibus sacerdotis dum illum emersit suscipit. Ille uerò qui postea de manibus susceptoris accipit & inuoluit, minimè. Et idem est de confirmatione dicendum: ille enim solus, qui tenet puerum dum ab episcopo ungitur, iuxta tenorem cap. citati, Si quis filiastrum. contrahit cõsanguinitatem. ¶Syluest. uerb. Matrimo. 8. q. 7. §. 13. multa prodigit uerba de istis tactibus, quibus contrahitur cognatio, an scilicet, sufficiat tangere puerum uel lintheamina. Attamen ubi res rationibus definitur, non opus est opinionibus. Re uera tangere uel uestes uel puerum ipsum etiam ea intentione, ut cõtrahatur affinitas minimè sufficit. Nam solent fœminæ esse auidæ, ut dicantur commatres, & ideo tangunt puerum: & tamen ridiculum est dicere, quòd tangere digito aut manu sufficiat: requiritur enim quòd sic eum quis tangat, ut teneat uel leuet ex sacro fonte: illud enim est esse susceptorem. Nec refert, an teneat uestitum tactis uestibus, an nudum. Imò si eum teneret in disco argẽteo honoris gratia satis esset. Quapropter si multi ea intẽtione, non dico tangant, sed teneant, omnes contrahunt cum baptizato consanguinitatem, ut habetur c. Quanuis. de cognat. spiri. in 6. licet peccatum sit plures esse susceptores: quia prohibitum est, de consecratio. dist. 4. can. Non plures. Nisi consuetudo patriæ excuset, uel honoris gratia fiat. Imò nisi ex contemptu legis id fieret, fortasse nunquàm esset mortale: quia non tanti illa prohibitio refert, sed solùm ne impedimenta matrimonij multiplicẽtur.

Sententia autoris.

Sylueſt.

Snĩa autoris.

Nota.

¶Hinc fit, quòd siquis adultus baptizetur aut confirmetur, necesse est, quo cognatio contrahatur à suscipiente, ut baptizandũ teneat ad baptismum sicuti & confirmandum: quanuis cùm illa tentio cæremonia sit, & adultus per se stare possit, satis est assistat quasi in suam curam suscipiens. Tametsi tutius sit, ut manu teneat. Ex quo fit rursus, quòd nec rndere ad catechismos & exorcismos ad cognationem sat est, neq; uerò requiritur, sed sufficit suscipere, utnomen susceptoris admonet. ¶Atque adeò ex his tãdem colligitur, quòd si infans domi ob necessitatem baptizatus fuerit, dũ postea in ecclesia hæ sacramentales cæremoniæ adhibentur, nulla contrahitur cognatio. Neq; si uel errore, uel de industria iteraretur baptizatio, cõtraheretur: quia illud sedm non esset sacramentũ. ¶Sunt multi iuris canonici professores, quicõtrariũ putant, dicentes illud esse sacramentũ: nã aliàs non diceretur iterari. Sed isti diuinã sacramenti rõnem non penetrant: nã baptizatus aut confirmatus non est materia simile sacramenti iterũ suscipiẽdi. Sed dicitur iterari, quãtũ est de intentione re baptizantis aut reordinantis: quia tentãs quod facere nequit, iniuriã irrogat sacramento. Imò quãuis sub cõditione, si nõ est baptizatus, baptizetur: si re uera erat baptizatus, licèt baptizans excusetur à culpa, re uera nullam contrahit cognationẽ, sed pp dubium ab ecclesia præsumitur cõtraxisse. Quapropter si postmodum constaret illum fuisse priùs baptizatum, pronũciaretur cognationẽ nõ fuisse cõtractã. ¶Con-

Nota.

Susceptores plures cõtrahũt cognationem.

Quando adultus baptizatur.

Cognatio spũalis nõ contrahit per procuratorem.

¶Consueuit autem inter magnates, præcipuè inter principes & reges ut absentes contendant esse susceptores per procuratores uel nuncios, quos ad id muneris delegant. quæritur ergo an tales principes uerè cognationem contrahant. De quo Sylue. uerb. Matrimo. 8. q. 7. §. 14. multos suo more utrinque citat. At uerò cùm hęc impedimenta potiùs in re dubia restringẽda sint, quàm amplianda, credendum est nullam cognationem contrahere: præsertim cùm ratio huic parti longè plus faueat. Illa enim quæ per consensum & rathabitionem transigi possunt, nil obstat quominus per procuratorem confici ualeant, quales sunt forenses causæ, ad quas agendas procuratores substituuntur. Et eadem ratione potest matrimonium per procuratorem contrahi, ca. fi. de procurato. lib. 6. quia solus cõsensus ad id sufficit, qui quidem per procuratorem aut literas, ut diximus, explicari potest. Ea autẽ, quæ in actione personali suapte natura consistunt, nequeunt per procuratorem fieri. Qua utique ratione dist. 18. diximus, per literas uel per procuratorem neminem posse confiteri, aut sacramentaliter absolui: cùm ergo susceptoris officium in actione personali consistat, quæ est tenere & suscipere baptizatum: re uera nemo p procuratorem ualet esse susceptor, ut cognationem ipse contrahat. Sed sunt illæ cæremoniæ, quæ ad colendam pacem & amicitiam fieri consueuerunt. Quare tunc procurator ille delegatus, est uerè susceptor cognationem contrahens. Sicuti si Papa officium confirmandi simplici presbytero committeret, tunc non Papa, sed ille presbyter esset confirmator.

Nota.

Quæ per procuratorem rem agi nequeunt.

Vniuersitas an possit querelare. Sol. 1. arg.

¶Simili de causa neque tota ciuitas uel collegium potest esse susceptor, sed ille, quem ad id muneris delegaret.

Sol. 2. arg.

¶Ad primum igitur argumentum iam responsum est, quòd quanuis propriè regeneratio in baptismate fiat, nihilominus confirmatio est quædam baptismatis irroboratio & quasi quædam natiuitas ex utero ad publicam fidei confessionem.

¶Et per eandem solutionem diluitur secundum argumentum. Non enim ratione solius characteris est cognationis causa, sed quia est quædam generationis confirmatio & natiuitas.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm cognatio spiritualis duntaxat inter baptizantem & baptizatum contrahatur.

SVbsequitur tandem, ut de personis dicamus, inter quas hæc spiritualis cognatio intercedit. Quæritur ergo, utrùm solùm inter baptizantem & baptizatum cõtrahatur. Et arguitur à parte affirmatiua. Si inter alios contraheretur, id maximè inter suscipientem & baptizatum, ut dictum est: hoc autem nullam ex cognatione carnali similitudinem ducit: quippe quæ non nisi ab illo, cuius semine proles gignitur, deriuatur: ex parte nanq; natum susciptentis infantem nulla contrahitur: ergo neque susceptor spiritualem ullam contrahit.

Partis affirmatiuæ argu. 1.

2. Arg.

¶Secundò. Si susceptor illam contraheret à uiro transmitteretur in uxorem, ut fertur, & ab uxore in uirum, ut si Petrus esset susceptor, eius uxor fieret cognata baptizato: huius tamen falsitas inde uidetur colligi, quòd cùm coniunctio, quæ est inter uirum & uxorem, sit carnalis, cognatio uerò sacramentalis sit spiritualis: carnalis uerò & spiritualis sint res disparatæ: non uidetur per carnalem spiritualis transmitti.

3. Arg.

¶Tertiò. Si præter baptizantem alij quoque affinitatem contraherent, id etiam filijs baptizantis & susceptoris contingeret, ut à parentibus traduceretur in filios. hoc autem falsum apparet, tũ quòd alioqui gradus in hac cognatione distinguerentur: quia persona generata, ut dictum est, mutat gradum, tum etiam quia eadem ratione transfunderetur ad patrem & fratrem: nam sicut filius patrem, ita frater fratrem primo gradu consanguinitatis attingit: consequens tamen est falsum: quia non tantùm extenditur: ergo solus baptizans est qui cum baptizato cognationem contrahit.

Pars negatiua.

¶In contrarium tamen est, quòd bona spiritualia plus sunt quàm corporalia effusa: consanguinitas autem corporalis transit ad filios, & per affinitatem ad uxores: ergo & spiritualis cognatio.

Decis. art.

¶Tres per tria proposita argumenta designantur cognationis spiritualis species,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quas præsenti articulo explicare operæpretium est. Istæ autem species sunt, paternitas, compaternitas (ut aiunt) & fraternitas. Et ideo ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Inter baptizantem & similiter inter susceptorem & baptizatum contrahitur spiritualis paternitas impediens dirimensq; matrimoniũ, ut patet can. De eo. & can. Nolle. 30. q. 1. & 33. q. 2. cano. si quis cum matre. & alijs eo. tit. de cogna. spiritua. & cap. 1. eo. tit. in 6. Probatur exemplo carnalis generationis. Enimuerò quemadmodum homo naturaliter ex patre nascitur & matre, ita & spiritualiter per sacramẽtum in baptismo nascitur filius, Dei tãquam patris, & ecclesiæ tanquam matris, quæ in suo gremio eũ suscipit: minister autem, qui nomine Dei eius uice functus baptizat, gerit personam patris, susceptor uerò personã matris, quæ eum ad fouendum, educandum & instruendum suscipit. Non negatur, quinetiam baptizans sit ecclesię minister, sed tamẽ quia illa potestas, qua gratia confertur, à Deo collata est sacramento, quod administrat, dicitur gerere personam patris.

1. Conclu.

Rõ conclusionis.

Sol. 1. arg. ¶Et per hoc soluitur primum argumentũ: non enim in generatione naturali filius solius patris dicitur semen ministrantis, sed etiam matris ipsum concipientis, cuius typũ in spirituali generatione susceptor gerit. ¶Quòd si rursus arguas. Catechismus, ut dictum est, nempe eruditio catechumeni non sufficit ad contrahendam cognationem: sed susceptoris officium nõ est aliud, quàm filium spiritualem catechismis erudire, & ideo apud Dionysium appellatur ἀνάδοχος: ergo ille non contrahit paternitatem. Negatur minor, nam etsi officium susceptoris sit erudire, non tamen ob id colligit paternitatem, sed quia suscipit curam tãquam mater: ἀνάδοχος enim idem est quod fidei iussor. De officio autem & functione susceptoris supra dist. 4. artic. 5. dictum est.

Obiectio.

Dilutio.

Non baptizatus an possit esse susceptor. ¶Perplexior autem ambiguitas est, utrùm ille, qui nondum baptizatus est, alium baptizet, uel de sacro fonte leuet. consanguinitatem contrahat. Est enim glossa cano. In baptismate. de consecr. dist. 4. quæ sub distinctione respondet dicens, baptizantẽ contrahere cognationem, susceptorem uerò non item. Quam glossam sequuntur summa angelica, & summa Roscella. Est tamen glossa nulla ratione fulcita. Quapropter D. Tho. Ricardus & theologi omnes, ueritatem meditati, negatiue de ambobus respondent. Nam in primis infidelis susceptor esse non potest: quia qui non est Christianè eruditus, curam erudiendi Christiani suscipere non ualet: at uerò licèt baptizare queat, cognatus tamen esse nequit spiritualis: cognatio siquidem hæc fundamentum habet in fide, imò & in sacramento fidei: nam sicut qui nondum carnaliter natus est nulli potest esse aut pater aut cognatus, ita qui nondum baptismate regeneratus est, pater aut cognatus spiritualis esse nequit. Quare licèt catechumenus baptizet, nullam acquirit cognationẽ: quòd si nulla ante baptismum cõtrahitur, fit ut neq; si post modũ ille baptizans conuertatur, illam cõtrahat, quia quod à principio nullum fuit, conualescere nequit.

Sententia autoris.

Non cõtinuatus impedit ne possit reuerti contrahendum. Secunda conclu.

¶Ex quo fit quòd si baptizatus quãuis nõ confirmatus teneat eum, qui confirmatur, uerè cõtrahit cognationem: quia est Christianus, & ideo capax cognationis spiritualis: & pariter hæreticus, quia habet characterem Christiani. ¶Secunda conclusio. Compaternitas duobus modis contrahitur: scilicet, inter baptizantem similiter & inter susceptorem & baptizati parẽtes: præterea inter baptizatum & coniuges baptizantis & susceptoris, & idem est de cõfirmatione. Itaque radix & centrum cognationis spiritualis est habitudo baptizantis & suscipientis ad baptizatum, & inde trãsfertur cognatio in parentes baptizati, ut sint baptizantis & susceptoris spirituales affines. Et ratio huius est, quòd cùm baptizans & susceptor sint patres spirituales baptizati, & qui eum genuerunt, sint patres carnales, fit ut inter se sint compatres: id est, simul patres eiusdem filij diuersis rationibus. Et similiter baptizans & susceptor eandem cognationem transferunt in suas coniuges, ut pari ratione sint baptizati affines. Cuius ratio est, quod cùm maritus & uxor sint una caro, affinitatem quã unus contrahit cum baptizato, contrahit & alter. Affinitatem, inquam, qm̃ etsi oẽs tres species inter canonum professores generali nomine dicantur cognatio: tamen proprię cognatio, ut potè quæ à nascendo dicitur, inter patres spirituales: scilicet, baptizantẽ uel susceptorem & baptizatũ consistit: sed mediante baptizato, eius parentes

Stipes fauius cognationis.

Ratio.

tes efficiuntur baptizantis & susceptoris affines. Et ideo significãter ait S. Tho. hoc fieri per modũ cuiusdã affinitatis: sicut in cognatione carnali cõsanguinei uxoris efficiuntur affines mariti. De utroque affinitatis modo habetur eo. c. 1. de cog. spir. li. 6. Et de primo rursum cap. Super eo. & ca. Veniens. de cogn. spir. De secũdo est casus c. Martinus. eo. ti. ubi habetur, q̃ Lotarius quidam Thebergæ maritus Martini filiũ de fonte leuauerat, deinde Lothario defuncto Martinus tentauit cum eadẽ Thebergа contrahere, & tamen non fuit permissus: qm̃ Lotharius transmiserat cognationem Martini in Thebergam. Idẽ casus habetur can. Scisitatur. 30. q. 4. qui est Nicolai. ubi quidã, cuius uxor filiũ Bertæ de fonte leuauerat, prohibitus est cũ eadem Bertа matrimoniũ cõtrahere: & ibi habetur, quòd nõ potuit duas cõmatres successiuè ibi matrimonio cõiungere. Et idem habetur in conci. Chalcedonen. ibid. can. Si pater. Contrariũ tamen definiri uidet ibid. can. Post uxoris. ubi refertur, q̃ post uxoris obitũ cum cõmatre uxoris liceat matrimoniũ contrahere. Quos quidẽ canones ille Gratianus sic cõciliare meditatus est, q̃ si Petrus postquã uxor sua cõmater facta est alterius mulieris, eandẽ uxorem cognouerit, nõ poterit postea uxore orbatus cũ illa cõmatre cõtrahere iuxta decretũ Nicolai & Calcedonẽsis synodi. Si uerò uxorẽ post non cognouerit, poterit illã cõmatrem ducere. At uerò Gratianus hoc loco, ut ait glossa, hallucinatus est, nec rei punctum tetigit. ¶Est ergo oculatè hic cũ D. Tho. adnotandum, q̃ siquis cognationem spiritualem non per actũ propriũ sed per alienũ contrahat, illã cognationem minimè in suam uxorem transfert, ut si Petrus leuauit de fonte uel baptizauit filium Pauli qui non erat filius uxoris eiusdem Pauli, tunc uxor Pauli non fit affinis Petri, quia Paulus non per se cõtraxerat cũ Petro cognationem, sed per actũ Petri. Secùs si fuisset filius uxoris Pauli, quia tunc pariter uxor & maritus contraherent eandem affinitatem. At uerò si Paulus baptizaret uel leuaret de fonte filium Petri, tũc quia per proprium actum contraheret cognationẽ cum Petro, eandem transfunderet in suam uxorem. s. Pauli, ut esset affinis eidem Petro. Transfertur. n. actio, sed non passio. Qua de re uersus hi circunferuntur. Quæ

Casus cap. Martinus.

Gratianus hallucinatur.

Regula generalis S. Thomæ.

Versiculi.

mihi uel cuius mea natum fonte leuauit. Hæc mea cõmater fieri mea non ualet uxor. Hoc est, mulier quæ uel mihi natum, putà meum filium, leuauit de fonte, uel cuius natum mea leuauit, sic fit mea commater, ut nequeat fieri mea uxor. Sed mea dicatur, quæ carne me sociatur, Et sequitur. Si qua meæ natum non ex me fonte leuauit, Hanc post fata meæ non inde uetabor habere, Hoc est, Si qua mulier natum uxoris meæ, quem non ex me genuit, fonte leuauit, post fata: id est, post obitum uxoris meæ, non uetabor illam ducere: quia non est affinis mea. Igitur canõ Nicolai, & Calcedonensis intelligunt in secundo casu, q̃ nullus contrahat cum commatre uxoris suæ defunctæ: si tamen uxor illa per actum proprium facta est commater alterius durante matrimonio cũ illo uiro. Vel si altera facta fuit Petro cõmater, quia leuauit filium suum de fonte. Sed canon, Post uxoris. loquitur quando uxor Petri erat commater alterius fœminæ, quæ non erat cõmater Petri: quia scilicet, illa fœmina leuauerat de fonte filium uxoris Petri ex alio marito. Et idem habetur in conci. Triburiensi canon. Qui spiritualem. ead. cau. & quæst. ¶Adde quòd ut baptizans uel leuãs cognationem in uxorem transmittat, exigitur, ut iam tunc dum baptizat uel leuat habeat illam uxorem consummato matrimonio, ut habetur eod. c. 1. de cogna. spir. lib. 6. quoniam cognatio illa non transfertur, nisi quia sunt duo in carne una: & tamen non fiunt una caro nisi per consummationem copulæ. Quare si non est tunc nisi matrimonium ratum, licèt postea consummetur, non transmittitur, & multò minus ad illas, cum quibus postea contraxerit. Et eodem modo possunt uerificari cano. Qui spiritualẽ. & Post uxoris. Quod autem dictum est de baptismo, omnino de confirmatione intelligatur, ut habetur ibidem cano. Si quis ex uno. & eod tit. lib. 6.

Nota.

Cognatio spiritualis an oriatur ex illicito coitu.

¶Dubium autem, quod hic graue reputatur, est, utrùm cognatio hæc per fornicariam commistionem trãsmittatur, ut si Petrus baptizat, aut de fonte leuat quempiã omnes mulieres cum quibus illuc usque ille fuerat fornicatus, contrahant spiritualẽ affinitatem cum eodem baptizato. Ricardus quidem & Palu. negant quidẽ per impudicum concubitũ talem cõtrahi affinitatem: quam opinionem complures Iurisco-

Ricard.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sultorum super cap. 1. eo. tit. lib. 6. sequuntur, quos refert Sylvester, uerb. Matrimo. 8. q. 7. §. 5. At uerò D. Tho. impræsentiarum & Albertus Magnus & antiqui nihil hæsitantes aiunt, perinde contrahi affinitatem ex concubitu fornicario, ac ex maritali. Idem tenet glo. in c. Si quis. 30. q. 4.

Opinio S. Thomæ.

Et re uera qui non opinantium numero, sed pôdere rem fuerit speculatus aliud sentire nequibit. Enimuerò ratio hmôi cognationis à coniuge in coniugem trâsmittendæ non est spiritualis uirtus animorum, quæ est in coniugio, aut indissolubile uinculum, sed quia ambo sunt una caro, ut canones aiunt: qua utique ratione per matrimonium duntaxat ratum nisi fuerit consummatum non transmittitur: in commistione autem fornicaria similiter uir & fœmina efficiuntur una caro: quia ut ait Pau. 1. Corint. 6. qui adhæret meretrici unum corpus efficitur: ergo per eandem transfertur cognatio. Et confirmatur hoc planè.

Sententia autoris.

Ratio' clarissima.

Quoniam ob hanc eandem rationem supra diximus per fornicarium concubitum contrahi affinitatem. Sed ait Ricardus, ob id non contrahi per fornicationem: quia spiritualis cognatio per purè carnalem nô contrahitur. Hoc tamen gratis dictum est: nam tam purè carnalis commistio est coniugalis quàm fornicaria: quia purè carnale non eo dicitur, quod sit peccatum: siquidem coniugalis actus, qualis est clandestinus contra prohibitionem ecclesiæ, posset esse peccatum, sed dicitur carnalis: quia est commistio carnis cum carne. Et ideo in dicto cano Scisciatur. ubi ad hoc propositum dicitur, quòd uir & uxor per connubium siût una caro, exponit glossa, per carnalem copulam. Et idem habetur in glossa super cano. Agathosa. 27. q. 2. Quapropter in uersiculo supra citato dicitur, Sed mea dicatur, quæ carne me sociatur.

Ratio 2.

Obiectio Ricardi.

Solutio.

Glossa.

Paludan.

¶Addit præterea supplementum esse sibi mirabile dictu, q̃ ex peccato abominabili oriatur spiritualis parentela, sicut ex glacie calor: & quòd publica meretrix fieret spiritualis cognata pluribus de ciuitate.

Responsio Syluestri.

Sed argumenta hæc, ut ait Syluester, rudia sunt: procedunt enim ex sensu, sed non è rerum ratione. Admiratio enim inde procedit, q̃ non perpenditur rei causa. Concedimus ergo illa, & præterea q̃ si impudicitia paroecialis presbyteri tâta esset, ut plurimas paroecianas cognosceret, quàm plurimas cognationes spirituales dissemina-

Sol. 2. arg.

ret. ¶Respondetur ergo ad secundum argumentû principale, quod quanuis uniones corporales & spirituales sint disparatæ quoad esse, quia una nequit esse altera, non tamen sic distant, quominus una possit esse causa alterius, saltem per accidens.

Obiectio.

¶Quòd si redarguas. Inter duos susceptores nulla contrahitur affinitas: & uidentur magis cõiungi in illo sacramẽto, cùm sint patres spirituales, quàm susceptor & sua uxor: ergo susceptor non transfert illã cognationem in uxorem. Respondetur, quòd duo susceptores non per se, sed per accidẽs concurrunt ad idem sacramẽtum, & ideo nullam inter se contrahunt cognationem, neque baptizans cum susceptore, ut uersiculus ille admonet. Vnus semper erit compatrũ spiritualis, Alter carnalis: nec fallit regula talis. Maritus uerò & uxor sunt per se una caro, & ideo unus transmittit suam cognationem in alterum. Hinc ergo fit, q̃ si maritus & uxor filium amici leuarẽt de fonte, uterque duplici ratione esset pater baptizati: scilicet, & per actum propriũ & per actum coniugis. ¶Postrema ex his dubitatio exurgit, utrùm si quis baptizet aut leuet de fonte filium Iudæi uel Gentilis, contrahat cum patre affinitatem. Glossa cano. 1. 30. quæstione. 1. illud affirmat. At uerò Diuus Thomas, id meritissimò negat, neque in dubium reuocari debet: quoniam fundamentum spiritualis cognationis est esse spirituale, quod per regenerationem baptismi susçipimus: & ideo sicut non baptizatus baptizans nullam contrahit cognationem cum baptizato, ita ex aduerso neque baptizatus ullam contrahit cum non baptizato.

Dubium.

D. Thom.

2. Conclu.

¶Secunda conclusio. Confraternitas contrahitur inter filios baptizantis (& pariter susceptoris) & baptizatum. Et idẽ de confirmatione. Conclusio est, quæ cap. 1. & ex literis. de cognatio. spiritua. habetur: & & eodem titu. lib. 6. & 30. quæstione. 3. cano. Pictatium. & Non oportet. & reliquis. Et ratio est hæc. Filius. ut. 8. Ethico. ait Philosophus, est aliquid patris, non tamen è diuerso pater est aliquid filii, aut frater aliquid fratris: & ideo baptizans & susceptor transmittit cognationem in proprios filios, ut sint confratres baptizati nó tamen transmittunt eandem in parentes suos aut fratres. Sed ista consanguinitas filiorum

Ratio.

filiorum baptizantis aut susceptoris solùm intelligitur cum persona baptizatâ, non tamen cum fratribus eius. Et hoc est decretum Vrbani cano. Super quibus. 30. q. 3. cuius uerba sunt. Spiritualium parentũ filij uel filię ante uel post paternitatem genitæ possunt legitimè coniungi, præter illam personam, qua cõpatres sunt effecti. Est enim sensus, quòd si Petrus leuauit de fonte Mariam filiam Pauli, & Paulus habet alios filios & filias, omnes filij & filiæ Petri tã ante quàm post compaternitatẽ genitæ possunt contrahere cum omnibus filijs & filiabus Pauli, præterquam cũ Maria. Textus autem illico Paschalis. Post susceptum, ait, quòd geniti post compaterni-

Vrbanus.

Paschalis.

Cap. 1. de cogna. spi.

tatem siue à susceptore siue à parentib. baptizati non possunt contrahere: quem qui dem tex. Alexander. 3. cap. 1. extra de cogna. spirit. putat esse contrarium priori: quia restringit facultatem illam ad natos ante compaternitatem. Et ideo ait illum textum Paschalis abrogatum esse per textũ Vrbani. Quòd si uerum est, necesse est textum illum non esse Paschalis secundi, qui sedit post Vrbanum, sed Paschalis primi, qui eum antecessit. Hugo uerò glossator eiusdem can. Post susceptum, ait, Alexandrum illum non intellexisse: nam Paschalis noluit prohibere matrimonium ni si inter filios baptizantis seu susceptoris & baptizatam. Et ideo nec contradixit Vrbano, nec canon ille est abrogatus. Sed ,perfectò Alexander melius quàm Hugo caput illud intellexit: quoniam si noluisset prohibere matrimonium nisi cum baptizata, non fecisset restrictionem ad filios genitos post compaternitatem: quãdoquidem neque prægeniti poterant cum illa contrahere. Et ideo Vrbanus consultò ex pressit ante uel post genitos à compatrib. ut corrigens dictum Paschalis eorum matrimonium permitteret, prçterquàm cum baptizato, uel baptizata. Et eodem modo intelligendus est tex. Innocentij cap. Tuanos. de cognat. spiri. ubi ait quòd natus ante compaternitatem filiam compatris sui non potest matrimonialiter copulare: intelligitur enim de filia, quam pater illius nati leuauit de fonte, ut bene ibidem admonet glossa: nã cum alia sorore bene poterat, sicuti & susceptor ipse, ut habetur can. Per adoptionem trigesima quæstione tertia.

Glossa.

Soto auto it.

¶Ex his ergo tertium argumentum solutum restat. Dictum enim est cur baptizãs aut susceptor non transferat cognationẽ in patres aut in fratres. Atque adeò ex dictis causa colligitur cur in hac cognatione spirituali non distinguantur gradus: quoniam gradus intelliguntur in eodẽ genere, quemadmodum in consanguinitate & affinitate uisum est. Tria autem hæc genere differunt: nempe, paternitas, quæ est ad baptizatum, & compaternitas ad eius parentes, & confraternitas inter filios baptizantis seu susceptoris & ipsum baptizatum. Et quanuis uelimus illos gradus uocare, certè paternitas baptizantis ad baptizatum, & fraternitas filij ipsius ad eundem baptizatum, idem est gradus, sed specie differunt: nam una est, ut diximus, propriè cognatio, & alia quasi affinitas spiritualis. Et similiter eadem est compaternitas inter baptizantem & patrem baptizati, & inter uxorem ipsius baptizantis (si erat sacerdos Græcus) & ipsum baptizatum: quanuis hæc secunda oriatur median te prima.

Sol. 3. arg.

Differentia.

QVAESTIO SECVNDA, De cognatione legali.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm adoptio sit iure apposité definita.

AD spiriualem adhibetur cognatio legalis quæ fit per adoptionem. Quæritur ergo primum, utrum definitio adoptionis iure posita sit rei apta, quæ est hæc. Adoptio est extraneæ personæ in filium uel nepotem uel deinceps legitima assumptio. Et arguitur à parte negatiua. Filius debet esse patri subiectus, & in eius hæreditate succedere, iuxta uerbum Paul. 1. Corint. 12. Parentes debent filijs thesaurizare: sed aliquando adoptatus neq; est subditus patri, neq; eius necessarius hæres: ergo adoptio non est assumptio in filium &c.

Partis negatiuæ argu. 1.

¶Secundò. Adoptio, per quam quispiã in filium assumitur, naturali generationi debet assimilari, in cuius utiq; defectum instituta est: ergo nulli debent iure adoptandi excludi: excluduntur aũt & defectu generiandi,

2. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nerādi,ut eunuchi,& defectu sexus, ut fœminæ,& defectu ætatis,ut minores uiginti quinq; annis:ergo adoptio nō est res legitima,atq; adeò nec eius definitio. ¶In cōtrariū est ius ciuile Insti.& ff. de adoptio.quib.eiusmodi adoptio constituta legitur. ¶Optare idē est in præsentia quod eligere:unde adoptare idē est,quod adsciscere, ut dū quis aliū per electionē ad se adiūgit.sed usu iuris usurpatur pro eo,qđ est quēpiā in filiū uel filiā assumere, ut ꝙ natura nō suppetit,electio suppleat Vnde filius adoptiuus naturali opponit: unus.n. per naturā gignitur,sed alter per gratiam substituitur. Tanta.n. est à natura mortalib. insita cupido suā perpetuādi successionē & sobolē,ut fuerit iure gentiū introductū,ut qui naturalib.filijs orbati sunt, defectui illi per aliorū adoptionē mederentur. ¶Quā ob rē inde ampliùs charitas erga nos dei cōmendatur, ꝙ cùm filiū habe ret naturalē sibi coæternum, cui per naturā cū sua substātia cuncta bona cōmunicauerat,nos etiā per gratiā in filios adoptauit,hæredes quidē eius, cohæredes aūt eiusdē eius filij,ut ait ad Roma.Paul.Vnde ad Ephes. 1.Benedictus, inquit, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui elegit nos ante mundi constitutionem,& prędestinauit nos in adoptionē filiorū per Iesum Christū &c. Atqui & Christus ipse a deò nobis nō inuidit,ut qđ per naturā ip se erat, nos quoq; per gratiā nominaremur & essemus,ut quo hoc nobis beneficiū præstaret,& nostrā carnē assumpserit & suam insumpserit uitam. ¶De adoptione ergo,qua rōne ad hæreditatis successionē attinet,iure ciuili cōstituta est,sed qua parte matrimoniū impedit, ecclesiæ autoritate & decreto uim illā obtinuit. Duab. ergo conclusionib.ad quæstionem respondetur. Prima. Illa definitio in capite proposita est optima. Etenim adoptio iuridica actione fit, & respectū habitudinemq; dicit. Iurisconsulti ergo eā describunt ratione actionis,qua fit,dicentes, quòd adoptio est legitimus actus, per quem fit quis filius,qui nō est,aut nepos penè naturam imitans. Et quo finis eius exprimatur, dicūt alij,quòd sit legalis actio ad solatium eorū,qui liberos non habent. Instit.de adoptio.in glo. Et pari ratione theologi aiunt,quòd adoptio est extraneæ personæ in filium uel nepotem uel deinceps legitima assumptio. Atque omnes in idem recidunt. Nam adoptare & adoptio actio legalis est. Nisi quòd hæc theologa causas omnes significātiùs exponit. Etenim quia ars naturam imitatur,eiusq; defectum supplet: & ius est ars æqui & boni, excogitauerunt iuris conditores, ut quemadmodū per naturalem generationem quispiam producitur,ita ubi natura deficeret: s.filios non produceret, posset quispiam per suam uoluntatem & spontaneam electionē quēpiam extraneum instar naturalis in filium assumere,quo defectum illum supplens solatium acciperet. ¶Vnde sicut in generatione naturali duplex é terminus: scilicet,à quo,& ad quem, quiquidé sunt formæ contrariæ, ut ex non homine fiat homo,& ex non albo album, ita per adoptionē legalem fit ex non filio filius,& ex non nepote nepos. Quapropter in prædicta definitione uerbum illud, assumptio, locum generis obtinet:sed cùm dicitur,legitima,distinguitur à naturali: nam sicut per naturam,ita & per legem suscipitur & assumitur filius. Sed ubi additur,extraneæ personæ, explicatur terminus à quo: & cum subditur,in filium uel nepotem,concluditur terminus ad quem. Hæc omnia colliguntur ex Instit.de adoptio. & ff.eodem titulo. Verbo autem, extraneæ, non excluditur,quin possit etiam adoptari cō sanguineus,ut habetur Inst.de adoptio.§. sed hodie. Et ut legitur Hester.2.Mardochæus adoptauit Hester,quæ erat filia fratris sui. Sed extraneus intelligitur ille,qui non erat sub potestate adoptantis, & per adoptionem manet sub eius potestate. Ex quo fit,quòd adoptio, non est idem quod filiatio legalis,sed habent se sicut genera tio & consanguinitas. Etenim sicut consanguinitas est relatio & habitudo inter personas aliquas ex generatione resultans, ita & filiatio legalis est habitudo filij ad patrem ex legali adoptione pullulans. ¶Ad maiorem autē explicationē subnectitur secunda conclusio. Adoptio generalis duplex est:s.imperfecta & perfecta,l. Generalis.ff.eo.tit.& Insti.§. Adoptio. Eiusmodi aūt adoptiones quatuor quinqueve modis,qui ex eadē lege colliguntur, differunt. Primo in nomine: nā imperfecta dicitur simplex adoptio:perfecta uerò dicitur adrogatio. Secundò differunt effectu: nam per simplicem adoptionem filius nō transit omnino in potestatem adoptantis neque habet necessariò legitimam in bonis adoptantis,neq; pater tenetur ei quotā assis legare:succedit autem ab intestato. Adrogatus uerò transit in potestatem adrogantis, sicut filius est in potestate patris, fortiturq; subinde necessariò legitimam,saltem quartam partem, à qua non potest testator eum excludere, præterquā quòd etiam succedit ab intestato. Tertiò differunt,quia adoptari etiam simpliciter potest ille qui non est sui iuris: putà ille, qui est sub potestate patris naturalis: adrogari uerò nequit nisi ille, qui sit sui iuris:nempe,emancipatus à patre, sitq; liber homo,alioqui non posset in potestatem adrogantis transire. Vnde Insti.eod. titu.§. Apud Catonem, habetur,quòd si quis filium suum alteri adoptat,eadem ratione libertate donat. Quartò differūt in forma: nam ad adoptandum simpliciter non sunt uerba expressa iure constituta, sed ad adrogandum requiritur, ut qui adrogandus est interrogetur,an uelit esse ad rogantis filius aut nepos. Atque inde ut ait lex,deriuatum est nomen, ut dicatur adrogatio. Tametsi adrogare profectò in præsentia non est nisi ad se aduocare & assumere & ad se applicare. Quintò deniq; differunt,quia adoptatio fieri potest sola autoritate magistratus,adrogare uerò nō nisi imperio principis. Atque ex his compositæ sunt carmina. Adrogo qui suus est, & habet meus esse necesse: id est, adrogo eum,qui sui iuris est, & debet fieri meus: hoc est,sub mea potestate. Patris adoptium,nec patris desinit esse:hoc est, possum adoptare eum,qui non est sui iuris, sed patris,nec per adoptionem desinit esse suus. Est hæres primus firmanteq; principe firmus. Atqui discrimen hoc adoptionis & adrogationis exprimitur, Inst.eod. tit.§. sed hodie.quòd si pater naturalis filium extraneæ. personæ in adoptionem dederit,non propterea eum à sua potestate emancipat:quare nec transit in potestatem alterius. Si uero eum in adoptionem tradat socero suo:scilicet, auo eiusdem filij, aut alteri sanguine propinquo, tunc quia iura naturalis & legalis cognationis concurrunt, potest ille transire in potestatem illius,cui in adoptionem datur. Hæc autem & similia ad professionem ciuilis iuris attinent. ¶Ad primum igitur argumentum respōdetur, priorem præmissam habere uerum solùm de adrogato: posteriorem uerò in simplici adoptato. ¶Ad secundum respondetur,quòd cùm adoptio ordinetur tum ad supplēdum filiorum defectum, tum & ad hæreditatis successionem, fit, ut illi tantùm possint adoptare, qui per naturam gignere possunt, uel saltem coire,dum tamen de suis bonis disponere ualeant. Vnde lex.ff.eod.tit. Adoptio,inquit,in his personis locum habet,in quibus etiam natura potest habere. Atq; adeò Inst.eod.tit.§.sed illud. Castrati omnino excludūtur ne adoptare possint:quoniam neque generare neque coire ualent. Et non oportet,ut quibus natura suffragata non est,ius patrocinetur. Spadones uerò non excluduntur, quo nomine illi designantur qui obstrictos habent testiculos qui scilicet quanuis coire possint, & matrimonium consummare, non tamen gignere. Quapropter frigidi adoptare non possunt,sed bene illi, qui steriles sunt. Imò in supplementum sterilitatis adoptio filiorum substituta est. Atque eadem ratione fœminæ,ut illic habetur. §. Fœminæ.quia nec naturales liberos in sua potestate habent. Tametsi beneficio principis possunt illo solatio frui, ut adoptare permittantur. Similiter & minores uiginti quinque annis,quia illucusque sua bona admnistrare non possunt, adoptare quoque prohibentur. Neque minor natu potest maiorem adrogare, ut habetur illic.§. Minorem: quoniam ratio non fert, ut maior sit sub potestate minoris, tanquàm filius sub patre. ¶Quòd si rursus arguas. In hac cognatione legali non sunt gradus,nec plus distat in hac cognatione nepos ab auo.quàm filius à patre. Respondetur,quòd quia contingit & filios quis amittere & nepotes & pronepotes,indulsit lex ut tam in nepotem possit quis sibi quempiam quàm in filium adoptare. Quā q̄ possit & ille in nepotē aliquē sibi adoptare q̄ filio caret.§.licet.Inst.e.Itaq; adoptare in nepotē est,sic recipere acsi esset filius proprij filij.l.Adoptiones.ff.eod. tit. siue filium habeat,siue filijs careat.

Pars affirmatiua.

Adoptare quid.

Adoptio quare.

Christiani filij dei adoptiui.

Roma. 8.

1. Conclu.

Adoptio quid.

Definitio theologorum.

Ratio.

Tertia.

Nota.

Quarta.

Assumptio.

Extraneæ personæ.

Quinta.

Verficuli.

Adoptio & filiatio legalis habent se ut causa & effectus.

Alia differentia.

Secunda conclusio. Adoptio duplex.

Prima differentia. Secunda.

Sol.1.arg.

Sol.2.arg.

Castrati.

Spadones.

Frigidi.

Fœmina.

Minores 25. annis.

Obiectio.

Solutio.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm legalis cognatio matrimonium impediat.

Quæritur

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVæritur ergo subinde utrùm eiusmodi cognatio legalis impedimentum sit matrimonii. Et arguitur à parte negatiua. Adoptio nihil aliud est, ut proximè dicebamus, quàm assumptio alicuius in propriam potestatẽ: scilicet, ad eum nutriendum & educandũ: sed tamen necessitudo hæc nullum uidetur impedimentum afferre matrimonio, alioqui prælatus contraheret cognationem cum suis subditis, quæ matrimonium impediret, & paterfamilias cum omnibus suæ domus, & nutrices & pædagogi cum suis clientulis, quod est falsum.

Partis negatiuæ ar. primum.

2. Arg. ¶Secundò. Adoptio legalis iure ciuili & gentium introducta est: sed ius ciuile sine autoritate ecclesiæ non potest impedimẽtum matrimonio obiicere: ergo talis cognatio non est impedimentum.

3. Arg. ¶Tertio. Si eiusmodi cognatio matrimonium impediret, descenderet per suos gradus, sicut dictum est de cognatione carnali, aut transmitteretur ad coniunctas personas, sicut dictũ est de spirituali: sed neutrum istorum huic cognationi accidere uidetur: quia neque inter adoptatum & neptem adoptantis, neque inter adoptantẽ & matrem naturalem adoptati ullum interpositum est impedimentum.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est decretum Nicolai c. unico de cognat. legali, ubi tale impedimentum constituitur.

Prima conclusio. ¶Ad quæstionem quatuor conclusionib. respõdetur. Prima. Cognatio legalis, quæ ex adoptione resultat, impedimentum est matrimonii. Probatur. Omnis cognatio impedimentum est matrimonii: sed cognatio legalis est cognatio quædam instar naturalis instituta: ergo debet esse impedimentum, non quidem naturale, postquàm ipsa non est naturalis, sed ex ecclesiæ instituto, sicuti de cognatione spirituali dictum est. Et secundò eadem conclusio pròbatur. Rationes, quibus supra probatum est, cognationem carnalem esse impedimentum matrimonii, suo modo, & de hac cognatione legali militant: nam postquã adoptio ad concilianda amicitiæ iura sufficiens est uinculum, condecens fuit, ut ad eadem iura propaganda inter tales cognatos nuptiæ prohiberentur. Item quia eiusmodi cognati eadem domo perpetuo tanquàm patres filii & fratres commorantur: ergo si inter illos matrimonia permitterentur, occasio offerretur, ut inter se mutuo amore conflagrarent, unde periculum iniquæ libidinis crearetur.

Rationes.

Ratio. 4.

Secunda conclusio. ¶Secunda conclusio. Triplex est legalis cognatio, prima quasi ascendentium & descendentium, quæ contrahitur inter patrem adoptantem & filium & filiam adoptatos, & filium eiusdem filii, & nepotem eius, & deinceps usque in quartum gradũ. Secunda inter filium adoptatum & filium naturalem eiusdem adoptantis. Tertia uerò per modum cuiusdam affinitatis resultat inter patrem adoptantem, & uxorem filii adoptati, & è conuerso inter filium adoptatum & uxorem patris adoptantis.

Tertia conclusio. ¶Tertia conclusio. Prima & tertia cognatio perpetuum impedimentum sunt matrimonii: quia eiusmodi cognationes postquàm contractę sunt dissolui non possunt.

Quarta conclusio. ¶Quarta conclusio. Secunda cognatio est impedimentum matrimonii non perpetuum, sed quandiu filius adoptantis sub potestate patris perstiterit: unde uel eodem patre mortuo, uel filio emancipato potest inter eundem filium naturalem & filiam adoptatam matrimonium constare. ¶Hæc autem omnia quia iure & usu ecclesiastico constituta sunt, non nisi humanis legibus quæ, ut dictum est, à naturalibus honestatem ducunt, probari possunt. Prima ergo & tertia cognatio in iure Pontificio non sunt planè, tanquàm impedimentum matrimonii expressæ, sed sunt Insti. de nuptiis. §. ergo, ubi habetur quòd quæ per adoptionem filiũ uel neptis est, non potest per matrimonium adoptanti adiungi. Et l. adoptiuus. ff. de ritu nuptiarum, habetur, quòd nec potest adoptans cum uxore adoptati: quia est sicut eius nurus, neque adoptatus cum uxore adoptantis, qu a est uelut nouerca eius. Vbi & perpetuitas huius impedimenti sic exprimitur, ut quanuis filius ille adoptatus emancipetur, perpetuò impedimentum duret. Has igitur duas cognationis species ecclesia tanquam notissima impedimenta more & usu susc epit. Et ratio huius perpetui impedimenti est reuerentia, quam filius & filia, qui adoptantur, debẽt adoptanti seu patri seu matri. Attamen de secunda cognatione inter fratres, quia ibi minor ratio apparebat matrimoniũ uetandi, ius Pontificium legem expressit.

Prima tertiaq; cognatio.

ut Nicolaus Papa can. Ita diligere. 30. q. 3. sed expressius cap. unico. de cognatio. legali. Et Paschalis can. Per adoptionem. ea. cau. & q. qui ad literam extat ut lex. ff. de ritu nuptiarum. Illic enim habetur, quòd per adoptionem quæsita fraternitas eo usque prohibet nuptias donec manet adoptio, atque adeo non est perpetua.

Nicolaus.

Dubium. ¶Vnica hic tamen superest dubitatio soluenda, utrùm hæc legalis cognatio sit impedimentum non solùm impediens cõtrahendum, uerùm & dirimens contractum. Ioannes And. & Speculator tenent duntaxat impedire contrahendum, non tamẽ dirimere contractum. Et poterãt non absque probabilitatis colore moueri, eo q non tantùm hęc cognatio referre uidetur, ut si post illã matrimonium contrahatur, sit dirimendum. Attamen quanuis fortasse iam nunc ecclesia nihil aliud quàm operæ pretium faceret si id decerneret, potissimũ quia huiusmodi cognationis per quam rarus iã usus uiget, nihilominus interim non est negãdum quinetiam matrimonium dirimat, ut ait Syluester uerb. Matrimo. 8. q. 8. quia ita tenet hic S. Thom. Ricardus & Theologi: eandemq; propemodũ rationẽ afferunt quæ de consanguinitate & affinitate militabat, eo quòd isti patres & filij & fratres in eadem domo habitant. Idq; uerbo Nicolai decerni uidetur in dict. ca. unico, quo ait, Quandiu durat adoptio inter me & filiam à patre meo adoptatam, nuptiæ consistere non possunt. Nam certè non consistere, idem est, quòd dissoluendas esse. Et ita illic glossa tenet. Idq; uidetur confirmari ex uerbis canonis. Ita diligere. bene perpensis. Quanuis tale impedimentum dirimens fortasse non sit nisi in adoptione perfecta, quæ est adrogatio: nã non oportet hæc impedimenta dirimentia tam late extendere. Præsertim q; quãdo adoptio est imperfecta, non habitant in eadem domo, nec tanta conglutinatur amicitia. Quando ergo dicitur inter fratres non esse matrimonium perpetuum, sic sentitio, quòd dum filius naturalis non emancipatur, si contrahat cum filio adopta to matrimoniũ dirimitur, sed si illo priùs emancipato contrahatur, matrimonium consistit. Et ideo si quis habens naturalem filium uult adoptare aliquam, quæ sibi fit nurus, debet emancipare filium. Et eadem ratione si uult adoptare aliquẽ, quem sibi esse generum cupit, debet emancipare filiam, ut habetur eo. can. Per adoptionẽ.

Sententia autoris.

Syluest.

Regula.

Cõcilium.

¶Si autem inuenirentur eiusmodi cognati matrimonium cõtraxisse, & facillimus non pateret ad Pont. Maximũ aditus, nõ omnino negarẽ, quí episcopus ordinarius posset dispensare. ¶Ad primum igitur argumentum negatur consequentia, quoniã sacerdos parœcialis aut episcopus docens aut prædicans non dicitur pater nisi per metaphoram, neque omnes subditi habitant cum illo in eadem domo. ¶Secundum uerò per primam conclusionem solutum est. Nam etsi cognatio hæc iure gentium & ciuili sit introducta: quod tamen sit matrimonij impedimentum ecclesiastica autoritas facit.

Dispensat.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

QVAESTIO TERTIA, DE *secundis nuptijs*.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm secundæ nuptiæ sint licitæ.

VÆstiuncula demum postrema, quæ nuptiarum tractatum concludit, est de secundis nuptijs. Quæritur ergo primùm, an secundæ nuptiæ adeò sint licitæ, ut sint etiam sacramentum. Et arguitur à parte negatiua. Primum autoritate Chrysost. super Matth. quæ citatur. 31. q. 1. can. Hac ratione. Vbi ait, secundas nuptias propter incontinentiam hominum esse permissas: nam secundum ueritatis rationem uerè fornicatio sunt. ¶Secundò. Si essent licitæ, essent uerum sacramentum: quòd autem secundæ nuptiæ non sint sacramentum uidetur inde probari, quòd bigamia tollit significationem coniunctionis unius Christi cum una ecclesia: item quia non adhibetur illic benedictio, saltem si mulier nupta fuerat.

Partis negatiuæ argu. 1. 2. Argum.

¶In contrarium est uerbum Apostoli. 1. ad Timoth. 5. in uiduarum instructione, Volo, inquit, iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario &c.

Pars affirmatiua.

¶Ad quæstionem, cui duo sunt obiecta argumenta duabus pariter conclusionibus respõdetur. Nouatiani enim & Cataphrygæ Montani discipuli secundas nuptias con-

Decisio articuli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

condemnabant fornicarias appellant, dicentes ob id Paulus eas permisisse, quòd nondum ad perfectum lumen, ut Montanus, peruenerat, ut Aug. lib. 1. de hæresib. c. 26. & 86. & Hieronymus super epistolam ad Titum. c. 1. & contra Iouinianum enarrant. Cuius quidem hæresis, Tertullianus fautor fuit & patronus: qua de re librum de monogamia hæreticum scripsit: ubi non quidem Paulum cõdemnauit, sed dixit, secũdas nuptias tanquàm minus malum permisisse.

1. Conclu. ¶Contra hos autem hæreticos statuitur prima conclusio. Secundæ nuptiæ sunt licitæ. Probatur ex illo Pauli ad Rom. 7. Quę sub uiro est mulier, uiuente uiro alligata est legi: si autem mortuus fuerit uir eius, soluta est à lege uiri. Et subdit. Igitur uiuente uiro uocabitur adultera si fuerit cũ alio uiro: si aũt mortuus fuerit uir eius, liberata est à lege uiri, ut non sit adultera si fuerit cũ alio uiro. Eadéq; uerba. 1. Cor. 7. repetit dicẽs: Mulier alligata est legi quanto tempore uir eius uiuit: quòd si dormierit uir eius, liberata est: cui autem uult nũbat, tantùm in Domino. Re uera hæc uerba non sunt permittentis tanquam minus malum secundas nuptias, sed tanquam minus bonum. Quoniam nubere in Domino idem est, quod nubere secundùm rationem & leges Domini, qui sacramentum instituit.

Tertullia. ¶Sed adducebat Tertullianus & aliam eiusdem Apostoli autoritatem eodem loco paulò priorem. Dico autem non nuptis & uiduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego, quòd si non continent, nubãt: melius est enim nubere quàm uri: ubi cùm nubere conferatur cum malo, quod est urere, uidetur non permitti nisi tanquam minus malum. At uerò si hæc argutia ullius esset uigoris, idẽ & de uirginibus concluderet dum primò nubunt: nam simul componit illic Paulus non nuptas (id est, quæ nunquam nupserunt) & uiduas, utriusque consulens ut non nubant: quare primæ nuptiæ condemnarentur tanquam minus malæ. Est ergo illa comparatio impropria (ut dicunt) qua minus bonum dicitur melius quàm malum.

¶Et loco superiùs citato ait, Volo iuniores uiduas nubere, ut nullam occasionem dent aduersario: ubi manifestè tanquam bonum permittit, tum quia ait, Volo, tum quia subdit causam, ne dent occasionem aduersario: hoc est, ut peccãtum caueant: quod certè non fieret si secundæ nuptiæ delictum essent.

Ratio conclusionis. ¶Sed accedit ratio plana ex fine matrimonij: nam contingere potest, ut primum matrimonium fuerit sterile, quare honestum tunc est aliud inire ad procreandos liberos. Et quanuis prius fuerit fructuosum, plures liberos procreare, non est nisi bonum matrimonij. Præterea quia matrimonium etiam institutum est in remedium: quapropter eis etiam uiduis, quæ steriles sunt, commodum est & honestũ, imò non nunquam consilium ad secundas commigrare nuptias: quod qui denegant, in eorum propendent hæresim, quos Apostolus 1. ad Timoth. 4. redarguit prohibentes nubere. De hac re Aug. lib. de bono uiduitatis & libr. 2. contra aduersarium legis: & super primam epistolam ad Corint. ca. 7. & Hier. ad Pammachium. 31. q. 1. ca. Aperiant. & can. Deus masculum. & can. Quod si dormierit. Chrysostomus Chrysost. autẽ loco citato noluit simpliciter secundas nuptias fornicationem appellare, sed causam illarum in nonnullis reprehendit: nam sine ulla causa secundas ac tertias nuptias cumulare uidetur non tam honestum finem habere, quàm ob nimium libidinis ardorem fieri, quem Chrysosto. per hyperbolem fornicationem appellauit. Ad idq; alludit Ambrosius super eũdem locum. 1. Corin. 7. ubi ait, quòd primæ nuptiæ secũdum Deum sunt institutæ, secundæ uerò sunt permissæ: uult enim quod cum primis parentibus institutæ fuerint nuptiæ tantùm illic primæ fuerunt designatæ, ubi uirgines copulantur, sed nihilominus & secundæ tanquam minus bonæ sunt permissæ. 2. Concl.

¶Secunda conclusio. Secundæ nuptię sunt uerum sacramentum: nam quantum ad rei subst antiam coniunctionem Christi cum ecclesia significat propter uinculi perpetuitatem, quod perinde in illis atque in primis exurgit, cum sit uerum matrimonium. Item quia illic quicquid est de essentia matrimonij reperitur. Quapropter pertale sacramentum confertur gratia, quod Sol. 2. arg. utique negare, error esset. ¶Respondetur ergo ad secundum argumentum: quod quanuis bigami non omnino significent coniunctionem unius Christi cum unaecclesia:

ecclesia: illa tamen significatio unius cum una non est de essentia sacramenti. Sed solum est, ut significet coniunctionem: & accidẽtarium est quod significet unitatem.

¶Quam ob rem bigami non arcentur à secundis & tertijs: sed à sacris ordinibus, in quibus utraque significatio ecclesiastico statuto requiritur. Et huc fortè illud pertinet uerbum Cæsarienſis concilij cano. De his, ubi prohibetur præsbyter secundis nuptijs interesse, maximè cùm præcipiatur secundis nuptijs pœnitentiam tribuere. Illic enim non simpliciter damnatur secundæ nuptiæ: sed uitio quodammodo datur frequenter uxores ducere & sæpius nubere: quia illud est nimiæ incontinentiæ indicium, & nonnunquam signum quòd uir cupidinẽ alteriùs uxoris insidietur suæ. Hactenus de matrimonio, atq; adeò de septem ecclesiæ sacramentis.

DISTINCTIO QVADRAGESIMATERTIA De resurrectione carnis.

Textus. Cap. 1.

SAcramentorũ meditatio iã expedita in alteram nos supremam mittit de carnis resurrectione, ad quam eorundem sacramentorum munere præparamur. Cũ enim summus opifex noster, non tantum nobis animã adeius imaginem immortali, cui eius sempiternam fœlicitatem impertiret, donauerit: uerum & corpus cuius membra in eius obsequium exhiberemus adiunxerit: congruentissimũ eius benignitati fuit, ut eadem nobis restitueret corpora in quibus ante eius tribunal sisteremur, ut referret unusquisque quemadmodum ait Apostolus, propria corporis prout gessit. Adde, quod cùm Protoplastum hominem eatenus propter originalem iustitiam immortalem condiderit, ut potuisset non mori, ad Christi iustitiã spectabat, ut quod beneficium per Adam perdidimus, per ipsum in altero seculo cumulatius recuperaremus. Vnde Apost. Christus (inquit) surrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam quidem per hominem mors: & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur. Et ad Thessal. Nolumus uos ignorare fratres de dormientibus sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credidimus quòd Jesus mortuus est & resurrexit: ita & Deus, eos qui dormierunt, per Jesum adducet cum eo. 1. Cori. 15. 1. Thess. 4.

Est

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cap. 2. *Est ergo nostræ resurrectionis author, Deus quidem, sed & per eius uirtutem Christus dominus, cui datum est iudicium facere. Eius itaque resurrectio quia caput nostrum est nostræ perinde existit exemplar, cuius instar debemus utique reuiuiscere, iuxta uerbum Pauli ad Philippen. 3. Saluatorẽ expectamus dominum nostrũ Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Descendet autem Dominus de cœlo, ut ad Thes. ait Apost. in iussu & in uoce Archangeli & in tuba Deo, quinuerò Christus ipse Matt. 24. Mittet, inquit, Angelos suos cum tuba & uoce magnà. At quanuis hæc nostra resurrectio, non sit utique naturalis, sed super naturam diuinitus celebranda: nihilominus natura nobis, nec pauca exhibuit, nec uerò obscura eius documenta, quæ Gregorius 14. moralium, atque alij sancti patres adnotarũt: lux enim quotidie quasi moriendo oculis subtrahitur, & rursus quasi resurgendo reuocatur, & arbusta uiriditatem amittunt, & rursus quasi resurgẽdo reparantur, & semina putrescẽdo moriuntur, & rursum germinando resurgunt. Quo alludens Apostolus, Corpus, inquit, nostrum seminatur in corruptione, surgit in incorruptione, &c.*

Gregor.

Cap. 3. ¶ *Fuit autem congruentissimum maximè tum naturalt rerum ordini, tum & nostræ ipsi resurrectioni, qua in uitã sempiternam instaurandi sumus, ut in suprema mundi die hoc celebraretur mysteriũ, quando cum cœlorum orbibus generationis series ac perinde lubrica hæc & caduca uita cessabit, alteraq; sempiterna sola permanebit. Unde Iob scio quod Redemptor meus uiuit & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & Matth. 15. Messis inquit Christus: hoc est, operũ fructus & merces cõsummatio seculi est. Fuit præterea & nobis operepretium, ut diem illam Christus*

Iob. 19

suam

suam celasset familiam, ut in prima secunda & tertia uigilia: hoc est, quocunq; momento diem illum instar furis timeremus, ac perinde attentis animis expectaremus: atque hic est sensus uerbi Domini. De die illa & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum nec filius hominis, sed solus pater, id est, nescit ut ulli pandat. Unde Apostolis id scisciantibus, respondit. Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. In momento ergo & ictu oculi ut Pa. mortui resurgent appetente aurora quæ nouissimã mundi noctem totumq; subinde tempus claudet.

Matth. 24. Marci 13.

Augustin. 1

Cap. 4. ¶ *Cæterum de illis quos dies illa uiuentes reperiet scisciatari inter Patres assolet, utrum morti occumbent, ut quasi per raptum protinus excitentur. Ansam verò dubitandi obtulit varia illius loci lectio. Omnes quidem resurgemus sed non omnes immutabimur. Quem quidem locum, ut ad Minerium, & Alexand. Hieronymus, plerique græcorum conuersim legunt: scilicet Non omnes resurgemus (seu non omnes dormiemus) sed omnes immutabimur. At uerò ut illi sancti Patres autores sunt, nostra translatio tum sacris oraculis & rationibus gratiùs arridet, tum & ecclesiæ plus placet. Quare uniuersos uerisimillimum est morte casuros, ut generalem mortis sententiam, qua uniuersi filij Adę ob eius pręuaricationem complicati sumus, omnes persoluant, iuxta uerbũ Pauli ad Hebræos. 9. Statutum est hominibus semel mori. Quocirca. 1. ad Thess. 4. ubi ait, Mortui qui in Christo sũt resurgent primi: Deinde nos qui uiuimus rapiemur obuiã Christo in aera, non negat uiuos passuros mortem, sed affirmat non prius uiuos rapiẽdos Christo obuiam quàm uniuersi resurgant.* Cap. 5. ¶ *Quinuerò quãdo alia de causa mors illos nõ eriperet: profectò ignis qui iudicem est antecessurus, eos quos uiuos occupauerit non*

 solùm

Genesis. 3. *solùm absumet: verum in cineres & pulueres prorsus resoluet, vt in vniuersum illa expleatur generalis sententia, terra es, & in terram ibis.*

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMATERTIÆ. Quæstio prima, De resurrectione carnis, & eius causis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm animam esse immortalem ratione sit naturali cognitum.

Partitio operis.

IN duas principes partes præsentem librũ in prima eius fronte partiti sumus: quarum priorem tractatio septem sacramentorum sibi uendicauit, eamque pro captu nostro hucusque disputando diduximus, & tãdem fauente Deo expediuimus. Posterior ergo, quam iam hinc eodem autore auspicamur, in tractatu de postrema carnis resurrectione, deque diuersa resurgentium sorte uersatur. Etenim cùm sacramenta, instrumenta salutis nostræ sint, ac subinde uia, qua sempiternam beatitudinem adimus: manca eorum consideratio maneret, nisi contemplatio finis ipsorum & termini: nempe, conditionis resurgentium, Quartum hunc sententiarum librum concluderet. Hactenus ergo in re morali uersati sumus, & plurimùm in sacrorum canonum expositione: quæ uerò modò sequitur disputatio speculatiua est, & in uisceribus Philosophiæ ac Theologiæ magis recondita. Est autem meditatio, quę nó minus uoluptatis affert, quàm fructus: nam mortuorum resurrectio, Christianorum fiducia est. In qua ergo contemplanda, & pro mortalium captu intelligenda labor insumitur, quo animus tum recreatur, tum inescatur, ut ad rem ipsam in præsentia contuendam auidiùs anhelet. Constitui ergo pro exilitate ingenij mei, si modò uires altissimus suppeditauerit, in præsentem speculationem intentioribus neruis incumbere: nępe, ut hæc particula minus indigna habeatur, quæ sit postremus comœdiæ nostræ actus. Vereor nanque (quod meus mihi præsagit animus) ne hæc, mearum sit lucubrationum futura postrema. Vtinam nos ergo hinc autor ipse resurrectionis Christus eo transuehat, ubi quæ hic per somnolentiam in ænigmate balbutimus, per suam illic misericordiam expergefacti in suo lumine uideamus. Tractatus ergo præsens qui per octo distinctiones est proferendus tripertitus est. In primis enim tribus de resurrectionis ueritate & modo deque animarum receptaculis & quæ pro illis offeruntur suffragijs disputabitur, & in tribus subsequentibus de finali iudicio. Nam duæ postremæ in explicanda tum fœlici agnorum beatitudine, tum & hœdorum miserando suppliciо uersabuntur.

Quare resurrectionis & beatitudinis tractatus subnectatur.

¶Ad rem igitur ut descendamus, quanuis intelligam exordium huius disputationis à resurrectione corporum sumendum fore, non tamen ante lineam rem auspicari mihi uideor. si unum uerbum de animæ immortalitate hic præmiserimus: quoniam cùm homo ex duabus partibus constet, anima & corpore, nisi animam esse immortalem supponamus, uana est de corporum resurrectione disputatio. Neque uerò quærimus, utrùm anima sit corruptibilis, quanuis sub hoc titulo S. Tho. 1. part. quæst. 75. artic. 6. rem disputauerit, sed utrùm hoc, quod ortodoxa fides de animæ immortalitate docet, ratione etiam naturali comprobetur. Nam etsi Christianæ religionis professoribus fides ipsa sufficiat, munus tamen Theologi est, ut ait Apostolus Petrus, rationem reddere eius, quæ in nobis est spei, ut ethnicis quoque & infidelibus respondeamus. Præsertim quòd cùm naturale lumen, ut ait Dauid, lumen sit uultus Dei, catholicos etiam delectare debet ea, quæ firma fide tenent, rationibus naturæ, quæ fidei ancilla est, elucidare. Adde quòd & inter Christianos non desunt, quibus hæretica super Aristotelem commenta non satis displiceant.

Primus articulus.

Quæstio deponitur.

¶Arguitur ergo, quòd anima sit mortalis.

Partis negatiuæ ar. primum.

lis. Primum ex illo Ecclesiastes. 3. Vnus est interitus hominis & iumentorum, & æqua utriusque conditio: cùm ergo brutorum animæ sint corruptibiles, fit ut sit etiam nostra mortalis. ¶Secundò arguitur ex illo Sapient. 2. Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam si non fuerimus. Cum ergo non solùm secundum corpus, uerùm & secundum animam simus ex nihilo conditi, fit ut secundum illam simus etiam in nihilum redigendi.

2. Arg.

3. Arg.

¶Tertiò arguitur ex Aristotele in prologo de anima. tex. 12. Naturam animæ ex propria eius operatione, quæ est intelligere, uenari decet: unde si intelligere non potest esse sine phantasmate, ut illic ait Philosophus, quod est res corporea, fit ut neque intellectus atque adeò nec anima sine corpore esse possit: intelligere autem non est sine phantasmate: quoniam necesse est intelligentem phantasmata speculari. 3. de aĩa textu. 39. ergo anima nequit esse sine corpore. ¶In contrarium est, q anima est substantia intellectualis, ut Dionysius. 4. de diuinis nominibus autor est, atque adeò habet substantialem uitam inconsumptibilem, ueluti angeli. ¶In hac quæstione supposita fide catholica de animæ immortalitate, rationes nonnullas à natura petitas eidem ueritati subnectere constituimus. Sed quia inter Aristotelis interpretes non solum quid rei ueritas habeat, uerùm quid Aristoteles hac de re senserit, disputatur: & nonnulli adeò sunt Aristotelis amantes, ut propter eius, quã opinantur autoritatem, nutantes sint: & quandoque in errorem impingant, hoc etiam obiter attingemus. ¶Tres ergo cõclusiones articulus præsens requirit. Prima. Animam esse immortalem firmissima eademq; certissima confessio est christianæ fidei, qua sublata tota spes nostra corruit. Hanc. n. sacram ueritatem ab ipso statim capite sacrorum nos biblia edocent. Fecit. n. Deus hominẽ ad imaginem & similitudinẽ suam, ut Gen. 1. legimus: imago autẽ & similitudo Dei in trinitate potentiarũ consistit, memoriæ. s. intellectus & uoluntatis, quib. in hoc prædíti sumus, ut eius diuinitate perpetuò frueremur: nõ enim nos alio fine & ꝓposito Deus creauit, q ut suam deitatem ad suã ipsius gloriã protenderet & amplificaret, eandẽq; perinde nobis diuinitatem in sempiterna

Pars affirmatiua.

Decisio articuli.

1. Conclu.

Ratio. 1.

fœlicitate communicaret. Quapropter qui mundum à Deo conditum consitentur, diffiteri nequeunt quominus Deum credant propter hominem eum fabricasse, hoiemq; propter se ipsum: nempe, ut ꝑ hæc uisibilia inuisibilia eius intellecta cõspiceret, & conspiciendo amaret: quod re uera nequiret, nisi anima eius immortalis esset, qua posset tãdem eius conspectu perfrui. Ea propter cùm reliqua animalia terra in animã uiuentem produxerit, iuxta illud. Producat terra aĩam uiuẽtem: & corpus hoĩs de terra deus plasmauerit, de anima legitur, quòd inspirauit in faciem eius spiraculum uitæ: quasi anima non esset digna, ceu quæ formarum corruptibilium produceretur, sed singulari modo crearetur diuino. Quam ob rẽ Ecclesiast. ult. scriptum est, Reuertatur puluis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad eum, qui dedit illum. Et psal. 145. Exibit spiritus eius & reuertetur in terram suã: nempe, in cælum, quod eius est patria.

Ratio. 2.

Genes. 1.

¶Secundò. Tota historia ueteris testamẽti palam animorum immortalitatem certissima fide prædicat, Quorsum enim tanta ratio, quantam Deus illorum mortaliũ habuit, nisi homines cum ipso essent perpetuò uicturi? Quorsum inquam, eiectio Adæ de paradiso inundatioq; diluuij, quam acriter mũdi crimina ultus est Deus? Quorsum Abrahæ separatio ã Babylonica iniquitate, & eius circuncisio, & angelorum ad eum missio, & tam immensa beneficia Israelitico populo impensa, & tantus legum latarum ordo, & sacrificiorum institutio, nisi per hæc gentem illam ad fructum capessendum supracælestis fœlicitatis erudiret, & instituẽdo perduceret? Et super omnia quorsum Messiæ promissio ad benedicendas oẽs gentes, cuius aduentũ tanto cũ desiderio illi præstolabantur mortales, qui eos redimeret? Quare moriẽtes ĩ infernũ descẽdere fatebãt, ubi aduẽrũ eius expectabãt? Nimirũ postulantes, ut cæli desup rorates iustũ pluerẽt, & aperta terra germinaret saluatorẽ, q eos æterna fœlicitate donaret. Esa. 45. Vnde Dauid psal. 15. Nõ derelinques aĩã meã ĩ inferno, nec dabis sanctũ tuũ uidere corruptionẽ. Et Tobię. 12. Misericordia est, q̃ facit inuenire uitã æternã. Et Ecc. 14. Qui elucidãt me, uitã æternã habebunt. ¶Sed ut uetera illa mittamus, inde inenarra-

Argu. ab historia legis ueteris

3. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bilia suppliciorum genera demerétur qui de animæ immortalitate vllo pacto ambigunt, quòd ineffabile beneficium humanitatis & mortis Christi non agnoscũt. Quę enim causa eum de cælo potuit ad nos deducere, relictis ibidem nonaginta nouem milibus, innumeris scilicet angelorum turmis, nisi ut centesimã: nępe, humanum genus redemptum illuc deportaret, quod eorum, qui ceciderant angelorum ruinas impleret? Quocirca initiũ prædicationis suæ illud sumpsit, ut oẽs pœnitentiã agerent, quia appropinquabat regnum cælorum.

Esaiæ. 22. Et aduersus illos, qui aliam uitam ignorãtes apud Esaiam. 22. dicebãt, Comedamus & bibamus: cras. n. moriemur: quorũ quidã, ut ait. i. Ethic. Philosophus, in uoluptatibus huius uitæ, atq; alij in diuitiis fœlicitatẽ collocabãt, & qui elegantiores erãt in honoribus: tres illas sectas in capite legis suæ condẽnans, ait, Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cęlorum.

Matth. 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: scilicet, inter spiritus cælestes. Atq; adeò totam suam concionandi ratiõẽ ad uitam æternam retulit, quam mãdata seruantibus pollicitus est Matth. 16. Et

Matth. 16. rursus, hæc est, inquit, uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Et alios monebat, ut de mammona iniquitatis amicos facerent, qui eos reciperent in æterna taber-

Matth. 17. Matth. 10. nacula, Matth. 17. Ac deinde alios Matth. 10. ne timerent eos, qui corpora possunt, non autem animas occidere: ubi docebat, quòd non alia animam mors maneret, qui quæ est in inferno. Demum finale iudiciũ ob oculos repræsentans alios mittit in uitam æternam, atq; alios in supplicium æternum Matth. 25. Igitur ueritas hæc im-

Matth. 25. Articulus fidei. mortalitatis animæ non solum catholica fides est, uerum & articulus fidei: uidelicet, nõ ob id dũtaxat fides orthodoxa est, quòd in conci. Vienensi sub Clemente, & in conci. 3. Lateranẽ. sub Leone sessione 8. definita est, uerum quòd in sacra pagina sit creberrimè expressã & à Christo ipso in euangelio prolata. Imò usq; adeò est de fide, ut inter articulos, qui uniuersis Christianis sunt creditu necessarii, sit consultò relata. Sic enim symbolum concludimus, Credo carnis resurrectionem & uitam æternam. Quæ re uera absq; animæ immortalitate obtineri nequit. ¶ Secunda con-

2. Concl. clusio. Animam esse immortalem lumine naturali ubi nulla obducĩ caligine, notum est. In primis Plato in Phedro de pulchro, animæ immortalitatem disertè persuasit, imò ne singulos referamus, omnes tam Historici, quàm Poetæ, ut Virgilius, Ouidius & reliqui de campis Elysijs longas texuerunt historias, ubi beatorum animas spaciari fabulantur. Et inde Ethnicorum error emanauit, qui defunctos heroas ĩ Deorum numerum referebãt, mosq; ortus est defunctis parentandi, iustosq; honores deferendi. Vnde antiqui animam à corpore

Rõ prima. separatam Manem Deum nuncupabant. Sed hæc uulgatissima sunt. ¶ Igitur quo ab ipsa animorum natura priores rationes eruantur, hæc prima est. Anima est substantia simplex: nempe, simplex forma substantialis, & per se subsistens: ergo nullatenus est corruptibilis, neque aliter quã quemadmodum angelus, per solam annihilationem potens deficere. Probatur assumptum. Quòd enim sit simplex forma: hoc est, non cõposita, eademq; substantia, nemo est Philosophorum, qui non planè fateatur: est quippe forma & actus corporis, quæ dat homini esse hominem. Nam prisci Philosophi (ut Pythagoras & subin de Plato) qui animam non ut formam inesse corpori arbitrati sunt, sed ut motorem adesse, meritissimò sunt ab scholis explosi. Aduersus quorum errorem Arist. 2. de anima planè demonstrauit, esse formã actumque corporis: forma autem, quæ dat esse substantiale, nequit esse nisi substantia. Item si est forma, necesse est, ut sit simplex: hoc enim omnibus formis cõmune est: compositum nanq; nequit alteri adhęrere tanquàm forma: quoniam ratio formæ est dare esse composito atque adeò esse actum: actus uerò debet esse à materia purus. Vnde Aristot. 2. de anima Aristo. tex. 4. Anima, inquit, est substantia ac per inde forma corporis naturalis.

¶ Quòd autem sit per se subsistens: hoc Anima per se subsistit. est, à corpore non dependens, ut brutorum animæ, ex eius propria operatione, quæ est intelligere, uenamur. Nam cum esse rei sit propter eius operationem, qualem modum operandi in re cognoscimus, talem habere modum essendi colligimus. Habet autẽ anima quasdã operationes, & passiones, ut sentire, & aliis cor-

corporis passionibus affici: scilicet, ira, delectatione &c. & has quidẽ palam est, non posse absque corpore exercere & pati: intelligere autem ac subinde amare per se absque corpore potest. Id quod Aris. 3. de anima tex. 4. & infra sic peracutè probat. Anima intelligit uniuersa corpora, ut notissimum est: ergo nulli est corpori mista.

A similli. Eodem enim pacto probat, usum nullo esse colore affectum, quia omnes percipit colores. Enimuerò quemadmodũ lingua amaro humore imbuta non ualet alios sapores gustare, ita si oculus colore aliquo esset immistus, per illum impediretur, ne posset alios colores uidere. Eadem ergo analogia si intellectus cum aliquo esset corpore commixtus, per illud impediretur, ne alia posset percipere corpora: cum ergo omnia intelligat, nullum habet admixtum. Si ergo in se non est corporeus, per se potest absque corpore existere.

Obiectio. ¶ Quòd si arguas. Saltem indiget corporeo organo ad intelligendum: nempe, phãtasia: respondetur, neque tali organo quãtum est de se indigere: nam pari modo si in aliquo uitro rubeo aquam liquidam in fundas, ipsa aqua apparet rubea, cuius utique & ex radio solari per uitrinam traducto experimentum sumitur. Quapropter si ratione sua tali corporeo organo indigeret, quo species reciperet, similiter in aliorum corporum intellectione impediretur. At uerò per accidens: hoc est, quan-

Anima organo corporeo non indiget. diu anima est actus & forma corporis, nõ queunt materiales res intellectui tanquã obiectum applicari ad intelligendum, nisi per phantasmata: ueruntamen neque ipsa phantasmata intelligere ualet, nisi ab ipsis uirtus intellectus agentis abstrahat species à corporeis conditionibus denudatas & purificatas, quibus intellectus possibilis informatus notitiam intellectiuam producat. Et hoc est argumentum, quòd quantum sua fert natura, organo corporeo non indiget. Si ergo modus operandi intellectui proprius à corpore non pẽdet, sit ut nec modus essendi animæ, cuius potentia ipse est, à corpore depẽdeat, sed natura sua per se subsistere possit, ut angelus. ¶ Ex his ergo planum sumitur argumentum, ut ait D. Thom. 1. piq. 75. articu. 6. non esse animam corruptibilem.

Corruptio rei bifariã accidit. Rem enim quamlibet corrumpi bifariam contingit, scilicet, per se, & per accidens. Id autem corrumpitur per accidens, quod non corrumpitur nisi ad corruptionem alterius: & per se quod corrumpitur ratione sui: quemadmodum equus corrumpitur per se, sed sua forma substantialis per accidens ad corruptionem equi. Quod autem habet per se esse subsistens nõ potest corrumpi per accidens: nam cum esse sit illud, quod per generationem acquiritur, & per corruptionem deperditur, fit ut nec generetur ad generationem alterius, neque ad corruptionem alterius corrumpatur. Hæc ergo est differentia inter animam nostram & brutorum aliorumque corporum formas: quòd reliquæ cũm educantur de potentia materiæ, non gener. n tur, sed congenerantur ad generationem suppositi, & pariter corrumpuntur ad corruptionem illius: anima uerò nostra non gignitur ad generationem hominis, sed creatur, quia non educitur de potentia materiæ, ut Aristo. in 1 b. 2. de generatio. animalium cap. 3. autor est, ubi ait, mentem extrinsecus aduenire, & esse diuinam. De qua autoritate iterum redibit sermo. Anima ergo quoties homo gignitur in embrione dispositio diuinitus creatur & infunditur. Hac ergo ratione non corrumpitur per accidens ad corruptionem hominis, sed eodem generali concursu dei, quo sustentatur in corpore, sustentatur separata. ¶ Neque uero est per se corruptibilis: rem enim corrumpi, est materiam à forma separari: eo quòd forma est per se actus, quæ adueniens materiæ dat esse cõposito: in forma autem, quæ simplex substantia est, non potest forma à materia separari, ut in angelo patet, quia non sunt res duæ imo forma ipsa per se habet ut sit actus, & ideo esse suum non ualet ab illa semoueri: nam quod rei per se conuenit, non est ab ea separabile, ut esse rationale non est ab homine amouibile: fit ergo ut anima, quemadmodum angelus, non sit pnaturam corruptibilis, sed per solam annihilationẽ potest supranaturaliter esse desinere. ¶ Imò quanuis anima fingeretur esse cõposita, nequiret corrumpi: generationes. n. & corruptiones nõ fiunt nisi per contraria, ut patet in calido & frigido: in anima uerò non recipiuntur cõtraria corruptiua, sed cõtrariorũ species spũales: ob idq;, ut ait Aristo. contrariorum eadem est scientia, eadem. n. medicina & sanum cognoscitur

Differentia animæ nostræ & brutorum.

Li. 2. de gener. aial.

Corrumpirem quid.

Anima in corruptibilis.

gnoscitur & ægrũ:cùm ergo aĩa & angelus non habeant in se contrarias qualitates,fit ut neq; illis cõtraria immineãt agẽtia,quib.corrũpantur,neq; materiam habeant,quæ sit in potẽtia ad alias formas: nã neq; cœlũ talẽ materiã cõtinet. Atq; hinc alia sumitur rõ.Omne.n. corrũpens id quod corrũpit in se ipsũ conuertit, ut ignis ex stupa generat ignẽ:ex angelo uerò,& ex aĩa nihil aliud gigni põt:nõ ergo sunt per se corruptibiles. Sũt quidẽ rõnes istæ metaphysicæ,efficaces tamen,atq; adeò solæ,quib.à priori animæ immortalitas colligitur. ¶Sunt tamẽ aliæ ab effectu collectę,magis plausibiles,si earũ uim & energiã perpendamus. Intellectus.n. natura quadã immaterialitatẽ & spiritualitatẽ palã præ se fert.Experimur.n. neq; loco neq; tẽpore,quæ materiales sunt cõditiones,coerceri,sed subitò quæ quocunq; loco sunt & quocunq; tẽpore fuerint percipere:cogitat nanq; nunc subitò nõ solũ præsentia,sed præterita & futura, & quæ ab æterno fuere & quæ in æternum futura sunt. Item & quæ hic existunt,& quæ ubiq; orbis,& quæ supra cœlũ eminent,& quę sub terra latent. Quin imò & á materialib.& à singularib. abstrahit uniuersalia,ut species rerũ & genera de repente speculetur,& rerũ naturas usq; ad earũ prima principia penetret: quæ omnia profectò apertum documentũ perhibent esse instar spũum cælestiũ rem spiritualẽ,atq; adeò sicut ipsi sunt,perpetuam. Idemq; & memoria, quæ fida apotheca tanti thesauri existit, similiter prædicat. ¶Quòd si uoluntatis amplitudinẽ contẽplemur,idẽ profectò nos planè admonet. Primum eius æquilibris libertatis facultas,quæ à nulla re necessitatẽ patitur, sed quibuscunq; oblatis in particulari seu bonis seu malis sic est ab omnibus exempta, ut possit alterutrum,ut libuerit, eligere, ostendit à nullis reb. præterquam à Deo pendere,atq; adeò esse ceu eius perpetuã imaginẽ,¶Adde quòd unaquæque res sic esse appetit,ut esse sibi suapte natura conuenit:desideria autem hominis pleraque sunt perpetua:nemo.n.est, si ingenio ualeat, qui nõ anxiè cupiat in memorijs hominũ perpetuò permanere. Qua utiq; rõne & parẽtes filijs thesaurizant,ædificant & plantant:& qui sapientia præstant,suorum specimen ingeniorum relinquunt, suarumq; monimenta literarum.Et duces & principes egregia facinora intentant. Quis ergo mentis compos non planè hic uideat animam consumpto corpore superstitẽ esse & ad posteros pertinere? ¶Sed aliud ex eius inquietudine elicitur inelutabile argumentum. Constat siquidem quacunq; rei præsentis uitæ potiamur, nulla nos satiari,sed ubi una fuerimus repotiti,aliud inde desiderium nobis succrescere,semperq; adeò in futurum esse pendulos:quodquidem humanum ingenium Ecclesiastes cõtemplatus prothema illud suæ concionis assumpsit, Vanitas uanitatum & omnia uanitas. Dixi in corde meo Vadam & affluam delitijs & fruar bonis, & magnificaui opera mea, ædificaui domos,& plantaui uineas, possedi seruos & ancillas,& coaceruaui mihi argentum, & aurum,& omnia,quæ desideraueruntoculi mei,non negaui eis,& uidi in omnibus uanitatem & afflictionem animi. Transiui ad contemplandam sapiẽtiam: quid est enim homo,ut sequi possit regem factorem suum?Quasi dicat,in his omnib.nulla inuenitur requies,sed natura ipsa ad alia nos sẽper inducit,quæ ipsa nobis præstare sine diuino auxilio nequit,iuxta uerbum Augustꝰ.Feciſti nos domine ad te, & inquietũ est cor nr̃m donec perueniat ad te.Re uera qui in hac insatiabili desiderio rũ perpetuitate immortalitatẽ aĩæ nõ legit,talpa cæcior est. ¶Sed age,ré aliter cõtemplemur,Quãdo nulla nobis alia ratio in hac re famularetur,hæc satis esset.Etenim qui de aĩæ immortalitate ullo pacto ambigũt,oẽm puidentiam & curam ergа nos Dei,oẽmq; subinde amorẽ & cultum ipsius nr̃m,omneq; inter nos& ipsum cõmerciũ,imò oẽ fœdus,& charitatẽ & fidẽ qua inter nos mortales cõglutinamur, de medio tollunt: nã si aĩa immortalis nõ est certè nullã deus nr̃i curã gerit,uel nõ maiorem quàm brutorũ animantium.fut in diẽ nobis caduca hæc terrena prouideat, quæ in continuo sunt fluxu & lapsu.At ue rò si altiora ab ipso non speraremus, neq; spem haberemus eius nos conspectu aliquando fruituros, ut tanquàm amicos ad suam nos fœlicitatẽ admitteret, profectò legitimum erga eum amorẽ nequiremus habere,neq; uerò timorẽ aut obedientiã ullam: amore uerò Dei de genere humano sublato, nulla fieret reliqua inter mortales

Rationes aliæ ab effectis.

Intellectus.

Memoria.

Voluntas.

Liberum arbitrium

Rõ alia.

Alia ratio.

Eccleſia.

Auguſt.

Ratio optima.

mortales charitas,atq; adeò,neq; fœdus, neque fides neque iustitiæ aut amicitiæ iura consisterent:nam qui homines propter Deum non diligit, nequit eos firma fide diligere.

Alia ratio. ¶Præterea si ut isti uolunt nulla nobis essent aut præmia aut supplicia æterna proposita, sed hæc lubrica caducaque bona, quæ perinde iniquis & reprobis atque iustis & probis,imò quàm sæpissimè illis fœliciùs quàm istis obueniunt: atq; illa supplicia:nempe,calamitates, quæ uiris egregiè bonis acerbius ingruere solent ,quàm perditis & corruptis: profecto nulla esset apud deum iustitiæ æquitas. Vnde Dauid Psal.72. Psal.72.Zelaui, inquit super iniquos pacẽ peccatorum uidens, in labore hominum non sunt,& cum hominibus non flagellabuntur,ideo tenuit eos superbia,ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias:& dixi,ergo sine causa iustificaui cor meum, & fui flagellatus tota die. Existimabam ut cognoscerem, hoc labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum. Si ergo nouissima mors nõ mitteret alios 1.Cor.15. in præmia æterna,atq; alios in supplicia, sed in hac uita tãtùm,ut ait Paul. in Christo sperantes essemus, miserabiliores essemus omnibus hominibus.

¶Imò uerò ut appareat,quò se præcipitẽt qui aduersus immortalitatem animæ obmurmurant,re uera nulla in nobis tunc esset ratio aut uirtutis aut delicti: nam uirtus non est nisi propter obedientiam Dei, quæ officia iubet,neq; delictum propriè, nisi quia est contra eius obedientiam.

¶Enimuerò: qui in officijs non aliam uirtutis rationem agnoscit,quàm quod sit rationi iuriq; naturali consentaneum profectò altissimam uirtutis normam ignorat: nam præterquàm quòd multa sunt nobis præter naturam iussa (ut sacramentorum fideiq; religio)præcepta ipsa iuris naturæ ex sempiterna dei lege conditoris naturæ deriuantur: quod qui ignorat,non est lumine naturali satis affulsus. Ratio ergo uirtutis etiam naturalis à deo legislatore dimanat. Quis ergo non clarè intelligat: quos Deus legibus instituit,suumq; ipsius amorem colere iussit,eosdem in suã æternam fœlicitatem receptum ire, ubi eorum coronet obsequia,quæ per suum ipsius fauorem ei exhibuerũt? Ac perinde eos, qui eius leges trãsgressi sempiternam eius uolũtatem uiolarunt, in sempiternas cruces missurum? Innumera sunt eiusmodi documenta, quibus qui animæ æternitatem in litem uocant,obtunduntur.

¶Tertia conclusio. Aĩam esse immortalẽ Aristoteles cognouit. Hac conclusionem subiecerim,non quòd Christianis tãti nos se referat, quid de hoc senserit Philosophus, sed quia sunt qui pp eundem perperam intellectum de hac catholica ueritate uacillent. Et in primis. 3. de aĩa tex. 5. planè affirmat,intellectum possibilem im misturn esse corpori, propterea quòd per ipsum uniuersa intelligimus corpora:si.n. corporis alicuius misturam haberet per il lud impediretur,ne alia posset intelligere corpora,ut iam satis expositũ est. Atq; in de rursus optimè elicuit,esse separatũ:hoc est,non dependere à corpore in sua subsistentia, atq; adeò esse immortalem & perpetuum.Et tex.sudinde.19.& 20.idẽ prorsus de intellectu agenti adstruit:nẽpe,esse immistum & separatum. Cùm ergo intellectus uterq; potentia si aĩæ,fit ut aĩa ipsa immortalis sit quoq; & perpetua:nã potẽtia aĩæ habere nequit esse firmius q̃ aĩa ipsa, quæ cùm sit suarum potentiarũ subiectum,eas sustinet. Q̃nquidem ut in prædicamentis.c.5.ait idem Philosophus, non subsistentib.subst antijs non possunt accidentia,q̃ eis insunt,existere. ¶At cõmentator Auerrois locis illis crucem nõnullis interpretib. Aristot.opposuit,sic ipsum interpretatus,quòd non uoluerit,intellectum esse aĩæ accidens & potentiam, sed substantiam per se re ipsa separatã & subsistentẽ, unumq; subinde numero in oĩb. hoĩb.qui nõ inest eis ut forma, sed prçest ut motor,qui idcirco mortuo hoĩe non extinguitur,neq; alio nascente oritur,sed ueluti idæa permanens succedendo desinit in alijs esse, in alijsq; existere incipit. Et cũ Aristot. 2. de anima ex professo docuerit aĩam esse actum corporis: nempe, formã ei inhærentem,ipsumq; uiuificantem, tantum intulit discriminis inter aĩam & intellectum, ut aĩam diceret mortalem esse cũ homine, intellectũ aũ perpetuò persistere. ¶Sed profectò si hanc mihi ueniam illi,qui eum secuti sunt, darent,nihil cunctarer delirã phrenesim potius quàm opinionẽ appellare,neq; recitatione dignã: tantum abest ut in mentem hoĩum cadat,

3.Conclu.

Intellectus agens & possib. potẽtia est animæ.

Auerrois cõmentũ.

2. De anima.

Sententia autoris.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illam alicui, qui ingenio ualeat, obtrudere, aut suadere tam siniſtram fuiſſe Ariſtotelis mentem. Facit enim hæc opinio intellectum inſtar Dei exiſtere in rebus, quibus non eſt: quod profectò diuinam quandam infinitatis imaginé præ ſe fert. Deus nanque ob id quòd eſt infinita ſubſtantia omnia uirtute continens, in cunctis rebus exiſtit, per eſſentiam, præſentiam & potentiam, nec cum intereuntibus interit, neque cum orientibus oritur: quod alicui creaturæ tribuere (dicam iterum) dementia eſt. Id quod lumen ipſum naturale præterquàm cæcis hominibus liquidò monſtrare poteſt. Plato quidé, ut D. Th. 1. part. q. 76. art. 1. & lib. 2. contra gẽtes. c. 57. refert, non negabat intellectum eſſe animæ potentiam, ſed tamen ſuarum dogmate Idærum ſeparatarum aſſuetus aiebat, animam ipſam non ineſſe corpori tãquàm formam, ſed adeſſe tanquàm eius motricem, ut intelligentiæ mouent cælum. Quam utique opinio. latè proſequitur Plotinus lib. de immorta. animæ, atq; alij Platonici.

Plato.

Plotinus.

Cõmentatoris opinio cõuincitur.

¶Veruntamen ut platonicis omiſſis ad Ariſtotelem reuertamur, planè commentatori aduerſatur. Primum in ipſo ſtatim introitu cod. tex. 5. ubi ait, De animæ autem ea parte, qua cognoſcit atq; cupit ſiue ſit ſeparabilis, ſiue nõ, conſiderandum eſt. Vbi apertè intellectum poſſibilem appellat partem potentialem animę. Et tex. 17. & 18. ſubdit, intellectum agentẽ & poſſibilem exiſtere in anima tanquàm efficiẽtem & materiam. Quare nunquàm uir ille egregiè Philoſophus ſomniauit, intellectum rem eſſe ſubſiſtentem ab anima ſeiunctum.

Ratio.

¶Et ratio profectò id palam facit, eadem que ex manifeſto eiuſdẽ Ariſtotelis principio profecta. Supponit enim. 1. de anima text. 64. actiones non eſſe naturarũ in abſtracto aut partium, ſed ſuppoſitorum: anima enim non dicitur texere, aut ædificare, ſed homo: & eodẽ modo intellectus non intelligit, ſed homo peripſum, uel anima, præſertim ſeparata. Igitur ſi anima, quæ eſt actus corporis, non haberet in ſe ipſa principia & potentias, quib. ſuas operationes cõpleret, eſſe homo à natura deſtitutus: cũ igitur intelligere ſit hoîs operatio, eademq; potiſſima, neceſſe eſt in ipſo exiſtere potentias ad intelligendũ ſufficientes. ¶Et quoniam hic eſt ſtatus litis, quidnam Ariſtot. de immortalitate animæ ſenſerit (nam ſi intellectus potentia animæ ſit, cùm dicat eum eſſe perpetuum ſit ut & anima ipſa ſit etiam perpetua) nõ moleſtè Theologus ferat hanc meditari philoſophiam. Arguitur ergo quòd intellectus hoîs ſit animæ potentia, eidemq; inſeparabilis: appellat. n. ibidem intellectu agentem Philoſophus habitum & lumen: & certè nomen habitus inhærentem formam per modum permanentis ſignificat: ſed dicitur lumen, quia ſpecies phantaſiæ illuſtrat, ut ſint intelligibiles, ſicut lumen ſenſibile facit colores uiſibiles: etenim quia potentia nihil cognoſcere ualet niſi per ſpecies obiecti: & phantaſmata ſumpta à ſingularibus corporibus ſunt materialia, intellectus uerò immaterialis, neceſſaria fuit animæ uirtus, quæ eaſdẽ ſpecies à conditionibus materialibus denudaret, quæ perinde uirtus intellectus agẽs nuncupatur. Et certè alius non eſt modus cogitabilis, quàm quòd mediantib. phantaſmatibus producit ſpecies immateriales & intelligibiles in intellectu poſſibili, qui illis informatus producit notitiam. Hinc ergo palam ſit ambos intellectus eſſe potentias animæ.

Status litis.

Intellectus animæ potentiæ.

¶Et re uera quanuis intellectum agentem aliquo, licèt tenuiſſimo, colore effingi poſſit ſeparatum, de poſſibili tamen nullo pacto ſuſpicari potuit. Intellectus, inquam, agens, quia eſt ceu motor, potuit alicui apparere eſſe ſeparatum, ut eſt intelligentia orbis. Qua quidem opinione Auicenna & Alexander Aphrodiſæus imbuti fuiſſe uidentur. Et Caieta. ſuper tex. 17. 3. de anima, legitima S. Tho. expoſitione poſthabita, eandem opinionem conatur Ariſtoteli impingere. Sed malè: quoniam intellectus non mouet localiter corpus, ut angelus illud mouere poteſt, ſed abſtrahendo, ut diximus, à phantaſmatib. ſpecies intelligibiles, quas infundit intellectui poſſibili: & ideo neceſſe eſt animæ intelligenti eſſe cõiũctũ. ¶At uerò de intellectu poſſibili nulla eſt prorſus rõnis apparẽtia, ut ponatur ſeparatus, nam Ariſtot. appellat illum, id quo anima ſapit, & intelligit, quemadmodũ uiſus eſt, quo uidet, & auditus, quo audit: principium autem, quo, formaliter eſt in agẽte, præſertim cùm intelligere, ut 3. de anima text. 2. & 12. ait Philoſophus, ſit

Auicenna.

Caietanus

Intellectus poſſibilis nulla tenus eſt separatus.

ſit quoddam pati, & actio permanens in agente. Vnde cum expreſsè Philoſophus dicat, intellectum poſſibilem eſſe immixtum & perpetuum, idipſum & de anima sẽtire profitetur. Attamen commentator utrunque intellectum uidetur ſeparatum poſuiſſe: nam 3. de anima tex. 5. expreſsè id de poſſibili affirmat: in quo ſenſu impugnat eum D. Tho. 1. parte. q. 76. art. 1. Et de intellectu agente id etiam expreſsiùs ſubiungit ſuper tex. 19. ubi diſtinctionem inter ambos intellectus conſtituit. Neſcio ergo cur Commentator quibuſdã tantum negotij faceſſerit, ut eum ſuſtinere contendant, & Ariſtoteli Philoſophorum principi inurere hanc notam pergãt, quod animam mortalem contra Platonẽ & omnes, qui Philoſophorum nomine digni extiterunt, aſſeruerit. Fateor tamen aliud Ariſtotelis placitum, qui mundum ab æterno fuiſſe credidit, rem feciſſe apud ipſum difficilem: fit enim inde conſequẽs infinitas animas eſſe productas, quæ ſi ſimul perſiſtant, infinitæ ſunt actu, quod uetitati, quam ipſe. 3. Phyſicor. docuit, contrarium eſt. At uerò faciliùs inde colligitur, in eo falſum fuiſſe, quòd mundum potuit ab æterno, cuius urgentiora argumenta. 8. Phyſicorum ſcripſimus, quàm quòd animas poſuerit mortales. Multa enim ſunt naturalia, quæ lumine naturali abſq; fidei illuſtratione plenè attingi nequeũt. Quapropter non ſolum de mundi æterni tate, qui initio caruerit, ſua fuit opinione ſeductus, uerum & de animarum creatione, nihil firmum, ſed nutando & uacillando ſcripſit. Merito ergo Clemẽ. Firmiter. de ſumma trini. & fide catholi. tanq̃ uarietatem ex ſacra pagina planè deductam explicans, eos condemnat, qui dicerent, intellectũ & aĩam non ineſſe corpori tanq̃ formam, aut non ineſſe ſingulis corporib. ſingulas aĩas, aut non eſſe immortales. Idẽq; in conci. Lateranenſi. 3. ſeſſione. 8.

Commentator impugnatur.

Nota.

Clem. Firmiter. de ſumma trini. & fide catholi.

Commentum Auerroiſ bifariam errat

¶Duo autem ſunt, quæ Cõmẽtator apud Ariſtotelẽ intelligere renuit. Primũ, quòd cum naturã animæ ab effectu per eius operationes Ariſtoteles ubiq; uenari pergat: & aĩa perpetuitatẽ non habeat rõne ſpecierũ ſenſibiliũ & affectionũ, quę à corpore pẽdẽt, ſed ſolùm rõne intellectionũ, quæ ſunt res immateriales, nõ dixit planè aĩam eſſe perpetuã & immortalẽ, & immixtã, ſed intellectũ & mentẽ, per cuius operationem conſtat animam eſſe perpetuam. Itaq; tantundem eſt, intellectum eſſe perpetuum, acſi diceretur, animam, quatenus intellectiua eſt, eſſe perpetuã. ¶Aliud item apud Ariſtotelem familiare eſt, quòd ubi ait, intellectum aut mentem eſſe ſeparatam, non intelligit actu tunc nulli inhærere, ſed quantum eſt de natura ſua eſſe per ſe ſubſiſtentem: quod eſt dicere, per ſe natura ſua per ſolum generalem Dei concurſum poſſe ſubſiſtere extra corpus, perinde atque in corpore: Angelus ſiquidem & anima ſic differunt, quòd ille eſt ſubſtantia ſpiritualis per ſe perfectè ſubſiſtens, adeò, ut neque ulli corpori poſſit tanquàm actus & forma inhærere, ſed mouere corpus: anima uerò non uſque adeò perfectè, quin ſit etiam actus & forma corporis, quo nihilominus conſumpto perſiſtit. ¶Atqui & in hoc præterea Commentator, ſi conſultò errare noluit, hallucinatus eſt, quòd quanuis illic Philoſophus non aſſeruiſſet, niſi intellectum eſſe perpetuum, non tamen ex illa affirmatiua inferre debuiſſet negatiuam: ſ. animam non eſſe perpetuam. Nam aliunde præterea eandem animæ immortalitatem potuiſſet colligere: nempe, ex eo, quòd eſt ſubſtantia ſpiritualis: inde. n. ut ſupra monſtratũ eſt, elicere debuiſſet, à corpore non eſſe pendentem, ſed per ſe ſubſiſtentẽ atq; adeò incorruptibilẽ: ueluti eſt Angelus: ſed quia creationem eius ignorauit, nil mirum, ſi etiam in errorem immortalitatis eius fuerit collapſus. Veritatem autem hanc immortalitatis animæ prætẽrquàm in locis citatis Philoſ. lib. 2. de generatio. animal. c. 3. planè affirmat dicens, mentẽ extrinſecus aduenire: & eſſe diuinam. Enimuerò mens pars animæ intellectiua eſt: & quanuis intellectus agens ſpecies faciat intelligibiles, poſſibilis tamẽ eſt, quo homo intelligit: quapropter mens utrunque intellectũ amplectitur: atq; adeò illo noîe aĩam intellexit, quã dixit extrinſecus aduenire ea rõne, qua mẽs erat. Et q̃ hic fuerit eius ſenſus inde conſtat, q̃ illic de alijs formis ſubſtantialib. ſermonẽ habebat, quæ de potẽtia materiæ educunt: & illa rõne exceptionẽ fecit de aĩa, quæ eſt forma & pars hoîs: nã de intellectu agente, ſi, ut ait Cõmentator, nõ eſt forma hoîs, nõ opus erat exceptionẽ facere. Imò uerbum ipſum, extrinſecus aduenire, animam

Nota.

Differentia inter angelum & animã.

Alia commentatoris halluci natio.

Li. 2. de generа. aĩal. capitul. 3. Mens.

Senſus Ariſto.

mam denotat. Nam intellectus, secundū opinionem Commentatoris, cùm non sit forma, sed semper unicus immobilis, & per se existens, non pōt dici aduenire nec recedere, sed potiùs hoīes dum generātur dicendi sunt ei aduenire: quippe quib. tanquàm instrumentis utitur. ¶ Eadem ueritas constat ex eodem Philoso. eo. 2. de aīa tex. 11. ubi ait, nihil prohibere quasdā partes aīæ à corpore separari, ubi non solū intellectum agentem sed possibilē insinuat, quos appellat partes aīæ: & li. 3. tex. 4. ēt docet esse immateriales: nā si intellectus, inquit, esset calidus, aut frigidus, impediretur, ne alia posset corpora intelligere, quē quidem intellectum asserit esse aīæ potentiam. Item. 1. de aīa tex. 92. negat eidē intellectui possibili aliquam cōpetere partem aut mistionem corporis. Et lib. 2. tex. 21. ait, contemplatiuam potentiam (quo noīe ēt intellectus possibilis includitur) perpetuam esse, & ab eo quod accidit: hoc est, quod corrumpitur, esse quid separatū & seiunctum. Idemq; ait. 12. Metaph. tex. 17. Cum aūt ait separari intellectū ab eo, quod corrumpitur, non intelligit intellectum agentem tanquàm perpetuum separari à possibili tanquā corruptibili, ut scioli quidam suspicantur, sed quòd pars intellectiua & speculatiua separaī: à sensibili putà, à phātasia & æstimatiua. Sed ptinacia Cōmētatoris eiusq; sequaciū est, illa loca solùm de intellectu intelligere, & non ēt de aīa, cuius intellectus potentia existit. At quia Commentatori non expediebat, aīam esse immortalem: mordicus contendit esse mortalem: eis uerò, qui nolunt eius mortem perpetuam experiri, expedit ut de eius immortalitate non dubitent.

2. de anima tex. 11.

Aristote. loca.

Sol. 1. arg. ¶ Ad primum igitur arg. rndetur, Ecclesiastem concionatoris more non protulisse uerba illa affirmando, sed quasi aliorum noīe, qui illo tenebantur errore, ut Sapiē. 2. explicatur, ubi legitur, Dixerunt impij cogitantes no rectè in corde suo, exiguum & cum tædio est tēpus uitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hoīs, & nō est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus: tāquā

Sol. 2. arg. si non fuerimus. ¶ Vñ ut ad ambo simul lo carespondeamus, notandum, quòd aliquo modo. s. quantum ad corporum ortum & interitum, unus est nobis cum brutis: nam cùm & corpora quoq; nostra de terra sint plasmata, pariter, ut brutorum corpora reuertuntur in puluerem. Et quantum ad uitæ cursum similis est corporum processus: nam similiter, ut eisdem locis legitur, Simul spirant omnia, & fumus & flatus est in narib. nostris: quasi dicat, tenuissimo aere, quo spiramus & respiramus, conseruamur, quo sublato, extingueremur. At uerò quantum ad animam longè nos brutis superiores sumus: nam anima ipsorum de potentia materiæ ducitur, iuxta illud, Producat terra aīam uiuentem nostram uerò per creationem spirauit nobis Deus tanquàm spiraculum uitæ. Vnde falsum est, quod illi dicebant, Nihil habet homo iumēto amplius. Est ergo nobis & brutis unus interitus corporum, non tamen animorum.

Sol. 3. arg.

¶ Tertium aūt arg. satis in superioribus solutum est, ubi discrimen inter angelum & aīam nostram illud constituimus, quòd ille sic est per se, ut nequeat eē corporis forma, aīa uerò sic est corporis forma, ut possit esse per se. Respondetur ergo, quòd anima quandiu est in corpore nequit absque phantasmate intelligere, eo quòd corpora non possiūt intellectui nisi per corporalia obiecta applicari: illa tamen phantasmata ad intellectum possibilem pertingere nequeunt, nisi uirtute intellectus agentis à corporeis conditionibus denudata: quod est testimonium, ex natura sua non pendere à phantasmatibus. Concedimus ergo quòd licet pro isto statu ab illis dependeat, non tamen simpliciter ex natura sua, & ideo est perpetua & immortalis.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm corporum resurrectio sit futura.

IMmortalitatem animæ præmeditati paratiores ad explorādam resurrectionem corporum descēdimus. Arguitur nihilominus non eē futurā. Primò ex illo Iob. 14. Hō cùm dormierit nō resurget, donec ac teratur cœlū neutiquam tñ cœlū attritum esse pōt: ergo nunquā fiet corporū resurrectio: ¶ Secundò arguitur. Si resurrectio futura est, oēs mortui debent resurgere: nam quod ex natura speciei sumitur, simi'iter in omnib. individuis eiusdem speciei reperitur: non tamen omnes

Partis negatiuæ argumen. 1.

2. Arg.

Danie. 12. omnes resurrecturi uidentur, quia Danielis. 12. non dicitur nisi, quòd multi qui dormiunt in puluere, euigilabunt: & Dauid psalmo. 1. Non resurgent, inquit, impij in iudicio: ergo cùm æqua sit omnium ratio, nulli resurgent. ¶ In contrarium est illud Iob. 19. Scio q̄ redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circundabor pelle mea.

Pars affirmatiua.

Decisio articuli.

¶ Resurrectio corporum ut est auditu mirabilis, ita est creditu tum iucunda, tum etiā necessaria. De qua re quanuis inter philosophos sub lumine naturali nulla præcesserit certa cognitio, apparuit eis tñ nōnulla eius effigies, ut Aug. lib. 12. de ciui. Dei ca. 13. refert, de illis philosophis, qui mundi secula aiebant per circulum eadem numero reuolui. Et lib. 22. c. 25. & subsequentibus refert, q̄ Marcus Varro ī libris, quos de gente populi Romani scripsit, Genethliacos quosdam commemorat, qui aiebāt παλιγγενεσιαν: hoc est, hominū resurrectionem, in annis numero quadringentis quadraginta confici, ut eadem anima illo elapso tempore ad idē corpus, cui fuerat coniuncta, regrederetur. De quo seculorū circulo arti. proximo redibit sermo. Et Plato in Phædro, quem dialogum de pulchro in scripsit, de aliorum μετοικησιας: hoc est, transmigratione, quæ Pythagoræ fuit opinio, scripsit, ubi regulam Adrastiæ deæ: id est, ineuitabilis numinis eam refert, ut anima quæcunq; Deum comitata aliquid ueritatis inspexerit, in aliud corpus scilicet, in genituram aut uiri Philosophi, aut Regis, &c. sit transmigratura. Id cuius & Cicero in fragmento de republica meminit. Vnde fabulatur Euphorbon in Pythagoram transmigrasse, & in Pauum Homerū, ut Tertullianus in initio libri de resurrectione carnis retulit, ubi ait, illos resurrectionis ueritatem præbibasse, non tamen prorsus adijsse. Agnoscebant. n. illi mortales immortalem esse animam, atque adeò corporis amicam, & ideo hallucinantes aiebāt, post discessum á corpore ad alia iterato recurrere. Quanuis illic Plato in diuersa bestiarum corpora etiam animas eorum, qui nunquam ueritatem inspexerūt, transmigrare dixerit. ¶ Horū aūt ridiculi errores ex duobus falsis principiis ortum duxerunt. Credebant enim primùm aīam non esse formā corporis, sed ut motorē illud intrare & gubernare: quemadmodum articulatus aer tibicinis fistulam ingressus musicam resonare facit: sic enim putabant animam per diuersa corpora uagari. Rursum nec prorsus discrimen inter intellectū & sensum agnoscebāt: haud. n. arbitrabantur in homine aliud esse intellectū quàm sensum: sed propter optimam eius complexionem, putabant in eo uim egregiùs uigere. Quapropter anima secundùm istos in illud bestiæ corpus transmigrabat cuius similem uitam duxerat, ut qui fuerat luxuriæ deditus eius anima in canis se corpus reciperet, & qui uiolentijs & rapinis fuerat addictus, in corpus leonis, & huiusmodi de alijs. Aliæ uerò, inquit, animæ primæ uitæ finem consecutæ iudicantur, iudicatæ autem aliæ sub terra in iudicij loco eunt es meritas illic pœnas sustinent. Aliæ in cœli quendam locum per iudiciū eleuatæ ita degunt, ut dignum est illi uitę, qua in hominis figura uixerunt. Profectò nō potuit in lumine naturali ueritatis finibras propinquiùs attingere, quanuis fere quæ illic Abraham ac subinde Iacob & eius soboles seminarunt. ¶ Sed Philosophorū placitis prætermissis sub lege Moysi secta Saducæorum uiguit, qui corporum resurrectionē denegabant. Nam fortasse & animas perire arbitrabantur. ut Origenes & Hierony. referunt. Et Act. 23. insinuatur, ubi legitur, q̄ dicebant, non esse resurrectionē mortuorum neq; angelum neque spiritū ubi noīe spiritus insinuatur anima postquā contra angelū distinguitur. Quanuis alij cēseant eandē immortalitatē nō negasse. Sed qñ dotes corporū gloriosorum ignorabāt, arbitrabantur resurrectionem non esse possibilē, nisi ad uitam mortalem alimētis sustinendā, & uxoribus propagandā. Et ideo, ut Matth. 22. refertur, accesserūt ad Christū quasi irridēdo scisitantes, eū qui septē habuisset uxores, quā esset illarū in resurrectione resumpturus. Quibus Christus respondit, quòd illic neq; nubēt, neque nuptui tradentur. Post Saduceos in lege euangelica adeò fuit articulus hic persuasu difficilis, ut quam plurimi fuerint hę retici illum abnegantes, ut Simoniani à Simone Mago, & Carpocratiani atque alij cōplures, quos Aug. lib. de hæresib. de nomine refert, & Isidorus lib. 8. Etymologiarum ca. Quidam. 24. q. 3. inter quos Arabicos refert, q̄ aiebāt animas esse mortales, quod

Marcus Varro.

Plato.

Pythagoræ dogmę.

Cicero in Somnio Scipion.

Tertullia.

In bestias.

Plato aliqua uete. testam. legit.

Saducæorum secta.

Matt. 22.

quod fuit Commentatoris dogma, sed tamen cum corpore postea resurgere.

Hæresum origo diuersa.

¶Atqui hæresim hæc diuersitas ex diuersis oriebatur causis. Manichæi nanque arbitrati animam à bono Deo, corpus uerò à malo fuisse conditum, aiebant, animam solam esse totam hominis perfectionem. Porphyrius uerò Platonicus, de quo Aug. lib. 22. de ciuit. Dei ca. 26. meminit, dicebat, totam animæ perfectionem in separatione à corpore consistere, atque adeò illud non esse innouandum. Quare Marcionistæ apud Tertullianum multis conuiciis corpora nostra proscindunt, ut eorum dissuadeant resurrectionem.

Marcionistæ.

¶Duo ergo argumenta in initio quæstionis proposita duas conclusiones poscunt, quibus conclusioni fiat satis. Prima. Resurrectionem carnis esse futuram catholica nos fides docet, cuius hic unus articulus est. Et primum de possibilitate, quã conclusio præsupponit, sunt qui illam, ut Durãd. sic demonstrent. Causa cur forma inducatur in materia non est alia quærẽda, quàm efficiens: sed post obitum hominis manet anima & materia prima, quæ est incorruptibilis, & Deus, qui est causa efficiens: ergo resurrectio uirtute Dei est possibilis.

Prima conclusio.

Possibilitas resurrectionis probatur.

At uerò ratio hæc & curta nimium est, & minùs physica. Nam primum non probat, resurrectionem possibilem si anima & materia non essent post obitum superstites: & tamen quanuis essent in nihilum redactæ, posset Deus corruptum idem restituere, ut dist. seq. q. 1. artic. 1. contra eundem Durand. commonstrabimus. Item quia agens naturale non potest uirtute naturali formam, quæ antea fuerat separata, reuni re materiæ, ut illico dicturi sumus, sed illam de eius potentia educere. Igitur alia est causa quærenda, quàm quod agens & materia & forma existant. Causa uerò resurrectionis non est naturalis, quam Aristote. cognouerit, sed hæc supranaturalis. Deus habet potentiam infinitæ uirtutis, quæ ex nulla causa secunda in agendo dependet, cum omnia ex nihilo condiderit: ergo omnium uirtutem se ipso absque illis supplere potest, causæ autem rei aliæ sunt ad producendum speciem: ignis enim est causa ignis, & equus est causa equi: aliæ uerò sunt ad producendum indiuiduum: scilicet, speciem in tali indiuiduo, quæ sunt hæ numero dispositiones in hoc loco & hoc tempore. Et quia transactum tempus & motus, quibus res hæc fuit producta nõ possunt rursum redire (ut dist. seq. q. 1. art. 1. luculentiùs, monstrabimus ag ẽs) natura le non potest idem reproducere numero sed duntaxat idem specie. Deus autem utrasque propter suam infinitatem supplere causas potest: ergo sicut sine igne potest producere ignem, & sine equo equum, ita rem illam, quæ hic & nunc per has dispositiones producta est, potest illis transactis singularibus conditionibus hic & nunc, quæ non possunt redire, eandem numero sine illo temporis puncto & motu reproducere, siue creando illam si fuerat annihilata, siue uniendo eandem formam eidem materiæ, si erant superstites, siue educendo de potentia materiæ, ut ipsi placuerit, quod agens naturale nullo pacto efficere potest.

Sententia autoris.

Ratio supra naturalis.

Resurrectio probatur.

¶Supposita ergo possibilitate, rei ueritas sicuti superior à primo sacrorum Bibliorũ capite deducitur. Colligitur enim ex initio Geneſis, primos parentes à Deo conditos eatenus immortales, ut possent nõ mori: legitur nanque cap. 2. quòd plantauerat Deus paradisum uoluptatis à principio, in qua inter alias arbores plantauit lignum uitæ in medio paradisi & lignum scientiæ boni & mali, ubi Deus posuit hominem, quem formauerat præcipiens, ut excepto ligno scientiæ de omni alio ederet: lignum autem uitæ arborem designat, quæ uirtutem habebat diuinam perpetuandi uitam. Quo colligitur, Deum sic hominem creasse, ut si iustitiam custodisset originalẽ, potuisset non mori. Vndè Aug. lib. 13. de ciuit Dei c. 20. Cibus, inquit, aderat homini ne esuriret, potus ne sitiret, & lignum uitæ, ne senectus eũ dissolueret. Et quia hoc naturaliter fieri non poterat, inerat in anima supranaturalis uirtus ad id idonea. Quare statim cap. 3. cum Deus hominem de paradiso eijceret, ait, Ne fortè mittat manum suam & sumat de ligno uitæ & comedat, & uiuat in æternum. Condecuit enim, ut quem Deus ad suam ipsius fœlicitatem participandam condiderat, ei non animam tantum immortalem spiraret, uerum & corpus ei iuxta naturam eiusdẽ animæ coaptasset, quod posset non mori, ut creaturam illam, quam paulominus ab angelis minuerat, à terrestri in cœlestem paradisum sine mortis gustu transmitteret.

Aug. de ciuit. Dei.

Genes. 3.

Quapropter in pœnam, si de arbore scientiæ comederet, decreta fuit illi mors, In quacunque enim hora, inquit, comederis ex eo, morte morieris. Quare duarum dũtaxat arborum mentio illic facta est: scilicet, ligni uitæ, cuius esus immortalitatem conferret, & ligni scientiæ, cuius gustus mortẽ inferret. Quocirca Sapien. 1. Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione uiuorum. & cap. 2. Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem & similitudinem sui fecit illum: inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Cui consonans Paul. Per unum, inquit, hominem introiuit peccatũ in mundum, & per peccatum mors.

Duarũ arborũ mentio.

1. Cor. 15.

¶Ex his ergo primum secundùm fidẽ extruitur resurrectionis argumentum. Christus uenit, ut per suam mortem ab illa nos morte peccati eriperet, in quam nos Adã coniecerat: nam sicut per inobedientiam unius hominis, ut ait Pau. Rom. 5. peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem iusti constituentur multi: ergo cùm peccatum Adæ, quo anima occisa est, fuerit nobis causa mortis corporalis, ita & iustificatio Christi, cuius gratia anima ad uitam spiritualem restituta est, causa subinde fuit nobis uitæ corporalis: nam ubi abundauit delictum, superabundauit & gratia. Vnde ad Rom. 8. Lex spiritus uitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis. Cùm ergo in hac uita secundùm nostram naturam iustitia originali denudatam decuerit, ut ad exercitium uirtutis ærumnas & calamitates, ac subinde mortem pateremur, consequẽs est, ut tandem hac peracta mortali uita uirtute passionis Christi corporum quoque resurrectione fruamur, ut totum, quod nobis Adam abstulit, Christus conferat.

Paul. Roma. 8.

Testimonia legis antiquæ.

¶Eandem ueritatem uetus testamentum perdocuit, ut ex Iob & Daniele supra citatum est, & Ezechiel. 37. ait Propheta, ꝙ in spiritu Domini eductus fuerit in campum, qui erat plenus ossibus, & iussus est illis uaticinari, Ecce ego intromittam in uos spiritũ, & uiuetis, & dabo super uos neruos, & succrescere faciam super uos carnes, & superextendam in uobis cutem, & dabo uobis spiritum & uiuetis, & scietis quia ego Dominus. Vnde Christus Saducæis improperans ait, Erratis nescientes scripturas neque uirtutem Dei: nam suis affectibus excæcati illas non intelligebant, neque putabant uirtutem Dei id posse facere. Quare de resurrectione mortuorũ subdit. Non legistis quod dictum est: scilicet, Moysi de rubo Exodi. 3. Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahã, Deus Isaac, & Deus Iacob. Et subiungit, Nõ est Deus mortuorum, sed uiuentium: ubi profectò, cùm nõ fuisset dictum, Deus animæ Abrahæ, Isaac & Iacob, sed Deus Abraham, Isaac & Iacob, quod dicit totum compositum, docuit resurrectionem illic fuisse insinuatã, ut essent rursum uicturi. Imò apparet aptissimè illo tunc temporis articulo, quo Deus Moysi iubebat, ut educeret populũ de Aegypto, illius suæ uirtutis meminisse, qua erat patres illos in uitam reuocaturus, ut inde Moyses intelligeret, quòd qui poterat de sepulchris mortuos euocare, facilius posset de Aegypto populum educere. Et Dauid psalmo. 1. dicens, Non resurgent impij in iudicio, resurrectionem præ dixit. Et Esaiæ. 26. Resurgent mortui, & suscitabuntur qui sunt in monumentis.

Exodi. 3.

Psalm. 1.

¶Quinimò & rebus gestis eadem resurrectio fuit illo seculo demõstrata, cum Elias & Elisæus, ut. 3. & 4. Reg. legitur, mortuos suscitauerint.

Testimonium nouæ legis.

¶At uerò eandem ueritatem Christus palam mundo prædicauit, ut Ioann. 5. Venit hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint uiuent: sicut enim pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere. Vbi habere uitam in semetipso non solum significat habere in se uitam humanã qua ipse uiuit, sed quòd sicut pater habet potestatem tribuendi quibuscunque uiuentibus uitam, ita & filius quatenus redẽptor habet in se potestatem restituendi mortuis uitam: & ideo subnectit. Et potestatẽ dedit ei iudicium facere, quia in finali iudicio hoc perfecturus est. Ob idque subdit, quia filius hominis est, nolite mirari hoc: id est, nolite mirari quòd in filio hominis tam excelsa sit uirtus: uenit enim hora, in qua omnes, qui in monumẽtis sunt audient uocem filij Dei: cùm prædixisset, filius hominis, subiunxit, filius Dei, ut exprimeret, qua uirtute id facturus sit. Nam etsi per uocem humanã uel angeli sit mortuos euocaturus, uirtute tamen diuina. Et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem

Nota.

ctionem uitæ, & qui mala fecerunt in resurrectionem iudicij. ¶Atqui ad eandem confirmandam resurrectionis fidem & discipulis potestatem dedit mortuos suscitãdi,& ipse tum alios,tum præcipuè Lazarum suscitauit, Ioan. 11. ubi perinde sermonem eiusdem fidei prolixum cum Martha conseruit, quæ ubi à Christo audiuit, Resurget frater tuus,respondit,Scio,q̃ resurget in nouissimo die: in cuius confirmationem subnexuit Christus,Ego sum resurrectio & uita, Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit,uiuet,& omnis, qui credit in me, non peribit in æternum: & ait illi, Credis hoc?Respondet, Vtique Domine. Et merito eiusdẽ cõfessionis,quæ de Christi gratia processerat,perexit fratrẽ ei suscitare. ¶Accedit itẽ in confirmationem huius orthodoxæ confessionis resurrectio Christi,de quo uaticinatus fuerat Dauid, Non derelinques animam meã in inferno, nec dabis sanctum tum uidere corruptionem. Et alibi, Surge domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Sicut enim sua morte liberauit nos à peccato, nobisque mercatus est uitam,ita & resurrexit, ut causa esset & exemplar nostræ resurrectionis. De hoc tamẽ artic. 4. latiùs. Est ergo hæc resurrectionis conclusio non solũ de fide,sed articulus fidei,ut de uita æterna diximus. ¶Sed præter diuina testimonia præsto sunt etiam rationes quibus eadem ueritas confirmatur. Anima enim cùm sit actus corporis,ut Philos. 3. de anima. text. 4. ait. naturalem habet ad ipsum affectionem: fœlicitas autem quam Deus dilectis suis est retributurus, perfectissima est, ac subinde affectibus cunctis naturalibus & legitimis satis faciens: ergo conuenit decens est, ut Deus hunc animi appetitũ in æterna beatitudine satiet: nimirũ in corpore rursum adiungat. ¶Sunt qui putant D. Thomam hic & articul. 4. negare animam separatã habere inclinationem ad corpus, propterea quòd naturalis inclinatio est illa quæ per causas naturales impleri potest, per quas utique causas illa inclinatio expleri nequit. At uero neque hoc Diuus Tho. planè negat. Imò ait quod est semper dependens à corpore. Et fortasse potest esse inclinatio naturalis, licet naturaliter impleri nequeat, ut de nostra inclinatione ad uidendum Deum super D. Thomam. 1. part. q. 12. artic. 1. disputauimus. Et præterea, cùm anima sub illa fuerit inclinatione naturali creata, & quod naturale est nunquam separetur, dicere possumus eandem postquam corpus exuit retinere: & satis est quod potuerit inclinatio illa naturaliter impleri, ut dicatur modò naturalis. Quemadmodum grue etiam extra cœlos positum haberet inclinationem naturalem descendendi, licet naturaliter id nõ posset. Sed q̃quid sit de illa inclinatione per modum habitus, qui est idem quod ipsa anima, saltem de appetitione quæ est actus elicitus, negari non potest quin anima cupiat esse in corpore, cum eiusmodi coniunctio sit ei naturalis. Imò uerò Augustinus. 12. super Genes. ca. 35. Inest. inquit, animæ naturalis appetitus corpus administrandi: quo appetitu retardatur quodam modò ne tota intentione pergat in summum illud cœlum, id est, in illam beantem uisionem. Tametsi illa retardatio non sit per modum contrarij impedimenti, quemadmodum calor retardat actionem frigoris: quoniam per uisionem Dei beatricem in quo corpora cõspiciunt resumpturas consolantur animę, ne illa appetitio sit eis molesta: sed quemadmodum D. Tho. 12. q. 4. articu. 5. interpretatur, retardatio illa fit per modum cuiusque defectus: appetit quippe anima sic Deo frui, ut ipsa fruitio deriuertur in corpus per eorum dotes, à quo utique effectu retardatur anima separata. Miseras uerò inferni animas (quicquid sit de naturali inclinatione) non est reddibile concupiscere corpora, quippe in quibus sunt peius cruciandæ. ¶Secundò arguitur. Pulchritudinem uniuersi in tria Deus distribuit: condidit enim substantias purè spirituales, ut supra cœlestes spiritus, sub his alias corporeas, ut cœlum & elementa atque alia mixta infra hominem: inter has uerò mediam, quam ex spiritu & corpore compositum, ut hominẽ: non fuit ergo cõgruẽs, ut in perpetuum orbis pulchritudo orbaretur hac media, quod certè contingeret, nisi tandem animæ sua reciperent corpora.

¶Tertiò denique & hoc æquissimæ iustitiæ Dei fuit cõgruentissimum. Creauit n. non solùm animam, quæ ei esset obediẽs, uerùm,& corpus, quod eidẽ animæ in hac obedientia seruiret: anima. n. non tantum per suos actus intellectus & uolũtatis, sed etiam

Ioan. 11.

Alia confirmatio.

Psalm. 15.

Psal. 131.

Ratio.

D. Thom.

Augus.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

etiam per officia corporea, & Deo seruit & ipsum offendit: imò uerò non anima, sed homo propriè est qui Deo famulatur, eiq; uice uersa eum offendit: nam actiones sunt suppositorum. Quare obsequium Dei est, corpuscas tigare & domare, ut Paulus se feciſſe affirmat: & ad Roma. 6. Sicut exhibuistis, inquit, membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationẽ. Et 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, quæ gessit, siue bonum siue malum: cùm ergo non anima sola, sed homo ipse per corpus de Deo bene aut malè mereatur, æquum est, ut totus homo in anima & corpore retributionem & bene & male factorum suscipiat: uita enim hominis super terram militia quædam est, & colluctatio carnis aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Condecet ergo, ut si anima sic edomauerit corpus, & corpus sic obedierit animæ, ut spirituale fiat, gloria animæ redundet in ipsum: si uerò contra anima se corpori sic subdiderit, ut carnalis efficiatur, supplicia eius corpus itidẽ patiatur. Et ideo in symbolo de Christo confitemur, non quòd solum propter animas nostras, sed, quod propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis. Neque ipse solam animam assumpsit, sed integram humanitatẽ ex corpore & anima: in quo utique corpore mortem pro nobis pertulit. Quapropter postquàm infirmum ad probaticam piscinam sanauit, murmurantibus Pharisæis quòd in die festo illud patrasset opus, ait, Si circuncisionem accepit homo in sabbato, mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? infirmos nanque tanquàm resurrectionis præsagium anima & corpore sanabat.

¶His nihilominus rationibus alias obmoliri quispiam posset contrarias. Deus perfector est naturæ, non corruptor: perfectio autẽ naturalis animæ, quippe quæ in sua substantia à corpore non pendet, est ab ipso sequestrari: nam separata similior fit Deo, cœlestibusq; ipiritibus, puriorque redditur ab illis terrestribus affectionibus, quas à corpore contrahit: caro. n. ut ait Pau. concupiscit aduersus spiritum, imò & liberior fit ad intelligendum: est nanque intellectus, ut 3. de anima autor ẽ Philosophus, per se agens, quia est uniuersalium cognitor, quæ à singularib. abstrahuntur: ergo non attinet ad eius perfectionem corpori rursus uniri, atque adeò carnis resurrectio non est futura.

¶Item. Corpore anima non nisi tanquam instrumento utitur: instrumentum autem non est præmio dignum aut supplicio: quid enim boni aut mali meretur aut demeretur fabri malleus? Primo argumento uictus fuit Porphyrius ille Platonicus, qui ut Augu. loco citato uigesimosecundo de ciuita. Dei refert, aiebat, ut beata esset anima, corpus omne esse fugiendum. Quare & Marcianistæ apud Tertullianum, multa conuicia in corpora nostra iactitant, ut eorum dissuadeant resurrectionem: aiũt enim corpora ex seminis limo infirma esse, criminosa, onerosa, molesta, ignobilia &c. atque adeò ut quæ resurgant indigna. Augustinus uerò Porphyrium autoritate sui Platonis reuincit, qui Deos faciebat uel beneficio summi Dei immortales corpore & anima. Inducit enim uerba Platonis quasi ore Dei non facti ad alios Deos factos prolata. Quoniã estis, inquit, orti, immorales esse & indissolubiles non potestis. Non tamen dissoluemini, neque uos ulla mortis fata perient, neque erunt ualentiora quàm consilium meum, quod maius est uinculum ad perpetuitatem uestram, quàm illa, quibus estis colligati. Hæc diuinus Plato: quæ profectò uerba Dei nostri ad fœlices homines postquam surrexerint fieri uidentur.

¶Ad argumentum ergo negatur, animæ perfectionem in separatione à corpore consistere, imò cùm suapte natura sit pars totius compositi, perfectio sua est illi inesse: & ideo quanuis secundùm quid separata sit Deo similior, simpliciter tamen loquendo similior est in corpore: nam quo unaquæque res naturam suam perfectiùs obtinet, eo magis diuinam naturam imitatur. Veluti cor tunc immobili. Deo similius est, dum mouetur, quam dum quiescit: quia perfectio cordis est moueri, & quies est mori. Et quanuis liberior sit ad intelligendum à corpore corruptibili separata, tam libera tamen est in corpore glorioso, quòd eius operationes non impedit, & tam pura,

2. Corin. 5

Obiectio secunda.

Porphyrius.

Marcianistæ.

Augu. Porphyriũ refutat.

Platonis diuina uerba

Iesum 7.

Solut. primæ obiectionis.

Obiectio 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aduersus Marciani stas.

pura, ut pote quæ ab illo corpore nullis affectionum sordibus inficitur. Quocirca non est cur corpus nostrum, ut uile quidpiam habeatur & sordidum: nam ut in prima eius conditione uidere est, licèt è terra fuerit plasmatum, non tamen Deus terræ commisit, ut ueluti cætera uiuentium corpora, nostrum proferret, sed ipse limũ: hoc est, purissimum terræ selegit, & quasi suis manibus, ut more nostro loquamur, ceu figulus efformauit, stupendaq; membrorum, & organorum firmitate compegit, & pulchritudine perornauit. Quare cum anima condecet, ut dotibus glorię in cœlesti fœlicitate corruscaret. Neque uerò in corpus reijcienda est culpa sordium animæ sed in eius consentientis uoluntatem. Et quanuis lex, quam, ut ait Paul. in membris nostris sentimus, aliqua sit illarum sordium causa, illam tamen legẽ nobis Deus non impressit, sed ex originali culpa contraximus à quà per mortem & incinerationem iustorum corpora propurgantur.

Solutio secundæ obiectionis.

¶Ad secundum itidem respondetur, quòd secundùm Platonicos, & Pythagoricos, qui putabant animam non inesse corpori nisi tanquam motricem, aliquam haberet concludendi uim, quia tunc corpus non esset nisi animæ instrumẽtum separatum: at uerò, quia ut dictum est, anima est actus & forma corporis, atque adeo pars hominis, corpus non est solùm instrumentum animæ, ac si ipsa sit tantùm operans per ipsum, sed est instrumentum coniunctum: hoc est, pars hominis operantis: ideo non tantùm animæ sed toti homini operum merces debetur.

Obiectio.

¶Quòd si arguas inde consequi, pœnas purgatorij non esse iustas, quippe quas sola anima absque corpore patiatur, cùm & corpus earum etiam fuerit reum.

Dilutio.

Negatur consequentia, quia illic purgãtur peccata uenialia, quæ perfectam non habent rationem peccati: & ideo pœnæ illæ, licèt ita nominentur, non tamen habent perfectam rationem pœnæ, quæ dicatur retributio, sed potiùs sunt purgatio. Et idẽ est de pœna mortalibus remissis debita. Loco tamen illius purgationis patitur corpus mortem & incinerationem, quibus purgatur.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum igitur capitale argumẽtum respondetur, quòd Iob noluit illic resurrectionem negare, cùm planè alibi eam affirmet, sed dixit non futuram quousque cœlum attereretur. Non quidem quoad substantiam, quæ perpetua est, sed quantum ad eius genitricem uirtutem, quia corruptiones & generationes cessabunt. Quo sensu ait. 1. Corinth. 7. Paul. Præterit figura huius mundi.

Secunda conclusio.

¶Secundo argumento aliud submouetur dubium, utrùm uniuersi sint resurrecturi: non quidem utrùm omnes sint morituri, hoc enim inferiùs disputabimus: sed utrũ omnes, qui fuerint mortui, resurgent. Ad quod igitur secunda affirmatiua conclusione respondetur, omnes fore resurrecturos. Ea enim, quorum ratio ex natura speciei, sumitur, omnibus indiuiduis eiusdem speciei conuenire oportet: cùm ergo resurrectio ratione speciei humanæ, quæ corpore & anima constat, sit futura: consequitur, ut omnes tam boni quàm mali sint resurrecturi. Et ideo in autoritatibus inductis Ioann. 5. & 11. dicitur, quòd omnes, qui in monumentis sunt uiuent, alijque resurgent in resurrectionem uitę, alijq; in resurrectionem iudicij. Quo alludẽs Paul. 1. Corinth. 5. Omnes quidem, inquit, resurgemus, sed non omnes immutabimur: id est, omnes corpora resument, iusti quidem ut mutentur, & transeant ut habetur Ioan. 5. de morte temporali in uitam æternam: iniusti uerò non ut mutentur, sed ut de morte temporali ad æternam transeãt. Quanuis alij, ut infra uidebimus, aliter legant.

Ioan. 5.

1. Cor. 15.

Ratio. 2. cõclusio.

¶Item confirmatur eadem conclusio, quia cùm resurrectio in hoc futura sit, ut unusquisque, ut ait Paul. recipiat prout gessit in corpore: & nullus sit, qui non sit retributione dignus, fit ut omnes sint resurrecturi.

Sol. 2. arg.

¶Ad secundum ergo argumentum ex Daniele respondet Aug. 20. de ciuita Dei, q̃ multi, idem est quod omnes: talis est enim modus loquendi frequens in scriptura: uel dicendum, quòd euigilare plus est quàm resurgere. Quare paruuli absque baptismo defuncti resurgent quidem, sed priè non euigilabunt, quia discretio in eis non habebit uigorem ad sentiendum pœnas. Imò & damnati hoc modo possunt dici non euigilaturi, quia lucem non intuebuntur.

Euigilare quid.

Psalmo. 1.

¶Verbum autem Psalmi. Non resurgent impij in iudicio, uno modo intelligitur, quòd

Iudicium duplex.

quòd non resurgent in iudicio discussionis conscientiæ resurrectione spirituali per gratiam à peccato, quę fit in hac uita. Vel intelligitur de infidelibus quantum ad finale iudicium, quod ut infra uidebimus, erit duplex, alterum discussionis quo redditur factorum ratio, & alterum cõdemnationis, quod est prolatio sententiæ. At-

Infideles.

qui infideles, quia nõ sunt de repub. Christiana, non iudicabuntur priori iudicio, sed posteriori, sicut hostes reipub. absque discussionis iudicio condemnantur. Et è conuerso Ioan. 5. de iustis legitur, Qui uerbum meum audit, & credit ei, qui me misit, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit: scilicet, condemnationis, sed transit de morte ad uitam. ¶Quòd si contra arguatur. Christus Ioan. 6. non promittit resurrectionẽ nisi ueniẽtibus ad se: ait enim, Nemo uenit ad me nisi pater meus traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et. 1. Cor. 15. ubi colligit Paul. quòd si Christus resurrexit, nos resurgemus, insinuat per resurrectionem debere nos assimilari Christo, cui tamen iniqui non assimilabuntur. Item quia resurrectio corporis fit per resurrectionẽ animę à peccato: illi ergo, quorum culpa, saltem originalis, non fuit remissa, indigni resurrectione uidentur.

Obiectio prima.

Obiectio secunda.

Obiectio tertia.

Solutio. 1.

¶Ad primum autem respondetur, quòd resurrectio alia est in uitam æternam, alia in mortem æternam: quãdo ergo ait Christus, quòd iustos resuscitabit, intelligit de priori resurrectione, nihilominus alij resurgent in mortem æternam.

Solutio. 2.

¶Ad aliud respondetur, quòd dupliciter contingit assimilari Christo, uno modo quantum ad naturam speciei, quam integram suscepit: & quantum ad hoc tam mali quàm boni debent ei assimilari resumentes uera corpora. Sed alia est assimilatio per gratiam, quæ solis iustis competit.

Solutio. 3.

¶Ad tertium respondetur, quòd resurrectio uniuersalis fiet per Christum non quidem resurrectio singulorum per gratiam iustificantem singulis collatã, sed per gratiam unionis humanæ naturæ toti generi impẽsam, in qua quantum ad sufficientiam genus nostrum redemit per crucem. Et ideo etiam illi, qui redemptionis beneficium non susceperũt, resurgent, præsertim quia pœnam mortis ob originis culpam inflictam morientes corporaliter soluunt: pœna enim illa fuit mori, non aũt mortẽ detineri.

Obiectio.

¶Quòd si rursus arguas de paruulis, saltem nõ baptizatis, qui cùm nihil boni uel mali gesserint in corpore, non resurgent, saltem illi, qui moriuntur in maternis uteris, qui cùm non nascantur, non possunt per gratiam renasci, atque adeò nec beneficio resurrectionis frui. Respõdetur primò, quòd omnes in Adam peccauerunt. Et secundò, ut diximus, quod licèt non receperunt gratiam regenerationis, receperunt tamẽ gratiam unionis Christi cum natura humana, cui omnes in resurrectione debent fieri conformes.

Dilutio.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm resurrectio sit naturalis.

SVbsequitur ut de causa resurrectionis dicamus, & primò an sit naturalis. Et arguitur à parte affirmatiua, Aristo. 8. Metaphysices ca. 4. uidetur dicere, quòd ubi materia est eadem & agens idem, effectus est idem: cùm ergo post rei corruptionem maneat materia prima, & sæpè idem agens, potest per naturã effectus, qui antea fuit productus, & subinde corruptus, reproduci, atq; adeò idem homo: ergo resurrectio est naturalis.

Parti affirmatiuæ arg. 1. 1. Arg.

¶Secundò. Resurrectio est motus quidam ad perpetuam coniunctionem animæ & corporis, quæ quidem coniunctio naturalis est utriusque quies, cùm utraque pars appetat alteri esse cõiuncta: motus autem naturalis dicitur, qui ad quietem naturæ terminatur, ut Philosophus. 5. Ethic. docet: ob id enim descensus rei grauis naturalis est, quod eius quies in centro est naturalis: ergo resurrectio est naturalis.

2. argum.

¶Tertiò arguitur autoritate Gregorij. 24. Moralium, quem in textu retulimus, ubi ait, quòd qui resurrectionis fidem ex obedientia non tenent, eandem ex ratione tenere debuerant. Ecquid enim, inquit, quotidie nisi resurrectionem nostram mũdus in elementis suis imitatur? Lux enim quotidie quasi moriendo oculis subtrahitur, & rursus quasi resurgendo reuocatur: & arbusta uiriditatem amittunt, & rursus quasi resurgentia reparantur: & semina putrescendo moriuntur, & rursus germinando quodãmodo resurgunt: quinuerò Apostolus eandem rerum imaginem à seminibus

3. Argum.

1. Cor. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ducit:nam quod seminas,inquit,non corpus,quod futurũ est,seminas,sed nudũ granum:eodẽ pacto corpus nostrũ seminat in corruptione, surget in incorruptione,&c. ergo,resurrectio est naturalis. ¶In contrarium est,quòd ut prædicamen. ca. 10.ait, Philosophus ,à priuatione in habitum impossibilis est regressus:mors autem est priuatio uitæ:resurrectio uerò, ut lib.4.c.19. ait Damascenus , est copulatio rursus animæ & corporis:id est,eius,quod cecidit & dissolutum est, secunda surrectio:ergo resurrectio non potest esse naturalis.

Pars negatiua.

1. quæstio. ¶Argumentis his tribus tres quæstiunculæ insinuatur , quæ sunt prorsus differentes. Prima, utrùm resurrectio per naturales causas fieri possit:nempe,ut quod corruptum est,idem rursus producatur. Secũda:utrùm resurrectio , quæ re uera futura est,sit aliquo pacto naturalis. Et tertiò,utrùm per rationes naturales possit aliquo modo cognosci . Quas idcirco quæstiones tres disputat Scotus dist.præsenti: ad quas nos tribus cõclusionibus respondebimus. Radix autem aliarum est prima de principio efficiẽti, utrùm uirtute naturalis agentis possit eiusdem iterata productio contingere.Et quidem de hac prima quæstione tres referuntur opiniones.Prima fuit illorum Philosophorum prisca,qui palingenesiam,ut supra retulimus, & August. 12. de ciuita.c.13.refert, docebant:nempe,q̃ certis annorum periodis cælorum orbes ad eadem principia recurrentes eosdem prorsus effectus reuocabant: nam ab eisdem causis idem ubique proferuntur effectus:& ut ait Philosophus. 1. Meteo. hæc inferiora lationibus cœlestium orbium gubernantur. Duo autem fuerũt horum Philosophorum placita. Empedocles enim,ut 1.Physic.text.32.& alibi, refertur,infinities aiebat mundum per circulum ad eadẽ redire:qua utique ratione necesse erat , ut anima ad idem corpus completo circulo remearet, idq; naturali uia generationis. Pythagorici uerò & Platonici non hac de causa, sed alijs iam supra relatis , non solum ad eadem corpora,sed ad alia diuersa putabant anima transmigrare.Quam utique opinionem Philosophus. 1. de anima tex.52.& 53.refutat.Periodus autem magni seculi secundum Empedoclem,ut fertur, concludebatur triginta sex annorum millibus : nam secundum Ptolomæum octaua sphęra:nempe, stellata,præter motum diurnum in centum annis mouetur retrò ab occidente ad orientem uno gradu:cũ ergo orbis trecentos sexaginta gradus contineat , fit ut triginta sex millibus annorum toto circulo peracto orbes ad idem punctum redeant . Ad quem circulũ sunt qui dicãt , alludere illud Ecclesiastes. 1. Quid est quod fuit? Ipsum quod futurũ est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum , nec ualet quisquam dicere,Ecce hoc recẽs est: iam enim præcessit in seculis,quę fuerunt ante nos. ¶Illam uerò circuitus opinionẽ Augustꝰ. ibidem ex sacris literis condemnat:nam secundùm illam, non solùm mortui resurgent, uerùm iterum atque iterum occident & orientur:& tamen Pau. Rom. 6.ait.quòd Christus resurgens ex mortuis iam non moritur:id est,nunquàm ampliùs morietur:nam semel tantùm mortuus est: quare.1.ad Thessalo.4. idem de nobis asserit:scilicet,q̃ postquàm resurrexerimus, semper cum Domino erimus . Et psalmo. 11. Tu Domine seruabis nos & custodies nos á generatione hac in æternum . Illa enim rerum uolumina ueræ fœlicitati aduersantur , quippe quæ in sempiterna tutaq́: & immutabili requie consistit. Illi ergo sunt , quos illic subnotauit Dauid dicens, In circuitu impij ambulant . Et uerbum Ecclesiastes non intelligitur de rerũ circuitu quantum ad numerum, sed quantum ad speciem:scilicet, quòd ubi alij moriuntur , alij eiusdem speciei generantur, & postquam sol occidit, iterum exoritur,& post aquas fluminum , quæ in mare elabuntur , similes ex fontibus emanant, quasi ex eodem mari recurrentes . Quanuis alij,ut ait ibidem August. ad prædestinationem uerba illa spectare autument,in qua utique prædestinatione nihil est nouum : quia omnia illic ab æterno sunt præuisa. Accedit contra illam opinionẽ,quòd mundus tot millibus annorum nec duraturus est,nec duraturus est.

Empedocles.

Secunda.

Tertia.

1.Opinio.

Ecclesiast.

Augu. de ciui. Dei cap.13.

¶At uerò & præter orthodoxam fidem rationibus quoque naturalibus illa explodi tur uoluminum secta. Nã primum ut The bit contra Ptolomæum demonstraui, octaua sphæra stellata non est primum mobile,sed nona superior:quare illa est, quæ illo motu gradationis mouetur . Et ideo quanuis illa posset illo annorum curriculo ad idem punctum redire , tamen octaua sphæra, quæ ratione solis & stellarum in ea fixarum quamplurimùm ad generationem horum inferiorum influit,non erit in eodem puncto , imò nec orbes planetarũ, quorum aspectus multùm etiam ad id conferunt . Quocirca ex solo recursu primi mobilis ad idem punctum non sequitur effectus eosdem reditum iri .

Ratio 2.

¶Imò quod præ omnibus urgentius est argumentum . Ad hoc quòd idem numero effectus redeant , non sufficit eadem causa efficiens & materia,sed exigun tur eædem indiuiduales conditiones , ut hic & nunc: & tamen idem tempus redire non potest .

2.Opinio.

¶Hac ergo opinione reiecta secunda est in alio extremo: scilicet,quod corruptum non potest per naturam idem numero redire.Hanc uerò Scotus nõ approbat, imò tenet tanquam probabiliorem affirmatiuam , quæ fuit etiam opinio R cardi præsenti dist.quæst.1. Quibus patrocinari apparet Philosophus autoritate in primo argumento inducta.8.Metaphysic.capit. 4. ubi dicere censetur , quòd si materia eadẽ & agens idem sunt, effectus est idem . Et cùm post rei corruptionem maneat materia,atque idem agens,potest idem effectus iterato reproduci. Videtur præterea Scotus id sibi sic persuadere , quòd cum sol in aere producat lumen,idemq́ue per horam conseruet,nil obstat quominus etiam si in media tertia illius horæ esset interruptũ , nihilominus idem quod erat in prima, posset manere in parte postrema .

Scoti opi. 1. Argum.

2. Argum. Autoris.

¶Sed apparentiùs eadem opinio sic posset corroborari.Agens naturale potest aliud sibi simile generare educendo formã de potentia materiæ , ut ignis dum generat ignem, & equus dum generat equum : ergo fortiori ratione si materia & forma sint separatè permanentes , poterit illas unire : difficiliùs enim apparet,formam , quæ non erat,de potentia materiæ educere , quàm illam , quæ superstes erat, materiæ unire.

3. Argum. de reuurre ctione.

¶Et urgentiùs de resurrectione hoĩs arguitur:Homo dum hoĩem gignit,non gignit aiam,quia ad eius productionem nõ attingit,quippe quam de potentia materiæ nõ educit,sed Deus eam creat:ob id ergo solum q̃ dispositiones in materiam inducit, dicitur(idq; propriè) hoĩem gignere pót aũt homo in eandem materiam dispositiones inducere: ergo si tunc Deus aiam uel beatam uel damnatam existentem in illam materiam induceret,perinde homo diceretur tunc hominẽ gignere,acsi Deus animam tunc nouam in illa materia crearet:si autem produceret animam,quę erat Ioannis,fieret resurrectio Ioannis:ergo resurrectio est per causas naturales possibilis. At uerò neque Scotus concedit,neque ullius suæ opinionis patronus concedere ualet,resurrectionem hominum qualis futura est , per causas posse naturales fieri : quas agens naturale circa materiam corporalem non nisi per motum & determinato modo agere ualet: resurrectio uerò , ut dist.seq. dicturi sumus,futura est subitò nullo præuio motu,quo materia disponatur. ¶His tamen nihil obstantibus statuitur prima conclusio huius articuli . Non solùm resurrectio per causas naturales fieri nequit, imò neque quicquam corruptũ idem numero redire. Conclusio est S.Th. quodli.& 4.arti.5.& libr. 4.contra Gentes cap.81.& Durandi dist.præsenti.q.2. Quinetiam expresè Aristotelis non tantum loco citato in Prædicamentis,ubi ait, A priuatione in habitum impossibilem est regressum uerum,& ex professo . 2. de generatione text. 70. ubi ait , quòd quæ naturam mobilem eandemq́ue immortalem obtinent,ut cælestes orbes,eadem numero per circunlationes redeunt. Quorũ uerò mortalis dissipabilisq; natura est,necesse est ut eadem specie redeant, non tamen eadem numero replicentur , ut cùm ex aqua fit ignis, & rursum ex igni aqua . Quo loco legitimi omnes interpretes eandem conclusionem concordes confitentur .

Opinio uera.

1. Cõclus.

Patroni cõclusionis.

Aristo.

¶At quia rationes adducũtur diuersæ,omnium fundamentum est hoc.In quacunq; re est considerare & rõnem speciei & rationem indiuidui, & utriusq; est assignanda naturalis causa: & qui dem speciei cã est similitudo: causa enim cur producatur ignis & nõ aqua,est qa fit ab igne,& unũquodq́ue producit sibi simile: eadem est rõ cur homo ab homine & equus ab equo & non aliud animal progignatur : causam uerò cur nunc hic ignis hunc producat ignem,& non alium, quem fortè producet cras , aut hunc numero gradum caloris,& non alium æqualem,aut cur applica

Fũdamẽtũ conclusionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta aqua hunc gradũ frigoris potiùs quàm alium corrumpat, pleriq; nominaliũ non aliam reddunt, quàm quòd deus sic uult: imò hoc tanquàm optimum argumentũ usurpant ad probandum Deum esse: quia in his naturalibus operationibus semper miscetur aliquid supranaturale. Alij dicunt prouenire ex cælesti constellatione occulta. Sed certè responsa hæc non sunt physica, sed eorum, qui medullas naturæ non penitus inspiciunt. Deus enim dum cum agentibus naturalibus concurrit, quę ex necessitate agunt, non cõcurrit nisi generali influentia, qua cum natura, dum illam condidit, concurrere pepigit. Sed sinit unumquodque agere, ut sua fert natura. Constellatio uerò cælestis non agit nisi naturaliter secundùm determinationẽ causarum inferiorum. Igitur sicut datur causa cur res huius speciei producatur, & non alterius, ita reddenda est causa naturalis in his inferioribus, cur hoc nunc producatur, & non aliud numero differens eiusdem speciei. Et certè causam hanc philosophi non aliunde, quàm ex conditionibus indiuidualibus piscari potuerunt. Producitur enim hoc numero nunc & nõ aliud, non alia de causa, nisi quia ista singulari actione producitur, quæ ad hunc terminum ex natura sua destinata est. Indiuiduatur autem (ut sic cum Philosophis loquamur) hæc productio, quia fit in hac materia in hoc loco & hoc tempore. Et quia istę conditiones, potissimè tempus & interruptus motus iterum redire nequit, neque uerò idem temporis momẽtum antea esse potuit, fit ut agens naturale hunc effectum non potuerit antea producere, nec possit postea, neque modò possit eiusdem speciei alium, quàm istum. Et hæc est causa cur nequeat equus eundem filium, quem antea genuit, rursum gignere, siue corruptus fuerit, siue superites sit, neque eadem arbor eundem numero fructum bis: neque ulla causa (ut summatim dicamus) eundem effectum. Et quoniam Deus ex his secundis causis in agendo nõ pendet, neque ab istis conditionibus temporis & loci, & motus potest id, quod corruptum est, imò etiam si annihilatum fuerit, in alio tempore reproducere, ut distinctione sequenti latius ostendemus. Et certè hæc ratio penitiùs inspecta satisfacit, præterea nulla. ¶Sed arguit contra Scotus. Possunt duo motus eundem habere terminum, ut patet de motibus localibus ad eundem locum, etiam si diuersis temporibus fiant: ergo eadem res diuersis ualet actionibus produci. Negari utique posset antecedens: quoniam licèt duo motus locales ad eundem locum terminentur, non tamen ad, ubi, quæ est relatio, quæ in diuersis subiectis diuersa est. Sed hoc præmissio, consequentia est sophistica. Cõclusio enim nostra de terminis loquitur, qui per actiones ipsas & mutationes producuntur. Idem enim calor, qui per hanc calefactionem producitur, non potest produci per aliam, neque idem equus, aut arbor &c. Locus autem non producitur per motum localem, sed est permanens, quem diuersa mobilia possunt diuersis temporibus subintrare.

Nota.

Sententia autoris.

Cã unde

Scoti arg.

Solutio.

Sensus conclusionis.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum igitur argumentum in capite quæstionis propositum respondetur, quod Philosophus illic solùm ait, quòd si materia est diuersa & agens diuersum, effectus est diuersus, ut ex lana non fit serra, sed ex ferro: & pictor non extruit gladium, sed faber. Non tamen infert, quod si materia est eadem, & agens idem, effectus sit idem. Quanuis id de identitate, ut aiunt, specifica affirmandum insinuet: nã si materia est eadem & agens idem, producent effectum eiusdem speciei. Sed tamen ad producendum eundem effectum numero id non sufficit, sed præterea exigitur, ut actio quoque & motus sit idem, quòd utique fieri nisi in eodem loco & tẽpore non potest.

Obiectio.

¶Quod si redarguas. Nunquid duo agentia eodem loco & tempore eidem materiæ applicari possunt? tunc ergo duorum agentium duæ erunt actiones, & tamen sequitur idem effectus: nempe, idem calor si duo applicentur ignes. Respondetur, quòd duo agentia possunt applicari per modum unius. & sic poterunt producere unum intensiorem effectum, sicut si essent unum uirtuosiùs, & sic duæ candelæ producunt unum lumen intensius. Illud tamen lumen non possent alio loco & tempore producere. Applicari autem duo agẽtia eiusdem speciei eidem materiæ eodem & loco & tempore & per modũ plurium certè non possunt, ut duos eiusdem speciei in eodem subiecto eodem momento inducant, Nisi teneatur opinio dicentium intensionem fieri per additionẽ gradus ad gradum: nam tunc unus gradus producetur ab uno agente, atque alter ab altero, & sic erunt duæ actiones & duo effectus. ¶Ad aliud autem argumẽtum, quod nos fecimus respondetur, agens naturale nullam posse producere formam, nisi eam educendo de potentia materiæ. Non loquimur de lumine, quod in hoc habet imaginem spiritualis formæ, quod nequaquã educitur de potentia aeris. Et ideo quanuis forma equi aut plantæ esset diuinitus per se separata, non posset naturale agens illam unire materiæ: quia nõ potest equus aut planta producere formam nisi ex semine; in cuius uirtute manet forma, quæ inde educitur.

Dilutio.

Opinio quorũdã.

Solutio rationis autoris.

Sol. quarti argumen.

¶Ad aliud uerò, quod maiorem habet apparentiam de homine respondetur, quòd neque homo naturaliter potest produci per semen, in cuius uirtute licèt non lateat anima, ut de eius potentia educatur, latent nihilominus dispositiones organici corporis, quas naturaliter consequitur inductio animæ in eandem materiam. Et ad has dispositiones singulares & indiuiduas subsequitur inductio huius animæ singularis. Quare si Deus aliam formam induceret, non diceretur ille homo gigni ab illo homine, qui inducit dispositiones. Cùm ergo Petrus postquam genuit Paulum nequeat iterum idem semen eademq; dispositiones reproducere, nequit iterum progignere Paulum. Imò si alio semine alijsq; dispositionibus numero productis eandem animam Pauli Deus illi infunderet, miraculum esset: quare non diceretur ille homo productus per naturam, imò fortasse non esset ille homo idem Paulus.

Solut. arg. Scoti.

¶Ad aliud argumentum Scoti negatur, quòd interruptio motus non sit necessaria causa ut alius sit motus, atque adeò alius effectus. Ait enim Philosophus 5. Physicorum tex. 39. quòd unitas motus ex cõtinuatione pendet: est enim unus motus qui non interrumpitur. Si ergo sol in aula lumen certum producat, quandiu continua actione illud conseruat, est idem lumen: si tamen actio clausa fenestra interrumpatur, certè postea iterum aperta, noua erit luminis productio, atque adeò nouus radius.

¶Ecce ergo causam cur non possit idem per naturam reproduci: quia eãdem actionem & motum iterari nõ est possibile propter causas iam allegatas. ¶Restat hic tamen dubium utrùm quancunque rem cuiuscunque generis Deus possit iteratò producere. Huius autem dubitationis solutio ad initium proximæ distin. spectat, ubi disputabitur, utrùm idem prorsus homo, qui per mortem cecidit, in eodemq; corpore sit resurrecturus.

Dubium.

¶Hinc ergo gradum ad secundum membrum quæstionis faciamus in initio propositæ, utrùm scilicet resurrectio, quæ futura est, sit dicenda naturalis. Ad quod per secundam conclusionem respõdetur. Resurrectio corporum non est simpliciter naturalis cẽsenda, imò simpliciter loquendo erit miraculosa, sed secundùm quid: hoc est, diminutè & moderamine quodã erit naturalis. Probatur conclusio facillimè. Naturale enim dicitur quippiam aut ratione principij agentis, aut ratione termini, qui producitur, aut ratione utriusq;. Contingit ergo aliquem motum esse utraque ratione naturalẽ, quia scilicet & principium & terminus sunt à natura, ut descensus rei grauis deorsum, & generatio ignis & animalium atque plantarum: & talis motus dicitur simpliciter naturalis. Cõtingit autem utrumque esse aut supra aut præter naturam, ut glorificatio corporum in æterna beatitudine, quæ ideo simpliciter dicitur & est supranaturalis: & proiectio rei grauis sursum, ubi principium & terminus est præter naturam grauis: & ideo motus ille simpliciter est uiolentus. Potest tertio modo motus ratione termini esse naturalis, quia conueniens rei naturæ: principium uerò non nisi aut supranaturale, aut ab arte, ut illuminatio cæci, quem Christus sanauit, & præmaturatio fructuum per artem. In his enim terminus est naturalis, non tamen principia. E conuerso uerò ut principium sit naturale, & terminus non sit naturalis, fieri non potest: quia cùm natura agat determinato modo, nequeũt principia naturalia effectus nisi naturales proferre. Imò monstrum in natura humana, quanuis respectu humani seminis sit præter naturam: hoc est, præter intentionem agentis, tamen respectu aliarum causarum, quæ illam intentionem impediuere, est naturale. Resurrectio ergo corporum respectu principij actui supranaturalis

Ratio conclusionis.

Motus tripliciter potest esse naturalis.

Tertius modus.

Resurrectio est supranaturalis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lis est, ut hactenus est conclusum, sed potest dici quodammodo naturalis ratione termini: quia naturale est animã uniri cor pori, & corpus per animam uiuere, sed tamen simpliciter non potest dici naturalis, sed supranaturalis & miraculosa: primùm, quia denominatio fit ab agente, quod præstantius est quàm materia & subiectum.

Ratio. 1.

Ratio. 2. Secundò, quia etiam illa potentia passiua, quæ est in materia ad formam, non dicitur naturalis, nisi respectu agentis naturalis, cui est obediens: & tamen materia non est in potentia naturali ad eandem formã numero, quam perdidit, postquam per naturã non potest eandem formam numero susc ipere, neque easdem dispositiones organicas humani corporis ad eandem animam idoneas. Et ideo magis dicitur obedientia supranaturalis: scilicet,

Ratio. 3. ad diuinam recipiendam actionem. Præterquam quòd terminus ipse: nempe, uita animæ in corpore glorioso, non est naturalis, sed supranaturalis: neque uerò uita animæ damnatæ in corpore, quippe quod non uiuit per alimenta, imò uita illa potius mors quædam est. ¶Et per hæc secundum etiam argumentum dilutum restat.

Tertia cõclusio. ¶Ad tertium tandem quæstionis membrum conclusione tertia facillimè respondetur. Finalis resurrectio futura nequit rationibus naturalibus probari, imò nec persuaderi: sed tamen potest aliquibus naturalibus similitudinibus declarari, & ostendi non esse impossibilem. Probatur prima

Ratio primę partis. pars. Sicut res se habet ad esse, ut ait Philosophus, sic ad cognosci: illa uerò quæ sunt supranaturalia ex principijs naturæ fieri non possunt: ergo nec per eadem principia possunt eatenus cognosci, ut demonstrentur aut sufficienter probentur: resurrectio uerò est supranaturalis: ergo non potest illo pacto cognosci. Quod autem similitudinibus & exemplis ad eius cognitionem deducamur, saltem ad ostendendum non esse impossibilem, probat Apo-

Probatur similitudinibus naturalibus. stolus, & secundùm eum Gregorius, & lib. 2. de sacra. Hugo ca. 13. Sicut enim granũ cadens in terram, ut ait in euangelio Christus, nisi mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, fert fructũ, ita ait Pau. quòd homines seminati in corruptione & in ignobilitate, resurgent in incorruptione & nobilitate: quicquid enim Deus per causas secundas potest, id potest se solo. Ratio uerò non demõstrat, quia granum mortuum non idem numero, sed species resurgit, sed tamẽ sunt quædam quodammodo naturalia exempla rei supranaturalis. Vt occasus solis & ortus, exsiccatio plantæ & eius repullulatio, somnus & à somno expergisci, atque id genus alia. Nota.

¶Aliter tamen priorem partem conclusionis impugnare possumus. Desiderium naturale non potest esse frustra: anima autem habet desideriũ naturale ad corpus, & naturali ratione probatur esse perpetua: ergo naturali ratione concluditur corpori aliquando restituendam. Respondere tamen posset Philosophus, quòd quanuis habeat naturalẽ inclinationem ad corpus, illam tamen satiat dum in ipsum infunditur, at uerò quia post quam ipsum exuit, non potest ad ipsum naturaliter redire, quod naturalis ratio, ut diximus, demonstrat, diceretur in lumine naturali q̃ nihil illius inclinationis sit ei reliquum. Quemadmodum proximè & de corpore diximus, quod quia non potest animam naturaliter suscipere, non ei propriè inest inclinatio ad ipsam. At uerò potiùs est per discrimen animæ & corporis respondendum, quòd cùm corpus abeũte anima corrumpatur, non permanet in eo inclinatio naturalis ad animã, anima uerò, quia eadem permanet eandem retinet inclinationem ad corpus. Sed tamen inde nõ colligitur naturale argumentum resurrectionis: responderet enim naturalis Philosophus, quòd illa inclinatio per contemplationem substantiarum separatarum satiatur. 2. Arg.

Cõtra primam partem. Solutio.

¶Sed aliter cum Augustino lib. 3. de trinita. cap. 8. arguitur. Non solùm anima, uerùm & homo ipse naturale habet beatitudinis desiderium: oẽs enim beati esse uolunt: cognoscitur autem naturaliter beatitudinem hominis in hac uita non esse perfectam, quandoquidem nulla re in hoc seculo obtenta quiescit, sed semper ad aliud anhelat: ergo quo appetitu homines cupiunt esse beati, cupiunt esse immortales. Qua utique de causa sub mortis articulum tristantur: nempe, quòd sua beatitudine expoliari se cernant, unde illo, uerbo Paul. 2. Corinth. 5. Nolumus expoliari, sed superuestiri, desiderium naturale de-

2. Cor. 5.

signat: nulli enim siue iusti siue iniqui, sunt qui non semper esse optent, & in hoc arbitrantur suam beatitudinem consistere. Notum autem est lumine naturali desiderium naturæ, saltem totius speciei, nõ esse frustra: ergo eodem lumine colligitur, homines immortali uita esse perenniter functuros, atque adeò resurrectionem fore.

Obiectio.

Dilutio. ¶Ad hoc respondetur, argumentum profectò in lumine naturali id concludere, ut supra diximus, quòd sit in nobis quippiam immortalitatis capax: nempe, anima. Inde enim Philosophus naturali responderet, insatiabilia hæc desideria immortalitatis obuenire: anima enim est per quam desideramus, atque adeò secundùm illam satis arbitraretur naturalis Philosophus, ut sempiterna felicitate potiremur. Et

Solut. Augustii. hæc est responsio Augustini ibidem capit. 9. ubi ait, quòd hæc humanis argumentationibus inuenire conantes uix pauci magno prædi ti ingenio abundantes otio doctrinisque subtilissimis eruditi ad indagãdam solius animæ immortalitatem peruenire potuerunt. Hactenus ille. De coporibus autem, quæ obnoxia esse corruptioni conspiciunt, nequeunt Philosophi eo assurgere, ut intelligant, dotes susceptum ire, quibus fiant perpetua: quoniam gloria, unde dotes illæ dimanant, supranaturalis est. Perpetuitatem uerò speciei humanæ per continentem indiuiduorum successionem in eadem specie seruari satis autumant. Obidque resurrectionem, quos fides non docet, fabulam putant. Vnde Actuum. 17. refertur, quòd cùm Thessalonicæ Paulus, Christum resurrexisse, prædicasset, quidam nouorum dæmoniorum annunciatorem eum censebant, quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis. Et capitu. 26. eandem mortuorum resurrectionem prædicanti reclamauit uoce magna Festus, Insanis Paule: multæ te literæ ad insaniam uertunt.

Actu. 17.

Actu. 26.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm diuina Christi resurrectio nostræ sit resurrectionis causa.

QVONIAM definitum est, quòd resurrectio non naturalem, sed supranaturalem sit habitura causam: nempe, Deum, quæritur, utrùm resurrectio Christi secundùm carnem sit etiam eiusdem resurrectionis causa. Et arguitur à parte negatiua. Posita uera causa, ponitur effectus: posita autem resurrectione Christi nondum subsequuta est hominum resurrectio: ergo illa non est causa. Partis negatiuæ argu. 1.

¶Secundò. Effectus esse nõ potest nisi causa præcesserit: potuit autem resurrectio fieri etiam si Christus carnem non assumpsisset: nam ut 3. de Trinita. capi 10. autor est Augustinus, non defuit Deo modus alius possibilis remittendi scelera nostra: ergo resurrectio Christi non fuit causa. 2. Argum.

¶Tertio. Eiusdem rei nõ opus est esse plures causas eiusdem generis: sed resurrectionis causa potissima est Deus, cuius instrumentum ad excitãdos mortuos futura est tuba, & tanquam ministri resurrectionis erunt angeli, iuxta illud. 1. ad Thessaloni cen. 4. Ipse dominus in iussu & in uoce archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt resurgẽt primi &c. ubi Christus non uidetur describi tãquam resurrectionis autor, sed uirtus & tuba Dei & uox archangeli. Ergo eius resurrectio, non est nostra futura causa. 3. Arg.

¶In contrarium est, quod primum in uno quoque genere, ut. 2. Metaphy. ca. 1. autor est Philosophus, omnium eiusdem generis causa est, ut ignis omnium calidorũ: Christus autem fuit resurgentium primus, iuxta illud Pau. 1. Corin. 15. Christus resurrexit à mortuis primitię dormientium. Quã ob rem uocatur primogenitus mortuorũ: id est, primus qui resurrexit: ergo eius resurrectio causa est nostræ. Pars affirmatiua.

¶Ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Quanuis gratiæ & gloriæ nostræ atque omnium, quæ ad nostram salutem pertinent, Deus suapte autoritate sit prima causa, nihilominus Christus quatenus Redemptor, est eorundem beneficiorum etiam causa per potestatem sibi diuinitus collatam. Conclusio est compertissima. Prior scilicet pars secundum illud Theologorum axioma, Opera Trinitatis indiuisa sunt à dextra: hoc est, omnia à Deo quatenus unus 1. Conclu. Prima pars.

Universidad de Deusto
Biblioteca

est in tribus personis procedunt. Quare & ipsius Christi incarnationis Deus fuit causa. atque adeò omnium beneficiorum, quę inde nobis largissima prouenerunt. Postrior etiam pars inde colligitur, quòd cùm ipse in quantum Deus & homo nostram fuerit redemptionem operatus, inde constat Regem fuisse regni cœlorum: hoc est iure sibi competere rationem nostrarum actionum exigere, præmiaque & supplicia decernere, iuxta illud. Ioan. 5. Omne iudicium dedit pater filio: Dedit enim ei iudicium facere, quia filius hominis est. Et Matth. 18. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Ob idque uti ait Paulus. 1. ad Timotheum. 2. unicus est mediator Dei & hominum. Medius quippe utriusque extremi particeps esse debet. Etenim neque qui tam humilis esset sortis, ut nullum haberet ad regem accessum, neque qui tam sublimis esset, ut cum eo populus conuersari non posset, inter Regē & populum mediator esse ualeret, Christus autem Deus & homo ex uno habet accessum ad patrem, & ex altero ut delicias ducit esse cum filijs hominum. Ob idq; & tanquam aduocatus noster & internuncius apud Deum, tum nostra sacrificia ei offert, tum uicissim & sua nobis confert beneficia. Vnde idem Apostolus ad Ephes. 4. Ascendens, inquit, Christus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et Ioan. 1. Vidimus illud (scilicet, uerbum) plenum gratiæ & ueritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Non nos pleni, ut ipse plenus, quemadmodum perditi hæretici dogmatizant dicentes, suam iustitiam perinde nobis imputari acsi nos ipsi fuissemus passi, ita ut nulla amplius satisfactione indigeamus, imò quòd ad æqualē eandemq; cum sua sanctitatem simus per ipsum promoti. Sed ipse plenus tanquam unigenitus Dei filius naturalis, cui non ad mensuram data sunt dona. Nos uerò tanquam eiusdem patris filij adoptiui secundùm mensuram donationis Christi, ut ad Ephes. quarto. ait Paul. accepimus de plenitudine eius: scilicet, quatenus per sacramenta aut per nostras actiones fauore eius præuentas, accipimus gratiam pro gratia: quia nulla iustitia nostra suam antecedit gratiam: nam in hoc est charitas, ut ait Ioan. non quasi nos dilexe-

Secunda pars probatur.

Ioan. 5.

1. ad Timotheum.

Ad Ephesios. 4.

Ioan. 1.

1. Ioan. 4.

rimus Deum (scilicet priùs) sed quia ipse prior dilexit nos. Et ideo quicquid nobis dat: gradus dat: & quantus unum pro alio, tamen utrumque gratis. Dedit enim legem antiquā gratis, quę ideo gratia erat, sed non erat nisi umbra ueritatis nouæ legis, neque ex se iustificare poterat. Pro illa ergo gratia dedit aliam scilicet, legem euangelicam, quæ ueritas est, & per sacramenta iustificat. Quo circa subdit, Lex per Moysen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Item dedit nobis unigenitum suum in carne plenum gratiæ & ueritatis, quæ fuit nobis donorum gratiarumque summa, & per ipsum nobis confert iustificantem gratiam. Rursus pro hac iustificante gratia, quæ est acceptatio ad gloriam, collaturus est nobis gloriam, quæ est consummata gratia. Accepimus ergo de eius plenitudine gratiam pro gratia: scilicet, legem pro lege, nouam pro ueteri, iustitiam pro iustitia: scilicet nostram per suam: & gloriam tandem pro nostra iustitia quæ procedit ex sua gratia: hoc est, præmium suum pro merito nostro, quod in sua uirtute nititur. Vide quantum Deo Christo debeat humanum genus.

Secunda conclusio.

¶Secunda conclusio. Resurrectio Christi fuit, futuraq; est causa resurrectionis nostræ. Probatur. Quoniam licet, ut dictum est, Christus fuerit autor beneficiorum omnium salutis nostræ, tamen diuersa eius opera ad diuersa beneficia appositissime coaptantur: & ideo sicut per passionē causa fuit redemptionis nostræ & liberationis ab spirituali morte peccati, ita & per resurrectionem causa fuit resurrectionis nostræ ad uitam perpetuam, etiam corporalem. Id quod sapientissimè Paulus ad Roman. 4. illo uerbo insinuauit. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Nā quia in iustificatione duplex est terminus, scilicet, ā quo, qui est peccatum: & ad quē qui est innouatio uitæ, per mortem & resurrectionem Christus mysterium redemptionis perfecit, quia moriendo extinxit nostra peccata, & resurgendo contulit nobis ius æternæ uitæ.

Ratio.

In iustificatione duplex terminus.

Paulus.

¶Et ideo ad Romanos. sexto. Si mortui, inquit, sumus cum Christo (scilicet per baptismum) credimus, quòd ficimul etiam uiuemus cum Christo, sciens,

tes, quòd resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem uiuit, uiuit Deo. Ita & uos existimate, uos mortuos esse peccato, uiuentes autem Deo in Christo Iesu. Quasi dicat. Sicut Christum necesse fuit à uita mortali pro originali culpa nostra semel mori, ut subinde resurgens uita diuina uiueret, neque mors illi ultra dominaretur, ita & uos mortuos semel peccato in baptismo oportet diuina uita innocenter uiuere, ut non ampliùs uobis peccatum dominetur. Et eadem ratione quantum ad uitam corporalem licèt oporteat uos semel mori (ad Hebræos. 9.) resurgetis tamen in uitam, qua Deo æternum corpore & anima per beneficium Christi uiuatis.

Pau. Heb. 9.

1. Cor. 15.

¶Quapropter idem Apostolus. 1. Corin. 15. ex resurrectione Christi tanquam ex propria causa nostram colligit. Si enim, inquit, Christus prædicatur, quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in uobis, quòd resurrectio mortuorum nō est? Si autem resurrectio mortuorum non est, nec Christus resurrexit. Arguit à causa ad effectum. Vnde statim subnectit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra: quare si in hac uita tantum sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Vbi antidotum depingit salutis nostræ, quòd sicut Adam initium fuit mortis uiuorum, ita & Christus resurrectionis mortuorum. ¶Est tamen dubium, quo modo sit causa, utrùm scilicet, efficiens, an uerò formalis aut finalis. Respondetur, diuersimodè considerata diuersimodè cō currere. Si enim Christum mediteris quatenus Deum, tunc prima est causa efficiēs nostræ resurrectionis per suam infinitam uirtutem. Sed tunc est causa æquiuoca: id est, altioris rationis & generis, sicut est causa cæterarum rerum creatarum. Si uerò consideretur ceu Deus humanitati cōiunctus, in qua resurrexit, tunc est causa proxima per uirtutem diuinitus susceptam, & uniuoca: scilicet, eiusdem rationis cum nostra resurrectione, ut ipse Ioan. 5. testatur dicens. Sicut pater suscitat mortuos & uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Vnde quia causa efficiens uniuoca producit effectum sibi similem, ut ignis ignem, est etiam causa formalis: putà, exemplaris: quia corpora nostra instar sui corporis suscitanda sunt, & dotibus similibus dotanda, iuxta uerbum Pauli ad Philippen. 3. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Quod uerbum ecclesia in die Transfigurationis canit, propterea quòd illic Dominus & uiuis & defuncto Moysi & seruato Eliæ ostendit, quemadmodum ad eius exemplum debeant omnes resurgere. Est nanque ipse caput nostrum, nos uerò eius membra, & ideo omnia eius dona in nos redundant, quemadmodum ut est in psalmo, Vnguentum in capite quod redundabat in barbam Aaron, & usque ad oras uestimenti eius. Vnde Paul. Hebræo. 2. Deus, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccato, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus.

Resurrectio Christi est cā formalis.

Resurrectio Christi quo modo sit cā nostræ.

¶Quod si rursus scitando instes, utrùm humanitas ipsa sit aliquo modo causa efficiens nostræ resurrectionis? Respondetur, quòd si de causa agenti & principali perconteris, non est nisi uirtus Christi ei diuinitus impertita. Eadem enim quæ fuit causa resurrectionis suæ erit & nostræ: & clarum est, quod humanitas, quæ in triduo non habuit partes coniunctas, non fuit causa suæ resurrectionis, sed diuina uirtus Christo communicata, qui & animam habebat diuinitati coniunctam & simul corpus: quare eadem uirtute eaſdem partes coagmentauit, & eadem uirtute nos quoq; resuscitabit. Et hoc est quod ait ad Roma. 7. Paul. Qui suscitauit Christum à mortuis uiuificabit uitalia corpora nostra. Si uerò de causa instrumentali fiat sermo, resurrectio ipsa Christi: hoc est, coniunctio corporis & animæ suæ est instrumentum coniunctum eius diuinitati, quo mediante nostræ resurrectionis erit causa. Quemadmodū, ut lib. 3. ca. 15. ait Damascenus, tactu corporali mundauit leprosū, & limitione oculos aperuit cæco. ¶Quod si in contrarium arguas.

Dubium.

Solutio.

Pau. Ro. 7.

Damascenus.

Obiectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

guas. Eadem esse debet causa omniũ, quæ sunt eiusdem speciei: humanitas autẽ non fuit causa resurrectionis Christi, eo quòd anima erat tunc à corpore separata: ergo neque nostræ est causa. Respondetur ad maiorem, solùm habere uerum, quando omnes illi effectus eundem habent ordinẽ ad causam. Et liquidum est, resurrectionẽ Christi propinquiorem esse uirtuti diuinitatis, quàm nostram: & ideo per suam propriam uirtutem absque alio instrumẽto resurrexit: nostram autem resurrectionem mediante sua operaturus est.

Diluitio.

Resurrectio Christi an fuerit cã resurrectionis dãnatorum. Solutio.

¶Redarguitur nihilominus, quòd saltem eius resurrectio non fuerit causa resurrectionis damnatorum, quia in effectu quippiam similitudinis causę relinquitur: in dãnatis uerò nihil fiet reliquum Christo simile: quia nullas obtinebunt aut animæ, aut corporis dotes. Respondetur uerò omnium fore uniuersalem causam. Damnati enim assimilabuntur ei in natura humanitatis: quia integram, ut ipse recipiẽt, non tamen in gratia filiorum Dei, sed resurgent, ut executio in eis iustitiæ fiat, secundùm corpus & animam.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd posita causa naturali, quæ sola sine aliorum ordine operatur, extemplò subsequitur effectus, ut præsente sole illico fit illuminatio: illa tamen quæ ordine agit, aut mediante alia causa non protinus totum effectum profert, sed per ordinem applicata. Ignis enim, qui est causa caloris non illico totum in passum influit, sed incipit paulatim illum effundere, imò nisi passum ei admoueatur, non agit. Resurrectio autem est causa non immediata, sed mediante diuina uirtute, quæ per diuinam suam uoluntatem, secundùm ordinẽ suæ sapientiæ applicabitur, tempore scilicet per eandem sapientiam decreto. Quare protinus resurgente Christo multa corpora sanctorum resurrexerunt: nam etsi dum expirauit, Mattheus referat, multa monumenta aperta fuisse, & multa corpora sanctorum, qui dormierunt, resurrexisse, subdit tamen, quòd resurgentes de monumentis post resurrectionem eius uenerunt in sanctam ciuitatem, ut ostenderet priùs ipsum, quàm illos resurrexisse, ut artic. 1. quæstionis sequentis explicatiùs, dicemus. Ob idq; illi testes perinde facti sunt resurrectionis dominicæ, ut effectus

Christus prior cæteris resurrexit.

causæ præsentiam cõtestari solet: sic enim per fumum cognoscimus ignem.

Sol. 2. arg.

¶Ad secundum uerò respondetur, Deũ aliter, ut ait Augustinus, salutem nostram operari potuisse, ignoscendo scilicet nobis absque perfecta satisfactione Christi per eius mortem. Et tunc etiam resuscitasset nos absque eius resurrectione. Sed tamen quia iustitia Dei perfectam illam satisfactionẽ per Christum exigebat, sicut non sanauit animas nostras nisi per passionem Christi, ita corpora nostra non nisi per eius resurrectionem reparabit.

In die iudicij an aliquæ futuræ uoces.

¶Tertium uerò argumentum aliud exposcit explorandum: nempe, an aliqua sint illic futura Dei instrumenta: uidelicet, uocem, aliaue angelorum ministeria. Nam ex una parte uidentur superflua, cũ Deus ipse se solo facere possit, iuxta uerbũ Damasceni lib. 4. cap. 28. Crede resurrectionem futuram diuina uoluntate, uirtute & nutu: sed nihilominus Paulus & uocis Dei & archangeli meminit & tubæ.

3. Concl. Ratio.

¶Sit ergo tertia conclusio. Signũ aliquod dabitur in iudicio præsentiæ Christi ad iudicium aduentantis. Probatur. Christus, ut dictum est, per suam resurrectionẽ est causa uniuoca: hoc est, eiusdem rationis cum nostra: causa autem huiusmodi non operatur, ut. 7. Physic. ait Philosophus, nisi per suam præsentiam applicata: cùm ergo Christus in carne sit appariturus, ante quem mortui omnes sint conuenturi, necesse est signum aliquod sensibile aduentantis ipsius adesse: quod utique signum uocem Paulus loco citato appellat, & tubam.

Tuba materialis an tunc cãdida sit.

¶Haud tamen inter interpretes satis conuenit, utrùm in sensu literali uox re uera sit intonanda, canendaq; tuba humano auditu perceptibilis, an uero sola illa apparẽtia Christi, qui sua claritate refulget, per metaphoram, ut sermo humano mori accommodetur, uox dicatur & tuba. Sunt enim quibus per metaphoram dictum placet. Vt enim legitur Matthæi. 24. Sicut fulgur, quod uenit ab oriente & apparet in occidente, ita erit aduentus filij hominis. Sicut ergo repentinus ille fulgoris splendor citissimo fulguri assimulatur, ita & apparitio ipsa iudicis, aiunt, noie uocis exprimitur, eo quòd tota hominum corporalis natura illi obediat, & illius nutu omnia recepto spiritu uitæ præsto erunt.

Opi. quorundam.

Et

Et huic opinioni patrocinari uidetur Gregorius dicens, quòd tubam sonare, nihil aliud est quàm mundo filium Dei ut iudicem demonstrare. Atque ad hanc opinionem, quippe quam secundo loco recitat, gratiùs uidetur D. Tho. adnuere. At uerò in Quarto non perinde ac in summa exactè res limabat, sed crebro aliorum scita referebat. Minimè ergo ambigendum est quominus præter iudicis præsentiam sensibile aliquod signum præsentis iudicis sit affuturum: nam præsentia ipsa non est signum, sed res significata. Signum ergo erit seu tonitrus, seu alius clangor, qui ad similitudinem tubæ exprimitur. Vnde illud Iob. 26. Quis poterit tonitrum magnitudinis eius intueri? exponens Grego. ait, quòd quem Iob tonitrum, Sophonias tubã appellauit ca. 1. ubi ait, Dies illa, dies iræ &c. dies tubæ & clangoris.

Gregor. Tubam cauere quid. S. Thom. Sententia autoris. Grego. Ratio. 2.

¶Accedit, quòd cum iudicium sensibiliter faciendum sit: nempe, oculis & auribus sit percipiendum, eo quòd Christus in carne tanquàm Redemptor sit iudex uenturus, quàm simillimum uero est aliquo sensibili sonitu eundem iudicem excitatos mortuos ad iudicium euocaturum. Ait enim Paul. quòd dominus ueniet in iussu Dei: nam iudicis est iubere, ut qui sentẽtiam audituri sunt, in suo tribunali sistantur.

1. ad Thessaloni. 5.

¶Obidque re uera quicquid sit de tuba, uocem tamen certius credendum est tunc proferendam. Nam quàmuis iussus ille potuerit fieri duntaxat intus in mente sine externo sonitu, quemadmodum creditur Deus mundum condidisse. Per illud enim Gen. 1. Dixit, fiat lux: & Dixit: fiat firmamentum &c. iussa diuinæ mentis designantur. Tamen in finali resurrectione longe uero similius est, sonora uoce rem peragendam. Quando enim Deus mundũ creauit, neque ipse Deus sensibilis erat homo, neque erant tunc mortales, qui essẽt eius uoces audituri. Christus autem Deus & homo, qui proprio ore fidem nos docuit suam, & legem nobis posuit, credendus est sensibili uoce terribile illud concilium initum ire. Vnde Paul. tria subinde connectit dicens, Dominus in iussu, & in uoce archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, quasi iussus uoce sit explicandus, & tuba promulgandus. Et accedit præsertim uerbum ipsius Christi Io. 5. Omnes qui in monumentis sunt audient uocem filij Dei, & qui audierint, uiuent, ubi denotatur auditu uocis esse excitandos.

Vox sono rã in iudicio. Paulus. Ratio. 2.

Ratio. 3.

¶Atque inde etiam ad id arguitur, quòd uerba sacræ scripturæ, quæ per proprietatem suauiter exponi possunt, non sunt ad metaphoras releganda. Potuit enim Christus uentis & mari interno nutu imperare ut quiescerent tempestatemq; sedarent, eo uel maximè quòd res illæ audiendi sensu nõ pollebãt: & tamen, ut legitur Matth. 8. non imperauit nisi uoce sensibili, ueluti etiam dæmonibus ut de corporibus exirent: quàm maxima ergo inde fit coniectura in die iudicij uoce quoque mortuis iussurum, ut resurgentes compareant.

Ratio. 4.

¶Præterea arguitur. Illum stupendum aduentum multæ circunstantes qualitates facient terribilem, ut nigrans aeris imago & nubium fragor, atque alia: omnium aũt horũ profectò terribilissima est uiua uox.

Vox iudicij.

¶Imò hinc maxima cum probabilitate colligitur, uocem illam quasi ore fore articulandam, & humano more fore imperatricem: quandoquidem debeat Dei hominis iussum exprimere. Est autem rei accõmoda uox illa, quam Hiero. in regula monachorum. capi. 30. & alibi sæpè meditatur, Surgite mortui, uenite ad iudicium: qua uidelicet & resurrectio edicitur, & cõuentus indicitur.

An Christus ore proprio illam uocem sit prolaturus.

¶Vtrum uerò uocẽ illam Christus ipse ore proprio, uel archangelus à Deo iussus sit prolaturus, non multum decertarem. Est tamen plausibilius, quòd angelus ante faciem iudicis præconium illud sit inaturus, tum quod sic ait Paulus, in uoce archangeli, tum quòd & ad iudicis maiestatem, eiusq; autoritatis amplitudinem plus confert, ut angelus illud ministerium exhibeat, quemadmodum in præsentia Regis præco est qui eius leges & iussa diuulgat. Vnde Christus ipse Matth. uigesimoquarto. Mittet, inquit, filius hominis angelos suos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos. & cætera.

Matth. 24

¶Accedit, quòd & in primo misericordiæ aduentu Ioannes tanquam angelus, ut Esaias fuerat uaticinatus, missus est ante faciem eius, qui præparans uiam eius ante ipsum inclamaret, baptismum euulgando pœnitentiæ, quia appropinquabat regnum cœlorum: ex quo fit maximè uerisimile

Esaiæ. 46.

in

Universidad de Deusto
Biblioteca

in aduentu ad iudicium etiam angelũ con citaturum mortuos.

Obiectio.

¶Sed arguis fortè contra: Vox illa nõ poterit à cadaueribus exanimis audiri: erit ergo superuacanea. Negatur utique antecedens: uox enim cùm in aeris uerberatione fiat, eodem aeris impetu percutiẽs dormientium aures solet ipsos tam pernicitèr excitare, ut eandem uocem, qua excitantur, audiant, ita ut præcedens sonitus causa sit expergefactionis & expergefactio causa auditionis. Ad hunc ergo modum uox illa supernaturali Dei uirtute prolata mortua corpora perinde acsi dormirent, excitabit, quam excitari audient, & audientes iussa capessent. Quare glossa super illud Psalm. 67. Dabit uoci suæ uocem uirtutis, ait, id est, uirtutem suscitandi corpora: naturaliter nanque neque uox angeli id posset efficere. Est enim audienda non solùm in uniuersa terra & mari ubicunque cadauera iacent, uerùm & in infernõ, ubi animæ detinentur, & in paradiso, ubi Deo fruuntur. Qua sanè iubebuntur corpora resumere sua.

Gloss. Psalmi. 67.

Vocis iudicij uirtus.

¶Sanctus Thom. & Theologorum plerique uirtutem illam uirtuti sacramentorũ similem autumant: nempe, ut sicut sacramentalia uerba, ueluti supra suo loco diximus, non quia audiuntur, sed quia proferuntur, instrumentalem habent gratiam: illa uox antequã audiatur, resuscitat mortuos: non tamen est negandum quin illico audientes ei obtemperent.

Obiectionis dilutio.

¶Et per eandem similitudinem soluitur obiectio alia fieri solita. Si enim uoci illi uirtus inest diuina, fit ut eidem uoci naturalis sit effectus ille excitandi mortuos: sicut cæcus, qui per miraculum suscepit uisum, postea naturaliter uidet. Respondetur, inquam, uirtutem illam diuinam non esse qualitatem uoci illi inhærentem, imò quemadmodum de sacramentorum uirtute diximus, non est illa uirtus nisi motus quidã illius uocis uerber utique aeris, qua scilicet uoce Deus ceu organo suo utitur. Quare effectus ille non est uoci naturalis, sed supranaturalis.

Damascenus exponitur.

¶Ad Damascenum ergo respondetur, ꝙ ad explicandam Dei cunctipotentiã tria composuit ad resurrectionem concurrentia: scilicet, diuinam uoluntatem, uirtutẽ, & nutum: uoluntas enim designat summã autoritatem imperij à nullo alio dependẽtem: uirtus autem absolutam executionẽ absque alius indigentia: nutus denique citissimam exequendi facilitatem: ad nutũ enim obedire, est non expectata imperantis uoce, soli oculorum digitorumve nutui auscultare. Sed nihilominus non negauit, quin ad rei decentiam uox etiam esset adhibenda. Gregorius autem fortasse illius fuit sententiæ, quòd nullus sit illic futurus uocis usus: tametsi neque id planè de uoce neget, sed de sonitu tubæ ait, nihil aliud esse, quàm demonstrare mundo iudicem Dei filium.

Voluntas. Virtus, Nutus.

Ad Greg.

¶Et ideo respondendum superest, utrùm præter uocem sit etiam illic tubæ sonitus futurus, Respondetur autem, quòd quanuis qui diceret, tubam: nempe, instrumentum ipsum illic futurum, non absque colore ex uerbis Pauli collecto loqueretur. Imò & ex uerbis ipsius Christi Matth. 24. iam citatis. Nihilominus non est id dicere necessarium: siquidem angeli possunt instar tubæ absque aliquo instrumento aerẽ uerberare. Nam & tonitura ueluti tubæ sonare assolent. Vnde citatus Gregorius, tonitrum, idem censet tunc fore quod tubam. Et fortasse præter illam articulatam uocem erũt similes clangores & rauci strepitus, ut terroris plus incutiant, & audientes maiori pauori stupeant: quandoquidẽ locis citatis uox & tuba ut duo distinguũtur. Quinetiam sonitus illi clangorem & & musicam plurium tubarum fortè referent. Nihilominus, si cum diuo Hiero. ad Minerium & Alexandrum sentire placet, uox ipsa potest & clamor & uox & tuba censeri, ut clamor dicatur ab effectu conuocandi concitandiq; gentes, iuxta illud Matthæi. 25. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus uenit. Et uox propter humanam articulationem & significationẽ imperium iudicis exprimentem. Ac demũ tuba propter uehementissimam uocis magnitudinem: nam tuba altiùs quàm ore uox intonatur, iuxta illud Esaiæ. 38. Quasi tuba exalta uocem tuam. Et est allusio ad morem antiquæ legis: nam ut Numer. 10. legitur (quia tunc non erat cymbalorũ usus) duabus argenteis tubis ductilib. ad conuocandum cœtum canebatur. Vnde illud Iohel. 2. Canite tuba in Sion, conuocate cœtum. Et ideo Paulus. 1. Corinth. 15. In momento, inquit, in ictu oculi, in nouissima tuba. Vocat enim nouissimam: ut ibi dem

Tubæ sonitus in die iudicij audiendus.

Vox, clamor & tuba.

Clamor.

Vox.

Tuba.

dem ait Hieronymus, alludens ad illud Apocalyp. 7. de septem Angelis septem canentibus tubas & subditur ca. 10. quod in diebus uocis septimi Angeli, per quem ut interpretum pleriq; aiunt, intelligitur Christus, cùm cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei: scilicet, finis mundi, sicut Euangelizauit Deus per suos seruos prophetas: nempe, Daniel. 12. Qua propter semper restat quàm uero similimum: quòd præter uocem sit strepitus aeris in modum clangoris tubæ audiendus. Quandoquidem Paulus ad maiorem emphasim subiũgat. Canet enim tuba, & mortui resurgent. Si enim consummationem seculi huius contemplemur, ubi uita, & c. 7. ait Iob, tanquam militia transigitur, sonare tunc tubam, erit receptui canere, ut consummato prælio fieri solet. Si uerò diffiduum consideremus, quod ad modũ pugnæ, ut Sapient. 5. legitur, aderit tunc inter iustos & iniquos, erit classicum canere ut solet dum initur prælium. Quare tuba tunc alijs triste, alijs lætum canet: uictis scilicet supplicium, & uictoribus præmiũ. Si uerò illud ceu æcumenicum concilium uniuersalemque conuentum speculemur, quo de rerum summa totius orbis decernendum est, & ad illam conuocationẽ uox quoque tubæ accommodatur.

Tubam forte quid.

Secundus sonus.

Tertius.

Angelorũ ministeria in die iudicij.

¶Demum utrùm & angelorum obsequia illic sint futura hæsitatur: uidentur enim superflua. Nam si necessaria essent, ad id maximè ut animæ suis corporibus uniren tur: ad id autem non sunt necessaria, imò sicut solo Deo creantur in corporibus, ita & tunc unientur.

Conclu.

¶Nihilominus subiungitur quarta cõclusio. Illuc ad uenturi sunt angeli Christo iudici ministrantes. Probatur ex Augustino. 3. de Trinita. & ex Gregorio. 4. Dialogorum, dicentium, quòd corpora crassiora & inferiora per subtiliora & potentiora quodam ordine reguntur, ob idque Deus etiam in supranaturalibus corporum mutationibus ministerio utitur angelorũ ad modum naturæ, quæ ut 1. Meteoro. ait Philosophus, perlationes cælestes hæc in feriora gubernat: atque illa quæ infra hominem sunt, ipsius hominis iudicio regun tur, & corpus per animam. Inde ergo colligitur, quod Deus, qui supremus spiritus est, resurrectionem hominum, qui ex spiritu & corpore constant per spiritus medios cælestes sit perfecturus. Præsertim quòd Christo ea ratione, qua Redemptor, angelorum obsequia debentur, iuxta uerbum Pauli ad Hæbreos. 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatẽ capient salutis? Quare & eius conceptionem matri, & eius natiuitatem pastoribus annunciarunt, & in eius passione & resurrectione sua quoque præstiterunt obsequia. Atque adeo in resurrectione, ubi eius potissimùm maiestas & claritudo resplendebit, copiosissimus angelorum numerus eum comitabitur, iuxta uerbum ipsius Matthæi. 25. Cùm uenerit filius hominis in maiestate sua & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes. ¶Quo autem angelorum illic functiones innotescant, notandum est quatuor illic rerum congregationes futuras. Prima erit, ut uniuersi pulueres ubicunque fuerint, congregentur ad compingendũ corpus: & hanc facient angeli siue uoce illa Surgite mortui, siue citissimo præeunte locali motu per supranaturalem uirtutem. Secunda erit commassatio & organizatio membrorum, quæ etiam, ut quidam uolunt, compositio eorum ministerio fiet. Sed de hoc dicturi sumus quæstione sequenti arti. 2. Tertia erit unio animarum cum corporibus: hæc autem à solo deo immediatè absque ullo creato ministerio fiet, sicut earundem creatio animarum. Per quod argumentum proximè factum restat solutum. Veluti & glorificatio ipsa opus solius Dei est, absque angelico ministerio. Quarta congregatio erit omnium resurgentium ante tribunal Christi. Et in hac etiam angeli suas præbebunt operas.

Paulus.

Matth. 25

Quatuor congregationes.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

¶Tametsi fortasse in hoc diuisum erit bonorum angelorum & malorum officium, ut boni iustos in tribunali Christi sistant: sic enim Matth. 24. ait Christus, quòd angeli, quos missurus est, congregabunt electos à quatuor uentis à summis cælorum usque ad terminos eorum, ubi non sit reproborum mentio. Quare sicut reproborum animæ in primo exitu à corporibus per dæmones importantur ad inferos, ita nec sine probabilitate dici potest, eosdem fore ministros ad deferendos damnandos in iudicium, ubi eos sunt accusaturi. Et forsitan

Angelorũ bonorũ & malorũ officia.

Aristot.

Matth. 13 forsitan illud Matth. 13. quòd in consummatione seculi exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum, sic intelligitur, quòd boni angeli separabunt electos ad dexteram iudicis, ut inde euehantur ad gloriam: dæmones uerò separabũt malos ad sinistram quos inde præcipitabunt in Tartara.

D. bium. ¶At cùm angelorum hierarchiæ & ordines plures sint, fortasse quis sciscitetur, cuiusnam ordinis illi angeli erunt? Apparet enim fore uirtutes, quibus conuenit miracula edere. Et tamen Paulus loco citato non uocat eum nisi archangelum. Respondetur, quòd princeps illorum illic erit Michael archangelus, ut princeps militiæ cælorum expugnauit Luciferũ cum suo exercitu, fuitque adeò princeps synagogæ, ut habetur Esaiæ. 10. & Daniel. 12. estque & ecclesiæ princeps, sed sub illo multi erunt angeli propria singuli offerentes obsequia.

Solutio.

Sol. 3. arg. ¶Ad tertium igitur argumentum respondetur non inconuenire, imò conuenire maximè eiusdem rei plures esse diuersi ordinis causas. Erit ergo Christus resurrectionis autor, & uox instrumentum, atque angeli ministri.

QVAESTIO SECVNDA, *De resurrectionis tempore & modo.*

ARTICVLVS. I.

Vtrùm tempus resurrectionis sit finis mundi.

NON solùm causas, uerùm & tempus & modum resurrectionis nosse oportet. Et ideo quæritur, utrùm congruum fuerit, resurrectionem usque ad finem mundi prolatari. Arguiturque à parte negatiua. Maior est concordia capitis ad membra, quàm membrorum adinuicem, sicut causæ ad effectus, quàm effectuum inter se: sed Christus, qui caput est nostrum, non distulit suam resurrectionem usque in finem mundi, ut cum membris simul resurgeret: ergo nec decuit, ut nos uniuersalem illam resurrectionem expectaremus, sed ut unusquisque suo tempore resurgeret: scilicet, cùm ingressurus esset infernum aut cœlum.

Partis negatiuæ ar. primum.

2. Arg. ¶Secundò. Resurrectio capitis, ut dictum est, causa est resurrectionis membrorum: cùm ergo resurrectio Christi extemplo effectum sortiri cœperit in illis, qui cum illo resurrexerunt, & postmodum in quibusdam illustribus membris propter suã nobilitatem, ut de beata uirgine fertur, & de Ioanne Euangelista: consequitur, ut deinceps sic deberent singulorum resurrectiones sigillatim fieri.

3. Arg. ¶Tertiò. Post mundi terminum nullum fiet reliquum tempus: post resurrectionem autem mortuorum connumerandi sunt anni mille, antequàm fiat consummata resurrectio in uitam perpetuam: ergo resurrectio corporum non erit in fine mundi. Minor probatur ex illo Apocaly. capitulo uigesimo ubi binæ resurrectionis fit mentio. Ait enim primò Ioannes Vidi angelum descendentem de cœlo. & cætera & ligauit diabolum per annos mille. Et uidi sedes & animas decollatorum propter testimonium Iesu sedentes super eas, & uixerunt & regnauerunt cum Christo mille annis. Cæteri mortuorum non uixerunt quousque consummarentur mille anni. Et est resurrectio prima, ubi duæ insinuantur resurrectiones: una quidem sanctorum martyrum, & altera post mille annos uniuersalis iustorum & damnatorum: habetur enim Apocalyp. capitulo duodecimo quòd mulier (per quam ecclesia significatur) habet locum paratum à Deo ubi pascatur diebus mille ducentis sexaginta: & Daniel. duodecimo finis mundi legitur fore à tempore, quo ablatum fuerit iuge sacrificium: putà, lex uetus, diebus mille ducentis nonaginta transactis: quibus locis dies ponitur pro anno, secundum illud Ezechiel. quarto. Diem pro anno, dedi tibi: ex quibus ergo locis colligi potest dies ille: uel saltem angeli, qui in conspectu dei sunt, diem illum postremum mundi uident: & tamen ait Christus Matth. uigesimo quarto quòd de die illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum: ergo non erit in fine mundi.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium autem est illud Iob. quartodecimo. Homo dum dormierit, non resurget, donec atteratur cælum: hoc

hoc est, quousque moueri cesset, quod erit in fine mundi.

1. Conclu. ¶Ad quæstionem unica conclusione respondetur. Resurrectio corporum in fine mundi erit. Conclusio est non utcunque uera, sed proximè ex euangelio collecta: nam etsi in articulo fidei solum confiteamur carnis resurrectionem, tamen illa resurrectio asseritur generalis fore in consummatione seculi. Vnde Iob 19. Scio quòd Redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: quasi dicat, ille iam resurrexit, ego uerò non usque ad nouissimum diem. Et Matth. 13. in zizaniorum parabola ait Christus, quòd messis consummatio seculi est: & nomine messis intelligitur uniuersalis resurrectionis dies, quando unusquisque metet, quod seminauit. Vnde subditur, quòd in eadem consummatione seculi mittet filius hominis messores: nempe, angelos, qui colligẽt scandala, & mittent ea in caminum ignis, triticum autem congregabunt in horreũ. Resurrectio ergo erit in consummatione seculi. Et Matth. 24. interrogauerunt discipuli Christum, Quod signum aduentus tui & consummationis seculi? quasi idem sint. Et respondit. Christus. Prædicabitur euangelium hoc in uniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet consummatio. Et rursus inferiùs. Statim post tribulutionem dierum illorũ: nempe, Antichristi, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadẽt de cælo: & uirtutes cælorum commouebũtur, quæ sunt signa cessãtis orbis à suo motu, atque adeò supremæ diei mundi. Et sub ditur. Et tunc apparebit signum hominis in cælo, & mittet angelos suos & congregabunt electos, &c. ubi denũciatur, quòd finis mundi & carnis resurrectio in eandẽ incident diem & horam. Et Paul. 1. Corin. 15. In Christo, inquit, omnes uiuificabuntur (& loquitur de resurrectiõe corporũ.) Et subdit. Deinde finis, cùm tradiderit Christus regnũ Deo & patri: ubi finẽ mũdi cum resurrectione coniunxit.

Matth. 13.

Matth. 24.

Ratio. 1. ¶Neque uerò rationes desunt eiusdem ueritatis assertrices. Corpora nanque nostra in uitam perpetuam & immortalem resurgere speramus, eum uidelicet in modum, quo Christus resurrexit, de quo ait Paul. ad Roman. sexto. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: ergo eo temporis articulo fore decuit omnium uniuersalem, quo generationes & corruptiones horum inferiorum cessabunt, & nulla fiet reliqua uita mortalis, sed sola sempiterna: cùm uerò hæc inferiora corpora, ut proximè ex Augustino tertio. de trinita. & Aristotele. primo. Meteo. citauimus, lationibus superioribus gubernentur, ordo diuinæ prouidentiæ exigit, ut quousque eorum motus cessauerint, resurrectio corporum differatur.

Ratio. 2. ¶Item tempus, ut quarto Physic. ait Philosophus, est numerus & mensura motus, & potissimùm motus cæli, ut 2. de generatio. scriptum est, quo utique omnia, quæ sub orbe lunæ generantur & corrumpuntur, mensurantur: uita uerò resurgentium corporum nulli erit uariabili mensuræ subiecta, sed æternitati, quæ omni caret uarietate & termino: igitur quousque uariabilis illa temporis mensura periodum suum compleat, neque alia supersit, quàm æternitas, sapientia diuina nõ tulit ut corpora resurgant, sed tunc omnia simul, tẽpus autem non nisi cum motu cæli finietur: ergo illic futura est resurrectio. Atque huc illud alludit. Apocalypsis. 10. ubi angelus inducitur supremæ diei nuncius, qui iurauit, quòd tempus non erit amplius, sed in diebus septimi angeli cùm cœperit tuba canere consummabit mysteriũ Dei.

Ratio. 3. ¶Tertiò. Quandiu hæc rerum mutabilitas durauerit, suapte natura humana ingenia susque deque fert, affectusque mortalibus uarios ingenerat, nostrasque pellicit uoluntates, atque adeò toto, quod duraverit tempore, duratura est militia & palæstra humani certaminis, ut alij de Deo bene, alij uerò malè mereantur: resurrectionem autem corporum eo temporis momento fieri decuit generalem, quo Christus iudex uiuorum & mortuorum à cunctis simul mortalibus generalem rationem exigeret eorum, quæ hoc mundo utentes gesserunt in corpore: ergo resurrectiones, non fuit congruens singulorum diuersis temporibus fieri sigillatim, sed in suprema mundi hora unam omnium uniuersalem.

Ratio. 4. ¶Quartò. Vniuersitas mutabilium creaturarum, quas Deus hominis dominio subiecit, eisdem mortalibus ad suum ipsorum libitum seruit: improbi enim rebus ipsis ad suam libidinem abutuntur,

abutuntur, probi uerò utuntur in obsequium Dei:unde Paul.Roma. 8. Vanitati creatura subiecta est non uolens:ideſt, nõ ex primæua ordinatione Dei,ſed propter eum,qui ſubiecit eam (ſcilicet mortalium arbitrio) in ſpe, uidelicet ſperans ut homo ſpe retributionis legitimè ea fungeretur,ſed ipſe homo uanitati ſuæ uoluptatis eam ſubiecit:quare ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem filiorum. Dei,& ideo id ſperans ingemiſcit:ergo reliquæ creaturæ non ſunt ab hac hominum ſeruitute liberãdæ quo uſque corpora eorum corruptibilia incorruptibilitatem induant, quod erit per reſurrectionem, uolubilitas autem creaturarum non ceſſabit uſque in finem mundi,quando omnes motus quieſcent: ergo non niſi tunc futura eſt corporum reſurrectio, atque adeò tunc omnis creatura ab iniqua hominum ſeruitute liberata per ſupremum ignem, ut inferiùs dicturi ſumus à ſordibus cunctis & fæcibus, quas inde contraxerat,expurgabitur.

Sol.1.arg. ¶Ad primum igitur argumentum reſpondetur, quòd etſi quantum ad rationem influentiæ plus caput cum membris, quàm membra inter ſe conueniat, quia influit in omnia,tamen qua ratione caput eſt mẽbrorum cauſa,ſingulari ratione membra inter ſe conueniunt:nempe,quia ſunt effectus,qua utique ratione à capite differunt.Igitur qua parte reſurrectio Chriſti eſt cauſa reſurrectionis noſtræ decuit ſic fieri,ut ſpes inde nobis noſtræ confirmaretur.Et ideo fuit neceſſarium, ut illico reſurgeret,quo eandem nobis ſpem generaret:nos uero tanquàm membra poſt reſurgeremus. Præterquàm quòd in ipſo tanquàm in unigenito à patre, ut dictum eſt,fuit plenitudo omnium chariſmatum, de qua utique plenitudine nos omnes ſuſcepimus. Et præterea corpus eius, quia nulli,neque originali,fuit peccato obnoxium,ſed inſtrumentum abluendi,noſtra, decentiſſimum fuit,ut gloria animæ,quæ in fine mundi in noſtra corpora redundabit,protinus ſuum glorificaret corpus.

Chriſtus quare reſurrexit.

Ratio.2.

Sol.2.arg. ¶Ad ſecundum diluendum hoc in primis adnotandum eſt,ut hic D.Tho.idque ſciẽtiſſime adnotauit, quòd nulli eorum, qui hactenus reſurrexerunt, cenſendi ſunt ob id reſurrexiſſe, quòd ratione ſanctitatis propiùs ad Chriſti ſanctitatem acceſſerint:nam quanuis alijs alius propinquius eidem capiti Chriſto per eius gratiam accesſerit,& beata uirgo proximè:nemo tamen acceſſit niſi tanquam membrum: quod eſt dicere,omnis acceſſit tanquam recipiens influxum à Chriſto, & nemo tãquam cauſa influens in alia membra: & ideo nemini ratione illius propinquitatis debebatur reſurrectio uſque in finem mũdi:nam ſi feſtinatior reſurrectio ante tempus,ob meritum fieret perſonæ, non fieret niſi quia eius reſurrectio cã eſſet reſurrectionis aliorum,quod ſoli Chriſto competit.Item quia ſicuti propter eminentiã ſanctitatis deberetur reſurrectio ante generalem,tunc par erat, ut omnes ſancti, etiam inferioris ſanctitatis in eadem temporis proportione reſurgerent, quo eorũ ſanctitas requirit:ut ſi beata uirgo, uerbi gratia,tertio die reſurrexit, iuſtitia exigebat,ut qui ſanctitatis erat duplo minoris poſt ſex dies reſurgeret, & qui eſſet triplo minoris,poſt nouem: hoc autem opinari fas non eſt: ergo nemo ratione ſuæ ſanctitatis, quaſi id iuſtitia retributionis exegerit,hactenus reſurrexit, ſed ex ſingulari prærogatiua & gratuito priuilegio Dei.

Nullus ratione ſanctitatis reſurrexit cũ Chriſto.

Ratio.1.

Nullus niſi ex priuilegio Dei reſurrexit.

¶Illis igitur,qui cum Chriſto reſurrexerunt, priuilegium illud indultum fuit in gratiam ipſius Chriſti:nempe, ut teſtes eſſent eius reſurrectionis. Caueat autem cordatiſſimus quiſque ne fallatur,illos ante ipſum Chriſtum reſurrexiſſe, propterea quòd ait Euangeliſta,quòd ipſo emittente ſpiritum aperta ſunt ſepulchra, & corpora,quæ dormierunt,reſurrexiſſe: illa enim anticipatio eſt & prænarratio eius,quod poſt contigit.Nam cùm reſurrectio Chriſti fuerit illius reſurrectionis cauſa,neceſſe eſt ut ipſam anteceſſerit, ſaltem natura.Ob idque ſubiungit Euangeliſta,quòd exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius uenerunt in ſanctam ciuitatem ,quaſi qui cum ipſo reſurrexerant.Quocirca omnes illi patres erant in limbo patrum:quia illuc uſque nullus erat in gloria,atque adeò omnes erant ueteris teſtamenti, quia patres noui teſtamenti nondum ulli defuncti erant.Neque uerò credendum eſt. quotquot erant in limbo reſurrexiſſe,tametſi omnes illic exiſtentes animæ inde cœperint beatitudine perfrui: quoniam ſi omnes reſurrexiſſent,

Quando reſurrexerint.

Ratio.1.

Ratio.2.

In limbo erant qui cum Chriſto reſurrexerunt.

Nota.

Argum. ſurrexissent, profectò id Euangeliſta non ſubticuiſſet:& tamen non dixit,niſi quòd multa corpora ſanctorum,qui dormierant, reſurrexerunt.

¶Atque hoc eſt aliud argumentum ad cõprobandum,quòd non ratione eminentię meritorum ſurrexerunt: nam illa ratione cùm iam omnes eſſent grati,omnes deberent reſurgere:ſurrexerunt ergo illi tantũ quos Chriſtus elegit, ut ſuæ eſſent reſurrectionis idonei teſtes.Reliquorum uerò eripuit inde animas.

Alia purgatorij.

¶Imò,ſi coniecturis agere licet, & omnes fortè,quæ erant in purgatorio, liberauit, quamuis non eſſent ad iuſtum purgatæ. Quis.n.ambigat, quin lætificus ille & iucundiſſimus deſcenſus ad inferos plenariæ indulgentiæ fuerit cauſa: quandoquidem id per Pontificiam poteſtatem aliquã do accidere prædicamus, ut animæ inde aliquæ eruantur.

Qui reſurrexerũt cũ Chriſto an iterũ mortui ſint.

¶Vtrum uerò reſurgentes illi iterum in mortem redierint,ut eorum non fuerit niſi tranſitoria quædam reſuſcitatio, an uerò in perpetuam reſurrexerint uitam,Hieronymus in ſermone de aſſumptione uirginis ſub lite reliquit. Dixit enim, multos temuiſſe,quòd in uitam reſurrexerint ſempiternam, alioqui non eſſent idonei teſtes reſurrectionis Chriſti, qui non ultra moriturus ſurrexit.Quapropter Petrus Actuũ. 2.ubi de obitu Dauid meminit, non auſus eſt dicere,Corpus eius eſt apud nos,ſed ſepulchrum eius eſt apud nos uſq; in hodiernum diem: ac ſi reſumptum corpus in cœlum euexerit.Et præterea arguitur.Chriſti opera & priuilegia perfecta ſunt: cùm ergo illos eo donauerit reſurrectionis beneficio,credibile ſit,non mancum, ſed integrum in perpetuam uitam illis contuliſſe. ¶In euangelio Nazaræorum ſcriptum eſt,nõ niſi duos inſignis ſanctitatis uiros, qui paulò ante mortem Chriſti obierant, reſurrexiſſe,& ſuis notis & familiarib. apparuiſſe. Et eſt nonnulla ueriſimilitudo illos,qui apparuerunt, notos illis fuiſſe,qui bus apparebant, alioqui non eis conſtaret reſurrexiſſe.At uerò euangelium illud apocryphum eſt, nec uerbis euangelicis ſatis conſonans, ubi legitur, multa corpora ſanctorum reſurrexiſſe, & apparuiſſe multis.

Sepulchrũ Dauidis.

1.Arg.

Euangeliũ Nazaræorum.

Autoris opin.

¶Eſt ergo maximè credibile ex illis ſanctis patribus,quod populus ille colebat ut ſanctos,ueluti Abraham, Moyſem,Dauidem & quoſdam ſimiles reſurrexiſſe. Vnde Aug.in epiſt.ad Euodium, quæ eſt. 99. Durum,inquit,uidetur, ut Dauid non fuerit in illa reſurrectione iuſtorum. Atqui D.Th. hic in hanc partem liberiùs inclinat, quòd in perpetuam uitã ſurrexerint: quam opinionem ait alibi Hieronymum affirmantiùs aſſeruiſſe.Verũtamen.3. parte, ubi res emunctiùs examinabat. q.53. ar.3.contrarium tenet:ſcilicet, quòd iterum corpora reliquerunt.Quam utiq; opinionem Aug. in epiſt. 99.modò citata ad Euodium,tenet, ubi illud de Petro,qui allegauit ſepulchrum Dauidis, acutè in ſuũ patrocinium adſciſcit.Contendebat enim illic Apoſtolus illud Pſal.15.Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem, non de ſe ipſo Dauidem, ſed de Chriſto dixiſſe.Quod inde cõprobat, quòd Dauid mortuus eſt & ſepultus,& ſepulchrum,inquit, eius apud nos eſt. Si autem non intelligeret,oſſa illic Prophetæ iacere, nihil probaſſet.Et tamen Dauid,inquit,cum illis iuſtis reſurrexit.

Auguſt.

Opinio S. Tho.

Auguſt.

¶Et re uera opinio hæc gratius ſuſtinetur. Nam cùm illa reſurrectio tantùm inſeruerit, ut mortui teſtimonium dominicæ reſurrectionis ferrent, profectò uidetur, illud priuilegium non fuiſſe illis amplius indultum,quàm ad id muneris neceſſarium erat: & ideo illo munere perfuncti poſtquàm aſſeruerunt Chriſtum reſurrexiſſe, redierunt ad mortem. Concedere enim quòd Chriſtus paucos quoſdam gratia reſurrectionis in perpetuum donaſſet alijs relictis non eſt creditu facilè poſtquàm ad teſtificandam reſurrectionem non fuerat neceſſarium.

Opin. illa reijcitur.

Ratio.1.

¶Sed quæ me ratio multum mouet eſt, quòd ſi reſurrexerunt in uitam perpetuã, non eſt opinandum manſiſſe in terris, ſed certiſſimè credendum in cælos aſcendiſſe: ſi uerò illuc aſcenderunt procul dubio non priùs Chriſto, ſed cum ipſo ſimul: quod ſi ita geſtum eſſet, nõ eſt dubiũ quin Euangeliſtæ inter enarrandam Chriſti aſcenſionem tam præclaræ hiſtoriæ mentionem feciſſent. Aut ſi non cum Chriſto aſcendiſſent,eorum tamẽ aſcenſum, ſicut & reſurrectionem enarraſſent.

Ratio.2.

¶Accedit in confirmationem huius,quòd Moyſes in transfiguratione Domini reſur-

Ratio.3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rexit,secundùm ueriorem opinionẽ, quæ est Hieronymi super Matth.ca.17.nã post quam Euãgelista ait, apparuisse illic Moysem,non satis est ut apparuerit in corpore aereo,ut quibusdam placet,quia non esset ille Moyses, nisi in suo proprio corpore, cui anima uniretur,apparuisset: & tamen non dubitatur quin postea fuerit mortuus quia absurdum esset concedere Moysem in uitam perpetuam priùs Christo resurrexisse.

Ratio.4. ¶Iam demum arguitur.Si illi crederentur in uitam corporum æternam surrexisse,facilè de alijs noui testamenti fieret credibile:& tamen hæc tam ardua res est, ut etiã de beata uirgine nondum sit firmiter ab ecclesia ceu articulus fidei definitum. Qui hanc opinionem tenuerint, dicere subinde debent, non fuisse propriè resurrectionem,sed suscitationem quandam,ut Lazari & aliorum:quod Hierony. super eundẽ locum Matth. insinuat dicens, Quo modo Lazarus resurrexit,sic multa corpora sanctorum resurrexerunt,ut Dominum ostenderent resurgentem. Et fortasse manserũt cum Christo usque ad eius ascensionem, & tunc relictis corporib. ascenderunt animæ cum illo simul cũ cæteris. quæ de limbo prodierunt,iuxta uerbum supra citatũ Pauli,Ascendens Christus in altum captiuam duxit captiuitatem.

An illi surrexerint ĩ corporib. gloriosis. ¶Quòd si roges, utrùm resurrexerint in corporibus gloriosis? Respondetur, minimè cum perpetuis dotibus, sed fortasse cũ ipsis per modum citò transeuntium: tum quòd animæ erant beatæ, tum quòd deberent in corporibus illis quadraginta diebus Christum comitari. Quanuis forsitan non nisi in corporibus corruptibilibus resurrexerunt, quale Christus habuit ante passionem:nam cùm resurrectio non esset illa beatorum, non opus erat dotes diffundi in corpora, præsertim cùm illa tam breui deberent relinquere. Item quia alioqui sua claritate illos exterruissent, quibus apparebant.Et Moyses non creditur in trãsfiguratione apparuisse in corpore glorioso,alioqui perinde ut Christus resplẽduisset ¶Si uerò in uitã ęternã resurrexerunt, fuit illa simpliciter resurrectio suis perpetuis dotibus insignita. Quod nescio an tã propriè euangelio consonet: quoniam tũc resurrectio postremæ diei non erit prorsus uniuersalis,cùm tam multi iam resurrexerint.Et tamen Ioannis. 5. sic legitur, Omnes (nemine excepto) qui in monumentis sunt audient uocem filij Dei, & loquitur de uoce finalis iudicij, ubi insinuatur ab illis quoque, qui cum ipso surrecturi erant, de monumentis etiam auditum iri: siquidem illi tunc, dum Christus loquebatur,in monumentis iacebant.

Ratio. 3. ¶Adde quòd profectò Iob,qui quasi euãgelicè resurrectionem Christi & uniuersalem omnium præcantauit, piè credendus est inter alios sanctos resurrexisse, & tamen ait, quòd in nouissimo die de terra surrecturus est. Imò & de Ioanne Baptista, qui Christi fuit præcursor, aduentum eius prænuncians,maximè fit credibile in ter illos tunc resurgentes fuisse, cuius tamen caput postmodum inuentum est.

Ratio.4. ¶Postremò tandem loco adhibetur optima ratio,quam illic Aug.epistol. nonagesimanona ex uerbis Pauli ad Hebr. undecimo colligit. Postquam enim Apostolus fidem Abrahæ, aliorumque sanctorum patrum,qua salui facti sunt,retulit,ait, nondum repromissionem: scilicet,resurrectionem eos suscepisse. Deo, inquit,pro nobis melius aliquid prouidente,ut non sine nobis cõsummarentur:hoc est, non ante nos supremam animarum & corporum gloriã sortirentur.

¶De sacratissima uerò uirgine si resurrexit,non est dubium,quin in uitam sempiternam resurrexerit, qua in cœlis cum filio suo fruitur. Hoc autem Hieronymus eodem sermone sub dubio reliquit. Iã uerò temporum curriculo opinio hæc aut credulitas, quòd in corpore & anima fuerit in cœlum assumpta,plurimùm inoleuit nondum tamen inter fidei articulos credi tu necessarios relata est. Quanuis sit pientissimè credendum: nam & in collecta illius festi ait ecclesia, quòd nexibus mortis deprimi non potuit. At uerò cauendum est ne dicatur id ei iure conceptionis absque peccato originali obtigisse: nam etiã si teneatur, illam maculam neutiquam cõtraxisse, nihilominus ratione mortalitatis, quamuniuersum genus humanum inde contraxit, mortua est. Solus enim Christus ab illa mortis necessitate fuit liber, nisi liberè se morti obtulisset. Et ideo uirgo si resurrexit,ex mero priuilegio dei resurrexit, congruentissimè tamen: nam sacratissimum corpus,quod tanta cum uirginitatis

Nota.

Hierony.

Quid egerint.

Ratio. 1.

Ratio 2.

Nota.

Ioann. Baptista.

Virgo mater an corpore sit in cœli cuspide.

Rõ opinionis.

ginitatis integritate apotheca fuerat carnis Christi, decuit, ut quod ipse per naturam habuit, ipsa per priuilegium obtineret, ut scilicet absque incineratione resurgeret.

Ioan. Euangelista an resurrexerit. ¶At uerò de Ioanne Euangelista, quem hic S. Tho. atque alij resurrexisse opinantur,res non est tam certa: imò certius est, non resurrexisse. Quod enim quidam referunt,in sepulchro,quod uiuens aperiri sibi fecit, mansisse uiuum, apocryphum est. Quinuerò quòd non fuerit mortuus, fabulosum,ut Aug. tractatu. 124. super Ioannem imò & Ioannes de se ipso capitu. uigesimoprimo testatur: nam cùm Christus ad Petrum dixisset, Si uolo eum manere donec ueniam,quid ad te:exijssetque subinde sermo inter fratres, quia discipulus ille non moritur, moderatus est Euangelista uerbum subdens, quòd Christus non dixit,non moritur. Quare Hierony. & Eusebius in eius uita clarè fatẽtur fuisse mortuum, extareq; eius sepulchrum Ephesi. Quod autem post mortem resurrexerit, nullo idoneo testimonio fulcitur.

Apoca. 20 ¶Tertium argumentum expositionem petit illius capituli. 20. Apocalypsis, quod Diuus Augustl. lib. uigesimo de ciuita. Dei capi. septimo & octauo edisserit. Illis enim uerbis Ioannis, Papias eius discipulus sedu

Lactantius lib. 7. de diuino præsentio capitu. 14. & 26. ctus duas commentus est corporum resurrectiones. Quo errore Lactantius atque alij fuerunt subinde commaculati. Excogitarunt siquidem quòd quemadmodum mundus sex diebus fuit conditus, & in septimo Deus sabbatum: hoc est, requiem fecit, ita in fine sexti millenarij ab orbe conditio uenturus esset Christus, iustos omnes resuscitans, quos illic Ioannes martyrum nomine designat, qui fuerunt propter testimonium Iesu decollati. Qui quidem toto septimo millenario in paradiso terrestri summis fruentes delicijs uicturi cum eodem essent Christo. Quare illo tunc millenario Dominus ligaturus erat diabolum, ne eos posset tentare, aut infestare: illo autem expleto millenario soluendus erat sub ætatem Antichristi exiguo tempore, ut seduceret gentes, & protinus faciẽda erat uniuersalis resurrectio proborum & reproborum. Sed hæc fabula non diu in ecclesia perstitit. Erat enim hominum nimiùm sensibus indulgentium. Quid enim opus erat eis, qui in Domino dormierant, & prorsus peccatorum maculis erant expurgati, ac subinde in gratia & amicitia Dei confirmati sensibilium uoluptate deliciari, acsi terrenorum fruitio merces eorum esset? Cùm Christus iustis non nisi regnum cælorum fuerit pollicitus, Gaudete enim, inquit, & exultate, quia merces uestra copiosa est in cælis.

Nota. ¶Adde quòd si cibo & potui deberent indulgere, deberent subinde rei uxoriæ uacare, atque adeò filios procreare, qui non essent, ut ipsi beati. Sed uanum est aduersus talem cogitationem uerba prodigere.

Resurrectiões duæ ¶Duæ ergo illæ resurrectiones non aliæ interprete Augustino, intelligendæ sunt, quàm spiritualis à peccatis & corporalis, gemino aduentu Christi celebratæ. Quare angelus ille,quem cum claui descendẽtem uidit Ioannes, non alius quàm ipse Christus fuit descendens in carne. Mille uerò anni, quibus dicitur Satanam ligasse, totum tempus designant ecclesiæ euangelicæ: nempe, ab orbe redempto ad finem mundi. Nam cùm numerus ille sit perfectus, perfectum designat tempus. Dicitur autem Christus hoc tempore ligasse Satanam, eo quòd eum non permittit sic prædestinatos tentare & superare, ut usq; ad mortem uinctos detineat. Quare isto tempore homines prædestinati sunt sicut sacerdotes, ut illic ait Ioannes, & in sua Canonica Petrus, Christo sacrificia suorum corporum offerentes, atque adeò cum ipso isto millenario regnantes. Et ideo Ioannes appellat eos beatos, qui habent partem in hac prima resurrectione à peccatis per gratiam. In his enim, inquit, secunda mors non habet potestatem. Prima enim mors est corporis, quæ tam bonos quàm malos reti suo comprehendit: secunda uerò est animæ, quæ fœlices sanctos non tangit. Secunda ergo resurrectio est uniuersalis corporum, de qua præsens nunc decurrit sermo.

Mille anni quid.

Satanam ligare.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm dies & hora resurrectionis sit hominibus uel Angelis cognoscibilis.

AD præcedentem articulum adiungitur secundus, de notitia illius diei postremæ mundi. Et arguitur, quòd possit per speculationem sacrarum literarum innotescere. Habetur enim Apocalyp. ca. 12. quòd mulier (per quam ecclesia significatur) habet locum paratum à Deo, ubi pascatur diebus mille ducentis sexaginta, & Daniel. 12. ubi finis mundi legitur, legitur fore à tempore, quo ablatum fuerit iuge sacrificium & posita abominatio, dies ille ducentos sexaginta: quibus locis dies ponitur pro anno secundùm illud Ezechiel. 4. Diem pro anno, dedi tibi. Vel saltem Angeli, qui in conspectu Dei sunt, diem illum postremum mundi uident.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

Pars negatiua.

¶In contrarium est illud uerbum Christi Matth. 24. De die illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum.

Cõclusio.

¶Ad quæstionem unica conclusione respondetur. Dies illa omni puræ creaturæ tam per causas naturales quàm secundùm uiam Dei ordinariam occulta est, & prorsus ignota. Assertio est Christi Matthæi. 24. uerbis modò citatis, & Marc. 13. additur, Nec filius, sed solus pater. Nam postquam constitutum est diem resurrectionis corporum & consummationem seculi & aduentum domini in eandem cõcursuras, idem est quærere: utrùm dies iudicij, & utrùm dies postrema mundi sit prorsus occulta. Atqui quòd secundùm naturæ lumẽ & cursum dies illa sit prorsus ignota, probatur: quoniam finis temporis quod, ut prædiximus, est mensura motus cœli, non nisi ubi idem motus cessabit futurus est: terminus autem illius motus per naturam cognosci non potest: ergo neque ultima hora, aut dies, aut annus temporis. Probatur minor. quia per motus quidem cœlestes possumus illa cognoscere, quorum ipsi sunt causa, ut hyemem & uer, atque inde de pluuijs, temporibus & complexionibus coniectari: at uerò finis motus cœli nõ est effectus eius naturalis, sed eius cessatio: finis autem & cessatio cuiusque motus nosci nequit, nisi aut ratione subiecti, quia corruptibile est ac perinde lassatur, aut ratione spacij, quod est peragendum, aut ratione motricis causæ, quæ ultrò quiescere potest: cœlum autem (quod Philosophis notissimum est) corruptionem non patitur, neque suo motu atteritur, neque intelligentia motrix (quoniam spiritualis est) lassari, aut fatigari potest: rursum neque spacium in longum protenditur: quia cælum perpetuo circulo per eadem spacia conuoluitur: sciri ergo per naturam nequit quando cessabit. Imo Philosophus supranaturalium causarum ignarus, optimè profectò 8. Phys. & alibi ex naturâ eiusdem motus elicuit fore perpetuum. Haud enim nouit intelligentiam iussu Dei liberè illud mouere, ergo in sola uoluntate Dei positum est & reconditum quando sit finem habiturus. Quare neque angeli de cælo, neque ipsæ motrices intelligentiæ possunt hoc uiribus naturæ nosse.

Matth. 24

Probatio minoris.

Aristot.

¶Vnde Augustinus lib. 83. quæstionum quæstio. 58. ait quòd quemadmodum hominis, ita & mundi suprema ætas non est certò cognoscibilis: complet enim infantia suam periodum in primo septẽnio, & puritia in secundo, & reliquæ in suo cuiusq; termino, ut distinct. 27. quæstio. 2. artic. 2. explicuimus: senectus uerò, aut si mauis decrepitas, quæ ab octuagesimo scipit anno, certum terminum non habet: nam alios citiùs, alios uerò tardiùs mors occupat. Sic ergo prima ætas mundi in diluuio finita fuit, & secunda in Abraham, & tertia in Moyse, & sic de reliquis. Septima uerò hæc, quam Apostolus horam uocat nouissimam, & ab orbe redẽpto usque ad mundi finem fluit, nescitur naturaliter quando sit habitura terminum.

Augustin.

Dies illa an possit alicui esse nota.

¶Secunda conclusionis pars: scilicet, quòd nec per uiam ordinariam Dei dies illa possit hominibus innotescere, probatur. Viam enim Dei ordinariam appellamus sacram scripturam nobis reuelatam, & si quæ aliæ fuerint Apostolis uerbo tenus factæ reuelationes ad ecclesiæ regimen spectantes. De ista ergo uia arguitur, quòd neque in pagina ueteris testamenti, neque in pagina noui fuerit scriptum: nec uerbo, quod sciatur, reuelatum. Si quibus enim debuit eiusmodi dies patefieri, illi fuerunt Apostoli, quos Christus promulgatores euangelicæ legis instituit: quibus ideo dixit, Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis. Lucæ. 8. Et iam non dicam uos seruos, sed amicos, quia quæcunque audiui à patre meo nota feci uobis. Ioan. 15. Eis autem, ut legitur

1. Arg.

Actuum. 1. sciscitantibus de die illa, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Respondit, Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: quasi dicat, Quòd agnoscatis futurum esse aduentum, necessarium uobis est ad ecclesiæ salutem, Tempus uerò nosse non est uestri muneris: quia neque ecclesiæ, cuius estis gubernatores instituti, id nouisse expedit. Quo uno loco conuincitur, in ueteri testamento non fuisse scripto mãdatum, alioqui Apostoli nouissent, neque uerò in nouo fuisse detegendum, alioqui non eos tunc id celasset.

Actuum. 1.

Exponitur locus Luc. 1.

¶Ad intellectum autem huius loci adnotandum est, Apostolos iam tunc non dubitasse, illum esse Messiam, sed tamen Pharisæi, plurimique illius populi putabant aduentum Messiæ futurum fuisse ad liberandum populum illum ex omni humana miseria, atque ad restituendum regnum ipso tum temporale: & quia non uidebãt Christum in illa maiestate, uenientem, ob id cũ detrectabantur illum, ut Messiam recipere. Ob idque, ut Matth. 26. legitur, dum sub articulum passionis dixit ei Pontifex, Adiuro te per Deum uiuum, ut dicas nobis si tu es Christus, respondit, Tu dixisti. Et adiecit, Veruntamen dico uobis amodo uidebitis filium hominis sedentem ad dexterã uirtutis Dei & uenientem in nubibus cœli &c. Quasi diceret, Quia ob id me nõ quasi Messiam suscipitis, quod non in me illã maiestatem conspicitis, quam sperabatis, uolo uos uestræ deceptionis admonere. Non est hic aduentus, ille quem putatis, sed amodò: id est, secundo aduentu, uidebitis filium hominis in sua maiestate. Et eandem ob causam dixerat. Ioan. 3. Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum: duos hos aduentus designans. Hoc ergo est quod Apostoli ab ipso sciscitabantur, utrùm scilicet tunc deberet restituere regnum Israel.

Aduentus Christi duplex.

¶Quò autem res apertior fiat, notandum inter aduentum Christi misericordiæ in carne mortali ad liberandũ nos, atque alium iustitiæ in maiestate ad iudicandum, quorum primus, in ueteri testamento sperabatur, & secundus expectatur in nouo, hoc interesse discrimen, quòd cùm in primo deberet ceu homo, occulta maiestate uenire mitis & mansuetus sedens super asi nam, deberetque adeò per fidem suscipi, condecuit illius figuras longè ante præcedere, & prophetias, quæ tempus illius aduentus designarent, quales fuerunt septuaginta hebdomadæ Danielis capitu. 9. & prophetia Iacob Gene. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda donec ueniat, qui mittendus est: atque aliæ, quibus tempus illud salutis subindicabatur. Quanuis ut si dei quoque aliquis relinqueretur meriti locus, non usque adeò perspicuè & punctim tempus illud Messiæ prophetæ designabant: quare nec fuit Iudæis planè intellectum. Aduentus uerò secundus, quo, ut ait Dauid, Deus manifestè ueniet, sicut fulgur, quod exit ab oriente & apparet usque in occidente uniuerso orbi, non indiguit reuelatione illa: quia non est suscipiẽdus per fidem, sed euidenti cõspectu. Tametsi nonnulla fuerit eius prænunciatio per Danielem cap. 12, scripta.

Daniel. 9.

Aduentus secundus.

¶Imò uerò adeò non fuit ecclesiæ necessarium tempus illud nosse, ut fuerit etiam expediens maximè illud ignorare. Nam si punctim fuisset prægnitum, segniores fierent homines, atque ad uirtutum officia uecordes. Hoc enim hic apprimè animaduertendum est, quòd Deus, ut dist. 14. dicebamus, non in hoc nos tantùm creauit, ut in nouissima hora ad ipsum conueremur, sed re uera ut totã uitam in eius obequijs expenderemus, neque quicquã admitteremus, cuius nos postea pœnitere opus esset. Vt ergo continenter in hac uigilia persisteremus, expediens nobis fuit tempus aduentus eius ignorare, tum singularis ad unum quenque iudicandum, tũ & generalis ad iudicandum mundum. Videlicet, ut nihil nobis certius esset, quàm quòd uenturus sit, nihilque occultius quã quando uenturus sit.

Diem iudicij nosse an expedierit ecclesiæ.

¶Vnde Lucæ. 12. Sint lumbi uestri præcincti: id est, semper in opere persistentes: & lucernæ ardentes: id est, nunquàm fidei lumen extinguentes, quod Deus in cordibus uestris accendit, & similes hominibus expectantibus dominum suum: scilicet, omni momento: quia nescitis, an in prima, secunda uel tertia uigilia sit uenturus. Quocirca intelligenda est uis argumenti, quod subiungit. Hoc autem scitote, quoniam si sciret pater familias qua hora fur ueniret, uigilaret utiq; & non sineret perfodi domũ suã: & uos estote parati, qa qua

Lucæ. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hora non putatis filius hominis ueniet. Videtur nanque inepta collectio ab eo, qui scit horam, ad eum qui nescit: est tamen aptissima. Vult enim persuadere, ut quàm attentè, qui horam uenturi furis sciret, illa hora uigilaret, tam uigilanter, imò uigilantiùs ille, qui horam ignorat in quacunque sit attentus, certò nimirum sciens quacunque posse uenire. Matth. 25 ¶Atque huic alia subinde egregiè consonat uirginum parabola Matthæi. 25. Nam quinque prudentes, quia quacunq; hora sponsum expectabãt, nunquam dormierunt, fatuæ uerò ob moram, quam faciebat, hæsitare cœperunt quando ueniret: & ideo somno occupatæ Matth. 24 oleum minimè prouiderunt. ¶Et hæc est querela, quam Christus loco citato Matthæi. 24. proponit. Vbi enim dixit, de illa hora neminem, neq; uero angelum scire, nisi solum patrem, subiunxit, Sicut autem in diebus Noe, ita & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes & nubẽtes & nuptui tradentes usque ad eum diẽ, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerũt donec uenit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. Quasi diceret, cùm pater meus secretum diei illius ea causa in suo pectore condiderit, ut homines uigilantiores paratioresque essent, & cautiùs uiuerent, inde ipsi occasionem nãciscuntur socordiùs ac negligentiùs uiuendi.

Prænũciatio diuina duplex. ¶Est igitur adnotandum hic, quòd prænunciatio diuina alicuius imminentis mali aut est comminatoria, quam scit se mutaturum: & tunc nihil uetat quominus certus dies designetur: ut fuit illa Niniuitis per Ionam facta, Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur. Quando uerò prænunciatio illa non est mutanda, non designatur singularis dies, ut est illud Lucæ. 19. Super Hierusalem, Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui uallo &c. Et pariter centum annis ante diluuiũ præcepit Noe Deus arcã fabricare nulla tunc designata die, & tamen neque toto illo tẽpore mortales illi fidem ei præstiterunt. Gen. 6. At uerò, ut aliud adhibeamus argumentum, quanuis diem illum nobis Christus prædixisset, parum nobis prodesset: nam unusquisque finem suum, maximè in prouecta ætate, appropinquare cognoscit, & nihilominus mores non ió accuratiùs componimus, sed nouissimam horam expectamus: quando corpus, quod corrumpitur, aggrauans animam uix ullam ei libertatem permittit, qua possit de re tam ardua tractare. Igitur hominibus notitia illius diei nondum affulsit. ¶Vtrùm uerò singulariter alicui talis fuerit facta reuelatio, uanum est disputare. Quod enim id Deus facere potuerit, ambigere non licet. Sed tamen quia unicuiq;, ut. 1. Cor. 12. ait Apostolus, datur manifestatio spiritus ad utilitatem, & in hac uita id nosse nõ expedit, non est facilè credendum tale priuilegium alicui fuisse indultum. Secus de obitu cuiusque singulari, qui multis reuelatus legitur. Quanuis nec propriæ diei mortis notitiam affectare debeamus, admonet. nos Paul. 1. ad Timoth 4. ut aduentũ domini diligamus. Sed ut ait ad Elychium Aug. non ille diligit aduẽtum domini qui eũ asserit propinquare, nec ille qui eum asserit non propinquare, sed ille potius, qui eum siue prope siue longè sit, synceritate fidei, firmitate spei, ardore charitatis expectat.

Arca Noe.

Aliud arg.

D. Vincẽ.

Dubium.

¶Lactantius ut paulo ante diximus in lib. 7. de diuino prẽmio. in illa sua hebdomada dierũ persistens. c. 14. & rursum. c. 25. arbitratur expleto ab orbe cõditio sex mille annorũ numero iudiciũ futurum: & post septimum millenarium, quo cũ iustis regnaturus est Christus, mundũ finiendũ. At qui Elias quidã, non ille sacer Prophetа, sed alius nuperrimus, quem Andreas Osiãder refert, mũdi cursum in tres periodos partitus est, ita ut cũ usq; ad Abrahã per duas ętates duo millia annorũ fuerint consumpta, & usq; ad Christum alia duo totum tempus euangelij non nisi alia duo millia annorũ sit duraturũ. Sed hæc & similia cõmenta nullius sunt autoritatis. Similiter. n. ut Aug. super illũ locũ Act. 1. li. 18. de ciu. c. 53. scripsit, quidam dixerunt mũdum duraturum quadringentis annis, quib. fuit populus Israel in Aegypto. Alij uerò quingentis, & tamen decepti sunt, quẽadmodũ & oẽs, qui id computare cõtenderint, decipientur. Quod. n. Apostolis Christus id scitantibus non dixit, nulli relabit: quare omnium de hac re calculantium digitos resoluit: & quiescere iubet. Hæc ille. Quæ qui certitudiné illius diei prædicauerint, non sunt audiendi. Nã etsi D. Vincentius atq; alij sancti iam iam adu-

Lactantij opinio.

Opin. quæ rundam.

aduentare prædicauerint, prudenter tamen annorum numerum nõ denotabant. Vnde Augustinus ad Elychium epist. citata. 80. Nec centum nec mille anni cognosci possunt post quos sit Christus uenturus, sed uocauit Pau. Euangelicum tempus horam nouissimam, quia mille anni ante oculos Dei tanquam dies unus. Et solet esse Dei prouidentia, ut nonnunquam aliquibus uiris iustis opinari permittat, ut credant cititùs uenturum, non quod eis mendacium reuelet, sed quòd sinat eos talem sensum habere ad percellendum populorum animos, prope ad illum modum, quo per Ionã Niniuitis eorum interitum comminatus est.

Obiectio. ¶Quòd si quis contra conclusionem sic arguat. Cuius principiũ notum est, eius perinde finis innotescere potest: quoniam, ut 2. de generatione ait Philosophus, cuncta sua durant periodo: principium autem mundi Christianis notum est: ergo per id Dilutio. potest innotescere finis. Respondetur, quòd ut ex principio alicuius rei finis pendatur, necesse est, ut eius mensura sit nota. Si enim ego scirem quantum alicui Deus dederit uitæ, cognito die natiuitatis, cognoscerem quãdo futurus ei sit dies mortis. At quia mensura seculi mundi nobis incognita est, quanuis sciamus quantum temporis à suo ortu defluxerit, non tamen inde colligimus quantum sit in posterum duraturus.

Sol. 4. arg. ¶Ad principale igitur argumẽtum respondetur, quòd Daniel Propheta bis legitur tempora aduentus Domini designasse. Primùm capit. 9. ubi ab ædificatione templi post hebdomadas septem & alias sexaginta duas ait occidendum Christum, ubi manifeste de primo loquitur aduentu ad mortem. Non de secundo, ut eadem epistola ad Esych. ait Augustt. Pòst uero de secundi aduentus tempore loquitur cap. 12. ubi ait, quòd à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium. Et iste est locus, quẽ Christus citat Matth. 24. de secundo aduentu. Apocalyps. 12. Et similiter ferè dicitur Apocalypsi. 12. quòd scilicet, mulier, quæ ecclesia intelligitur, habebit locum, ubi Deus illam pascat, diebus mille ducentis sexaginta. Per illum uerò numerum designat Ioann. totum tempus ecclesiæ ab orbe redempto usque ad Antichristum: sed tamen illic nõ ponitur dies pro anno, ut aliqui uolunt, secundùm illud Ezechiel. 4. Diem pro anno dedi tibi, quasi non esset nisi mille ducentis sexaginta annis duratura, cum iam sint plures transacti, quàm mille quingenti. Sed per dies illos à Ioanne significatur totum tempus, quo ecclesia est duratura, propterea quòd prædicatio Christi tribus annis & tribus mensibus protensa fuit, qui numerum illorum dierum paulo plus minusve complent. Quare illic tempus durationis ecclesiæ nõ præscribitur certum.

Dies apocalysis.

Responsio uerò hæc, uerùm obtinet secundùm S. Thomam atque alios, qui putant dies Apocalypsis designare dies ecclesiæ usquè ad finem mundi: dies uerò apud Danielem significare tempus, quo persecutio Antichristi grassatura est. Nã profectò possumus optimè utrumque numerum ad durationem persecutionis Antichristi referre: eandem quippe illic persecutionem Daniel graphicè pingit. Vbi ait, quòd durabit in tempus & tempora & dimidium temporis: & nomine temporis intelligit unum annum, & nomine temporum duos alios, & per dimidium temporis, dimidium anni. Et ideo subdit, A tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium: scilicet, Christi, & posita fuerit abominatio: scilicet, Antichristi, in desolationem, current dies mille ducenti nonaginta: scilicet persecutionis. Et tunc extinguetur Antichristus. Sed beatus qui ab eius persecutione liberatus alios quadraginta quinque dies superuixerit: nempe, usque ad mille trecentos triginta quinque. Tunc enim erit finis. Et profecto eodem modo possunt glossari dies Apocalypsis: nam prætermittit illic, quòd mulier, scilicet, istorum cœtus à Dracone illo rufo: id est, Antichristo, fugiet in solitudinem, ubi pascetur diebus illis.

D. Tho.

Dies Danı.

Daniel.

Dies Apocalypsis.

¶Habemus ergo hominibus diem illum domini occultum esse. Sed si de illum diẽ angelis quis dubitauerit, illos quoque nouerint. respondit Christus de die illa nescire: quod intelligi potest quantum ad suam cognitionem naturalem, & quantum ad supranaturalem in proprio genere: quia uia ordinaria Dei dies ille prorsus eos latet.

An angeli

An diẽ illũ

¶Vtrùm autem in uerbo uisione beatifica uideant in illum diem contueantur, nõ desunt qui af uisiõe bea firmẽt, ut impræsentiarũ refert Ricardus. tifica.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam licèt hoc ad eorum essentialem beatitudinem non attineat, spectat tamen ad eorum gloriam accidentalem: quia res est dignissima scitu. Quemadmodum Augu. in Enchiridio cap. 36. Cognouerunt, inquit, angeli sancti de Deo docti, cuius ueritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet. Nam quanuis inde non colligatur cognoscere illum diem, sit tamen coniectura, quod sicut cognoscũt saluandorum numerum, perspiciant & salutis diem. Verum tamen si id angelis concedamus, similiter animabus sanctis tribuendum est: nam pariter illis erit iucundissimum diem illam nosse, quam suis optant amicis. Præsertim cùm nullum immineat periculum, ut mysterium mortalibus enunciẽt. At uerò probabilius apparet, ut neque in uerbo id uideant, tum quòd hoc ad eorum beatitudinem nõ pertineat, tum potissimùm quòd dicens Christus, neque Angeli de cœlo, significasse uidetur, neque beatos illos ullo pacto id cognoscere.

Auguſt.

Sententia autoris.

¶Sed grauior apparere potest dubitandi ratio de illo uerbo apud Marcum cap. 13. Neque filius hominis. Attamẽ re uera nullum ingerere potest dubium, quominus Christus eundem cognoscat diem: non solùm quatenus Deus, cui eadem est cum patre communis essentia, atque adeò infinita notitia, & per ipsum facta sunt non solum cuncta tempora & dies, uerum rerum uniuersitas. Imò & inquantum homo. Nam cum ei, quatenus Redemptori congruat iudicium facere, eadem ratione competit, ut sciat quando ad id uenturus sit. Nihilo minus nefas esset & hæresis dubitare, ut quidam hæsitant, illam apud Marcum uocem existere, propterea quòd non sit apud Matthæum, imò è conuerso cùm Marcus quasi epitomen Matthæi fecerit, bona sit coniectura etiam apud eundem Matthæum similiter fuisse scriptum. Et ita ait Hieronymus aliqua exemplaria habuisse, tam latina quàm græca. Et in enarratione eandem particulam interpretatur. Et Origenes in homilijs super Matthæum eandem etiam legit uoculam. Et Chrysostomus eodem loco. Sed sit uero simile, ut ex Hieronymo colligitur, aliquos nimium cautos Arrianorum tempore eandem uocem abrasisse, ut eis ansam auferent dicendi filium esse creaturam. Vnde & Aug. li. de uerbis Domini sermone. 21. super Matthæum eodem modo legit. Sensus ergo Christi, hic fuit, quòd filius non sic illum diem nouerit, ut alicui reuelare debeat. Nam cum potestas ei à patre in salutem humani generis fuerit impensa, & ad eandem nostram salutem id non nobis expediat scire, minimè ei detegendi illud secretum facultatem fecit. Et ideo, ut ait Chrisostomus, addendo. Neque filius hominis, os Apostolis obstruxit, ne amplius id quærerent: quia non erat interrogatio, ad quam ille poterat respondere. In confessarijs modus ille negandi se scire illa, quæ sub sigillo confessionis audierunt, legitimus est: scilicet, nescio ut dicam. Itaque sicut Apostolis dixerat, Non est uestrum nosse tempora uel momenta, similiter de se ait. Non est meum dicere uobis. Sunt enim in eo, ut ait Paulus ad Colossenses secundo, omnes thesauri scientiæ & sapientiæ absconditi, quos non nisi ubi congruens fuerit, reuelat.

Neque filius hominis.

Christus quatenus homo diẽ illã nouit.

Hierony.

Origen.

Chryſoſt.

Nota.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm resurrectio futura sit in instanti eodemq; nocturno.

AD notitiam temporis resurrectionis spectat rimari de eius mensura & momento, utrùm scilicet facienda sit subitò noctuq;. Et arguitur à parte negatiua. Ezechiel. 17. de resurrectione mortuorum sic prænunciatum legitur, Accesserunt ossa ad ossa, & uidi, & ecce super ea nerui & carnes ascenderunt, & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant: ergo reparatio & compactio corporum coniunctionem animarum antecedet: in instanti uero nõ potest esse antecessio & simul successio: quia hęc dicunt motum, qui non est in instanti possibilis, præsertim cùm illic plures actiones debeant ordine procedere: priùs enim debet esse cinerum collectio, mox corporis organizatio, ac demũ animæ infusio, quæ non apparet quemadmodum possint se subitò subsequi. ¶Secundò aduersus membrum secundum arguitur. Finis uniuscuiusque rei debet esse perfectissimus: tunc aũt futurus est temporis finis, iuxta illud Apocalypsis. 10. Tempus amplius non erit: ergo tunc debet esse tẽpus in sua optima dispositione, quæ est dies: eo uel maximè q̃ qualitas illius temporis illis debet adaptari rebus, quæ tunc gerẽtur: sed tunc, ut. 1. Cor. 4. Legitur, illuminabit dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit cõsilia cordium: ergo fiet in meridie, quæ hora illi negocio præcipuè cõgruit. ¶In contrarium aũt quantum ad primum mẽbrũ est illud Pauli. 1. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus in momento, & in ictu oculi. Et quãtum ad secũdum est exemplũ Christi, cuius instar, ut Gregorius in homilia Paschali autor est, nos resurrecturi sumus, quæ utique resurrectio fuit in nocte.

Partis negatiuæ argum. 1.

Partis affirmatiua.

Dicit. art.

¶Quæstio hæc bimembris binani exigit conclusionem. Atqui prius membrum duplicè potest facere sensum, unus enim est, utrùm omnes quotquot resurrecturi sunt, in eodem temporis articulo sint suscitandi, an uerò quidam priùs quàm alij. Qui quidem sensus pertinet ad subsequentem articulũ. Alter uerò intellectus est, utrùm cuiusq; resurrectio sit futura in instãti uel subitò. Et de hoc in præsentia disputatur. Ad cuius definitionem notandum in resurrectione aliqua esse ministerio angelorũ gerenda, ut puluerum collectio, alia uerò à Deo immediatè perficienda, ut animę in ductio in corpus. ¶Sit ergo prima bimembris conclusio. Quicquid ministerio angelorum faciendum est, fiet non in instanti, sed in tẽpore imperceptibili, illud autem, quod diuina uirtute est perficiendum, consummabitur subitò: scilicet, in termino illius temporis, quo opus angelorum complebitur. Quo aũt conclusio apertior fiat, supponendum est, quòd resurrectio, ut loco citato lib. 4. c. 28. ait Damascenus, est eius, quod cecidit, ite rata surrectio: cadit autem in mortem primùm ipse homo per separationem animæ & corporis, qui ideo cadit in cadauer: cadit item deinde cadauer in alia corpora, in quæ resoluitur: nẽpe, in terram, uel in aliud elementum aut mistum: & tandem per diuisionem potest cadere in alias ac subinde alias res, ut una particula crescat in herbam, & transeat deinde in carnes &c. In resurrectione autem ab illo exordiendum est, quod in resolutione fuerat postremum, ut scilicet primum congregentur cineres. ¶Nomine autem cinerum intelligitur quicquid sit illud, in quod corpus fuerit resolutum. Cur autem dicantur cineres, explicabimus art. 5. Primum ergo opus erit illas particulas & reliquias in unum locum congerere, ubi reficiendum est corpus: opus autem illud manifestum est ministrandum esse per angelos: angelus uerò non potest in instãti corpus mouere, tum quia actio quæcunque corporea in instanti arguit uirtutem infinitam, ut patet in creatione, quã angeli non habent, tum quòd motum & præsertim localem fieri in instanti implicat contradictionem: quia quidpiam moueri est priùs alicubi esse quàm alibi: prius autem & posterius absque successione intelligi non ualet: successio autem diuisibile tempus intrinseca ratione includit, atq; adeò in instanti fieri repugnat. Fiet tamen in tempore nobis imperceptibili, non solùm propter eximiam angelorum uirtutẽ, sed quia id uirtute diuina exequentur, iuxta uerbum Christi Matth. 24. Et mittet angelos suos cum tuba & uoce magna, & cõgregabũt electos eius à quatuor uentis. hoc est, à quacũque orbis parte: & à summis cœlorum usque ad terminos eorum: quod si referatur ad corporum partes, intelligitur ab orbe Lunæ: scilicet, ab elemento ignis & infra, ubicunque illæ fuerint particulæ. Si autem referatur ad animas, ad literam adducentur de cœlo, ubi sedes sunt beatorum. Quo modo uerò quę cunq; particulæ à corporibus, quibus fuerint commistæ, extrahendæ sint, distin. sequen. repetendum est, ubi disputabitur, utrùm idem prorsus homo qui obijt secundùm omnem suam partem sit resurrecturus. Sed nota cum S. Thoma, in tempore imperceptibili, non enim ait, subito: quia subito id fit, quod modò non est, & proximè (uel quod aiunt immediatè) post hoc erit, quod illi cinerum congregationi non conuenit, cùm uerè per motum sit exequenda. ¶Congregatis illis particulis seu cineribus, subsequitur corporis organizatio, ut aliæ particulæ in ossa efformentur, atque aliæ in neruos, & aliæ in carnem, quæ simul compacta suscipiendæ animæ sint idonea. Et hanc Scotus quæstio. 5. ait in instanti futuram esse uirtute diuina, non autem angelica. Opinatur enim ipse formam corporeitatis antecedere animo in corpore: & angelus nequit formã corpori inducere nisi applicando actiua

1. Conclu.

Refurrectio quid.

Cineres quid.

2. Argum.

Matt. 24.

In tẽpore imperceptibili.

Organizatio.

Scotus.

ua passiuis,quæ illam educant de potentia materiæ,ut applicando ignem ligno: uel ut ad rem proxime loquamur, infundendo semen matrici, ubi corpus humanum efformatur:& tamen resurrectio nõ est sic facienda, sed sine opera secundarũ causarum naturalium efficientium. ¶At uerò quanuis nullam aliam formam præter rationalem in homine admittamus, profectò idem crediderim:scilicet, quòd corpus non est angelorum ministerio organizandum,ut cum Scoto etiam Duran. quæst.4.consentit.Primum propter rationem modo factam:quoniam ſorganizatio una est,quæ antecedit animam in embrione,altera uerò quæ cum ipsa anima inducitur:illa uerò quæ præcedit, fit per determinatas causas:scilicet,recepto in uentriculo semine,quod aliam ac subinde aliam formam usque ad animationem recipit, quas ideo angelus nisi applicando actiua passiuis inducere nequit: quibus quidem agentibus illic locus nõ dabitur, quia nulla erit seminis uirtus. Organizatio uerò completa,quæ est ultima dispositio animæ,& tanquam propria passio hominis in ipso perseuerat,non antecedit animã, imò eam natura saltem subsequitur,ueluti reliquæ propriæ passiones, quæ ad introductionem animę consequuntur, iuxta doctrinam Aristotelis docentis, quòd unaquæque forma suas secundas dispositiones adfert.Igitur in resurrectione nulla erit organizatio antecedẽs introductionem animæ. Id quod optimo cuique Philosopho impræsentiarum est considerate meditandũ:quoniam organizatio illa nõ fiet per causas naturales disponentes materiã ad introductionẽ animæ, neq; uero angeli id supplere possiunt:sed in eodẽ instanti uirtute diuina introducetur anima, corpusq; organizabitur. Imò priùs natura fiet animæ inductio,quàm organizatio ¶Probatur ergo secunda pars conclusionis:s.cp quicquid illic uirtute diuina fiet, qualis est inductio aiæ & organizatio,pficietur subito. Nã si tẽpus illic esset requisitũ,id esset aut ratione formæ, quæ inducitur,aut ratione agentis,aut ratione subiecti,quod illam recipit: non utiq; ratione agentis:quoniã uirtus Dei infinita est quæ ut non à loco,ita nec à tempore ullo pendet. Nec ratione formæ, quæ inducitur,tũ quòd anima est indiuisibilis,quæ non habet partes successionem exigẽtes, tum quòd etiam si haberet partes, posset Deus illas simul producere,sicut enim in instanti creauit cœlum,creat & animas & potest in instanti quãcunq; rem producere.Neque uero tempus exigitur ratione subiecti:nam corpus illic non præstat nisi obedientiam causæ supranaturalis,cui resistere nõ potest,quominus formam, quẽ admodũ diuina uirtus intulerit, suscipiat. ¶Sed ambigat quis fortè hoc pacto.Dum anima rationalis in embrionem inducitur,non simul in totum infunditur corpus sed successu quodam: priùs enim uiuit cor ut doctissimus quisque Philosophus consentit,deinde remotiores aliæ partes, cuius cõtrarium in obitu accidit, nam quod postremum moritur est cor:ergo hunc ad modum fiet resurrectio. Negatur consequentia:quoniam cùm in utero animatur fœtus,infunditur anima secundùm exigẽtiam dispositionum naturalium præcedentium, quæ non incipiunt simul esse sufficientes in omnibus membris: in resurrectione uerò,quia non expectabuntur naturales dispositiones,sed simul uirtute diuina inducentur omnes organicæ formæ, nulla erit animationis successio.

¶Diximus autem in secunda parte conclusionis,quod inductio animæ uirtute diuina fiet subito, ut ait Sanctus Thomas: scilicet,in termino temporis, quo angelorum ministerium complebitur. At potest quis philosophiæ peritus arguere, quòd non fiat subito,sed in instanti. Differunt enim,ut per philosophiã dicimus, quòd res,quæ fit in instanti,incipit,ut aiũt, per primum sui esse,ita quòd modò sit,& immediatè antea non fuerit, ut cœpit esse lux mundi, quam nullus antecesserat motus: quod autem fit subitò incipit per ultimum sui non esse, itaque nunc non est, & immediatè posthac erit, sicut incipit esse motus. Arguitur ergo quòd resurrectio illa non fiat subito, sed in instanti.Resurrectio enim facienda est in termino temporis & motus, quo ministeriũ angelorum colligentium cineres durabit: tempus autem & motus,quia sunt successiua,non possunt terminari per ultimum sui esse: quoniam omne quod mouetur, ut ait Philosophus, post hac mouebitur: ergo desinet esse per primum non esse: illud ergo erit primum esse animæ in corpore,

Sententia autoris.

Ratio. 1.

Arist.

Subitò.

Argumen.

Dilutio.

Subito & in instãti.

Obiectio.

Argum.

pore, quare in instanti fiet resurrectio. Profectò ita credo. Neque uerò Sanctus Thomas tam strictè locutus est, ut subito diceret:id est,non in instanti. Imò super illud.1.Corinthios.15.In ictu oculi, in instanti ait resurrectionem futuram. Et confirmatur hoc,quia certè anima in minima parte cordis,quæ primùm uiuit, in instanti producitur,quo scilicet motus dispositionis per primum sui non esse finitur.Igitur,ut summatim dicamus, in illo instanti fiet infusio animæ cum suis partialibus formis,ossis scilicet,& carnis & neruorũ, atque adeò omnium membrorum compaginatio & organorum idonea dispositio. ¶Et per hæc elucidatur uerbum Pauli 1. ad Corinthios. 15. in momento & ictu oculi mortui resurgent. Si enim ictus oculi palpebrarum motionem designat, alluſio fit ad cinerum congregationem, quæ Angelorum ministerio, non in instanti, sed tempore fiet imperceptibili: si uerò ictus referatur ad tactum specierum uisibilium,quæ in termino apertionis palpebrarum pupillam iciunt & tangunt, tunc instantanea designatur animarum infusio.Vtrùm uerò ille sit terminus temporis mundi & motus cœli articulo sequenti uidebimus.

Molestum argum.

¶Emergit autem ex his molestissimum argumentum in contrarium.Cineres, ex quibus,uerbi gratia, corpus Petri coaugmentandum est,aut maiorem locum occupabunt quàm corpus Petri, propterea quòd sint in materia plus tenui & rara, aut fortasse occupabunt minorem, quia erunt in materia crassiori & densiori:præterquam quòd cum cineres illi & materia diuersam habeant figuram, quàm habiturum est corpus, necesse est maiorem minoremve locum occupare: si primum dederis,tunc cùm in instanti contrahantur in corpus Petri,aut relinquent partem loci uacuam, aut in instanti rarefiet circunstans aliud corpus, ut partem illam subintret:uacuum autem natura non fert: rare factioni uerò in instanti ad implendum uacuum natura & conditio motus: aduersatur,qui non potest fieri in instanti: neutiquam ergo illa corporis organizatio & animæ inductio potest fieri in instanti. ¶Scotus hic quæstione.5. ne uacuum admittat,concedit motum & rarefactionem corporis circunstantis ad locum implendum fieri in instanti,quod uir tute diuina non existimat impossibile.Durandus uerò putat,quòd incidit in Scyllã euitando Charybdim: nam certè motum in instanti fieri naturæ motus repugnat, sicut hominem dici irrationalem: quia nec per Dei potentiam potest in instanti fieri. Et ideo duas alias effingit solutiones,unam,quòd in collectione puluerum ac cinerum Deus ita adaptabit materiam ut nec densior sit nec rarior. nec alterius figuræ,quàm futurum sit corpus. Sed bene timet, quòd hæc solutio animum legentis pacare nequeat: quoniam non est possibile cineres,cùm non sint ossa nec caro,ut ante animationem, sub eadem sint densitate & figura. Quare subdit, quod ex omnibus,quæ inconuenire uidentur, tutius est dicere, quòd si cineres occupabunt maiorem locum,tunc in transitu ad corpus creabit Deus in illo instanti aerem uel aliud corpus replens illum locũ: & uice uersa si occupabunt minorem, tunc quando efformabitur corpus, annihilabitur aliquid circunstantis, quousque locus possit corpus illud capere.

S. Thom.

Duran.

¶At uerò profectò nulla istarum commentatio potest uiro philosopho satisfacere: & ideo dicendum quòd de rarefactione & condensatione corporis circunstantis seu ad replendum locum, quem cineres relinquent uacuum, seu ut corpori cedat resurgentis iudicandum est secundùm rarefactionem, aut condensationem ipsorum cinerum, qui sunt materia corporis resurgentis: nam ad condensationem cinerum sequitur rarefactio, & subintratio circunstantis corporis: & ad eorum rarefactionem sequitur condensatio & cessio corporis circunstantis. Illam autem condensationem cinerum, si erant rariores, palam est fieri in instanti, quo anima inducitur: quoniam est dispositio indiuidua ipsius animæ, quam ideo anima secum adfert.Hinc autem fit, illam condensationem non fieri per motum,quod oculatè est meditandum, quia re uera motus nequit in instanti fieri, sed incipit uirtute diuina per primum sui esse,sicuti homo ipse. ¶Quòd si roges, Quomodo fieri potest condensatio absque motu? Respondetur, naturaliter quidem fieri non posse,attamen uirtute diuina sicuti potest fieri ex aere aqua in instanti,

Sententiæ egregia autoris.

Dubitatio

Dilutio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

instanti,& ex aqua terrá,ita poteſt in inſtanti fieri ex aere rariori denſior: non quòd in eodem inſtanti ſint ſimul minùs & magis denſum,ſed quod nunc ſit aer dẽſus,& non immediatè ante hoc erat denſus. Idem ergo eſt dicendum de corpore circunſtanti,quòd in inſtanti fiet illius mutatio ſine motu, quia nullus eſt illic motus naturalis,ſed mutatio diuina. Quemadmodum Ariſtoteles in formis ſubſtantialibus ait generationem eſſe mutationem inſtantaneam. Niſi quod illam præcedit motus,qui tamen in reſurrectione non præcedet. Et hoc fortaſſe uoluit dicere Scotus concedens, motum fieri in inſtanti,accipiendo motum pro occupatione maioris loci,quanuis non eſſet concedendum mutationem illam eſſe motũ.

Ariſto.

Scotus

Sol. 1.arg. ¶Ad primum igitur argumentum reſpondetur, quòd apud Ezechielem ſi nomine illius acceſſionis oſſium intelligantur pulueres & cineres, ex quibus conſolidanda ſunt oſſa,acceſſio ipſa,quippe quæ angelico miniſterio facta eſt, tantillo temporis reſurrectionem antecedet. Si uerò illo nomine intelligatur oſſiũ, neruorum carniumque formatio, ſubitò,imò in inſtanti temporis,ut dictum eſt,efficientur: ſed tamen ordine quodam naturæ: nam cùm oſſa per neruos ſint colligata, ac ſubinde carne ueſtita,priùs natura fient oſſa quàm nerui,& ambo quàm carnes. Quemadmodum Deus dum ex coſta Adæ Euam plaſmauit,in inſtanti temporis feciſſe creditur,licèt partes ordinem inter ſe ſeruauerint naturæ. Quanuis Propheta naturæ ordinem per ſucceſſionis effigiem explicuerit.

De hora aduentus. ¶De ſecundo autem membro, qua ſcilicet hora diei ſit reſurrectio futura, uariè opinatur,quia hoc non eſt expreſsè reuelatum,ſicuti neque dies ille. Sunt enim qui dicant,in medio noctis futuram. Cui aliudere uidetur Paul. 1. ad Theſſalonicen. 4. Vbi Dominum uenturum refert ſicuti in nocte furem. Et Hiſtoria Exodi. 12. ubi legitur,quòd Dominus ad eripiendum populum de Aegypto in noctis medio percuſſerit omne primogenitum. Et Chriſtus,qui exemplar noſtræ reſurtectionis fuit,illa ferè hora reſurrexiſſe cenſetur. Et Matthæi. 25. Media, inquit, nocte clamor factus eſt:Ecce ſponſus uenit. Et fuit Caſſiodori opinio ſuper illud Pſalmi. 108. Media nocte ſurgebam ad confitendũ tibi,ſuper iudicium iuſtificationis tuæ. illa enim,inquit,hora ueniet ad iudicandum orbem,qua utique uenit ad liberandum Iſrael de Aegypto.

1. ad Theſſ. 4. quarto.

Matth. 25.

Caſſiodo.

Secunda concluſio. ¶Sed nihilominus ſtatuitur ſecunda articuli huius concluſio. Reſurrectio celebranda eſt ſummo diluculo dum aurora clarere incipit, ſole ſcilicet exiſtente in oriente,& Luna in oppoſito Occidentis puncto,ſecundum orizontem reſpectu zenit,quod reſpicit uallem Ioſaphat, uel alium quemuis locum ubi futura eſt reſurrectio. Definitio eſt S. Thomæ,Ricardi & Durandi, quam Theologorum pleriq; ſequuntur. Quoniam cùm articulus illius temporis colligi planè nequeat, coniecturis uero ſimilioribus uti licet. Atqui omnium primam ex Chriſti reſurrectione, cuius inſtar nos reſurrecturi ſumus, ſumere oportet:ipſe autem creditur hora tertia à medio noctis ceu noua lux nouuſq; dies mundi reſurrexiſſe:unde dies Dominica nomen ſortita eſt. Sic enim ait D. Matth.quòd eluceſcente prima ſabbatu: ſcilicet,Dominica,mulieres uenientes ad monumentum terræmotum ſenſerunt:& Marcus ait,ualde manè orto iam ſole: id eſt.nondum eius corpore ab Orizonte emergente.

Ratio. 1.

¶Item hora illa uidetur rei quàm maximè idonea:tũ quòd illa eſt hora,qua profundiori ſomno homines ſopiti ſunt, qua ideo ſecuritas deſignatur,in qua tunc homines erunt, ſicut in diebus Noe, ut ait Chriſtus,tum etiam quòd cum reſurrectio fiat ad manifeſtanda omnia opera, quæ tunc uſque in cordium latebris deteſcunt,& tunc ſunt propalanda & proferenda in lucem,commodatiſſimus temporis articulus eſt lucis aurora, quaſi tunc lucis accenſio fiat:nam Chriſtus, qui autor naturę eſt, eiuſdem naturæ ordinem in ſuum famulatum tunc uſurpabit. Item & parabola Matthæi. 14. & Lucæ 12. qua Chriſtus admonuit, ut omnes in uigilia eſſemus aduentum Domini præſtolantes, ut ſi in prima uigilia uenerit, paratos nos inueniat,quæ utique prima uigilia eſt tribus horis ante mediam noctem,& ſimilibus horis ante medium noctem,& ſimiliter ſi uenerit in ſecunda,quæ eſt in noctis medio:& tandem addit,quòd ſi uenerit in tertia uigilia, quæ eſt tribus horis poſt: nempe, aduentante diluculo, beati ſunt ſerui illi,quos inuenerit uigilantes.

Ratio. 2.

Matth. 24

Sol.2.arg. ¶Ad ſecundum igitur argumentum principale in capite quæſtionis præmiſſum reſpondetur, optimam diſpoſitionem temporis eſſe prope ortum ſolis:nam in illo cę li puncto creditur ſol creatus,quippe cùm ſecundùm Ariſtotelem inde incepiſſet motus,ſi habiturus fuiſſet principium: imò in de re uera cœpit,quia fides nos docet habuiſſe principium. Atqui articulus ille maximè eſt rei reſurrectionis accommodus, ut expoſitum eſt.

Media nocte

Luna plena.

Aequinoctium.

Mundus eo die cõditus.

Dies cõceptionis Chriſti.

¶Et per hoc uerbo Pauli ſit ſatis, quòd uẽturus ſit ſicut fur in nocte: nam certe ſitres illam horam obſeruant, qua homines ſecuriùs dormiunt. Quare Apoſtolus nullam deſignauit horam noctis. Quod autẽ legitur. Matth. 15. Media nocte clamor factus;quando fatuæ uirgines dormiebant, non tam ad deſignandum punctim horã dictum eſt,quàm ad ſignificãdum per modum parabolæ ſecuritatem profundè dormientium. Aduentus autem angeli in Aegyptum non tãti ad rem facit,quàm Chriſti reſurrectio:tunc enim expediẽs illa hora mediæ noctis fuit, ut populo reliquum noctis ad fugiendum ſupereſſet.

¶Adiecimus in concluſione, quòd tunc luna erit plena ſoli oppoſita in occidẽte quoniam in illa diſpoſitione creata luminaria creduntur:nam cũm ſol conditus fuerit,ut diebus præſit,& luna ut præſit noctibus,illa eſt optima luminarium diſpoſitio, ut ſole oriente luna occidat, & illo occidente oriatur ipſa: conducet ergo ut quibus punctis moueri cœperunt, in illis quieſcant.

¶Imò non parua hinc fit coniectura, ut dies illa circa æquinoctium martij ſit futura, nam licèt de hoc inter Doctores controuerſetur, longè ſit tamen probabilius in illo æquinoctio orbem fuiſſe conditũ, quod nunc in duodecimam martij cadit. Et ibidem annis tribus millibus nongentis quinquaginta nouem elapſis conceptus fuit Chriſtus: nam anno ter milleſimo nongenteſimo ſexageſimo ferè completo natus eſt. Error enim Calendarij eſt, ut dies conceptionis uigeſima quinta Martij celebretur, & dies natiuitatis uigeſima quinta Decembris, deberent enim tredecim diebus retrogradi. Et triginta tribus integris expletis annis ab eius conceptione ſub eodem æquinoctio paſſus fuit. Igitur quanuis non ſit tanquam omnino certum aſſerendum quãdo dies illa ſit uentura,quia ſecuros & alios agentes præoccupabit homines, optimè tamen conijcitur,ut quo die orbis & conditus fuit & redemptus,ſit itidem iudicandus.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm uniuerſi mortales ſint reſurrecturi.

Partis negatiuæ ar. primum.

SVperiori quæſtione definitum eſt, omnes quotquot primo ſonitu tubæ inueniẽtur mortui, fore reſuſcitandos. Reſtat ergo de illis, qui tunc uiui reperiẽtur, explorare utrum itidem morti occumbent,ut ſubinde reſurgant. Et arguitur à parte negatiua ex illo potiſſimum. 1. ad Theſſal. 4. Mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi, deinde nos qui uiuimus,qui relinquimur ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aera, & ſic ſemper cum domino erimus:ubi inter mortuos,& uiuentes diſtinguit,quòd illi reſurgent, atque hi uiui rapientur in aera, inſinuans quòd tunc uiui non morientur. Cui maximè conſonat articulus fidei, quo in ſymbolo confitemur, quòd uenturus ſit iudicare uiuos & mortuos.

2. Arg.

¶Secundò. Naturale & commune deſiderium totius ſpeciei non poteſt ſic in tota uacuum & inane eſſe, quin in aliquibus indiuiduis expleatur:naturale autem deſiderium mortalium explicat Paul. 2. Cor. 4. dicens. Nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri:ergo aliqui erunt, qui nõ expoliabuntur corpore,ſed uiui rapientur ad gloriam.

3. Arg.

¶Et tertiò cõfirmatur hęc ratio. Vbi abundauit delictum,uti ait Rom. 5. Apoſtolus, ſuperabundauit & gratia: ergo Chriſtus humanæ ſpeciei, ſaltem in aliquibus ſuppoſitis illud beneficium naturæ integrę reſtituet,quando poterant homines nõ mori,ſed uiui erant in gloriam transferendi.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium eſt collectio illa Pauli. ad Roma. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes uiuificabuntur:cũ ergo in Chriſto uniuerſi ſint uiuificãdi, fit ut in Adam omnes ſint morituri.

Opinio quorũdã.

¶Quæſtio hæc grauis eſt, & in controuerſia doctorum poſita. Sunt enim qui dicãt, illos qui ſub articulum aduentus Domini uiui reperientur, non morituros, ſaltem iuſtos,

Opinio aera.

iustos, sed in aera uiuentes rapiendos obuiam Christo. Aliorum uerò (quæ ut probabilior, ita uniuersalior est) fertur sententia, quòd omnes, etiam illi, tã probi quàm reprobi, morte sint occupandi, & extemplo suscitandi. Atqui primus locus qui liti ansam obtulit, est ille. 1. Corinth. 15. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Enimuero ut Hieron. in epistola ad Minerium & Alexãdrum, quã de hac re conscripsit, & Augu. in epistola ad Esychium, & 20. de ciuita. Dei ca. 20. fatentur, uaria est illius loci apud Græcos & Latinos lectio, tum quantùm ad uerbum: nam ubi nos legimus, resurgemus, plerique Græcorum codices legunt, dormiemus: solẽne enim illis est, qui spem resurrectionis habent, mortem somni nomine designare. Et præterea quantùm ad affirmationem: nam cùm nos legamus, Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, quidam permutata negatione cõuersim legunt, Omnes quidem non resurgemus, seu non dormiemus, sed omnes immutabimur. Neque uerò Hieron. & Augu. fatentur, omnes Græcos à latinis diuertere, sed multos. Atqui, ut ait super eundẽ locum D. Thom. quantùm ad uerbum nihil refert, seu resurgemus, legamus, seu dormiemus: quoniam quotquot morituri sunt resurgent, & nulli sunt, nisi qui morientur, resurrecturi. Sed tamen negatio sensum omnino in contrarium uertit: nam si legatur, omnes non resurgemus aut nõ dormiemus, planum fit, quòd illi, qui tunc in uiuentibus fuerint, uel eorum aliqui, mortem non sint experturi.

Locus Pauli. 1. Cor. 15.

D. Thom.

¶ At quoniam etiam si sint omnes morte complicandi, dubitare quis potest, utrùm simul illi cum alijs antea defunctis sint excitandi, an uerò postea, duas conclusiones præsens quæstio deposcit. ¶ Atqui pars illa, quę legit, Omnes non dormiemus, suos habet, neque uerò contemnendos, autores, quorum quosdam Hieron. in præfata epistola commemorat, ut Theodorum & Apollinarem, quibus Chrysostomus & Theophylactus adstipulantur. Et ut apparet, etiam Origenes libr. 2. contra Celsum. Et ex neotericis Faber Stapulen. & Erasmus super eundem locum & 1. ad Thessel. 4. nimio pugnantiùs eam asserere contẽdit, cum quo Caietanus eisdem locis consentit.

Opinio primæ patroni.

¶ Nihilominus prima conclusio sit. Vniuersi, qui tunc uita fuerint superstites, mori succumbent, ut protinus cum cæteris resurgant. Sententia est Hieronymi, qui quãuis in epistola ad Marcellam nutans uidetur in contrariam partem propendere, tamen ad Minerium & Alexandrum, quorum rogatu rem definit, hanc tandem sententiam affirmat dicens, huic magis ecclesiam acquiescere, magisq; ueritati conuenire, ut nemine excepto, præter Enoch & Eliam, quos sacra oracula uiuos disparuisse commemorant, omnes sint morituri. In quam utique sententiam citat uenerabilem Didymum, quem ut uetustiorem, ait Origenem fuisse secutum, qui ambo fuerunt Græci peritissimi. Eiusdem sententiæ est August. lib. citato. 20. de ciuita. Dei. c. 20. & præterea de fide ad Petrum. ca. 3. ubi ait, quòd ab eo primi hominis corpore, quod de terra Deus plasmauit, usq; ad omnium hominum corpora, quæ animata quandoque uiuere cœperunt, ab illo resuscitabuntur, à quo operante creata sunt. Eadem hic est opinio S. Thomæ & Ricardi & Scoti. q. 5. & Durandi & Paludani. q. 4. & Theologorum ferè omnium.

1. Concil.

Hieron.

Enoch & Elias.

August.

Opinio ab omnib.

¶ Veruntamen hic D. Thom. eam non est amplexus nisi seu securiorem & communiorem, ut eius uerbis utamur, &. 1. Cor. 15. ait, contrariam opinionem nõ esse contra fidem. Imò in libro de ecclesiasticis dogmatibus. capit. 7. quanuis Aug. communem sententiam maxima, ut ait, Petrũ turba tradente susceperit, censet tamen patronos alterius opinionis catholicos & eruditos, nec ob id censendos esse hæreticos. At uerò, quanquam nec ego aliter sentiam, nihilominus profectò nonnihil uel temeritatis uel audaciæ præ se fert cõtrariam iam nunc temporis sententiam tueri, præsertim tã pugnaciter, quàm quidam faciunt: quandoquidem Hiero. dicat, huic sententiæ magis ecclesiam acquiescere & magis esse ueritati consonam. Et omnes latini ita legant. Omnes quidem resurgemus, & nonnulli ex Græcis. Quinetiam, à tempore Tridentinæ synodi, ubi editio uulgata inter omnes est solenniter suscepta, nescio an contraria lectio græcanica peiori quàm temeritatis nota sit subnotanda. Eo uel maximè quod tum rationes tum & oracula sacra huic, quæ uulgata est æditio, liberiùs patrocinentur. ¶ Primum enim

Synodus tridẽtina.

Sniã auo ris.

Ratio. 1.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Ratio. 4.

enim, ut à nostra natura exordiamur, cùm ex anima & corpore constantes nostra pte natura simus in easdem partes resolubiles, nulli sunt ab hac naturali legẽ excipiendi antequàm de diuino priuilegio cõstiterit: uniuersalis enim sententia est illa Gen. 2. Terra es, & in terram ibis: quam Augustinus loco citato libro. 20. de Ciui. Dei. cap. 20. ad hoc propositum de uniuersali resurrectione interpretatus ait, In terram ibis, amissa uita: nullum autem extat priuilegium expressum: ergo asserendum est, omnes mortem esse obituros.

¶ Secundò & ex cælestibus lationibus id rimari sic possumus. Cùm enim illis cælorum motibus sublunares fiant generationes & corruptiones, consequens fit, ut cessante motu cæli cesset & actio calidi & humidi, quo nostra uita consistit: quare sicut extincta cordis palpitatione extinguitur homo, sic quiescente motu cæli subitanea cunctì morte animas sunt expiraturi.

¶ Tertiò & id ex natura originalis culpæ colligitur. Per primum hominem, ut ait Paulus, intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors, iuxta diuinam illam sententiam Gene. 2. In quacunque hora comederis ex eo, morte morieris: cũ ergo sententia illa uniuersos mortales cõprehenderit, nulla est ratio, qua ulli inde eximantur: imò diuinæ iustitiæ concors omnino est, ut cuncti semel moriãtur: iuxta uerbum Paul. ad Heb. 9. Statutum est hominibus semel mori: & iuxta illud Psal. Quis est homo, qui uiuet, & non uidebit mortem? Etenim si Christus, ut à nostris nos piaculis expiaret, mortuus est semel, ut resurgeret: profectò æquissima ratio à fortiori persuadet, ut filij Adæ, qui mortis incurrerunt sententiam, exemplo Domini sui, moriantur, ut resurgant.

¶ Accedit quartò & collectio facta Pauli, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificabuntur: qui accommodatissimum à natura deduxit exemplũ Insipiens tu quod seminas non uiuificatur, nisi priùs moriatur: nam quanuis exẽplum illud, ut patroni alterius opinionis aiunt, ad possibilitatem resurrectionis demonstrandam induxerit, nihilominus & in exemplum quoque, quo Christus suam familiam uiuificaturus est, retulit. Vnde subdit, Seminatur in corruptione, surget in incorruptione, &c. quotidie enim per corporis macerationem corruptibile corpus seminamus, sed tandem per mortem absumitur ut resurgat.

¶ Quinto ergo loco expendamus utra illarum lectio. 1. Corinth. 15. gratiùs arrideat. Omnes quidem resurgemus, an uerò contraria, Omnes quidem non resurgemus. Omnes enim tam uni quàm alteri fauentes lectioni confitentur nomine mutabilitatis Paulum intellexisse, mutationem à mortalitate ad immortalitatem per dotes corporis, de quibus sermonem præmiserat, Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur i ignobilitate, surget in gloria, &c. quæ utique fœlicissima mutatio duntaxat iustorum præmium est. Vna ergo ratio, quæ Caietano atque alijs persuadet non esse legendum, Omnes quidem resurgemus, est: q tunc secundum membrum, sed non omnes immutabimur, non est rei consentaneũ: uidetur enim tunc Apostolus se inter perditos connumerare, qui non sunt mutandi, cùm dicat, sed non omnes immutabimur. At uerò non solùm nihil roboris notula hæc habet, uerùm ex confessione ipsius Caietani facillimè diluitur. Fatetur enim in more esse Paulo iustis se tantùm connumerare, aut cum tota uniuersitate iustorum & iniustorum, quod ratio hic planè facit. Loquitur enim nomine totius uniuersitatis resurgentium: & ideo ait, Omnes quidem resurgemus: scilicet, tam reprobi quàm probi, sed non omnes immutabimur. Non quòd insinuet se non esse mutandum, sed quòd ex illa uniuersitate non omnes mutabuntur. Sic enim illustris persona alicuius reipub. dicere potest, Omnes quidem sumus ciues: sed non omnes sumus illustres, quanuis ipse sit illustris. Et ideo ad maiorem huius sensus expositionem subdit, Mortui resurgent incorrupti: nimirum, uniuersi: nam hæc indefinita uniuersali æquipollet: & nos immutabimur. Itaque quod nomine totius uniuersitatis dixerat, Non omnes immutabimur, explicando illico nomine iustorum dicit, Et nos immutabimur, non autem iniqui.

Ratio. 5.

Rõ Caiet.

Caietani ratio concutitur.

¶ Et sextò, quòd profectò uehementissimum argumentum est & inuincibile, arguitur. Nemo illorum, qui legunt. Nõ omnes resurgemus seu dormiemus, negat, quia neque inficias ire potest, quin omnes reprobi,

Ratio. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

reprobi,qui tũc reperientur uiui, sint mo rituri:nam fatentur Paulum loqui hic de solis iustis,qui non omnes morientur, sed omnes immutabuntur,& 1. ad Thessalo. 4.ait,Nos qui uiuimus rapiemur in nubibus obuiam Domino in aera & semper cũ Domino erimus:miseri autem damnandi non rapientur in aera, ut postea uidebi mus:ergo illi antiqui Græci de solis iustis aiebant:non fore corpora defosituros.

Argum. Hinc ergo sumitur argumentum.Si iniusti,qui tunc uiui reperientur, de repente exanimabuntur, non est cur iusti non simul morti occumbant:nam si essent immunes à morte seruandi, hoc esset propter suam iustitiam:& tamen multi multo sanctiores mortui sunt, ut beata uirgo & apostoli Profectò non est cur negetur,uni uersos tunc morti concessuros.

Origenes. ¶Quapropter Origenes,ut Hiero.refert, & hic S.Tho.illam aliorum negatiuam lectionem,Non omnes dormiemus,nõ potuit,sibi persuadere, de uera morte fore intelligendam:quocirca eam interpretabatur de dormitione spirituali:hoc est,de morte peccati.Et hæc fortè est causa cur non omnes legebant,non omnes resurgemus,sed non omnes dormiemus. Itaque omnes utriusque lectionis patroni formidabant negare omnes morituros. Quanuis illa interpretatio de dormitione peccati aliquanto sit uiolentior, quàm ut eã textus gratis admittat.

Locus Pauli 1. ad Thess. 4. ¶Ad alium igitur locum Paul. 1. ad Thessalon. 4. descendamus, quem autores contrariæ opinionis robustissimum sibi putant firmamentum. Ait enim. Ipse Dominus in iussu & in uoce archangeli & in tũba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui uiuimus,qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Domino in aera.

Nota. ¶Sed ut obiter hoc in præsentia adnotemus,non defuerunt qui superficie horum uerborum seducti arbitrati sint, Apostolum,& qui cum eo scribebant Syluanum & Timotheum deceptos putasse, aduentum Domini tam esse propinquum, ut in sua ætate esset futurus. Quinuero Erasmus nihil cunctatus est illud sub opinione dixisse.Hierony. uerò in epistola illa citata ad Minerium & Alexandrum hunc errorem legentibus cauit. Ait enim Thessalonicensibus eundem ab eisdem uerbis errorem irrepsisse,ad quem eis detergendum scripsit Apostolus epistolam secundam,ubi ait,Rogamus uos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi,ut nõ citò moueamini à uestro sensu, neque terreamini neque per spiritum neque per sermonem neque per epistolam quasi per nos missam,quasi instet dies Domini &c. Qui enim ad Timotheum scribens capit. 4.dixerat,Ego enim iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat, non dubitabat sibi ante aduentum Christi morien-dum.Vnde Petrus apostolus in sua.2.Canonica capit.3.de aduẽtu Domini loquẽs & persuadens,ne quis putet ipsum tardare,ait,nonnulla Paulum scripsisse intellectu difficilia,quæ indocti & instabiles deprauant,quasi ex illis fuerint decepti putantes,quòd tempore illo Apostolorum, esset Christus uenturus.

¶Igitur ubi ait Paul. Nos qui uiuimus, qui relinquimur.&c. nihil aliud admone re cõgitat,quàm quòd uiuentes in lege euangelica non præuenient iustos antiquæ legis,qui mortui sunt in fide Christi, sed simul omnes rapientur in nubibus ob uiam Christo:& ideo in se & suis consortibus repræsentat illos, qui tunc erunt in uita residui.Nihilominus neutiquam negat,se cum alijs pluribus de hac luce migraturum: quin uerò id anxiè cupiebat: aiebat enim ad Roma.7.Quis me liberabit de corpore mortis huius?& 2. Corin. 5. Habitantes in corpore peregrinamur à Domino:magis autem uolumus exire de corpore & esse cum Domino.

¶Videtur tamen prima facie insinuare quòd qui tunc uita fungentur, nulla erũt morte occupandi,sed uiui rapiendi obuiã Domino:nam ait. Mortui resurgent primi,deinde nos,qui uiuimus, qui relinquimur,rapiemur in nubibus obuiam Domino. Atqui si locus alius non esset uniuersalis resurrectionis apertior neque rationes,quæ factæ sunt,illam suaderent, nescio an dicam,persuaderent, iste non esset sufficiens ad probandum omnes esse morituros.Sed tamen neque illis locis & rationibus contradicit. Non enim hic Paulus de uniuersali omnium morte fermonem habebat,sed solùm uolebat conferre iustos,qui tunc essent uita fungentes, cum alijs iustis, qui tunc erunt uita defuncti,

Paulus non fuit deceptus.

2.Petr.3.

Qui uiui erũt in die iudicij.

Roma.7.

defuncti, docẽs quòd propterea quòd tũc erunt uiui nõ occurrẽt citius Christo obuiam, quàm alij, qui tunc erunt in sepulchris, sed illi resurgent primi: id est, primùm,& protinus omnes simul iusti rapientur in nubibus obuiam Domino: non tamen negat uiuentes illos per mortem transituros ad immortalem uitam. Et ideo Augustinus lib.citato. 20. de ciuita. Dei,ait, quòd in raptu illo morientur & reuiuiscẽt. ¶Sed tamen hic locus aliam ambiguitatẽ superiori adnectit: scilicet,utrùm estò superstites illi sint morituri,priùs alij quàm ipsi sint resurrecturi. Apparet enim sic fore:tum ex uerbis Pauli,qui ait,Mortui resurgent primi,deinde nos qui uiuimus &c. tum etiam ex uerbis Augustini, qui ait, in raptu,quo uiui rapientur in aera, morituros:cum ergo antequàm illi rapiantur,alij resurrexerint, fit ut illi post alios sint resurrecturi. ¶Tres sunt ergo eorum opiniones, qui arbitrati sunt non omnes simul suscitandos. Antiquus enim Papias & Lactan. quos supra retulimus, existimabant in fine sexti millenarij uenturum Christũ & tunc resurrecturos iustos, cum quibus erat mille annis in summis delicijs conuersaturus: & pòst in fine septimi millenarij erant reprobi excitandi. Et sic glossabant illud Pauli, Mortui, qui in Christo sunt, hoc est iusti,resurgẽt primi:id est, per mille annos ante. Sed hanc Hierony.in epistola citata ad Minerium & Alex.appellat fabulam,cùm. 1. Corinth. 15.idem Apostolus dicat, quòd in momento & ictu oculi canente nouissima tuba mortui resurgẽt, & nos scilicet,iusti,immutabimur. ¶Alij uerò,quorum sunt Scotus & Durandus,q. 4.censent q̃ tũc q̃ inueniẽtur defuncti,resurgent prius, & qui reperientur uiui, rapientur in aera ubi in ipso raptu morientur,ac subinde post alios resurgent. Sed alij sunt quos Ricard. impræsentiarum refert,qui aiebãt,electos citius, quàm reprobos, excitandos: atq; huius sententiæ fuit Theophylactus. 1. Thessa. 4. Sic nimirum Deo disponente, ut illorum obedientia, qui ut ait Paulus,diligunt aduentum domini,promptior appareat. Miseros nanque (quippe quibus ingratus horrendusq; ille aduentus erit) cunctatiùs putabant iusti in uitam redituros.

¶Veruntamen his nihil obstantibus statui tur secunda huius articuli conclusio. Vniuersi, scilicet & probi & improbi, atque illi, qui superstites tunc in uita reperientur & qui defuncti erunt, simul eodem temporis momento resurgent. Sententia est Ricard. imò & Aug. si eius opus est liber de ecclesiasticis dogmatibus, sic enim illic c. 6.legitur.Erit resurrectio mortuorum omnium hominum, sed una & insimul & semel,non prima iustorum, & secunda peccatorũ,ut fabula est somniatorũ, sed una omnium. Cui utique sentẽtiæ rationes gratanter suffragantur: quoniam cùm, ut ait Paulus oẽs in momẽto & ictu oculi debeãt resurgere,fit cõsequens,ut eodem momento resurgant. Item cùm resurrectio illa sit conuocatio ad uniuersale iudicium, fiatq; adeò uirtute Dei, cui omnis creatura ad nutum paret (nisi in his quæ ad mores in hac uita pertinent)quia nemo ei resistere ualet, fit ut eodem momento omnes resurgant. ¶Et per hoc respondetur illis,qui putant rebelles iniquos morosiùs resurrecturos. Si enim sua sponte deberent exurgere, probabilitas quædam inesset in argumento. Attamen cum omnes uirtute diuina sint euocandi,non dabitur eis remoranti locus. Adde,quòd cùm oẽs sono uocis & tubę dei,ut ait Paulus,sint ueluti ex somno excitandi,eodẽ sonitu atque eodẽ momento resurgent uniuersi. ¶Illud uerò, quòd ait Aug.uidelicet,quòd qui uiui reperientur,in aere sint morituri, & resurrecturi,possibile quidem est,& cum honore, qui diuo patri debetur,audiẽdum. Pugnat tamen in contrarium argumẽtum, q̃ infœlices damnandi,qui uiui reperiẽtur, nõ in aere, sed in terra interibũt antequam iusti rapiantur in aera: ergo profectò non est cur non simul moriãtur iusti,etiam in terra: unde cum uniuersis alijs iustis rapiantur in aera. Præsertim quòd in illo raptu in aera non est credibile tantum moræ interfuturum, ut illic moriantur & purgentur & resurgant: nam si quidpiam habent sordium,omnino illis expurgãdum est antequam resurgant. ¶Igitur,ut tandem aliquid dicamus, hoc quàm maximè est uero simile, quòd in illo tantillo impercepti bilis temporis,quo angeli cineres sunt collecturi, morientur uniuersi qui uiui reperientur, & instanti terminatiuo extrinseco illius temporis,ut expositum est,fiet generalis omnium resurrectio.

¶Ad huius autem maiorem intelligẽtiam argui-

Ratio. 1.

Ratio. 2.

Solutio.

Ratio. 3.

Augustꝰ.

Arg. cõtra uerba Augustꝰ.

Sententia autoris.

2. Arg.

arguitur contra. Et supponatur mortem, quam ex culpa originali contraximus, de qua dictum est, in quacunque die comederis ex eo morte morieris, non esse uiolenter inflictam cuiusmodi sunt mortes, quibus malefactores plectuntur, aut alij interficiuntur per iniuriam, sed est naturalis. Enimuerò quanuis nullum fuisset peccatū originale, ex eo quòd sumus ex corpore & aía compacti, fuissemus mortales. At quia deus nos iustitia originali dotauerat, cuius beneficio poteramus non mori, dum illam iustitiam per præuaricationē Adæ amisimus, in nostra moriendi natura relicti sumus: atq; hac rōne mors dicitur pœna originalis peccati. ¶Hinc ergo ducitur argm. Illi, qui uiui reperientur propter aduētū illius diei non sunt digni uiolenta morte, ergo qui tūc nullis laborabunt lethalib. morbis, quibus alioqui morituri tunc essent, non est cur morti debeant occumbere. ¶Ad hoc satis respōdere quis posset, quòd cum ex locis sacris supra citatis & probabilib. rōnibus colligatur oēs fore morituros, non opus est perscrutari quomodo morientur. Deus. n. qui pro culpa originali nobis decreuit mortē pōt infligere aliam ét uiolentam, ut quod statutum est impleatur, & est statutum, ut ait Paul. hominib. semel mori. Nihilominus secundò respondere possumus, quòd oēs præ nimio terrore naturaliter incusso exanimes concident: nam, ut Lucæ. 21. legitur, tanta erit tunc pressura gentiū præ confusione sonitus maris & fluctuum & præ portentis quæ in luminaribus cæli apparebunt, ut hoīes terrore & expectatione, quæ superuenient uniuersō orbi perculsi arescant: & sub illum potissimè temporis articulum, quo angelorum ministerio cinerum fiet puluerumq; collectio. Imò uerò quàm maxima existit considerāda coniectura, illa temporis morula ignē, qui faciem iudicis est antecessurus, de quo dist. 47. resumēdus est sermo, homines cū cæteris mixtis combustum iri, ut art. proximo iterum dicemus. ¶Locus ergo Pauli non sic legendus est, ut ordo cōstituatur prioris & posterioris inter resurrectionē, qui tunc fuerint defuncti, & eorum, qui tunc morientur, sed inter resurrectionem iustorum, qui tunc erunt defuncti, & omnium simul iustorum raptum in aera. Loquitur. n. speciatim, ut illic habetur de resurrectione iustorum. Quasi dicat. Non priùs, qui tunc inuenientur in uita, rapientur in aera, quàm iusti alij, qui erunt defuncti, sed omnes priùs simul resurgent: scilicet, tam qui erant mortui, quàm qui tunc morientur, extemploq; subinde omnes simul rapientur in aera.

Argnm.

Solutio. 1.

Solutio. 2.

Locus Pauli. 1. Cori. 15. enarratur.

In instāti

¶Ex his demum id, quod articulo præcedente insinuabamus, planè colligitur: scilicet, quòd generalis omnium resurrectio erit in instanti extrinseco terminanti totum mundi tempus, quo scilicet Cæli, ut cum Philosoph. loquamur per primum non esse motus moueri desinent. Nam illa quæ deinceps in iudicio subsequenter nō opus est, ut temporis mensura fiant: sed in æternitate quæ iam inde absque alia mensura remanebit.

Sol. 1. arg.

¶Solutum ergo est primum argumentū, quod ex uerbis Pauli. 1. Thessa. 4. erat instructum: haud enim negat repertos tunc uiuos fore morituros, sed ait non prius illos rapiendos in aera quàm omnes resurgant. Verbum autem articuli fidei, quòd Christus sit iudicaturus uiuos & mortuos ad illud diei tempus referendum est, ut Aug. ait in Enchi. cap. 55. Nam uiuorum nomine illi comprehenduntur, qui tunc in carne uiuentes de hac luce migrabunt: mortui uerò intelliguntūr qui ante diem illam fuerint uita defuncti. ¶Ad secundū respondetur, quòd desiderium sanctorum absolutum ad salutem animæ necessariū frustrari non potest: desiderium autem illud apud Paul. Nolumus spoliari, sed superuestiri, non est absolutum, sed conditionale, si possibile esset. Quemadmodū illud Christi, Si possibile est transeat à me calix iste: repræsentat enim Apostolus nō mine totius humani generis affectum illius status naturæ integræ, in quo creati sumus, quo absque temporali morte poteramus ad æternam uitam aduolare. Cupimus ergo ut mortale hoc corpus immortalitatem induat: tametsi id fieri nequeat nisi moriendo mortalitatem exuat, quemadmodum Christus mortem moriēdo destruxit, & uitam resurgendo reparauit. ¶Ad tertium respondetur, quòd cū per præuaricationem Adæ tota natura, ut ait Paul. in illo peccauerit, atq; adeò mortis fuerit rea, iustitia Dei exigit, ut morti omnes debitum soluant præter illos, qui priuilegio Dei excepti sunt. Quo utique priuilegio

Sol. 2. arg.

Sol. 3. arg.

Enoch & Elias.

priuilegio Enoch, & Eliam donauit, ob causam, & mysterium nobis occultum. Illis ergo solis exceptis, ut ait ad Minerium Hierony. nulli præterea contingit. Abundauit autem gratia Christi, ut ait Paulus, plusquam delictum, quia cū solo illo peccato Adæ fuerimus per originem contaminati, Christus, non solum originalem, uerum cunctas nostras proprias actuales maculas nobis abstersit seruata tamen iustitia, ut cuncti morti succumberemus.

Aliud arg.

¶Per hoc aliud soluit argumentū. Melius perficitur quod compendiosius fit: compēdiosius autem res transigeretur, si raperentur, qui tunc uiuētes essent, antequàm morerentur. Respondetur, inquam, uiam compendiosiorem tunc esse præferendam quando est ad rem tam accommoda.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm omnes mortui resoluentur in cineres antequam in iudicium exurgant.

Partis negatiuæ arg. 1.

Væritur tandem de materia, ex qua corpora resurgent, & subinde de loco, utrum. s. omnes ex cineribus ubicunque fuerint debeant resurgere. Et arguitur à parte negatiua. Corpora nisi ignis officio, non resoluuntur in cineres: qui autem uita decedūt non omnes concremantur: ergo non omnes resoluentur in cineres.

2. Argum.

¶Secundò. Si omnes incineres resolueren tur, nulla in eis remaneret inclinatio ad resumendas animas: magis quam in carne leonis aut alia quacunque re: consequens tamen apparet falsum: nam sicut animæ etiam separatæ iugis inest appetitus corporis, ita uidetur corpus semper appetere animam, ut aptior fiat utriusque coniunctio.

3. Arg.

¶Tertiò arguitur, Si mortui omnes essent in cineres abituri, non ex eodem loco exurgerent, quo sepulti sunt: nam pulueres facilè in diuersa loca dilabuntur, imò in herbas exeunt, quibus animalia pascuntur, & sic uix poterit tunc reperiri particula eiusdem corporis, quod fuerit incineratum.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium est illud Gen. 3. Terra es & in terram ibis, quæ quidem sententia ut autor est Haym. omnes tenet, qui in originali peccato nascuntur. ¶Tribus conclusionibus secundum argumentorum numerum ad quæstionem respōdebitur. Cō suetissimum autem patribus ac theologis est corporum humanorum reliquias: hoc est, quicquid illud sit, in quod resoluuntur, generali nomine cineres appellare. Cuius uariæ causæ ferūtur. Vna est, quod ōlim, in more fuit cadauera comburere, unde sepulchra & cinerum locā busta dicebantur. sed fortasse alia non fuit causa nisi quòd cum homo ex puluere & terra fuerit plasmatus & sententia pro peccato fuerit, Terra es & in terram ibis, pulueribusque cum cineribus maxima sit similitudo, cinerum nomen pro terra & puluere ribus usurpatur. Præsertim quod exiliores sunt faciliusq; in fauillam & auras euolant. Vnde Abraham Genes. 18. Loquar (inquit) ad dominum meum cum sim puluis & cinis. Quapropter nos quotannis ecclesia admonet, Memento homo, quia cinis es & in cinerem reuerteris. Et fit præterea allusio ad peccati fomitem, qui nobis ex originali culpa sit residuus: fomes enim ignis fomentum est. Vnde sicut ardore concupiscentiæ exurimur, ita & corporum reliquiæ cineres nuncupantur.

Cadauerū reliquiæ cur cineres dicantur.

¶Quod autem in disputationem modo producitur est. Vtrum uniuersa mortaliū cadauera sint antequàm in uitam redeāt, usque ad elementa resoluenda, an uerò satis sit quòd moriantur, seruatis aliquorum ossibus, aliorumque carnibus: nam Ezechiel, ut capit. 37. legitur, in resurrectionis uisione campum uidisse se ait ossibus plenum, super quæ deum uidit neruos & carnes inducentem. Item multi in die iudicij erunt, qui ossa habebunt integra, illi præsertim, qui tunc sunt obituri.

1. Conclu.

¶Nihilominus statuitur prima conclusio. Cuncta humana corpora omnino usque ad elementa resoluentur,. Conclusio est Sancti Thomæ impræsentiarum articu. 4. & Ricard. & Theologorum. Ad cuius probationem præsupponendum est hominem constare ex corpore & anima: corpus uerò ex ossibus neruis &c. quæ sunt partes eterogeneæ: hoc est, diuersarum rationum: ac demum partes illæ constant ex elementorum commixtione, quod de terrenis omnibus affirmat 2. Cæli. Philosophus. Primo ergo moritur homo per separationem animæ à corpore, quod reliat, ut cadauer, mox per

Homo ex quibus cō stet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plurimas transmutationes, tandem resoluitur in elementa: quia ut 3. Physico. habetur. quicquid ex contrarijs constat, in ea tandem reducitur. ¶ Probatur ergo cõclusio primum ratione naturali, quia conglutinatio elementorum in mixto cælorum lationibus fit & conseruatur: consequens ergo fit, ut eisdem orbibus quiescẽtibus cuncta mixta resoluantur in elementa. Quare post diem iudicij omnia interire necesse est mixta, ac perinde corpora nostra, solis superstitibus elementis.

Ratio naturalis.

Ratio. 2. ¶ Secundò arguitur ex illa sententia citata, Terra es & in terram ibis. Vnde colligitur, quòd in pœnam originalis culpæ, non tantum mors nobis decreta est, quæ est animæ à corpore separatio: uerùm & corporis resolutio usque ad terram & alia elementa, ex quibus commixtum est. nam omnes illę resolutiones non sunt nobis naturales, à quibus per donum originalis iustitiæ præseruabamur. Quam ob rem ex debito iustitiæ propter crimen Adæ non solùm obituri omnes sumus mortem, uerùm resoluendi, ut nostra fert natura, illo iustitiæ originalis munere destituta, ut constet quantum nobis illa fuerat beneficium. Resoluendi, inquam, præter Christum, qui ut nullo fuit attactus peccato, ita nec ulli fuit peccati legi obnoxius. De quo ideo præcinit Dauid, Non dabis sanctum tuum uidere corruptionẽ. Id quod Petrus Actu. 2. necessariò duxit persuadendum in Christum propriè competere. Et prẽter illos, qui illo priuilegio donati sunt, ut non incinerarentur, quale Enoch, & Eliæ, ut prædictum est, indultũ fuit, & Deiparæ uirgini piè creditur etiá concessum. ¶ Tertiò demum ad eandem conclusionem arguitur. Christus qui solũto pretio redemptionis nostræ reparator est uitæ, quam in Adam perdidimus, non solùm uita nos donaturus est per refusionẽ animę in corpus, uerùm & corpora ipsa nra, ut ad Philippẽ. 3. ait Paul habet reformare, ut configuretur corpori claritatis eius: reformatio aũt integra & perfecta illa est, quæ ex primis principijs integratur. Ergo ut illa reformatio pfectè fiat debet resolutio usq; ad omnia, ex quibus componitur, procedere ut nõ solũ sit corpus nouũ, uerùm & ossa & nerui & cutis prorsus innouentur, & omnia mẽbra. Profectò quanuis conclusio, nec sit in sacris

Omnes resoluendi sunt in cineres.

Biblijs expressa, nec ab ecclesia definita, indecens esset illam negare. Quæ præsertim in iustorum corporibus demonstratur: nam cum sint per dotes gloriæ usque ad minutissimas particulas purificanda, ui dentur usque ad ultima eorum principia fore resoluenda. ¶ Quod si perconteris, cur ergo in scriptura facta non sit mentio de alijs elementis, sed de sola terra. Terra es & in terram ibis. Respondetur ratione esse, quia elementum, quod in homine dominatur, est terra de qua conditus est. Vn de Augu. Enchir. c. 88. Non perit (inquit) Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet pulverem cinerem q; soluatur, in quoslibet habitus auraſque diffugiat, in quancunque aliorum corporum substantiam uel in ipsa elementa uertatur, in quoruncunque animalium, etiam hominum, cibum cedat, carnem q; mutetur: illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus, ut homo fieret, creseceret, uiueret, animauit. ¶ Sed arguat quis forsã. Resurrectio Christi fuit nostræ exemplar: ergo sicut ipse non ex cineribus resurrexit, ita nec nos debemus resurgere. Negatur tamen consequentia: nam ratio exemplaris cauſæ non consistit in termino à quo, sed in eo ad quem fit confirmatio. Resurgent enim omnes in corporibus uerè uiuentibus, in quo etiam damnati conformabuntur corpori Christi, Iusti uerò in corporibus gloriosis, in quo prætereà erunt ei similes.

Dubium

August.

Argum.

¶ Arguitur autem rursum. Terminus qui est finis, ei respondere debet, qui est principium: fœlices autem & infœlices ad diuersa resurgent: quoniam ut (ait Paulus) omnes resurgemus: sed non omnes immutabimur: ergo pari ratione non omnes resurgent ex cineribus. Respondetur, resurrectionem damnatorum & iustorum differre, non ex termino unde procedunt, sed ex finibus, ad quos resurgent: nam motus à fine sortiuntur speciem: & ideo ex eisdem cineribus alij resurgent ad uitam, atque alij ad mortem. ¶ Primo igitur argumento principali satisfactum est, ubi ostendimus cur corporum reliquiæ dicantur cineres, licet non in morte crementur.

Sol. 1. arg.

¶ Ad id autem Ezechielis. Respõdetur, q̃ ipse loquebatur populo quemadmodũ ca

Sol. 2. arg.

dauerum ossa uideri solent ubi ceciderint homines,

homines, & quemadmodum Deus ex costa Adæ inducta carne formauit Euam. Nihilominus non opus fuit, ut ad uiuum modum depingeret, quo sunt corpora priùs usque ad cineres migratura, quàm in uitam remigrent.

Solut. alius argum.

¶ Ad aliud autem quod subiecimus argumentum de illis, quorum corpora nondũ erunt in cineres dissoluta, respondẽt Diuus Thomas & Ricardus, & alij, quod ignis ille faciem iudicis antecedens, quo expurganda est mundi facies, poterit corpora tunc uiuentium cum alijs mistis, quę non fuerint prorsus resoluta, in cineres uertere, de quo utique igne, articulo, præcedẽti diximus illos exanimandos si priùs ingentissimo illo portentorum terrore spiritum non exhalauerint.

Quæst. 2.

¶ Ex hac prima conclusione facilis fit gradus ad secundam quæstiunculam: utrùm in cineribus illis semper inclinatio persistat ad animam resumendam. Non enim desunt qui id affirment, arbitrati nunquam sic dissolui usque ad elementa corpus, quin aliqua mixti particula perseueret, quæ fuerat in humano corpore.

Secunda conclusio.

¶ Nihilominus subiungitur secunda cõclusio. Nulla in cineribus restat inclinatio, aut appetentia animæ resumendæ. Probatur per præcedentem: quia in elementis ac mistis diuersarum specierum nulla inest organizatio aut peculiaris dispositio ad animam. Si ergo omnium corporum resolutio usque ad elementa & alia longè diuersa mista fit, liquidò colligitur, nullam in illis superesse appetentiam animæ: præter generalem appetitum materiæ indifferentem ad omnem formam.

Ratio.

Ratio. 2.

¶ Item arguitur, quia omnium pleraque, imò quàm longissimè plurima erunt, & in alias ac subinde alias formas transmissa: nam cùm (ut proximè citatus Augusti nus ait) plurima iam tunc prodierint in herbas, & cesserint in animalium cibos, & in aereos halitus, in illis ergo nullus supest appetitus animæ. Cùm ergo consentaneum rationi sit, ut cuncta eandem legem subeant, fit ut omnia pariter dissoluantur, in nullisq; eadem peculiaris inclinatio supersit.

Sol. 2. arg.

¶ Ad secundum igitur argumentum respõdetur: quod cùm anima separata à corpore eadem perseueret, nihil mirum, si eandem naturam ac subinde eandem affectionem ad corpus retineat, quod non accidit corpori. Inest ergo illis cineribus sola obedientia ad omnipotentiam diuinam.

Ad testimonium Iob.

¶ Quid autem ad illud Iob respondebimus. ca. 20. Ossa eius implebuntur uitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient? Si enim in puluere perseuerat animæ uitia, potiori ratione perseuerabit inclinatio ad ipsam resumendam. Respondetur, non esse sensum Iob, quod uitia animæ actu perdurent in ossibus, sed quod secundùm ordinem diuinæ iustitiæ est unusquisq; ad illud præmium, uel supplicium deputatus, quod homo in corpore & anima meruit. ¶ Tertia uerò, quæ hinc emergit ambiguitas, plusculum perplexitatis habet, quibus scilicet locis resurgent omnes. Tribus enim modis possumus cuncto rum resurrectionem speculari. Vno scilicet, ut omninm uniuersitas cinerum Angelorum ministerio, in eundem locum cõgregetur, quo iudicium futurum est: uerbi gratia, in ualle Iosaphat, de quo in dist. 47. disputaturi sumus, ut illic omnes clangore tubæ & sonitu uocis expergefacti sistantur ad tribunal Domini. Vel quod unusquisque ab eodem locò resurgat, in quo uel mortuus fuit, uel sepultus. Aut tertio, quòd exurgat inde quisq;, ubi maior uel prẽcipua pars cinerum eius iacuerit, ex quibus corporis compages est facienda. Et certè unusquilibet istorum modus in utramq; partem anceps est. ¶ Primus quidẽ apparet inde probabilis, quod cum Angeli sint cineres, undecunque fuerint, collecturi, gratiùs uidetur arridere ratio, ut ad illum locum iudicij uniuersos asportent, quàm, ut ad tam innumera loca eos distrahant, ut in diuersis illis mundi partibus excitatos, uiuos illic deferant. Nam & si diuinæ uirtuti æquè sint cuncta facilia, ille tamen modus conijciendus nobis est, qui nostro modo concipiendi cõpendiosior apparet. Præterea cùm eo tũc temporis cadauera multa sint reperienda integra, atque alia sua retinentia ossa, facilius est intellectu, quòd in illo transitu ad locum iudicij per ignis flammam faciem iudicis præeuntem, incinerentur, quàm si essent in uisceribus terræ abdita.

Quæst. 3. Resurrectio tripliciter consideratur.

1. Modus.

¶ Veruntamen in contrarium occurrere uidetur illud Ezechiel. 27. Aperiam tumulos uestros & educam uos de sepul-

Ezech. 27.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioan. 5. chris uestris populę meus & dabo ſpiritũ meum in uobis, & cætera. Et Ioannis quinto, Omnes qui in monumentis ſunt
Matth. 27 audient uocem filij Dei. Et Matthæi uigeſimoſeptimo. Monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, reſurrexerunt. quæ utique teſtimonia docere uidentur ex monumentis futuram eſſe reſurrectionem. Cui & ratio hæc fauet, quòd monumenta uidentur quaſi in depoſito excepiſſe defunctos, quos ſuo poſtmodum creatori reddant. Et exemplum præterea Chriſti ad id facit, qui de monumento ſurrexit, non autem de loco, in quo paſſus fuit.

1. Arg. ¶At uerò, neque deſunt contra hoc argumenta alia. Primum. Quòd multa monumenta diſperierunt: nam terra quotidie illuuionibus corroditur: quare ubi
2. Arg. erat terra, iam (ut ait Ariſtoteles) eſt uel aer uel aqua. Item quia quàm plurima cadauera in præiacentem materiam dilapſa, in diuerſiſſimas orbis partes diffugerunt, alia ſcilicet, quòd eſca diuerſis animalibus fuerunt, alia quòd uentis in diuerſa loca efflata ſunt. Et uſu ſæpè uenit, ut caput in uno loco cuſtodiatur, & cor ſeruetur in alio, & corpus alibi ſit humatum. Vnde probabili ratione colligi-
Vbi quis mortuus ẽ ibi reſurget. tur, quòd unuſquiſque ubi mortuus fuit, reſurgat, uel ubi maior pars puluerum extiterit, quòd ſi nullibi fuerint plures partes, quàm alibi, tunc ait Ricardus, quòd reſurget talis homo ubi deus uoluerit.

Vbi debeamus reſurgere. ¶Igitur, ut ab hoc ultimo uerbo exordiamur, hoc in ſolam uoluntatem Dei referre non eſt Theologi. Nam etſi uoluntas Dei ſit omnium cauſa, nec habeat ipſa priorem: tamen quia cuncta pro ſua ſapientia ſuauiter diſponit, inquirimus rationem diſpoſitionis diuinæ uoluntatis: quæ rationi gratiùs arrideat. Inter hos autem tres modos iſte poſtremus minus præ ſe fert probabilitatis: nam ſi angeli ſunt collecturi cineres, non eſt cur rationem habeant loci, in quo plures ſunt partes. Quanuis qui hunc modum cum Ricardo ſuſtinere uoluerit, uix poterit in cõtrarium reuinci. Nihilominus propter allata teſtimonia alius modus probabilior
2. Opin. eſt uidelicet, ut omnes, & ſinguli de ſuis ſepulchris reſurgant, ſi in illis extiterint, uel de illo terræ loco, qui ad perpendiculum proximus fuerit illi, in quo fuerat quiſque ſepultus. Itaque angeli ſingulorum cineres ad cuiuſque ſepulchrum ſunt delaturi. Argum.

¶Extat tamen aduerſus hoc aliud argumentum, quòd frequentiſſimi ſunt in eodem ſepulchro conditi: quomodo ergo eodem monumẽto citra penetrationẽ unius corporis cum altero ſurgent? Reſpondetur gloriоſa corpora iuſtorum non ſe inuicem impedire propter dotem ſubtilitatis: Solutio. ſaltem, in his officijs obeundis, quæ diuino nutu & iuſſu exequi debent: de corporibus autem damnatorum uidetur tunc dicendum, quòd diuina uirtute in illo exitu ſe penetrabunt, ut diſtinctione. 49. iterum examinabitur.

1. Opinio reſpõdet. ¶Nihilominus profectò iſtorum trium modorum ille maximè uidetur probabilis, quòd omnes pulueres ſint in locum iudicij congregandi, & ibi ſint omnes reſuſcturi. Ad illa ergo teſtimonia, quæ de monumentis & tumulis loquuntur, reſpõderi poteſt, quòd ſunt ad modum intelligendi populi prolata. Præſertim cum in monumentis creberrimi tunc erunt cineres, ex quib. tunc extrahentur. Quare cũ ex eiſdem monumentis plures ſint pulueres educendi, meritò dici poteſt, quòd ex monumentis reſurgent. Quemadmodum ſub articulum reſurrectionis Chriſti non dubium eſt, quin de ſepulchris corpora uiuentia exierint, ut Euangeliſta refert.

Peccatorũ memoria. ¶In calce demum diſtinctionis præſentis Magiſter ſententiarum & ſui ſermonẽ adijciunt de peccatorum memoria, quæ homines in hoc ſeculo commiſerant, utrũ reſurgentes tam aliena, quàm propria peccata ſint cogniturі. Sed ſermo hic minimè ad præſentem diſtinctionem ſpectat: quippe, qua ſolum agitur de actione & modo reſurrectionis: de termino nanque, & ſtatu in quo mortui reſurgent, & de his quæ poſt reſurrectionem illis contingent: in diſtinctione proxima & ſubſequentibus ſubſequetur ſermo. De cognitione ergo, quã unuſquiſque ſeu aliorum ſeu propriorum peccatorum ſit habiturus, diſtinctione quadrageſimaſeptima propria nos manet dicendi ſedes.

DISTIN-

DISTINCTIO QVADRAGEſimaquarta, De termino & qualitate & quantitate reſurgentium.

Textus. Cap. 1. NOVO autem hæc, quę dicta ſũt, luculẽtiùs eluceant, ſic Reſurrectiõis ueritatẽ profiteri oportet, ut credamus, eundem ipſum hoĩem quiuita defungitur, in eodẽq;, quo cecidit, corpore reſurrecturum, iuxta illud Iob. Quẽ
Iob. 19. (ſcilicet Redemptorem) uiſurus ſum ego ipſe & oculi mei conſpecturi ſunt, et non alius, & in carne mea uidebo Deũ
Cap. 89. Saluatorem meum. Vnde in enchiridio Auguſt. Non perit, inquit, Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro, ſed in quemlibet puluerem cinerem ue ſoluatur, in quoslibet halitus auraſque diffugiat, in quancunque aliorum corporum ſubſtantiam uel in ipſa elementa uertatur, in quorumcunque animalium, etiam hominum, cibum cedat, carnemque mutetur, illi animę humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus, ut homo fieret, creſceret, uiueret, animauit.

Cap. 2. ¶Quicquid ergo ad perfectionem humanæ attinet, naturæ tam ſecundùm animam, quàm ſecundum corpus reſurget, ut membra cuncta, humores & organa, etiam ſi aliquo membro homo aut orbatus genitus fuerit, aut uiuens truncatus: quoniam Dei perfecta ſunt opera, qui ideo quemadmodum naturam integram primitùs condidit, integram inſtaurabit, iuxta illam Chriſti pollicitationem, Capillus de capite ueſtro non peribit. Neque ita multum refert, utrum ſingulæ particulæ in ſingula, quibus primitus inerant membra, reuertantur. Sed quemadmodum (ut ait ibidem Auguſti.) ſi ſtatua cuiuslibet metalli, aut igne liqueſceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in maſſam, & eam uellet artifex rurſus ex illius materiæ quan-
Lucæ. 21.
In enchiridio. c. 89.

Universidad de Deusto
Biblioteca

titate reparare, nihil itereſſet ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro ſtatuæ redderetur, dum tamen totum, ex quo conſtituta fuerat, reſtituta reſumeret: ita deus mirabiliter, atque ineffabiliter artifex de toto, quo caro noſtra conſtiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate reſtituet.

Cap. 3. Cap. 91. ¶ Reſurgent igitur, vt idem ibidem ait Auguſtinus, Sanctorum corpora ſine vllo vitio, ſine vlla deformitate, ſicut ſine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas reſurgendi, quanta fœlicitas erit. Propter quod ſpiritualia dicta ſunt, cum procul dubio corpora ſint futura, non ſpiritus. De reprobis autem ſubiungit, Quicunque uerò ab illa perditionis maſſa, q̃ facta eſt per hominem primũ non liberantur per vnum mediatorem Dei & hominum, reſurgent quidem etiam ipſi, vnuſquiſque cum ſua carne, ſed vt cum diabolo & Angelis eius puniantur. Vtrùm ſanè ipſi cum vitijs & deformitatibus ſuorum corporum reſurgant, quicunque in eis uitioſa & deformia membra geſtarunt, inquirendo laborare quid opus eſt? Neq; enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio.

Cap. 4. Ad Eph. 4. ¶ At quoniam ad Epheſ. ait Paul. Donec occurramus in uirũ perfectũ, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: ſunt qui arbitrentur, eadem cum- Cap. 15. ectos ætate & ſtatura fore ſuſcitandos. At uerò ut 22. de ciuit. Dei, ait Aug. non dictum eſt, in menſuram corporis uel ſtaturæ Chriſti, ſed in menſuram ætatis. Et iõ cum Chriſtus ætatem agens triginta triũ annorum paſſus fuerit, in illo ætatis flore reſurgent: quia illud eſt medium iuuenilis ætatis. Quod aũt dixit, in virum perfectum, non ad ſexum retulit, imò deus, qui utrunq; ſexum inſtituit, utrunque reſtituet: cum ſexus fœmineus nõ ſit natura uitium, ſed neceſſitas: ſed uirum perfectum per metaphoram appellauit corpus eccleſiæ myſticum, quod ante finẽ mundi ad illam fidei vnitatem & agnitionem filij dei peruenturum eſt, ut Chriſtiani non tanquam paruuli omni vento iactati nutent, ſed contra omnia ſatanica tela, & præſertim cõtra Antichriſti iacula ſtare per Dei gratiam valeant.

Cap. 5. ¶ Reſurgent igitur omnes in eadem iuuenili ætate. Cæterum neque in eodem ſexu, neq; eadem ſtatura æquales, ſed in ea ſinguli, ad quam cuiuſque corpus, natura neq; impedita neque errante, ſub illum ætatis florem adoleuiſſet.

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆQUARTÆ, Quæſtio unica, De modo & conditione reſurgentium.

ARTICVLVS I.

Vtrum idem prorſus homo in eodemque corpore, quo uixerat, ſit reſurrecturus.

PRæcedens diſtinctio eatenus nos de reſurrectione docuit, ut eius poſsibilitatem & ueritatem, eiusque terminum, à quo illa actio proceſſura eſt didicerimus: quemadmodum ſcilicet ex pulueribus & cineribus, in quos ſit poſtrema corporum reſolutio, ſimus ſuſcitandi. Conſequitur ergo ut diſtinctione præſenti, de alio termino (quem uocant ad quem) nempe, de ſtatu, in quem reſurgentes prodire debeant, perſcrutemur.

Tres quæſtiones. ¶ Atqui Magiſter Sententiarum, ac nonnulli ſubinde eius interpretes, quorum eſt Sanctus Thomas, tres hic quæſtiones diſputat. Primam uidelicet de termino, ſtatu & conditione, quæ erit damnatis cum iuſtis in reſurrectione communis. Secundam de pulcherrima iuſtorum habitudine, in qua fœlices illi reſurgent. Ac demum tertiam de miſerabili fœditate & ſorte, quæ reſurgentibus damnatis cõtinget. Attamen peculiaris de beatis damnatisq; tractatio in hac diſt. prepoſtera eſt & inepta. Tractant. n. illi hic de glorificatorum corporum dotib. & de damnatorum pœnis. Dotes aũt corporum ex dotib. animarum deriuantur. Vnde diſt. 49. ubi de beatitudine agendum eſt, & animarum dotib. proprium habet hæc diſputatio locum. Et eo uſq; Ricardus, Scotus atq; alij conſultiùs eundem tractatum differũt. Ac ſubin de conſideratio damnatorum in diſtinctione. 50. habenda eſt. Quare hic de ſolo communi termino reſurrectionis: ſcilicet, quo modo tam beati, quàm damnati reſurgent, diſputare unica quæſtione conuenit.

Prima. ¶ Primus itaque articulus ad ſubſtantiam ſpectat: nempe, utrum idem prorſus homo, qui mortuus eſt, atque in eodem corpore ſit per reſurrectionem inſtaurandus.

Secunda. Tertia. Partis negatiuæ argum. 1. Et arguitur à parte negatiua exillo Ariſtotelis. 2. de generatione tex. ultimo. Quorum natura mortalis & diſsipabilis eſt, illa ſpecie, non numero, replicentur neceſſe eſt.

2. Argum. ¶ Secundò. Vnus homo eſſe non põt niſi ſit unum animal, cum ratio animalis ſit de eſſentia hoīs: ſed in reſurrectione non erit homo idem animal, quod erat: quoniã animal. 2. de anima Ariſt. definit per ſenſum: eſt enim corpus ſenſibile, ſaltem ſenſu tactus: & tamen ſenſus cũ per obitum hominis extinguantur, non poterunt ijdem in reſurrectione reuerti: quo fit ut homo nec ſit animal id ipſum futurus.

3. Arg. ¶ Tertiò. Si idẽ prorſus eſſet reſurrecturus homo, conſequens fieret, ut in eodem quoque corpore deberet reuiuiſcere. Nam cũ conſtet

constet ex anima & corpore, requiritur, ut idem sit homo, eandem animam idem resumere corpus, consequens tamen est
1.Cori.15 contra illud Apost. 1.ad Corinth. 15. Nõ corpus.quod futurum est,seminas,sed nudum granum:ubi insinuat aliud nos corpus per mortem seminare,atque aliud esse nobis per resurrectionem resumendũ.
4. Argum. ¶Quartò. Res non potest eadem redire nisi materia eius & forma redeat, forma uerò misti, ex qua cum materia componitur corpus humanum, nequit eadem remeare:ergo nec corpus idem. Probatur minor.Illud quod penitus cedit in nõ ens (id est cuius nihil remanet, sed tota substantia interijt) redire non ualet:tota uerò substantia formę misti perijt,cuius nulla sit pars reliqua:ergo reuerti nõ potest. Maior uerò probatur. Quia si res tota perijt totum eius esse omnino interruptum est:quando autem esse interrumpitur, illud esse quod reuertitur,est diuersum: res autem cuius esse substantiale est diuersũ, non est eadem. ¶In contrarium autem est
Pars affirmatiua. illud Iob 19. Quem (scilicet Redemptorem) uisurus sum ego ipse & non alius, & in carne mea uidebo Deum saluatorem meum. Vbi idem homo idemq; corpus insinuatur.
Considera tio aiæ & hominis. ¶Ad huius quæstionis intellectum prænotare oportet, aliam esse considerationem animæ,aliam uerò hominis, sed aliã corporis. Enimuerò de anima quæ separata per se subsistit,ambigit nemo, resurrectionem confitentium, quin eadem numero sit in corpus reuersura. De homine ergo & de corpore est in præsentiarum tribus conclusionibus respondendum. Prima. Idem ipse homo, qui per mortem cecidit est in uitam resurrecturus. Hæc con
1. Conclu. clusio, non tantùm ceu scholastica ueritas,sed tanquam articulus fidei constituitur. Idem enim articulus, quem de resurrectione confitemur, intelligitur de resurrectione eiusdem hominis. Resurgere nãque,ut 8.de Trinit.ait Aug. idé est quod reuiuiscere:nemo autẽ reuiuiscit, nisi qui mortuus est rursum uiuat. Si enim non idem Lazarus,qui obierat, resurrexisset, non fuisset illa Lazari resurrectio,sed substitutio unius pro alio. Quocirca (ut scienter hic ait S Thom.) Qui eundem hominem resurrecturum negaret, perinde esset hæreticus acsi resurrectionem diffite-
Resurgere quid. retur. ¶Atqui ratio præterea conclusionis est: quia homo in hoc ad imaginem Dei conditus est,ut per officia huius uitæ quæ diuino fauore & munere operatur, regnum cælorũ obtineat, ubi diuino fruatur consortio. Quod si secùs fecerit, supplicia erratorum in altero seculo persoluat: & quia corpora nobis fabricauit, in quibus anima militaret, ad hoc resurrectio futura est,ut in anima & corpore retributionem reciperemus. Actiones enim ut 1.de anima ait Philosoph. sunt suppositorum. Non enim anima, aut corpus, sed totus homo est, qui operatur & meretur & demeretur,ac perinde aut præmio donari aut supplicio affici debet. Vnde Pau. 2.Cori. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit. Si autem non idem homo qui natus & mortuus est resurgeret:nemo propria corporis reciperet prout gessit.

¶Hac autem catholica ueritate præfixa de resurrectione eorundem corporum cõtrouersatur. Atqui inter cæteros Durandus distinct. 43. quæst. 3. non modò negat Durand. idem corpus (nempe illud cadauer, quod anima separata relinquitur) rediturum. Imo audenter affirmat neque per absolutam Dei omnipotentiam fieri posse, ut ulla res,cuius essentia totaliter perijt, rursus reparetur:siue successiua sit, siue permanens. Nõ quod dubitet quin quicquid sit possibile efficere Deus ualeat, sed qđ arbitretur non esse hoc ullo pacto possibile. ¶Et re uera de successiuis,qualia sunt De succes- siuis. tempus & motus, id etiam Palud. atque alij concedunt. Imò & S. Tho. quodli. 4. art. 5. & est planè confitendum, si formalẽ successiuorum rationem speculemur. Neque uerò opus est alias metaphysicas lubricasq; rationes congeminare, quas Durand. accumulat: sed causa ex intrinseca ratione successiui sumitur. Ens. n. succes- Ratio. siuum eiusque essentia est cuius esse in cõtinuo fluxu consistit secundum rationem prioris & posterioris: partes enim horæ ac diei simul existere non possunt, sed quãdo una influit altera effluxit.

¶Arguitur ergo sic. Deus non potest Argum. partem temporis, quandiu tempus durat retinere ut non effluat, alioqui non esset tempus, cùm hæc sit essentia temporis ut fluat, sicut si ab homine amoueret rationale,

nale, non esset homo: ergo multo minus partem elapsam potest reuocare: quoniã facilius est retinere ne labatur quàm elapsam reuocare. Imò illa esset ad præteritum potentia: scilicet, facere ut quod fuit, non fuerit, & res, quæ effluxit, non effluxerit: nempe, facere ut annus, qui transiuit non transierit. Et idem est prorsus de motu. Non loquor de motu, si admittatur rẽ esse distinctam à mobili: nam si sit qualitas distincta non ambigo, quin Deus possit illam reproducere, ueluti lapidem, sed loquor de tempore & motu formaliter: uidelicet: quòd sicut non potuit diem hesternam tenere ne flueret, atque adeò nec modo facere, ut illa dies sit hodie, uel annus præteritus sit præsens: ita non est factibile ut circulatio cæli, quæ heri præterijt, sit hodie. Et hæc est Arist. sententia. 5. Physi. tex. 29. ubi ait, quòd unitas motus sit ex continuatione. Nam postquàm
De perma nentibus. interruptus est, non potest idem redire. ¶De rebus autem permanentibus Durã. eadem quæst. 3. sustinet opinionem negatiuam: scilicet, quod neque per omnipotentiam absolutam Dei, possit id quod penitus fuit corruptum, idem numero redire, sed ait quòd in resurrectione erit idem homo duntaxat propter resumptionem
Argumẽta Durandi. eiusdem animæ, quæ est perpetua. Rationes autem eius prolixitate laborant satis obscura. Arguit enim sic primò. Non plus potest Deus agere per uoluntatem quàm si ageret ex necessitate naturæ: quoniam uoluntas non auget potentiam, sed modũ apponit agendi, & quanuis sit infinita & ideo possit agere in temporis momento, & absque auxilio causæ secundæ, nihilominus agit modo aliorum agentium naturalium: sed agens naturale non potest reparare id, quod omnino corruptum est: ergo nec Deus.
2. Arg. ¶Secundò, quia si agens naturale non ualet huiusmodi corruptum reparare, id proUenit ex illo Aristo. axiomate. 2. de generat. Idem inquantum idem semper est natum facere idem. Vt autem agens sit omnino idem numero ad edendum eundem numero effectum, non sat est eandem habere potentiam, sed quòd eandem præterea habeat habitudinẽ ad passum: & quia postq; agens rem conseruans illã interrũpit conseruationẽ, nequit eandem numero habitudinem ad idem passum habere, fit ut neque ualeat idem corruptum reproducere. Hæc autem ratio pari, inquit, modo, quo in agentibus creatis, in Deo militat. ¶Alia eiusmodi accumulat argumenta. Apertiùs autem possumus eidem opinioni argumentum mutare. Etenim Aliud arg. quod in rebus successiuis est fluxus, in permanentibus est esse: igitur ut interrupto motu (ut 5. Physic. ait Philosophus) non potest idem esse motus: sic postquàm res totum esse substantiale amisit, non potest idem recuperare: res autem cuius esse est diuersum, non potest esse eadem. ¶Tan- Nota. dem Durand. conatur eandem opinionẽ diuo Tho. impingere: nam in præsenti articulo quæst. 1. ad tertium argumentum, quod nos hic secundum fecimus, ait quòd si anima sensitiua à rationali distincta poneretur, cõsequens fieret, ut non idem homo resurgeret: quia cùm anima illa esset prorsus interrupta, redire non posset. Et idem ait quæstiuncula. 1. ad tertium quod nos hic quarto loco posuimus de forma misti in corpore, si esset à rationali diuersa. Ac demum tertia part. q. 77. arti. 5. ait quòd si substantia panis aut uini sit annihilata, non potest iterum redire. Ex his ergo colligit Durand. semel annihilatum Angelum non posse utique per Dei potentiam creari, neq; uerò mistorum aliquod corruptum restitui nisi formam eius, ut animam rationalem Deus conseruaret.
Opinio Duran. ¶Quod si eum redarguas. Quomodo ergo idem homo resurget, ut fides catholica prædicat? Respondet dist. hac 44. q. 1. quòd redibit idem ratione duntaxat animæ rationalis, quia eadem permanet Nãcùm esse (ut docet Philoso.) sit à forma: neque materia ullum suppositò esse tribuat, ad hoc quod homo sit idem, sufficit quod animam resumat eandem. Imò uerò ab eadem, inquit anima corpus sortitur, ut sit idem: quia non est in homine nisi unica forma: scilicet rationalis, dans corpori esse corporeum. Quapropter, licèt in resurrectione corpora non ex ijsdem cineribus, in quos fuerunt resoluta, congluti-
nentur, sed ex quacunque alia materia, nihilominus (inquit) idé esset homo. Quin etiam licèt anima Petri corpus resumeret, quod fuerat Pauli, & anima Pauli id ipsum quod fuerat Petri, nihilominus idẽ, inquit, Petrus resurgeret, idemque Paulus. Et hæc eadem fuit doctrina Ioannis de

de Neapoli quodlib. 2. q. 6. Et si opinio hæc tam uera esset, quàm apparet facilis, à multis nos impræsentiarum anfractibus liberaret. ¶Nihilominus statuitur secunda conclusio. Deus idē potest, quod prorsum annihilatū est, iteratò creare, & quod semel corruptum fuerit, rursum producere. Assertio est diui Tho. quodlib. modo citato. 4. art. 5. & opusc. 9. q. 82. Et probatur 1. Argum. ratione quam ibidem affert. Omne possibile Deus facere potest: quod autem possibile sit idem de genere permanentium interemptū reproduci, inde probatur, quòd si aliqua esset repugnantia, maximè quia unitas rei continuitate seruatur: quare repugnat si interrumpatur, ut id quod præcedit & postea redit, sit unum. Hæc autem ratio in quibus militet. Ratio in solis successiuis ueritatem obtinet, eo quod de intrinseca ratione & essentia unitatis ipsorum est continuus fluxus. In permanentibus autem continuatio nō est de unitatis essentia: eo quòd essentia ipsorum non est fluere, sed est accidentaria eorum unitati continuatio: propterea quod subduntur tempori, quod est continenter fluens. Igitur si ex parte rei non repugnat, ut eadem res sit cuius conseruatio fuit interrupta, non debet omnipotentiæ Dei, qui minimè à temporis continuitate pendet, hæc facultas subduci, quin possit idē corruptum reproducere. Nam ad demonstrandum Deum quidpiam posse: satis est ostendere id ex parte rei nullam inuoluere repugnantiam, & ei qui illam obmolitur respondere.

2. Argum. ¶Secundò arguitur. Infinita omnipotentia Dei ob id quòd rem aliquam condiderit, quæ deinceps absumpta est, non minuitur: neque uerò rei ipsi esse magis repugnat, quàm anteaquam fuerat: ergo Deus potest illam in esse restituere.

3. Argum. ¶Sed argumentum quod rem elucidat est illud, quod dixi. præcedenti artic. 1. informauimus. Causa enim cur agens naturale non potest idem numero reproducedere, est quòd requiruntur eædem numero dispositiones: ad quod exigitur, ut eodem loco & tēpore (quæ sunt indiuiduationis principia) fiat applicatio agentis ad passum: & tempus nequit idem reuerti. Item requiritur, ut motus & actio sit eadem & tamen interruptus motus non potest reuerti idē: Deus autem ob suam infinitam potentiā neque à loco, neque à tempore pendet ne que à motu: ergo nil obstat quominus idē ualeat bis, terq; producere. 4. Arg. Et arguitur præterea. quòd si illa contraria Durandi opinio esset uera, consequeretur ut præsenti mundo perempto nequiret Deus eundē instaurare. Imò uerò, si uera est opinio S. Tho. quòd duo angeli esse nequeunt eiusdem speciei, similiter subsequeretur quòd Michaele in nihilū redacto nequiret Deus eandem restituere speciem: quoniam neq; illum neque alterum solùm numero differentem posset iteratò creare: quæ quidem consequentia absurda uidetur: & tamen consequentiam cum sua conclusione concedit ipse.

Sol. 1. arg. Durand. ¶Primum igitur argumētum Durand. falsum assumit: scilicet non plus posse Deum agentem per uoluntatem, quàm si ageret ex necessitate naturæ. Nam si non esset agens per uoluntatem, nō posset infinitam potentiam habere: siquidem infinita potentia agens ex necessitate infinitum effectū produceret: quod est impossibile. Ob idq; Aristot. 8. Physic. infinitam uirtutem Dei fassus, arctissimis angustijs interclusus fuit, ut euitaret infinitum effectū quem tandem in cœlorum lationibus infinitum duraturis concessit.

Secunda solutio. ¶Secundò respondetur: quòd si per impossibile daretur, Deum esse infinitæ potentiæ & non agere per uoluntatem, nihilominus posset aliquid producere ex nihilo, ac subinde agere sine dependentia à tempore & motu, atque adeò posset super naturam aliorum agētium idem corruptum reproducere.

Sol. 2. arg. ¶In secundo etiam argumēto caligat: conceditur nanque quod ratio quare agens naturale nequit idem corruptum reproducere est, quod non potest habere eandem ad passum habitudinem, quam quando illud primo produxit, habuerat: sed tamen ratio huius est, quòd non potest redire idē tempus & motui & actio. Cùm ergo ab his Deus non pendeat, fit ut semper habeat eandem habitudinem ad producendum quicquid uoluerit, siue corruptū fuerit, siue nunquam productum.

Sol 3. arg. ¶Ad aliud uerò, quod nos adiecimus, iam responsum est, dum ostendimus non interesse similitudinem inter motum, & esse rei permanentis: quippe cùm de essentia unitatis motus sit continuatio, non autem de essentia rei permanentis. Sed ad uerba Sancti

Sancti Thom. quibus cum Durando sentire uidetur, suo loco respondebimus.

3 Conclu. ¶Tertia conclusio ad nostrum propositū ex hac proxima colligitur. Vnusquisque debet in eodem corpore resurgere, in quo uixit, quod non solùm sit ab extrinseco idem: nempe, quod ab eadem informetur animeturq; anima rationali: uerum quod ex ijsdem pulueribus & elementorum partibus sit reformandum, in quas fuit resolutum. Hæc conclusio non est tam expresse de fide, quàm prima: nihilominus non posset non temeritatis nomine: imò forte peiori, denotari, qui illam diffiteretur. Quocirca Durand. (bona uenia dixerim) nimia libertate usus de hac re locutus fuit. Est enim de fide ut non solùm sit idem homo resurrecturus, uerum in eadem carne, ut ait Iob: uocare autem eandem carnem, ob id solùm quòd ab anima eadem rationali informetur, neque Physicæ consonū est, neque fidei, quippe cuius articulus de carnis resurrectione decretus est. Ratio Phy sica.

¶Et primò si rationem Physicam consulamus, nulla est consequentiæ uis, quod si esse suppositi sit à forma, sufficiat, ut idem sit numero suppositum, idemq; corpus, qđ eadem informetur anima: quoniam licèt à forma suppositum sortiatur esse specificū: putà esse hominem, equum, &c. tamen esse individuale: nempe, esse Petrum, non suscipit nisi à forma in hac singulari materia: eo quòd materia est principium indiuiduationis. Imò anima ꝓterea est hęc, quòd in hac materia suscipitur. Et hoc est quod ait Philosophus. 5. metaphys. scilicet, quòd quæ differunt secundum numerum, differunt secundùm materiam, sicut quæ differunt secundùm formam differūt specie. Neque ad hoc profectò Durand. quid responderet satis rimari ualuit. Potest enim eadem forma diuersa corpora successiuè informare, quæ non ideo erunt idem corpus. Imò si admittatur per omnipotentiam Dei eandem in diuersis locis duo simul diuersa corpora informare, certē nec esset tunc idem corpus, neque idem homo. Adde quod secundùm Philosophū. 1. Physico. eadem materia, manet successiuè sub diuersis formis: non ergo à forma habet materiam, ut sit eadem, atque adeò nec ut sit idem corpus. 1. Argum.

¶Secundò arguitur, quia si eadem anima ad resurrectionem eiusdem hominis eiusdemq; corporis sufficeret, tunc trāsmigratio eiusdem animæ in diuersa corpora (ut Pythagoras philosophabatur) esset resurrectio eiusdem hominis quod est concessu absurdum. Quocirca diuus Gregorius super illud Iob. 29. Et in carne mea uidebo Deum, tanquam ridiculum errorem refert quorundam commentum (in quibus quidam erat Constantinopolitanus episcopus) qui aiebant animam iteratò coniungi corporibus cælestibus, uel quibusdā in modum uenti subtilibus. Illud enim nō est resurgere in propria carne, quæ uixerat. Quocirca hic Diuus Thomas optimè concludit non posse resurrectionem censeri, nisi anima ad idē reuertatur corpus, quo utique uerbo sophisma illud eliditur Durandi, quòd dicatur idem corpus propter eandem animam: nam tunc anima nō posset resumere nisi idem corpus: quandoquidem quicquid resumeret per resurrectionem fieret idem. Dicens ergo Sanctus Thomas nisi anima idem corpus resumat, intelligit ex eisdem cineribus compactum: quia resurrectio est, ut ait Damascenus iterata surrectio: ideſt, eiusdē quod cecidit. Et Aug. ait quod resurgere est idē, quod reuiuiscere. Quare optimè Thomas adnotauit, quòd resurrectio magis respicit corpus, quod per mortē cecidit, quàm animam, quæ semper post mortem uiuit: atque adeò si non est idem corpus, quod anima resumit, nō dicetur resurrectio, sed noui corporis resumptio secundùm doctrinā Pythagoræ, qui credens non inesse animam corpori tanquam formam, sed adesse tanquam motorem, colligebat, aliud atque subinde aliud corpus submutare. Imò uerò quanuis disputationis gratia admitteretur dogma Empedoclis de magno seculo, ubi eædem formæ ad eadem corpora redibant, non esset propria resurrectio, sed noua generatio per causas naturales, acsi nunquam eadem res fuisset producta aut corrupta. Resurrectio nanque dicit surrectionem eiusdem corporis, quod cecidit, & ideo propriè dicit subitaneam ac supernaturalem resumptionem uitæ. Gregor. Resurrectio quid. S. Thom. Empedoclis dogma.

¶Addæ quòd secundùm opinionem Durandi posset anima resurgentis illud corpus resumere, quod nunquam per mortē cecidisset: putà corpus quod nullius fuit animalis sed saxi uel elementi. Tunc ergo quomodo carnis fieret resurrectio? cùm articulus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ticulus fidei non tantùm resurrectionem, sed carnis resurrectionem affirmet.

Rationes Theologicę. ¶Sed præterea rationibus Theologicis idem planè conuincitur. Resurrectio, ut prædictum est, ob hoc nobis fuit diuinitus indulta, ut unusquisque (quemadmodum ait Paulus) p: opria corporis referat prout gessit: ergo in eodem ipso corpore, in quo homo Deo, uel dæmoni militauit, debet resurgere, ut in eodem uel triumpho coronetur, uel pœnas luat: ut scilicet idem corpus, quod particeps fuit laboris obsequendo rationi, uel causa scelerum resistendo, particeps quoq; sit retributionis, qualiscunq; fuerit. Quæ enim æquitas ferre posset, ut anima Petri corpus Neronis resumeret, aut anima eiusdem Tyrâni corpus Pauli? Ad consolationem enim nostram, ut membra corporis nostri promptiùs exhiberemus in obsequium Deo, ait 1. ad 1. Cor. 15. Corinthios. 15. Apo. de corpore, Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, &c. Docens id ipsum corpus quod in hoc seculo diuinis obsequijs mancipatum atteritur, propria fore retributione donandum.

Iob. 19. ¶Quapropter Iob loco citato nõ fuit contentus dicere, In nouissimo die de terra surrecturus sum, sed conculcatissimè adiecit, Et rursus circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum. Quem uisurus sum ego ipse & oculi mei (scilicet corporis) conspecturi sunt, & non alius. Vnde Matth. 10. Christus Matth. 10. ubi Apostolos ad perferendã mundi tyrannidẽ animis implet, Nonne duo passeres (inquit) assẽ ueneunt, & unus ex illis, non cadet in terram sine patre uestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Cui concinens Augustinus iam citatus in Enchiridio, Non (inquit) perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro, sed in quemlibet puluerem cineréq;, aut partes elementi soluatur, illi animæ humanæ puncto tẽporis redit: scilicet, in resurrectione. ¶Exi Egregium argum. stit præterea argumentum contra illã opinionem, quod tunc nullo opus esset angelico ministerio ad colligendos cineres, in quos facta fuerat corporum resolutio, sed ex quacunque materia, quam casus fortuitò offerret, homines resurgerent, contra quàm August. uerbis proximè citatis decernit. Imò si resurrectio futura esset in uno loco: puta, in ualle Iosaphat, uel alia ex materia illic circunstãte uniuersa mortalium corpora plasmarentur, quod nefas est dicere. Igitur fas non est negare, quin idẽ prorsus corpus exurgere debeat, quod per mortem cecidit, a lioqui nõ esset idem homo resurrecturus.

Ad argumẽta principalia. ¶Vnde ad primum argumentum ex Aristotele sumptum respõdetur, Philosophũ locutũ fuisse naturaliter in rebus quæ per motum redeunt: ostendit enim eo loco circulationes cœlorum, quæ per motum locales fiunt, easdem numero redire: hoc est, per easdem lineas, quia cœlum non perit: in generationibus autem horum inferiorum redeunt cuncta in eadem specie, sed non eadem numero: Deus autem, qui nec à motu pendet nec à tempore, potest idem numero reproducere. Et hæc est legitima solutio: nam altera quam D. Thom. subiungit: uidelicet, quòd quia anima per se semper persistit, possibilis est resurrectio, non est tam efficax: tum quod restat de corporibus difficultas, quæ eadem debent resurgere, tum quòd etiam si anima in nihilum esset redacta, posset Deus eiusdem hominis in eadem anima eodemque corpore resurrectionem perficere. ¶Ad se- Ad secundum. cundum respondetur D. Thomã optimè contra illos concludere qui ponebant animam sensibilem à rationali distinctam in homine: tũc enim cùm per obitum anima illa corrumpatur, nõ rediret. Nescio tamẽ an tunc temporis in eadem opinione fuerit Doctor Sanctus, quam ei Durandus tribuit: scilicet, quòd Deus non posset illam reproducere. Dicere tamen possumus, ꝙ nullã habuit omnipotentię Dei memoriã, quidnam efficere posset, sed ad solã respexit ordinariã legem: & ideo respondit, id quod satis erat negando animam sensibilẽ à rationali distinctam: quocirca in resurrectione per eãdem animam Petrus erit & idem homo & idem animal: quia habebit eandem animam sensitiuam, per quam secundùm substantiam diffinitur animal.

Obiectio. ¶Quod si arguas. Saltem easdem non habebit sensitiuas potentias, quæ sunt animæ accidentia: quippe quæ abscedente anima corrumpuntur: cùm secundum ueriorem opinionẽ in ea separata non permaneant, sed est tunc sensibilis secundùm substantiam: hoc est, apta sentire cùm potentias resumpserit. Conceditur ergo, quod in

in resurrectione nõ redibunt ipsissimæ potentiæ numero, sed eædem secundùm speciem, longeq; præstantiores: ueruntamen uariatio accidentium substantiam nõ mutat, neu suppositi neu corporis, quominus Sol. 3. arg. idem in eodemq; corpore resurgat.

¶Ad tertium, quod ex Apostolo desumptum est, respondetur: quòd noluit æqualem similitudinem inter granum seminatum & corpus nostrum constituere: nam granum in semine non est idem numero, quod est postea in spica, si quidem illud emoritur, & enascitur aliud eiusdẽ speciei: in resurrectione uerò idem erit corpus, quod mortuum fuerat. Sed similitudo seruatur in hoc, quod resurgent corpora nostra, alia secundũ accidentia: scilicet, quòd Sol. 4. arg. seminantur corruptibilia & ignobilia, & resurgent nobilia & pulcherrima.

¶Ad quartum respondetur perinde, ut ad secundum, quòd forma misti in corpore non est alia quàm anima rationalis, quare in obitu hominis nulla substantialis forma perit, sed solùm rationalis separatur, quæ cùm eadem in corpus redeat, tribuet ei idem esse mistum, sed & quauis forma misti esset alia, non euincit argumentum: quòd Deus nequiret eandem reproducere in eodem esse quod habebat, ut satis ostensum est.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm omne, quod est de ueritate humanæ naturæ, resurget.

Conclusio præcedens: nẽpe, quòd idẽ prorsus homo in eodemq; corpore sit resurrecturus, nonnullos scrupulos obijcit, illis præcipuè Philosophis, qui non sunt ueritate Christiana imbuti, quibus tamen ab eiusdem ueritatis professoribus respondere oportet. Quod utique respondendi negotium assumpsit August. in lib. de ciuit. Dei contra Philosophos, & in Enchiridio, & alibi sæpẽ. Quæritur ergo secundò, utrum quicquid in corpore uiuente præfuit, ad ueritatem naturæ pertinẽs, sit per resurrectionem recuperandum. Et arguitur à parte negatiua. Defunctorum corpora sexcentas perpessa sunt ab orbe condito transmutationes: nempe, in saxa, in metalla, in herbas, in alia animalia, in elementa, quapropter in postrema die particulæ, quæ fuerunt humanæ, in rebus diuersissimis delitescent, ex quibus absq; ipsorũ corruptione distrahi nequeunt, imò uix deprehendi potest quemadmodũ tã innumera rerum congeries possit ex rebus tã diuersis fieri.

2. Arg. ¶Secundò. Humanis corporibus per assiduam in dies nutritionem, ut. 1. de generat. docet Philosophus, fit iugis accessio & uicissim per digestionem fit etiam particularum egestio: si ergo totum deberet resurgere, multa absurda consequerentur. Primum. Primum ꝙ unum quodque corpus portentosam molẽ resumeret. Secundò. Secũdum. ꝙ cum homo diuersorum animaliũ carnibus uescatur, cunctorũ corpora dicerentur resurgere, ut ouiũ, boum, piscium, &c. Tertium. Tertium. ꝙ usu ueniat, ut homines nonnunquã humanis carnibus uescantur, aut in propria forma, quemadmodũ Iosephus de miseranda Hierosolymorũ obsidione refert, aut in alijs figuris, dũ ex cadaueribus cãpus herbescit, quo pabulo oues & boues pascuntur, quæ in esum tandẽ hominũ ueniunt: tunc ergo impossibile est, ꝙ illi homines propria corpora resumãt, cùm plures eodem fuerint nutriti & aliti. Et sit de costa Adæ, Costa Adæ cui restituenda. ex qua condita fuit Eua, argumentum: nã si Eua suum est corpus resumptura, Adam tunc sua erit costa in perpetuum orbatus.

3. Arg. ¶Tertiò. Omnes ut paulò post ostensuri sumus, debent in adulta iustaq; statura resurgere: ergo paruuli non sua præcisè corpora resument, sed aliunde sufficientur eis maiora: & qui plus iusto fuerunt obesi aut grandes, non tota recuperabunt. ¶In con- Pars affirmatiua. trarium est illud Lucæ. 21. Capillus de capite uestro non peribit. ¶Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. 1. Conclu. Prima, quam uiro catholico nefas esset negare, sit. Quicquid est de ueritate humanæ naturæ tam in anima quàm in corpore resurget. Et ratio est plana. Idem Ratio. enim est res & uera res, ut aurum, & uerum aurum: unde sicut quod non est uerum aurum non est aurum, ita qui non est re uera homo non est homo: & pariter in indiuiduis, qui non est uerus Petrus non est Petrus, quare ut superius dicebamus si Moyses in transfiguratione non resurrexit in proprio corpore, non erat Moyses, quia non erat uerus Moyses: sicut & Samuel, quem, ut legitur. 1. Regum. 28. Samuel. Phitho-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Phithonisa suscitauit, si non erat uerus Samuel, non erat Samuel. Hinc ergo informatur argumentum. Resurrectio futura erit uera & nullatenus ficta, imò erit perfectissima, quia erit opus Dei, & Christi, quatenus redemptor est, per uirtutem diuinam, & certe si non erit uera, decipiet nos: ad ueritatem autem eiusdem hominis requiritur quicquid est de ueritate naturę non solùm speciei, sed illius etiam indiuidui: ergo quicquid est de ueritate naturæ & de integritate illius indiuidui resurget. Illa uerò, quæ superflua sunt & per modũ digestionis egesta & decisa minimè sunt recuperatu necessaria.

Argum.

¶Ad intellectum autem huius quæstionis adnotandum est, diuersimode à diuersis autoribus explicari. Durand. quippe distin. præsenti. q. 2. in sua persistens opinione ait, quòd si loquamur de ijs, quæ pertinẽt ad ueritatem naturæ: hoc est, sine quibus natura nequit consistere, solus homo resurgere habet, & nulla eius pars, quoniam anima non cecedit per mortem neque materia prima, quæ perinde atque anima, incorruptibilis est: solus ergo homo cecidit, qui resurget per iteratã unionem animæ cum eadem materia. At uerò, ut supra diximus, opinio hæc non seruat syncerè & castè resurrectionis idioma: quia non solùm homo cecidit, sed & corpus ipsum per incinerationem, quod ideo deber idem numero resurgere. Cùm ergo per nutritionẽ semper uiuentis corpus in perpetuo fluxu sit partium, dubium inde emergit quomodo idem corpus possit resurgere.

Durand.

Sententia autoris.

¶Tres igitur opiniones de nutritione humani corporis uersantur, quas Philoso. phi. 1. de gener. Theologi uerò. 2. sententiarum distinct. 30. referunt & diserte D. Tho 1. par. q. ult. Prima fuit quorundam dicentiũ de ueritate humanæ naturæ quãtum ad corpus non esse nisi illud præcisè, quod fuit ex semine genitum. Atque illud aiunt tota uita hominis permanere integrum, neque illi quicquam per digestionẽ distrahi, neque per nutritionem accrescere, sed illud præcisè extendi ad maiorem quantitatem: nutrimentum uerò apponi non ut per nutritionem fiat augmentatio, sed in fomentum & præsidium caloris naturalis, quemadmodum cum purificatur aurum apponitur ei plumbum, ne aurum consumatur. Aiebant ergo isti, quòd in resurrectione animæ non resument nisi illud duntaxat, quod primum fuerat per semen genitum: nam quod per nutritionem aduenit, esse non existimabant de ueritate naturæ: cùm nunquam fuerit in substantiã illius suppositi tranformatum. Hæc autem opinio deridicula est: nam illud humidũ, quod ipsi appellant radicale, ex semine genitum nequit ad iustam hommis quantitatem excrescere, nisi aut per rarefactionẽ, aut per coagmentationem nouæ materiæ: nam ut. 20. super Genesim ad literam aduersus Tertullianum ait Augustinus, nihil est absurdius quàm putare ullum esse corpus, quod manente naturæ suæ quantitate (hoc est nihil substantiæ adiuncto) undique crescat, nisi rarescat: dicere autem corpusculum, quod utero gestatur, posse ad tantam quantitatem, quantam homo quadragenarius habet, rarescere, ratio physica non permittit: quoniam unicuiq; præscriptus est rarefactionis terminus, quem transgredi citra corruptionem sui non potest. Nequit enim terra ad tantam raritatem peruenire, quanta est aeris, nisi corrumpatur in aerem: cùm ergo per rarefactionem quantitas nequeat tantũ crescere, consequitur ut crescat per coagmentationem nouæ materiæ: quam utique, cũ non creetur, constat ex alimento gigni.

1. Opinio.

Opinio refutatur.

Augustin.

¶Item isti non ponebant nutritionẽ tantum per se necessariam ad augmentum, ut nutritiua uirtus augmentatrici seruiret, sed solùm in præsidium caloris. Neque putabant id, in quod alimentum conuerteba tur, uniri substantiæ aliti, neque eius forma informari, sed esse sicut sanguinem & alios humores, qui non sunt corpori continui. Quare profectò superflua esset digestio, per quam transmutatio fit in substantiam alito similem.

Ratio. 1.

¶Secunda opinio erat paulò ab hac differentior. Consentiebant quippe alij cum prioribus id, quod ex semine primò gignitur, semper manere fixũ in homine seiunctum ab eo, quod per nutritionem acquiritur, nihilominus opera nutritiuæ uirtutis aliquid accrescere fluens & refluens. Dissentiebant tamen à prioribus dicentes, hoc, quod per nutrimentum gignitur, non solùm seruire in fomentum caloris, uerùm & in augmẽtum quantitatis, quæquidem per rarefactionem non possent tantùm crescere sine appositione nouæ materiæ:

2. Opinio.

Discrimen inter hanc & priorẽ.

materię: atque adeò fatebãtur, illud, quod ex nutrimento gignitur, adiungi priori.

Auerrois.

Et huius opinionis Commentator li. 1. de generatione dixit Alexandrum fuisse inuentorem. Vnde illud ex semine genitum appellabant humidum radicale, quod difundebatur postea per totũ corpus: aliud uerò adiunctum uocabant humidum nutrimentale. Atque in hoc sensu illud Philosophi. 2. de generatione textu. 35. intelligebant: scilicet, quòd caro secundùm speciem semper eadem manet in homine, caro autem secundùm materiam aduenit & recedit. Similiter ergo illi dicebãt, solùm illud humidum radicale restituendum in resurrectione, non autem aliud nutrimentale.

Autor opinionem refert.

¶At profectò isti paulò minus quàm priores à lumine naturali erant auersi. Enimuero calor naturalis tam humidum consumit, quod ex semine fuit per generatiuam uirtutem genitum, quàm aliud, per nutritiuam adiunctum: quia est actio naturalis æqualiter agens in passum, & illa humida æqualiter illi applicata subduntur: cùm ergo æqualiter illa duo consumat, æqualiter per nutritionem ambo instaurantur: si autem æqualiter instauran tur, non potest illud manere fixum, quod per generationem fuit primò genitum, distinctum ab alio, quod per nutritionem acquiritur, sed ambo perfectè miscentur, ut ex ambobus fiat una caro: quemadmodum, dum perfecta sit aquæ uinique mistio non remanet per se uinum & per se aqua, sed uinum languidum, nisi quòd in animali quod per nutritiuam adiungitur, non est infirmius, sed quandoque robustius & uirtuosius. ¶Et confirmatur ratio ex doctrina Philosophi. Non enim nutritionem ait solum fieri instar mistionis aquæ cum uino, sed quemadmodum ignis fomentò lignorum, quorum alia ac subin de alia suggeruntur, nutritur & crescit. Quam ob causam in igne non possunt distingui partes, quæ ex diuersis signis fuerunt genitæ, sed totus ignis ex una lignorum congerie fuit auctus.

Confirmatio rationis.

Tertia opinio.

¶Tertia ergo opinio eademq; uerissima est, quam Aristoteles. 1. de gener. docet, & secundùm eum Commentator, ac subinde Philosophorum reliqui: nempe, quòd per uim nutritiuam, quæ augmentatrici seruit, nutrimentum uertitur in substantiam aliti, eiusque forma informatur: non solùm in hominibus & in cæteris animantibus, uerùm & in plantis. Qua propter dum corpus adolescit, non permanet idem, quod ex semine fuit primò genitum, discretum ab alio, quod per nutritionem accrescit, sed una fit amborum commassatio & conglutinatio. Quare radicale humidum & nutrimentale nõ differunt ratione principij: scilicet, quòd illud ex solo semine generetur, hoc autẽ aggeneretur ex cibo, sed ratione termini, ut nutrimentale dicatur quandiu alimentum speciem aliti non est assecutum, nec ipsi conglutinatum, radicale uerò dũ est in naturam aliti coagmentatum. Ob idque distinctio Aristotelis. 2. de genera. de eadem carne secundùm speciem & secundùm numerum, non est diuersarum rerum, sed diuersarum rationũ eiusdem rei. Quod est dicere. Si consideretur caro hominis per totum uitæ curriculum, persistit eadem secundùm speciem: quia semper alimentum conuertitur in carnem Petri, sed tamen secundum materiam particulæ fluunt & refluunt, sicut in igne, qui suggestione lignorum nutritur.

Aristotelis distinctio.

¶Sed tunc alia opinio obmolitur commune argumentum, quod non esset idem homo iuuenis qui fuerat infans, neque idem senex qui fuer at iuuenis, quia non manet eadem materia. Sed tamen ad hoc respondet. 1. de genera. Philosophus interimendo consequentiam. Quando enim, inquit, aliqua materia per se tota conuertitur in ignem, tunc est nouus ignis, ut dũ lignum incipit inflammari. Quando uerò paulatim accensо iam igni submittuntur ligna, non nouus gignitur, sed idem ignis permanens augetur. Multò ergo uerius in homine & quocunque animali, quia paulatim adhibetur per uim nutritiuam substantia ad refic endum id, quod calore naturali consumitur, idem prorsus homo permanet.

Arg. commune.

Solut. Aristotelis.

¶Ex his ergo colligitur posteriori impræsentiarum conclusio, quæ ad intellectum prioris meditatiùs contemplanda est. In resurrectione id in unoquoque resurget, quod ad naturæ tam indiuidui quàm speciei, ueritatem & ornatum pertinet secundùm illum statum, in quem resurgent. Demus uerbi gratia (quod postmodum disputab mus) omnium resurrectionem futuram in illam ætatem & corpo-

Secunda conclusio.

ris,qua Christus resurrexit, & in quantitatem eidem ætati congruam. Dicimus ergo quòd quicunque in uita usque ad illam iustam quantitatem natura non errante, fuit adultus, illud resumet corpus, quod sub illum temporis articulum habuit, ex eademq; materia refectum. At uerò quia ut. 22. de ciuit. Dei ait Augu. nihil illic uitij in corporibus existet, si aliqui plus fuerint obesi & crassi, nō totam corporis molem resument, sed quod illam habitudinē superabit, reputabit superfluum. E diuerso quicquid uel morbus uel senium confecit in corpore, reparabitur per Christum uirtute diuina. Vt si aliqui propter macrorē fuerint graciles, quia Christus non solùm reparabit nobis uitam, sed quicquid per miserias huius uitæ fuerit nobis adeptum. Imò & id quoque, quod natura conferre non ualuit. Quare paruulis & infantibus, & eis, qui fuerunt aborsi, aliunde supplebitur angelorum ministerio, ut in Enchirid. cap. 85. ait idem Augu. materia usque ad legitimam quantitatem. Id uerò materiæ, quod per digestionem fuerit egestum, non redibit, eo quòd natura id tanquam redūdantes fæces emittit, neque ad ueritatem naturæ deinceps pertinet. Quapropter nō solùm idem homo resurgere dicendus est, propter unionem animæ ad materiam primam, sed idem prorsus corpus, eadem scilicet ossa, carnes, & organa. ¶Sed hæc per argumentorum solutiones luculentiùs liquebunt: sunt enim omnia Philosophorū argumenta, quibus fidem nostram resurrectionis subsannant.

Obesi & crassi.

Graciles & macri.

Paruuli.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur respondetur, quòd quascunque transmutationes corpus fuerit perpessum, uirtuti Dei, qui ex nihilo condidit uniuersa, nequaquam difficile est angelorum ministerio reliquias illas undequaque subtractas colligere: nā quæ in alijs mistis ratione carentibus reperiuntur, cùm omnia eiusmodi mista sint tunc peritura, facile est intelligere quemadmodum in corpora humana reuertantur.

Particulæ in elementis. Quæ uerò particulæ in elementis delituerint, quæ permansura sunt, nihil in eis detrimenti relinquet: quoniam Deus ex mistis, quæ corrumpentur, ruinas illas implebit, uel quemadmodum sua disposuerit sapientia.

Obiectio. ¶Existit tamen in contrarium argumentum huiusmodi. Illæ particulæ in rebus alijs latitantes, quas nomine cinerū theologi designant, non habent respectum magis peculiarē ad corpus humanum, quàm ad quodcunque aliud: quoniam materia prima indifferens ad quācunque formam existit: & formæ, quibus tunc illa materia continebitur, nullum habebunt ordinem ad humanum corpus: ergo corpora sunt non censenda ex sua materia potiùs resurgere, quàm ex aliena quacunque: atque adeo non redibit idem corpus: ut supra dicebat Durand.

D. Thom.

¶Diuus Thomas hoc loco sequitur opinionem Commentatoris in libr. de substantia orbis, dicentis quòd in materia sunt dimensiones interminatæ quantitatis, quæ quidem perpetuæ sunt, & sub quacunque forma eædem numero perseuerantes. Et ideo materia sub illis dimensionibus, sub quibus erat in corpore Petri, facit ut eadem redeat materia Petri.

Commentatoris opinio falsa.

¶Illa uero Commentatoris opinio falsa est & inepta, quam ideo Sanctus Thomas. prima part. quæstio. 76. articul. 6. deseruit, nosque. 1. Physico, quæstio. 6. pluribus expugnauimus: nam certe in cōposito nulla est quantitas præter illam, quam forma eiusdem suppositi secum adfert. Cùm enim quantitas sit accidens, toti suppositō, ut autor est Philosophus, tanquam subiecto ineat: ponere ergo aliā quantitatem materiæ coæuam, est naturam quantitatis, quæ accidens est, ignorare: nullum enim accidens materiæ ineſſe potest nisi per formam. Itaque anima rationalis aduenies corpori priùs natura dat ei esse corporeum, per quod corpus fit quantitate aptum, ut inde fiat homo. Respondetur ergo ad argumentum, quod cum anima Petri dederit suo corpori quantitatem illi aptam, quæcunque forma in eā duere & deinceps succedat, semper materiæ particulæ seruant respectum ad eundem hominem ad hunc sensum, quòd illæ particulæ, quæ in illo præfuerunt, ad eius postmodum instaurationem resumantur.

Solutio ar gumenti.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum uerò iam responsum est; quod non totum, quod per nutritionem in corpore fluit, resumetur, sed illud, quod est de ueritate naturæ. Quare non resumetur tanta moles, quanta esset si omnia, quæ per alimenta corpori accreuerunt, simul

Ad secundum absurdum. mul permansissent, sed illam, quæ iustæ resurgentium staturæ congruens est. Neq; uerò propterea quod corpus humanum fuerit in carnes bouinas aut suillas uersum, illorum brutorum animalium corpora resurgent, tum quod neque anima bruti partem illam resumet, tum quod neq; illa caro resurget nisi sub forma humana.

Ad tertiū absurdum. ¶Ad aliud uero tertium absurdum respōdetur, quòd ubi usu uenerit, idem corpus humanum aut eandem eius partem in diuersis hominibus uixisse, inæqualiter tamen: nempe, quòd in uno plus illius corporis extitit, aut perfectiùs rationis speciei fuit particeps, eidem reddetur homini. Si uerò æquè fuit in pluribus, respondet. 22. de ciuitate Dei capit. 20. Augustinus, quòd reddetur illa caro homini, in quo esse caro humana primitus cœpit: ab altero nanque tanquam mutuo sumpta amputanda est, sed Deus supplebit id ipsum in alio ex partibus, quæ in ipso per nutritionem effluxerant, uel aliunde. ¶At uerò de costa Adæ probè hic Diuus Thomas, & rursum. 1. part. quæstione. 92. articul. 4. ait, non extitisse in Adam tanquā indiuiduo necessariam, sed tanquam superfluam per modum seminis ad multiplicandam speciem: figmentum enim est hominum dicentium homines una modò costa carere, uel saltem Adam unam minus habuisse. Et ideo costa illa non est Adæ restituenda, ut pote quæ ad eius integritatem non spectet. ¶Ad tertium itidem responsum est, quemadmodum paruulis ex aliena materia circunstanti supplementum sit adhibendum. Sed tamen existit in contrarium argumentum: quia tunc non esset idem, qui resurgeret. Nam si modò Petro paruulo quadruplo aut decuplo plus materiæ simul adhiberetur, ut non paulatim per nutritionem, sed subito staturam quadruplo aut decuplo maiorem acquireret, non uideretur idem esse numero Petrus: ergo nec tunc. Respondetur ad antecedens, quod si id Deus faceret uirtutem supplendo nutricis uirtutis, negatur, quòd non idem maneret Petrus, secus si totam materiam, quam habebat, adimeret, atque aliam totam illi substitueret. Igitur cùm in resurrectione augmentum illud non faciat, nisi ad supplendum id, in quo natura defecit, non est existimanda natura Augustiniana.

Augustin. re spōdeo.

De costa Adæ.

Ad 3. arg.

mutata, sed potius perfecta.

Sed & postremum argumentum, quod de capillis in contrarium obiecimus, secundùm ea, quæ dicta sunt, moderandum est. Resurgent enim homines cum capillis & unguibus quatenus sunt ad ornatum necessarij, non tamen quatenus sunt naturæ superflui, ut Augustinus libro. 22 de ciuita. Dei. capitu. 19. ait. Est enim adnotandum, quòd natura & eius imitatrix ars utitur instrumentis quibusdam necessarijs, quæ sunt de prima intentione naturæ, alijs uerò ad ipsorum instrumentorū conseruationem, quæ non sunt de prima, sed de secunda intentione naturæ. Veluti prima intentio naturæ est fructus arborum germinare, secunda uero eosdem folijs contegere. Quare uuas, quæ tenerrimæ sunt, amplioribus folijs protegit. Similiter ars militaris tanquàm principali instrumento utitur gladio, uagina tamen ad eius conseruationem. Pari ergo modo prima intentio naturæ est, partes tam essentiales hominis quàm organicas exequendis officijs animæ necessarias fouere, sicut cor, epar & alia similia: sed tamen ueluti de secunda intentione adhibet capillos & ungues ad capitis digitorumque custodiam, pariter & ornatum. Qua de causa cum eiusmodi etiam particulis resurgent homines.

De capillis

Aug.

Obiectio. ¶Quòd si arguas. Capilli & ungues sunt expulsiones naturæ, ueluti urina & sudor, aliæque id genus egestiones: istæ autem non restituentur: ergo neque capilli. Respondetur, bifariam naturam humorem egerere: uno modo tanquam omnino superfluum & ad nihilum iam utilem, qui quidem humores in resurrectione non redibunt, sicut nec recisi ungues, nec capillorum tonsura, sed alios egerit humores non tanquam inutiles, sed tanquam illi, qui membris sunt emolumento & ornamento. Et ideo ait Augustinus, quòd non resumet homo capillos omnes, quos habuerit, sed quos decuerit, iuxta illud, Omnes capilli uestri capitis numerati sunt: id est, qui secundùm diuinam sapientiam sunt reparandi.

Dilutio.

Augustinus ubi supra.

Dubium. ¶Postremū deniq; huius articuli dubiū, quod ad hanc rationē eiusdem corporis suscitādi pertinet, est, utrùm nō solum reliquiæ & cineres ad idem corpus redibūt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Argum. in quo præfuerant, uerùm & singulæ cinerum particulæ ad singulas corporum, ut quæ præfuerant in corde, redeant ad cor, & quæ in manu ad manum, & quæ in osse ad os. Arguitur enim hoc esse necessariũ: quia ut Philosophus 2. de anima autor est, sicut tota anima se habet ad totum corpus, ita & pars animæ: scilicet, potentia, ad partem corporis, ueluti uisus ad pupillam oculi: ergo sicut ut idem resurgat corpus, requiritur ut ex suis proprijs puluerib⁹ reficiatur, ita id ipsum requiritur, ut idem resurgat os, & idem caput, &c. nam materiæ diuersitas facit, ut non sit idem numero. Cum ergo non solùm requiritur, ut idem resurgat corpus, sed etiam ut eædem ei restituantur partes, colligitur, ut puluer̃es non solùm ad idem corpus, uerùm & ad easdem partes reducantur.

¶Item resurrectio, ut dictum est, ad id refertur, ut corpus, quod laboris fuerat particeps, sit etiam præmij, & quod fuerat in causa culpæ, idem & supplicio plectatur: sed diuersis officijs diuersa seruiunt membra: ergo necesse est, ut idem oculus eademq; manus resurgat.

Dilutio dubij. ¶Ad hoc per distinctionem partium respondendum est. Sunt enim in homine partes homogeneæ: id est, similares, eiusdemque rationis & figuræ, quales sunt partes ossis inter se, & partes inuicem carnis: sed aliæ sunt eterogeneæ: hoc est, dissimiles, ut os respectu carnis, & caput, si illud cum manu conferas. Igitur, ut idem resurgat os, necessarium uidetur, ut ex suis proprijs puluer̃ibus resurgat, & similiter ut idem resurgat caput manus & cor. At uerò quòd particulæ, quæ erant superiores, in osse, redeant uel in mediam uel in inferiorem partem, non facit uarietatem nisi in situ partium, per quam non mutatur substantia, sicut uidetur mutari si ex partibus carnis fiat os, aut ex partibus ossis caro, aut ex partibus pedis caput. Tametsi Augustinus, tam in Enchiridio capit. 89. quàm. 22. de ciuita. Dei capit. 19. non tam anxiè respondeat, sed ait, quòd quemadmodum statua cuiuslibet solubilis metalli aut igne liquesceret, aut conteretur in puluerem, aut confunderetur in massam, & eam uellet artifex rursum ex illa materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuę redderetur,

Augustini respõsio. dum tamen totum, ex quo constituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra constiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet. Assertum ergo illud Aristotelis, sicut totum ad totum, ita & pars ad partem, intelligitur de partibus organicis & eterogeneis: nam in homogeneis licet ut eadem sit pars, requiratur eadem materia, non tamen idem partium situs. Postremum uerò argumentum non ita multùm efficax est: quoniam meritum aut demeritum non est membri, sed totius hominis, quare fat est, ut illud recipiat corpus ad sensum iam expositum.

Aristotelis assertum.

Argumentum positum.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm cuncta prorsus hominis membra ac perinde humores debeant homini resurgenti restitui.

QVANVIS ex artic. proximo, quo definitum est, quicquid est de ueritate naturæ fore recuperandum, colligatur omnia membra & humores debere restitui, ad maiorem tamen rei explicationem arguitur à parte negatiua. Amoto fine remouetur medium, quod ad illum refertur: post resurrectionem autem multorum membrorum usus cessabit ut quæ sunt uirtuti generatiuæ & nutritiuæ deputata, quia illic nequ nubent, neque ulla erit indigentia cibi: ergo membra illa non restituentur.

Partis negatiuæ argumentum primum.

2. Argum. ¶Secundò. Sanguis non redibit, quia ut habetur. 1. ad Corint. 4. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: ille autem inter quatuor humores primatum obtinet: ergo humores illic corporibus non reddentur. ¶In contrarium est, quòd membra & humores sunt de ueritate humanæ naturæ: quocirca absq; illis non idem corpus uerè resurgeret.

Pars affirmatiua. Decis. artic. ¶Ad explicationem quæstionis huius distinguere primùm oportet inter membra: nam alia sunt, quę homines integri & absque ullo naturæ defectu nati fortiti sunt, atque in totam uitam conseruarunt: alia uerò, quibus uel defectu naturæ truncati geniti sunt, uel morbo aliquo aut casu uigeniti sunt, uel morbo aliquo aut casu uigentes orbati. Rursus & inter electos & reprobos

1. Conclu. reprobos sunt qui hac parte distinguant. ¶Duabus igitur conclusionibus respondendum est. Prima. Electi & pij proculdubio cum omnibus suis membris, quæ

Ratio. ad integritatem naturæ spectant, sunt uitæ restituendi. Probatur. Dei perfecta sunt opera: resurrectio erit diuinum opus: erit ergo perfectum. Præsertim in beatis illis & fœlicibus, quos in uitam æternam

Probatio. suscitabit: non autem esset perfectum opus nisi homo qualis suapte natura gignitur, resurgeret: natura autem ad sui perfectionem exigit omnia membra & organa: ergo cum illis resurget. Probatur hæc postrema præmissa. Anima quippe non solum est forma corporis, uerùm & finis, propter quam homo creatur, & præterea efficiens causa, quæ illum gubernat: unde Philosophus. 14 de animalibus habitudinem corporis ad animam censet ut artificij ad artem: & ideo corporis membra organa dicuntur animæ. Quapropter sicut in artificio elucet uirtus artis, ita & cuiuscunque membri figura & compositio repræsentat uirtutem aliquam animæ, in qua tanquàm in origine & radice insunt omnes uirtutes membrorum motrices. Igitur quemadmodum res per artem fabricata non esset perfecta, nisi omnem uirtutem, quæ continetur in arte demonstraret, ita neque esset perfectus homo, nisi omnes animæ uirtutes & uires emicarent in corpore: neque uerò corpus esset perfectum, & animæ satis coapratum, nisi omnium membrorum integritate consummatum esset. Cùm ergo homines saltem iusti, atque adeò eorum corpora debeant in naturali perfectione resurgere: quia resurrectio hæc corporum fit propter animam, propter quam condita sunt, consequitur, ut debeant omnes, saltem electi, cum integro membrorum ornamento resurgere. Et ratio hæc conclusionem ipsam elucidat. Intelligitur quippe de omnibus membris, siue illa habuerint, siue illis orbati fuerint. Itaque tam qui nati fuerint seu cæci, seu claudi, seu quocunque alio membro mutili, quàm qui integri in lucem prodierint, etiam si aliqua postmodum amiserint membra, integri & perfecti resurgere debent. Et cõfirmatur inde præterea, quia alioqui appetitui animę ad corpus non fieret satis. quẽ tamen Christus in resurrectione satiabit.

¶Secundò probatur conclusio. Si aliqua corporis ruina & defectus esset in resurrectione, ille proueniret aut ex defectu uirtutis agentis, quam ob causam solent pro creari mõstra, aut ex defectu obedientiæ materiæ: sed neuter huiusmodi defectuum illic erit, quia uirtus illic efficiens erit supranaturalis Dei, cui nihil resistere potest: in materia uerò nihil erit requisitum, quod ex causis naturalibus pendeat: neque in probis, quicquid sit de reprobis, alia potest inueniri causa, quę absolutè mẽbrorum perfectioni obstet: ergo omnia resurgent perfecta. Ratio. 2.

¶Tertiò. Illa resurrectio erit opus peculiare Dei, quemadmodum prima rerum creatio: sed non solùm hominem, uerum cuncta, quæ de nihilo Deus condidit, in sua protulit absoluta perfectione: ergo illa naturæ reparatio ex puluer̃ibus perfectissima erit secundùm naturam. Ratio. 3.

¶Quarta ratio & ex beneficio Christi colligitur, cuius gratia, ut ait Pau. illic abundauit, ubi abundauit delictum Adæ, uniuersi nanque defectus & deformitates, quas in corporibus patimur, de præuaricatione Adæ & originis labe nobis obueniunt: ergo omnes illos defectus, & quas fecimus in Adam iacturas, & quas in nobis natura corrupta fecit ruinas, reparabit Christus in suis membris, quæ certè instar resurrectionis ipsius nostri capitis resurgere habent, iuxta uerbum Pauli ad Philippen. 3. Configurabit Christus corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ: quod tamen integerrimum surrexit. Ratio. 4.

¶Iam uerò si hominem, qui in hoc terreno seculo uitam erat ducturus, tam pulchrum Deus in prima creatione effinxit, illos, quos uelut cœlorum ciues refecturus est, quosque dotibus gloriæ insignire proposuit, ut una secum ceu eius aulici perpetuo eius conspectu fruerentur, ambigere nefas est, quin sit uniuersos absolutissimos secundùm naturam in uitam reuocaturus. Erunt enim illi uerè beati, & ut ait Augu. 13. de Trinita. Beatus est qui habet quicquid uult, & nihil mali uult.

¶Sed arguitur contra. Vsu sæpè uenit, ut alicui propter furtum, aut propter aliquã illatam iniuriam auris, manus, uel aliud membrum abscindatur: ergo illud membrum illi non restituetur, quia propter il-

Obiectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lud, quod patrauit malum, non est ei restituendum bonum. Respondetur autem, ut dictum est, merita aut demerita non esse membrorum, sed suppositi, cui ideo si pœnitentiam egerit, restituetur ad præmiũ, sin minus ad supplicium.

Dilutio.

¶Sententia est præterea Augu. 22. de ciuit. cap. 19. & in Enchirid. cap. 87. & 91. ubi ait, quòd nulla uitiata corpora sunt sanctorum resurrectura, sed correcta emẽ data q; natura. Vnde illud, inquit, monstrum: nempe, bimembris homo, quem Hieronymus in Oriẽte natum refert: quia duplex erat duoq; coniuncti, non unus resurget, sed duo seiuncti. Si autem non fuissent perfecti duo, sed unus cum una anima, quale monstrum ego uidi, ex cuius utero homuncio alter excepto capite inter ger pendebat: non resurget nisi unus.

Augu. sententia.

Monstrũ.

¶Quid autem da martyribus, qui membris truncati sunt, utrùm sint absque illis resurrecturi, ut amputatio illa sit eis sicut stigma gloriæ & aureola sui triumphi? August. eod. 22. lib. cap. 20. respondet, quòd non erunt absque illis membris. Nõ enim posset illa mutilatio non esse corporis uitium, alioqui qui capite truncati essent, deberent sine capite resurgere. Veruntamen extabunt in eorundem membrorum articulis gladij cicatrices effulgentes super omne aurum & lapidem pretiosum, ueluti cicatrices uulnerum Christi.

De martyribus.

¶De reprobis autem, utrùm membris integris resurgent, August. in Enchirid. cap. 92. definire recusauit, quanuis id de electis capit. præcedenti sanciuerit: sed ait, utrùm cum uitijs & deformitatibus suorũ corporum resurgant quicunque in eis uitiosa & deformia membra gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo & pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio. Durandus uero distinctione præsenti quæstio. 2. per distinctionem respondet. Ait quippe in homine quasdam esse partes de essentia, sine quibus esse homo nequit: & cum istis certum est damnatos quoque resurrecturos fore. Sed alia sunt de integritate, quæ non sunt simpliciter de essentia, ut manus, pes, oculus &c. sine quibus uiuere quisque potest. De istis ait, quòd si damnati cum omnibus suis membris fuerint orti, neque in uita morbo aliquo uel casu illa perdiderint, resurgent eo modo, quo de hac luce migrarunt: sin uerò absque aliquo membro uel cum aliqua deformitate uel nati uel defuncti sunt, ab illa nõ liberabuntur. sed trunci resurgent, ut illud quoque uitium perpetuò patiantur. Ratio eius est, quia reparatio illa naturæ in resurrectione ad illum finem refertur, ut retributionem recipiant diuersam: boni scilicet uitam æternam, & damnati supplicium æternum, ut habetur Ioann. 5. Reprobi autem nullam fœlicitatis retributionẽ accipiẽt, ergo non est cur eorum natura præclariùs reparetur, quàm ceciderat. Et confirmatur, quia sicut probis nihil deerit, quod ad fœlicitatem æternam pertineat, ita nec miseris quicquam deficiet, quod ad eorum miseriam in uita præsenti attinebat: quare illa uitia non sanabuntur. Et tertio arguitur, Resurrectio illa futura est per gratiam Christi, quæ antidotum fuit peccati Adæ: ergo sicut Adam per mortem animę lapsus est in miserias corporum, ita Christus nullis corporum uitia sanabit, nisi quibus uitam restituet animæ.

Ratio Durandi.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

¶Ad hoc autem, ut luculentiùs respondeamus, distinguendum de uitijs corporum est, quæ in triplici sunt differentia. Prima est membrorum orbitas, atque alia ipsorum turpis ineptaq; compositio, & corporis habitudo deformis, ut sunt homines obesi, gibbosi, alijsq; tortuosis mẽbris corporis compositi: & tertia morbositas, ut lepra, febris, &c. Et quidem D. Tho. d. præsenti q. 3. arti. 1. & Ricar. atq; alij primam uitiositatem in dubium non reuocant, sed planè affirmãt, illam non esse in damnatis futurã, imò omnes suis membris integri resurgent. Neque D. Aug. ut illic D. Tho. insinuat, uidetur hoc in dubiũ reuocasse, sed de alijs deformitatibus aliorũ generũ ambiguit. Quòd enim ẽt miseri cum omnibus suis mẽbris reuiuiscere debeant, probatur: quia resurrectio erit quædam naturæ reparatio per supranaturalem uirtutẽ Dei tanquam autoris naturæ: cùm ergo Dei perfecta sint opera, naturã, quã integrã creauit, integrã reparabit sine respectu ad culpam: si uerò membro aliquo careret, non esset integra. ¶Et ad maiorem explicationem arguitur secundò. Resurrectio Christi bifariã fuit nostrę causa, uno modo quã tùm ad instaurationẽ naturæ, atque altero quantùm ad dotes gratiæ: in reparatione ergo

Deformitas triplex

Opinio S. Thomæ.

De alijs deformitatibus.

S. Tho.

ergo naturæ respectus duntaxat ille habẽdus ẽ, q quẽadmodũ ipse naturã, quã assumpsit, ĩ uitã restituit, ita & uniuerso humano generi sua corpora integra tribuet. Absurdũ. n. eẽt dicere, q dãnati deberent cũ tanta mõstruositate resurgere, quanta in mõstris esse solet. ¶De alijs uerò uitiorũ generib. de quib. Aug. hæsitauit, sunt q affirment cũ illis fore calamitosos illos suscitandos, pter rõnes Durandi. At uerò. D. Th. doctiùs, pfectò contrariũ, ut probabilius affirmat: qm̃ in reparatione resurgentis corporis potiùs consideratur naturæ terminus & perfectio, in quam restitui tur, quã eius conditio, quæ in ipsa præfuerat. Vnde ẽt perditi illi reprobi, qui ad pfectam ætatẽ nondũ in uita peruenerunt, in illa sunt ætate, ut beati resuscitandi.

Aliud arg.

¶Sed claritatis gratia sic aliter arguitur. Vniuersi absq; ullo naturæ defectu essent in resurrectione instaurandi, nisi in pœnã peccati illi defectus redirẽt: sed in pœnam peccati non redibũt: ergo resurgent sine illis defectib. ut beati. Probatur minor. Pœna secundùm culparũ mensurã & quantitatẽ infligẽda est: usu tamẽ creberrimè uenit, ut qui in hac uita minora cõmiserunt crimina, plures morbos aliasq; ærũnas & calamitates corporis sint perpessi, & è cõuerso qui grauissimis se scelerib. cõplicuerunt, nulla eiusmodi corporũ uitia fuerint experti: tunc ergo si damnati deberent cũ uitijs corporũ, quæ habuerunt, resurgere, illi defectus non tã responderent quantitati culpę, q pœnæ, quã in uita fuerãt perpessi, atq; adeò pœna nõ infligeretur proculpa, sed pro alia pœna, quod rõ æquitatis diuinæ nõ fert: si ergo illi defectus nõ sunt redituri in pœnã culpæ, consequitur, ut nullatenus sint reuersuri. Resurgent tamen illi nequã cum illis defectibus qui ex naturalib. principijs humanis corporib. insunt: nẽpe, cũ possibilitate, & opacitate & põdere & ignobilitate & obscuritate aque alijs, quæ in beatis per dotes gloriæ sunt excludenda. Quomodo aũt resurgere habeant in corporib. incorruptibilibus absq; dote incorruptibilitatis, & quomodo sint futura incorruptibilia, sed passibilia, dist. 50. ubi de eorum supplicijs agendum est, nos manet dicendi locus. ¶Et p hæc ad primum argumentũ Durandi respondetur: conceditur enim resurrectionẽ illuc referri, ut unusquisq; retributionem accipiat: nihilominus damnati non recipient corporum defectus tanquam suorũ delictorũ supplicia. Imò ob hoc recipient omnia membra, ut in omnibus puniãtur, licèt aliquibus in uita caruerint: quia supplicium non debetur mẽbris, sed toti suppositio. Quare illa restitutio membrorum non pertinebit ad eorũ fœlicitatẽ, sed ad eorũ miseriã. Et hoc est, quod ait Pau. 1. Cori. 15. Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Etenim qua rõne damnati resurgent in incorruptione, ut perpetuò puniantur, resurgẽt suis membris integri, ut in omnib. crucientur. ¶Ad postremũ autem respondetur, quòd illa uniuersalis resurrectio corporũ in suã integram naturam non fiet per gratiam gratum facientem, per quam Christus collaturus est gloriam peculiariter iustis, sed per gratiã quasi gratis datam, non singulis personis ob sua materia, sed toti naturæ, ut sistatur ante tribunal Dei, quare sicut illi etiam, qui non fuerunt mundati ab originali, resurgent, ita omnes resurgent integri. ¶De intestinis autem uidetur scrupulus hinc emergere: haud enim uacua restituentur, quia uacuum abhorret natura: quod autem plena immundis & turpibus egestionibus resurgant, fœlicem illum statum minimè decet: non ergo restituentur. Respõdetur autem, quòd restituentur in beatis plena non illis turpib. egestionib. sed decẽtib. alijs humiditatib. Vnde Aug. In interiorib. inquit, uiscerib. quæ nullum decus modò uidentur habere, ita pulchritudo rõnis delectabit, ut omni formæ apparẽti, quæ oculis placet, secundùm mentis iudiciũ referatur. In damnatis uero nil mirũ si fœtidis egestionib. oppleta redeant: siquidem illæ naturales sunt. ¶Ad primũ igitur principale argumentum respondetur, q corpus ad animã bifariam refertur, uno modo tanquam materia ad formam, & tũc finis corporis atq; membrorũ non est operatio, sed esse speciei perfectũ. Qua utiq; ratione quanuis nulla futura esset operatio, necessaria nihilominus erat integra membrorum compago ad complemẽtũ speciei Secundò modo refertur tanquã instrumentum ad agens. Et hoc pacto q̃uis finis eius sit operatio, nihilominus mẽbrorum compositio non est sine operatione frustranea: quoniam seruit ad ostendẽdum uirtutem ipsius agentis: nempe, ani-

Sol. postremi argum.

Intestina an uacuare surgent.

Sol. 1. arg.

Ad 1. arg. Durand.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mæ,quę uim habet cuncta mouẽdi,ueluti ars musicum instrumentũ.Et ideo quãuis illic neq; ullus nubet, neq; nuptui tradetur,erunt nihilominus utriusque sexus instrumenta,ut paulo post uidebimus, atq; adeò uirtutum nutritiuæ & augmentatiuæ organa. ¶De secunda parte articuli: nempe,de humoribus secunda similis subiungitur conclusio.Humores omnes & humiditates,quæ ad uitæ etiam mortalis necessitatem & integritatem spectant, erũt in resurgentibus.Quoniam licèt uita illa deinceps supranaturalis sit, nihilominus erunt ueri homines,quales natura producit.Est ergo ad huius perspectionem de humoribus distinguendum. Et primò inter humores & humiditates Physici distinguunt,quorum est Auicenna.libr. 10.de animalibus capit. De humoribus & humiditatibus.Humoris enim nomine censentur illi,qui in præcipuis uenis sunt inclusi,habentq́ue determinatam formam secundùm quam licèt disgregati sint, connumerantur tamen eum partibus corporis, ut sanguis, cholera,melancholia & phlegma,qui ad hominis ueritatem & integritatem spectant,atque adeò instaurabuntur in illa mensura, quæ ad optimam corporis ualetudinem conferunt. Humiditates uerò sunt,quæ per minores uenas & arterias diffluunt. Quæ utique humiditates in triplici sunt differentia. Quædam enim sunt in recessu à perfectione, quas quidem natura ceu nocuas pellit, quales sunt urina,sudor,sanies,atque aliæ huiusmodi: & istæ locum in resurrectione non habent,quia ad ueritatem naturæ potius eorum expulsio attiner, quàm retentio. Aliæ uero sunt,quæ quanuis in indiuiduo redundent,pergunt tamen ad conseruationem speciei,seu ad generationem ut semen,seu ad nutritionem ut lac,neque istæ redibunt:quia ad indiuiduorum perfectionem non spectant. Tertij generis humiditas est in transitu & uia ad aliam formam quæ scilicet ex nutrimento in substantiã aliti commigrat. Quæ sunt etiam in triplici gradu: nam substantia, quæ ex alimento gignitur, in principio uiæ uocatur ros, qui per capillares uenas dispergitur: in medio uero cùm albescit, uocatur cambium: sed in fine dum in substantiam aliti iam est uersa, uocatur gluten. Igitur cùm sola ueritas naturæ debeat resurgere, sola humiditas in tertio gradu resurget,quia est pars corporis. Reliquæ uerò duæ priores minimè:quoniam deinceps nulla opus erit nutritione, neq; illius uirtutis officio,sed partes erunt constabilitæ & firmæ. Quare neque in stomacho erit nutrimentum,sed erit plenus uel aere uel alia incorruptibili substantia, ut de intestinis dictum est.

2. Conclu.

Humoris & humiditatis discrimen.

Humiditas triplex.

Humiditas tertij generis, triplex est.

Sol. 2.

¶Ad secundum deinde argumentum, respondetur,quod nomine carnis illic Apostolus & sanguinis non intellexit nisi opera,quæ carnis suggestione fiunt, uel ut libro.2.retracta.& in epist.ad Consentiũ ait Augu.negat Apostolus illic fore carnem & sanguinem corruptioni subiecta, ut sunt in hac uita.Quare neque humores ad id resumendi sunt,ut, quod per caloré deperditur reficiant, sed quemadmodum de membris dictum est, seruient integritati naturæ,& ad ostendendum animę uirtutem.¶Quòd si redarguas. Negatum est humiditates illas sub forma roris aut cambij reuersuras corpori,quanuis illas in obitu habuerit,propterea quòd sint in uia ad nutritionem,cui tunc non dabitur locus: sed sanguis alijq́; tres humores sunt pariter in uia ad nutritionem: ergo non redibunt.Respondetur,ad minorem, aliter humiditates illas esse in uia quàm humores istos:nam illæ sic sunt in uia,ut nó habeant determinatam formam, sed imperfectam.Humores autem habent determinatam formam uelut, ossa & caro. Vnde sicut elementa quanuis sint in uia generationis respectu corporum, quæ ex illis commiscentur, nihilominus quia habent formas determinatas & perfectas, perdurabunt post resurrectionem, ita & quatuor humores, qui elementis respondent.

Obiectio.

Dilutio.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrũ omnes in ætate iuuenili resurgent.

POstquam de ueritate & integritate corporum dictũ est, sequitur ut de ætate & statura resurgentium dicamus.Et quæritur primò, utrũm omnes in ætate iuuenili sint resurrecturi.Et arguit à parte negatiua. Deus plemur,nihil subtraher, quod ad eorum pertinet perfectionem:sed ætas uenerandæ senectutis plurimum perfectionis affert,iuxta illud Prouerb. 16. Corona dignitatis senectus,ergo qui senes obierũt, in ea ætate resurgent. ¶Secundò arguitur.Si omnes in eadem ætate deberent resurgere, consequens fieret, ut in eadem quoque quantitate & corporis mole deberent resurgere:quia quantitatis habitudo ætatem plurimùm sequitur, eo quòd corpus per temporis cursum adolescit:nó autem omnes resurgent in eadem molis quantitate & statura: quoniam dimensio hæc quantitatis conditio est indiuidui,sicut & uultus effigies atque aliæ corporis habitudines, quibus indiuidua inter se discrepant:quare ad ueritatem indiuiduorũ attinet, ut has habeant diuersas effigies: ergo neque omnes in eadem ætate resurgent. ¶In contrarium autem est illud Apostoli ad Ephes. 4. Donec omnes occurramus in uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. ¶Bimembris est quæstio, quæ duas proinde conclusiones postulat. Ad priorem enim partem uniuersalis omnium responsio circunfertur affirmatiua,quæ sit prima conclusio:scilicet, Omnes resurgent in ætate iuuenili. Sed re uera locus proximè citatus Pauli id non satis comprobat:quoniam illic Apostolus de perfectione spirituali loquebatur corporis mystici,quod est ecclesia, & non de corporea ætate aut quantitate. Ait quippe, Christum quosdam dedisse Apostolos,quosdam prophetas, & alios euangelistas, &c.in ædificationem corporis Christi:nempe,mystici, donec occurramus omnes in unitate fidei, & agnitione filij Dei:sed quia ecclesia non utcunq; ad hanc fidem progressura est, sed usq; ad robur & firmitatem, persequens analogiam de corpore,confert robur & perfectionem fidei,quam est habitura ecclesia cum uirium firmitate,quæ est in uirili corpore,dicens, Donec, occurramus in uirũ perfectum:hoc est,dum secundum animã ad eam uirtutis copiã pertingamus, quæ est in uiro perfecto. Et quoniam complementum perfecti uiri illa ætas adfert, in qua Christus mortuus est & resurrexit, componit simul in uirum perfectum & in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Vnde sicut dicens, in uirum perfectum, non insinuat corporeum sexum, quasi in

Veritas negatiuæ.

Ad obiectionem.

1. Arg.

Pars affirmatiua.

1. Conclu.

uirili debeamus omnes resurgere, ut illico dicturi sumus,ita nec per ætatẽ Christi designat ad literam, quòd omnes debeant in illa ætate resurgere, sicut neque in eadem statura. Et hanc expositionem insinuat primùm August.22.de ciuit.Dei cap.15.Subiungit autem,quòd si de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum,ut nec ultra nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ea ætate & robore, usque ad quam hic Christum peruenisse cognouimus.Vixit enim usque ad tertium mensem anni trigesimi tertij. Quos utique annos doctissimi homines dẽnierũt esse iuuentutem.Decurrit enim iuuentus,ut distin.27.dicebamus ab anno. 25. usque ad quadragesimum, cuius medium attigit Christus.Et quanuis uirilitas, ut à iuuentute distinguitur,nõ incipiat nisi ab anno quadragesimo,nihilominus illico a trigesimo habent homines ætatis cõplemẽtũ, ut dicãtur uiri perfecti. ¶Adfertur ergo autoritas Apostoli ad hoc propositũ propter ætatis accõmodationẽ ad perfectionem, in qua homines debent resurgere. Enimuerò cùm resurrectio, ut diximus, opus sit futura Dei tanquam tunc instaurantis naturam instar illius, quam in protoplasto Adam condiderat,sit ut sit illam reparaturus nõ solùm absque omni uitio & deformitate naturali, uerùm omnino perfectam & absolutam: tunc autem natura illud obtinet complementum, dum medium attingit iuuenilis ætatis. Bifariã enim natura ab illo complemento deficit:uno modo quia nondum illud attigit: uidelicet,quando est in infantia, pueritia uel adolescentia:alio modo quando ab eadem perfectione recedit:scilicet, quando inclinat in senium. In illa tamen ætate inter triginta & quadraginta annos natura persistit in illo,quod iustum est quantum ad corporis tum uires tum pulchritudinẽ, atque alia ornamenta. Vnde & coniectura fit in eadem prorsus ætate fuisse Adam creatum, ut naturæ recreatio per mortẽ Christi,& instauratio per generalem resurrectionem primæ eius institutioni respondeat. ¶Ad hæc item accedit, quòd cum in resurrectione appetitus,qui ex natura promanat,satiandus sit omnibus æqualiter:& anima illud corpus appetat, quod ad perfectum peruenit, si infantes & pueri

Argum.

Christi uita.

Nota.

Adam cuius ætatis creatus.

Ratio.

Ratio. 3.

& pueri in illa tenella ætate resurgerent, essent perpetuò illa perfectione priuati, quod quidem natura sua eorum fœlicitati derogare uideretur.

Obiectio. ¶Sed arguat quis forsan, Quanto aliquid prius fuit in homine, tanto uidetur plus ad ueritatem humanæ naturæ accedere: quia est propinquius suo principio: puericia uerò prius aduenit homini quàm iuuentus: ergo plus attinet ad ueritatem naturæ unde Philosophus. 1. de genera. senium propter eius debilitatem diluto uino comparat: ergo potius in pueritia quàm in ætate iuuenili resurgent.

Dilutio. Respondetur, quòd in pueritia uirtus speciei ob id quodammodo perfectior censetur, quòd est ad digestionem alimenti efficacior: quia ætas illa pluris indiget ad augmentum alimenti. Iuuentus tamen simpliciter est perfectior, quia tunc species ad complementum peruenit. Et eadem ratione senes, si in illa ætate resurgerent, essent quasi suo naturali affectu frustrati. Naturaliter enim omnes cupiunt in illo flore iuuentutis uiuere, tristátúrque dum inde recedunt: nam senectus genus quoddam morbi & infirmitatis est, sicut & infantia & pueritia imbecillitatem quandam & debilitatem habet adiúctam. Quare neque ad munera publica infantes & pueri admittuntur. Atqui ad hanc rem, quæ ad naturam pertinet, non est habenda ratio maioris minorisve meritorum cumuli, qui ex gratia procedit: illa enim remunerabuntur per gloriam, sed solùm habetur ratio naturæ, quam Deus æqualem tum condidit, tum & instaurabit. Quapropter & damnatos quoque credendum est in eadem ætate corpora resumpturos.

Obiectio. ¶Quòd si arguas. Aetatem temporis cursu & lapsu metimur: tempus autem, quod in hoc seculo dilabitur, non redibit: ergo

Dilatio. neque ætas. Respondetur, quòd non dicitur reditura ætas propterea, quòd tunc habebunt tot aut tot annos, sed quod redibit corpus in illo flore & habitudine & pulchritudine, quæ inesse solet corporibus, dum illam in hoc seculo agunt ætatem.

In damnatis. Quanquam in damnatis fulgor ille floris & pulchritudinis per nebulam nigrantis ignis contenebrescet.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum principale respondetur, senectutis effigiem non esse uenerandam propter corporis habitudinem sed quia documentum est & testimonium prudentiæ & sapientiæ aliarumque uirtutum, quæ in senibus uigent, iuxta illud Sapien. 4. Senectus ueneranda est, non diuturna neque annorum numero cõputata: cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis uita immaculata. In altero uerò seculo non opus est sapientiæ aut uirtutum corporeo testimonio, quia unumquenque illud manet præmium, quod ei Christus secundùm meritorum mensurá, quæ ex sua gratia processerunt, unicuique palam retribuet. Et præterea qui in hac uita disciplinarum sibi peritiam comparauerunt, & prudentia præditi fuerunt, easdem disciplinas & sapientiam retinebunt, quas in sexaginta uel centum uel pluribus annis nacti fuerint, iuxta uerbum Hieronymi in epistola ad Paulinum. Ea discamus in terris, quorum sciẽtia nobiscum perseueret in cœlis.

Sapient. 4.

Hieronym.

Secunda conclusio.

¶De secundo quæstionis membro subiungitur secunda conclusio. Non omnes eiusdem quantitatis resurgent: sed secundùm staturas diuersas. Conclusio est Augustini in enchiridio. cap. 90. & libr. 22. de ciuit. Dei cap. 20. quam transtulit Hugo capit. decimoquinto. Illum quippe Hugonis tractatum de resurrectione ob id non citamus, quòd ad literam eum ex Augustino in enchiridio & libris de ciuita. Dei transcripsit. Ratio autem est, quòd in resurrectione non tantùm recuperanda est perfectio speciei, uerùm etiam indiuidui cuiusque: species autem habet aliquam quantitatem, ultra quam progredi non potest: nam ut autor est. 2. de anima Philosophus unicuique speciei præscriptus à natura est certus terminus augmenti & decrementi, quæ tamen quantitas non consistit in puncto indiuisibili, sed' in quadam latitudine, ut sint homines alijs alij maiores, aut minores, graciliores, aut pinguiores secundùm diuersam complexionem & caloris uim ad dirigendum. Et præterea secundùm qualitatem alimenti, quod ad augmẽtum aptius esse potest aut ineptius. Imò & regionis solum, & aer ad id confert. Resurget ergo unusquisque in ea statura & corporis mole, ad quam natura neque errans neque prohibita hominem proferret dum ætatem ageret iuueni lem. Quare quod cuipiam deerit, Deus supplebit aut ex illa materia, quæ à paruulo illo per digestionem elapsa fuerat, aut

Hugo.

Nota.

aut aliunde. Si autem supererit, tanquam superfluum relinquetur.

Argumen. ¶Quòd si arguas. Forma humana eiusdẽ speciei est in omnibus, & terminus augmẽti uel decrementi conuenit indiuiduis ratione formæ: ergo natura non errante idẽ in cunctis erit. Respondetur ad minorem, quod quantitas augmenti, non solum ratione specificæ formæ, sed ratione eiusdẽ formæ in tali indiuiduo conuenit, & ideo est diuersa. Sed redarguet quis fortè. Statura & quantitas resurgentium non respondebit uirtuti naturali, quæ in multis impedita est, sed uirtuti supernaturali, quæ erit causa resurrectionis: illa autem erit eadẽ: ergo effectus quantitatis idem. Ad hoc iã responsum est, quòd illa quantitas non respondebit naturæ erranti aut impeditæ, sed illi si non impediretur: nam licèt uirtus diuina sit eadem, non tamen tunc operabitur per modum naturę, sed spontaneè reparãdo naturam in illo statu, ad quem ipsa sana & ualida peruenisset.

Solutio.

Ratio secũdi de secunda conclusione.

¶Confirmatur conclusio: quia staturæ diuersæ ac diuersi uultus, & facies hominum & corporum uariæ habitudines, perinde ad pulchritudinem humani generis confe runt, atque uoces diuersæ in musica, quarum consonantissima uarietate harmonicus concentus suaue resonat: erunt ergo in corporibus resurgentium & staturæ uariæ & uultus & corporum habitudines.

Obiectio. ¶Quòd si arguas. Staturæ hominum, in diuersis seculis & ætatibus mundi fuerunt plurimùm distantes: fertur enim Adam & qui diluuium antecesserunt mortales gigantæa corpora habuisse, ut Gene. 6. legitur, propterea quòd tunc fructus terræ fortiori uigebant uirtute ad uegetandos augẽdosque homines: quin imò & à diluuio usque ad Abraham gigantes erant, ut Nembrot, & sui, quibus postea Philistijm successerunt: in illa ergo statura erunt homines illi suscitandi: non tamen apparet pulchritudini consonum, quòd sint in cœlo alij alios tanta proceritate superãtes: præsertim cùm Christus caput nostrum ab illa longo interuallo defecerit.

Patres & Theologi non corpo.

¶Item quantum ad uultus & habitudines corporum si debent uarietate discriminari, scisciatur, utrùm unusquilibet eam debeat habere corporis effigiem & compositionem, quam habuit in hoc seculo: nam sunt plurimi nimium deformes, qui si tales resurgerent, oculos offenderent: si uerò aliter sunt effigiandi, non apparet: quæ nã sit in uariandis & formis & figuris corporum seruanda ratio.

Sol. primæ obiectiõis.

¶Ad primum respondetur, q̃ re uera gigãtæa statura, dum modò non fuerit mõstrifica, restituenda est illis, qui eã habuerunt: quia & hoc ad ueritatẽ indiuidui spectat. Et quanuis Christus illã nõ attigerit, nõ iõ quidpiam absurditatis res habebit, quãuis alij sint proceriores ipso. Gigantes aũt qui uitio naturæ ad proceritatem immodicam adoleuerunt, reformabuntur, sicuti neq; erunt Pygmęi, neq; exigui homines, in quibus natura ob uitium aliquod defecit, sed cuncta Christus supplebit.

De uultu.

¶Quantùm uerò ad effigies & formas respondetur, quòd unusquisq; recipiet quã habuit effigiem, ab omni tamen deformitate puram & collimatam, ut nullus sit gibbosus, aut claudus aut luscus, obesus aut macer, aut aliquam habens in ore deformitatis notam. Veruntamen tales erunt, ut possint dignosci cos esse, qui in hoc seculo uixerunt. Et similiter dicẽdum est de coloribus, non enim necesse est, ut omnes aut rufi aut albissimi resurgant, sed ea erit colorum uarietas, ut uenustati & pulchritudini nihil officiat. Quare Aethiopes nõ sunt credendi nigri resuscitandi, aut Inscitares subpallidi, saltem pij & iusti: nam ille color, ut qui ex nimia exustione solis prouenit, uitio naturæ tribuitur. In summa, nullus in beatis reliquus fiet color, q̃ non sit nitidus splendoriq́ue & doti claritatis aptissimus. De impijs autem iam dictum est.

De coloribus.

Sol. 2. arg. principalis.

¶Ad secundum igitur arg. respondetur, discrimen esse inter ætatem & staturam, ut illa debeat esse eadem, hæc uerò minimè: quoniam cùm tempus indiuidua ad illum articulum perducat, quo natura speciei uenustior est festiuiorq́ue atque adeò perfectior, congruens est ut omnes in illo statu resurgant. At uerò quoniam illic diuersitas est indiuiduorum diuersaq́ue corporis statura & habitudo, q̃ ad speciei pulchritudinem confert, non est cur non eadem diuersitas in resurgentibus eluceat.

ARTICVLVS V.

Vtrùm omnes in sexu uirili cum animali resurgent.

Sequitur

SEquitur tandem de sexuum discrimine & animali uirtute, utrum in resurrectione redibit. Et arguitur ꝙ omnes in sexu uirili resurgent. Primò quia omnia uitia, ut dictum est, defectusq; naturæ resarciendi sunt: fœmineus autem sexus præter intentionem naturæ occasione & defectu uirtutis formatricis in semine, quæ non potuit fœtũ ad perfectionem uirilem perducere, nasci tur, ut 16. de animalibus, autor est Philosophus, ubi ideo fœminam occasionatum marem appellat: atq; adeò, 1. Physicorum ait quòd sicut fœmina uirum, ita materia appetit formam: nempe, tanquam res imperfecta suam perfectionem.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

2. Arg. ¶Secundò. Si sexus illic uterque resurget, pari ratione & uita animalis locum habebit: scilicet, tam uirtus nutritiua & augmẽtatiua, quàm generatiua: omnes autem illæ erunt superfluæ: quia ut ait Christus Matthæi. 25. In resurrectione neque nubent, neque nubentur (ut uerbo euangelico utamur) & eadem ratione neque comedent neque bibent: omnes ergo uirtutes erunt superfluæ, quod non est Deo autori tribuendum.

Matth. 25.

Pars negatiua. ¶In contrarium est, quòd Deus utrumque sexum, ut Gene. secundo legitur, tanquam de necessitate naturæ creauit: in instauratione ergo eiusdem naturæ utrumque restituet.

1. Conclu. ¶Bimembris, ut superior, est præsens articulus expeditionis facillimæ, qui ideo duabus conclusionibus erit contentus. Prima. Vterque resurget sexus. Conclusio est Augustini. 22. de ciuitate Dei cap. 17. Dubitatiuncula enim hæc inde ortum duxit, qd ait Paulus ad Ephesios. 4 Donec occurramus omnes in uirum perfectũ: inde enim quidam comminisci cogitarunt, fœmineũ sexum in resurrectione in uirilẽ euasurum

In uirũ pfectum.

Auguſt. Ait uerò Augustinus uerius eos sapere qui utrumque sexum resurrecturum non dubitant. Deus enim qui utrumque instituit, utrumque restituet. Et uerbum Pauli non refertur ad sexum corporis, sed ad animi robur & uirtutem fidei: loquitur enim illic de corpore mystico ecclesiæ, quo ad perfectum influxu Christi prouehendum, ut paulò ante dicebamus. Ratio autem cõclusionis est, quam proximè explicuimus. Est enim restituenda integra natura non solùm quantum ad ueritatem speciei, sed quantum ad ueritatem & naturam cuiusque indiuidui: uir autem & fœmina quauis eiusdem sint speciei, pertinent tamen ad ueritatem naturæ indiuidui, ut de diuersa quantitate & statura proximè dicebamus: diuersa enim quodammodo est cõplexio & uirtus seminis ad progignendum masculum, quàm ad gignendum fœminam: & ideo sunt membra tam generationi quàm nutritioni fœtus diuersa.

Ratio conclusionis.

Ratio. 2. ¶Secundò, quia & ad naturam speciei illa diuersitas sexus spectat.

Ratio. 3. ¶Cùm enim species humana sit sectundùm indiuidua corruptibilis, quæ ideo non nisi per generationem propagatur & conseruatur, uterque sexus ad eius ueritatem & integritatem est requisitus: quare sicut in utroque instituta est nostra natura, ita & in utroque est restituenda.

Ratio. 4. ¶Accedit etiam & ratione fœlicitatis & infœlicitatis resurgentium nouum argumentum. Nam aliqua sunt merita ratione sexus: fœminæ enim, quæ in sexu tenero & fragili aut molestias carnis aut trucem tyrannorum rabiem perpessæ sunt, pulchrior rem inde palmam reportabunt, sicuti è conuerso maiora supplicia quæ in muliebri sexu ferocitatem & immanitatem uiri lem exercuerunt. Et super omnia intemeratæ uirgini, quæ Christum concepit & peperit, quis ambigat, quin sexus conditio sit in gloriam & laudem accessura?

Nuditas. ¶Neque uero nuditas quidpiam pudoris oculis offundet: nam si primos parentes ante peccatum nequaquam nudos esse pudebat, quanto magis in illo statu confirmatæ gloriæ, ubi nulla erit libido nec pudenda titillatio, nullus aderit pudor, sed Deum omnes de tam decora utriusque sexus pulchritudine laudabunt. Quapropter Christus Matthæi uigesimosecundo à Saducæis, qui resurrectionem negabant, interrogatus: illa, quæ septem fratrum fuerat uxor, cui esset tunc adhæsura, respondit, scripturas illos ignorasse; quoniam illic nullæ essent futuræ nuptiæ. Si autem nec sexus differentia illic esset reditura, id profectò Christus faciliùs respondisset: non autem negauit sexuum discrepantiam, sed eorum usum.

Matth. 22

¶Ad

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd quanuis fœminæ generatio sit præter intentionem naturæ particularis: scilicet, indiuidui generantis, quę non potuit semen ad perfectum perducere, est tamen de intentione uniuersalis naturæ: nempe, totius speciei, quæ ad sui conseruationem utrumque requirit sexum.

Obiectio. ¶Quòd si redarguas. Si illic uterque resurrecturus est sexus, consequitur, ut locum sit etiam habitura prælatio ut mulier sit subdita uiro. Negatur consequentia, quia mulier in hoc seculo subdita est uiro, propter imbecillitatem sexus & quantum ad uirtutem animi & quantum ad robur corporis. Illic autem nulla huiusmodi erit imbecillitatum; sed quò quisque merita habuerit per Dei gratiam cumulatiora, alterutrius fuerit sexus, erit alijs superior. Quanquam honesta charitas & reuerentia maritalis suum etiam illic splendorem habebit.

Dilatio.

Secunda conclusio. ¶Secunda conclusio. Potentiæ animalis uitæ: nempe, uirtus nutritiua augmentatiua & generatiua erunt illic absolutissimæ & perfectissimæ. Probatur, quia illæ, sicuti & sexuum discrepantia, sunt de integritate & ueritate naturæ. At uerò, ut contra illud mortalium genus, qui uentri dediti ad has fluxas caducasque uoluptates, quæ brutis nobiscum sunt communes, proni sunt, unum addamus uerbũ. Virtutes istæ nullum post resurrectionem sunt habituræ usum: est enim duplex naturæ nostræ perfectio: una naturalis, quam per naturales causas generali Dei influxu adiutas in hoc seculo natura cõsequitur, quæ ideo sagax natura, ut ad illum usum uitæ necessarium mortales alliceret, uoluptatem illis actionibus indidit. Altera uerò supranaturalis & perpetua: nam quanuis anima postquã creatur perpetua sit, corpus tamen nequit per naturam perpetuò durare: resurrectio igitur corporum non fiet in illa priori cuiusque naturæ perfectione. Dicere nanque quòd Deus debeat corporum uitam conseruare perpetuam eo modo, quo fluxa hæc nostra per alimenta conseruantur, ridicula opinio est.

Potiarũ uirtus illic actus.

Alimento non usus.

¶Illi ergo siue Saraceni sint siue alij ferri & agrestes homines, qui aiunt in altero seculo usum alimentoram fore & alia uitæ, non sunt digni quibus respondeatur. Aut enim alimenta illa & semina corrupti bilia erunt, aut incorruptibilia: si incorruptibilia, nutrire non poterunt, neq; semẽ aliquid generare: nam nisi granum frumẽti cadens in terram mortuum fuerit, nullũ fert fructum: & pariter nisi semen animalis putrescat, nequit inde aliud gigni animal: quare neque alimenta, nisi corrumpãtur, transeunt in substantiam aliti. Si autẽ illa semina & alimenta fuerint corruptibilia, nequeunt homines nisi corruptibiles gignere & nutrire. Quocirca nomen ipsum, æternæ uitæ, ubicunq; in euangelio extat, plane admonet nullis seminibus aut alimentis, quibus sustineatur, indigere. Sed non opus est pluribus aduersus huiusmodi hebetes homines agere.

¶Bene ergo Christus dementiam Saducæorum retundens ait, Erratis nescientes scripturas neque uirtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent neque nubentur, sed erunt tanquàm angeli Dei in cœlo ubi negans generationis usum, negat subinde & nutritionem & augmentationem, ex quibus semen redundat. Et subdens, ꝙ erunt sicut angeli in cœlo, naturam perpetuitatis explicat: quòd scilicet non erit terrena, sed cælestis & angelica: uidelicet, quòd sicut angeli suapte natura absque cibo & potu perpetui sunt, ita sint per gratiam & uirtutem Dei futuri sancti in cœlo, ubi nec seminatio est nec germinatio. Vnde Aug. 13. de ciuita. Dei ca. 20. & 22. Neque tales, inquit, futuri sunt sancti in cœlo, quales fuerunt primi nostri parẽtes ante peccatum: quoniam licèt tunc morituri non essent, erant tamen alimentorũ egentes, ut uitam alerent, & tandem ligni uitæ, quo à senio præseruati, in flore iuuentutis conseruarentur, quorum similium nulla erit indigentia in cœlo, neque uerò in inferno.

Saducæi.

Auguſt.

¶Per hæc alia dubitatio elarescit, si quis quærat, utrũm resurgentium corporibus restituentur qualitates primæ, ut calor, frigus, humiditas & siccitas. Respondetur. n. huiusmodi qualitatum binum esse usum. Requiruntur enim primùm ad corporum complexionem ac perinde integritatem, quã utique ratione in corporibus resurgentium redibunt, tam probotum quàm reproborum. Ossa enim siccióra sunt quàm carnes, & phlegma frigidius quàm sánguis & cholera calidior, & sanguis humidior. Rursus ex his conflantur qualitates secundæ:

qualitates primæ an debeant resurgere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dæ,ut color & calor,lene & aſperum,quæ ſunt qualitates tangibiles, ſicut color eſt uiſibilis. Et corpora reſurgentium tangibilia erunt & ſuis coloribus affecta. Legitur enim Lucæ.24.Chriſtum poſtquam reſurrexerat diſcipulis dixiſſe,Palpate & uidete,quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me uidetis habere. Alter autem eorũ uſus eſt, ut ſe mutuò ſuis contrarijs actionibus corrumpant,& perimant,quem quidem tunc uſum nequaquàm habebunt: nã corpora glorioſa,quippe quæ dote incorruptibilitatis fruentur, non ſunt uel forin ſecus uel intrinſecus paſſibilia. Corpora uerò damnatorum quàmuis ab externo igni pati poſsint,& frigore:tamen cum ſint etiam incorruptibilia,ut dixi. 50. uidebimus,non habebunt cõplexionũ alteritatẽ quæ cotruptionẽ corporum machinetur.

Lucæ. 24.

Nota. ¶Hinc fit qualitates huiuſmodi non fore tunc ſimplices,ut in elementis latitãt, ſed in ſuis complexionibus qualitatumque ſecundarum compoſitione commiſtas. Cũ ergo dicimus qualitates ſecundas in corporibus tunc fore, intelligitur niſi per dotes gloriæ impediantur. Haud enim patientur grauitatem ſubtilitatis dote impediente.

Obiectio. ¶Contra hanc autem qualitatum aſſertionem obijcere quis poſſet uerbum Augu. 22. de ciuit. Dei. ca. 23. ubi ait, quòd corpus tunc humanum dono cœleſti tale erit ut etiam cælo incolendo, non amiſſa natura,ſed mutata qualitate cõueniat: uidetur enim fieri inde conſequens, quòd ſicut in cælo nulla eſt primarum qualitatum, ita neque in corporibus glorioſis,ut loco adaptetur locatum. Reſpondetur,non eſſe mẽtem Auguſtini, quod illa corpora ſint reſurrectura cæleſtia,hoc eſt, ex natura cæli,alioqui non eſſent illi ueri homines, ſed quia reſurgent cum dotibus illis incorruptibilitatis & claritatis & ſubtilitatis,quæ ſunt cæleſtibus qualitatibus ſimiles eiſdẽque ſuperiores quibus beati donati poterunt ratione ſtatus in cælo uiuere, cui licet non per naturam, tamen per gratiam ſunt coaptati.

Dilutio.

comedere & bibere. ¶Poſtrema tamen ambiguitas in calce articuli exurgit,utrum reſurgentes in corporib. glorioſis uti poſsint hac aſiali uita, comedere ſ. & bibere & gignere. Diuus Auguſt. 22. de ciuita. Dei cap. 22. ait, q̃ ſi uelint, poſsibilitate nõ neceſsitate ueſci poſſunt. Et confert reſurgentes cum angelis, qui ut legitur Gen. 18. ab Abraham conuiuio excepti ſunt,& à Tobia,ut cap. 12. memoriæ proditum eſt. Imò & Chriſtus, Lucæ. 24. refertur,comedit, poſtquam ſurrexit, de fauo mellis & de aſſo piſce. Ad hoc autem reſpondetur cum D. Thoma. 1. pa. q. 51. art. 3. angelos propriè in aſſumptis corporibus nequaquam comedere:quia comedere eſt actus uitæ, & tamen angeli non inſunt corporibus ceu animæ, ſed adſunt ut motores, quare cùm corpora illa non ſint propria ipſorum, non poſſunt in propriam ſubſtantiam cibum conuertere, licèt poſſint illum ſumere & applicato extrinſeco calore illum corrumpere. Vnde Angelus apud Tobiam, Cùm eſſem, inquit, uobiſcum uidebar quidem manducare & bibere, ſed ego poculo inuiſibili & cibo utor. Et eadem ratione poſſunt incubi dæmones ſemen aliunde euectum in matricem emittere. Reſurgentes uero homines poſſunt uere comedere & bibere: quia habent animas corporibus coniunctas. Quare Chriſtus uere comedit. Imò poſſunt alimentum in ſubſtantiam corporis (ſi nudam eius naturam ſpeculeris)conuertere, atque adeò ſemen decidere & proles gignere. Tamen quia per dotem incorruptibilitatis,ut à corruptione præſeruantur, eadem ratione impediuntur ne quid poſsit in eorum ſubſtantiam conuerti. Quare quod Chriſtus dominus comedit, non in ſuum corpus, ſed in præiacentem materiam diſſolutũ emiſit. Dicitur aũt diſpenſatiuè Chriſtus comediſſe:hoc eſt, præter legẽ, quæ reſurgentibus corporibus nequaquam comedere:quia comedere eſt actus uitæ, & tamen angeli non inſunt corporibus ceu animæ, ſed adſunt ut motores, quare cùm corpora illa non ſint propria ipſorum, non poſſunt in propriam ſubſtantiam cibum conuertere, licèt poſſint illum ſumere & applicato extrinſeco calore illum corrumpere. Vnde Angelus apud Tobiam, Cùm eſſem, inquit, uobiſcum uidebar quidem manducare & bibere, ſed ego poculo inuiſibili & cibo utor. Et eadem ratione poſſunt incubi dæmones ſemen aliunde eu

Universidad de Deusto
Biblioteca

paradiso, neque communi lege ab inferno, neque à puerorum limbo possibilis sit exitus in perpetuum, nil tamen obstat, quominus, vt Hieron. aduersus Vigilantium, & 4. libr. dialo. Greg. autores sunt, ex omnibus receptaculis Deo id vel disponente, vel permittente animæ ad nos exeant, illuc tandem reuersuræ.

Cap. 2. ¶ Cum ergo certa fide docti locum quo animæ expurgantur confiteamur, negandum non

Cap. 110. & c. Tēpus 13. q. 2. est, vt ait in Enchiridio Augustinus defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificiū mediatoris offertur, vel eleemosynæ in ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam uiuendi modus nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat, & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum hæc vita transierit, adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam vel grauari. Nemo autem se speret, quod hic neglexerit, cum obierit, apud Deū promereri. Non igitur ista, quæ pro defunctis commendā dis frequentat ecclesia, illi apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est. Omnes enim adstabimus ante tribunal Chri 1. Corin. 5. sti, vt referat vnusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum: quia etiam hoc meritum sibi quisque, cum in corpore viueret, comparauit, vt ei possent ista prodesse. Nō enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Cum ergo sacrificia siue altaris siue quarumcunque eleemosynarū pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis propiciationes: pro valde malis etsi nulla

nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunque uiuorum consolationes existunt. Quib. autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio: aut certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. Cum ergo, ut 2. Machab. libr. scriptum est, sancta et salubris sit cogitatio p mortuis exorare, ut à peccatis soluantur, cura nobis semper pro mortuis gerenda est, vt idem August. libr. eiusdem tit. latè disseruit.

Cap. 3. ¶ Atqui quemadmodum illi iusti, qui à leuioribus reatib. purgantur, nostris egent suffragijs: ita & sancti qui diuino conspectu fruuntur, suis nobis orationib. opitulantur. Et enim cum Apostolus Romanos fratres per Jesum Christū perque spūs sancti charitatem obsecret, ut suis ipsum orationib. adiuuent, quis ambigat fœlices illos in diuinum consortium admissos et in charitate, qua nos dilexerant, confirmatos, pro nobis iugiter interpellare? Vnde Petrus in 2. cano. Dabo, inquit, operam & frequenter habere uos post obitū meum, ut horum memoriam faciatis Et de Hieremia. 2. libr. Machab. legitur, Hic est, qui Cap. ulti. multum orat pro populo et uniuersa sancta ciuitate. Quocirca & ad ipsos nos nostras orationes fundere tum Deo gratum est, tum & nobis commodum, iuxta illud Job, Voca Iob. ca. 5. ergo si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. Fuit ergo et de hoc Vigilantius hæreticus, qui orationes sanctis dirigendas negabat, quem Hieron. sanctis uerbis insectatus est. Enimuerò cum uisione illa diuinę substantiæ cognitionem omnium hauriant, quæ ad suum pertinent statum, credendum est illic nostras preces agnoscere. Ait quippe in lib. de orando Deū August. Angelis, qui sunt apud Deum innotescunt orationes nostræ, ut quodāmodo eas offerant Deo, & de his consulant, & quod Deo iubente implendum esse cognouerint, hoc nobis euidenter uel latenter reportent. Ob idque an-

Cap. 12. *gelus apud Tobiam, Cum oraretis, orationem uestram obtuli Deo. Imò uerò, nisi nostra culpa obstaculum obijciat, efficacissimæ sunt apud Deum sanctorum preces, quod Hieronymus aduersus eundem Vigilantium comprobat.*

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆ QUINTÆ, Quæstio prima, De receptaculis animarum post mortem.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm animabus post mortem receptacula sint assignanda.

AD plenam resurrectionis corporum notitiam nosse oportet de receptaculis animarum, tum quòd in de in iudicium euocãdæ sunt, tum quòd eodem post latam sententiam sunt cum suis corporibus remittendæ. Et ideo ante iudicij speculationem operæpretium fuit de eiusmodi receptaculis sermonem præmittere. At quoniam & illi, qui in purgatorio detinentur, nostris egent suffragijs, & qui in cælo existunt sancti suis nobis orationibus suffragantur, tres quæstiones præsens distinctio postulat: nempe, de receptaculis omnium, de suffragijs pro illis, qui purgantur, & de orationibus tam quas sancti pro nobis fundunt, quàm quas nos ad illos dirigimus. Primus igitur articulus est, utrùm receptacula sint animabus post mortem assignanda. Et arguitur à parte negatiua.

Partis negatiuæ argu. 1. Boetius in libro de hebdomadi, communis, inquit, animi conceptio est apud sapientes, incorporalia in loco esse: cui Augu. duodecimo super Gen. ad literam. cap. trigesimosecundo uerbis illis concinit, ubi interrogans, quò ferantur animæ corporibus exutæ: Cito, inquit, responderim, ad corporalia loca eas uel non ferri nisi cum aliquo corpore, uel non localiter ferri: subdit ait illico, animam non esse corpoream sed spiritualem: ergo ad locum corporeum non fertur.

2. Argum. ¶Secùdò arguitur. Si animæ separatæ corporeis locis deputarentur, id esset propter aptitudinem & coaptionem ad illum locũ sed animabus, cùm sint spiritus, nihil cum locis corporeis conuenit: ergo nullis locis recipiuntur.

3. Arg. ¶Tertiò. Si locis aliquibus adscriberentur, id præsertim ratione aut præmij esset aut supplicij, quo frui illic debent aut plecti: animæ uerò separatæ à locis corporeis nihil uel recipiunt uel patiuntur: ergo superflua eiusmodi sunt receptacula.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est illud secundæ Corin. decimo quinto. Si terrena nostra habitatio dissoluatur, domum habemus non manu factam conseruatam in cælis: ergo dissoluta animæ carnisque compagine, iustorum animæ, qualis erat Paulus in cælum recipiuntur, & eadem ratione iniquorum animæ detruduntur in infernum.

1. Concla. ¶Ad quæstionem, quæ digna est scitu, tribus conclusionibus respondetur. Primò autem circa nominis significatum notandum, quòd cum duplex sit animarum status, unus in hoc sęculo militandi, nempe, merendi & demerendi, & alter in futuro retributionem suscipiendi, triumphi aut supplicij, seculum hoc non dicitur receptaculum: quia non recipiuntur in eo animæ nisi in corporibus per creationem, sed loca illa, quibus exutæ corporibus excipiuntur, dicuntur earum receptacula. Quare receptaculum non est ad merendum, sed ad recipiendum retributionem pro præteritis meritis. Enimuerò quanuis spirituales substantiæ secundùm suum esse à corpore non pendeant, sed absq; illo subsistere possint, nihilominus, ut Augustinus tertio de trinita. & Grego. quarto dialogo. autores sunt, corporalia Deus per spiritualia gubernat: & ita substantiæ spirituales per conuenientiam quandam & congruentiam ad corpora adaptantur, atque adeò præstantiores ad sublimiora quemadmodum Philosophi secundùm

eundùm ordinem mobilium orbium substantias illis spirituales accommodarunt. Hac ergo ratione quanuis animæ corporibus nudatæ non deputentur corporeis locis, tanquam eorum formæ aut motrices, adaptantur tamen eis secundùm suorum meritorum dignitatem eo modo, quo plus Deo uel propinquiores sint uel elongatio res. Quapropter qualitate illorum locorum uel oblectantur, ut fœlices animæ nobilitate, sublimitate & splendore cæli: & infœlices uilitate abiectione & tenebrositate.

¶Sit igitur prima conclusio. Quinque ab orbe condito fuerunt animarum receptacula: scilicet, cælum empyreum, infernus, purgatorium, limbus puerorum, & limbus patrum. Enimuerò si finem, quò Deus, dum angelos hominesque condidit, propositum suum retulit contemplemur, non nisi unicum omnium receptaculum cunctis proposuit: nempe, cælum: nam has duas creaturas eo fine condidit, ut suam ipsius fœlicitatem eis in cælo impertiret, sed tamen per occasionem si forte à sua lege & uoluntate deuiarent, infernum præparauit, quò suos inimicos obtruderet. Et quoniam angelus primus fuit transgressor, ait Christus Matth. uigesimo quinto. Ignem æternum ab initio mundi paratum esse diabolo & angelis suis. Præterquàm quòd angelis reprobis, ut aliàs diximus, quos suorum erratorum pœnitere non potest, infernus destinatus est. Homines nanque etiam peccatores per pœnitentiam illum cauere possunt. Duo ergo hæc sunt extrema receptacula, alterum summa fœlicitate, alterum uero summa miseria plenum. Peccatum uerò primorum parentum tria nobis ostendit alia receptacula media. Nam cùm post illam præuaricationem cuncti mortales cum labe originali nascantur, neque ulli unquam, nisi per fidem Christi, patuerit salus, necesse est, ut paruulis, quibus citra usum rationis antequam eis eadem fides fuerit applicita, ab hac luce decedunt, neque in consortium filiorum Dei admittantur, neque uerò, cùm nullum actuale crimen commiserint, inter summos eius inimicos prorsus deputentur, decretus fuit limbus, ubi sic à regno exulent, diuinoque conspectu priuentur, ut tamen ignis inferni cruciatus non sentiant.

Rursus quia ingressus cæli nemini conceditur, nisi eo sit nitore, quem in baptismo susceperit, aut olim in circuncisione, aut simili in iure naturæ, ut scilicet sit quẽ admodum ad Ephes. ait Paul. non habens maculam neque rugam: scilicet, neque lethalem maculam, neque uerò uenialem aut ullius reatum pœnæ, sit ut non solùm inimici Dei ab introitu cæli prorsus excludantur: uerùm & amici dum perpurgantur, remorentur, quibus ideo purgatorius locus assignatus est. Tandem cùm ante peractam per Christum redemptionem nemini apertum esse potuerit cęlum, adhibitum est receptaculum quintum, quò patres tam legis naturæ quàm scriptę in amicitia Dei hic uita defuncti, postquam purgati essent, quasi in deposito recipientur, qui quidem locus & limbus patrum & sinus Abrahæ, ut illico explicabitur, appellatus est. Vnde Augustinus super Ioannem tract. quadragesimonono. Omnes animæ cùm de hoc seculo exierint diuersas habent receptiones: bonæ habent gaudium, malæ uerò tormenta. Sed cùm facta fuerit resurrectio & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corporibus torquebuntur.

Limbus patrum.

Nota. ¶Igitur ante Christi mortem quatuor tantùm fuerunt receptacula, quia in cælo nemo recipiebatur. Post eandem uerò passionem limbus patrum uacuus manfit, quoniam animæ inde in cælum translatæ sunt. Quare nec modo sunt nisi quatuor, siquidem pro illo limbo substitutum est cælum. Sed tandem post diem iudicij purgatorium quoque euacuabitur: quapropter non erunt deinceps nisi tria, eademque necessaria receptacula: nempe, cælum, infernus & puerorum limbus, uel qui cunq; fuerit locus, in quo recipientur, de quo distinctione quadragesima octaua dicemus. Ex quo fit nec purgatorium esse nec limbum patrum fuisse humanorũ corporum receptaculum.

Rõ quinarij numeri receptaculorum. ¶Quòd ergo numerus hic receptaculorum tum necessarius, tum etiam sufficiens sit, hac ratione colligitur. Anima, ut dictum est, in hoc seculo in statu est merendi & demerendi: corpus uerò egressa eo est loco excipienda, quem in corpore commeruit: igitur uel merita est perpetuum præmium, quod est hæreditas re-

gni cælestis, aut perpetuum exilium ab eodem regno: si præmium, tunc uel aliquod habet impedimentum, quo ab eius ingressu retardetur, aut nullum: si nullum, destinatum ei receptaculum est cælestis paradisus: si autem quodpiam habet obstaculum, aut est ratione personæ propter ueniale, aut mortalium reliquias, & tunc eius receptaculum est purgatorium, aut ratione naturæ, quia non erat redempta, & ideo olim adhibebatur limbus patrum: si uerò anima est in exilium relegata, tunc aut propter mortale crimen, & propter hoc obtruditur in infernum, aut propter originalem labem, & tũc recipitur in limbum puerorum.

Obiectio 1. ¶Quòd si contra arguas. Receptacula non sunt nisi ratione meritorum præcedentium præparata: non sunt autem nisi duo meritorum genera: scilicet, bonum & malum: & non est nisi unum receptaculum pro bonis: ergo non debet esse nisi alterum pro malis. Item. Non sunt nisi tria peccatorum genera, originale, mortale, & ueniale: ergo non debent esse nisi tria receptacula.

Obiectio 2.

Sol. primę obiectiõis ¶Ad primum respondetur, quòd cùm bonum, ut Dionysius quarto cap. de diuinis nominib. & Philosophus autores sunt, non nisi uno modo contingat, malum uerò multifariè, nihil mirum si pro bonis unum sit tandem finale receptaculum, pro

Solutio. 2. exulibus uerò sint plura. Ad secundum respondetur, quòd quia originali culpa potest teneri aliquis uel ratione personæ, quia non suscepit fidem, uel ratione naturæ, quia non fuit redempta, assignantur illi duo limbi.

1. Arg. ¶Sed alia in contrarium extremum obijciuntur argumenta: scilicet, quòd plura esse debeant receptacula. Primum, quòd si contingeret quempiam cum solo originali & ueniali peccato decedere, uidetur illius anima in nullo istorum recipienda: quia in purgatorium nullus recipitur, nisi qui inde euolaturus, sit in cælum: & in infernum, nisi propter peccatũ mortale, neque in limbum puerorum nisi ob solum originale.

2. Arg. ¶Secundò. Quia multi in hoc aere puniuntur tam damnati quàm qui purgantur, ut ex Gregorio quarto lib. dialogo. colligitur: quare iste aer debet poni aliud receptaculum.

3. Arg. ¶Tertiò. Sicut nonnulli in gratia decedentes, quibusdam sordescunt aut uenialibus aut mortalium reatibus, ita decedentes in peccato mortali solent complura bona opera hinc secum ferre, quæ in hoc seculo præstiterunt: ergo sicut designatum est purgatorium ubi priores purgentur signandum est aliud receptaculum ubi posteriores præmium suorum operum recipiant, ut suam illud obtineat axioma ueritatem, Nullum est malum, quod non puniatur, neque bonum, quòd non præmietur.

4. Argum. ¶Tandem. Sicut ante orbem redemptum patres à plena fruitione cohibebantur, ita & modò animæ à fruitione gloriæ corporum: ergo sicut tunc consignatus illis erat limbus, ita & nunc debet aliud receptaculum animabus adscribi, ubi sint antequã recipiant corpora.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum autem respondetur, possibile esse aliquem in originali cum solo ueniali uiuere: quia primum peccatum peruenientis ad rationis usũram non potest esse nisi mortale, si homo non se conuertat, ut D. Thomas autor est. Sed illo tamen admisso euentu respondetur, receptaculum illius animæ esse infernum: quoniam si uenialis culpa in ingressu purgatorij deletur, & pœna tam uenialis quàm mortalis delicti illic persoluitur, id accidit propter gratiam, in qua homo decedit: quoniam nisi culpa priùs per gratiã fuerit remissa, non potest pœna persolui. Quare qui cum originali & ueniali decederet, perpetuò in inferno pro illa culpa ueniali puniretur.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quòd etsi nonnunquam, ut loco citato ait Gregor. animæ separatæ in hoc nostro habitationis loco puniantur, hoc non est, quia iste sit locus lege communi destinatus ad supplicium, sed hoc fit uel propter nostram instructionem, ut earum cruciatus uidentes à delictis abstineamus, uel propter suffragia, quæ à nobis exposcunt. Et ideo nõ est hic noster aer inter receptacula computandus.

Sol. 4. arg. ¶Ad tertium respondetur, quòd summum bonum absque mistione alicuius mali esse potest, ut Deus: & ideo qui in eius consortium admittendi sunt, nihil debent mali admistum habere: quare conditus est purgandi locus. Malum autem non potest

potest tantum esse, quin habeat fundamentum in bono, saltem naturæ: in illis ergo, qui in delicto decedunt mortali, si considerentur tantum bonum naturæ, nihil eis supra naturam debetur, sed seruantur in suis naturalibus. Si uerò cõsiderentur opera bona, quæ per Dei gratiam fecerunt: quia tota ratio boni in eis, ex speciali auxilio Dei & diuina acceptatione inerat, ius per peccatum amiserunt, ut eorum retributionem reciperẽt: ob idq; tam opera illa quàm moralia ex obiecto bona, quæ in peccato exhibuerunt, nulla sunt digna remuneratione apud Deum, quæ propriè dicatur retributio. Sed nihilominus propter illa minùs habebunt in pœnis & mitiùs patientur. Non quòd pœnarum, quas meruerunt, quidpiam eis remittatur, nam secundùm mensuram delicti erit & plagarum modus: aut q uermis conscientiæ remittatur: nam & hoc ad pœnam attinet, ut dist. 19. q. 1. art. 5. explicuimus. Sed q, ut il lic dicebamus, per eiusmodi opera impediuntur in hac uita plura maioraque delicta, & fit ad bonum frequentior consuetudo: nam dum quis bene agit, non agit per peram. Et per opera in peccato mortali exhibita possunt impleri mandata quantũ ad substantiam, ut euitetur nouum peccatum. ¶Ad postremum deniq; negatur, similitudinem consistere: nam gloria animę est essentialis, & ideo patres, dum illa potiri non poterant, deponebantur in limbo. Gloria uerò corporum est animabus accidentaria, & ideo propter eorum defectum non debent animæ detineri, quominus in cælum euolent, ut art. 3. dicturi sumus.

Deute. 25.

Sol. 4. arg.

¶Postheæc ergo operæpretium est loca rimari, quibus hæc sunt receptacula. Igitur quo à supremo exordiamur, subiungitur

Secunda conclusio. secunda conclusio. Receptaculum fœliciũ animarum, in quibus nihil extat purgandum, est cælum. Conclusio hæc assertio est catholicæ fidei, quam negare esset hæreticum. Probatur non solum loco citato Pauli. 2. ad Corinthios. 5. quo asserit, domum æternam nobis in cælo ædificatam, uerùm & ex illo Matthæi. 5. Merces uestra copiosa est in cælo. Et Matth. 16. Tibi dabo claues regni cælorum. Et Ioan. 14. ait Christus, In domo patris mei mansiones multæ sunt. Vnde subdit, Ego uado parare uobis locum: & loquebatur de cælo, quo erat ascensurus. Et ad Colos-

Testimonia scripturæ. senses. 1. ait Pau. Cupio dissolui, & esse cũ Christo. Vnde. 4. dialogor. Gregorius infert, quòd cùm Christus sit in cælo, procul dubio & Paulus cum cæteris sanctorum animis est ibidem, quem quidem librum integrum exemplis refersit animarum defunctorum, quæ de corporibus exeuntes in cælum euolarunt: uel etiam ab angelis sunt deportatæ. De hac ergo ueritate ambigere nefas est. At uerò de cælo illo, quod sedes est beatorum, non est per catholicam ueritatem constitutum: sed tamen credendum est cum patribus uniuersis, esse cælum empyreum: nempe, decimum, omniumque supremum. Sunt enim, ut ab inferioribus inchoemus, septem Planetarum orbes, super quibus eminet octaua sphæra: putà, firmamentum, astris consitum & splendidum: cui superpositum est aqueum, quod ideo crystallinum appellant. Legitur enim. Gene. 1. Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis: diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum. Illudque iam nunc temporis asseritur esse primum mobile, quod tempore Aristotelis firmamento tribuebatur, quippe quòd tunc noua sphæra nondum philosophis innotuerat. Atqui cùm Aristot. & philosophorum reliqui orbes cælestes non nisi de motu perpenderint, neque nisi propter generationes & corruptiones horum inferiorum eorum necessitatem rimati fuerint, nullum cælum posuerũt immobile, sed primum mobile opinati sunt fuisse supremum. Et ideo ut D. Thom. 1 par. q. 66. art. 3. ait, cælum empyreum non inueniri positum nisi per autoritatem Strabonis, Bedæ & Basilij magni. 2. lib. hexameron, quod utique immobile & quietissimum atque ab omni motu & latione semotissimum adstruunt: nempe, ut aptissima sit beatorum sedes, & requies, altissimæ illi contemplationi accõmodata, quæ ab omni motu & mutatione longissimè esse debet exempta. Quocirca, ut idem ait Strabo, ubi dictum est, In principio creauit Deus cælum & terram, intelligitur non firmamentum, sed cælum empyreum, quod ubi primum fabricatũ fuit, spiritibus angelicis fuit repletum, ut illa esset inchoatio gloriæ, quæ postmodum hominum supplemento & consortio amplificanda erat & perficienda.

Cęlum empyreum.

Genes. 1.

Primũ mobile.

Cęlum empyreum.

Strabo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Empyreũ quare sicdictum.

¶Dicitur ergo cælum empyreum: id est, igneum, non quidem ab ardore, sed ab splendore, ut locus sit locatis aptissimus. Consistit enim beatitudo, ut distin. 49. uidebimus, in illa oculari Dei uisione & conspectu: qui summa gloriæ claritate beatos perfundit, amoreque rapit, ut immobiles tum contemplatione Dei, tum etiam claritate sint ei infixi, ut pace summa & tranquillitate fruantur. Quòd si contra utrãq; illius cæli qualitatem arguas. Omne corpus sensibile, ut 8. Physi. ait Philosophus, est mobile: illud autem cælum, si est, sensibile esse oportet: ergo mouetur. Rursum si lucidum est, cum omnes subtus cęlestes orbes sint diaphani & transparentes: quapropter per medios Planetarum orbes astra firmamenti nobis promicant, sequeretur, quòd cælum illud aerem hunc nostrũ perpetuo splendore noctu etiam illustraret.

Obiectio.

Dilutio.

Respondetur autem ad primum, axioma illud, omne corpus sensibile esse mobile, inde habuisse ortum, quòd Philosophi nihil sensibile nisi per motum cognouerunt, & ideo id, quod non moueretur, ociosum putabant. Neque intelligẽtias, nisi tanquam cælorum motrices agnouerunt. At uerò quia in consummatione mundi, quam ipsi gnorarunt, motus illi cælorum cessabũt, congruit ut ab initio supremum immobile crearetur, quod quietis aliorum esset exemplar. Ad secundum uerò respondetur, non esse lucidum per cõdensatam lucem, quam possit emicando foras emittere, ut sol, sed per subtilissimam tenuissimamq; claritatem gloriæ beatorum similimam, quam habet imbibitam. Quomodo autem post resurrectionem corpora ipsa glorificata illic exiitent, dist. 49 uidebimus, ubi de dote subtilitatis acturi sumus. Haud enim supra conuexum cæli erigentur in uacuo: quia uacuum nõ est corporum locus, sed intra ipsum cæli solidum cum quo se per dotem subtilitatis penetrabunt. Nunc enim interim de solis animabus, quæ spiritus sunt, agimus.

Dilutio. 2.

Tertia conclusio.

¶Tertia conclusio superiori similis. Infernum esse damnatorum carcerem fides catholica docet: quo autem loco sit situs nõdum tanta est certitudine compertum. Prior pars patet, quoniam inferni nomine damnatorum locum intelligimus, de quibus & Christus Ioan. 5. ait, Procedent, qui mala fecerunt in resurrectionem iudicij. Et Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. Et Matth. 11. Et tu Capharnaũ nunquid in cælum exaltaberis, usque in infernum descendes? Et Dauid Psal. 54. de impijs. Veniet mors super illos, & descendẽt in infernum uiuentes. Et Lucæ. 16. Mortuus est diues, & sepultus est in inferno: ut una habet lectio. ¶Quòd autem locus eius & situs non sit tanta cũ certitudine notus, patet tam ex Augustino. 20. de ciuit. Dei. c. 16. quàm ex Gregor. 4. lib. dialog. c. 42. qui id in dubium reuocant. Et August. arbitratur, hominem scire neminem, nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit. Gregorius uerò ait, quòd de hac re temerè definire non audet. Nonnulli enim, inquit, in quadam terrarũ parte infernum esse putauerunt (scilicet in superficie terræ) nempe in aliqua horrida ualle, aut in tenebroso aere. Alij uerò, ait ibidem Gregor. sub terra esse æstimant. Et hanc ipse sententiam libentiùs amplectitur. Chrysostomus uerò sermo. quodam. 19. de gehenna. ait, quosdam dicere illam esse in ualle Iosaphat: cõstitutam, ubi atrocissimum bellum olim gestum fertur. Sed tamen potiùs ipse credit, infernum & gehennam esse extra terrarum orbem. Scilicet, in aere caliginoso, ut alij uolunt. Quò alludere uidetur Paul. 1. Ephes. 6. dicens, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitię in cęlestibus. Idéq; ait autor imperfecti Homilia. 53. super illud Matth. 25. Proijcite eum in tenebras exteriores. In cuius alij confirmationem illud Iob. 18. commemorãt, Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum: quod de Antichristo Grego. enarrat.

Matth. 25
Matth. 11
Psalm. 54
Lucæ. 16.
August.
Gregor.
Infernus ubi.
Chrysost.
Matth. 25

¶Vnde sunt qui dicant esse in superficie terræ oppositа nobis uersus antipodas sub orbe tristi: & ideo respectu nostri dici infernum. Quo alludit Isidorus dicẽs, quòd post finem mundi Sol & Luna in ordine, quo creati sunt (scilicet in Oriente & Occidente) stabũt, ne impij in tormẽtis fruantur eorum luce. Si autem essent in uisceribus terræ, quocunque ordine luminaria sita essent, absconderentur eis.

¶Alij autem aiunt eodem loco corpora puniri, quo deliquerant, sic illud intelligentes Sapien. 11. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur, atque adeò in eodem loco. Ad quod referunt historias Greg. in 4. dialogo. narrantis animas aliquorum in balneis & alijs diuersis locis cruciari.

Sententia autoris.

¶Veruntamen ijs atque id genus alijs præmissis, profecto quanuis hoc expressa sacrę paginæ autoritate non connitatur, minimè ambigẽdum est, quin infernus sit subter terram. Imò adeò hoc est & autoribus & rationibus subnixum, quin uerò & sacris oraculis consonum, ut crediderim plus quàm temeratium esse id negare. Primùm enim nomen ipsum, infernum, id plane admonet. Sonat enim locum infimum, non quidem tantùm respectu nostri, sed simpliciter: infimus autem locus sub terra est. Vnde psalmo. 85. Liberasti animam meam ex inferno inferiori: ubi Grego. adnotauit, infernum quoque esse super terram, ubi animæ nonnunquam cruciantur, atque alium subtus. Quanuis potiùs credi derim solùm esse emphasim & epitheton inferni uocare eum inferiorem. Nisi maluis, ut infernus damnatorum dicatur inferior, respectu limbi patrum, qui est superior. Et Esaiæ. 14. Infernus subtus conturbatus est in occursum tui. Et super illud Ionæ. 2. Posuisti me in profundo in corde maris, ait glossa, quòd illic intelligitur infernus, pro quo Christus Matth. 12. dixit, quòd sicut Ionas fuit in uentre ceti tribus diebus, ita filius hominis erit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Infernus ergo in corde terræ est. Et Numer. 16. de Dathan & Abirõ legitur, quòd descenderunt in infernum uiuentes, eo quòd aperta terra eos absorbuit. Quò alludit Dauid psalmo. 54. Veniat mors super illos, & descendant in infernum uiuentes. Item Lucæ. 8. eiecti dæmones à corporibus obsessis rogabant Christum, ne mitteret eos in abyssum: scilicet, ne grauius illic torquerentur: abyssus autem profunditatem significat. Et simile illud est Apocaly. 19. ubi legitur de illis, qui adorauerunt bestiam, quòd ij missi sunt in stagnum ignis ardentis sulphure. Item Apocalyp. 5. quod Gregor. loco citato ad hoc propositum adfert, cùm signatum librum septem sigillis uidisset, ait, quòd nemo est inuentus dignus neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librũ. Et subdit, quòd omnis creatura, quæ in cælo est, & in terra & sub terra adorauerunt agnum, qui occisus est, & angelos, &

Nota.

Esai. 14.

Matth. 12.

Numer. 16.

Lucæ. 8.

Apoca. 19.

Apoca. 5.

uiuentes homines, & eos, qui sub terra degunt spiritus designaret. Quemadmodum ad Philippen. 2. ait Paul. In nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestriũ, & infernorum: quanuis damnati Christũ non adorant. Et Esaiæ. 7. Pete tibi signum à Domino, in profundum inferni, siue in excelsum supra.

¶Ad hæc limbus patrum sub terra fuisse censetur, quo patres antiqui descendere dicebantur, iuxta illud Gen. 44. de Iacob. Deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos. Quanuis Aug. 12. super Gene. cap. 34. de inferno peccatorum id intelligat, quod art. sequen. repetendum est. At uerò quanuis lib. 20. de ciuit. Dei, de inferno anceps fuerit, tamen hoc proximè citato loco ipsum sub terra delitescere affirmat. Primum quòd cùm animæ amore carnis deliquerunt, consentaneum sit, ut hoc eis exhibeatur, quod mortuæ carni exhiberi solet: scilicet, ut sub terra condantur. Deinde quòd illud sit animabus tristitia, & lætitia, quod corporibus grauitas & leuitas. Et ideo sicut electorum gaudio conueniens est empyreum cælum, sic & reproborum mœstitiæ & tristitiæ congruat locus sub terra infimus. Et quoniam illic sub disiunctione dixerat, sub terris dicuntur inferi uel creduntur, post modum lib. 2. retracta. cap. 24. ait, quòd potiùs debuisset docere, quòd sub terris sint, quàm rationem reddere, cur sub terris esse credantur. Illud uerò Lucæ. 16. Mortuus est diues & sepultus est in inferno, non sic legit illic August. sed puncto præposito: scilicet, Mortuus est diues, & sepultus est. In inferno autem eleuans oculos suos, &c. sed parum refert.

Limbus patrũ ubi sit.

Infernus quare sit subterra.

Ratio. 2.

August.

Lucæ. 16.

¶Præ his autem omnibus ponderat, quòd Christus, ut articulus Christianæ confessionis habet, descendit ad inferos, & ipse asserit fuisse in corde terræ. Et Paul. ad Ephes. 4. Qui ascendit, inquit, ipse est qui descendit ad inferiores partes terræ. Vnde Actuum. 2. ait Petrus, Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo: siue dolorum nomine intelligatur anxietas, quæ patres in limbo expectantes affligebat, siue purgatorius ignis, à quo, ut supra diximus, Christus fortè eos, q purgabãtur, eripuit. Cui applaudit loco proximè citato super Gene. August. Re uera his perspectius

Nota.

meditatis, non uideo quo modo negari queat infernum esse sub terra, qui idcirco Græcè Ταρταρος, profundissimus inferno rum locus dicitur, est enim Ταρταριζειν, cum tremore quodam obrigere, horrere, & expauescere. Quare omnia receptacula dicuntur tartara.

In centro grauitatis terræ. ¶Quinuerò quàm maxima sit probabilita te credibile existere in centro grauitatis terræ. Quod re uera Greg. loco citato sub his uerbis insinuat. Si idcirco infernus dicitur, quòd inferiùs iacet, quod terra à cælo est, hoc esse debet infernus à terra: id est, sicut terra centrum est respectu orbiũ cælestium, ita & infernus centrum est terræ. ¶Sed ratio præterea profectò id etiam Ratio. persuadet. Nam si beati & damnati meritis & præmijs è diametro distant, cõgruẽs est, ut loco sint etiam quàm maximè semoti & diuersi: cùm ergo beati sint in supremo cælo, fit ut damnati sint deorsum in puncto inde longissimè distanti: illud autem est centrum grauitatis terræ. Cùm enim non sit æqualiter undequaque ponderosa: nam qua parte aquas tangit, ponderosior est, & qua ususi nostro patet, leuior, non idem est punctum quantitatis mediũ & grauitatis. Hoc autem, quò grauia cuncta feruntur, maximè à lunari orbe remotum est. ¶Imò si à Philosophis sua placita Pythagoræ dogma. mutuari licet, Pythagorici Itali, ut 2. de Cælo & mundo tex. 73. ait Philosophus, in centro mundi aiebant, elemẽtum ignis inclusum, quem Iouis custodiam appellabant. Multa enim Pythagoras à Chaldæis & Aegyptijs, inter quos Hebræi commorati sunt, didicit, quæ suis Dijs adscripsit. Et poetæ omnes fabulãtur, in cauernis terræ subesse, ut apud Virg. lib. 6. Aeneid. qui Aeneam inducit ad inferos descendisse. Et Ouid. lib. 4. Metamor. Est uia decliuis funesta nubila taxo: Duxit ad infernas per multa silentia sedes.

Gehenna unde dicta ¶Illis ergo, qui putabant, infernum esse in ualle Iosaphat, propterea quòd campus ille patens dicebatur gehenna, & Christus infernum appellat gehẽnam ignis, respondetur, quia idololatræ filij Ennon illic dæmonibus filios sacrificantes igne concremabant, usu inter Hebrços fuisse receptũ, ut infernum appellarent gehẽnam, quod Iob. 18. est, uallis Ennon. ¶Illud uerò Iob cap. 18. Expellet eum de luce, & de orbe transferret eũ, Gregorius sic interpretatur, quòd Antichristus supremo apparente iudice de hoc mundo tolletur. Nam illud Christi, Proijcite eum in tenebras exteriores, non aliud significat, quàm tenebras, quæ sunt extra cælum: quare quò sub terra profundiùs abduntur, eo plus exteræ censentur.

Aliud arg. ¶Ad aliud de dæmonibus respondetur, quòd nõ sunt huic aeri, quo nos uiuimus, eò deputati, quo illic pro meritis sint puniendi: quandoquidem ad hoc deputatus est illis ignis æternus, iuxta illud Matth. 25. Ite in ignem æternum, qui paratus est uobis, &c. Sed sunt in aera tanquam in loco ad colluctandum nobiscum idoneo, ut Paulus significat, quod propter nostrum exercitium & meritorum augmentum permissum est. ¶Ad aliud tandem, quod aliqui aiunt, animas eisdem locis, quibus delinquunt, apud nos cruciari, respondetur, non posse constare: quoniam anima pro diuersis peccatis, quæ diuersis locis & temporibus commisit, simul punitur. Et secundùm illos deberet successiuè omnia loca discurrere. Præterea usu uenit, ut quam plurimi eodem loco diuersis temporibus delinquant: deberent ergo illic simul puniri. Sed de pœnis inferni minus probabilitatis habet: nam illæ sunt perpetuæ, & in hac uita non sunt sempiternæ pœnæ. Item quia affliguntur nũc animæ, ubi postea cũ corporibus torquebuntur: post resurrectio nem uerò non erunt hic damnatorum corpora. Neque Sapiens ait, quòd eodem loco, quo quis peccat, debet puniri, sed per quæ peccat: nempe per animam & corpus. Tametsi, ut ait August. ad pœnas portius huius uitæ id sit referendum, ut qui gladio perimunt, gladio pereant, & qui adulterantur, eandem in suo toro patiantur iniuriam. Igitur si aliquæ fortè damnatorum animæ in hoc seculo torquentur, illud est extraordinarium & accidentarium, & in tempus, nam tandem in tartara sunt recludendæ.

Obiectio. 1. ¶Alia uero obijciuntur argumenta. Primum de ignis natura. Nullum enim uiolentum esse potest perpetuum: ignis autem, quippe cuius naturalis locus sursum est, Lunæ proximus nequit sub terra nisi per uiolentiam detrusus esse: non ergo illic manere poterit perpetuò. Item contra loci capacitatem arguitur. Locus ille post resurrectionem uniuersa capturus est damnatorum corpora, quæ nulla erunt dote subtilitatis donata, sed unumquodque suum occupabit locum. Cùm ergo illa numerosissima sit gentium turba: quia ut Ecclesiastici. 1. legitur, Stultorum infinitus est numerus, fit ut locus ille esse debeat capacissimus, atq; adeo amplior & spaciosior, quã in illo centro terræ fingi potest.

Obiectio. 2. Ecclesi. 1.

Solut. primæ obiectionis. ¶Ad primum autem respondetur, quòd ignis illic non per naturam, sed diuinitus per ordinem diuinæ iustitiæ tenetur, neq; est purè elementaris: est enim sulphure mistus multoq; ardentior, propter antiperistasim terræ, qua undique cingitur. Nec tamẽ nutritur consumptibili esca: quoniam nec animas nunc, nec corpora tunc consumet. Et similiter respondetur ad secundũ, quòd uirtute diuina ab initio relictum est concauum in centro terræ, quod esset omnium damnandorum capax, imò insatiabilis, iuxta illud Prouerb. 30. Infernus, & os uuluæ, & terra, quæ nõ satiatur aqua: ignis uero nunquam dicit, sufficit.

Solutio. 2.

Pœnæ inferni. ¶Vtrùm uero infernus portis claudatur, & uectibus ferreis sit obseratus, uanum est percontari. Nulla enim est horum necessitas: quippe cùm absque huiusmodi impedimentis Deus uirtute sua potuerit illic miseros inuitos tenere. Sed per metaphoram ad significandum impossibilem esse inde regressum, dicitur infernus habere portas, ut in psal. 23. Attollite portas principes uestras. Et psal. 106. Eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & uincula eorum diruppit, contriuit portas æreas, & uectes ferreos confregit. Imò & hæreticos per quos infernus aperitur appellauit Christus Matth. 16. portas inferi. Dicens, Et portæ inferi nõ prœualebunt aduersus eã. Dicitur autẽ Christus erupisse uincula, ut educeret uinctos, quia ingressus ad inferos iniquis omnibus ultro patet, ut intrẽt, sed non ut exeant. Quod & ethnici cecinere. Vnde illud Maronis. 6. Aeneidos, Facilis descensus auerni, Noctes atque dies patet atri ianua ditis. Sed reuocare gradum superasque euadere ad auras, Hoc opus, hic labor est. ¶De modo autem, quo nunc animæ, & corpora sunt igne torquenda, nõ est hic locus disputandi propriùs, quo de solis receptaculis agimus, sed distinctione. 50. quæ de statu & supplicio damnatorum instituetur.

Obiectio. 2. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, Boetium & Augustinum solùm dicuisse spiritualia non esse in loco, modo nobis secundùm naturã consuetudo: id est, quòd loco circunscribantur. Quare anima non est in loco nisi per accidens ratione corporis. Sunt tamen in loco, modo nobis non planè manifesto: quia est supra naturam. Philosophi enim tantum intellexerunt, animam esse in corpore, & intelligẽtias admotas esse cœlestibus orbibus.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum autem respondetur per distinctionem secundæ præmissæ. Spiritualia enim non adaptantur loco, eo quòd aliqua qualitate cum loco conueniant, ut calida inuicem conueniunt: coaptantur tamen per quandam proportionalitatem & metaphoram, qua quidpiam à corporalibus ad spiritualia transfertur: ueluti solis nomen Deo transcribitur, eo quod sicut sol corporibus luminis & uitæ fons est, ita & Deus spiritibus. Hac ergo ratione animæ fulgore gratiæ illuminatæ lucidis corporibus adscribuntur, ueluti & illæ. quæ culpæ nubilo tenebrescũt, tenebrosis mancipantur. At quemadmodũ illic torqueantur dist. 50. uidebimus. ¶Vbi solutio tertij Sol. 3. arg. argumenti clarescet.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm purgatorium, limbus patrum & puerorũ loco cum inferno conueniant.

DVOBVS extremis receptaculis præstitutis, subsequitur ut de tribus medijs exploremus, an scilicet loco & situ conueniant. Et arguitur à parte affirmatiua primò de limbo patrum. Limbus enim ille dicitur sinus Abrahæ, quò mendicus Lazarus ab angelis portatus est: fuit autem in infernum ductus, ut habet glossa Iob. 30. super illud, Vbi constituta est domus omni uiuenti: ait enim Glossa, quòd infernus domus erat omnium uiuentium ante aduentum Christi, atque adeo illic erat sinus Abrahæ: cui consonat illud Genes. 44. Deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Item quia Christus dicitur descendisse ad inferos, & tamen non descendit, nisi ad liberandos patres. ¶Secundo arguitur, quòd limbus patrum non solùm sit idem, quod infernus, uerùm idem quod infernus damnatorum. Christus enim dicitur, infernum momor-

Partis affirmatiuæ argumen. 1.

2. Argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

momordisse, iuxta illud Oseæ.13. Morsus tuus ero inferne : mordere autem est partem capere:cum ergo Christus omnes sanctos patres eduxerit, & damnatos reliquerit,subsequitur sanctos patres fuisse partem inferni.¶Tertiò arguitur,quòd limbus puerorum & patrum idem sit:, atque adeò idem cum inferno. Pœna debet respondere culpæ : sed tam patres quàm pueri pro culpa originali detinebantur: quare & utrique pœna damni:scilicet,carentia uisionis puniebantur:ergo erant in eodem loco.¶Quarto de purgatorio arguitur.Eodem igne purgantur electi à reatu pœnarum,quem de peccatis contraxerant,& cruciantur damnati,nisi quòd horum supplicia æterna sunt, illorum uero temporalia:ergo in eodom sunt loco.

¶In contrarium tamen est, quòd diuersis meritis & pœnis diuersa accommodantur loca:damnati uerò in perpetuum pœna sensus cruciantur,& purgandi in tempus: pueri autem nullum percipiunt sensu dolorem:ergo loco distant. Præterea patres in limbo spe beatitudinis fruebantur, ergo eorum limbus à limbo puerorum loco differebat.¶Quæstio præsens, non mouetur,ut uel purgatorium aduersus Lutheranos adstruere hic meditemur, de quo superiùs dist.19.q.3.differuimus, & quæst. proxima uerbum unum repetemus. Neq; uerò de puerorum pœna locus est hic disputandi,utrum scilicet sola pœna damni,an uero pœna sensus crucientur. Id.n. lib.1 de natura & gratia c.14.diffuse tractauimus.De qua re Aug.uarie sentire uidetur.Sed supposita ueritate, quæ iam ab illo seculo receptissima est:uidelicet, duntaxat pœnam damni,hoc est, priuationẽ diuinæ uisionis pati,de solo loco & receptaculo hoc loco ambigitur, quod & Lutherani etiam negare contendunt, dicentes,originale peccatum etiam inferno dignum esse::imò nec per baptismum satis deleri,ut secundus eorũ articulus ad Leonem continet.Quod nos libr.1.de nat.& gratia cap.9.expugnauimus. Ad rem ergo ut redeamus, quæstio quatuor exigit conclusiones. Primum autem de nomine sunt qui putent,quatuor illa receptacula subter terrã generali nomine uocari, inferos,locũ uerò damnatorũ peculiariter uocari infernũ.At uerò certè infernus & inferi idẽ sunt.Paulus.n.ubi ait,Omne genuflectatur cælestium,terrestrium & infernorum,cunctos sub terra degentes insinuat. Nomen enim tam inferorum quàm infernorum,& pro personis ipsis:nempe, pro dæmonibus & hominibus subtus latentibus,& pro locis,in quibus abduntur,usurpatur.Infernus autem singulariter accipitur pro loco.Limbus uerò nomen græcũ est idem sonans,quòd gulosus & insatiabilis,& uorax.Quare & inferno quoque poterit accõmodari. Sed iã Theologorũ usu pro locis,ubi nulla est pœna sensus, sed tãtùm carentia diuinæ uisionis, usurpatur. Nec desunt qui putent limbũ seu puerorum seu patrum aliam esse concauitatem muro distinctam ab inferno, in qua sunt pueri & fuerunt patres. At uero D. Tho. hic art.2.eundem esse putat locum inferni,& purgatorij,& utriusq; limbi quantũ ad situm, licèt qualitatib. discrepent. Et certe est opinio longè probabilior.Et propter illas diuersas qualitates & distantias diuersa dicuntur receptacula.Atqui omnia illa subterranea loca plus minusue tenebrosa sunt.Et cùm tenebræ in imo loco sint,quo lux non penetrat, secundum tenebrarum gradus perpendit quisnam locus inferior sit,quisq, infimus ac supremus.Est autem lux duplex spiritualis:scilicet,gratiæ & gloriæ:quare tam priuatio gratiæ quàm gloriæ tenebræ dicuntur, quibus possunt & tenebræ infernalis ignis adhiberi.¶Igitur in damnatis tria sunt tenebrarum genera:sunt enim obducti tenebris gloriæ & gratiæ:& nonnulli etiam fidei & insuper cruciantur tenebroso igne pœna sensus.Sancti uerò patres perpurgati solis tenebris gloriæ eisdemq; in tempus usq; ad passionem Christi tenebantur.At uerò iusti in purgatorio binas tenebras patiuntur:scilicet,gloriæ & cruciantus ignis.Pueri uero non nisi tenebras gloriæ & fidei easdem tamen in perpetuum.

¶Ex his ergo colligitur prima conclusio huius articuli,quæ in uniuersum est receptissima. Limbus patrum supremus erat inter omnia subterranea receptacula.Propterea batur, quoniam illic minimum tenebrarum exittit:s.gloriæ:neq; enim illuc ignis inferni crucians pertingebat, neque spes gloriæ tollebatur:sed fide firma & spe illã præstolabantur.Et huc alludit illud Lucæ.c.16.Abrahæ ad epulonẽ diuitem,quẽ epulo eleuans oculos à longe uiderat. In his omnibus inter nos & uos chaos magnum firmatũ est. ¶De reliquis uero duobus:scilicet,purgatorio & limbo puerorum,nondum inter Doctores satis constat,quo ordine disponantur. Nam quidã, ut Palu.dist.præsenti.q.3.atq; alij, arbitrãtur,quòd saltem post diem iudicij pueri erunt in superficie terræ luce solis fruentes. De hoc tamen nonnihil sermonis dis. 48.redibit. Interim tamen negandum nõ est (asserente id Augustino in lib. de baptismo paruulorum,& refertur de cõsec. dist.4.can.Nulla præter) esse in perpetuis tenebris,atq; adeò sub terra. Videtur ergo ex una parte limbus puerorum esse inferior,tum quòd fide & amicitia Dei careant,tum subinde quòd in perpetuum à regno exulare debeant. Quam rationem D.Tho.secutus in 3.dist.22.quæst.2. art. 1.limbum puerorum sub purgatorio collocauit.Et hanc opinionem Ricard. dist. præsenti art.1.q.2.atque alij sequuntur. Sed ex altera uidetur purgatorium esse inferius', infernoq; damnatorũ proximum: nam qui pœnam sensus patiuntur,uidentur inferiùs subsidere,pueri nanque illius expertes sunt:imò uidentur eodem igne, quo damnati cruciantur,purgari. Quam utique rationem idem Doctor Sanctus amplexus in 4.dist.21.q.1.art.1.ait ,locũ purgatorij esse inferno damnatorum conIunctum,quia eodem igne purgantur. Et hac dist.præsenti.qu.1.arti.2.ait limbum puerorum & patrum secundùm situm eundem esse locum, nisi quòd patres sunt in loco superiori.¶Igitur cum D. Tho. atq; alij de hoc uarie fuerint locuti, statuitur tanquàm probabilior secunda conclusio. Infernus damnatorum infimus omniũ est locus uerò purgatorij illi superiùs coniunctus:limbus autem puerorum proximè superior,sed limbus patrum supremus.Duorum extremorum,scilicet inferni damnatorum & limbi patrum, ratio est plana. Sed quòd ordo hic purgatorii & limbi puerorum congruentior sit, atque adeo probabilior,uidetur ratio hæc modò tacta conuincere. Quicquid absque rerum multiplicatione satis intelligi potest,ut superfluam eandem multiplicationem respuit: potest autem & damnatorum cruciatus,& iustorum purgatio ab eodem igne commodè fieri: ergo superuacaneum est diuersos distinguere. At uerò si idem

Inferi,& infernus.

Nota.

Limbus.

Lux spiritualis duplex.

Tenebrarum tria genera.

1. Concla. Ratio.

Decisio articuli.

3. Argum.

4. Argum.

Pars negatiua.

Purgatorium limbus pueorum.

2. Thom.

2. Thalibi

3. Conclu.

4. Sententia

ignis utroq; attingit,necesse est loca esse coniuncta:nam si puerorum limbus interstaret,nequiret ignis ille pueros prætermittere,& remotiores ut ẽdo purgare. Ni si quis fingeret, puerorum limbũ ex una parte,& purgatorium ex altera medium infernum circumcingere,quod nullam habet ueritatis similitudinem. ¶Secundò idem ordo comprobatur:quia illo constituto facilè intelligitur quemadmodum ignis inferni in profundo damnatos discruciet,& sursum iustos compurget,& superiùs ad pueros non attingat, & multò minùs patres tetigerit : quare non opus est tunc diuersas cauernas fingere, ut interpositus murus ignem à limbis arceat, sed sint omnes quasi in eodem carcere.

¶Et tertiò inde idem ordo aptissimus apparet,quòd cùm duplex sit pœna: scilicet & sensus & damni, locus supplíciorum sẽ sus sit subtus,locus autem solius pœnæ dãni sit supra, & rursus uterque sit bipertitus: nempe, ut qui perpetuis cruciatibus sunt addicti, in ima Tartarorum abysso sint obtrusi, qui uerò temporalibus cum spe beatitudinis purgantur,superstent. Et pari modo in superiori loco pueri, qui diuino conspectu absq; ulla spe priuati sũt, inferiùs subsint:qui uerò patres cum certa spe beatitudinis potiundæ eiusdem cõspectus saluatorem præstolabantur, in supremo fuerint receptaculo.¶Quapropter ad argm̃ in fauorem alterius opinionis factũ rñdetur, quòd receptaculorum ordo non est perpendẽdus tam secundũ accidẽtariã differentiam , q̃ secundũ essentialẽ.Essentialis uerò est illa, quæ sumitur secundum pœnarũ genus: s.sensus & damni:& ideo illi sunt subtus,& isti suprà.Accidentaria uerò est illa , quæ sumitur secundum tempus.Et ideo in utroque loco illi,qui perpetuam patiuntur , sunt inferiùs,qui temporalem superiùs. ¶At nosse hic oportet quòd non cuncta infernorum supplicia eos,qui purgantur torquent, ut distin.50.monstrabitur, sed solus ignis cuius natura est purgare. ¶Quomodo autẽ hic inferiorum & superiorum ordo distinguatur,coniecturis explorandum est. Nã cùm à centro terræ quocunq; uersus fiat ascensus:nempe,ad superficiem, quæ rotunda est,appropinquatio: dubiũ est uersus quod punctũ cæli ascensio illa locorum sit consideranda.Et respondere possumus,

Ratio. 2.

Ratio. 3.

Solutio obiectionis.

Receptaculorum distinctio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus,quòd uersus orientem aut uersus angulum mediæ diei, quæ puncta sunt cæli præstantissima. Vel aliter fortasse dicendum,quòd cùm damnati sint in centro,in circulo quocunq; uersus sunt illi,qui purgantur: & superiùs quo ignis non attingit,sunt pueri,& in alio supremo circulo erant patres.

Vtrum unica sit cauerna.

¶Vtrùm autem una sit omnium cauerna nondum inter patres cõstitutum est, quia ex sacris literis colligi non potest, sed ex coniecturis. Atqui quantum ad nudas animas non est necessaria cauernarum distinctio:quia cum nulla grauitate deorsum ferantur,possunt in sublimi quasi in aere esse suspensæ. Post resurrectionem uerò, quia damnatorum corpora nulla erunt agilitate dotata,cuncta ferẽtur ad centrũ: quare tunc si cauerna est in imo cẽtro terræ necesse est dicere,quòd erunt congesta & aliud super alio conglomerata ad centrum,& ut in aceruo lapides,compressa,saxorum instar,quæ in camino ignis exuruntur,ut fiant calx. Portentosa miserorum calamitas,altissimaque meditatione exhorrenda. Nisi fortè Deo aliter disponente ita sint corpora illic pendula,ut inuicem non se tangant. Qui autem dicere uoluerit fore tunc in pauimento iacentia,necesse est dicat,cauernæ illius concauitatem non esse circum centrum:nam aliàs illuc corruentia corpora coaceruaren tur,sed citra centrum. Et tunc distinguenda esset alia cauerna, quæ esset puerorum cum suis corporibus receptaculum. Nisi fosan supra terram sint deinceps habitaturi,de quo distinctione. 48. rursum dubitabimus.

1. Arg. ¶At uerò contra id, quod de limbo patrũ dictum est,arguitur. Limbus patrum idẽ est,quod sinus Abrahæ,ut Lucæ. 16. admonemur,ubi legitur,quòd mortuus Lazarus portatus est ab angelis in sinum Abrahæ: sinus autem Abrahæ etiam nunc perseuerat:ait enim Augu. 9. lib. confessionum de Nebridio,amico suo, quòd in sinu Abrahæ uiuebat: nunc autem nemo purgatus descendit ad inferos: ergo non fuit illic limbus patrum.

2. Arg. ¶Secundò idem August. 12. super Gene. ad literam.cap. 33. ait, nondum inuenisse inferos appellatos ubi iustorum animæ requiescunt:& inferiùs subdit, Nec mihi occurrit inferos alicubi in bonum posuisse scripturam canonicam:limbus autem Abrahæ in bonum sonat, ubi iustorum animæ requiescunt:ergo nunquàm fuit sub terra.

Tertia cõclusio.

¶Ob hoc ergo statuitur tertia conclusio. Sinus Abrahæ est quicunque locus, quo animæ compurgatæ requiescũt, qui ideo per se paradisus cælestis est: accidit tamẽ ei ante orbem redemptum,ut esset sub terra. Nomen enim hoc, sinus Abrahę,ex fide Abrahæ originem duxit. Nemo enim post peccatum Adę, ut creberrimè diximus,nisi per unius fidem Christi seruari potuit,iuxta illud Actuum. 4. Non est aliud nomen datum sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. Primus autem mortalium,cum quo Deus de mysterio uenturi Messiæ tractauit,fuit Abraham, qui pollicitus fuit,in semine suo omnes gentes benedictionem susceptur as:& quia in senectute sua & uxoris iam effœtæ id credidit fidei laudem meruit, iuxta illud Gen. 15. Credidit Abraham Deo,& reputatum est illi ad iustitiam,quod ad Roma. 4. refert Apostolus. Ob idq; characterem circuncisionis accepit, quæ erat signaculum & professio iustitiæ fidei,atque adeò nomẽ hæreditauit,uti ait Apostolus, ut esset pater omnium credentium & quia patris est filios in sinu suo fouere & protegere, sicut gallina sub alis suos complectitur pullos,inde sinus Abrahæ, ut eodem lib. ait Aug. locus ille,quicunque sit,censetur:ubi nitore fidei & charitatis sine macula & sine ruga splendentes requiescunt. Et quoniam ante Christi mortem, quando pretium redemptionis solutum non erat, nemo in cælum recipi poterat, sinus ille, quo iusti recondebantur ab Hebræis apotheca & custodia iustorum dicebatur,à Christo autem appellatus fuit sinus Abrahæ,ut fidem significaret, in cuius uirtute seruabantur. Itaque limbus ille bifariam est considerandus:nam quatenus spe certa patres illi recreabantur possidendæ regni hæreditatis sinus Abrahæ appellabatur,sed quatenus aliquid eis requiei deerat,quia nondum uisione Dei fruebantur dicebatur limbus inferni.

Sinus Abrahæ.

Dubitatio.

¶Quapropter hæsitare quis posset,utrùm carentia illa uisionis diuinæ aliquatenus eos affligeret. Respondetur,negari non posse,quin ex natura rei:nempe, desiderij, quo ardebant aduentus Messiæ, per quem erant in possessionem hæreditatis mittendi,afflictarentur. Sed tamen certè spes, quam suæ fœlicitatis habebant,& præterea quia cognoscebant secundùm diuinam dispositionem, quæ omni est æquitate plena,cuique suam habebant uoluntatem conformem,aduentum domini non tardare,diuina consolatione eandem afflictionem,uel repensabant, uel cohibebant. Vnde illa suspiria,ut cæli iustum rorarent,& quòd Deus cælos inclinaret, & descenderet,& similia, non tam afflictionis erant indicia,quàm firmissimæ spei & ardentissimæ charitatis. Igitur post Christi mortem,resurrectionem & ascensionẽ sinus Abrahæ cælestis paradisus est, quæ nomen propter dignitatem fidei retinet. In quo sensu ecclesia in defunctorum exequijs Deum precatur,ut eos in sinu Abrahæ suscipiat. Atque illic August. suum putabat esse Nebridium. Et in sinu Abrahæ ait,animas sanctorum expectare resurrectionem,per quam sua recipiant corpora.

¶Ex quo sit tandem consequens, sinum Abrahæ significare per se locum, in quo Deus facie ad faciem uidetur:nam uisio illa est merces fidei Christi, quam professus est Abraham. Fuit nihilominus eidem Abrahę sinui ante Christi mortem accidentarium,ut tunc illa uisione non illustraretur. In illis uerò quadraginta diebus inter resurrectionem & ascensionem interiectis sinus Abrahæ erat in superficie terræ,ubi animæ illæ beatæ Deum uidebant,iuxta uerbum Christi ad latronem, Hodie mecum eris in paradiso. ¶Vnde ut ad Augustinum respondeamus,quando dicit,inferos non appellari ubi iustorum animæ requiescunt,neque in bono usurpari, intelligit ea ratione, qua inferi & limbus significant. non quidem quietis rationem, sed quietis defectum. Nihilominus accidẽtariè fuerunt coniuncta infernus:id est,locus sub terra,& sinus Abrahæ. Sic. S. Th. respondet & alij:quanuis mens illic Aug. non sit satis liquida. Fortasse nanque aliquando ea fuit imbutus opinione (quam pòst deseruit) ut art. proximo uidebitur, quod animæ non euolent in cælum usque ad diem iudicij,sed sint etiam nunc in limbo qui non erat nec est subter, sed super terram. Et idcirco ait de sanctis patribus nunquam esse assertum,descendisse ad inferos tanquàm ad sinum Abrahæ: quare illud Gẽ. 44. de Iacob, Deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos, de loco damnatorum intelligit. Videtur enim, inquit,hoc magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, ut non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorũ: quæ reuera interpretatio non est nisi docta. Quare & eodem pacto illud Iob. 17. intelligi potest,In profundissimum infernum descendent omnia mea. Tametsi & de limbo patrum ratione supra dicta intelligi possit,quem insinuauerat dicens, Infernus domus mea est. Vnde subdit, Putasne saltem ibi erit requies mihi? quia illic in limbo non erat plena. ¶Ad primum igitur principale argumentum respondetur,concludere, quòd loco & situ limbus patrum & infernus idem sunt: nempe,sub terra:& quod probabilius duximus, in eadem cõcauitate. Sed nihilominus limbus patrum est in suprema parte, quò ignis infernus non attingit. ¶Ad secundum commune ferè omnium responsum est, sic intelligentium articulum fidei de descensu Christi ad inferos,quòd non descenderit nisi usque ad limbum patrum, & quia illos inde eduxit,dicitur infernum momordisse, accipiendo infernum pro omnibus simul receptaculis, quorum pars erat ille limbus, qui relictus est uacuus: nam nec de limbo puerorum,nec de inferno damnatorum ullum excepit. Et sic intelligitur illud Zachariæ. 9. Tu uerò in sanguine testamenti eduxisti uinctos de lacu. Neque uerò,ut communis habet opinio, de purgatorio quempiam eripuit,nisi illos, qui secundùm diuinam iustitiam essent purgati. Aut illos,ut 3. par. q. 52. art. 8. ait S. Th. qui dum uiuerent,per fidem & deuotionẽ ad mortem Christi,meruerunt ut illuc descendente liberarentur. Et reuera si rigorem iustitiæ Dei speculemur, ita dicendũ est. Nihilominus profectò, ut superiùs dicebamus, nihil absurdi dixisse uidebitur qui dixerit, ex singulari priuilegio tunc Christum inde omnes liberasse,idque uirtute suæ passionis:nam si eadem uirtute, qua indulgentiæ pontificiæ modò nituntur,propter aliquod celeberrimum factũ aut festum conceduntur indulgentiæ, & nonnunquam liberationes animarum à purgatorio,nil mirum si in tanta festiuitate,quantam tunc inferis præsentia Christi attulit, libertate omnes donarentur, quæ

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

De purgatorio qui fuerint liberati.

Sniæ autoris.

qui filij Dei erant. Et uidetur sententia Augustini loco citato. 12. super Gen. cap. 33. ubi ait, Christi animam descendisse usque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, quos esse soluendos occulta sua nobis iustitia indicabat. Quo sensu intelligit iliud Petri Actuum. 2. Quem Deus suscitauit ex mortuis solutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis. Et eadem uidetur sentētia Damasceni, in sermo. de fideli. defun. ubi ait, quòd eduxit omnes illos, qui in fide formata discesserant. Atq; hoc pacto efficacior intelligitur morsus, quo infernum momordit. s. ut ex quatuor receptaculis duo euacuauerit.

Sol. 3. arg. Sed hoc iudicio prudentium committitur, dum ecclesia aliud non definit. ¶ Tertium argumentum solutū restat, ubi cōcessimus ambos limbos esse in eodem loco,

Sol. 4. arg. extra ignem tamen, licèt ille puerorum sit ordine inferior. ¶ Et pari tandem proportione solutum restat & quartum.

ARTICVLVS III.

Vtrùm statim post mortem quoruncunq; animæ in istorum aliquem locorum deducantur.

HOc ordine receptaculis dispositis quæritur de modo, quo illuc animæ ingrediātur, & arti. sequ. de modo, quo exeant. Quæritur ergo utrùm eodem momento, quo anima corporis ergastulo liberatur, ad suum deducatur receptaculum. Et arguitur à parte negatiua. Anima, ut 1. de anima tex. 49 & subseq. autor est Aristot. cùm sit actus

Partis negatiuæ argum. 1. corporis, per se de loco ad locum non mouetur, sed per accidens ad motum corporis: quemadmodum idem ait Philosophus quòd motis nobis mouentur ea, quæ in nobis sunt: ergo anima separata moueri localiter non potest, quandoquidem localis motus à corpore pendere uideatur: unde colligitur, quòd anima exuta corpore si non portetur, ad nullum ualeat receptaculum commigrare: quòd autem portentur ab alijs non est necesse. ¶ Secundò. Videntur, iustorum animæ, in quibus nulla reatus macula purganda existit, in nullum protinus receptaculum euolare: nam

2. argum. si in aliquod euolarent, illud esset cælum: quòd autem illuc non ferantur, uidetur sentire Aug. in glossa super illud Psalmi. 36. Adhuc pusillum & nō erit peccatum, dicens, quòd licèt sancti liberentur in fine uitæ, post hanc tamen uitam non ibi erunt, ubi erunt sancti, quibus dicetur, Venite benedicti patris mei. Et in Enchirid. cap. 109. (quod refertur. 13. quęstione. 2. can. Tempus) ait, Tempus quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionē interpositum est, animas abditis receptaculis continet: sicut quæque digna est, uel requie, uel ærumna pro eo, quod sortita est in carne dum uiueret.

Pars negatiua. ¶ In contrarium tamen est, quod de iustis ait Paul. ad Philippen. 1. Cupio dissolui & esse cum Christo: ex quo Grego. 4. dialogo. infert. Qui ergo Christum in cælo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cælo negat. Et de damnatis habetur Lucæ. 16. Mortuus est diues & sepultus est in inferno. ut uulgo legitur.

Anima separata mouetur localiter. Partis negatiuæ argum. ¶ Quæstio in duobus argumentis tres conclusiones deposcit. Primo enim argumento quæstio submouetur, utrùm anima separata per se moueatur localiter, quę profectò quæstio non est contemnenda: nam cùm unicuique rei actiones iuxta naturā suam congruant, & anima non sit per se suppositum, sed forma suppositi, quanuis anima separata possit per se intelligere, & uelle, quia illæ sunt actiones à corpore non dependentes, non tamen posse uidetur secundùm locum moueri, eo quòd motus localis corporalis sit. ¶ Et secundo 2. Arg. arguitur, quia si anima moueretur secundùm locum, deberet moueri successiuè secundùm tempus nostrum quemadmodū mouetur in corpore: nam dicere quòd mouebitur secundum angelorum instantia, quæ non sunt nostri temporis, esset concedere eidem rei duos diuersissimos motus à loco & tempore pendens. ¶ Tertiò. 3. Argum. Si anima separata se ipsam mouere ualeret, cōsequens fieret, ut posset subinde mouere corpus, quemadmodū angelus, postquā est pariter spiritus, cui corpora subsunt: consequens tamen ostendit falsum, D. Tho. 1. par. q. 117. art. 4. quia ob id, q suapte

suapte natura est actus corporis, non habet nisi unicum determinatum medium ipsum mouendi: scilicet, animando & uiuificando: quare nec membrum mortuum dū est in corpore mouere potest, neque corpus egressa potest suum mouere cadauer.

1 Conclu. Item consequeretur quod posset dum uelet corpus relinquere & abire nuda.

¶ Certè argumenta non sunt despicanda, nihilominus constituitur prima cōclusio. Anima separata potest se ipsam localiter mouere. Conclusio in sententia Aristotelis non potest planum fundamentum habere, eo quòd de anima separata nunquā fuit clarè locutus, neque præter intelligere & uelle de aliqua eius actione tractauit, nisi in corpore. Probatur tamen hac ratione. Anima, ut dist. 43. art. 1. monstrauimus, est per se subsistēs: nempe, natura sua potens separata subsistere, cui tunc intelligere & uelle competit: demus ergo prēter legem animam sine culpa & gratia à corpore separatam, ut si homo in puris naturalibus conditus moreretur: qui negaret animam se posse mouere, fateri teneretur, quòd eodem loco, quo corpus egreditur, deberet perpetuò manere: consequens tamen uidetur absurdum, nam posset illa anima alia à se distantia loca agnoscere, ac subinde appetere: cùm ergo suapte natura corpore non indigeat, ut sit, uidetur eadē natura ei tribuisse, ut possit de loco in locum migrare. Adde quòd cum Aristoteles illa animalia, quæ de loco in locum se non possunt conferre, ut conchilia, imperfectissima esse dixerit, non est animæ, cui perfectissimam uitam natura tribuit, illa denegāda mouendi facultas.

Animalia imperfectissima. Ratio. 2. ¶ Secundò id probatur. Animæ separatæ possent gregatim uitam ducere, & Rēpub. suo ordine gubernare: possent ergo moueri, secundùm quod earum prudentia dispone ret, possetq; unaquæque incommodum fugere, si in uno loco ei immineret, atque adeò inde fugiendo recedere.

Ratio. 3. ¶ Item, Anima uirtutem motricem uiuenti corpori impertitur, ueluti alia quæcunque uitæ opera: ergo postquam motus localis non repugnat spiritui separato, non est cur non eandem uirtutem separata retineat mouendi sese.

Ratio. 4. ¶ Ad hæc, ut ar. subseq. uidebimus, animæ separatæ possunt de suis receptaculis exire, & uuis apparere, ut Augu. lib. de cura pro mort. gerenda & D. Tho. 1. par. q. 89. artic. 8. ait: ergo possunt localiter moueri: nam si dicas id non posse, nisi Deo eis supranaturalem uirtutem tribuente, non est necessarium. Præsertim quod tunc sequeretur, animas damnatas non posse à tartaris exire, quod nulla ratione conuincitur.

Sol. 1. arg. ¶ Ad primum igitur argumentum in capite quæstionis propositum respondetur, ob id quòd anima sic est actus corporis, ut tamen sit per se subsistens, ei conuenire non solùm corpus mouere, uerùm & se ipsam

Sol. 2. arg. separatam. Et pariter alia soluitur ratio, qua obijciebatur, animam non esse suppositum, satis enim est p se subsistere, ut mouere se ualeat. ¶ Vnde ad aliud respondetur, non moueri tunc ea successione, quæ tempore nostro mensuratur: ille enim motus à corpore pendet, sed secundùm tempus angelicum, cuius instantia possunt esse immediata: ita ut possit in hoc instanti anima esse in hoc loco, & in altero sine medio tempore esse in alio loco: quemadmodum de angelis ait S. Tho. 1. par. q. 53. ar. 3. Neque obstat postquam habet naturam quodammodo duplicem, ut scilicet

Sol. 3. arg. sit actus corporis, & præterea per se subsistens, quod habeat duos illos mouendi modos. ¶ Ad postremum respondetur negata

Sol. 4. arg. consequentia: non enim si se animæ separatæ possunt mouere, sit cōsequens, ut mouere ualeant corpora. Enimuero angeli, quia sunt substantiæ spirituales, quorum uirtutes nō determinantur per respectum ad corpus, habent ut corpora quæcunque obedientia eis sint in locali motu: animæ uero non habent uirtutem motricem corporum nisi determinatam ad certa corpora, & certum modum: & ideo nequeunt illa nisi uiuificando mouere. Et multominus consequitur, ut possit dum ei libuerit corpus egredi illudq; relinquere: quia cū sit actus corporis, sicut non potest illud ingredi nisi per generationem hominis, ita nec potest abire nisi per eiusdem hominis corruptionem. ¶ Contra hanc autem definitionem militare uidetur illud Lucæ. 16.

Locus Lucæ. 16. Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ, quo uerbo docemur, angelos animas defunctorum deferre: unde uidetur subsequi, quòd non ipsæ se ipsas moueant.

2. Conclu. ¶ Ad hoc per secundam conclusionem respondetur: Animæ defunctorum non quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem necessitate, eo quòd in sua receptacula conferre se ipse nequeat, sed alijs de cælis deferuntur uel ab angelis uel à dæmonibus. Et primo, ut à iustorũ animabus exordiamur, quæ nihil habent purgandum, sed cum innocentia baptismali absque macula & ruga, à corporibus liberantur, nullã habent necessitatem, ut ab alijs spiritibus euehantur, sed ipsæ uolare possunt.

Nota. ¶Ad intellectum autẽ huius & subsequentium conclusionum adnotandum eodem momento, quo anima corpus exuit, eodẽ loco iudicari: nã illas, quæ uel inferno uel purgatorio uel puerorum limbo sunt adigendæ, non est putandum in cælum ad tribunal Christi prius aduolare, ut sententiã audiãt, sed ex corporibus rectà in sua quęque receptacula mittuntur: cùm ergo missio illa sit iudicij sententiæq; executio, & sententia debeat executionem antecedere, tãquam causa effectum: iuxta illud Matthæi. 25. Quia dedistis mihi manducare, ite benedicti, & quia non dedistis, ite maledicti: consequitur ut eodem protinus loco, quo quæuis anima à corpore expiratur, iudicetur. Fit autem iudiciũ illud mentaliter, reuelatur, inquam, cuique animæ, idq; uirtute Christi aut per angelum custodem, aut certè per infusionem specierum aut cognitionis quo statu quibusq; meritis decedat, adiecta sententia, quam indè statim anima exequi pergit. Et quia ista iudicij reuelatio fit uirtute & autoritate Christi, cui datũ est iudicium facere, quia ut ipse ait Ioan. 5. Pater non iudicat quẽquam, sed omne iudicium dedit filio, in morte cuiusque dicitur idem dominus illuc aduenire. De quo aduentu ait Matth. 24. Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus uester uenturus sit, ut bene illic adnotauit Abulensis quæst. 239. Non quod corpore illic adsit, sed uirtute & effectu. Quẽadmodum dicitur uenire in cor nostrum dum illud suo nomine tangit.

Animæ in dicium mẽtale.

Animæ iustorũ illico in cælum euolant. ¶Igitur, ut ad conclusionem reuertamur, iustorum animæ nihil purgandum habentes per se illico possunt in cælum euolare, quia nec facultas eis deest, ut dictum est, mouendi se, neque loci, quo ituræ sunt notitia, & uiam quoque sciunt: nam postquã in ipso exitu corporum iã sunt beatæ quicquid ad earum beatitudinem attinet, illico nouerunt, alioqui nõ essent perfectè beatæ: & quando id non per se nossent, per iudicij sententiam agnoscerent. Præterea auditas eos tenet ingentissima in cælum euolandi. Adhæc & summa obedientia obtemperandi Christo. Quare sola eius uoluntas & iussio sufficeret, ut citissimè illuc se raperẽt. Nihilominus angelico ministerio euehuntur honoris gratia, & præsertim unaquæque anima à suo angelo custode eleuatur, quam Christo quasi suo munere functus osterat. Deinde & secundùm meritorum cuiusque cumulum illic angeli aduentãt, ut de diuo Benedicto, Antonio & Martino Gregorius atque alij referunt: nã tanta est angelorum erga Dei seruos, sibiq; adeò conseruos charitas, ut non tantùm in cælo eos præstolentur, sed moriẽtibus adsint, & eorum animas tanquam Christi sponsas ad eius thalamum deferant, & tãquam uictrices ad triumphum deducant.

Angeli animas in cælũ euehũt.

Gregor.

¶De damnatis uero diuersa est ratio: nam etsi per latam sententiam mentẽ nouerint cui sint carceri mancipandi, tamen neque oportet eos uiã scire, neque adnuunt, imo renuunt horrentq; illuc ire. Neque sunt audici obedientes, ut eius iussa capessant, sed odio & rebellione recalcitrant. Quare nõ sufficeret illas animas uerbo mittere, nisi aliqua Dei potestas illas surriperet, instar secularis iustitiæ, quæ per suos ministros, reos in carcerẽ trudit. Præterquam quòd potestates illæ tenebrarum adeò sunt animas torquendi cupidæ, ut etiam si non iuberentur, sed tantùm permitterentur, eas de corporibus egressas illico surriperent. Quare certũ est illas proripere, & secum importare.

Animæ damnatorũ demones rapiunt.

¶Atque idem est de puerorum animabus sine baptismo decedentium, quanuis non permittantur dæmones tam truces & feri eas rapere: quia nunquam se per propriam uoluntatem illis submiserunt, sed tanquã executores sententiæ aduersus Adam latæ, & illius Christi, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non non intrabit in regnum cælorum, illas, ut conijcitur, ad limbum adsportant, ubi illas relinquunt: quia cùm non debeant illas torquere, non est cur illas sua præsentia molestẽt.

Aiæ puerorũ sine baptismo obeunt.

¶De illis uero, quæ purgatorio deputantur, medio modo dicẽdum. Sciunt, inquã, in quem sint locum adigendæ. Et quanuis tormentorum conditio eas absterreret, ut ire illuc renuerent, tamen quia obedientes sunt diuinis mandatis, & sciunt ad patriam,

Aiæ purgatorio deũ natæ.

triam, cui destinatæ sunt, non posse nisi per purgatorium transeuntes peruenire, absque alio spiritu, qui eas importaret, sua sponte irent. Vero simillimum tamen est ab angelo saltem custode illuc deferri: tũ quia angelus animam uiam ignorantem duceat, tum ut sua consolatione amicam confortet. Vt solent eos amici, qui in supplicium rapiuntur. At uero chorus angelorum, qui solet sanctas animas in cælum comitari, non creditur eas in purgatorium deducere: quoniam iubilus ille angelicus solis purgatis debetur. At in purgatorio angeli animas non cruciant: quia non est angelorum cælestiũ officium eas, ut carnifices torquere. Neque uerò dæmones eas torquere existimantur, quia sũt filiæ Dei, ciusq; regni hæredes & cohæredes Christi, sed flamma ab inferno exultans eas cõpurgat. ¶Materia uerò secundi argumenti in aliam nos meditationem mittit, ut exploremus, utrùm sanctorum aiæ illico de corpore absq; mora, transferantur in cælum. Et eadem est meditatio de illis, quæ sunt in purgatorio cum primum fuerint perpurgatæ. Haud enim defuerunt qui opinione negatiua fuerint intincti. Et sunt qui illam diuo Bernardo tanquam eius autori impingere moliantur, qui sermone 4. de festo omniũ sanctorũ uidetur eã multis uerbis affirmare. Fuit tamen lõge antiquior: nam diuus Hierony. super Ezechielẽ ca. 36. plures antiquorũ eosdẽq; catholicos in eandẽ refert sniam. Et Vigilãtius contrà quẽ idem Hieron. scripsit, eodẽ tenebatur errore. Et si coniecturis agendũ est, uidetur à Papia Ioannis discipulo originem duxisse ex illo. s. supra memorato errore, quòd Christus post sex annorum milliaria uenturus esset instauraturusque Hierusalẽ, ubi mille annis cũ iustis regnaret: & postmodũ futura esset generalis resurrectio. Inde. n. ut conijcio, in hunc sunt errorẽ collapsi, quòd usq; ad illam resurrectionem aiæ iustorum non sint cælum ingressuræ. Quam opinionem Irinæus. li. 1. aduersus Valentinianos fuit sequutus, ut in eius prologo colligit Erasm. Et Tertullia. li. 4. aduersus Marcionẽ ait, q̃ sinus Abrahæ, de quo fit mẽtio Lucæ. 16. locus est non cælestis, sublimior tamen inferis: interim refrigeriũ animarũ iustorum, donec consummatio rerum per resurrectionem omnium plenitudine mercedis cæle-

Nota.

Quidã D. Bernardo fingitur

Vigilantij hæret.

Papiæ hæret.

Tertullia.

stij apparitura eas expungat. Vbi insinuat iustorum animas non statim in cælum euolare, sed in limbum patrum, ut olim, descendere: quem ideo locum in Apologetico. cap. ulti. paradisum appellat. Atq; huius opinionis sine autorum nominatione meminit S. Tho. 4. contra gentes cap. 91. ubi de hac re differit. Et in eadem opinione fuit Lactantius lib. 7. Bernardus uerò postmodum loco citato non prorsum cum illis antiquis consensit, quippe qui sanctorum animas in cælo collocat, sed ait solùm frui uisione humanitatis Christi. Sic illud exponens Apocalyp. 6. Sub altare Dei audiui uoces occisorum, Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum, &c. Quo utique altaris nomine Christi humanitatem designat, cuius sola nunc uisione animæ recreantur. Sed postmodum resumptis corporibus exaltabuntur, inquit, super altare, ut diuinitatem conspiciant: quia tunc, inquit, Christus ostendet se non in forma serui, sed in forma Dei. Ostendetq; subinde patrem & spiritum sanctum. Hæc Bernardus. De hac re latè in nostris lectionibus scripsimus super D. Thomam. 1. 2. q. 4. art. 5. quo rem hanc etiam discutit.

Lactantius cap. 25.

Bernard.

¶Sit ergo tertia præsentis articuli conclusio. Sanctorum animæ, quæ uel nil habent purgandum, uel iam sunt purgatæ, absq; ulla mora protinus recipiuntur in cælum, ubi diuinam essentiam clara uisione contuentur. Hanc conclusionem impræsentiarum D. Tho. ceu catholicam affirmat dicens quòd huic ueritati autoritates scripturæ canonicæ manifestè attestantur, & documenta sanctorum patrum, unde contrarium pro hæresi, inquit, est habendum. In Summa tamen loco citato solùm asserit contrarium esse falsum. Iam uerò Pontificia autoritate ueritas hæc definita est, nam Ioãnes Papa. 22. ut Marsilius refert in quarta quæstione 13. articulo tertio. errorem illum Lactantij & Irinæi tenuit & publicè prædicauit, sed ex decreto Parisiensis uniuersitatis illum retractauit, & tandem Benedictu sduodecimus in sua extrauag. quæ incipit. Animas purgatas, sanciuit tãquam catholicum, quòd animæ sanctorum utriusque testamenti postquam Christus in cælum ascendit cùm primùm fuerint purgatæ ante corporum resurrectionem sunt in cælo in consortio angelorum

Tertia conclusio.

Conclusio catholica.

Pontificũ decretum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& uident diuinam essentiam.

¶Et ne cui Pontifex gratis id sanxisse uideatur, testimoniis sacræ scripturæ & sanctorum & rationibus comprobatur. Et primum omnium est illud testimonium' Pau. 2. Cori. 5. 2. Corin. 5. Scimus quoniam si terrena domus nostra huius habitationis dissoluatur quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis. ubi insinuat, nullum esse interuallum aut temporis aut loci, sed quòd dissoluta habitatione corporis, illico commigramus in æternam cohabitationem, quę est in cælis. Ad quod alludit aliud Lucæ. 16. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis (scilicet per mortem temporalem) recipiãt uos (id est protinus excipiant) in æterna tabernacula. Sed clariùs eodem loco Paulus. Quandiu sumus, inquit, in corpore peregrinamur à Domino: & quia peregrinari idem est, quod absentem esse, rationem absentiæ explicat dicens: per fidem enim cognoscimus & non per speciem: ergo per oppositum esse præsentes Deo est cognoscere per speciem Deum & intuitiuè: sed animæ sanctorum corporibus exutæ illico sunt Deo præsentes: nam subiungit continuò Paulus, Habemus uoluntatem peregrinari à corpore & esse præsentes Deo: ergo animę peregrinantes à corpore protinus sunt in cælo, atque adeò Deum per speciẽ Ad Philip pen. 1. non in ænigmate contuentes. Cui & illud consonat ad Philippenses. 1. Cupio dissolui & esse cum Christo: quasi nulla intersit mora, si modò quisque talis sit qualis Paulus. Vnde Luc. 23. Christus ad Latronem, Lucæ. 23. Hodie, inquit, mecum eris in paradiso, quod non potest nisi de uisione beatifica intelligi. Et Actuum. 7. Stephanus, Ecce, Actuum. 7. inquit, uideo cęlos apertos & Iesum stantem ad dextris uirtutis Dei. Quasi illuc esset statim recipiendus. Et Apostoli, ut Matthæi. 19. legitur, assessuri sunt Christo ad iudicandum, ergo ante diem iudicij in cælo existunt. Sunt & sanctorum testimonia, ut Augustini. nono. confessio. qui suum Nebridium, ait, esse in illo sinu Abrahæ, ubi bibit ad fontem quantam potest sapientiam sine fine fœlix. Et in libr. supputatio. ait ad sanctos, Fœlices sancti omnes de pulchritudine Dei iam satiami ni, de cuius beatissima uisione semper gaudetis. Et Gregorius, quarto dialogorum, Grego. 4. Dlalog.

Testimonia sanctorum. Auguſt.

id tanquam catholicum definit quamplurimis subiunctis exemplis animarum, quæ à corporibus rectà in cælum angelorum comitatu perductæ sunt. Vnde capitu. 25. allegato loco Pauli, Cupio dissolui & esse cum Christo, collectionem hanc subiungit, Qui ergo Christum in cælo esse non dubitat, nec Pauli animam esse in cælo negat. Et Origenes homil. 3. Is, inquit, qui de corpore exierit, si mundum habuerit cor, statim meretur diuina uidere: quia spiritualia illa non uidentur per corpus. cap. 25. Origenes.

¶Hic Origenes primam rationem conclusionis insinuat, quæ est hæc. Vera beatitudo in uisione diuinæ essentiæ consistit: intellectus autem ad huiusmodi uisionem corporeo phantasmate non indiget, quia diuina essentia, quæ purè spiritus est, per phantasma uideri nequit, quo intellectus in corpore utitur: ergo corpus ad perfectionem beatitudinis essentialem non est necessarium, atque adeò non est cur anima separata corporis resurrectionem expectet ad uidendum Deum: nam diuina opera ordine & sapientia sunt disposita: quare si ex natura rei præsentia corporis ad uisionem illam non est necessaria, error est dicere, absque corporibus animas non uidere Deum. ¶Quinuerò arguitur secundò. Beatitudo, ut Matth. 5. ait Dominus, merces est operum, quæ per Dei gratiam fiunt: mandatum uerò Dei Leuitic. 19. extat. Ne merces mercenarij maneret apud Dominum usque mane: æquissimus ergo Deus nil moratur mercedem retribuere: cùm ergo in exitu animæ à corpore finiatur merendi tempus, fit ut habenti cor mundum illico merces illa uisionis tribuatur, iuxta illud Matthæi. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. & Apocalyp. 14. Beati mortui qui in Domino moriuntur. quo insinuatur, illico à morte esse beatos. Ratio contra cluſionẽ. Ratio. 2. Ratio. 3.

¶Et est tertium maximum argumentum, quòd si sanctorum animæ non illico in hæreditatem gloriæ admittuntur, sed usque ad diem iudicij expectant, non multum nobis profuisset, quòd tanto tempore ante illum diem Christus nos redemisset: nam poterant animæ nostræ usque in illum diem uelati sanctorum patrum in limbum descendere: consequens tamen hæreticum est contra illud Matth. 4. Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum

Capi. Maiores. cælorum appropinquari enim nihil aliud est qui aperiri cælum. Baptismus nanque ut cap. Maiores, de baptismo & eius effectu decretum est, regnum cælorum aperit ob idq; lex nostra dicitur lex gratię, quæ iam adoptiuos filios non ceu seruos, & ut ait ad Gala. 3. Pau. tanquàm paruulos sub pædagogo ab hæreditatis possessione cohibet, ut antiquos patres, sed tanquàm liberis & prouectis eandem hæreditatem tribuit. Sumus enim, ut ad Roma. 8. ait idem Apostolus, hæredes Dei, cohæredes autem Christi, atque adeò ut ipse suam humanitatem in cælum euexit, ubi diuina uisione fruitur, sic & omnia sua membra: nempe, animas, dummodò sint sine macula & ruga, ad eandem protinus hæreditatem admittit. Ad Gal. 3. Roma. 8. Ratio. 4.

¶Quartò arguitur. Deus longè propensior ad miserendum est largiendumq; prę mia, quàm ad uindicanda crimina, reproborum autem animæ absque mora per suam iustitiam detruduntur in tartara: quia nulla fingi potest causa, cur debeant corporum resurrectionem expectare: & pariter puerorum animæ abduntur in limbum, & qui purgandi sunt, addicuntur purgatorio: ergo cùm corpus, ut dictum est, ad uisionem intellectualem Dei non sit requisitum, fortiori ratione animæ corpora exeuntes cælum aduolant. Ratio. 4. Gentile.

¶Neque naturalis similitudo deest, quæ rem confirmet. Quod enim in corporibus grauitas est & leuitas, hoc in animabus est meritum & demeritum: ergo sicut graue corpus protinus deorsum fertur, & leue sursum, ita & anima letali crimine onusta ad ima descendit, & quæ per gratiam Dei sublimem habet affectũ, nisi aliquid impediat quod sit purgandum, statim sursum ad Deum aduolat. ¶Ad secundum igitur argumentum respondetur, primò, ut supra dicere cœpimus, quò suspicione nõ caret, aliquando Augustinum illa fuisse tentum opinione, quòd iustorum animæ ante finalem resurrectionem non sint in cælo, sed in limbo patrum, qui erat sinus Abrahæ, quem non putabat esse sub terram, ut 12. super Gen. ad literam. cap. 33. insinuat, sed super terram in aliquo honorabili loco: nam expresè ait in glossa cita ta Psalmi, quòd post hanc uitam nõ erũt ibi, ubi erunt sancti, quibus dicetur, Veni te benedicti patris mei, &c. Etenim eius mentem sic interpretari, quòd duntaxat uoluerit dicere, quòd non habebunt duplicem stolam animæ & corporis, non plenè illi uerbo satisfacit, Non erunt ibi, ubi erunt sancti. Et secundus locus in Enchridio id præ se fert, cùm tempore inter hominis mortem & resurrectionem interposito dicat animas abditis receptaculis teneri: abdita nanque non cælum, sed terrena habitacula designat. At uerò certum est postmodum sententiam mutasse, atq; adeò confessum animas in cælo Deum uidere, ut patet locis citatis, & lib. 9. confessio. ubi eum esse ait in loco, in quo Deum uidet, atque aljs locis frequentibus. Qui uerò sustinere uoluerit, Augustinum nunquam aliter, quàm ueritas habet, fuisse opinatum, glosset ipsum cum S. Thoma, q cùm ait, non esse nunc ibi, ubi erunt sancti, intelligat, non habere nunc utramq; stolam: & cùm ait, inter mortem hominis & resurrectionem esse animas in abditis receptaculis, inter ipsa abdita receptacula connumerasse tam cælum quàm infernum: sed designauit illud tempus mediũ, quia tunc non habent completum affectum, quem habent ad corpora. ¶Et per hoc respondetur ad aliud argumentum, quod Greg. 4. li. dialogorum soluit. Pœna & præmium, quæ per sententiam iudicij redduntur, non debent iudicium ipsum antecedere: supplicia uerò inferni & gaudia paradisi reddentur per sententiã Christi in ultimo iudicio. ut patet Matth. 25. Ite benedicti &c. ergo antea non sunt in illis locis. Respondet, inquam, Greg. quòd tunc sententia mittet non solùm animas, sed damnatos ipsos cum suis etiam corporibus, in quibus illuc usque non erunt corpora. ¶Ad illud uerò, quod fuit Bernardi fundamentum Apocalyp. 6. Vid subtus altare animas interfectorum &c. respondet glossa interlinearis illud non intelligi de animabus existentibus in ecclesia triumphante, sed in isto mũdo sub agone martyrij. Sunt enim tunc sub altari Dei: id est, sub protectione Christi. Vel dicuntur esse animæ sub altari: id est, in templis, ubi condita sunt corpora, prænunciãtes tyrannorum uindictam. Neque tamẽ credendus est Bernardus in illa opinione permansisse: nam alibi sæpè uidetur ueritatem confessus: scilicet, quòd animæ uisione beatifica fruantur. In Enchiridio. Aug. sententiã mutauit. Glossa S. Thom. Obiectio. Dilutio. Ad fundamentũ Bernardi. Opinio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm animæ ex prædictis receptaculis aliquando egredi ualeant.

Partis affirmatiuæ argumen. 1.

QVoniam constitutum est, animas statim post mortem ad sua transmitti receptacula, quæritur, an inde ualeant exire. Et arguitur à parte negatiua, primum ex autoritate August. lib. de cura pro mortuis gerenda. c. 13. dicentis. Si rebus uiuentium uterentur animæ mortuorum, ut de alijs taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra mariq; secuta est, ut mecum uiueret: unde colligit, mortuorum animas uiuentiũ rebus non interesse.

2. Argum. ¶Secundò arguitur ex illo Psalmi, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitæ meæ: & Iob. 13. Qui descendit ad inferos, non ascendet: ergo saltem ex inferno aut paradiso nulla pót egredi anima.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est Hieronymus contra Vigilantium ostendens, animas illis receptaculis nó sic esse mancipatas, quin Deo sic disponente, permittente uel iubente egredi ad nos ualeant.

De exitu aiarum à suis receptaculis. ¶De exitu animarum à suis receptaculis bifariam loqui possumus. Vno modo ut simpliciter inde exeant nunquàm illuc reuersuræ, atq; alio modo ut in tempus egrediantur, iterum regressuræ. Præterea exire de receptaculis potest uno modo contingere citra corporum resurrectionem: scilicet, ut uel nudè exeant, uel sic corporibus assumptis, ut non sint in illis uita animali usuræ. Sed alio modo per ueram suscitationem, sicuti puer quem Elisæus suscitauit, & Lazarus atque alij, quos suscitauit Christus.

1. Conclu. ¶His prænotatis modis ad quæstionem quinque conclusionibus respondetur. Prima. Beatorum animæ, secundum beatitudinis positam legem, nequeunt inde exire nunquam reuersuræ. Conclusio est liquida, quia beatitudo est uita æterna: æternum autem id sonat, quod nunquam habiturum finem. Item beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: non autem esset status perfectus, nisi beatus suæ haberet beatitudinis certitudinem: hæsitatio enim, an homo possit perdere quod habet, non posset non anxium

Ratio.

eum reddere, atque adeo non esset illesim pliciter beatus: cùm ergo beatitudo sit uita æterna, quicunque beatus est certus se habere uitam æternã, neque ab illo statu cadere posse: quo utique iudicio falli nequit. Si autem inde exire posset non reuersurus, falsum haberet iudicium: repugnat ergo ut hoc pacto exire ualeat. Atq; hoc docuit Pau. 1. ad Thessalonicen. 4. Rapiemur obuiam Domino in aera, & sic semper cum Domino erimus.

2. Concio. ¶Secunda conclusio. Neque de inferno, neque uerò de limbo puerorum possibilis est egressus, qui non sit regressum habiturus. Probatur ratione per contrarium simili. Nam infernus suapte nomine mortem etiam æternam significat, nullam habens redemptionem, iuxta illud Mat. 25. Ite in ignem æternum: quare secundùm legem illius status nemo inde egredi potest non reuersurus. Et idem est de puerorum limbo: nam sunt in perpetuum à regno cælorum relegati iuxta uerbum Domini Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Nisi quòd in damnatis est noua ratio quòd habent in odio Dei obstinatam uoluntatem, iuxta illud Psalm. 73. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper: pœna autem remitti non potest nisi delicta culpa: quare & eorum obstinatio facit, ut nullã esse possit ab inferno redemptio.

Infernus.

Limb. puerorum.

3. Concio. ¶Tertia conclusio. A purgatorio & limbo patrum constat possibilem, imò necessarium fieri in cælum transitum.

¶Contra secundam autem conclusionem sit argumentum de Traiano, qui fertur precib beati Gregorij ab inferno, ubi multis annis egerat, exijsse liber. De hoc tamẽ quæstio. proxima fiet sermo.

4. Concio. ¶Quarta conclusio. Quanuis secundùm legem ordinariam animabus separatis congruentem neque ad nos exeant, neque ullum nobiscum habeant commercium, tamen secundùm permissionem aut dispensationem diuinam & extraordinariam legem, nil uetat quominus in quocunque sint receptaculo ad nos reuertantur. Prima pars inde probatur, quòd animæ separatæ eo quòd corpora exuunt, & à uita præsenti & mortali decedunt, à nostra rebusque nostris, officijs & moribus segregantur: & ideo ordinaria lege sicut nos mortales

tales rebus earum non adsumus, ita neq; immortales ipsæ nostris intersunt. Atque hanc communem ordinariamque legem explicat illis uerbis August. in argumento quod primo loco obiecimus. Si rebus uiuentium interessent animæ mortuorũ, ut de alijs taceã, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, ut mecum uiueret: absit enim ut facta sit uita fœlicioricrudelis. Et confirmat hoc ex illo. 4. Reg. 22. ad piẽtissimum Regem Iosiam, cui cùm Deus exitium regni & gentis suæ prænunciasset, pollicitus est subinde dicens, Ecce ego apponam te ad patres tuos, & apponeris cũ pace, & non uidebunt oculi tui omnia mala, quæ ego induco in locum hunc, & qui commorantur in eo. ¶Secunda uerò pars colligitur ex uerbis Hieronymi cõtra Vigilantium, qui putabat apostolorum & martyrum animas in fortunatorum insulis & campis Elysiis, ut ethnici de animabus philosophantur, detineri. in quẽ Hieronymus sic inuehitur. Ais uel in sinu Abrahæ uel in loco refrigerij uel subter aram Dei animas apostolorum & martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, nec ubi uoluerint adesse præsentes? Quasi dicat, Falsus id ais. Et subdit, Tu Deo leges ponis? Tu apostolis uincula inijcis, ut usque ad diem iudicij teneantur in custodia nec sint cum Domino suo? de quibus scriptum est, Sequuntur agnum quocunq; ierit. Et August. in lib. de cura pro mortuis gerenda. cap. 16. ait, Fœlicem confessorem cùm à barbaris Nola oppugnaretur humanis aspectibus fuisse usum, non incertis rumoribus, sed testibus certis. Verùm ista, inquit, diuinitus exhibentur longè aliter quàm se habet usitatus ordo. Alij nã que sunt ait, humanarum limites rerum, alia humanarum signa uirtutum, alia sunt quę naturaliter, alia, quę mirabiliter fiũt. Ambas igitur conclusionis partes hisce uerbis edocet Aug. nempe, quòd secũdùm ordinarium & usitatum cursum animarũ è suis non exeunt receptaculis, sed tamen secundùm diuinam dispensationem exire & possunt & assolent. Id quod cumulatis exemplis Gregor. 4. lib. dialogo. confirmat. ¶Quapropter ex omnibus ferè exire solent: scilicet, ex paradiso, ex inferno, ex purgatorio, & ex limbo patrum, ut de Samuele, ut 3. Reg. 28. legitur, qui apparuit Sauli. Quanuis ut Aug. eod. lib. de cura pro mor. geren. cap. 15. refert, non desint, qui negent, uerum fuisse Samuelem. Sed tamen Moyses, ut Matth. 17. legitur, in transfiguratione Domini apparuit.

Probatio secundæ partis.

Probatur conclusio.

Gregor.

Samuel.

Mortui quare appareant.

¶Atqui & usu apparitiones istæ accidere solent, ut ibidem August. cap. 16. autor est siue ad uiuorum qualecunque solãtium, ad quos pertinẽt illi mortui, siue ut ijs admonitionibus more humano sepulturæ commendetur humanitas. Animæ nanq; beatæ Deo dispensante possunt apparere suis, uel ut eos consolentur, ostendentes se diuino conspectu frui, uel ut eos admoneant, & ad eandem beatitudinẽ alliciãt. Vel ut suis reliquijs iustos honores deferant: ut de Ioanne Baptista & alijs legitur? Existentes uerò in purgatorio solent præterea apparendo suffragia sibi fieri deposcere. De limbo uerò puerorum nulla est ratio cur egrediãtur. ¶Addit uerò hic Diuus Thomas interesse inter sanctos & dãnatos, quòd sancti, cùm uoluerint, apparere possunt, uiuentibus, non tamen damnati. Meruerunt, inquit, sancti in hac uita, ut aliquando gratiarũ dona sanitatum, quæ reprobis non conueniunt, ita ut post hanc uitam cùm expedierit, possint huc redire

De cælo.

De purgatorio.

De limbo puerorum.

Distinctio S. Tho.

Hæc D. Tho. At uerò patentissima ratio est, quòd beati nihil optare possunt, nisi quod rationi sit ac perinde diuinæ uoluntati consentaneum: quicquid autem huiusmodi Deum poscunt, obtinent: ergo quoties uolunt exire, exeunt. ¶Infernales tandem animæ exire non permittuntur dum uolunt, sed dum ob aliquod mysteriũ nobis occultum diuinitus permittuntur, ueluti dæmones. Quare diues epulo, ut legitur Lucæ. 16. rogare non audebat, ut fineretur ipse ad suos ire, sed rogabat Abraham, ut Lazarum mitteret. Neque uerò illi egredi cupiunt, ut aliquod beneficium nobis conferant, eo quòd nobis bonum optent, quia adeò à charitate longè distãt ut neque naturalem inclinationẽ permittant, actus rectos elicere. Quocirca epulo ille non tam ex naturali amore, quo ferebatur in suos, quàm ex superbia cupiebat, ne sui necessarij in illum tormentorum locum uenirent: mallent enim damnati, ut omnes secũ essent miseri, sed quando id nõ possunt efficere, uolunt in hoc alijs eminere, ut sui alijs præferantur. Vel fortè illa petitio nihil aliud significat, q̃ rei ipsius infernalis naturã: nẽpe, tã trucem esse

Ratio.

Inferni animæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& atrocem, ut summoperè omnes debeãt illam cauere.

¶Nescio tamen, an affirmare liceat miseras quandoque animas officium ipsorum dæmonum usurpare, ut scilicet ceu ministri Satanæ ad tentandos homines tendendaq; illis retia & parãdos laqueos ueniãt. Certum est tamen hoc non esse earum officium. Tametsi cùm sint odio Dei obstinatæ ac subinde nostri, nil mirum si eodẽ odio id paratæ sint facere. An uerò Deus id quandoque sinuerit, ipse nouit.

¶Cęterùm ita est possibile animas ex suis locis huc remeare, ut tamen non sit facile creditu toties id accidere, quoties nobis apparẽt. Primùm, quòd ut idem Aug. libr. de cura pro mor. geren. ait, quando inter somnia nobis uidentur charorum aĩæ aut aliæ nobis infestæ apparere, rarissimè accidit, ut sint ipsæ animæ, imò quàm sæpissimè contingit, ut non nisi sub earum imaginibus in sensu communi propter nostras præcedentes cogitationes appareant illa phantasmata. Sed uanitas uulgi est, credere animas esse ueras.

¶Præterquam quòd quàm plurimas eiusce modi fallacias præstigiatores & præstigiatrices mulierculę uulgo offerre solent, quibus ignorantibus illudunt. Nam animę fœlices rarò cupiunt ab illo cælesti loco exire, & ad admonẽdum uiuos non est necessarium ut ueniant. Quare nec Lazarus permissus est uenire: quia habemus leges & prophetas, quibus nos Deus satis edocuit, & in dies commonefacit, quibus nisi credamus, neque si damnati, neq; illi, qui purgantur, ea quæ illic fiunt nobis denunciẽt, fidem eis dabimus. Imò de hoc Deus offenditur, quòd simus magis parati apparentibus defunctis, quàm suo euangelio credere.

Sol. argumentorũ. ¶Primum igitur argumẽtum, quod est auctoritas Augustini, iam solutum est, quòd loquatur de lege communi. Et pariter intelliguntur testimonia alia secundi argumẽti ex Psalmo & ex libro Iob accersita.

¶Si uerò tandem obijcias, quòd animę eo sunt suis receptaculis adscriptæ, ut sua illic uel præmia uel supplicia habeant: si uerò ad nos uenirent, interrumperentur præmia & supplicia, negatur illatio, quia propterea quod ab illis receptaculis egrediãtur, neque animæ beatæ desinunt uidere Deum, neq; quæ cruciantur à suis eripiuntur tormentis. ¶Supereſt autem ut de alio exeundi modo dicamus per resumptionẽ uitæ mortalis, quemadmodum resuscitati reliquis ab Elia & Eliseo, à Christo, & apostolis & deinceps sanctis è suis receptaculis prodierunt. Subiungitur ergo conclusio quinta. Nullus unquã, cuius fœlix anima cælestem paradisum inhabitaret, in uitam mortalem resuscitatus est. Conclusio hæc quanuis in sacris Biblijs non sit expressa, efficaci tamen ratione illa probatur, qua primam asseruimus. Beatus enim nemo est, nisi qui certò scit se sempiternã uitam, hoc est indefectibilem possidere, quo utiq; iudicio falli nequit: nam si ambiguus hæreret, uel falli posset, non esset plenariè fœlix: si uerò potest in uitã mortalem redire, beatitudo illa interpollaretur, atque adeò falsum fuisset iudicium: ergo illud fieri nequit. Nam si obijcias de Christo seruatore nostro, qui fuit beatus, & tamen naturam habuit mortalem, nihil ad rem afferas, tum quia erat uerè Deus & homo, & ratione unionis anima uisione fruebatur illam beante, & ratione redemptionis corpus erat mortale: tum præsertim quòd passiones, quas secundum corpus pertulit, repugnant beatorum statui, quo fruuntur in cælo.

5. Concle.

Ratio opinionis.

Obiectio.

Ratio. 2.

¶Ex quo alia colligitur ratio, q̃ Deus animæ iustorum præcipuè qui sunt confirmati in gratia & gloria, nihil confert, nisi qd eis sit beneficium. At uerò quanuis resuscitatum illum Deus confirmaret in gratia, priuaretur tamen illa beatifica uisione, & esset multis molestijs peruius in corpore, quæ anima illa non duceret pro beneficio sed pro damno: quare ex natura rei non esset ei suscitatio grata, ut uitam degeret mortalem.

¶Atque idem protinus subsequi uidetur de illis, qui sunt in inferno. Sunt enim dãnati ad æternam pœnam, quæ ideo illis interpollari nequit: cuius contrarium usu uenire: si damnatus in uitam nostram resuscitaretur. Sed tamen hoc q. seq. emũctiùs examinabimus contra Altisiodorensem, qui contrarium opinatus est. Et idem est de illis, qui in puerorum limbo tenentur.

Appẽdix.

¶Fit ergo consequens, si hæc quæ diximus uera sunt, ut quotquot resuscitati sũt, uel ex purgatorio uel ex limbo patrũ prodierint. Supponimus enim manifestam ueritatem, quòd nemo unquam uerè fuerit resuscitatus, aut per naturam, aut dæmonum potestate, sed solo diuino miraculo. Quare si Samuel, de quo. 1. Regun. 14. legitur, uerus fuit suscitatus Samuel, diuino nutu fuit uitæ restitutus: quoniam operis huius supranaturalis neque homo neq; angelus per propriam uirtutem potest esse causa: sed sola uirtute diuina. Illi ergo, quos Elias & Eliseus suscitarunt, in limbo patrum fuisse creduntur: erant enim circuncisi, & minores ætate, quàm ut possent mortaliter deliquisse. Et Lazarus uel in limbo erat patrum, uel in purgatorio. In summa idem fortè de cunctis credendum est.

Suscitati à Elia.

¶Sed profectò nec satis sit animo ut quiescat. Arguitur enim sic. Quicunque in limbo patrum erant, aut in purgatorio modò existunt, certi, ut supra diximus, in exitu corporum facti sunt prædestinatos se esse ad gloriam, quo utique iudicio falli nõ possunt, imò sunt & in gratia & amicitia Dei confirmati: cum uerò ad uitam mortalem redeunt, nulla apparet lex ut sint uel in gratia confirmati, uel suæ salutis infallibi liter certi: ergo resuscitatio illa nullatenus illis potest esse expediens: nam à firmissimo statu salutis exire, & periculo perditionis subijci, summum profectò detrimẽtum est: præterea iudicium illud certum deserere, & hæsitatione, qualem nos de nostra prædestinatione habemus, torqueri, nemo sanæ mentis eligeret: quare nemo illorum uellet suscitari, neque tamen concedendum, quòd eos inuitos Deus ad nostras miserias remittat: præsertim illos, qui erant in limbo patrum, ubi omni dolore & pœna erant exempti.

Arg. de animis purgato.

¶Imò & de illis, qui sunt in purgatorio, arguitur. Aut enim dum suscitantur debitas omnes pœnas luerant, aut secus: si luerãt, idem, quod de beatis, iudicium illis patrocinatur, quia inde iam euolant in uitam æternam: si uerò non omnia debita persoluerant, non seruatur iustitia diuina, cùm ante tempus inde eruantur.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum ut respondeamus, hæc primùm ueritas pientissime credenda est, q̃ nemo unquàm à morte fuerit in uitam nostram excitatus, qui non tandem fuerit saluus. Itaque nunquàm fuit ullus resuscitatus nisi prædestinatus. Veritas est, quam Abulensis super. 4. Reg. 4. q. 56. inter narrandam suscitationem pueri ab Elisæo, affirmat dicens, quòd quanuis non habeatur in sacris scripturis, est tamen piè credenda.

¶Atqui præter eius autoritatem hæc ratio ne colligitur, saltem admisso quòd nemo nisi uel ex purgatorio uel limbo patrũ fuerit uniquam suscitatus. Nemo unquam nisi Dei uirtute resuscitatus fuit, neque uerò aliunde, quàm uel ex limbo patrum uel ex purgatorio: cùm ergo nemini Deus tantum, quantum est resuscitationis beneficium in detrimentum sempitemæ salutis contulerit, certum est quòd illos, qui in uia erant salutis certissima, in eandem uitam æternam tandem remittat.

Ratio. 2.

¶Accedit & ex eorum conditione ratio alia. Nam cùm se uiderint ad uitam æternam destinatos, in uigilia semper erunt & cautissima cura, ne inde decidant. Quin uerò addiderim, in gratia & meritis cumulationibus ab hac luce post demigrasse quã prius: præsertim illi, qui purgatorij tormenta fuerint experti, quàm sint grauia. Id cuius & Lazari egregia sanctimonia documentum est. Et illum uiduæ filium resuscitatum aiunt postea fuisse Diuum.

Ratio. 3.

¶Sed neque hac satis argumento facit, ni si tertium asserrum addiderimus. Crediderim, inquam, omnes illos semper mansisse in gratia confirmatos: & præterea de sua salute certissimos. nam postquam fuerant confirmati, nulla est ratio cur ab eadem fuerint confirmatione depulsi: neque uerò iudicij, quod certissimum de sua salute habuerunt, cur fuerint obliti. Si enim Paulus memor erat, se in tertio cœlo arcana uidisse Dei, multò iustius illam iudicij certitudinem suscitati retinent, alioqui Christus minimè cum illis clementer egisset.

Sol. 1. arg.

¶Et ideo respondetur ad primum argumentum, quòd etsi existentes in limbo ad molestias huius uitæ fuerint reuersi, non id illis in damnum, sed certè in magnum cessit lucrum & meriti augmentũ. Resuscitati uerò ex purgatorio non sunt credendi omnino fuisse perpurgatos, sed nihilominus reliquum pœnarum, quas passuri erant, poterant reuiuiscentes operibus satisfactionis persoluere, aut si negligentiores essent, postmodum secundò defuncti illas in purgatorio luerent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAESTIO SECVNDA, De suffragijs defunctorum.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm suffragia à uiuis impensa defunctis prosint.

DVO defunctorum genera duas nobis offerunt elucubrandas quæstiones: illi scilicet, qui sunt in purgatorio unam de suffragijs: atque illi, qui sunt in paradiso, de orationibus ipsorum pro nobis & nostris ad ipsos. Et quidem quæstio prior, quæ est hæc secunda, longam nobis exhiberet disputandi rationem de purgatorio: hoc præsertim tempestatis articulo, quo perditi hæretici tam impudenter illud populo dissuadere contendunt. At uerò non solùm lib. primo. De natura & gratia capit. decimoquarto uerùm & hic supra distinctione decimanona quæstionem tertiam in tres articulos distributam in eadem elucidanda confirmandaque ueritate totam insumpsimus. Fuit enim Armenorum hæresis, ac subinde Vualdensium, & Ioannis Hus & Vuiteleff, ac tandem pestilentissimi Lutheri in articulis ad Leonem exhibitis. 4. & 37. & 38. Quem errorem inter alios in illo suo errorum fonte potarunt, quòd Christus in sua passione non solùm quo ad sufficientiam, uerùm quoad efficaciam, tam plenariè pro uniuersis nostris sceleribus satisfecerit, ut nihil nobis fiat pœnarum reliquum, quas uel in hoc seculo per satisfactionem uel in altero per purgationem soluere debeamus. Hac inquam ratione confessionem purgatorij ab Ecclesia catholica exsibilare explodereque contendunt. Contra illud Pau. 1. ad Corin. 3. Si quis super fundamẽtum Christi superædificat ligna, fœnum, stipulam, dies domini declarabit: quia in igne reuelabitur. & subdit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit sic tamen quasi per ignem. Sed permolestum esset quæ locis citatis copiosè congessimus huc accersere. Illa igitur, supposita ueritate locus præsens nobis duntaxat offert de suffragijs dicere, quæ ijdem hæretici tanquam rem confectam & ludicrâ irridentes abijciunt. ¶Quatuor igitur se offerunt disputanda. Primum scilicet, per quos debeant suffragia fieri, ut prosint: secundò quibus prosint: & tertiò quæ sint illa suffragia: ac demum quartò, utrùm quæ pro uno defuncto fiunt tam alijs prosint quàm illi. Quæritur itaque primò, utrùm suffragia per unum exhibita alteri prosint. Et arguitur à parte negatiua, ex illo Pauli ad Galat. 6. Quæ seminauerit homo, hæc & metet: si autem quispiam fructum suffragiorum alterius perciperet, meteret quidem non propria, sed aliena semina. ¶Secundò. Ad iustitiam Dei pertinet, ut unicuique pro meritis proprijs retributio fiat, iuxta illud Psalmi, Tu reddes unicuique iuxta opera sua: ratio uerò diuinæ institiæ deficere nequit: ergo per suffragia unius alteri non succurritur.

¶Tertiò. Eadem est in opere ratio meriti, satisfactionis & laudis: sed pro opere unius alter non laudatur nec per illud meretur: ergo nec per satisfactionem alterius satisfacit.

¶Sed peculiariter quòd uiuorum suffragia defunctis non prosint, arguitur quartò. Secundùm Apostolum. 2. Cor. 5. Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut accipiat uniusquisque propria corporis: prout gessit, & Apocal. 13. Opera illorum sequuntur illos: ergo unusquisque defunctorum propria debita per se patiendo debet exsoluere. Præsertim quòd ut unus pro alio satisfaciat, requiritur, ut ambo sint eiusdem Reipub. ciues, & tamẽ defuncti non sunt ex nostra Republic. ut supra dictum est.

¶Quintò. Si suffragia unius alteri seu uiuenti seu uita defuncto prodessent, consequens fieret, ut si ille, qui suffragatur, nequam homo esset, nihilominus eius suffragium sufficeret: alioqui cùm non constet, sacerdotem esse in gratia, nunquam securi essemus & certi eorum sacrificia prodesse, atque adeò periret religio offerendi talia sacrificia pro defunctis: sed tamen ex alia parte, cum ut Ioan. 9. legitur, peccatores Deus non exaudiat, uidentur eorum suffragia nullius esse pretij apud Deum. ¶Sextò denique arguitur. Si unius suffragia alteri subuenirent, sequeretur, quòd faciendi ipsi nihil ad satisfactionem prodesset: nam si quis pecuniam suam alteri erogauerit, sibi ampliùs non prodest: uidetur autem hoc durum & contra illud Psalmi, Oratio mea in sinum meum conuertetur: ergo nemo alteri suffragari potest. ¶In contrarium autem est illud Psalmi, Particeps ego sum omnium timentium te ubi bonorum communicatio insinuatur, & 2. Machabæorum. 12. Sãcta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur.

¶Quæstio est præcipua, qua tamen multa submouentur, quæ in superioribus sunt satis excussa, qua ratione breuior leuiorq; erit præsens disputatio. Sunt autem ad quæstionis solutionem septem conclusiones necessariæ. Prima. Vnusquilibet potest pro altero satisfacere, ac proinde alteri suffragari. Ad intellectum autem terminorum ex his quæ dist. 19. de satisfactione diximus, notandum est opera nostra bona, quæ ex gratia procedunt bifariam esse apud Deum preciosa, uno modo in ratione meriti, atque altero in ratione satisfactionis. Et meritum quidem duplex esse potest: scilicet, de condigno: nempe, quod ex gratia procedit, & ideo ratione iustitiæ præmiũ habet uitæ æternæ. Quo utique pacto nemo potest alteri mereri, sed solùm sibi: præter solum Christum, qui tanquàm caput nostrum meruit nobis quicquid gratiæ & gloriæ confertur. Et ratio huius est, quia gratia non facit gratum nisi habentem, atque adeò illa nemini confertur nisi per sacramentum: aut per opera propria ipsius ex gratia hominem iustificante procedentia, iuxta illud Gen. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Et hac ratione ait ad Romanos, secundo, Paulus. quòd reddet unicuique Deus secundùm opera eius: his qui secundùm patientiam boni operis, gloriã & honorem, & incorruptionem & uitam æternam. Et secunda ad Corinthios, quinto. Vnusquisque recipiet secundum propria corporis prout gessit. Vnde ut patet Matth. 25. Nemo mittitur in regnum aut in exilium nisi propter propria opera: Quia dedistis mihi manducare, Quia non dedistis &c. Isto ergo modo nemo alteri suffragari potest. ¶Sed aliud est meritum de congruo, non quidem, ut aliqui fingũt ia peccatore dum disponitur ad gratiam, illud enim certè est contra Paulum dicentem, Si ex operibus iam non est gratia, ut secundo. lib. de nat. & gratia. capitulo. 4. latè demonstrauimus: sed in eo, qui est in gratia. Potest enim iustus alteri etiam existenti in peccato primam mereri gratiã de congruo, ut Stephanus meruit Paulo: id tamen fieri nequit, nisi merẽdo illi prium actum in Deum, quo conuertatur: quia gloriam, ut dictum est, nemo potest nisi per proprium actum aut sacramentũ assequi. Et fortiori ratione potest iustus alteri iusto augmentum gratiæ mereri de congruo, merendo scilicet illi: ut per proprios actus proficiat in gratia. Et isto modo D. Tho. 1. 2. quæst. 114. art. 6. concedit meritum de congruo. Atqui ista ratione quicunque iustus potest alteri suffragari per suas orationes & bona opera. Et hoc negare esset hæreticum contra articulum fidei, Credo sanctorum communionem. Sic enim intelligitur illud allegatum Psalmi, Particeps ego sum omnium timentium te. ¶Sed est considerate specu

Discrimen meritorũ.

landum discrimen inter rationem meriti condigni & congrui. Non enim ex radice æstimatur: nam utrumque procedit ex gratia, sed ex consecutionis necessitate aut contingentia. Per meritum enim de condigno certissima & ineuitabili lege ille, qui meretur, consequitur proprium præmium: sed tamen alteri de congruo, pro quo orat, non eadem lege impetrat quod petit, sed secundùm quod Deo placuerit annuere uel renuere.

¶Habent præterea aliam uirtutem iustorũ opera, ut sint in uirtute passionis Christi satisfactoria pro pœnis, quæ remissis culpis, siue mortalibus, siue uenialibus, fiunt reliquæ, quæ quidem opera in ratione satisfactionis potest quicunque iustus alteri iusto communicare. Et hæc pariter ueritas est catholica, quam qui negaret, hæreticus esset contra eundem articulum fidei de sanctorum communione. Atque hanc conclusionem diffuse distin. 19. quæ. 2. artic. 4. commonstrauimus, ubi hæreticorum technis responsum ire abundè pro captu nostro curauimus. Eò enim quòd eodem baptismate abluti sumus, eisdemq; sacramentis participamus, & potissimum sacratissima altaris communione, quæ inde nomen sortitur, quòd eodem sancto connubio communicantes eiusdem nos corporis Christi membra profitemur, debemus, uti ait ad Galat. 6. Paul. alter alterius onera portare, non solùm in temporalibus,

Opera satisfactoria

Pars affirmatiua.

Conclu.

Roma. 2.

Merita de congruo.

Hæresis Armenorum.

Partis negatiuæ ar. primum.

Arg. 2.

Arg. 3.

Arg. 4.

Arg. 5.

Arg. 6.

temporalibus, ut hæretici subterfugientes aiunt, uerùm & in spiritualibus. Imò in eis eo potiùs, quo in eis uicaria opera alter alterius magis indigemus. Quæ.n. onera grauiora sunt nobis, quàm pœnæ, quarum ob præterita peccata rei sumus? Atq; hæc potissimùm impræsentiarum appellamus suffragia: ut quemadmodum debet unusquisque proximo indigenti de sua substantia opitulari, ita debet alter pro altero orationes, eleemosynas & sacrificia offerre, quibus pœnarum obligationem soluat. Et re uera nemo hanc ueritatem inficiari potest, nisi qui negat satisfactiones etiam proprias esse cuiquam necessarias. Et ideo cum istis hæreticis non opus est pluribus contendere. ¶ Veruntamen considerandum est hic, fructus huius sanctorum communionis bifariam prouenire, uno modo ex intentione generali existentis in charitate. Quicquid enim boni operis Deo iustus exhibet, hac ipsa generali ratione boni operis, omnibus Christi membris, quæ ei charitate coniunguntur, prodest. Sed altero modo prouenire potest ex particulari intentione orantis, aut sacrificantis, aut eleemosynam largientis pro isto particulari. Qui quidem fructus cæteris paribus uberior est, ut in subsequentibus apparebit.

Suffragiorũ nomen.

2. Conclu. ¶ Secunda conclusio. Hæc uiuorum suffragia non solùm uiuentibus prosunt, si pro illis offerantur, uerùm & defunctis. Probatur. Hæc sancta communio in charitate fundatur, quæ uti ait Paulus. 1. ad Corint. 13. nunquam excidit, atque adeò neque per corporalem mortem interrumpitur: ergo sicut potest quis amico suo aut necessario uiuenti officia sua tribuere & applicare, potest & defunctis: debent enim defuncti in memorijs hominum uiuere, imò eo eis accuratiùs ac diligentiùs opitulari debemus, quàm uiuis, saltem in ratione satisfactionis, quò plus nostris subsidijs egent: uiui enim possunt per propria opera satisfacere, defuncti autem nequaquam: sed patiendo. Hæc autem conclusio arti. proximo in meditatione existentium in purgatorio locupletius confirmabitur, ubi sacra oracula & sanctorum patrum testimonia perpendemus aduersus hæreticos, qui adeò hoc mordicus negant, ut propter testimonium citatum libri Machabæorum negent illum esse canonicũ.

¶ Interim uerò operæpretium est eandem conclusionem meditatiùs euoluere. In primis subsidia hæc & suffragia nostra ualere defunctis nequeunt, uel ad remissionem culpæ uel ad augmentum gratiæ, quemadmodũ diximus ratione meriti de congruo. Primùm, quia cùm sint iusti, nõ possumus illis conuersionem mereri: itẽ nec remissionem uenialis culpæ, quæ ut distin. 15. quæst. 2. artic. 2. & distinct. 21. quæst. 3. diximus, in ipso ingressu purgatorij ratione confirmatæ charitatis eis dimittitur: uel fortè per patientiam, qua pœnam illius culpæ qui purgantur tolerant. Neque uero eorum potest augeri meritũ, aut gratia, quia ut Ecclesiastes. 11. legitur, ubi ceciderit lignum, ibi erit: sed solùm illis suffragia hæc nostra subueniunt ad remissionem & alleuationem pœnæ, per uiam satisfactionis. Per quæ autem opera & quot modis suffragia hæc uiui possint defunctis impendere, articul. 3. docebimur. ¶ Subsequitur autem alius ambiguitatis responsio, utrùm illa, quæ per peccatores exhibentur suffragia, sint ullius ualoris. Ad quam ineundam responsionem prænotandum est, in suffragijs, quæ per iniquos fiunt, duo considerari: scilicet, opus ipsum, quod uocant, operatum, quale est sacrificium altaris: & præterea opus operantis: scilicet, qua ratione ab ipso operante proficiscitur.

Explicatio cõclusionis.

Ecclesiast. 11.

¶ Est ergo tertia conclusio. Suffragium per uirtutem ministrum exhibitum nihil ualoris amittit, qui ex opere operato prouenit. Hanc conclusionem distin. 1. quæst. 5. arti. 5. ubi de malis ministris, quibus sacramenta dispensantur, egimus, exploratam probatamque reliquimus. Vbi ostendimus quòd cum sacramentorum causa prima sit Christus, iuxta illud Ioan. 1. Super quem uideris spiritum descendentem ipse est qui baptizat, nihil impedimenti effectui sacramenti ex ministri malignitate obijcitur, dum modò legitima intentione ipsius Christi & ecclesiæ, sacramentum dispenset. Docet enim August. tracta. 5. super Ioannem illic Baptistam agnouisse, Christum autoritatem & potestatem baptismi penes se retenturum, sed tamen ministerium transiturum in bonos & malos. Et confirmatur comparatione ministri ad instrumentum: etenim quia instrumentum non agit per propriam formam, sed per

Tertia cõclusio.

per illam, quæ est in artifice, opificium non assimilatur instrumento, sed ideæ, quæ est in mente artificis. Et ideo dummodò serra sit bene dentata, nihil refert aurea ne sit, an ferrea: & medicus infirmus, si bene artem calleat, tam bene sanare potest, quàm sanus. Id ipsum ergo, quod de sacramentis quantum ad gratiæ collationem diximus, de sacrificio missæ quatenus uirtute operis satisfactorij est, postmodum sensimus dist. 13. q. 1. art. 6. cuius quæstio erat, utrũ missa mali sacerdotis tantum ualeat, quantum boni. Id quod & latius ead. dist. q. 2. arti. 1. differere studuimus. Illis ergo locis uisere quisque potest, quæ hic molestè repeterentur.

4 Conclu. ¶ Quarta conclusio. Si opus æstimetur ex uirtute operantis: tunc perpendendum est opus uel quatenus est principalis agentis, uel quatenus instrumenti uel ministri. Si principale agens Deo gratum est: nihil de eius meriti & satisfactionis propter iniquitatem ministri deperit. Exẽplum cùm primis patet in eodem sacrificio missæ. Haud enim in missa mali ministri id tantùm satisfactionis integrum est, quod illic uirtute operis existit, uerum & illud quoque, quod uirtute operantis: nempe, ecclesiæ, quæ per ministrum sacrificium offert, obuenit: quoniam sicut uirtus sacramenti nõ uitiatur per ministrum, ita neque sanctæ opus ecclesiæ. Consulto autem dixerim, nihil deperire illius, quod ab ecclesiæ intentione prouenit: nam præter illud augere aliquid potest probitas ministri, ut in artic. citato. 6. dist. 13 q. 1. adnotauimus explicando illum canonem. 1. q. 1. Ipsi sacerdotes, ubi habetur, quòd quanto sacerdotes fuerint digniores, tanto faciliùs in necessitatibus, pro quibus clamãt, exaudiuntur. Non enim de priuatis tantùm orationibus sacerdotum uerbum intelligitur: uerum & de illis, quas nomine publico ecclesiæ in sacrificio missæ, & in canonicis psalmis fundunt. Et hac ratione certè missa boni sacerdotis plus prodest, quàm mali, nõ solũ propter priuatas orationes, quas præter ecclesiæ iussum adhibet, uerùm & propter ipsas, quas ecclesia iubet, quia dignius eas offert: nam licèt indignitas ministri nihil tollat de eo, quod est de intentione ecclesiæ, dignitas tamẽ non parum auget. Quare cõsiliũ est sacrificia per dignio res sanctioresq; sacerdotes offerre. Pari

5. Conclu. forma dum herus probus per improbum seruum eleemosynam facit, nihil proprij meriti amittit, sed nihilominus si seruus esset etiam iustus, qui ex charitate mandatũ exequeretur, opus ipsum esset apud Deum pretiosius. ¶ Quinta conclusio. Præter hos casus, quibus homo tanquam ecclesiæ uel alterius minister opera exhibet alieno nomine meritoria & satisfactoria, nemo suo nomine potest suffragium ullum, aut satisfactorium opus quod apud Deum sit meritorium uel ullius momenti præstare, nisi sit in gratia & amicitia Dei. Rationem huius supra multis in locis, & præcipuè dist. 19. q. 1. arti. 2. attulimus. Cùm enim inter nos ex uiribus nostris proprijs & Deũ nulla intersit iustitiæ ratio, ut contra Pelagiũ decretum est, tum quòd opera nostra finita sunt, & meritum apud Deum infinitum, tum quòd iustitiæ nostræ quando in peccato sumus, ut Esaiæ 64. legitur, quasi pannus menstruatæ sint, fit ut nisi remissa culpa in gratia Dei simus constituti, nostraq; subinde opera ex fauore Dei fiant, Deo accepta esse non ualeant. Respexit. n. Deus, ut nuperrimè dicebamus, prius ad Abel, deinde ad munera eius.

6. Conclu. ¶ Et ex his fit alia sexta conclusio consequens, Nemini pro quo uel ecclesia uel alia quæuis priuata persona suffragia offerat, quicquam prosunt, nisi in gratia ille quoque sit. Quoniam ut nulla cuiuspiã opera, nisi qui prius per charitatem fuerit filius Dei, grata sunt Deo, ita neq; suffragia aut orationes, quæ pro illo, qui nõ est eius filius, offeruntur, accepta Deo sunt, ut in ratione satisfactionis ei prosint: licèt ratione meriti de congruo, ut explicatũ est, possit quis alteri, ut conuertatur, mereri. Imò requiritur, ut tunc sit ille in gratia, dũ suffragia pro illo offeruntur: nam licèt postea conuertatur, illa ei nõ proderũt ut eadem dist. 19. q. 1. artic. 5. monstratum est. Quare quæ pro aliquo uiuo offerũtur suffragia, si ille in peccato extiterit, uel proderunt offerenti si indiget, iuxta illud Psalmi. 34. Oratio in sinu meo cõuertetur, uel in ecclesiæ thesauro reponetur. Et idem est si offerantur pro illo, qui creditur esse in purgatorio (ubi nemo est nisi Deo charus) qui tamen est in inferno, aut in cœlo. Psal. 34.

¶ Per hæc iudicare quispiam de hoc interrogato potest, utrùm sicut dum dominus in gratia existens eleemosynam facit

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per seruum nequam, fructuosa est illa eleemosyna: ita si prælatus iustus iniquo subdito iniungat psalmos aliquos aut ieiunia in satisfactionem pro benefactoribus, orationes illæ & ieiunia sint apud Deum satisfactoria? Apparet enim sic habere propter utriusque exempli similitudinem. Et ita credit, docetq; Palu. distin. præsenti quæs. 1. Sed profectò mihi non satis persuasum est. Nam in eleemosyna pecunia ipsa est Domini, quare nil refert per quem illam pauperibus mittat: sed tamē orationes priuatæ personæ & pariter ieiunia sunt propria opera ipsius. Quare licèt prælatus meruerit iniungendo, opera tamen serui nequam non sunt Deo accepta. Accipe Paludani exemplum. Iubet Papa solennes uigilias pro defuncto summo Pontifice fieri, cap. ubi maius. de electio. lib. 6. si intelligatur, de uigilijs & missarum solēnibus, quæ nomine publico ecclesiæ canonicè fiunt, tunc licèt sacerdotes non sint in gratia, prosunt: quia fiunt nomine ecclesiæ. Et idem est de processionibus & litanijs solennibus & canonicis. Sed si Papa, uel episcopus uel prælatus in religione orationes & ieiunia & eleemosynas iniungat, certè quæ à peccatoribus fient, non erunt satisfactoria, quia sunt peccatorum propria.

Septima conclusio.

¶Postremum denique dubium est, utrùm dum quis pro alio suffragia offert, sibi ipsi, qui facit, etiam prosint. Ad quod septima conclusione respondetur. Opus pro altero in subsidium eius erogatum potest aut in ratione satisfactionis contemplari, aut in ratione meriti. Primo modo nisi opus satisfactionem superet, ad quam alter est obligatus, nihil eroganti prodest. Nihilominus de ratione meriti nihil ei deperit, imò plus ei pōt meriti accumulari, quàm si pro se offerret. Probatur prima pars. Satisfactio fieri debet ad æqualitatem pœnæ debitæ: si ergo tantum ille debet uel orationis uel eleemosynæ uel ieiunij, quantū ego pro illo offero, nihil sit reliquū, quod in meam cedat satisfactionem. Ex quo fit, quòd si illam eleemosynam non solū pro illo, sed pro me & pro illo offeram, minus utrique prodest, quàm si totum pro illo, uel totum pro me offerrem. Au uerò eadē de sacrificio, & oratione sit ratio, uidebimus articu. 4.

¶Posterior uerò conclusionis pars liquida est: quoniam opus quodcunque ex charitate profectum est illi meritorium, qui facit: opitulari autem alijs uel orationibus uel eleemosynis uel ieiunijs est opus egregiæ charitatis, cùm sit alterū alterius portare onera: ergo est id exhibenti meritorium. Imò tanta potest esse alterius indigentia, ut magis sit meritorium, quàm si ipse pro se faceret, nisi per hoc fortè impediretur pœnitentiam soluere, quæ sibi in sacramento fuerat iniuncta.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, Paulum loco illo citato retributionem tantùm docere condigni meriti: siquidem merita sunt opera, quæ per Dei gratiam seminamus: messis autem est uita æterna, iuxta illud Ioannis. 4. Qui metet, fructum congregat in uitam æternam. Hæc autem nemini nisi pro eius proprijs meritis confertur, iuxta illud Psalmi, Euntes ibant & flebant mittentes semina sua, uenientes autem uenient cum exultatione portantes manipulos suos. Quare dum quis pro alio suffragia offert, ille qui offert seminat meritum, & metet præmium: alter uero nec seminat nec metit, sed satisfacit per alterius suffragium.

Sol. 2. arg.

¶Et hinc colligitur solutio secūdi. Etenim cùm opus satisfacientis fiat ex sua liberalitate opus alterius, pro quo fit satisfactio, nihil derogat diuinæ iustitiæ, ut illud in solutum referat, acsi ipse offerret, & sic quodāmodo acceptatur illud quasi opus illius.

Sol. 3. arg.

¶Ad tertium uero respondetur, quòd laus & meritum nemini tribuitur, nisi ratione proprij operis, & ideo qui suffragia erogat, meretur laudari, alter uero minimè, sed beneficiū suscipit, quo expletur. Nemo enim ex opere alieno laudatur, nisi uel cōsulendo uel adiuuādo, cā eius extiterit. Quòd si rursus arguas. Par iustitia est reddere bona pro bonis & mala pro malis: sed nemini Deus pro alienis malis punit: ergo nec pro alienis bonis debet à proprio debito quempiam absoluere. Respōdetur, quòd auferre alicui sine causa quod suum est, diuinæ iustitiæ repugnaret, quod contingeret si innocentem quempiam pro alieno delicto puniret, præsertim æterno supplicio. Acceptare autem bonum alterius pro altero sic diuinæ iustitiæ non repugnat, ut liberalitatem Dei & charitatem, quæ est inter proximos, commendet.

Sol. 4. arg.

¶Ad quartum, quod defunctos respicit, respondetur, quòd defuncti in gratia decedentes, dum in corpore uiuerent meruerunt, ut alienis suffragijs post mortem iuuarentur, ut Aug. in Enchiridio cap. 110. ait. In hac enim, inquit, uita omne meritū comparatur, quo possit post hanc uitam releuari quispiam uel grauari. Et ideo illa etiam ratione retribuetur eis prout in coporibus gesserunt. Vel fortè prudentius dicendum, quòd Paulus loquitur de retributione, quæ in die iudicij pro proprijs operibus fiet, Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Id enim sententia illa significat, Opera illorum sequuntur illos.

Obiectio.

¶Ad aliud uerò respondetur, quòd quauis illi nobiscum non eandem constituant Rempub. nihilominus sumus charitate cō municantes, in qua charitate nostra fundantur suffragia.

Dilutio.

¶Quòd si rursus obijcias. Defuncti iā non sunt uiatores: ergo neque sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiendi: quibus illud adaptatur Iob. 19. Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit. Respondetur, quòd quauis non sint in uia merendi aut demerendi, ut respectu gloriæ ultra citraue progredi aut regredi ualeāt, nihilominus sunt in uia, eo quòd ab ingressu cæli remorantur. Et ideo licèt simpliciter sit eorum uia circunsepta suis gressibus, est nihilominus sic peruia, ut à nobis iuuari possint.

Sol. 5. arg.

¶Ad quintum per distinctionem responsum est. Peccatoris enim oratio & suffragium, quod non suo nomine, sed ecclesiæ uel alterius iusti facit, sunt quidem accepta Deo, non quia peccatoris, sed quia iustorum: nam licèt per charitatem faciētis, opus illud non uiuat, uiuit tamen per charitatem illud mandantis. Quare licèt sibi: scilicet, ministro prodesse non possit, quia non est dispositus ut fructum charitatis suscipiat, prodest nihilominus alijs, qui diuina sunt charitate imbuti. Suffragia uerò peccatorum, quatenus eorū sunt, Deo nec grata sunt, neque ad satisfactionem accepta, imò neque eorum orationes lege cōmuni perinde ac illas Deus exaudit, quæ sunt de condigno meritoriæ. In quo sensu ait in Pastorali Gregor. Cùm is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.

Gregor.

Deus exaudit peccatores.

¶Solet nihilominus Deus peccatorū preces exaudire, non quidem ob eorum dignitatem & meritum, sed si iusta petant, propter eius diuinam clementiam. Quare aliqui appellant illud meritum de congruo. At uerò ut. 2. lib. de natu. & gratia cap. 4. dicebamus, profecto in peccatore nulla potest esse ratio meriti nec de congruo. Sed Deus illos ex sua benignissima largitate quandoq; exaudit: at uerò pluries ex iustitia aures eorum precibus occludit.

Sol. 6. arg.

¶Sextum denique in septima conclusione per distinctionem dilutum est. In suffragio nanque pro altero oblato satisfactio alteri tribuitur, sed meritum facienti reseruatur.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm suffragia pro defunctis oblata quibuscunque defunctis prodesse ualeant.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

QVæritur secūdò prætermissis suffragijs, quæ pro uiuis offeruntur, quibusnam defunctorum prosint, utrùm scilicet omnibus. Et arguitur à parte affirmatiua: & primùm, quòd possint existentibus in inferno prodesse, arguitur ex uerbis Augustini in Enchiridio cap. 110. dicentis, quòd quibus ualent suffragia, uel ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, uel ad hoc ut tolerabilior sit eorū damnatio: sed plena remissio non fit nisi in purgatorio, & damnati nulli sunt nisi in inferno: ergo illis prodesse possunt, ut tolerabilius crucientur. Accedit, quòd ut in hi storia quadā uitæ Gregorij refertur, Traianus, qui magno annorum numero in inferno cruciabatur, precibus, eiusdem diui inde fuit liberatus. Quinuerò Damascenus in egregio illo sermone, De his qui in fide hinc migrarunt, id ipsum testatur dicens, quòd illius historiæ testis est Oriens omnis & Occidens.

2. Arg.

¶Secundò arguitur, quòd etiam pueris in limbo prosint, ex uerbis eodem loco Augustini dicentis, quòd suffragia ecclesiæ pro non ualde malis propitiationes sunt: pueri nanque cùm non propria uoluntate peccauerint, sed aliena in Adam, non sunt ualde mali æstimandi. Illis autem, qui non sunt ualde mali ait ibidem Augustinus suffragia prodesse.

3. Arg.

¶Tertiò arguitur, quòd etiam quodammodo prosint fœlicibus animabus, q̄ sunt in cælo: nam suffragiorum potissima sunt missa-

missarum solennia, in quorum una collecta habetur, Sicut sanctis tuis prosunt ad gloriam ita nobis proficiant ad medelam: quare in oblatione hostiæ, quæ in ratione sacrificij offertur, in tres particulas diuiditur, quarum tertia in calicem mersa beatos designat, ut distinctione. 13. quæstione. 2. artic. 5. diximus.

¶Quòd autem existentibus in purgatorio prosint, ambigere non licèt, secundùm uerbum Augustini loco citato, ubi ait, suffragia ecclesiæ prosunt his, qui sunt mediocriter boni uel mali: hi enim sunt qui in purgatorio detinentur. ¶In contrariũ est uerbum eiusdem sancti patris libr. de uerbis Apostoli sermone. 32. Qui sine fide, quæ per dilectionem operatur, eiusque sacramentis de corporibus exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis impenduntur officia, cuius (scilicet pietatis) dum hic erant pignore caruerunt. Et de beatis idẽ Diuus sermone. 17. de uerbis Apostoli, & citatur capit. Cùm Marthæ. de celebratio. missarum. Iniuria, inquit, est orare pro martyre, cuius nos debemus orationibus commendari.

Pars negatiua.

Quinq; opiniones.

¶Quæstio præsens iuxta receptaculorum numerum quatuor exigit conclusiones. Et quo à damnatis exordiamur, plures de illis olim: nempe, quinque uersabantur opiniones, quas hic Diuus Thomas refert, & aliquas tangit Augustinus in Enchiridio c. 12. Origenis nanque error fuit quod suffragia existentes in inferno iuuant, atque adeò cùm illa pœna sit secundùm intensionem finita, tandem multiplicatis suffragijs finiri ualent. Antiquus ille fertur Origenis error in libro Periarchon, ut ad Auitũ Hieronymus refert: scilicet, quòd ex dæmonibus possint fieri homines. At uerò homil. 9. super illud Matth. 19. Cum uenerit filius hominis, &c. hanc opinionem remissionis suppliciorum inferni referens, non ita firmiter uidetur ei adhærere.

Origenes.

Nota.

¶Alij uero & de tempore distinguebant, & inter personas. De tẽpore, inquam, aiebant, quòd licèt post diem iudicij omnia cessabunt suffragia: quare deinceps nullus in inferno existens illis iuuabitur, tamen ante illum diem quandiu hoc seculum duraturum est, prosunt nonnullis illorum. Ad cuius perspectionem inter personas illic occlusas sic discriminabantur, ut infidelibus, qui nec fide Christi imbuti, nec sacramentis initiati de hac luce migrarunt, quia nunquam membra Christi fuerunt, neque ecclesiæ filij, nequaquam ecclesiastica suffragia prosunt, quippe cùm ecclesia non nisi pro illis, qui fidẽ professi sunt, oret. Et illos censebant appellari ab Augustino ualde malos, de quibus in Enchiridio capit. 110. ait, quòd nostra suffragia nulla sunt illis adiumenta. Alij uero sunt, qui ecclesiæ gremio per fidem recepti fuerũt, & sacramentis imbuti, aliaq; opera genere suo bona præstiterunt. Sed nihilominus in peccato mortali animã expirarunt: atque hos arbitrantur appellari ibidem ab Augustino non ualde malos, atque adeò illis nostra opera suffragari.

¶At uerò quoniam extemplo illis occurrebat ambiguitas: uidelicet, inde cõsequi, eorum pœnam posse multiplicatis suffragijs tandem exhauriri, quod erat in errorem Origenis impingere, illum errorem cauere curantes bipertiti sunt. Præpositiuus enim cuius est secunda opinio, concessit posse tandem totam pœnam extingui, non tamen in perpetuum, ut Origenes censebat, sed usque ad diem iudicij, quando resumptis corporibus retrudendi in eadem tartara sunt, absque fine ullo & remedio cruciandi.

Præpositiuus.

¶Hanc uero opinionem absurditas hæc consequitur, quod remittatur pœna ei cui non est condonata culpa, quod tamen ordo diuinæ sapientiæ non permittit. Etenim cum, ut supra diximus, opera nostra nullam apud Deum sortiantur rationem iustitiæ ex uiribus nostris, sed ex sua gratuita acceptatione, fit ut nisi persona, quæ opus offert grata sit ei, opus nequeat esse acceptum. ¶Hoc ergo Porretani, quidam nomine perspicientes, aliam excogitarunt tertiam opinionem. Nempe per nostra suffragia illorum infernalium, qui in fide mortua Christi recesserunt, suppliciа minui: non tamen secundùm æqualem quantitatem, sed secundùm partes, eadem semper proportione minores. Verbi gratia. Si per unum sacrificium dimidium pœnæ remittitur, per aliud æquale dimidium illius residui tollatur & per aliud itidem dimidium residui: & cùm hac diuisione quantitas sit in infinitum diuisibilis, nunquam tota poterit exhauriri pœna. Horum autem opinionem probè ait Diuus Thom. multis modis deficere.

Porretani.

3. Opin.

Primò, quia huiusce modi proportionalis diuisio non tam spirituali cõgruit quantitati, quàm corporali. Secundò, quia non est ulla ratio cur subsequens æquale suffragium non tantundem pœnæ tollat quantum præcedens. Tertiò, quia cùm pœna sequatur culpam, & culpa nõ diminuatur, ratio non permittit pœnam minui. Quartò, quia licèt in diuisione lineæ procedatur in infinitum: deuenitur tamen ad tam exiguam partem quæ non sit sensibilis. Pariter ergo in diuisione pœnarum deueniretur ad insensibile, quod ferè esset in errorem Origenis recidere.

Altisiodorensis, opinio.

¶Altisiodorensis, ut hic ait Diuus Thomas, quartam meditatus est opinionem: scilicet, quòd per suffragia uiuorum licèt damnatorum pœnæ non remittantur, corroborantur tamen ipsi, ut minus eas sentiant. Quanuis libro. 4. capitulis duob. de damnatis opinionem. Præpositiui prius sustinens, probabilius arbitretur, quòd nullatenus damnatis prosint suffragia. Cuiuscunque tamen illa fuerit opinio, falsissima est. Nam cùm pœna infligatur, ut sensu cruciet, & culpa damnatorum nullatenus remittatur, non est iustitiæ consentaneum leuamen illud, ut minus sentiatur pœna. Præsertim quòd si illud esset uerũ, tantum posset irroboratio illa crescere, ut pœnarum sensum adimeret.

Quinta opinio.

¶Quinta demum opinio plusculum prima facie probabilitatis præfert: nempe, quòd suffragia, quanuis non aliter, hoc tamen modo refrigerium damnatis afferant, ut conspicientes non usque adeò esse à suis amicis in hac uita despectos, quin pro eis orent, minus doloris sentiant, quàm si uiderent prorsus esse obliuioni, & despectui habitos. Sed tamen hæc opinio legi communi non consonat. Quoniam, ut Augustinus in libro, de cura pro mortuis gerenda autor est, spiritus damnatorum non uident quæ apud nos aguntur. Quod autem supra legem communem suffragia eis Deus uiuorum reuelet, non est consentaneum.

Conclu.

¶His igitur posthabitis falsis opinionibus, statuitur prima huius articuli conclusio. Damnatis, qui in inferno cruciantur nihil ecclesiastica suffragia, secundùm ordinariam legem prodesse ualent, neque ullus eis potest opem ferre, sed debent in perpetuum ad iustum meritas pœnas luere, quia eas nusquam persoluere ualent. Dixerim secundùm legem ordinariam, propter illos, qui arbitrantur per singulare priuilegium posse secus contingere, quod citò examinabimus. Ratio conclusionis ex parte damnatorum est, quòd ratione sui status sunt in odio Dei obstinati, Deum subinde continẽter sua mente blasphemantes, quo sensu ait Psalmo. 6. Dauid, Conuertere domine & eripe animam meam: scilicet, dum uita mihi superest. Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? Quasi dicat, In mortis articulo, dũ corpus quod corrumpitur aggrauat animam, difficile est, ut homo sit memor tui: in inferno autem, impossibile: & cum nisi eorum, qui ipsi confitentur, Deum non miserear, non sint illi misericordiæ eius capaces, neque fructus passionis Christi, per quam solam & culpæ & earum subinde pœnæ remitti ualent.

¶Secunda ratio ex parte nostra est, quod suffragiorum fundamentum est charitas, qua sumus membra uiuentia in Christo: cùm ergo illi extra charitatem sint, nullatenus nostrorum suffragiorum participes esse possunt.

¶Confirmatur hoc ex sententia illa Matthæi. 25. qua ut beati in uitam æternam, ita & damnati in ignem mittuntur æternum. Nomen autem æternitatis hoc sonat, quòd res perpetuò sine interpollatione, aut ullo cremento, uel decremento, pari modo duret. Ergo sicut beatorum gloria, neque augeri, neque minui essentialiter potest, ita neque damnatorum tormentum.

¶Imò uerò adeò est hæc conclusio certa, ut pro damnatis orare peccatum sit genere suo mortale. Quoniam petere à Deo non licèt nisi quod secundum eius legem impetrare ab illo possumus. Cum ergo de damnatis stet firma sententia, uim obtinẽs legis, qua sunt ab eius misericordia exclusi, peccatum est, pro illis orare. Vnde Augustinus. Si scirem, inquit, matrem meam esse in inferno, non magis pro illa orarẽ, quàm pro diabolo.

Orare pro damnatis peccatum.

Augustin.

¶Atq; hoc est aliud receũ cõclusionis arg. Sunt etenim animæ eadem qua dæmones sententia damnatæ: pro dæmonibus autem orare non licet: ergo neque pro damnatis hominibus. Quocirca idem Augustinus

Aliud arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stinus loco in Enchiri. citato uniuersos infernales, siue infideles fuerint siue Christiani, appellauit ualde malos, quibus nostra suffragia auxilio esse non possunt.

¶Quapropter etsi Diuus Thomas impresentiarũ moderatè dixerit tutius esse simpliciter dicere quod suffragia non prosunt damnatis, nec pro eis ecclesiã orare, quia suo tempore (ut ex Altisiodoren. colligitur) in opinionibus id uersabatur: asseuerantius tamen iam nunc asserenda est conclusio, uel tanquam catholica, uel tanquã catholicæ proxima, saltem de lege cõmuni. Ille quippe est sensus illius Ecclesiast. 11. Vbi ceciderit lignum, illic erit: siue ad Austrum, siue ad Aquilonem: quasi nulla sit post mortem amplius, uel in cælo uel in inferno mutatio. Et de damnatis præcipuè intelligitur illud Deuterono. 25. Pro mensura delicti erit & plagarũ modus. Et Apocalypsis. 18. Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Et Iob. 7. Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendit. Sed præ omnibus ponderat, quòd infernus appelletur ignis æternus. Quapropter canit ecclesia, quòd in inferno nulla est redemptio, Quo uerbo omnes opiniones contrariæ excutiuntur. Nõ enim solum ait, Nõ est redemptio: sed nulla. Videlicet neque, ut possint indè exire, neque, ut possit eorum pœna remitti, neque, ut ullo ualeant refrigerio releuari. Quare in oblatione hostiæ nulla particula damnatis consignatur.

Testimonia sacra.

¶Sed afferebat pro se Præpositiuus, quòd ecclesia pro cunctis fidelibus defunctis orat, in illa collecta. Fidelium Deus omniũ conditor &c. scilicet, pro omnibus, qui fidem susceperunt. Iuxta uerbum August. loco citato dicentis, quòd orat pro omnibus baptizatis. Adde, quod saltè damnati, qui baptizati fuerunt mereri potuerunt, iuxta uerbum Augustini, ut ecclesia pro illis oraret. ¶Item orat ecclesia, ne animam defuncti absorbeat tartarus, quo nomine significari uidetur damnatorum infernus. Altisiodorensis præterea loco citato inter defendendum Præpositiuum, affert historiã de uita Sancti Brandani, qui uidit Iudam incedentem per prata, & rogatus cur non esset in inferno, respondit, quòd usque ad aliquod tempus refrigerium habebat propter bona quæ fecerat.

Fidelium Deus &c.

Historia Brandani de Iuda.

¶Respõdetur autem ad primum, quòd ecclesia non orat nisi pro fidelibus, qui discesserunt cum fide formata, quibus scilicet, redemptio Christi profuit: & ideo additur. Conditor & redemptor, & collecta sic cõcluditur. Vt indulgentiã quã semper optauerunt: scilicet, usque ad mortem, pijs supplicationibus consequantur. Quare licèt Christiani in gratia existentes mereatur, ut ecclesia post eorum obitum pro illis oret, tamen per peccatum mortale meritũ illud extinguitur: iuxta uerbum Ezechielis. 18. Si auerterit se iustus à iustitia sua, omnes iustitiæ eius quas fecit non recordabuntur. Et ideo August. in autoritate supra citata de uerbis Apostoli, Sermone. 35. ait, quòd eis qui sine fide quæ per charitatem operatur, de corporibus exierunt, frustra impenduntur suffragia. Idemq; repetit in Enchiridio. cap. 112. dicens. Frustra nonnulli damnatorum pœnam & cruciatus sine intermissione perpetuos, humano miserentur affectu: allegantes illud psalmi. Non obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Quia hoc, inquit, sine ullo scrupulo de his intelligitur, qui uasa misericordiæ nuncupantur.

Ecclesia nõ orat nisi p̃ fidelibus defunctis.

Sol. 1. arg.

¶Ad secundum respondetur, quòd ecclesia ante obitum orare potest & solet pro infirmo, ut ab inferno damnatorum liberetur: sed post obitum nequaquam, nisi ut liberetur à purgatorio, uel saltem pœna ei illa remittatur. Quod ideo purgatorium nomine Tartari intelligit, quia est locus horrendus: & animas quoque dicitur absorbere. Quapropter licèt iam tunc lata sit sententia, nihilominus ecclesia loquitur ac si tũc anima esset in iudicio. Et ideo inter preces ait, Ne intres in iudicium cũ seruo tuo. Vel dicendum, quòd etsi sententia lata sit, rogat tamen, ut illam pœnam uel in totum uel in partem cõdonet. Quare ubicunq; in exequijs orat, ut Deus pius & misericors indulgeat & abluat quicqd homo peccauit, non intelligit de remissione culpæ: nam si mortalis erat, iam anima est in inferno: uenialis uerò per propriam charitatem ei remittitur in purgatorio. Sed intelligitur de remissione pœnæ. Illa uerò historia Brandani non est authẽtica.

Obiectio.

¶Quod si arguas. Ecclesia orat pro uiuis existentibus in peccato mortali: ergo potest orare pro existentibus in inferno. Negatur

Dilutio.

gatur consequentia: quia uiuentes possunt conuerti & ideo orat ecclesia, ut conuertantur: damnati uerò, minimè.

Sol. 2. arg. autorũ.

¶Quo ergo ad argumenta respondeamus autoritas Aug. primo argumento citata interpretes iuris canonici conturbat super canonem, Tempus. 13. q. 2. non intelligentes quidnam Augustinus intellexerit per non ualde malos, & per ualde malos. Arbitrantur nanque etiam in inferno esse non ualde malos, pro quibus ideo orare licet: nempe, si fuerint Christiani: & ideo glossa incidit in illam confutatã Por retanorum opinionem, quod damnatis remittitur pœna, licèt inæqualis per æqualia suffragia. Et ideo cum subdit Au. quòd quib. prosunt: aut prosunt, ut sit plena remissio, aut ut tolerabilior fiat damnatio: primum membrum referunt ad eos, qui sunt in purgatorio, secundũ uerò ad quosdam existentium in inferno.

Sententia autorit.

¶Sed hęc omnia sunt manifestè falsa: quare, ut bona uenia dixerim, consultiùs isti facerent si de ijs quæ alienæ sunt facultatis nil definerent. Diuisio enim trimembris Augu. manifestè de tribus diuersis receptaculis intelligitur: appellat enim bonos cunctos fœlices in paradiso existentes, & ideo ait, quòd suffragia respectu illorum, qui illis non indigẽt, sunt gratiarum actiones: sed ualde malos appellat per contrarium extremum, uniuersos qui sunt in inferno, tã Christianos quàm infideles, etiam si minimo peccato mortali discesserint: idẽ enim est ualde mali, quod inimici Dei, & istis ait nullatenus suffragia nostra esse adiumenta, sed sunt qualescunque uiuorum cõsolationes. Et idem est de existentibus in limbo puerorum. Igitur per nõ ualde malos, omnes, solosq; intelligit, existentes in purgatorio, qui dicuntur esse & mediocriter boni, & mediocriter mali: quippe, qui ita sunt amici Dei, ut tamen in tempus arceantur ab eius conspectu. Et de istis duntaxat subdit suffragia illis, ut propitiationes prodesse, uel ut sit plena remissio, uel ut tolerabilior sit damnatio: non enim loquitur de damnatione inferni, sed appellat damnationem illam condemnationem purgatorij. Nam cùm pœnæ illæ sint longè inæquales, & patiter suffragia, quandoque contingit, ut per unum suffragium tota pœna tollatur, quandoque uerò non, nisi quòd una pars remittatur.

¶Historia uerò illa de Traiano diuũ Thomam, Altisiodorensem, & Theologorum plerosque non parum mouet. Nam quanuis apud Gregorium ipsum non reperiatur, Damascenus tamen autoritatem illi adrogat. Et primum omnes consentiunt non potuisse Traianum ab inferno eripi, & denique per eius contritionem & conuersionem: repugnaret nanque legi Dei aliter fieri. Et ideo aiunt precibus Gregorij resuscitatum in paruulum tempus, quo conuersus iterum defunctus est & saluus factus. Quinuerò Altisiodorensis in illo capitulo, de damnatis lib. 4. plures existimat ab apostolis ex damnatis infidelibus resuscitatos. Qui ideo potuerunt salui fieri. Quòd si ita est, necesse est subinde dicere conclusionem perpetuitatis inferni intelligi secundum legem ordinariam, sed ex priuilegio posse inde animas erui.

Historia Traiani.

¶Sed tamen primum omnium profectò de historia Traiani diffiteri non possum mihi fieri creditu durissimam: quoniam, ut supra diximus, certum est peccatum esse mortale orare pro damnatis. Quomodo ergo Gregorius hoc ignorare potuit? quòd si non ignorauit, quomodo secus fecit? Atqui Abulensis super quartum librum Regum quæstione. 57. fatetur Gregorium mortaliter peccasse orando pro Traiano, sed nihilominus fuisse exauditum, & in pœnam peccati condemnatum fuisse, ut dolore stomachi laboraret. Qd profectò nescio quis credat. Mallem dicere Gregorium dubitantem an esset in inferno orasse pro illo: sed neque hoc facile credo. ¶Item quòd aliqui fuerint ex inferno damnatorum resuscitati, qui postea in cælum euolauerint, uidetur rationi prædestinationis aduersum. Consequitur enim quòd aliqui prædestinati fuerint in inferno damnati: non simpliciter, sed sub conditione nisi postea resuscitarẽtur. Id quod autores illarum opinionum facilius concedunt, fortè quàm ualeant alijs persuasum facere. Nam uerisimillimum est in obitu cuiusque sententiam absolutè ferri, Ite in ignem æternum, aut in uitam æternam: qualiter est in die iudicij ferenda.

Abulensis.

¶Fateor tamen hoc argumẽtum non esse contemnendũ, quòd cùm Apostoli ac deinceps alij euãgelij promulgatores plures inter gentes excitauerint mortuos, cõie-

Argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctura fit, quosdam sua gentilitate damnatos suscitasse. Respondere tamen possumus fortè non suscitasse nisi eos, qui inuincibili ignorantia Christianæ legis laborantes in lege naturæ seruari poterant: aut alios catechumenos aut Christianos, atque adeò in purgatorio existentes.

¶Quibus autem contraria opinio placuerit: non subinde dicere tenentur, ut de existentibus in purgatorio & in limbo patrũ dicebamus, resuscitari confirmatos in gratia aut certos de sua salute. Satis enim amplum beneficium Dei erat, quòd cùm in inferno essent, restituerentur in uitam, in qua lege cõmuni possent saluari. At quanuis hæc teneatur opinio, quòd ex priuilegio possunt aliqui ab inferno exire, nullatenus tamen pro illis orare licet: quia oratio non debet nisi secundum legem communem fieri.

2. Conclu. ¶Secunda superiori similis conclusio est. Pueris non baptizatis in limbo suffragia uiuentium non prosunt. Et ratio est similis: quia sunt in perpetuum à regno cœlorum relegati: neque in uita meruerunt, ut eis defunctis suffragia prodessent. Neq; uerò sunt in charitate, qua sumus defuncti & nos tanquam membra uiuentia in Christo communicantes: quibus iubet Apostolus, Alterum alterius onera portare.

Sol. 2. arg. ¶Vnde ad secundum argumentum respondetur. Quòd quanuis pueri non damnentur nisi pro peccato, quod aliena uoluntate in Adam commiserũt: nihilominus sunt ualde mali ea ratione qua sunt Dei inimici, & eius fide carẽtes. Quod sufficit, ut eis non prosint nostra suffragia. Tametsi non sint tam mali q̃ qui in inferno cruciantur.

3. Conclu. ¶Tertia conclusio. Neque uerò beatis nostra suffragia quicquam ualent. Illos enim appellat Augustinus ualde bonos, respectu quorum nostra suffragia non sunt iuuamen, sed gratiarum actiones. Et ratio est patentissima: quoniam suffragia, ut nomen ipsum sonat, non sunt nisi auxilia, quibus miseris & egenis opem ferimus. Beati uerò ab omni sunt miseria & egestate immunes. Neque quippiam habent de quo satis facere debeant: neque uero eorum potest augeri fœlicitas: & ideo, ut ait citatus Augustinus iniuria fit sanctis dum pro eis oratur.

Sol. 3. arg. ¶Quapropter ad tertium argumentum respondetur, sacra altaris solennia prodesse sanctis ad gloriam: non quòd eis aliqua essentialis gloriæ ratio augeatur: cum obiectum illius gloriæ sit Deus. Sed nobis potiùs festa quæ illis feriamus, prosunt ad gloriam. Dicuntur tamen eis quodammodo prodesse materialiter, & extẽsiuè. Quia cum illa sacrificia quę nos facimus, uideãt in uerbo, de illis gaudent. Non quidem, quòd gaudium sit eorum intensius, sed extensius, quia gaudent de pluribus quàm antea: quod proinde appellatur gaudium accidẽtale. De quo gaudio intelligitur illud Lucę. 15. Gaudium est angelis Dei de uno peccatore pœnitentiam agente. ¶Ad aliud uerò de particula mersa in calice pro beatis. Respondetur, quòd non immittitur ad significandum, quòd sacramentum & sacrificium aliquid gratiæ, uel satisfactionis eis impartiatur, sicut suscipiẽtibus sacramentum: aut illis pro quibus sacrificium offertur, qui indigent adiuuari. Sed ad significandũ esse participes redemptionis Christi, & triumphare de uictoria parta dum hic militarent.

4. Conclu. ¶Quarta conclusio, quæ ex superioribus colligitur. Illæ defunctorum animæ, quibus suffragia uiuentium prosunt, sunt omnes & solæ existentes in purgatorio. Illas enim appellat Augustinus non ualde malas, quibus ait suffragia esse propitiationes. Quare de his intelligitur conclusio præcedentis articuli, qua diximus suffragia prodesse defunctis. Habent enim qui sunt in purgatorio conditiones duas. Priorem, quòd suffragijs indigent, quo differũt à beatis: posteriorem, quòd sunt in charitate, qua meruerunt, ut illis uiuẽtes suffragari possent: quo differunt à damnatis.

Probatio. ¶Hanc conclusionem refutant hæretici dicentes, in sacris Biblijs non contineri. At uero imprimis purgatorij confessione suppositа, quam locis supra citatis commonstrauimus: quanuis nullum esset sacrum testimonium, ratio ipsa charitatis & eius hanc ueritatem edocet. Pœnæ enim purgatorij adhibitæ sunt in supplementum satisfactionis, quæ in hoc sæculo non fuerat plenè consummata: & ideo uiui, sicuti uiuentibus, ita & istiusmodi defunctis suffragari possunt.

Libri Machabæorũ. ¶Nihilominus extat testimonium supra citatum. 2. lib. Machabæorum c. 12. Vbi legitur fortissimum Iudam mille drachmas argenti Hierosolymam misisse, offerri pro peccatis

peccatis mortuorum sacrificium: bene & religiosè de resurrectione cogitans. Mortuorum: scilicet, qui cum pietate dormitionem acceperant. Vnde subdit sacra historia. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluãtur. ¶At uero hæretici qui aliter respuere nam apertum testimonium non poterant: cogitarunt (quæ sua genuina uafricies est) autoritatem illorum librorum demoliri: dicẽtes non esse canonicos. At uerò quanuis in concilio Laodiceno relati non fuerint: neque Hieronymus in prologo galeato eos retulerit, tamen ecclesia, quæ ueluti aurora consurgens successu temporum magis ac magis spiritus sancti lumine in huiuscemodi decretis suscipiẽdis, amplianq; perfunditur: illos in canonem retulit, ut patet in concilio Carthaginensi tertio, cui Aug. subscripsit, qui ideo. 2. li. de doctrina Christiana c. 8. eos inter canonicos recenset. Et Gelasius Papa cap. Sancta Romana. distin. 15. & concilium œcumenicũ Florentinum, ac subinde Tridentinũ. Qui bus adeò sacrosanctis decretis fidem abrogare aut infirmare nefas est. Et Tobiæ. 4. Panem tuum, & uinum tuum super sepulturam iusti constitue.

Augustin. ¶Veruntamen Augustinus in libro, De cura pro mortuis gerenda. capit. 1. postquam testimonium illud Machabæorum ad hanc ueritatem allegauit, subiungit dicens. Sed etsi nunquam in scripturis ueteribus omnino legeretur, non parua hac consuetudine claret autoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiã commendatio mortuorum. Et de uerbis Apostoli sermone. 32. Orationibus, inquit sanctæ ecclesiæ & sacrificio salutari & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, ut cum eis misericordiùs agatur à Domino quàm sua peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum uniuersa seruat ecclesia, ut pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, atque pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm uerò eorum commendandorum causa operæ misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum est ista prodesse defunctis &c. Hæc ille.

Dionysius ¶Hæc autem ecclesiæ sancta consuetudo, ab ipso apostolorum æuo certum est originem ducere. Dionysius enim Pauli discipulus, in libro ecclesiasticæ Hierarchiæ c. 7. Quemadmodum sacer præsul pro defunctis oret, commemorat dicens, Sanctorum preces in uita ista, & non tantùm post mortem prodesse. Vbi dicens post mortem, insinuat & defunctis prodesse: & subdit. Inter precandum igitur oratur diuina bonitas, ut cuncta peccata defuncti per humanam infirmitatẽ admissa dimittat: eumq; in luce collocet: & regione uiuorum, in sinibus Abrahæ, Isaac, & Iacob, in loco unde aufugit dolor, tristitia & gemitus. Vide quàm sit antiqua precatio hæc, qua ecclesia in exequijs utitur defunctorum,

Greg. Nazan. Idẽ repetit antiquus ille Theologus Gregorius Nazanzenus in oratione funebri ad Cæsarium fratrem de matre sua. Et

Chrysost. Chrysostomus homilia. 41. super primam Epistolam ad Corinthios capit. 15, ait. Non est temerè hoc excogitatum, nec frustra memoriam mortuorum inter Sacra mysteria celebramus, nec temerè, qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat, pro omnibus in Christo dormientibus. Vnde concludit dicens. Opitulemur igitur his fratres, & memoriam pro ipsis faciamus. Et homilia. 69. & 70. ad populum mirificè de suffragijs mortuorum loquitur. Ad hæc eloquentissimè simul, ac religiosissimè Damas-

Damas. cenus totum illum citatum sermonem, de his qui in fide hinc migrarunt, hoc suffragiorum pro defunctis argumentum locupletat. Vbi ait Apostolos ipsos saluatoris discipulos memoriam eorum, qui fideliter obdormierunt habendam edidisse. Quod adhuc firmiter atque adeò sine contradictione obseruat Apostolica & catholica ecclesia Christi & Dei, à finibus usque ad fines terræ, ab eoque tempore usque in præsens, & in finem mundi usque. Omne hoc neque uanè, neque absurdè, neque temerè, fortuitove ordinatum est. Quæ enim Christiana religio erroris nescia suscipit, & in tot secula seruat inconcussa, minimè uana sunt, sed utilia, Deo placita, salutique nostræ conducibilia plurimum. Hactenus ille. Operosum autem nimis esset aduersus istos hæ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

reticos in suffragia oblatrantes uniuersa sanctorum patrum testimonia percensere. Consultissimè ergo simul ac sanctissimè, præter quotidiana suffragia & sacrificia, diem crastinum omnium sanctorum ecclesia dedicauit: quo uiuentium pietas animabus purgatorij suffragaretur.

¶Hinc fit uerbum illud Ecclesiasticum. In inferno nulla est redemptio: atque illud Psalmi, In inferno autem quis confitebitur tibi? binam expositionem admittere. Aut enim intelligitur de inferno dānatorum: aut si accipiatur nomen, ut etiam comprehendat purgatorium, intelligitur (ut in prædicto sermone ait Damascenus) comminatoriè, secundùm causas inferiores, puta secundùm exigentiam meritorum animarum quæ purgatorio deputantur: ut scilicèt, ad iustum pœnas luant: sed secundùm diuinam misericordiam, quæ uincit humana merita flectitur Deus, ut sententiam mutet: cuius exempla in Niniuitis, Achab, & Ezechia extât. Quare tantum potest esse suffragiū, ut tota expietur pœna: quæ quidem expiatio uicem habet purgationis, quæ erat facienda per ignem.

ARTICVLVS. II

Vtrùm solo sacrificio altaris, & orationibus & eleemosynis iuuentur defunctorum animæ.

VBSEQVITVR articulus tertius de suffragiorum numero & genere, & arguitur quòd non sint tantum tria illa suffragiorum genera quæ Augustinus sermone citato. 32. de uerbis Apostoli. & libr. de cura pro mortuis gerenda, commemorauit. Scilicet orationes sanctæ ecclesiæ, & sacrificium salutare, & eleemosynæ, quæ pro defunctorum spiritibus erogantur. Et arguitur primo à parte negatiua. Gregorius ad Bonifacium, & refertur cano. Animæ. 13. quæstione secunda. Animæ, inquit, defunctorum, quatuor modis soluuntur: aut oblationibus sacerdotum, aut precibus sanctorum, aut charorum eleemosynis, aut ieiunio cognatorum. Non ergo sunt tantum tria.

Partis negatiuæ argum. 1.

2. Argum. ¶Secundò. Et cura funeris, & sepulturæ pompa, ad suffragia pertinere uidentur. Refert enim Augustinus libro. 1. de ciuita te Dei, antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata, & exequias celebratas, & sepultura prouisa: & Tobias, angelo id attestante, capitu. 12. suæ historiæ sepeliendo mortuos Deum promeruisse refertur. Sunt ergo hæc defunctis adiutoria, alioquin uana essent.

3. Argum. ¶Tertiò & indulgentiæ, quas ecclesia in subsidium mortuorum largitur, illis prosunt. Ergo non sunt tantùm tria illa suffragiorum genera.

Pars affirmaua. ¶In contrarium uidetur militare August. allegata sententia.

Restitutio & satisfactio nō idem. ¶In introitu statim quæstionis præsentis, hoc admonere operæpretium est, quod distinctione. 19. prædiximus. Nempe restitutionem, & satisfactionem, non esse rem unam, sed diuersas. Restitutio nanque opus iustitiæ est inter homines: ut unusquisque quod debet reddat, quanuis citra iniuriam fuerit acceptum: satisfactio uerò fit Deo ratione iniuriæ. Quare suffragia ad satisfactionem pertinent, non ad restitutionem. Hoc ob id dixerim, quòd imperitum uulgus arbitratur animā defuncti in purgatorio detineri, quousque debitorum restitutio hic fiat, ueluti, si teneretur apud nos in carcere seculari: quæ quidem res est falsissima, diuinæque iustitiæ aduersa. Etenim si defunctus dum uiuebat, in ære alieno soluendo fecit, quod debuit, in suo scilicet, testamento id mandauit hæredibus, quos bona fide credebat suam executuros uoluntatem: & aliud purgandum non habebat, illico euolabit in cælum: quanuis debita nunquam soluantur. Quia culpa hæredum in illa restitutione facienda, nullatenus nocere potest defuncto: cùm in sua potestate non sit remedium adhibere. Deus enim neminem punit nisi pro proprijs culpis quas egit in corpore. Anima ergo non purgabit in purgatorio, nisi illud satisfactionis quod supererat remissis culpis. Quapropter purgato illo peccatorum reatu, quanuis debita nunquam soluantur, anima de purgatorio transmigrabit in cælum. Alioquin si exitus à purgatorio à uoluntate penderet illorum, quibus hic restitutionem facere incumbit, sequeretur, quòd si nunquam illam facerent, nunquam anima à pœnis illis

Imperitia uulgi.

Nota.

eripperetur quod est concessu absurdissimum. Econuerso si defunctus in restitutione hæredibus aut executoribus testamenti demandanda non fecit quod debuit, utpote, quia non bona fide existimabat esse faciendam, damnabitur quidem, quanuis illico post mortem fortè æs alienum soluatur. Itaque defuncto post mortem nihil refert quando fiat restitutio nisi fortè existens in cælo suorum diligentiam agnoscat, quæ illi erit grata. Sed executores testamenti uel hæredes tenentur debita soluere: ubicunq; credant esse animā defuncti, siue in inferno, in purgatorio, siue in cælo. Suffragia ergo solā sunt quæ existentes in purgatorio iuuant siue quæ defunctus pro se fieri mandauit, siue quæ uiui pro eis offerunt.

4. Conclu. ¶Hoc ergo suppposito ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima, licèt tria sint potissimum & maximè propriè suffragiorum genera: scilicet, sacrosanctum sacrificium missæ, eleemosyna, & oratio, nihilominus ieiunium quoque, & alia eiusmodi pœnalia opera ad id muneris conferunt. Probatur prior pars. Viuorum suffragia ex duplici radice defunctis prosunt: scilicet, & quia uiui defunctis per charitatem compingimur, & quia uiuentium intentio, ad eosdem defunctos refertur. Quocirca ea uiuentium opera suapte natura nata sunt defunctis præcipuè suffragari, quæ ad communionem charitatis, uel ad directionem intentionis in alterum attinent: sacramentum autē altaris, quia Christum continet, quo tota ecclesia unitur & consolidatur, est origo & uinculum charitatis inter omnes qui fide uiua sunt membra eiusdem Christi. Et ideo illud est suffragiorum omnium princeps: & quod potissimè suo genere defunctis prodest. Inter effectus autem charitatis, quæ est inter proximos, principem locum obtinet eleemosyna, quæ est miserorum subleuatio. Ob idque ratione eiusdem charitatis conuenit eleemosynæ propria ratio suffragij. At uerò ratione directionis qua intentio in alterum dirigitur, oratio etiam propriè inter suffragia collocatur. Quippe quæ non solùm respectum dicit ad orā tem, ut cætera bona opera, sed ad illum, p quo oratur. ¶Non constituimus hic utrā suo genere præstantior sit, oratio ne an eleemosyna. Nam cum oratio ad Deum immediatius dirigatur, præstantior suo genere est. Sed rationes explicamus quib. hęc propriè suffragia censeantur. Ieiunium uerò non tam propriè refertur ad alterum, quàm alia tria, sed ad ipsum ieiunantem: nempe ad macerationem & afflictionem proprij corporis. Et ideo quanuis propriè inter opera satisfactionis, quia pœnale est annumeretur: non tamen tam propriè inter suffragia quæ pro alijs offeruntur. ¶Et ea propter Augusti. tanquam propria suffragia illa duntaxat tria recensuit. Gregorius uerò laxius extenso nomine ieiunium quoque comprehendit. Et eadem ratione flagella & humi cubatio & alia id genus tristia molestaq; opera, potest homo pro suo defuncto in ratione suffragij perferre & offerre.

Ieiunium.

Aug.
Grego.

¶Et per hoc solutum est argumentū Gregorij. Ex quo sequitur quòd in ratione propria suffragij non tam æstimanda est ratio pœnalitatis: quam patitur ille qui suffragatur (qualis est in ieiunio) quàm effectus, qui in alium transit, qualis est in eleemosyna. ¶Eadem est ratio in sacramētis. Baptismus enim & confirmatio, & reliqua, quia non sunt nisi mera sacramenta: quorum effectus solum recipienti tribuitur, qui regeneratur, confirmatur, & ordinatur suffragiorum rationem minimè sortiuntur: sed eucharistia, quæ non solùm sacramentum, uerùm & sacrificium est. Quanquam uirtute operis operantis possint reliqua sacramenta ad suffragia referri, quatenus homo uel baptizatur, uel cōfitetur, uel ordinatur, ut maiori cum dignitate pro suis oret defunctis. ¶Autoritas uerò illa Paul. 1. ad Cor. 15. Si omnino mortui non resurgunt, quid faciunt illi qui baptizantur pro mortuis? uidetur insinuare quòd sicut eucharistia, ita baptismus offerri ualeat pro mortuis. At uerò illic Paulus imperitiā quorundā subnotat: qui dū ad fidē conuertebātur, postquā semel baptizabātur, ut fierēt Christiani, rursus baptizari cōtendebant pro suis defunctis, qui sine baptismo decesserant, existimantes illis profuturū. ¶At quoniā dictū est, sacrificium missæ, omniū suffragiorum esse potissimum, admonito hic opus est: quòd quanquam id uerissimū sit: ex obiecto & genere suo, quia Christus illic offertur, nihilominus ratione necessitatis pauperum, quos nobis Christus tantopere cō

Cur alia sacramenta non sint suffragia.

1. Cor. 15.

Eleemosyna pro defunctis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mendauit,dicens. Pauperes semper habebitis uobiscum,potest eleemosyna quandoque esse Deo gratior & acceptior in satisfactionem pro defunctis, quàm longa missarum multiplicatio. An sit ut quis negauerit missas imprimis esse pro defunctis offerundas. Veruntamen postquam aliquo numero pro ratione qualitatis personæ offerentur melius est largissimas eleemosynas ī pauperes profundere: quàm centenas aut millenas missas accumulare. Necessitas.n.pauperum et am corporalis efficere potest,ut uerum sit tunc etiã uerbum Christi. Misericordiam uolo,non sacrificium. Et diuites iussit, & de mammona iniquitatis amicos pauperes sibi conciliarent, qui eos reciperent in æterna tabernacula. Et in die iudicij non aliam rationem mittendi alios in uitam æternam, atq; alios excludendi, cõmemorat, quàm quia esuriui & dedistis mihi manducare. Nam quod uni, inquit, ex minimis meis feeistis, mihi feeistis. ¶Cæterùm missæ, quæ pro defunctis offerri ordinaria lege debẽt sunt illę quas ecclesia pro defunctis constituit dicendas: in quibus psalmos & collectas, ad rem propriè accommodatas optimo iudicio selegit cantandas, aut recitãdas. Quare ratione huius ecclesiasticæ institutionis eiusmodi missæ sunt magis meritoriæ & satisfactoriæ pro defunctis. Nihilominus ratione singularis deuotionis, qua defunctus erat erga sacratissimam uirginem uel erga alium diuum affectus: potest fieri compensatio, ut alię missæ in honorem eorundem sanctorum offerantur, qui pro defunctis Deum exoratum curent.

Defunctorũ missæ.

Secunda conclusio.

¶Secunda conclusio. Quanuis sepultura, per se nuda rationem suffragij nõ induat, exequiæ tamen quibus funus curatur suffragia sunt. In sepultura enim tria est considerare: scilicet, officium ipsum humandi tumulandiq; cadauer. Præterea pompas & ornamenta, quibus funus honestatur. Et tertiò exequias. Et de sepultura quidẽ fuit inter Ethnicos error, ob id cadauera cremari aut humari, ut animæ quietis sedem obtinerent, quæ ante cadauerum sepulturam potiri negabant. In quam sententiam Augusti. illud Maronis Aeneidos. sexto. refert. Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta Transportare, prius quàm sed bus ossa quierunt. Sed religio christiana fabulosa illa figmenta execratur. Vbicunque enim corpora nostra cadant, siue in bello, siue in mare, ut cadaue ra siue auibus, siue piscibus esca sint: polli citus est nobis Christus nec capillum capitis nostri periturum. Ob idq; nos admonuit ne eos qui corpora tantum occidunt, timeremus: quippe, qui in animabus nihil amplius habent quid faciant. De hac re loco citato Augustinus & lib. 1. de ciuitate Dei, & Chrysostom. super epistolã ad Hebræos, & refertur can. Vbicunq; 13. quæst. 2. Vbicunque enim, inquit, sepeliamur: domini est terra & plenitudo eius. ¶At nihilominus officium sepulturæ Christianum obsequium est, idemq; tum uiuis, tum etiam ipsis defunctis utile. Vius quidem & quantum ad corpora, ne cadauerum aspectu offendantur, & fœtoribus afficiantur. Et speciatim quantum ad animas: quoniam per hoc officium fidem resurrectionis profitemur deponentes corpora, unde postea cum dotibus gloriæ resurgant. Et præterea affectum ostendimus quo charos nostros & necessarios etiam à nobis decedentes prosequimur. Quare cadauera non ritu gentilico comburimus, sed humamus, profitentes de terra corpora nostra esse plasmata, atque iterum in terram esse resoluenda: iuxta illud, Terra es, & in terram ibis. Præterquàm quòd humana corpora exurere horror est. ¶Sed & defunctis quoque sepultura beneficium est. Nam sepulchra inspicientes eorum memoriam retinemus, & pro eis oramus, & alia offerrimus suffragia. Quapropter & in locis sacris officiosa religio est, mortuos sepelire. Nõ quòd ex ipso opere & loco aliquid accrescat defuncto: sed ratione deuotionis, aut defuncti: qui præcipiens in aliquo sacello sepeliri, illius diui precibus se commisit: uel propter deuotionem uiuorum, qui dum sacrificiis ibi intersunt, in memoriam defunctos reuocant. Ob id nanque, ut eodem libro ait Augusti. Sepulchra & tumuli memoriæ uel monumenta dicuntur, quòd moneant mentem. Ad hæc cùm caro sit pars naturæ, unde Apostolus ad Ephes. 5. ait. Nemo carnem suam unquã odio habuit: ex illo iusto carnis affectu, homines charorum funera curant. Vnde eisdem locis Augustinus, Si paterna, inquit, uestis, si anulus, acti quid huiusmodi, tanto

Sepultura.

Ethnicus error.

Augusti.

Officiũ sepulturæ Christianę

Cadauera non cremã tur.

tanto charius posteris est, quanto erga parentes maior affectus, nullo modo ipsa aspernenda sunt corpora, quæ utique multò familiarius, atque coniunctius, quàm quælibet indumenta gestamus.

Sepultura ipsis misę fructuę.

¶Quapropter sepultura unum ex operibus misericordiæ est: quod Tobias exercuit, & Christus etiam impendi sibi uoluit: non tamen tantum, ut eius sit in die iudicij mentionem inter cætera facturus. Quinuerò Matthæi. 8. illi qui sequi ipsum recusabat, causatus quod uellet mortem patris expectare quem sepeliret, Dimitte, inquit, mortuos, id est, mortalia curantes, sepelire mortuos suos. Quãuis illic eos potiùs increpare uoluit quos cura uiuentium parentum à professione religionis cohibet uel remoratur. Cæterùm patres antiquæ legis in terra promissa sepeliri curabant: ubi Messia erat & nasciturus & moriturus. Qua utique religione Abraham emit agrum, ubi sepeliuit Saram uxorem suam. Genesis. 23. ubi ipse postea tumulatus fuit, & Isaac, ac demum Iacob, ex Aegypto illuc fuit deuectus.

Pompa funerum.

¶Pompa uerò funerũ nihil defuncto prodest, ut pullæ uestes, & atræ, & lamentationes & planctus. Nam ut ait Augustinus in eodem libro de cura pro mortuis, & Greg. 4. dialo. & refertur. 13. q. 2. cano. Animæ. Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis uiuorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio uilis aut nulla.

Moderatus luctus.

¶Quanquam si luctus illa indicia cũ moderamine fiant, non sunt Christianæ religioni aduersa, ut Ambrosius in libro de obitu Theodosij. 13. & refertur. q. 2. cano. Quia alij. Nam defuncto eodem Iacob, ut Gene. ultimo refertur, præcepit Ioseph patrem sepeliri, & septem diebus luxit eum. Et Deut. 24. legitur: quod defunctũ Moysen filij Israel triginta diebus fleuerunt. Et Dauid luxit mortem Amon filij sui multis diebus. 2. Reg. 13. Nam si de alijs temporalibus damnis, licitum est cum moderamine tristari, multò iustius de morte parentis aut alius necessarij, cuius uita chara nobis erat, atq; aliquid afferebat emolumenti. Christus enim super mortem Lazari lachrymatus est, & Maria Magdalena plorauit & fleuit ad monumentum Christi. Sunt hæc enim amoris indicia. Excessus tamen est uituperio dandus, ut ait Cyprianus: can. Quàm præposterum. eadem causa & quæst. Est enim aut pusilla animitatis, ut ait Chrysostomus, aut certè eorum qui non habent certam spem resurrectionis, aut pluris hanc uitam, quàm illam perpetuam æstimantium. Vnde Apostolus. 1. ad Thessalonicen. 4. non simpliciter prohibet contristari de morte, sed contristari sicut gentes quæ spem non habent. Illæ enim resurrectionis fide carentes existimãt defunctos simpliciter in perpetuum mori. Nos autem debemus existimare eos quasi dormire: ob idque eo moderamine contristari, ut certa resurrectionis spe consolemur.

Moderatus luctus.

Exequiarũ ritus.

¶In exequijs demum sunt primum sacrificia & canonici psalmi, quæ propriè suffragiorum rationem obtinent. Sunt & orationes, & preces, ad rem profectò aptissimæ, & in ordine nostro deuotissimę. Adhibentur præterea & oblationes: nempe, cera & oleum, quæ quidem oblatio antiquissima fuit, ut Damascenus in citato sermone refert: sunt enim luminis fomẽtum, quod ante sacrificium & sacramentum altaris ardet. Vnde Athanasius ibidem à Damasceno allegatus. Licèt in aerem inquit, qui in pietate consummatus est depositus fuerit, ne renuas oleum & ceras, dominũ inuocans in sepulchro accendere: accepta enim ista sunt Deo, & multum ab eo recipientia retributionem. Adhibentur nihilominus in sacerdotum subsidium oblationes panis & uini, quæ rationem eleemosynarum repræsentant. Hæc ergo officia religiosa sunt, nisi ubi uani excessus, qui ad captandam inanem gloriam adhibentur, religionem obnubilant.

Damascę.

Athanas.

Apostо.

Sol. 2. arg.

¶Secundi ergo argumenti solutio per ea, quæ dicta sunt explicata est. Dictum est enim sepulturam per se non esse satisfactionem pro defuncto, sed resurrectionis testimonium: atque illam ob causam Tobias in humandis hominibus officiosus fuit.

3. Conclu.

¶Tertia conclusio. Indulgẽtiæ quas ecclesia defunctis impertitur, eis in ratione satisfactionis suffragãtur. De indulgentiarũ beneficio, satis superq; distin. 21. scriptum reliquimus. Quare impræsentiarum huius particulæ, quæ ad defunctos spectat meminisse sat est. Indulgentiæ enim quarum autoritatem penes ecclesiam esse, qua

Universidad de Deusto
Biblioteca

rumq; fructum nobis prouenire illic satis ostendimus uel uiuis conferuntur, uel etiã defunctis. Igitur quæ uiuis conceduntur illis tantum prosunt, qui faciunt quod indulgẽtiæ iubent. Vt cùm indulgentiæ sub hac forma conferuntur. Quicunque talem erogauerit eleemosynam, aut basilicas uisitauerit, hos dies aut annos remissionis obtineat: his duntaxat, qui id faciunt prosunt. Cùm uerò in defunctorum subsidium sub hac forma indulgentur: si quis pro suis defunctis talem eleemosynam erogauerit, aut recitauerit psalmos, hæc aut illa remissio eis fiat: tunc illud subsidium per modũ suffragij auxiliatur defuncto. ¶ Quo fit, ut illo loco adnotauimus, non eodem prorsus modo, quo uiuis posse pótificem aut alium prælatum defunctis remissionem indulgere. Nam uiuis bifariam id potest: uno modo per uiam absolutionis, potestate clauium qua in subditos utitur. Quinuerò, ut in sacramento prælatus absoluendo à culpis, etiam à pœnis uel in partem, uel nonnunquam in totum absoluit: ita & exrra sacramentum, pro pia causa potest pontifex pœnas remissarum culparum absoluendo relaxare. Quamquidem autoritatem non habet in defunctos: eo quòd non sunt iam sibi subditi, neque ad eos eius iurisdictio extenditur. Sed alio modo confert indulgentias per modum suffragij: & hoc pacto confert defunctis, applicando illis thesaurum ecclesiæ, quo defuncti ipsi censentur debitũ soluere, ut expiẽtur, sicut si personę priuatæ pro illis satisfacerent. ¶ At ambigere, ut illic etiam diximus fortè quis potest, non ea lege ordinaria & infallibili Deum acceptare indulgentias pro defunctis, qua lege meritum condigni acceptat ad præmium merentis, eo quod defuncti iam sunt non modò extra iurisdictionẽ ecclesiæ, uerùm & extra uiam: unde fit coniectura non tam infallibiliter eas acceptare. Sed ueluti in merito de congruo, si ei placuerit preces acceptat quas unus pro alio fundit. Nihilominus tamen tutius est dicere, quòd semper, certa lege eadem indulgentias acceptat, sicuti & alia suffragia, & preces, quas ecclesia publicitus offert, post quam offeruntur pro illis qui sunt in gratia. Et idem uidetur dicendum de satisfactionibus priuatis, quòd suffragijs, quę singuli pro suis offerunt defunctis. ¶ Sed unũ est hic graue dubium. Vtrùm si ille qui indulgentiam pro suo defuncto suscipit, est tunc in peccato mortali, prosit defuncto: & apparet prodesse postquã defunctus est in gratia. Ad hoc respondetur, ut eadem distin. q. 2. art. 3. dicebamus: suppositia illa ueritate quod existenti in peccato indulgentia non prodest, quod nihilominus si peccator sumat indulgentiam pro amico existenti in gratia, uidetur prodesse amico: quia sumens indulgentiam non facit nisi donare illam pecuniã & pretium amico, quo indulgentia constitit. Et isto modo etiam uidetur prodesse defunctis, non in ratione meriti, quia illa solutio pecuniæ nullius est meriti. Sed quia indulgentia applicatur à Pontifice quomodocunque soluatur pretium. Secùs si conferretur indulgẽtia sub hac forma, Quicunque recitauerit hos uel illos psalmos, aut uisitauerit altare, obtineat pro defuncto talem remissionem. Nam tunc illa sunt propria opera facientis, quæ ideo si in peccato fiãt, nullius sunt ualoris. Et idem est si diceret Pontifex. Si quis dederit eleemosynam pro suis defunctis: nempe, quod si fieret in peccato nihil prodesset.

Notandũ.

Dubium.

Dubium.

Solutio.

¶ Eodem articulo quandam opinionẽ recitauimus Caietani in opuscul. 21. q. 5. dicentis indulgentias nõ prodesse defunctis nisi illis præcisè, qui singularem deuotionem habuerunt ad claues ecclesiæ, p quas indulgentiæ conferuntur, & singulare curam gesserunt opitulandi defunctis. Est tamen opinio singularis & infirmissimo fundamento subnixa. Augustinus enim, non ait nisi quòd suffragio prosunt quibuscunque defunctis, qui in fide per charitatẽ operante decesserunt: quicunq; enim eiusmodi defuncti meruerunt, ut sibi suffragia prodessent: quia decesserunt in charitate in qua suffragia fundantur. Fingere ergo quòd præter illud essentiale meritum requiratur aliud, quod Caietanus appellat accidentale, est gratis loqui. Cætera illic sunt reuisenda. Nempe, quemadmodum, ut istæ indulgentiæ ualeant requiritur pia causa, eademq; pro quantitate indulgentiarum sufficiens, & reliqua.

Caietani opinio.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm suffragia quæ pro singulari defuncto fiunt plus ei quàm alijs prosint, aut plus q̃ si in genere pro pluribus fierent.

POstremo tandem articulo, quæritur de modo & gradu quo suffragia auxiliãtur defunctis. Et est bipertitus. Vtrũ scilicet suffragia quæ pro uno fiunt omnibus æquè prosunt. Et è conuerso utrùm quæ pro pluribus in genere fiunt, tantundem singulis prosint, quàm si pro singulis offeruntur. Et arguitur à parte affirmatiua utriusq; membri. Suffragia, ut secundum Aug. dictum est, illis sunt defunctis adiumenta, qui dum uiuebant meruerũt, ut sibi post obitum prodessent. Sed omnes in charitate ab hac luce demigrantes id meruerunt. Imò plus illi qui auctiori charitate decesserunt: ergo illis cumulatius prosunt.

Partis affirmatiuæ arguit. 1.

1. argum.

¶ Secundò arguitur, quia nisi hoc esset uerum cùm pro pauperibus rariora offerantur suffragia, deterioris essent conditionis, contra illud Lucæ. 6. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum Dei.

2. Argum.

¶ Tertiò de altero membro arguitur. Suffragia, præcipuè orationum, diuina uirtute nituntur: sed diuinæ uirtuti non est difficilius multis quàm paucis subuenire: ergo quantum quis iuuaretur oratione singulari pro eo oblata, adiuuabitur, licèt offeratur simul pro pluribus. ¶ In contrarium est exemplum quod ab humanis licet ad diuina transferre. Etenim quando quis pro aliquo debitore peculiariter soluit, non soluit pro alijs. ¶ Item si oratio pro pluribus oblata tantum prodesset singulis, quantum si singulariter pro illis offerretur, uana esset ecclesiæ cõsuetudo statuentis, ut pro singulari defuncto, singulare fieret suffragium.

Pars negatiua.

¶ Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. De prima enim quæstione fuit Præpositiui de quo supra meminimus, opinio, quòd suffragia facta p uno defuncto non plus ei quàm uniuersis prosunt, imò tanto plus alijs, quanto maiori fuerint præditi charitate. Id quod duobus exemplis ostendebat. Primò quòd si fax in aula accendatur regi, non plus ei quam aulicis ibidem astãtibus lucet, imò plus alijs qui perspicaciori fuerint uisu. Item si prælato ad mensam quippiam legatur, nõ magis ipse lectionem audit, quàm reliqui assidentes, imò reliqui eo magis quo acutiorem habuerint auditum. Alij uerò per oppositum dicunt simpliciter magis prodesse illi pro quo suffragia fiunt quàm reliqs.

Præpositiui.

¶ Est tamen operæpretium, & de suffragiis ipsis, ac subinde de eorum ualore distinguere. Suffragia enim, ut supra diximus, alia sunt in genere oblata, quorum cuncti Christi fideles sunt participes: alia uerò quæ peculiariter pro hoc aut illo offeruntur. Et hæc rursus in duplici differentia: quædam scilicet, quæ sua sponte amici & necessarij pro suis defunctis offerunt: alia uerò quæ defuncti ipsi pro se fieri iusserunt: & hæc sunt omnium maximè peculiaria. Rursus suffragia trifariam prodesse possunt, uno modo in ratione satisfactionis, ut hactenus dictum est. Secundo in ratione orationis & impetrationis, ut dũ quis orat Deum, ut pœnas defuncto condonet. Quæ quidem impetratio non necessariò consequitur orationem, quia non est meritum condignum. Tertio modo per modum meriti de congruo, quia omne opus factum in charitate pro alio qui est in chatitate potest ei mereri de congruo: & ideo existenti in purgatorio potest mereri aliquam remissionem pœnæ.

¶ His suppositis, sit prima conclusio. Suffragium peculiariter oblatum pro singulari defuncto, licèt ratione charitatis in qua fundatur, prosit quibuscunque in ea existentibus: nihilominus simpliciter plus prodest illi pro quo offertur. Quinuerò sæpè in ratione satisfactionis illi soli. Sensus prioris partis est, quòd cùm sit satisfactio pro uno defuncto, omnes existentes in purgatorio, qui illud beneficium nouerint, imò & uiui oblectantur de illo beneficio alieno quod ille suscipit: & quo sunt maiori charitate infusi, magis oblectantur. Sed nihilominus in ratione satisfactionis soli illi auxiliantur pro quo offeruntur. Siue indulgentiæ sint ecclesiasticæ, siue priuatæ eleemosynæ. Diximus autem sæpè illi soli prodesse: quia sacrificia communia, & publica ecclesiæ licèt pro singulari defuncto offerantur: etiam pro alijs quodammodo satisfaciunt. Quare & collectæ communes intermiscentur, tametsi non tantum quantum pro illo, pro quo offeruntur.

1. Conclu.

¶ Quo circa exempla illa Præpositiui non sunt ad rem accommoda. Suffragia enim hæc peculiaria, non comparantur lumini aut lectioni quæ non potest uni lucere, quin luceat alijs astantibus: neq; audiri ab uno

uno quin audiatur ab alijs. Sed comparatur solutioni: quam quispiam singulariter pro aliquo amico facit,& non pro alijs.

2.Conclu. ¶Secunda conclusio. Inter particularia suffragia illa magis sunt singularia ac perinde cæteris paribus plus adiuuantia, quæ ab ipso defuncto sunt fieri iussa. Quoniam sunt ueluti propriæ satisfactiones, quibus quispiam sua propria deuotione & opera pro se ipso satisfacit.

Sol. 1.arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur,quòd iusti non meruerunt in hac uita absolutè, ut omnia suffragia futura in ratione satisfactionis illis prodessent: sed conditionaliter,si pro illis offerrentur. Illud enim mereri non fuit aliud quàm facere se per charitatem capaces illorum suffragiorum quæ pro illis fierent, atque habiles ad eorum percipiendum fructum.

Sol. 2.arg. ¶Ad secundum uerò quod de pauperibus subiungitur, respondet hic Magister sententiarum duas referendo opiniones. Quidam enim dicebant, quod pauperib. tantùm suffragantur sola communia suffragia ecclesiæ, quantum diuitib. communia simul cum specialibus. Alij uerò quòd specialia auxiliantur diuitibus, ut celerius à pœnis liberentur, non tamen ut plenius. Sed sunt opiniones desertæ. Et ideo respõdetur cũ Diuo Thoma nihil obstare quominus diuites hac parte melioris sint conditionis:ut scilicet cumulatiorib. eleemosynis,magis subleuentur à pœna purgatorij. Sed multo pretiosius est, quòd pauperes,cum minori periculo, & maiori cumulo charitatis ad ampliorem gloriam accentur:cum diuitib. neq; tam facilis sit ingressus neq; ad tantam gloriam.

Dubium. ¶Circa secundam conclusionem est dubium. Vtrùm dum defunctus tanta pro se iussit sacrificia & eleemosynas atque alia suffragia fieri, quæ toti pœnæ purgatorij persoluendæ sufficerent, mora postmodũ eadem suffragia faciendi eidem noceat defuncto,ne tam cito pœnas euadat. Videtur enim nihil ei nocere: nam ut de mora restituendi art.præcedenti dicebamus: id quod in potestate defuncti non existit nullum debet ei nocumentum afferre.

Sol.dubij. ¶Respondetur bifariam huiusmodi suffragia considerari, uno modo in uirtute operis(ut aiunt)operati: atque alio uirtute operis operantis. Atqui nomine operis operati non tantùm intelligitur sacrificiũ missæ, sed quantitas ipsa eleemosynæ, & numerus missarum, quæ fieri & offerri iubentur. Et opus etiam operantis intelligitur,uel ipsius suffragia mandantis,uel ministri mandatum exequentis. Quantum est ex uirtute operis operantis:nempe,iubentis opus fieri, cum primum moriturus iubet hæc uel illa suffragia fieri,quæ bona fide facienda credit: consequitur ualorem ex opere operantis:scilicet,ipsius iubentis prouenientem: siue post modum suffragia fiant,siue nunquam. Itaque si ratione illius affectus,& iussionis,dignũ est,ut quatuor ei gradus pœnarum remittantur:nunquam illos in purgatorio patietur. Quod autem respondet operi operato,&affectui exequentis mandatum, non assequetur usque dum suffragium executioni mãdetur. Exempli gratia. Si in suo testamento scripsit, ut decies sacrificium missæ offerretur pro eo:ualorem sacrificij, & illum qui deuotioni sacerdotis respondet non consequetur,quousq; eadem offerantur sacrificia. Et si iussit eleemosynas erogari in pauperes,qui orent pro se ipso, neque ualoré illarum precum obtinebit, quousq; fiant. Quapropter non est eadem ratio quæ de restitutione: nam hæc sunt suffragia quæ oblata prosunt,& secus minimè. Quo fit multum referre quod statim demandata suffragia opere compleantur.

Tertia cõclusio. ¶Tertia conclusio. Suffragium pro multis oblatum,nulli eorum tantũ prodest:quantum si pro illo duntaxat offerretur In eleemosynarum exemplo,clarissima est conclusio,quippe quæ ex superioribus colligitur. Dictum enim est, suffragia & ex radice charitatis prodesse,& ex intentione ad certam personam relata. Ex radice charitatis nascitur gaudium & oblectatio iustorum,sed ex intẽtione pullulat satisfactio. Igitur si quis decem aureos in satisfactionem decem defunctorum distribuat: scilicet, pro singulis singulos: certum est pro nullo tantum satisfacere, quantum si pro illo decem omnes largiretur.

Valor sacrificij missæ. ¶De sacrosancto uerò sacrificio missæ supra dist. 13.q.2.ar.1.latè discussum reliquimus. Vtrùm oblatum pro pluribus tãtum pro singulis satisfaciat,quantum si pro singulis offerret. Et tenui iudicio nro pars negatiua probata fuit. Quanuis offerentes, nempe astantes,qui omnes suo ordine offerunt,non quo plures sunt,eo quisq; minus

D.Thom. nus percipit fructus. Quoniam singuli totum sacrificium offerunt. Et eandem opinionem hic D.Thomas edocet.q.2.art.4. quæstiuncula. 3.in solutione secundi, dicens.Quod quanuis uirtus Christi quæ cõtinetur sub sacramento eucharistiæ sit infinita: tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur. Vnde non oportet quòd per unum altaris sacrificium, tota pœna eorum, qui sunt in purgatorio expietur: sicut ẽt nec per unũ sacrificium quod aliquis homo offert, liberatur à totasatisfactione debita pro peccatis.Qua de causa,quandoque plures missæ in satisfactionem unius peccati iniunguntur.Quibus uerbis manifestè D. Tho. confitetur opinionem hanc, quæ tandem more & usu ecclesiæ confirmatur: quippe quæ pro singulis personis singulas missas offerre consueuit:testata non tantum pro desse singulis,si in genere pro multis offerentur. At quoniam loco citato ẽt emunctiùs,quàm lib.9.De iusti.& iure. q.2.art. 2.hanc quæstionem discussam decidimus: molestum esset eandem impræsentiarum repetere.

¶De orationib.ergo & psalmis eadem est rõ,qp si pro uno particulari offerantur, ut defunctorum uespertini & nocturni, & collectæ,plus illi prosunt quam in genere pro multis oblatæ.

Hieron. ¶Vnum aũt Hierony. uerbum de consec. d.5.can.Nõ mediocriter. offert arg.in cõtrarium. Ait quippe.Cùm pro cunctis aïa bus psalmus uel missa dicitur, nihil minus quàm si pro uno quolibet diceretur, accipitur. Ad hoc aũt respondimus loco citato.De iusti. & iure,per dist. quam hic secũdùm S.Tho.secuti sumus. Nempe qp ex radice charitatis nõ minus meretur,qui pro plurib.psalmum offert,q̃ qui pro uno:imò maius præbet charitatis indicium. Et singuli eorũ,qui sunt in charitate,æquale oblectamentum & gaudium percipiunt. Sed tamẽ rõne intentionis quæ ad unum dirigitur,non tantum satisfactionis applicatur singulis quàm si peculiariter pro uno offerretur.

QVAESTIO TERTIA, DE orandis sanctis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm Sancti sint à nobis orandi.

Quæstio 3. TErtia hæc quæstio, de orandis sanctis adhiberi hic solita est, ut simul cum suffragijs quibus nos existentes in purgatorio iuuamus, orationes cõponamus quibus nobis uicissim sancti suffragantur. At uerò quoniam materia hæc de oratione non est loci huius propria, sed ad materiam spectat religionis de qua ideo D.Thomas.2.2.q. 83.locupletissime disseruit: Solam hanc particulam de orandis sanctis hic breuiter disputabimus. Est ergo primus articulus,utrùm sancti sint orandi. Et arguitur à parte negatiua. Vanum est illos orare qui nostras non audiunt orationes: sancti uerò nec nobiscum conuersantur, nec nos exaudire possunt: ergo uanum est cum illis nos orando colloqui. Minorem Augustinus in libro, de cura pro mortuis gerenda: multis id uidetur probare. Inducens enim illud Isaiæ.63.Pater noster es, & Abraham nesciuit nos & Israel ignorauit nos:hoc pacto colligit. Si tanti patriarchæ quid erga populum ab eis procreatum ageretur ignorauerũt,quomodo mortui uiuorum rebus atque actibus cognoscendis adiuuandisque miscentur? Quasi dicat nullo modo. Idemque confirmat ex historia iusti Iosiæ. 4. Regun. 22. quem Deus morte præuenit, ne mala gentis suæ uideret.

Partis negatiuæ argum.1.

2.Arg. ¶Secundò arguitur. Non opus est amicos principis adire, qui pro nobis interpellent, nisi quia eos, aut clementiores arbitramur quàm principem ipsum, in nos magis propensos: Deus autem infinitum clementior est in nos quàm omnes sancti, & paratior nobis suppetias ire: quippe, qui ut habetur Apocalypsis tertio ad ostium nostrum semper assistit pulsans: ergo nihil opus est sanctos inter ipsum & nos interponere: imo uidemur iniuriam illi irrogare, dum per alios impetrare cogitamus, quod ipse paratissimus est nobis conferre.

3. Arg. ¶Tertiò arguitur. Alium quemuis mediatorem inter nos & Deum agnoscere, hæresis est contra illud Pauli primæ ad Timoth. secundo. Vnus Deus, unus & mediator Dei & hominum,

Universidad de Deusto
Biblioteca

num, homo Christus Iesus, qui dedit redẽptionem semetipsum pro omnibus. Quicunque autem diuum aliquem precatur, qui pro ipso apud Deum intercedat, uidetur diuum illum facere mediatorem: ergo illud hæreticum est, tantum abest, ut sit licitum. Et confirmatur ex uerbo ipsius. Quicquid petieritis patrẽ in nomine meo dabit uobis. Non dicit in nomine alius cuiuspiam, sed in nomine meo.

4. Argum. ¶Quartò arguitur. Sancti iam sunt extra uiam merendi aut demerendi: ergo quanuis iusti in hac uita mutuis se inuicẽ apud Deum orationibus iuuare queant, tamen postquàm sunt in patria, minimè eandem habent potestatem.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium autem est illud Iob. 5. Voca si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum conuertere. Super quo loco ait Gregorius. Vocare nostrum est humili Deum prece deposcere: ergo ad propitiandum Deo, fanum est sanctos interponere.

Hæresis orationes negantium. ¶De hac quæstione uetustissima est hæresis orationes negantium, quibus sanctorũ charitatem pulsamus. Fuit enim uetustissimus Eustachius, qui primus reperitur huius hæreseos autor, de qua fuit in concilio Gangrensi condemnatus. Quæ subinde hæresis per Vigilantium reuixit, & contra ipsum de eadem re bis scripsit abunde Hieronymus. Postmodum uero Vualdenses eandem hæresim suscitarunt: ac subinde Vuitcleff protegit. Atque illa tandem hæreticorum progenies usque ad Lutherum propagata fuit. Et est hæresis hæc illius germana, quæ contra ueneration em sanctorum oblatrat. Bona enim pars uenerationis sanctorum est, illos, ceu patronos nostros apud Deum agnoscere. Quare qui sanctos orant non possunt non eos uenerari, neque qui eos non ueneratur possunt precationibus adire. Summa argumentorum quibus utuntur, est illa quadrifida, quam inter proponendum attulimus. Sed est hæresis etiam ipsa, quadruplici nomine damnanda. Est inquam, in sanctos contumelios a, impia, blasphema, & temeraria quippe, quos negat & miserias nostras cognoscere, & earum misereri, & illo esse apud Deum, tum honore, tum etiam facultate, ut pro nobis apud ipsum interueniat.

Cõclusio. ¶Ad quæstionem igitur unica conclusione respondetur. Sanctos tanquam patronos nostros orare: qui apud Deum nobis suffragentur, religio est christiana: cui qui reclamat hæreticus est. Ad intellectum cõclusionis notandum orationem bifariam alicui offerri. Vno modo, ut quasi per ipsum sit implenda: atque alio quasi per ipsum impetranda. Et primo quidem modo constantissimum est, soli Deo uniuersas orationes nostras esse porrigendas. Et ratio est hæc. Omnes orationes ad gratiam & gloriam obtinendam relatas esse oportet. Quicquid enim Deum poscimus, aut hic finis esse debet, aut medium ad huius consequutionem relatum: hoc quippe est quod spiritus sanctus orare nos docet, ut ad Roma. 8. ait Apostolus: & de quo ait ipse. Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis: quoniam gratia & gloria sunt, quas per suam nobis passionem mercatus est. Vnde Iacobus non ait. Si quis uestrum re quacunque indiget postulet à Deo, sed si quis uestrum indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei: postulet autem in fide nihil hæsitans. Vbi nomine sapientiæ intelligit uirtutem & gratiam Dei quam absque hæsitatione petere debemus. Nam si quid aliud diuersum petamus, nescimus quid petamus. Gratiæ autem & gloriæ solus Deus est autor, iuxta illud Psalmi. Gratiam & gloriam dabit dominus: ergo uniuersas orationes, si rectæ sint, soli Deo sunt porrigendæ ac dirigendæ, tanquam per ipsum adimplendæ. Quocirca de hoc orandi modo, non loquitur nostra cõclusio, sed de altero, quo preces ad quempiam dirigimus, tanquam per ipsum impetrandas. Quo sensu probatur hæc ueritas: nempe, quòd religio sit sanctos orare: non ut per ipsos orationes nostræ Deo innotescant: ueluti aulicos precamur, ut petitiones nostras in regis notitiam deferant, sed ut Deus qui illas prius agnoscit precibus & meritis ipsorum annuens, id quod poscimus largiatur nobis. Ordo nanque diuinæ sapientiæ secundum Dionysium. capit. 4. de cælesti hierarchia, est: ut per superiora inferiora dispenset & gubernet. Quocirca, ut per cælestes orbes terrena ista fœcundat, ita & per superiores angelorum hierarchias, mysteria inferioribus reuelat: & per angelos docebat prophetas, qui populum erudirent: & in ecclesia

Duplex ratio.

Solus Deus quo oran dus.

Iacobi. 1.

Dionysius

clesia per superiores prælatos influit in populum sacramenta gratiæ. Eadem ergo ratione per angelos & fœlices animas, quę in patria triumphantes requiescunt, res nostras, qui inde in hoc seculo peregrinamur, nobis sæpe dispensat. Et cum per eandem uiam, quà à Deo gubernamur, debeamus in ipsum reduci: consentaneum est, ut ad eosdem sanctos angelos atque animas, qui diuina nobis, tanquam Dei famuli afferunt, per nostras orationes recurramus.

Honor dei ¶In qua re: non modo nihil honoris Deo detrahitur, imò multum ei defertur: quippe qui eo honore seruos suos dignatur, ut quæ sua ipse autoritate facturus est, per ipsos, tanquam per ueros amicos, uelit dispensare. Id ipsum Dauid contemplatus aiebat. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus. Et Christus. Iam non dicã uos seruos, sed amicos, Et si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus qui in cælis est. Ioannis. 12. Non enim ob id solum gloriosus est Deus in sanctis suis quòd ab eo gloriam recipiunt, & ei uicissim gloriam decantant: uerùm & quòd tali eos honore extulit, ut tanquam nostros intercessores & aduocatos in suum conspectum admittat. Pollicitus est illis Christus, qui relinquentes omnia sequuti sunt ipsum, quòd assessuri essent illi in regeneratione, & iudicaturi cum eo tribus Israel. Quos ergo admissurus est, ut causas nostras secum iudicent, cur non admittet, ut apud ipsum eas tractent: ut qui futuri sunt postea iudices nostri, sint prius nostri patroni?

Testimonia sacra. ¶Secundò aliis sacris testimonijs arguitur, legimus enim Gene. 20. quòd Abraham pro rege Abimelech Deum deprecatus, ueniam illi obtinuit. Et Moyses, ut Exod. 32. legitur, ueniam populo de conflato uitulo precatus obtinuit. Vnde illud citatum uerbum, Eliphat, amici Iob. Ad alium sanctorum conuertere, indicat in more fuisse celeberrimo, ut iusti homines pro alijs orarent.

Hæretici cauillus ¶Cauillabatur autem hæreticus ille Vigilantius seu Dormitantius, ueluti nunc Lutherani facitũt, dicens, posse uiros sanctos in hac lubrica uita orare pro alijs, quia sunt in uia & statu merendi, cognoscendique alienas miserias, cæterùm postquàm sunt in paradisum recepti: quoniam iam tunc iustum præmium suorum meritorũ adepti sunt, nostra neque cognoscere, neque curare: quia neque uindictam sui sanguinis martyres impetrare possunt, quamuis, ut Apocalyp. 6. legitur clament. Vindica domine sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. Egregiè tamen Hieronymus in altero duorum librorum quos in ipsum edidit, sic eum redarguit. Dicis in libello tuo, quòd dum uiuimus, mutuò orare possumus: sed dũ mortui fuerimus nullius sit pro alio exaudienda oratio: præsertim cum martyres ultionem sui sanguinis orantes impetrare nequiuere. Si apostoli & martyres adhuc in corpore cõstituti possunt orare pro cæteris, quando de se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post uictorias, coronas, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à domino ueniam: & Stephanus imitator domini sui, & primus martyr in Christo, persecutoribus ueniam deprecatur, & postquam cum domino esse cœperint minus ualebunt? Paulus apostolus Actu. 27. ducentas sexaginta sex sibi dicit in naui animas condonatas, & postquàm resolutus esse cœperit cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs qui in toto orbe ad suum euangelium crediderunt, mutire non poterit? meliorque erit Vigilantius canis uiuens, quam ille leo mortuus? Hactenus Hieronymus.

Hieronymus

Argum. ¶Sic ergo argumentum contra istos instruitur. Radix mutuarum orationum inter amicos est charitas, illa autem in beatis, non solum permanet (quia charitas, ut ait Paulus nunquam excidit) uerum est in perpetuum confirmata: ergo non est cur non multo illic instantiùs quàm hic, orent pro nobis. Atque adeo cum possint Deo reuelante nostras percipere petitiones, commodum est & congruum, ut illas nos eis offeramus. ¶Accedit & illud Iacob, Gen. 48. qui sic nepotibus benedixit, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Isaac. Vbi docemur tam angelos quam sanctos defunctos, inuocato eorum nomine, nobis esse subsidio. Eadem enim ratione Moyses loco supra citato merita Abrahæ, Isaac, & Iacob, ante Dei oculos proposuit, ut po

1. Cor. 13.

Iacob. Genes. 48.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Azarias Dan. 3. ut populo indulgeret. Et Danielis. 3. Azarias positus in fornace. Ne quæsumus, inquit, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, neque auferas misericordiam tuam ànobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum. Si ergo sanctorum merita nobis præsidio sunt & auxilio, cur & eorum orationes non magnopere cõferant? Huc pertinet uisio Iudæ Machabæ. 2. Machabæ. 13. qua uidit Oniam sanctum sacerdotem, in limbo orantem pro omni populo Machab. 2 Iudæorum, ac subinde Ieremiam, de quo Onias dixit. Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & uniuersa sancta ciuitate Ieremias propheta Dei.

Aliud arg. ¶Præterea, & ad honorem diuinæ maiestatis accedit, ut quas ipse nouit petitiones nostras, sancti angeli, ac perinde animæ illis insertæ easdem eidem maiestati offerant. Vnde Apocalyp. 5. Ioannes uidisse refert quatuor animalia, & uiginti quatuor seniores, qui ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramẽtorum, quæ sunt orationes sanctorum. Et Apocalyp. 8. ait uidisse angelum stantem ante altare, habentẽ thuribulum aureum, & data illi esse incensa multa, ut daret de orationibus sanctorũ omnium, super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et subdit quòd ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu angeli coram Deo.

Sãctorum testimõia. ¶Testimonia sanctorum huc percensere immensum opus esset: ab antiquissimo. n. Dionysio Areopagita, qui cap. 7. de cælesti hierarchia, de ueneratione & oratione sanctorum religiose scripsit, longa patrũ series eandem ueritatem contestata est. Et Hieronymus aduersus Vigilantium. Et Cirillus libro. 6. aduersus Iulianum apostatam. Et Bernardus sermone. 66. super Cantica, eos ceu hæreticos obiurgant, qui orãdos sanctos denegant.

Ecclesiæ consuetudo. ¶Sed præ omnibus eiusce modi testimonijs rem stabilire sufficit ecclesiæ consuetudo celeberrima, plurimis concilijs constabilita. Non enim solum inter sacrã missarum solennia, sanctorum merita commemorat, qui pro nobis assistant apud Deum, uerum & in solennibus litanijs, postquàm sanctam trinitatem tanquam primum gratiæ & gloriæ omniumque bonorum fontem, precatur, ut misereatur nostri: diuorum subinde ordinem subiungit: quos tanquam nostros aduocatos obsecrat, ut orent pro nobis. Quo uerborum discrimine, Miserere nobis, & Ora pro nobis, declarat diuersos modos & gradus quibus Deum debeamus ac sanctos orare. Vnde in concilio Gangrensi cap. 20. condemnantur, qui basilicas martyrum earumque memorias contempserint. Et in concilio Aurelianensi, & in concilijs Toletanis. 3. & 6. & in concilio Bracharensi, eiusmodi litaniarum, hoc est, rogationum ritus sancitur. De consecratio. distin. 3. canon. Rogationes. Accedit tandem, & festorum obseruatio in honorem sanctorum quæ tum in eorum ueneratione Festa omnium san. & animarum. nem, tum ob eorum, quibus iuuamur patrocinia sanctè instituta sunt, unde sancta consideratione duo sunt quotannis dies coniuncti: quorum altero sanctorum omnium, qui nobis suffragantur, altero uerò animarum, quæ nostris suffragijs expiantur memoria celebraretur.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argum. iam supra responsum est, quòd si natura tantum animarum separatarum consideretur, nequeunt, quæ apud nos fiunt agnoscere. Si tamen naturam diuinæ essentiæ, quam intuentur contemplemur, illic uident quæ ad suum attinent statum. Essentia quippe diuina speculum est suapte natura omnia repræsentans. Ob idque Deus ipse, qui se comprehendit, uniuersa in se ipso conspicit. Creaturæ autem quæ ipsum non comprehendunt, non cuncta, quæ in eo sunt uident: sed est illis uoluntarium speculum: eis scilicet repræsentãs quicquid eis nosse congruit. Condecet autem sanctos oratio nes quę ad ipsos legitime offeruntur intel ligere: quas ideo illic perspiciunt. Vnde Grego. Grego. superillud Iob. 14. Siue nobiles fuerint filij siue ignobiles, non intelligent. Hoc de animabus, inquit, sanctis sentiẽdũ non est: quia quæ intus omnipotẽtis Dei claritatem uident, nullo modo credendũ est, quod sit foris aliquid quod ignorẽt. Ad eorum, scilicet, statum pertinens. Patres ve rò in limbo, quia non uidebant non cognoscebant de rebus nostris, nisi quæ Deus illis in proprio genere reuelabat. Et ideo Iolias illic existens mala gentis suæ non uidebat.

¶Ad

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quòd quanuis clementissimus Deus paratissimus sit nobis opem ferre, non inde colligitur superfluum esse orare sanctos. Alioqui, nec nobis opus esset pro nobis ipsis orare. Vult enim ea quæ nobis largiri percupit, ut ab ipso supplices flagitemus. Quia hoc & ad gloriam suam confert: & ad nostram utilitatem, ut in eius amorem excitemur, & nostras miserias confitentes humiliemur. Et eadem ratione uult, ut ad sanctos recurramus, qui in sua sunt amicitia confirmati. Nam per hoc & indignitatem nostram humiliùs confitemur: & eum non solum in se uerum in suis sanctis glorificamus.

¶Quòd si redarguas. Oratio est religionis cultus, qui soli Deo debetur. Respondetur quòd per hoc ei soli impendimus latriæ cultum, quòd ad eum duntaxat orationes fundimus: tanquàm ad eum qui solus potest illas implere. Interponere autem sanctos, qui pro nobis interpellent, non est eos colere, ut Deũ, sed cultu duliæ, ut Dei amicos.

Collectas dirigit suas ecclesia. ¶Et ideo ecclesia uniuersas collectas, etiã illas quibus in sanctorum celebritatibus utitur, non ad ipsos, sed ad Deum ipsum dirigit: quia non sunt illi unde nobis auxilia proueniunt: sed Deus qui ob eorum patrocinia nobis succurrit. Ob idque non in sanctis, sed in Deo solo, in quem fides ac perinde spes nostra tendit, collocanda est nostra fiducia. Vnde Aug. super illud psal. 120. Leuaui oculos meos in montes unde ueniet auxilium mihi. Nulli, inquit, præsumant de montibus, quia ipsi montes non a se lucent, sed ab illo de quo dictum est. Erat lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Mõtes possunt intelligi homines clari, ceu Ioannes Baptista, quo nemo surrexit maior, & tamen confitetur quod nos omnes atq; adeò montes ipsi de plenitudine Christi accepimus.

¶Sic ergo sancti sunt orandi, ut tamen nõ in ipsis, sed in misericordia Dei, unici salutis nostræ autoris confidendum nobis sit: ipsum enim non sanctos precamur, ut misereatur nostri. Quare abusus loquẽdi est: parcat mihi Deus & beata uirgo: hoc est enim ipsam Deo æquare. In solum nanq; Deum peccamus iuxta illud psal. Tibi soli peccaui, & iõ solus ipse est, qui peccata dimittit, ut Pharisæi, Marci. 11. cõfessi sunt.

¶Ad tertium respondetur: quòd si mediatoris nomen proprio significatu usurpetur solus Christus est, ut ait Paulus, mediator Dei & hominum, eò quòd solus ipse de cõdigno sic nobis gratiam & gloriam meruit: ut quicunque eius membrum fiat, sit patri ad uitam æternam acceptus. Quo pacto nulla creatura esse potest mediatrix. Et ideo sancti potius dicuntur nostri, uel patroni, uel aduocati, uel interceßores. Quod si dicantur mediatores, in hoc sensu est nomen intelligendum. Quapropter Christum non ut ceteros sanctos oramus, ut oret pro nobis sed ut nostri eum misereat. Vt enim ad patrem & spiritum sanctum dicimus Kyrie eleyson, ita dicimus Christe eleyson: hoc est, Christe miserere. Sol. 3. arg.

¶At uerò, licèt, quia ipse est propriè mediator nomine eius debeamus Deum orare, ut exoratum habeamus: qua utiq; ratione ecclesia oẽs collectas concludit dicẽs. Per dominum nostrum Iesum Christum: Nihilominus, ut Deus gloriatur in sanctis filijs suis, per quos uult orari: ita & Christus gloriatur in membris suis, ut etiã suo ordine, & loco, à nobis orentur, ut apud patrem, & apud ipsum, & apud spiritum sanctum pro nobis intercedant. Nam etsi merita Christi, nostrorum sint causa, nihilominus, & nostra, quæ fauore suo & gratia nituntur, uerè sunt merita: quibus in hac uita gloriam meremur, & sancti meruerunt, ut in patria sint quoq; interpellatores pro nobis.

¶Et per hoc solutum restat quartum arg. quod nobis hæretici obijciunt, colligẽtes, quod cùm sancti in patria mereri non ualeant, nequeant pro nobis orare. Respondemus, inquam, collectionem nullam esse. Eodem enim pacto colligerent, quod neq; eorum merita nobis prosunt. Igitur licet illic non mereantur, meruerunt tamen in hac uita, ut in patria tum sua merita nobis prodessent, tum pro nobis orarent. Sol. 4. arg.

¶Quòd si redarguas eadem ratione eos qui sunt in purgatorio, orandos à nobis esse: negatur consequentia. Quia cùm non sint beati, orationes nostras non audiunt. Et fortasse tormenta quibus afflliguntur, facultatem eis non faciunt orandi pro nobis. Sicut illi qui erant in limbo, credendi sunt orasse pro suis Quanquam cum in purgatorio sint in Obiectio.

chari-

charitate, fortasse non impediuntur quin orent pro nobis. Sed hoc est tenuissimis coniecturis agere.

Deuotio ī Christū cō mendatur.

¶Vnum autem hic admonere non prætermittam, uidelicet, inquam, in sanctos esse debemus affecti, ut in Dominum Iesum Christum, per quem ipsi sunt sancti, præ cunctis debeamus esse deuoti. Videas in repentinis necessitatibus sacrosanctam uirginē (quod sanctissimum est) atque alios diuos inuocare, nomen uerò Iesus, quam rarissimè. Cū tamen illud sit in quo nos oporteat saluos fieri, & in quo omne sit genu flectendum. Nō enim sanctorum ullus, sed ipse pro nobis mortuus est, à quo subinde cuncta nobis bona proueniunt, quare nomen hoc Iesus, deberet in cordibus nostris esse sculptum, ut aspirando & respirando nunquam illud proferre desineremus, atque hanc religionem deberent concionatores plebes, & Magistri scholas & parētes suos natos docere & omni cura ac diligentia admonere.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm sanctorum preces, quas pro nobis Deo fundunt, semper exaudiantur.

CVM de nostris orationibus ad sanctos dictum sit, subsequitur, ut de illis, quas ipsi pro nobis fundunt, indagemus, utrum semper exaudiantur. Et arguitur â parte negatiua.

Partis negatiuæ arg. 1.

Primò ex illo loco Apocal. 6. quem supra diximus Vigilantium allegare. Si diui pro nobis orantes exaudirētur, citius quæ pro se postulant impetrarent: clamant tamen ad Deum martyres, ut uindicet eorum sanguinem, quod tamen non obtinent: ergo neq; pro nobis exaudiuntur.

2. Arg.

¶Secundò Ieremiæ. 15. ait dominus. Si steterit Moyses & Samuel coram me non est anima mea ad populum istum: ergo sancti pro nobis orantes non exaudiuntur.

3. Arg.

¶Tertio Angeli in patria & animæ, ut Matth. 22. legitur pares sunt: sed angeli nō semper exaudiūtur: legitur enim Dan. 10. quòd angelus captiui populi uenerat ad prophetam propter sermones eius, sed tamen princeps regni Persarum restitit ei uiginti uno diebus.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium tamen est illud. 2. Macha bæ. ult. Postquàm Onias dixit. Hic est, q̄ multum orat pro populo Ieremias propheta Dei: subditur, q̄ extendit Ieremias dexteram, & dedit Iudæ gladium dicens. Accipe sanctum gladium munus à Deo: quasi exaudita esset eius oratio.

Conclu.

¶Ad quæstionem unica bimembri conclusione respondetur. Sanctorum orationes suapte ratione semper exaudiuntur: sed nihilominus ex parte nostra sæpe euenit, ut non exaudiantur.

Bifariā diui orant.

¶Ad intelligentiam huius notandum, bifariam diuos Deum pro nobis orare (nam pro se ipsis nihil habent quod petant.) Vno modo oratione expressa dum uotis suis, ut ait D. Th. aures diuinæ clementiæ pro nobis pulsant. Sed alio modo oratione interpretatiua, per sua merita, in hoc seculo præstita, quæ licet ipsi nullam orationem ad Deum dirigant, sunt tamē semper in conspectu Dei. Non solum in suam gloriam cedentia, uerum & tanquam suffragia nos adiuuātia. Veluti sanguis Christi sine aliqua uoce, aut clamore, nobis iugiter suffragatur.

Probatio conclusionis.

¶Igitur quòd utroque modo illius modi orationes suapte natura nisi à nobis effectus impediatur, semper exaudiuntur: probatur. Quoniam ipsi semper suam habent uoluntatem diuinæ conformē, neq; quippiam in uotis habent, nisi quod iustū esse noscunt, atq; adeo Deum uelle, quicquid aūt Deus uult uoluntate consequenti & beneplaciti fit: quicquid ergo illa ratione sancti postulant, dum uoluntatem diuinam norunt impetrant. Nos. n. ideo non quicquid petimus impetramus, quia ignoramus, & quid nobis expediat & quæ sit uoluntas beneplaciti Dei. Non aūt quicquid Deus uult uoluntate antecedenti impletur: uult. n. oēs homines saluos fieri, cū ad id assequendum, & leges, & consilia, & cætera requisita nobis prouiderit: & tamē non oēs salui fiunt: quia in nostra uoluntate & arbitrio positum est, eisdem diuinis auxilijs non uti. Eadem ergo ratione, possunt sancti aliquid erga nos uelle, nobisque optare, quod non impleatur.

Argum.

¶Arguitur. aūt contra hoc. Sancti nihil uanè & inaniter possunt optare aut petere: si autem sciunt quempiam non assecuturum quod petit, uanè & maniter pro illo orarent: ergo nihil uolunt aut petunt, quod nō sint impetraturi. Vnde colligitur quod pro

Respōsio.

pro præscitis & reprobis non orant, ut salui fiant.

¶Ad hoc respondetur in primis, non esse necessarium, ut beati in uerbo numerum omnium prædestinatorum ac reproborū uideant. Et ideo possunt petere etiam absoluta petitione saltem pro reprobo parente suo aut filio, quousque illi Deus illius reprobationem detegat. Secundò quia reprobi crebro in gratiam Dei in tempus recipiūtur, possunt pro illis illa ratione orare. Tertio, possunt etiam reprobis bona tē poralia impetrare, quæ cedere possunt in bonum reipublicæ, & gloriam ipsius Dei. Quartò denique respondetur quòd etiam reprobis ipsius possunt antecedenter uelle & optare salutem: siquidem reprobi etiam possunt saluari, quia non sunt damnati, ut infernales, atque adeò sub conditione uelle, ut Deus illis auxilietur nisi per eos steterit. Quæ quidem est conditionalis uolūtas & quam appellant uelleitatem. Et ista ratione possunt quoque sub conditione orare, neque oratio est uana & inanis: nā pertinet ad auxilia ipsa quæ Deus reprobis offert, si uellent illis uti. Quippe cum & Christus sub conditione orauerit, ut tranſiret à se calix: licet oratio eius nō fuerit exaudita.

Mora de oratione Christi.

¶Imò uero quando in cruce orauit dicēs. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, non est necessarium dicere sic fuisse orationem absolutam, ut in omnibus sorteretur effectum. Sed quod pro aliquibus esset quasi antecedens, nisi per eos stetisset. Absolutè enim & uoluntate beneplaciti & consequenti, nihil orare potuit quod non illico impleretur. Et ideo Ioan. decimoseptimo ubi pro apostolis rogauit patrem: de quibus ait. Tui erant & mihi eos dedisti, ad significandum pro eis absoluta uoluntate rogare, subiunxit. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt. Vbi nomine mundi, reprobos denotauit, & obstinatos, qui precio sui sanguinis potiuti non erant. Pro quibus ideo absolutè non rogabat, ne inanis & quassa sua esset precatio.

1. arg.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd uerbum illud. Vindica sanguinem, &c. non significat martyrum desiderium, quo malum aliorum cupiunt: sed cōsensum in diuinam iustitiam, quam in uoluntate Dei conspiciunt, qui decreuit obstinatam tirannidem occidentium martyres æternis supplicijs ulcisci. Significatque adeò desiderium, ut aduenientе suprema uindicta malorum, & retributione bonorum, secunda stola gloriæ resumptis corporib. uestiantur, & pleno fruantur sancto rum contubernio ¶Ad secundum respondetur, q̄ illic ppheta de Moyse & Samuele, secūdùm statum uitæ præsentis, quo solebant ad placandam Dei iram pro populo orare, ne illum temporalib. bellis & calamitatib. affligeret & castigaret: & tamen quandoq; tam iusta erat ultio, ut Deū nō deceret, eorum precibus omnino flecti. In quibus casibus beati non orant pro nobis.

Sol. 2. arg.

¶Ad tertium, nonnulli respondent, certamen illud angelo custodi populi Israelitici non accidisse cum angelo bono Persis præsidente, sed cum malo. Historia enim erat, quòd Daniel precabatur Deum, ut populus à captiuitate Babylonica eriperetur. Et dæmon persuadebat eidem populo, ut mallet illic manere, propter uoluptates & delicias indecentes, quibus illic fruebantur: uel persuadebat Persis, ne populum dimitteret. Sed tamen Gregorius. 17. lib. moralium capi. 7. non interpretatur pugnam illam nisi inter angelos bonos. Enimuerò, ut singulis personis deputatur custos Angelus ex infima hierarchia, ita & singulis prouincijs præferuntur principes angeli ex illa hierarchia quæ inde nomen principatus sortitur. Quare Michael generalis erat princeps totius synagogæ, sicut nunc est ecclesiæ Christianæ. Sed sub illo erat alius princeps illius plebis quæ tenebatur in Babylone captiua. Cū ergo Daniel pro liberatione populi deprecaretur, princeps Persarum orabat sub conditione Deū contrà, ne populum à Babylone & Perside dimitteret, quia non satis expiata ei uideba tur eorum iniquitas, ut ait Greg. uel sicut alij dicunt propter fructum quem illic populus faciebat, eo quòd multi ex gentib. conuertebantur ad fidem: quæ quidem lis inter principē captiui populi & principē Persarum uiginti & uno dieb. durauit. Sed tandem quia expedientior erat liberatio populi, Michael princeps synagogæ partes egit angeli liberationem procurantis, & obtinuerunt. At uerò principes illi litigantes, nō erāt inter se simpliciter distidē

Angelorū pugna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes: sed quia in diuina uoluntate non nouerant, quid esset expedientius, uterque arbitrabatur causam agere meliorem. Cũ autem eandem Dei uoluntatem intellexerunt, ambo consenserunt. Vnde Gregorius. Sublimes, inquit, spiritus gentib. principantes, nequaquam pro iniusta agentibus decertant: sed eorum facta rectè iudicantes examinant: cumque uniuscuiusque gentis uel culpa uel iustitia ad supernæ curiæ solium ducitur, eiusdem gentis præpositus uel obtinuisse in certamine, uel non obtinuisse perhibetur. Quorum tamẽ omnium una uictoria est, sui super se opificis uoluntas summa: quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non ualent, nequaquam uolunt, unde neque petunt. Ex quo sequitur, quòd illa quæ absolutè petunt semper obtinent: sed quæ hæsitantes sub conditione poscunt, non est necesse, ut cõsequantur.

Argum. ¶ Et per hoc aliud soluitur argumentum huiusmodi. Sancti semper habent suã uoluntatem diuinæ conformem: quare neq; uolunt nisi quæ Deum uelle noscũt: quod autem nobis largiri Deus uult sine suis orationibus conferet: ergo superuacanea & sine fructu est eorum oratio. Respõdetur, inquam, quòd etsi sanctorum uoluntas, semper sit diuinæ conformis, nihilominus: quia non cũcta cognoscunt quę Deus uult: quia nec numerum prædestinatorum sciunt, possunt aliqua sub conditione postulare. Præterea & quæ norunt Deum nobis statuisse donare etiam ab ipso efflagitant, quia intelligunt per suas orationes ea uelle donare. Ait quippe Augustinus. in libro de prædestinatione sanctorum, orationes etiam prædestinatis prodesse, quia fortè prædestinatum est, ut orationibus intercedentium saluentur.

Augusti.

Vltima dubitatio. ¶ Vltima tamen hic restat dubitatio, utrũ sancti pro his orent, qui sunt in purgatorio. Apparet enim non minus pro illis quã pro nobis orare: quando quidem eos uident in charitate firmatos: quos subinde percipere uidentur in suo ipsorum consortio esse recipiendos. Sed tamen ex altera parte arguitur. Quòd tunc non pro quibusdam, sed pro cunctis iuges funderent preces: & cùm ecclesia illa triumphans, citiùs audiatur & efficaciùs quàm militans, eorum orationes ad euacuandum purgatorium sufficerent. Respondetur, quòd sancti non sunt in statu satisfaciendi sicut uiui: & quia suffragia existentibus in purgatorio non prosunt nisi per modum satisfactionis, fit ut pro illis sancti non orent.

DISTINCTIO QVADRAgesimasexta, De Antichristo, & iudicij signis.

Textus. Cap. 1.

POST hæc de supremo tremendoque iudicio sermonẽ inituri, de Antichristo reliquisque signis ac portentis, quæ diem illum sunt antecessura, mentionem præmittamus oportet. Enimuerò, ut Apostolus Thessalonicensium ecclesiam admonuit, nisi uenerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus, non ueniet dies domini. Expedit enim, ut in cõsummatione præsentis seculi, antequam dominus rationem à nobis absolutæ militiæ nostræ reposcat, supremum nobis bellum

2. Thessalonicen. 2.

idemque acerrimum acerbissimumque permittat: quo puri mortalium ab impuris dignoscantur, illique ceu per ignem excolati ad triumphum assumantur: atque isti fidem defringentes in ignem mittantur æternum. Quod Ioanni in Apocalypsi reuelatum est: nempe, quòd post mille annos, scilicet post peractum ecclesiæ tempus ab orbe redempto usque ad mundi finem, quo Satan, colligatus est, dissoluetur de carcere suo, & exibit & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ. Sed tandem ut Apostolus ait, eundem Antichristum diaboli antesignanum dominus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione aduentus sui.

Apocalyps. 20.

¶ Eundem tamen aduentum, ut dominus ipse ait, astrorum signa præcedent, sol enim obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & uirtutes cælorum commouebuntur. Vnde Lucas Euangelista. Erunt, inquit signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione quæ superuenient uniuerso orbi: nam uirtutes cælorum mouebuntur: & tunc uidebunt filium hominis uenientem in nube cum potestate magna & maiestate.

Cap. iij. Matth. 24. Luc. 21.

DISTINCTIONIS QVAdragesimæsextæ, Quæstio prima, De signis quæ sunt iudicio antecessura.

ARTICVLVS I.

Vtrùm expediens sit, ut aduentui Christi ad iudicium Antichristus antecedat.

IN hac dist. 46. Magister Sentẽtiarum tractare constituit de misericordia Dei, utrũ in damnatis etiam luceat, ut citra condignum puniantur. Atque huius occasione materiam de iustitia & misericordia Dei hic commiscuit. Atuero cùm de pœnis dãnatorum præpostera sit hic tractatio ineptum quoque est de misericordia Dei hic disputare. Distinctione enim. 49. enarrandum est, quemadmodum beatis Deus ultra cõdignum præmia largiatur: & in quinquagesima, quemadmodum damnatos citra condignum puniat. De misericordia uerò, & iustitia Dei quæ eius sunt attributa, non est hic proprius dicendi locus. Est enim materia primi sententiarum, ubi de diuinis attributis disputatur. Quam idcirco speculationem D. Thom. 1. parte collocauit. q. 21. De his ergo, ut legitimũ teneamus ordinem, nullus hic à nobis habẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

dus est sermo. Sed cùm resurrectionis tractatum in tria fuerimus membra parti ti, & primum de Resurrectione & eius forma, & animarum receptaculis, deq; eorũ connexis hactenus fuerit expeditum: iam modò secúdum, quod est de finali iudicio aggrediamur oportet. Hoc aũt membrũ, trib. distinctionib. absoluetur. In hac nanque de antecedentib. iudicium: & in subsequenti de iudicio ipso: & in 48. de habitu & forma mundi, in qua post iudicium relinquetur, est differendum. Cæterùm distinctio præsens, duas exigit quæstiones, primam de Antichristo, & secundam de signis iudicium præeuntibus.

¶ Quæritur ergo primum. Vtrùm expediens sit, ut aduentui Christi ad iudicium, Antichristus antecedat. Et arguitur à parte negatiua. Quo homines debiliores sunt & ad uirtutem magis languentes minus expedire uidetur, ut eos Deus acr oribus tentationib. concuti sinat: senescente aũt mundo, propter maximam elongationem à primo aduentu Christi, abundabit iniquitas & refrigesceet charitas multorum, ut Matthæi uigesimoquarto ait Chri-ſtus, & Lucæ uigesimoprimo. Filius hominis ueniens, putas inueniet fidẽ in terra? persecutio uerò Antichristi, ut ibi dem ait dominus, erit qualis non fuit ab initio mundi. Ergo non uidetur expediens ut illo temporis articulo fiat.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Arg.

¶ Secundò arguitur. Non minus uidetur congruere, ut Christus ueniens ad iudiciũ præmitteret ante se nuncium, qui orbi pœnitentiam prędicaret, quàm dum uenit ad redimendum nos: tunc aũt præmisit Ioannem Baptistam prædicantem fructus pœnitentiæ: ergo uenturus ad iudicandum, similem debuit præmittere nuncium: nempe, qui Christi fidem non impugnare, sed persuadere contenderet.

Pars affirmatiua.

¶ In contrarium est illud. 2. ad Thessalonì. 2. Nisi uenerit discessio primum: & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis & cætera. Scilicet non ueniet dies domini.

¶ De aduentu Antichristi aliquid est certum, quod firma fide tenendum est, sed alia coniecturis colliguntur. Respondetur ergo ad quæstionem unica conclusione.

Cõclusio.

Aduentum Christi præcessurus est Antichristus: idque Deo optime disponente. Atqui Antichristus, ut nomen sonat, & Augusti. super epistolam Ioannis tractatu tertio, interpretatur, idem est latinè quod contrarius Christo. Non enim quia ante Christum uenturus est illud sortitur nomen, sed quia aduersarius illi futurus est. Sicuti ἀνταγωνιστὴς, qui alteri contra pugnat. Vnde pseudoprophetæ, & quicunque fidei Christi aduersantur Antichristi dicuntur. Veruntamen quia ille omnium membrorum diaboli acerrimus erit Christi hostis, per antonomasiam dicitur Antichristus. Et quidem conclusio hæc catholica est: cuius negatio esset hæretica: quoniam assertio est Pauli loco citato. Sed quoniam Deus omnia suauiter disponit, congruentiam tam ingentis persecutionis illo tempore futuræ exploramus.

Antichristus.

Cõclu. Catholi.

¶ Ad plenum aũt intellectum percipiendum, animaduertendum est, Apostolum duo signa posuisse præcedentia diem domini. Scilicet discessionem primum, & reuelationem Antichristi. At uerò cũ Christus Matth. 24. tertium aliud constituerit, scilicet, & prædicabitur hoc euangelium regni in uniuerso orbe in testimoniũ omnibus gentibus, & tunc ueniet consummatio, necessarium est tria hæc certo ordine docere. De reliquis nanque cęlorum astrorumque signis & portentis, quæ sunt sub id temporis apparitura. q. 2. futurus est sermo. Et cum discessio, ut ait Paulus, sit proximè Antichristum antecessura aut cum ipso simul uentura, operæpretium est, ut prædicatio euangelij primum consummetur: mox discesio fiat, ac demum Antichristus reueletur.

Tria adeũ domini antecędentia.

¶ Necessitas autem promulgandi euangelij in uniuersum orbem ante diem iudicij fuit, quòd cùm uniuersi, qui illum non receperint sint à regno excludendi, iuxta illud. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: necesse est ut uniuersi, tunc mortales omni sint excusatione nudati, ne quicquam causari possint cur illum non receperunt. At quoniam ut ait ad Roma. decimo Paul. nulli pussunt credere nisi audiant neque audire sine prædicante, necesse est, ut ante mundi consummationem sit prædicatum euangelium in uniuerso orbe. Chrysost. autem arbitratur illic consummationem referri ad destructioné Hierosolimitanã, antequam prædicandum erat euangelium, ob

Chrysost.

ob idque ait Paulum loco citato ad auferendam Iudæis excusationem, citare illud Psalmi. 18. In omnem terram exiuit sonus eorum, quasi tunc iam esset ubique euangelium prædicatum. At uerò ut quæst. 2. uidebimus, negari non potest, illic Christum de consummatione quoque seculi habuisse sermonem, antequam euangeliũ in uniuerso orbe euulgandum est. Et ideo Augusti. super eundem psalmum, & in epistola ad Esichium ait, Apostolum citasse prophetiam, ut iacebat de præterito, propter certitudinem futuri: nihilominus nõ dum esse omnino completam, sed certissimè implendam: quæ quidem opinio uero similior est. Et in illo sensu intelligitur illud uerbum. Euntes in mundum uniuersum prædicate euangelium: scilicet, per uos, uel per successores uestros. Nam profectò, ut super eundem locum Pauli scripsimus si Aethiopiam & Indiam, & Europam, atque alias regiones in quas apostoli dispersi sunt, consideres, non omnem orbem peragrarunt: sed uix quartam eius partem. Quæ tunc in usu erat appellari uniuersum orbem, ut Luc. 2. Exijt edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. Et ad Coloss. 1. ait Apostolus, ueritatem euangelij esse in uniuerso mundo. Et tamẽ non est uero simile, quòd toto transmisso pelago in omnem mundi angulum peruolassent. Ad intentionem nanque Pauli uolentis obtendiculum excusationis Iudæis adimere & cognitis gentibus: satis erat, quod tunc euangelica tuba, in Europam, Asiam & Africam intonuisset. Et quãuis Hieronymus super Matthæum, opiniones sic conciliet: quod tempore Apostolorum nulla remansisset gẽs quæ Christum ignorasset. Nam saltem rumor, & fama, à gente in gentem delata, totum orbem compleuerat: non tamen hoc satis est ad intentionem Christi: sed requiri uidetur: ante supremam diem mundi, sic euãgelium ubique gentium audiri, ut omnis eis tunc tollatur excusatio, qui ipsum non fuerint professi: licèt modo in opinione uersetur an quipiam excusentur ignorantia inuincibili. Ad quod non satis est rumor & fama, sed oportet, ut in prœsentia prædicetur, & explicetur, & eatenus suadeatur, ut nisi audientium culpa obstiterit persuaderi ualeat.

Augusti.

Hieron.

Prędicatio euãg. in toto orbe.

¶ Haud ergo prædicationem euangelij in uniuerso orbe Christus tanquam signum posuit, post quod statim futura est consummatio seculi, ut ad Esichium ait Augusti. Hoc enim duntaxat sibi uoluit, quod non ueniet finis mundi, antequam euangelium prædicetur in uniuerso orbe. Hic nanque sensus ad hanc quam explicuimus rationem satis est. Atque hoc sonant illa uerba. Prædicabitur euangelium & cætera, in testimonium omnibus gentibus, id est, in testimonium ueritatis, ne sibi mortales excusationem prætexant. Et tunc, id est, postea tandem erit consummatio.

¶ Eadem de causa Elias & Enoch, qui in paradiso terrestri esse dicuntur, ad illum ministerium euangelicæ promulgationis explendum, tunc ante aduentum Antichristi, comparebunt iuxta prophetiam Malachiæ. capit. quarto ubi de aduentu domini uaticinatus ait. Ecce dies ueniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos dies ueniens, quæ non relinquet eis radicem & germem. Et subdit. Ecce ego mittam ad uos Eliam prophetam, antequam ueniat dies domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum (scilicet reliquias Israel ad legem quam eorum patres expectabant) ne fortè ueniant, & percutiant terram anathemate. Quod eodem loco Hierony. & Augusti. uigesimo de ciuitate Dei, cap. decimonono ad literam interpretati sunt, de prædicatione Eliæ, qui Antichristum sunt anteuersuri. Ante enim quàm Deus filium illum perditionis permittat in ecclesiam grassari, præmittet Eliam, qui eandem ecclesiam illustret, atque irroboret. Quocirca uerbo illo Christi Matth. undecimo de Ioanne baptista. Ipse est Elias, qui uenturus est: non insinuatur illum fuisse uerum Eliam, sed eius imaginem. Credebant enim Iudæi Eliam aduentui Christi prœuenturum: nescientes de secundo aduentu id intelligendum. Et ideo ait illis dominus. Ipse est qui idipsum officium quod Elias in secundo meo aduentu, facit in primo: nempe, mundum ad pœnitentiam inuitare.

Elias & Enoch.

Hiero. & Augusti.

Matth. 11

¶ Atque huc illud pertinet Pauli ad Roma. undecimo. Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnes Israel saluus fieret.

Cęcitas cõtigit, &c.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vtrũ sit totus orbis conuersurus.

Primitiæ enim Israel conuersi fuerunt, ut apostoli, & nonnulli alij, illico priusquam gentes euangelio auscultarent, reliquo uerò populo excæcato gentes in ecclesiam ingressæ sunt: sed in fine mundi, dispersi p orbẽ Iudæi ad prædicationem Eliæ cõuertentur. Neq; uerò Iudæi soli, uerũ & gentes, alijs quibuscunq; sectis infectæ. ¶ Imò uerò sunt, qui autument uniuersos tunc mortales Christianum nomen professuros: sic illud intelligentes Ioan. 10. ut fiat unum ouile & unus pastor. Nulla tamẽ apparet necessaria ratio quæ hoc conuincat. Sensus enim illius, ut fiat unum ouile, non est alius, quàm q̃ nemo extra ecclesiam Christi seruari potest. Quod autem oẽs ueræ sint ouile ingressuri, non est concessu necessarium: neq; quod ait Paulus, plenitudinem gentium fidem professum ire, aliter intelligitur, quàm quòd uniuersi, q̃ prædestinati sunt per fidẽ Christi seruandi, intrabunt iuxta illud Danie. 12. In tempore illo (loquitur enim de fine mundi) saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro. Fit autem coniectura, Eliæ prædicationem tribus annis cum dimidio, ueluti quam fecit Christus duraturam. ¶ Peracta ergo Euangelica prædicatione, ait Paulus non uenturum diem domini, nisi uenerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati. Siue discessio præcessura sit Antichristũ, siue per ipsum facienda. Atqui receptissimum est, atque inter omnes constantissimum, de discessione ab imperio Romano, uerbum esse accipiendum: nisi quòd inter quosdam ambigitur, intelligatur ne de discessione ab imperio temporali & ciuili, an uerò de discessione à potestate spirituali & ecclesiastica, cuius Romanus pontifex caput existit. Sed re penitus pensata, de utraque intelligitur: imò de spirituali potissimum. Ratio nem enim huius Aug. eod. 20. lib. de ciuit.

Discessio.

Visio Danielis.

Dei. cap. 23. à uisione Danielis bestiarum quatuor deducit. cap. 7. quæ quatuor futura regna, designabant. Nempe Chaldæorum, quibus Nabuchodonosor tunc regnabat: & Medorum ac Persarum: ac subinde Græcorum, ac tandem Romanorum. Quæ itidem regna idẽ sanctus Propheta in quadriformi statua illa, ex auro, argento, ære, & ferro conflata, præuiderat: ut cap. 2. legitur. Vbi ait quòd lapis de mõte sine manibus abscissus cã percussit, & cõminuit, ac subinde lapis factus est mons magnus & impleuit uniuersam terram. Ille enim fuit Christus, sine homine genitus: q̃ quatuor illos potentatus diabolica potestate subactos dissipauit: sed in imperio postremo: nempe, Romanorum, quod Propheta appellat terribilem, atque admirabilẽ bestiam, ferream & fortem nimis & oĩa conculcantem, uicarium suum constituit, qui ceu caput ecclesiæ suæ illic sederet, fidem suã docens & protegens. Vnde quamuis ciuile Romanorum imperium iam cessauerit, nõ subinde finitus est mundus: quoniã temporale illud: ut in sermone de Apostolis ait Leo Papa, in spirituale fuit commutatum. Quapropter quanto tẽpore est duratura euangelica fides, stabit Romana sedes. Atq; adeò absessio & defectio totius orbis ab illa sede signũ erit cõsummationis seculi. Nam cum mundus, non nisi propter homines conditus fuerit, & homines non nisi propter cœlestem gloriam, quam nemo nisi per euangelicam fidẽ ualeat adipisci: fit ut mundus non sit amplius duraturus, quàm fides: nec fides quàm obedientia Romano pontifici debita. Huius exemplum in Templo Hierosolymitano præcessit. Illud enim Deus extrui iussit, ut locus esset quo sacrificia & oblationes, & celebritates synagogæ fierent: quod ideo non erat amplius quàm lex illa duraturũ. Atque hac de causa cum primum euangelium sanguine Christi confirmatum fuit, templũ illud ubi sanguis animaliũ fundebatur destructũ est, & uelut umbra in præsentia ueritatis abolitum. Pari ergo modo, quia euangeliũ Christi non in uno tẽplo aut angulo, sed uniuerso orbe debet susci pi, & eius ecclesia coli, eiusq; sacramenta celebrari, extincta fide per discessionem ab apostolica sede, totus mundus uanus erit, ac deinceps incassum processũ rus. Quapropter ceu deserta domus tunc protinus corruet. Et hæc fuit pollicitatio Christi, dum dixit Petro, Orabo pro te, ut non deficiat fides tua, scilicet, usque ad mundi terminum. ¶ Atqui rationem illius discessionis, nostris moribus tribuit Paul. 2. ad Timo. 3. uidelicet, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, &c. Duas quippe ciuitates Dei, & Babylonis, quas in libris de ciuita. Dei descripsit August. duo amores diuidunt

Romana sedes.

Templum Hierololymitanum.

2. Tim. 3.

diuidunt in homine: nẽpe, amor Dei usq; ad contemptum suum, & amor sui usq; ad contemptum Dei. Expauescant ergo mortales quàm sit pestilens amor sui. Inde .n. dimanat elatio & superbia: quæ sub ducatu tandẽ Antichristi ciuitatem Dei labefactabit. Sed tamẽ huius amoris cultores eo mittentur, ubi perpetuas pœnas pendant. ¶ Tum demum, ut ad constitutam conclusionem respiciamus, reuelandus est uti ait Apostolus filius perditionis. Conclusio ergo præter autoritatem Pauli, probatur testimonio Christi Matt. 24. Erit tribulatio magna &c. quẽ locũ quæstione seq. enarraturi sumus. Sed cõmonstratur præterea ex loco illo Apoca. 20. quem di. 43. enarrauimus. Vidit. n. Ioãnes angelũ descendẽtem de cælo: nẽpe Christum: habẽtem clauem abissi: scilicet, potestatem infernorum: & catenam in manu sua, nempe, euangelium fidei: legibus, consilijs, & sacramentis, cæu nodis quibusdam consertam, qua draconẽ serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas leganit per annos mille: ne scilicet tanto impetu grassaretur in orbẽ, quã to illuc usq; in gentes & synagogã sæuiebat, sed sineret euangelicã fidẽ propagari. Quo quidẽ annorũ perfecto numero, tempus totũ ab orbe redẽpto usq; ad finẽ mũdi designatur. Vnde sequitur. Et cum consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exibit & seducet gẽtes, quæ sunt super omnes quatuor angulos terræ: nempe super uniuersum orbem, quas nomib. illis, Gog, & Magog signant ut eodem lib. c. 11. ait Aug. Et congregabit, inquit, eos in prælium quorum numerus est sicut arena maris. Et ascẽderunt super latitudinẽ terræ, & circuiuerũt castra sanctorum & ciuitatem dilectã, nẽpe ecclesiam. Et descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos: & diabolus, qui subducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris: ubi & bestia (uidelicet Antichristus) & pseudo prophetæ (eius administri) cruciabũtur die ac nocte in secula seculorũ. Hic ergo graphice bestia illa diabolico spiritu inuecta depingitur, quæ Christianã eccle siã demoliri perget. ¶ Quod si roges. Quæ ratio sapientissimam clementiam diuinam adducere potuit, ut tam atrocẽ ac diram dæmonis rabiem in suam familiam debachari sinat? Re uera ratione nõ caret. Primam ergo, de similitudine duorum aduentuum Christi uenari possumus. Quãdo enim ad suã prædicandã fidem sub habitu humilitatis cõtectus de cælo uenit, decuit, ut Baptista, ceu eius Angelus præiret faciẽ eius pœnitentiã reis prædicando, per quã idonei fierent ad eius susciendã misericordiã: sed illico nascente fide in ecclesia, hæreticorum tyrannorumq; & pseudo prophetarum impetus irruit, qui illam debellarent, ut probarentur electi: cõgruentiue ergo quando uenturus est ad exigendã factorũ rationẽ ab hoibus, quemadmodũ indultã sibi misericordiã moribus excoluerint, quosq; fructus ex illo diuino semine protulerint, trucẽ illam fidei persecutionẽ permittet priori truculentiorẽ, qua rursum selectissimi examinentur, & quasi aurũ in fornace excolẽtur: nẽpe, ut qui de fide deciderint, & ab eius militia defecerint, planè conuincantur q̃ sint igne æterno digni, in quẽ sunt demergendi: & qui in eadẽ fide perstiterint & charitate, summo honore triumphũ de parta uictoria illico percipiant. Vnde. 2. ad Thes. 1. Aduentus, inquit, Antichristi erit secundũ operationẽ Satanæ, in omni seductione iniquitatis, his qui pereunt, eo q̃ charitatem ueritatis non receperunt, ut salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio ut iudicentur oẽs qui non crediderunt ueritati, sed consenserunt iniquitati. ¶ Secunda ratio sumitur ex parte dæmonũ, Nam cũ tunc cõiecturis sint percepturi finẽ mundi properare, post quem nullus eis relinquendus est locus suũ uirus euomendi, suamq; aduersus Deũ exercendã tyrannidẽ, nouos assument animos nouaq; exacuent arma, ut homines possint à cælo cohibere, quibus sua tartara impleãt. ¶ Ad hæc & ex parte Christi accedit, q̃ cum militia Christiana, illuc usque sit suistinenda, tunc Christus, dum receptui canere iubebit, exercitus recensebit suos, hostemq; lacesset, ut supremo conserto prælio de summa, aut fœlicitate, aut miseria decertetur: ut coronatis uictoribus uictos cũ suo duce Lucifero, suoq; antesignano Antichristo, in infernorũ baratrũ igne & sulphure cõuolutos in perpetuũ obtrudat. ¶ Quapropter ut eo. li. 20. c. 8. ait Aug. nõ solũ quam plurimi tunc persistent in uiua fide, uerum & multi, constantiam martyrũ aspicientes eãdem suscipient fidẽ ut actus ille postremus ecclesiæ Christianæ suis

Probatio conclusionis.

Visio Apocalypsis.

Visio per quam Antichristi.

Ratio. 2.

Ratio. 3.

August.

primordijs respondeat, quando cruentati martyres plures persecutorum Christo lu crifaciebant. Raros tamen credendū est, tunc euasuros Christianos, qui non martyrio coronentur. ¶ Argumenta igitur cōtraria per ea quæ dicta sunt dissoluuntur. Nā etsi propter mundi senium homines tunc fore credantur spiritu debiles, tamen ex altera parte clementissimus Deus tū præuia Eliæ prædicatione, tum & singulari subsidio & auxilio corroborabit suos, ut possint contra hostilia tela persistere. Præsertim quod eam ob rem non sinet diu persecutionem prolatari, iuxta uerbum Christi Matth. 24. Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur. Quemadmodum in primo aduentu ante tyrannorum persecutionem, Ioan. Baptistam & subinde Apostolos misit, qui fidem propugnarent.

ARTICVLVS. II.

Vtrūm Antichristus futurus sit omnium malorum caput.

Voniam Antichristum fore constitutū est, expedit eius ingeniū & mores nosse: ob idq; interrogamus utrūm futurus sit omniū malorū caput. Et arguitur à parte negatiua. Vnius corporis non sunt diuersa capita, malorū autem omniū diabolus est caput: qui primum primis hominibus suggessit crimen, ergo Antichristus nō est futurus ipsorum caput. ¶ Secundo caput influit in membra, sed Antichristus nullam influxit malignitatem in eos qui eum præcesserunt & sunt præcessuri: ergo non est omnium malorum caput: sed unum præcipuè inter illos membrum diaboli. ¶ In contrarium est glossa super illud Iob. 21. Interrogate unum de uiatoribus &c. quæ ait. Dū de omniū malorū corpore loqueretur, subito ad omnium iniquorū caput Antichristū uerba conuertit. ¶ Quæstiunculam hanc D. Tho. 3. par. q. 8. ar. 8. mouit, quam breuissimè expediuit. Nos aūt ea ratione proponimus. ut locum illum Pauli. 2. Thes. 2. enarremus, ubi Antichristum suis lineis effigiat. At ne morē deseramus nostrum, tribus conclusionibus respondetur. Prima iuxta quæstionis titulum sit. Antichristus modo quodam futurus est omnium malorum caput. Quatuor enim sunt quæ in capite respectu membrorum considerantur. Primum temporis anteceſſio, & secundum influxus, influit. n. caput in membra: & tertium est excessus & perfectio rei illius, secundum quam est caput. Ac demum quartum, quòd omnia membra ad se ipsum ueluti ad finē refert. His igitur quatuor modis Christus fuit caput ecclesiæ. Fuit enim primum angularis lapis eius, in quam uirtutū charismata intrinsecis inspirationibus influit: eādēq; exterius gubernat: & dona quę ecclesię ad mensuram largitur plenissima redundantia in se continet: ac tandem membra sua ad se trahit. Atqui eisdem quodammodo rationibus diabolus est caput omnium malorum. nam & antiquior fuit hominibus, quibus iniquitatem intus suggessit, & continenter suggerit, licèt non eo modo quo Deus uirtutes, quia non est nostræ dominus uoluntatis. Et quodam pacto iniquos homines gubernat: quare Iob. 41. appellatur rex super omnes filios superbiæ. Et ad suum proprium finē homines inducit: nempe, ut auertantur à Deo, iuxta illud Iere. 2. A seculo confregisti iugum, rupisti uincula, dixisti, Non seruiam. ¶ Antichristus ergo duobus prioribus modis nequibit esse malorum caput: quoniam neque uniuersis mortalibus anteceſſit, neq; suos anteceſſores ad malum instigauit: duobus autem posterioribus rationibus hoc potest nomē sortiri: nempe, quia malignitate & scelerū immanitate iniquos omnes superabit: & cunctos quos poterit ad suam pertrahet nequitiam, ut à Deo deficiant. Vnde super illum locum. 2. ad Thess. 2. Ostendens se tanquam sit Deus, ait glossa. Sicut in Christo oīs plenitudo diuinitatis inhabitauit, ita in Antichristo oīs malitiæ plenitudo. Non quidem ita, q̄ humanitas eius sit assumpta à diabolo in unitatē personę, sicut humanitas Christi à filio Dei: sed q̄ diabolus suā malitiam eminentius ei influet ſug gerendo, q̄ omnibus alijs. Qua utiq; ratione & respectu præcedentium iniquorum fuit quodammodo caput. Nā sicut omnes sancti & prophetæ imaginem quandā suis uirtutibus Christi præferebant: ita & oēs pseudo prophetæ & tyranni, quasi quādā effigiē & umbrā Antichristi p̄mōstrabāt: iuxta illud eiusdē apostolici loci. Mysteriū iā operatur iniquitatis: quasi Nero iā tunc atque

Partis negatiuæ argu. 1. 2. argum.

Pars affirmatiua.

1. Conclu.

Christus caput ecclesiæ.

Diabolus malorū caput.

Antichristus malorū caput.

Antichristus natiuitas.

atque alij subinde tyranni mysterium essent Antichristi. ¶ Quo autem ingenium bestiæ apertius perpēdatur, fertur, ut Hiero. ait super Dan. ca. 11. ex Iudaica gente in Babylone nasciturum, atque alij addūt ex tribu Dan. quia uerba patris eius Gen. 49. plurimum ad rem alludunt. Dan coluber in uia, cerastes in semita. Etenim sicut antiquus hostis sub forma colubri primos parentes adortus est, sic & Antichristus per fraudes & technas, uias sepiet, ut uix se possint homines ab eius laqueis extricare. Est. n. cerastes, ut ait Solinus, serpentis genus callidissimum. Vnde subditur in pphetia. Mordens ungula equi, ut cadat ascensor eius retro, scilicet, ut à Deo recedat. Quapropter truculentiam persecutionis contemplatus Iacob concludit. Saluta re tuum expectabo domine. Atque eā ob rem, suspicantur nonnulli Ioan. in Apoca. c. 7. ubi tribus Israel recensuit, quibus signantur electi, silentio præterisse tribum Dn. ¶ Quod autem à Babylone sit uentu rus, coniectura sit non leuis, quod sicut Nembrot ædificans Babylonicam turrim ut Gene. 11. legitur, bellum indixit Deo, à quo proinde Heber, pater hæbræorum populi Dei segregatus fuit, ita ab eadem Babylone sit supremus ecclesiæ hostis reuelandus. Erit autem uilibus despectisque parentibus ortus: quod uerbo illo Dani. 11. de Antiocho Epiphane significatur. Et stabit in loco eius despectus, & nō tribuetur ei honor regius: & ueniet clam & obtinebit regnum in fraudulentia. Antiochus enim ille, qui ut libris Machabæorū memoriæ proditum est, populum Dei atrocissimis bellis deuexauit: figura ut nostri tradunt, fuit Antichristi. Quapropter sicut ille, ita Antichristus Aegyptū priùs sibi suppeditabit: ac subinde potentissima inuadet Romanorum brachia. ¶ Non autem defuerunt, ut loco citato ait Hieron. & 20. de ciui. Dei. c. 19. Aug. qui opinati fuerint Neronem fuisse, qui resurrecturus est, ut sit Antichristus, propter uerbum Pauli loco citato. Qui tenet nunc (scilicet Romanum imperium) teneat donec de medio fiat: hoc est, eius auferatur regnum: quæ quidem illic uerba Augu. & in epistola ad Fisichium ait non intelligere. Attamen sensus est, quòd qui tenet imperium Romanum & tenebit spirituale, teneat quousque in fine mundi ab eo tollatur. Quare satis est dicere Neronem fuisse Antichristi umbram & præsagium, in quo mysterium, hoc est, figura iniquitatis operabatur. ¶ Secunda cōclusio. Antichristus pessimus omnium futurus est mortalium qui hactenus fuerunt, & qui post hac futuri sunt. At ne quis peccatum siue Adę siue Iudæ obijciat, non conferimus peccatum cum peccato: sed cum personis personam. Fuit enim peccatum Adæ tum ex alijs circunstantijs graue, tum ratione uniuersalis detrimenti, quod generi humano intulit, grauissimum: & peccatum Iudæ & eorum, qui Christum crucifixerunt ex obiecto sceleratissimum, simul ac impientissimum, quia fuit occisio Dei. Sed tamen nullum illorum fuit infinitæ malitiæ: sed illa communi ratione omnium peccatorum, qua auersio à Deo dicitur infinita. Quocirca possunt tot scelera, sacrilegia, & impietates in uno homine accumulari ut personam peiorem faciant illis, qui illa peccata Adæ & Iudæ commiserunt. Hanc conclusionem affirmat Apostolus, ubi eum ait fore hominem peccati & filium perditionis: sunt enim hebraismi, quibus significatur malignitatis exundantia. Neque tamen asserimus futurum infinitè malum: quia malum nequit totum bonum corrumpere. Quapropter non quomodo in Deo plenitudo uirtutis, ita in eo plenitudo iniquitatis abundabit. Attamen, ut Christus omnium fuit bonorum optimus ita & ipse erit omnium malorū pessimus.

2. Conclu.

Babylon.

Antiochus

Nero.

Conceptus Antichristi.

¶ Vnde ut ab eius statim conceptu contrarius Christo uideatur, aiunt quòd sicut Christus opera spiritus sancti conceptus fuit, ita eū spiritu diabolico ab utero matris suæ occupandum: quin uerò à diabolo ipso arreptum iri. Non quod eum prorsus, ut reliquos arreptitios dementet, sed sano iudicio quo peccare possit seruato, uoluntatem eius omni replebit spurcitia & iniquitate. Et ideo fertur, ūel per incestum grauissimum, uel per sacrilegium ex sacris parentibus concipiendum Hoc autem nulla fulcitur autoritate, tamen cum Apostolus eum hominem peccati, & filiū perditionis appellet, certum est in hoc solū concipiendum, ut omnium sit scelerum ac flagitiorum sentina. ¶ Et primum eo superbiæ, quæ initium est omnis peccati, eleuabitur, ut non solum Deo aduersetur, ut ait Paulus (quod nomen eius sonat) sed extollatur

Superbia Antichristi.

extollatur supra omne quod dicitur Deus siue uere sit Deus, ut qui est in cælo, siue falso noie colatur, ut Dij gentiũ: siue per adoptionem sic nominetur quemadmodũ ait sanctis uiris Dauid. Ego dixi Dij estis & filij excelsi omnes. Similia enim de illo prophetauit Daniel sub figura Antiochi. Ait quippe. ca. 11. Eleuabitur & magnificabitur aduersus omnẽ Deum, & aduersus Deũ Deorum loquetur magnifica. Quod certè de solo Antichristo dici potuit, cuius ideo figura præcessit in Cęsare, qui fertur statuã suã in tẽplo adorandã posuisse: & in rege Tyri, de quo legitur Ezechi. 28. Dixisti quia Deus ego sum. Nam ut Apostolus ait, sedebit in templo, ostendens se tãquàm sit Deus. In quo uidebitur, non solũ superbiã Adæ, qui uoluit esse, ut Deus, trãscendere, uerum & Luciferi, qui uoluit esse æqualis Deo. Nam ob hoc potissimum nomen habebit Antichristi, quod Christum prædicabit fuisse falsum Deum, falsamq; prædicasse fidẽ, & iniquas condidisse leges, uerũq; se esse Messiam illum filiũ Dei, qui fuerat Abrahæ patribusq; subin de promissus. Et re uera hoc est expauescendum mortalium monstrum, quod homini impuro, tamq; insolenter absurdo, & impudico, possit quispiã ullam adhibere fidem, dicenti se esse aut Deum, aut prolum hominem. ¶ Tertia conclusio. Antichristus erit omni arte fallendi instructus omniq; potestate huius seculi coarmatus, ut humanas mentes possit seducere, humanasq; uoluntates, tum quantùm ad uim concupiscibilem allicere, tum & quantum ad irascibilem exterrere: ut alios per fallacias, aliosq; blanditijs, sed alios metu & pauore cõmouere. t. Hac. n. de causa in bestia illa Apoca. 13. quæ Cosdroæ filiũ designabat, delineatus fuit, quę capita habebat septem, & cornua decem: s. regna plura & potentatus plurimos: & noia super capita blasphemiæ. Eratq; similis pardo uersicolori: nã erit omnimoda uitiorũ uarietate intinctus: & habebit ungulam ursi ad conculcandam ecclesiã, & Leonis os ferocissimum: cui draco, id est, diabolus: uirtutem suã magnam collaturus est. ¶ Haud tamen uirtutem ullam supernaturalem habebit, quare nec uera miracula edere poterit. Miracula enim sola Dei uirtute fieri possunt: quam nunquam neque ipse exercuit, neque ulli creaturę commisit, ni si ad fidem catholicam asserendam, multo ergo minus illam Antichristo tribuet ad illam labefactandam. Erit tamen prompto paratissimoq; dæmonum satellitio cõstipatus, quo possit ficta seductoriaq; miracula ostentare: uel aerem immutando, ut prestigiatores faciunt, uel phantasticas species commouendo, ut res quæ non sũt aut quales non sunt appareant, quod diabolus facere potest: imò & pernicissimo motu poterit agentia naturalia passis admouere: ut quam citissimè res fiant naturales, quæ possint æstimari miracula. Qđ in Magis Pharaonis secundum Augu. usu uenit, qui fecerunt serpentes & reliqua. ¶ Vnde eodẽ loco Apostolus. Erit inquit aduentus eius secundum operationem Satanæ, in omni uirtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis his qui pereunt. Atque illis apparentibus mirabilibus, homines uanos & ad credendum faciles, dementabit: uanos uerò opibus, & superbos honoribus, & uoluptuosos uoluptatibus, & meticulosos, terroribus. Plerosq; tamen immanita te tormentorum exquisitissimaq; trucidã di arte euincet. Nam alia uia quomodo poterit tam turpe tamq; nefandum hominis monstrum quempiam allicere, quem in suam amicitiam conciliet? ¶ Dies autem persecutionis eius ut Christus ait breues erunt propter electos. Durabit enim illius persecutionis truculentia, ut supra diximus, & Augu. 20. de ciuit. ca. 8. refert tribus annis cum quarto dimidiato. Tantum enim ferè durauit prædicatio Christi processuraq; est prædicatio Eliæ, ac subin dè Antichristi calamitas, de qua Daniel. ca. 12. uaticinatus est. Visio autem fuit, quod cùm interrogasset Angelum usque quo finis illorum mirabilium? respondit quia in tempus & tempora & dimidium temporis: scilicet, in unum annum atque alteros duos & dimidium quarti, idemq; inferius repetit dicens, A tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium. s. ecclesiæ, & cum posita fuerit abominatio. s. Antichristi, in desolationem dies mille ducenti nonaginta, qui idẽ ferè tempus reddunt ¶ Finis autem eius erit quod Michael ecclesiæ princeps, qui diabolicum de cælo deiecit exercitum, illum extinguet, & ut fertur in monte Oliueti, unde Christus ascendit. Id enim Daniel in initio eiusdem capitis

Danie. 11.

3. Concl.

Bestia Apocaly. c. 13.

Non faciet uera miracula.

Paulus.

Tempus persecutionis Antichristi.

Visio Danielis.

Finis Antichristi.

capitis insinuat dicens. In tempore illo cõsurget Michael princeps magnus, qui stat pro filijs populi tui: & ueniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud: & multi ex his, qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in uitam æternam alij in opprobrium, &c. Et hoc est quod ait eodem loco Paulus. Tũc reuelabitur ille iniquus quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ &c.

Solu. argumentũ.

¶ Ad primum igitur argumentum respondetur, Diabolum & Antichristum non esse duo, sed unum caput: quoniã Antichristus uirtute diaboli utetur. Veluti Deus est caput Christi, & Christus caput ecclesiæ in uirtute Dei. Et summus Pontifex dicitur caput ecclesiæ tanquam Christi uicarius, cuius uirtute & autoritate fungitur. Atque adeò nihil obstat, quominus sit, & membrum diaboli & malorum caput.

QVAESTIO SECVNDA, De signis iudicium antecessuris.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm iudicio finali aliqua sint signa antecessura.

Arguit ne-

gãtiuè ar-

ticu. 1.

SEcunda quæstio est de signis iudicij, & ideo quæritur primò, utrùm aliqua sint illud præcessura. Et arguitur à parte negatiua. Dies iudicij, ut supra constitutum reliquimus, sic est nobis occulta, ut eam nosse minimè nobis expediat: iuxta illud Pauli primæ Thessal. quinto. Ipsi diligenter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte ita ueniet. Cum enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus sicut dolor in utero habentis, & non effugient. Rei autem occultæ non congruit indicium antecedere: ergo nulla sunt antecessura signa.

Argum.

¶ Secundò arguitur. Aduentum primum in carne, quanuis fuerit plurimis prophetarum oraculis prænunciatus, nulla tamen antecesserunt signa: ergo neque præcedent secundum aduentum. Nam cùm in primo occultus uenit, quare à suis ipsis fuit ignoratus: & in secundo, ut ait Psaltes, manifestè ueniet: si signa aliqua necessaria essent, potius deberẽt primum antecedere. ¶ In contrarium, est illud Lucæ. 21. Erunt signa in sole & luna & stellis, &c.

Anceps quæstio.

¶ Quæstionem hanc ancipitem reddunt euangelica uerba apud Matthæ. capit. 24. & apud Lucam. capitul. 21. ubi de signis Christus sic amphibole locutus est, ut uix oculatissimus dignoscere queat, utrùm de illis loquatur quæ excidij Hierosolymitani indicia fuerunt: an de illis quæ aduentum ultimum domini indicabunt. Vnde nonnulli ex quibus est Abulensis super Matthæum, contendunt non nisi de euersione Hierosolymorum accipienda. Atuerò hæsitari non debet quin de ambobus simul consummationibus: scilicet, ciuitatis illius & totius orbis, intelligantur: nẽpe, partim de una & partim de altera: ut in epistola ad Esichium ait August. & 20. de ciuit. Dei. cap. quinto. Hoc certè Matth. 24. palam fit. Sermo enim obortus illic de clade Hierosolymitana fuit. Prospiciens enim structuram templi ait Christus. Nonne uidetis hæc omnia? amen dico uobis non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur. Et tunc accesserunt ad eum discipuli seorsum, secretò interrogantes duo: primùm quando futura esset ciuitatis subuersio. Dic nobis quando hæc erunt (quæ tu dicis) scilicet templi subuersio: & quod signum aduentus tui & consummationis seculi, id est, dic præterea hoc quod subtices, quæ signa erunt aduentus tui. Præsupponebant enim aduentum eius & consummationem seculi eodem tempore fore. Et hoc erat quod ipsi omnium potissimum scire cupiebant, quod ideo identidem illum interrogabant: ut Actuum primo legitur. Commisceuerunt autem ambas interrogationes, uel arbitrati excidium urbis nõ fore usque ad seculi cõsummationẽ uenturũ, uel fortè mysterium illud docti, cuius articulo præcedenti meminimus: uidelicet quod sicut templum illud sacrificijs illius legis dedicatum erat: ita et totus mundus templũ erat futurus in quo euãgeliũ erat colendum. Ac perinde quòd euersio Hierosolymitana

De signis Matth. 24.

Duo interrogata.

rosolymitana quæ in abolitione illius legis erat futura, prognosticum esset cõsummationis seculi: quæ deficiente fide & cultu euangelij expectatur. Ob idq; Christus utriusque signa promiscuè posuit. Quocirca, non solùm quædam ad Hierosolymã referuntur, & quædam ad finem mundi, ut Aug. autor est, uerùm aliqua utrunque simul sensum referunt.

Primum responsum.

¶Illud ergo quod primum omnium respondit. Videte ne quis uos seducat, multi enim uenient in nomine meo dicentes. Ego sum Christus, audituri estis prælia &c. oportet hæc fieri: sed nondum finis: manifesta responsio est ad secundum interrogatum de consummatione seculi.

Non enim ait restrictè, nondum finis temporis & urbis: sed simpliciter nondum finis. Vbi planè insinuatur finis mundi: At uerò non ponit illic signa propria finis mundi, sed communia: quæ ab eius passione usq; ad illum finem sunt præcessura: tam in pseudo Prophetis & hæreticis: quàm in tyrannis, qui prælijs & falsis dogmatibus afflicturi sunt ecclesiam. Atque hunc sensum explicatius refert Lucas. cap. 21. dicens. Injcient uobis manus suas, & persequentur, tradentes uos in synagogas & custodias, &c. Et propterea dicit. Nondum finis. Tametsi in fine mundi illa erunt omnibus præcedentibus acerbiora. Nam quãuis hæreses semper fuerint, & modò ob nostrorum peccatorum merita augeantur, & magna ex parte discessionem à Romana sede in hæreticis nostri seculi conspiciamus, quod est mysterium iniquitatis, ut ait Paulus, Antichristi: & quanuis prælia & seditiones, ut ait Aug. semper fuerint: & quanquam multi se nominauerint Antichristos, ut Mahometus atque alij, hæc tamen quædam figura sunt illius ueritatis quæ in Antichristo cumulatiùs complebitur. Quare hæc non sunt signa, quæ punctim indicent finem mundi, sed prognostica illius temporis: quæ quanto auctius succreuerint, tanto tempus illud properantius aduenire proclamant. Et ideo concludit Christus. Qui perseueraue rit usque in finem hic saluus erit.

Et prædicabitur hoc euang. &c.

¶Item quod continuo subsequitur. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in uniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet consummatio, palam ad finem mundi refertur. Non enim ait, tunc erit consummatio templi, aut ciuitatis, sed simpliciter consummatio.

Abominatio desolationis.

¶At quod subinde subiungitur. Cùm ergo uideritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele propheta: reuersio esse uidetur ad respondendum primo interrogato de subuersione templi. Nam licèt hoc Matthæus, non tam planè explicet: Lucas tamen explicatiùs eodem loco illud commemorat. dicens. Cùm autem uideritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote: quia appropinquabit desolatio eius, tunc qui in Iudæa sunt fugiãt ad montes, & qui in medio eius discedãt, & qui in regionibus non intrent in eam, quia dies ultionis hi sunt. Et ideo uterq; euangelista subiungit. Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus: quia scilicet non poterunt fugere. Atqui si in hoc sensu sumantur Matthæi uerba, scilicet, de Hierosolymorum clade, necesse est, prophetiam ibidem allegatam Danielis referri ad cap. 9. non quidem ad 79. hebdomadas illic relatas, quæ proculdubio in primo aduentu Christi fuerunt completæ: sed ad præcedentia ibidem uerba quibus urbis subuersionem per Romanos faciendam prænuntiauit. Quanuis & in eadem strage finis mundi fuerit præsignatus, quẽ diem Propheta etiam descripsit. cap. 12. ut supra distinct. 43. quæst. 2. art. 2 explicuimus. Nihil ergo uetat utrumq; sensum Christum insinuasse: idcirco enim subiunxit. Qui legit intelligat. Extat autem uerbum ab ipso allegatum apud Danielem. ca. 9. ubi post enarratam occisionem Messiæ subdit. Et erit in templo abominatio desolationis. Quam quidem abominationem nonnulli, ut etiam August. meminit, referunt ad idolum quod Antiochus tempore Machabæorum, ut libro eorum. 1. ca. 1. scriptum est, in templo erexit super altare Dei: quod nominauit idolum desolationis. Et propterea aiunt dixisse Christum abominationem stantem in loco sancto. Sed re uera uerbum Christi non alludit nisi ad desolationem quæ Romanorũ impetu post eius passionem facta fuit, de illa quippe prophetauit illic Daniel dicens, nunquam sub omni cælo tam magnũ fuisse malum. Vel ad desolationem mundi illic designatam. Et ideo non ait Idolum desolationis, sed abominatio. Dixit autem Christus stantem in loco sancto, ut

Daniel. 9.

Idolũ Antiochi.

ut alluderet ad uerbum Danielis, in templo, quod per Romanorum abominationem desolatum fuit.

Responsio sine mũ &c.

Calc. primus.

Ratio. 1.

¶At quod apud eũdem Matth. ab illo uerbo subsequitur. Erit enim tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neq; fiet: certè ad propria signa consummationis seculi regressio est. Quare ad quæstionem hac conclusione respõdetur. Signa futura sunt aduẽtus domini prænuntia, atque ipsi proxima. Et primum quidem uerbum ipsum postremo citatũ hoc denotat: quare particula enim, non refertur ad proximam orationem præcedentem, saltem si de excidio intelligatur Hierosolymitano, sed ad aliud superius antecedẽs uerbum. Et tunc erit consummatio, scilicet mundi. Nam quod de illo redeat illic sermo, patet ex prædicto uerbo. Erit tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neq; fiet. Daniel nanque de clade Hierosolymitana locutus, nõ ait nisi, quòd erit magnum malum, quale non fuit sub omni cælo, scilicet, usque ad subuersionem urbis & templi: non tamen incluſit futurum sub Antichristo: Christus uerò adiecit neque fiet illucusque. Tametsi græca lectio non habeat nisi, neque fiat, deprecatiuè: sed consonantior est latina.

¶Secundò id constat ex subiuncto uerbo. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro. Nõ dicit cum modo, omnis caro Hierosolymitana, aut Iudaica, sed omnis caro simpliciter. Quare abbreuiando ait propter electos, scilicet, totius ecclesiæ. Quocirca id quod subditur. Surgent enim pseudo Christi, & pseudo Prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia: palam de Antichristo, & de eius auxiliaribus ducibus intelligitur. Quare subinfert. Ita, ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Atque id ipsum subsequens particula confirmat. Sicut fulgur exit ab oriente, & paret usque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Vel forsan legendum est, fulgor, ut referatur ad solem, qui subito dum oritur, uidetur in occidente. Quãuis Luc. 17. Sicut fulgur, inquit, coruscans de sub cælo in ea quæ sub cælo sunt fulget, ita erit filius hominis in illa die. Et subdit apud Matth. Vbi fuerit corpus congregabuntur & aquilæ: fit enim allusio ad illud Pauli. Rapiemur in nubibus obuiam domino in aera: aquilarum nanque uolatu, sanctorũ merita diuino numine sufulta denotantur. Super omnia demum rem cõfirmat, conclusio illa. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & uirtutes cælorum commouebuntur, & tunc apparebit signum filij hominis in cælo, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cæli, cum uirtute multa & maiestate. Et tandem subdit de die illa nemo scit, &c. Et similia ferè uerba habentur Marci. 13. & Lucæ. 21. proculdubio ergo certissima est conclusio, quòd ante diem iudicij apparebunt in cælis expauescendæ signa.

Præcipua cõfirmatio.

¶Et confirmatur præterea ratione ex his ultimis uerbis collecta. Est enim Christus dominus cum potestate magna & maiestate uenturus: ad autoritatem autem iudicis confert, aliqua signa præcedere, quæ iudicandos ad reuerentiam & terrorem commoueant, ut supplices in eius tribunali sistantur. Cùm ergo maiestas Christi, & potestas sit supercælestis, condecet, ut signa quoque cælestia eius aduentum repræsentent.

Quindecim signa.

¶Hieronymus autem quindecim continuis diebus iudicium præcedentibus, quindecim signa refert futura: dicens, quòd prima die maria omnia exaltabuntur. 15. cubitis super montes. Secundò omnia æquora prosternentur in profundum: ita ut uix uideri possint. Tertiò redigentur in antiquum statum. Quartò belluæ omnes & alia quæ mouentur in aquis, congregabuntur & leuabũtur super pelagus, more contentionis inuicem mugientes. Quinto omnia uolatilia cæli congregabuntur in campis inuicem plorantes, non gustantes neque bibentes. Sextò flumina ignea surgent ab occasu solis contra faciem firmamenti usque ad ortum corruentia. Septimò, omnia sydera errantia fixa spargẽt ex se igneas comas, sicut cometæ. Octauò, erit magnus terræmotus, & omnia animalia prosternentur. Nonò, omnes lapides tam magni quàm parui diuidentur in quatuor partes: unaquaque aliam colliden te. Decimò, omnes planetæ sanguineum fluent rorem. Vndecimò, omnes montes, & colles & ædificia in puluerem redigentur. Duodecimò, omnia animalia uenient ad campos de siluis & montibus rugiẽtia, & nihil gustantia. Tredecimò, omnia sepulchra

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulchra ab ortu ſolis uſque ad occaſum patebunt cadaueribus ad reſurgendũ. Quartodecimò, omnes homines de habitaculis ſuis recedent non intelligentes: neque loquentes: ſed diſcurrentes. Quintodecimò, omnes morientur, & reſurgent cum mortuis longè ante defunctis. Hæc autem Hieronymus non tanquam ex propria ſententia conſtituit: ſed dixit ſe in annalibus Iudæorum inueniſſe. Sunt autem, ut apparet confícta. Poſuit enim Chriſtus ſigna illius diei, & tamen nullius iſtorum meminit: neque omnia uidentur rei eſſe conuenientia.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum reſpondetur, bifariam huiuſmodi ſigna poſſe intelligi an ecedere. Vno modo, quod aliquantulo tempore aduentum domini præueniant: ita ut non monſtrent diem certũ neque menſem, imò forſan, quod antecedant per annum uel amplius. Et tunc, ut ait ad Eſichium Auguſti. erit inter probos & improbos diſſenſio & diſcrimen: quòd homines uentri & luxui dediti erunt, ut ait Paulus in pace & ſecuritate, ueluti mortales illi, dum arcam Noe fabricabat: ſed cordatiores & Dei cultores, non erunt in illa tranquillitate, imò de illis, ait Lucas, quod areſcent præ timore. Quare non obſtat diem iudicij fore ſic occultam, ut planè non conſtet, & nihilominus antecedere ſigna, quæ diem illam comminentur.

Simile ab ¶Atque huc alludere uidetur ſimilitudo Chriſti. Ab arbore fici, diſcite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit & folia nata, ſcitis quia prope eſt æſtas: ita & uos cum uideritis hæc omnia, ſcitote, quia prope eſt in ianuis. At uerò ſimilitudo illa nõ uidetur ſignis iudicio proximis appoſita, ſed cunctis à tempore paſſionis Chriſti illucuſque procedentibus. Prædicationem enim ſuam & mortem, comparauit germinantibus arboribus, & uireſcentibus: nam illic iacta ſunt ſemina ſpiritualiũ fructuũ. Dixit autem, propè eſſe æſtatem, ſicuti ait in ſua Canonica Ioannes, nunc eſſe nouiſſimam horam.

Sol. 2. arg. ¶Secũdò ergo modo & melius dicendum ſigna illa uentura eſſe in eadem nocte uel die præcedente iudicio: ut quod ait Paulus. Dicturos tunc homines pax, & tranquillitas, referatur ad tempus antequam ſigna eos conterritent, & quod ait, repentinum ſuperuenturum interitũ, ſicut dolorem in utero habentis, referatur ad ſignorum præſentiam, quæ non permittet eis ad cor redire. Et de illo tempore, ait Lucas, quòd tunc areſcent præ timore. Et tunc, quod ait Chriſtus diem illam eſſe occultam, intelligẽdum eſt, quouſque ſigna illam diem iam præſentem demonſtrent: & ideo dicitur uentura ſicut fur. Etenim quòd iſte modus dicendi ſit rei congruentior, probatur. Nã ſecundum priorem dicendum eſſet, obſcuritatem ſolis & lunæ non duraturam uſque ad articulum & momentum iudicij: nõ enim credibile ſit, tanto tempore in ſummis tenebris totum fore mundum: ſed ſecundum hunc modum poſteriorem, tenebræ durabunt, quouſque ignis præcedens faciem Domini, & ſplendor ipſius, iudicis, cœlum ſerenet. Sol. 3. arg.

¶Ad ſecundum reſpondetur. Quod primus aduentus Chriſti debuit eſſe per Prophetas, quantum ad tempus prænuntiatus: ipſe tamen debuit uenire occultus: & utraque ratione non decuit, ut ſigna præcederent: præſertim quod primus aduentus fuit pacificus, ſecundus uerò erit terrificus.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Sol & Luna circa iudicium, ſecundum rei ueritatem contenebreſcent, & uirtutes cœlorum mouebuntur.

Onſtituto quòd aduentum iudicis, debent ſigna cœleſtia præuenire, quæritur quemadmodum illa debeãt contingere ſigna. Quæritur ergo primò utrum prope iudicium, ſcurabit Sol & Luna, & uirtutes cœlorum mouentur. Et arguitur à parte negatiua. Sol & Luna ſimul priuari ſua luce nequeunt, nam luna eclipſatur per interpoſitionem terræ inter ipſam & ſolem, quare debent eſſe in oppoſitis cœli punctis, Sol uerò obſcuratur per interpoſitionem lunæ inter ipſum & nos: ad quod requiritur eſſe luminaria coniuncta. Partis negatiuæ argum. 1.

¶Secundò arguitur. Sicut dicitur, quòd Sol & Luna obſcurabuntur, ſubiungitur, quòd ſtellæ cadent de cælo: ſtellæ autem cum ſint cæli partes, ac perinde incorruptibiles, cadere inde nõ poſſunt: ergo omnia per metaphoram intelligenda ſunt, & non 2. Argum.

non ſecundum rei ueritatem. 1. Argum.

¶Tertiò, uirtutes cælorum intelligi nequeunt niſi angeli: illi autem moueri non poſſunt, primò quia ſunt beati, quibus mutari repugnat, ſecundò, quia neque timere poſſunt neque admirari, cum admiratio ex ignorãtia cauſarum proueniat: quæ in angelis eſſe nequit. tertiò, quia circumſtabunt domino in iudicio, iuxta illud Apocalypſis. 7. Omnes angeli aſtabũt in circuitu throni.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium eſt textus euangelicus. Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumẽ ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, & uirtutes cælorum mouebuntur.

Decisio articuli. ¶Ad quæſtionem quatuor concluſionib. reſpondetur. Operæpretium autem eſt primum de tempore diſtinguere: ſcilicet, ante aduentus Chriſti articulum aut in ipſo articulo, aut poſt. In ipſo enim temporis articulo, non ſolùm nulla erit obſcuritas ſolis & lunæ, uerùm multò fulgentiùs quam modò ſplendeſcent: quia adueniente domino totus innouabitur mundus. Iuxta illud Iſaiæ. 30. Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter. Quæ etiam luminaria peracto iudicio lucentia permanebunt: luna ſcilicet, in occidente oppoſita ſoli. De qua re diſt. 48. recurret ſermo. Loquimur ergo de tempore, quod erit iudicio proximum, ut articulo præcedenti expoſitum eſt. Ab tempore iudicij non erit obſcuritas lunæ.

Conclu. ¶Sit ergo prima concluſio. Sol tunc & luna obſcurabitur. Concluſio habetur in euangelio, & ideo probari non indiget: ſed tamen de modo dubitatur, qui poteſt unus eſſe trium: ſcilicet, aut per ſubtractionem radiorum, aut per interpoſitam nubem. Nam quod Hieronymus præſenti loco inſinuat, uidelicet luminaria tunc non eſſe abſolutè remiſſura lumen, imò quòd debent fulgentius promicare, ſed quòd reſpectu eximij ſplendoris iudicis, dicentur obſcurari, textui euangelico non uſque adeo conſonat, ubi tanquam exhorrendũ ſignum obſcuritas illa denotatur. Idq; iudicio antecedens: cùm tamen claritas ſolis non ſit uſque ad iudicij momentum augenda. Per eclipſim autem obſcuritas illa non fiet, primò propter rationem factam quia Sol & Luna ſimul eclipſari non poſſunt. Item quia ſol tunc erit in oriente, & luna in occidente. Deinde quia obſcuratio illa erit in uniuerſo orbe, tamen uniuerſales eclipſes eſſe non poſſunt: & ideo obſcuritas ſolis, qui expirante Chriſto tenebras fecit in uniuerſo mundo, non potuit eſſe eclipſis. Ignis nõ

¶Tertiò ad rem propriè arguitur. Eclipſes ſunt res naturales, quæ cùm per naturam accidant, non dicuntur ſigna, neque uerò terrorem incutiunt, neque admirationem generant: at uerò obſcuritas tunc ſolis & lunæ commemorantur tanquam ſigna ſupernaturalia aduẽtus domini, qui etiam ſupernaturalis erit, terrore & admiratione plena: ergo non per cauſas naturales, ſed ſupernaturaliter contingent. Et confirmatur, quia ſimiliter dicitur de ſtellis, quòd cadent: ſcilicet, à ſuo lumine: & tamen hoc fieri non poteſt per eclipſim.

Per radiorum ſubtractionem. ¶Poteſt ergo obſcuritas illa fieri per radiorum ſubtractionem: nimirum per hoc quòd Deus concurſum generalem ſuſpendat: ne cum illis luminaribus ad lucendũ concurrat: ſicuti ſolem in tempore Ioſue ſuſpendendo eundem concurſum ne moueretur ſiſtere gradum fecit. Atque hoc pacto ſole nondum mittente radios luna & reliqua aſtra, quippe quæ ſolo fulgore ſolis lucent, contenebreſcẽt. Quapropter modus hic non eſt niſi ualde conueniens. Veruntamen, quia in miraculis id quod minoris admirationis exiſtit aſſerendum eſt, fortaſſe obſcuritas non niſi obtenſa nube aliqua fiet: quæ totum orbem obnubilet.

2. Conclu. ¶Secunda concluſio. Pari modo uniuerſa aſtra obſcurabuntur: uel quia ſol ad illa fulgorem nullum mittet: uel quia nubes totum cælum contegẽt. Atque hoc pacto dicuntur cadere: quia ſuum ceſſabit lucendi officium. Iuxta illud Ioelis. 3. ubi de eadem die propheta locutus ait. Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. Sic enim ſol dum ſub terram cadit obſcurari uidetur: & quandò manè aſtra occultantur cadere uulgo apparent. Quocirca quanuis uerborum uarietate euangeliſta utatur dicens. Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent: eandem obſcuritatem ſignificat, niſi quòd uarietas illa maiorem emphaſim habet ad incutiendum terrorem.

Dubitatio. ¶Hæſitabit autem quiſpiam, eſto oporteret apparere cęleſtia ſigna iudicij, cur hęc potius

potius quàm alia:poterant,nanque uel ſtare,uel retrocedere,uel augere lumen. Reſpondetur,illa eſſe congruentiſſima. Primò, quia crementum luminis, non erat ad terrorem & mœrorem aptum:& ſtatio ſolis & retrogreſſio tempore Ioſue,& Ezechię,ut 4.Regum.20. legitur,accidit. Oportet autem,ut in fine mundi ſigna dentur inſolita,& inaudita.Sed potiſſima ratio eſt, quòd cùm ille futurus ſit obitus quidam mundi,& potiſſimus effectus luminarium ſit lucere,condecet,ut aſtra luctus & mœroris documenta ſubtracto lumine præbeant.Illa enim ratione ſol quaſi necem ſui creatoris lugens in momento paſſionis Chriſti lumen ſubduxit orbi.

Ratio potiſſima.

Aſtrorum obſcuritas.

¶Ex his colligitur obſcuritatem illam aſtrorum, non eſſe qualemcunque futurã: ut in noctis crepuſculo, aut in tempore eclipſis,ſed omnimodam,abſq; ullo prorſus ſplendore,acſi nullum eſſet aſtrum in cœlo.

3.Conclu.

¶Tertia concluſio. Non ſolùm in cælo,uerùm in elementis,ut in aere, & in mari, & in terra erunt ſigna. Sic enim legitur. Lucæ.21.Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis,& in terris preſſura gentium,præ confuſione ſonitus maris et fluctuum. Quem admodum enim dum fabrica quædam et moles magna minatur ruinam, columnæ omnes et tigna,ſtridore concutiuntur.Sic tunc elementa quæ ſunt mundi columna, contremiſcent,quaſi ſint à ſuo ordine diuellenda.Quare et mare immodicis,eiſdemq; inſuetis fluctibus intumeſcet et fremet,unde et terræ motus inſurget,et animalia cuiuſque generis conterrita expaueſcent:et arbores conuellentur, et ædificia corruent.Quapropter homines,ut ait Lucas,areſcent:neque id tamen una tantum cauſa. Primùm,ſcilicet,quia deficiente ſolis lumine,quod in hæc influit terreſtria, uiuentium uirtus deficiet.Secundò, ob nimiam animi anguſtiam,ac mœrorem præſentiũ malorum. Et tertio propter timorem futurorum, quæ præſens calamitas comminabitur.Erũt enim ſenſibus abſorpti,pauoreq; et ſtupore attoniti, quod areſcentium nomine deſignatur.

Exemplum

Homines areſcent.

¶Quòd ſi arguas,luminaria per ſuum lumen,quòd in hunc mundum influunt ipſum conſeruant:ergo ſi ante diem iudicij illud lumen ſubtrahunt, ante ceſſabit mũdus.Reſpondetur,quod non ſolo lumine, ſed motu et alijs influentijs occultis mundum ſuſtentant.Et ideo licèt tunc uiuentia marceſcent,nõ tamen prorſus res cunctæ peribunt.

4.Conclu.

¶Quarta concluſio. Quòd cælorum uirtutes commouebuntur,duobus modis intelligi poteſt. Etenim quod moueantur, euangelica aſſertio eſt.Modus autem non eſt ita certus.Primò enim poteſt ſententia illa eſſe quaſi præcedentium repetitio ut uirtutes cælorum ſint ipſa luminaria natura.Quaſi dicat ſol,et luna, et ſtellæ obſcurabũtur:quia uirtutes ipſorum quæ ſunt illuminare mutabuntur. Sicut dum ſol tempore Ioſue greſſum tenuit, uirtus cæli dici potuit moueri.Cui ſenſui applaudit litera cauſalis apud Lucam, Erunt ſigna in ſole et luna etc.Nam uirtutes cælorum mouebuntur:ac ſi cauſa tam obſcuritatis aſtrorum,quàm fluctus maris,et preſſuræ gentium,ſit futura mutatio uirtutũ, influxuumq; cæleſtium.

Virtutes.

Luc.21.

¶Nihilominus ſecundo modo poſſunt uirtutum nomine angeli ſubintelligi. Cui ſenſui germanior eſt textus copulatiuus apud Matthæum.Et uirtutes cælorum mouebuntur. Quaſi alia ſit res noua præter præcedentia ſigna. Et Marcus ſignificantius ait.Et uirtutes,quæ ſunt in cælo mouebuntur.Imò Chryſoſtomus, uidetur ad quendam eorum metum uerbum referre. Ait quippe. Virtutes cælicæ mouebuntur quanuis conſciæ non ſint: uidentes enim infinitas multitudines condemnari non intrepide ſtabunt illic. Quibus uerbis nõ inſinuat,timore propriæ damnationis cõcutiendos.Nam cùm ſint beati, nequit eiuſcemodi timor eos tangere. Sed quòd trepidabunt tantam mortalium cladem aſpicientes Neque uerò ille erit propriè timor,qui eſt de malo futuro:neque uerò admiratio,quæ ex ignorantiæ cauſa naſcitur:quia res iſtæ non poſſunt in angelos illos fœlices cadere,quippe qui diuino cõſpectu fruantur.Sed ad exaggerandam rei magnitudinẽ,dixit more noſtro illos trepidaturos.At uerò Chriſtus,non loqueba tur de illo iudicij momento, ſed de antecedenti tempore. Ob idq; ad Eſichium Auguſt.ſic inquit.Nõ ſolum mortales fluctuabunt cùm alterabitur mundus, ſed et angeli ſtupebunt in tam terribilibus mutationibus uniuerſi:hoc eſt,ſtabunt immoti ſicut ſolent, qui ſtupore corripiuntur. Cui

Angeli.

Chryſoſt.

Augu.

Iob.26.

Cui alludit illud Iob. 26. Columnæ cæli contremiſcunt & pauent ad nutum eius. Vnde colligit Beda. Quid ergo facient tabulæ:hoc eſt,mortales homines cùm tremunt columnæ? Et reuera ſola lectio & cõtemplatio tam terribilium rerum, tãq; exhorrendi ſpectaculi,deberet nos modò commouere,ne tunc aſpectus pauidos ob rueret. ¶Fortaſſe uerò,non ad commotionem mentis angelorum,ſed ad mutationem eorum operationum,hoc ſignificatius refertur. Vnde aliqui dicunt ceſſationem angelorum ab operibus conſuetis, in quibus requieſcunt, appellari hic motiones. Ceſſabunt enim iam inde tum orbes mouere,tũ & homines cuſtodire, atq; alia erga nos officia exhibere. Attamen ceſſatio illa non tam aptè dicitur angelorum motio: præſertim quòd illa requies ab articulo temporis iudicij debet incipere. Et tamen Chriſtus loquitur de tempore præcedenti. Dicendum ergo, angelos tunc ſic mouendos quòd inſueta opera & officia exercent:tam in collectione puluerum,quàm in alijs miniſterijs illic neceſſarijs. Vnde uirtutum nomen uel uniuerſos angelos deſignat, qui dicuntur uirtutes:hoc eſt,ſpiritus,qui non ſunt corpora ſed meræ uirtutes. Vel fortaſſe ſignificatur,quintus angelorũ ordo:ſ.medius ſecũdæ hierarchiæ,qui ob id uirtutes dicuntur,quòd ſunt miraculis edendis tanquã miniſtri deputati: proferentur enim illic miracula maxima. ¶Per hæc ergo argumentorum ſolutiones liquidò conſtant.

Mens ſenſ.

Sententia Auctor.

DISTINCTIO QVADRAGESIMASEPTIMA, De finali iudicio.

HIS itaque de Antichriſto et de ſignorũ cõſideratione prętactis ad meditationẽ gñalis iudicij deſcendamus, quod in conſũmatione ſeculi nos manet. Hãc. n. catholicam ueritatem ſacra nos oracula docent, ut illud Joannis, Ioan. 12. *Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die. Et apud Matthæum. Væ tibi* Matth. 11. *Corozain. Dico uobis Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij quàm uobis. Et rurſus. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam. Vnde 20.de ciuitate Dei Auguſtinus euidentiſſimè, inquit, teſtimonia ſacra diem iudicij prædicant eſſe uenturam. Enimuerò, ut in rerum conditione primò conſideratur generalis illa qua mundus fuit conditus: præterea uniuſcuiuſque hominis alia ſingularis, ita præter peculiare iudicium, quo unuſquilibet dum uita defungitur iudicatur, congruit aliud in fine ſeculi celebrari, quod primę uniuerſali creationi reſpondeat.* Augu. 20. de ciu. Dei cap. 5.

¶ *In illo uerò iudicio Chriſtus dominus quatenus homo cui qua ratione humanitatem aſſumpſit pater contulit, ut rex* Cap. 2.

esset regni cælorum, iuxta illud Lucæ 1. Dabit ei dominus sedem Dauid patris eius et regnabit in domo Jacob in ęternum, sedebit iudex, iuxta illam eius confessionẽ apud Joã Ioannis. 5. nem. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium sicut honorificãt patrẽ. Et rursus. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Alij nihilominus beatorum, qui relictis omnibus sequuti sunt ipsum, ei erũt assessores iudices: ait quippe apud Matthæũ discipulis suis. Amen dico uobis, quòd uos Matth. 19. qui secuuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Jsrael. Hoc est gentium uniuersitatem. Super quę uerba Aug. lib. 20. de ciui. Dei, ait, Nec quoniam Aug. 20. de ciui. Dei capitu. 5. super duodecim sedes sessuros esse ait, solos duodecim homines cum illo iudicaturos putare debemus: alioqui Matthias qui in locum Judę apostolatum accepit, & Paulus, qui plus alijs laborauit, ubi ad iudicandum sedeant non habebunt. Unde duodenario numero significata est uniuersa iudicantium multitudo eorum scilicet, qui Apostolorum fuerint sectatores. Hos insinuauit Isaiæ. 1. Jsaias, dicens. Dominus ad iudicium ueniet cum senioribus populi sui. Et Job. 36. Non saluat impios &) pauperibus iudicium tribuit. Cap. 3.

¶ Atqui in illo generali iudicio uniuersi mortales comparebunt, iuxta uerbum Christi Matth. 25. apud Matthæum. Et congregabuntur ante eum omnes gẽtes. Et ad Romanos, Paulus. Paul. 2. Corinth. 5. Omnes stabimus ante Tribunal Christi, uniuersique iudicio uel approbationis, uel condemnationis iudicabuntur uel illam sententiam audientes. Uenite benedicti patris mei percipite regnum: uel illam. Jte maledicti in ignem ętternum. Judicio tamen discussionis neque omnes electos neque uerò cunctos reprobos opus

Gregorius. 26. Mor. cap. 24. opus erit iudicare. Imò, ut Gregorius. 26. libro Moralium, ait. Cum duæ sint iudicandorum partes, electorum, scilicet, & reproborum, bini ordines in singulis continentur ut quatuor resultent ordines. Alij enim indicantur, & pereunt: nẽpe, iniqui Christiani, quibus dicitur. Esuriui & non dedistis mihi manducare &c. Alij iudicantur et regnãt ut boni Christiani, qui non omnia reliquerunt, quibus tamen dicitur. Esuriui & dedistis mihi manducare, &c. Alij uon iudicantur et pereũt: nempe infideles, quibus ait Christus. Qui non credit iam iudicatus est. Alij uerò non iudicantur & regnant, ut qui non solum quod lex pręcipit implere contenti sunt, sed & quod ad perfectionem consulitur adhibere studẽt. Judiciũ autem ut Johelis. 3. assertum uidetur, in ualle Josaphat futurum existimatur, ait enim propheta. Congregabo omnes gentes et deducam eos in ualle Josaphat, & discepłabo ibi cum eis.

¶ Apparebit ergo dominus ad iudicandum in forma humana, sed tamen dotibus glorię fulgentissima. Uidebunt enim filium hominis, ut legitur apud Lucam (id est in forma humana) uenientẽ in nube cũ potestate magna, et maiestate. Lucæ. 2. Et apud Mattheum. Cùm uenerit filius hominis in maiestate sua, &) omnes angeli cũ eo, &c. Videbitur autem ab uniuersis tam bonis quam malis. Matth. 25. At uerò pij non solùm formã serui, uerum &) formam Dei conspicient. Jniqui uerò, ut 1. de trinitate, ait Augustinus, Aug. 1. de trini. c. 13. procul dubio eum uidere non poterunt, nisi secũdum formã, qua filius hominis est: sed tamen in claritate in qua iudicabit, non in humilitate in qua iudicatus est. Cęterùm illam Dei formam, in qua ęqualis est patri, non uidebunt. Non enim sunt mundi corde, & beati mundi corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. ¶ Tunc Cap. 5. Daniel. 7. ergo, ut est apud Danielem, in iudicium sedebit, & libri

Universidad de Deusto
Biblioteca

aperientur, in quib. unuſquiſque propria corporis quę geſſit uti ait Paulus legat: ut iuſtitiam intelligat ſentẽtię quã eſt auditurus. De quibus libris in Apocalypſi. Et uidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt qui eſt uitę, & iudicati ſunt mortui ex his quę ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum: liber autem unicuique propria erit conſcientia, quę, uti ait ad Romanos Paulus, teſtimoniũ reddet ipſis, inter ſe inuicem cogitantibus, accuſantibus, aut etiam defendentibus in die, cũ iudicabit dominus occulta hominum. Credibile nanque eſt iudicium illud aut totum, aut plurima ex parte, mentis potius ſignificationibus, quàm externis uocibus celebrandũ.

Apocalypſis. 20.

Pauſ. Roma. 2.

¶ Tandem rex, ut ipſe apud Mattheum ait, ſeparabit gentes ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet quidem oues à dextris ſuis: hœdos autem à ſiniſtris. Ac ſubinde his, qui à dextris exiſtent, dicet. Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum uobis regnum à conſtitutione mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui et dediſtis mihi bibere. etc. His autem qui à ſiniſtris. Diſcedite à me maledicti in ignẽ ęternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius: eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum, &c.

Cap. 6. Matth. 25.

DISTINCTIONIS QVAdrageſimæſeptimæ, Quæſtio prima, De iudicantibus, & iudicandis.

ARTICVLVS. I.

Vtrũm iudicium finale ſit futurum.

QOſtquã ſuperiori diſt. eorũ quæ iudiciũ antecedent tractatũ abſoluimus, ſubſequitur, ut in hac quadrageſimaſeptima de iudicio ipſo dicamus. Cuius duæ erunt quęſtiones, prior de iudicantib. & iudicãdis: ac poſterior de eiuſdẽ iudicij forma & modo. ¶ Quæritur ergo primò tãquã omniũ fundamentũ, utrũ generale iudiciũ ſit futurũ: Et arguitur à parte negatiua. Legitur n. Naũ. 1. Nõ cõſurget duplex tribulatio. Et ſecũdũ ſeptuaginta interpretes. Nõ iudicabit dominus bis in idipſum. Vnuſquiſque aũt in ſuo obitu iudicatur, et ſecundum merita retributionem ſuſcipit: Dixit quippe dominus latroni, Hodie mecum eris in paradiſo. Et de epulone, ut ũa habet lectio. Mortuus eſt diues & ſepultus eſt in infernum: ergo nihil alio generali iudicio opus eſt. Præſertim cùm iudicium debeat ſententiam antecedere: quę tamen in particularibus iudicijs ad ſingulos profertur. ¶ Secundò arguitur. Si neceſſarium eſſet generale iudicium, id maximè propter corpora quæ tunc reſurgent: ad corpora uerò non pertinent meritum & demeritũ, quia nõ ſunt niſi animarum inſtrumenta: ergo cum iudicium futurum ſit, ut pro meritorum ratione præmia, aut ſupplicia reddantur, non eſt uſque ad corporum reſurrectionem dilatandũ. Quod per illud Ioãnis. 12. Nunc iudicium eſt mundi, confirmatur. ¶ In contrarium autem eſt, illud Ioannis eodẽ capite. Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die. ¶ Nomen iudicij uno modo uſurpatur pro intellectus aſſenſu uel diſſenſu, quo enunciationẽ cognoſcimus eſſe ueram, uel falſam: atque hoc modo impræſentiarum nõ accipitur. Sed altero, ut eſt actus iuſtitiæ quemadmodum, ſecunda ſecundæ quęſtione. 60. ait Diuus Thomas. Eſt enim recta definitio iuſti, quæ perpenſis rei cauſis colligitur. Vnde Philoſophus quinto Ethicorum Homines, inquit, ad iudicem ſicuti ad quandam animatam iuſtitiam confugiũt. Et ideo quæſtio preſens eſt de iudicio quo Deus de meritis noſtris iudicat, ſeu bonis, ſeu malis, ut unuicuique ſecundum opera ſua retribuat.

Partis negatiuæ argum.

Pars affirmatiua. Iudicij nomen.

Reſolutio.

¶ Et quidem Philaſter in ſuo hæreticorũ catalogo quoſdam refert Barbaronos, atque alios Floranos, qui iudicium ullum fore negabant. At uerò Auguſtinus in libro de hæreſibus ubi illorum meminit hæreticorum, hunc errorem non commemorauit. Quicunque tamen illo fuerint commaculati, indigni ſunt, quorum mentio fiat: adeò eſt eiuſcemodi hæreſis abſurda. Præſertim ſi & particularia ſingulorum iudicia negabant. Cùm enim diuinis legibus ſubditi ſimus quis tam mentis inops eſſe poteſt, qui neget eidem nos Deo rationem noſtrorum morum exhibituros? Sed quæſtio præſens non eſt niſi de generali iudicio, quod poſt cuiuſque ſingulare expectamus.

Hæreſis reiicitur.

¶ Hac ergo catholica concluſione, quam negare hæreticum eſſet, reſpondetur. In ſeculi conſummatione uenturus eſt Chriſtus, qui generali iudicio iudicaturus eſt uiuos & mortuos. Hinc etenim inter alios articulum in ſymbolo confitemur. Et eſt aſſertio Chriſti loco citato apud Ioannem, Ille iudicabit eum in nouiſſimo die. Et Ioannis tertio. Non miſit Deus filium ſuum in mundum, ut iudicet mundum, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum. Vbi duos ſubnotauit ſuos aduentus. Primum, ſcilicet, ad ſaluandum per miſericordiam mundum, & ſecundum ad iudicandum ipſum rigore iuſtitiæ. Et ideo ſubdit. Hoc autem iudicium, quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Quaſi illa ſit futura materia iudicij, quemadmodum homines fidem ſuſceperint & coluerint. Et Ioannis quinto. Procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem uitæ, qui uerò mala egerunt in reſurrectionem iudicij. Et Iſaiæ tertio. Dominus ad iudicandum ueniet cum ſenioribus populi ſui. Et 1. ad Corinth. quarto Apoſtolus. Nolite ante tempus iudicare, quoaduſque ueniat dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo. Et ſecundæ ad Corinthios quinto. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Vnde Auguſtinus. 20. de ciuitate Dei, cap. quinto. Euidentiſsimè, inquit, teſtimonia ſacra diem iudicij prædicant eſſe uenturum. Vt illud apud Matthæum capit. 11. Væ tibi Corozaim. Dico uobis Tyro & Sydoni remiſsius erit in die iudicij quàm uobis. Et rurſus ad Capharnaum. Dico uobis, quia terræ Sodomorum remiſsius erit in die iudicij, quàm uobis. Et Matthæi. 12. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quam Ionas hic. Et regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia uenit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic. Et Matthæi. 13. in zizaniorum parabola, ait, quod in conſummatione ſeculi mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno ſuo omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminũ ignis: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc iuſti

Teſtimonia ſacra.

Ioann. 5.

1. Cor. 4.

2. Cori. 5.

Auguſt.

Alia teſtimonia ſacra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiēdi audiat. Hic, ut ait Augustinus, iudicium, uel diem iudicij non nominauit, sed multo eum clarius ipsis rebus expressit: & in fine seculi futurum esse prędixit. Et Matthæi. 19. discipulis ait Amen dico uobis, quòd uos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Est ergo conclusio, sacris eisdemque manifestis oraculis constabilita. Vnde idem Augustinus eodem libro capit. 30. recensitis id genus diuinis oraculis, sic concludit. Nullus igitur, uel negat uel dubitat per Iesum Christum tale quale istis sacris literis prænunciatur, futurum esse nouissimum iudicium, nisi qui eisdem literis incredula animositate seu cæcitate non credit.

Rationes. ¶Neque uerò rationes desunt optimę, quibus conclusio congruenter demonstratur. Enimuero homo bifariam ęstimari potest uno modo, ut singularis persona: atque altero, ut pars Christianæ Reipublicæ. Rursus & quatenus est singularis persona considerari potest aut in se præcise, aut in effectibus suarum actionum, qui quotidie inserpunt: & ad alias ac subinde alias personas profunduntur.

Prima rō. ¶Ex his ergo quatuor colliguntur rationes. Prima, finis rei suo debet congruere principio: in hac autem mundi machina consideratur, tum uniuersalis eius creatio, tum & uniuscuiusque hominis generatio: singulari autem cuiusque generationi respondet peculiare uniuscuiusque iudicium dum moritur: ergo congruens est, ut præter hæc particularia iudicia fiat in seculi consummatione unum generale, quo de toto humano genere iudicetur: cui & angeli, qui nostri fuerunt custodes, ceu nostri patroni compareant, & dæmones, qui fuerunt nostri hostes, ut criminatores assistant.

Secūda rō. ¶Secunda ratio est Sancti Thomæ tertia parte, quæstione quinquagesima nona. articul. quinto. Quanuis homo secundum suam personam per animæ separationem moriatur, permanet tamen ex rebus futuris pluribus modis dependens. Vno modo in filijs, secundum illud Ecclesiastici. 30. Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se. Et similiter persistit in sua familia & in suis subditis, quos debuit integris mortibus instituere. Secundo modo, etiam permanet in suis effectibus seu bonis seu malis. Perseuerāt enim & martyrum aliorumque sanctorum exempla, & sapientiū doctrina, quibus homines in dies proficiunt & promouent. Rursus hæreticorum dogmata quotidie germināt, ut modo Lutheranorum, quorū pestem utinam Deus nostris seculis restinguat. Item manent in suis effectibus quæ in rebus istis caducis & lubricis defixerunt, amplificando res suas suaque perpetuando nomina. Tertiò, & quantum ad corpora, quæ uel honorifice fuerunt sepulta, uel nulla sepultura donata. In summa permanent in hominum memoria. Cùm ergo uniuscuiusque iudicium ex his omnibus pendeat, quæ quanuis Deus antequam fiant nouerit, hominibus tamen ante finem mundi innotescere satis nequeunt, quam maximè congruens est, ut tunc Deus mortaliū uniuersitatem, eodem tribunali iudicet: ut qualis unusquisque fuerit, non solum per eius actus, sed per omnes subsequentes effectus & per fructus quos in alias personas protulit, aut per damna quæ illis intulit, uniuersis palam fiat.

Tertia rō. ¶Tertia ratio inde sumitur quòd legitimum operum pretium, ex intentione quæ intus in corde latet æstimatur, ex quo, ut ait Christus exeunt cogitationes, siue bonæ, siue malæ. Quo fit, ut quamplurimum subsit fallaciæ in iudicandis hominibus de externa facie & operibus. Sunt enim plurimi, qui lupinum pectus ouina pelle contegunt: & uice uersa multi pectoris sanctimoniam externè dissimulant. Est ergo rei maximè consentaneum, ut in generali hominum angelorumq; conuentu, abdita cordium propalentur, ut legitimum personarum iudiciū notum fiat uniuersis: atq; adeò hypocritę summo confundantur opprobrio, & Dei filij publicis honorib. honestentur. Vnde Paulus. 1. ad Corinth. 4. Nolite, inquit, ante tempus iudicare, quousq; ueniat dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuiq; à Deo.

1. Corin. 4

Quarta rō. ¶Quarta demum ratio sumitur ex similitudine sementis & messis. Tempus enim præsentis seculi tempus sementis est, ubi grana

grana cum paleis mixta concrescunt, & zizania cum tritico. Conuenit enim, ut ait super psalmum. 54. Augustinus probos in hoc seculo cum reprobis commixtim uiuere, ut mali consilijs exemplisque bonorum in uiam redeant: & boni peruersa iniquorum opera caueant. Est ergo operæpretium, ut dominus messis, quemadmodum ait Baptista. Matthæi. 2. uentilabro suo, hoc est, discretionis iudicio, permundet aream suam, triticumque in horreum suum congreget, & paleas igne comburat inextinguibili.

Ad 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd Deus non iudicat bis in idipsum, contra sensum prophetæ, hoc est, pro eodem delicto non congeminat pœnas. Attamen secundum rationes diuersas iudicia duplare: scilicet, ut qui occultè tanquā singularis persona iudicatus fuit, publicitus, quasi pars Reipublicæ iterum iudicetur: & præmium aut supplicium quod secundum animam suscepit, suscipiat etiam in corpore, nihil iniustitiæ præ se ferat, sed plurimum sapientiæ lumen. Et ideo ad postremam argumenti particulam respondetur, non quemadmodum illi, quorum errorem, distinctione quadragesimaquinta refutauimus, quod animæ ante diem iudicij, nec donentur præmijs, nec supplicijs plectantur: monstratum enim illic reliquimus, quàm hoc sit falsum. Sed respondetur primo, quòd licèt sententia in iudicio particulari præcedat generale in parte, nihilominus per iudicium post modum generale non solùm confirmatur, uerùm ampliatur. Vt deinceps boni alijs accidentarijs præmijs fruantur, tum in corporibus, tum sanctorum auctiori consortio. Et pariter damnati truculentius cruciabuntur.

Ad 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quod corpus non est, ut instrumentum animæ separatum, sed coniunctum, tanquam pars suppositi: & ideo sicut fuit particeps laboris & uoluptatis, debet esse & præmij & supplicij. Atque adeò licèt anima, quæ per se subsistit, in ipso statim exitu à corpore suam susciplat retributionem, corpus tamen, quia manet mutabilati obnoxium, in fine mundi est illam recepturum.

Verbum Christi Ioannis. ¶Verbum autem illud Christi Ioannis. duodecimo. Nunc iudicium est mundi, non accipitur in eo, quem nunc tractamus, sensum, sed ut tractatu. 52. super Ioannem ait Augustinus, loquebatur de iudicio quod fecit dum per suam passionem, de diabolica tyrannide liberauit genus humanum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christo sint alij assessuri iudices.

Onfitemur iudicium futurū, exploremus ergo de iudicibus, utrùm alij sint assessuri Christo. Et arguitur à parte negatiua, ex illo Ioannis quinto. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem. Igitur cum honore illo filij nulla sit creatura digna, sit ut nullus sit cū eo futurus iudex.

Partis negatiuæ arg. primum.

¶Secundò arguitur. Quicunque sessurus est de re aliqua iudex, debet potestate in id quod iudicat fungi: illa autem de quibus ineundū est iudicium illud sunt merita demeritaq; humana, quæ soli diuinæ subsunt autoritati & cognitioni: ergo nullus alius erit iudex. Præsertim si (quod quæstione sequenti probabilius censebitur) forma illa iudicij tantùm in mente sit perficienda, consequi uidetur, quòd solus Christus, cui patula sunt hominum corda, debeat totum iudicium absoluere.

2. Arg.

¶In contrarium est illud, Matthæi decimonono, quod Christus est Apostolis pollicitus. In regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos iudicantes duodecim tribus Israel. Cui illud consonat, Isaiæ. 3. Dominus ad iudicandum ueniet cum senioribus populi sui.

Pars affirmatiua.

¶Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Christus etiam quatenus homo, & inquantum redemptor humani generis constitutus est à Deo iudex uiuorū & mortuorū. Verba sunt Petri Apostoli, Actuum. 10. Neq; conclusionem hic prefigimus ceu ex professo locupletiùs ampliādā, pertinet. n. ad tractatū de uita Christi. Quare de iudiciaria eius ptāte disseruit D. Th. 3. parte q. 59. Sed eā tanquā reliquarū caput, præponimus. Vbi notandum, q̄ si loquamur de Christo quatenus Deus est, & de iudicio diuino uniuersarum,

1. Conclu.

Notandū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rerum,non dixisset Christus. Pater non iudicat quenquam. Quia per proprietatem, idem est iudicium omnium trium personarum,licèt per attributionem quodammodo competat filio iudicare. Nam etsi ad iudicium requiratur potestas, quæ attribuitur patri,& rectitudo, attribuitur spiritui sancto: tamen quantum ad formam qua formatur iudicium requiritur sapientia. Iuxta illud Ecclesiastici 10. Iudex sapiens iudicabit populum suum, sapientia uerò attribuitur filio. Christus autem non loquebatur, nec nos loquimur de illo iudicio, sed de generali, quod facturus est in forma humana. De hoc ergo asseruit,quòd pater non iudicat quenquã, sed hanc potestatem dedit filio, quia filius hominis est.

Chrysost. ¶Quãuis Chrysostomus arbitratus Christo,hanc iudicis facultatem, nõ quatenus homini, sed quatenus Deo per generationem æternam esse communicatam: nõ sic legit,sed interiecto puncto. Omne iudiciũ dedit filio. Vt alia oratio sit. Quia filius hominis est, nolite mirari hoc. At uerò profectò lectio hæc non tam textui consonat quàm alia Augustini, quæ est communis. Alioqui non negasset patrem illo modo iudicare,quo iudicat filius. Est ergo sensus, quòd in iudicio generali pater non iudicabit, sed filio hoc dedit: quatenus homo é: tametsi primæua iudicandi autoritas in patre ipso resideat. Et ratio est, quia iudicium illud futurum est in forma uisibili, ut etiam damnati, qui diuinitatem conspicere nequeunt, uideant nihilominus ipsum iudicem. Vnde cùm pater non sit homo, quia neque humanitatem assumpsit,nõ iudicabit. Ait.n. Augustinus in libr.de uerbis domini. Rectum erat, ut iudicandi uiderent iudicem,tam boni quàm mali. Et ideo formam serui iudex ostendit malis: bonis uerò,etiam formam Dei.

Contra Chrysost.

Ratio.

Altior rõ. ¶Altius tamen ratio huius contemplanda est. Eo enim, quòd Christus dominus nostram sibi unitatem uniuit, ratione illius ineffabilis unionis, competit ei esse regem regni cælorum, iuxta illud Lucæ. 1. Dabit ei dominus Deus, sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Hunc ergo tunc titulum absque meritis ratione diuini suppositi obtinuit. Sed præterea & quatenus suo nos pretioso sanguine redemit,ius suis meritis acquisiuit,ut esset caput nostrum ac subinde iudex. Nempe, ut qui pro Dei iustitia pugnauit & uicit,& iniustè iudicatus est, secundum Dei iustitiam iudex esset. Vnde Iob. 36. Causa tua quasi impij iudicata est: iudicium causamque recipies. Et Augustinus in libro de uerbis domini. Sedebit iudex, qui stetit sub iudice, damnabit uerò reos,qui falsò factus est reus. Et super autoritatem quam tractamus, Ioannis quinto. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est ait. Non quidem propter conditionem naturæ: alioqui omnes homines eandem haberent potestatem: sed propter gratiam capitis, quam Christus in humana accepit natura.

Iob.36. Augustin.

Ioan.5.

2.Conclu. ¶secũda conclusio. Alij etiam cum Christo iudicabunt. Vbi adnotandum est,iudicare,multifariam contingere. Vno modo, quis dicitur iudicare tanquam causa & obiectum,cuius comparatione iudicium alterius accipitur. Qui enim iustorum opera intuetur, iudicat quàm sint impij culpandi. Atq; hoc pacto Matth. 12. ait Christus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista,& cõdemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ,& ecce plusquam Ionas hic. Pluris.n. illi Ionæ comminationem æstimarũt, quã Iudæi disciplinam Christi. Et similiter Reginam Austri plus mouit Salomonis fama quàm illos præsentia Christi. Sed isto modo non solùm sancti,uerum & nequam homines iudicabunt. Iuxta illud Matth. 11. Væ tibi Corozain, quia si in Tyro & Sydone factæ essent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Et ideo per comparationem erunt illi reprobi causa condemnandi Iudæos obstinatiores illis.

Multiplex iudicandi modus.

Matth.11.

Modus. 2. ¶Secundo modo dicitur quis iudicare, quia iudicanti consentit, quasi ei sententia placeat. Atque hoc pacto iusti omnes ac soli quodammodo iudicabunt, Christi sententiam approbantes. Iuxta illud Sapient. 3. Iudicabunt sancti nationes. Sed illud nõdum est propriè iudicare, quasi per actionem & facultatem quæ illis competat. Quare conclusio nostra alium asserit iudicandi modum, quo Christus non iustis uniuersis, sed peculiariter Apostolis, qui relinquentes omnia secuti sunt eum, pollicitus est. De quibus legitur, Isaiæ. ca. 3. Dominus ad iudicãdum ueniet cũ senioribus populi sui. Et Prouerb. 31. ait Salomon de ecclesię sponso, Nobilis in portis uir eius quando sederit cum senatoribus terræ. Et Iob. 36. Nõ saluat impios,& pauperib. iudicium tribuit. Et Apocalyp. 3. Qui uicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo sicut & ego uici & sedi cum patre meo in Throno eius. Quanuis hoc ad uniuersos iustos referri uideatur, qui sedebũt in Throno cum Christo, non in throno iudicandi, sed regnandi.

Testimonia sacra.

Tertio modo.

¶Hanc uerò apostolicam iudicandi actionem, Magister Sẽtentiarum non putat ante posse sciri, quàm uideatur, nisi per reuelationem. Nihilominus sunt, qui non aliter interpretentur, quàm quod iudicabũt per honorabilem confessionẽ prope Christum: ueluti assessores iudicare dicuntur, quia superiores cæteris apparebunt in iudicio occurrentes Christo obuiam in aera. At profectò hoc non sufficit, ut propriè dicantur iudicare. Nam magnates assidentes Regi dum iudicat, si nihil aliud, uel in causæ cognitione, uel in sententiæ prolatione operentur, neutiquam appellantur iudices.

Ricardus. Guerricus Abbas.

¶Et ideo Ricardus de sancto Victore plusculum eis tribuit dicens, quòd uiri eximię sanctitatis, qui diuinæ contemplationi assistunt, ea quæ in libro Sapientiæ quotidie legunt, ueluti in cordium uoluminib. transcribunt. Vnde subdit. Quid uerò sunt iudicantium corda diuinitus in oẽm ueritatem edocta, nisi quædã canonum decreta? Itaq; iudicare non sit nisi in corde tanquã in libris habere scriptam Dei sapientiam.

Verus sensus in iudicã

¶Hæc aũt speculatio egregia est: non tamen satis uim munusq; iudicandi exprimit. Et iõ, ut impræsentiarum ait D. Thõ. dicendum tandem, q̃ cum iudicare propriè sit sniam in alium ferre, hoc bifariam contingit. Vno modo per propriam autoritatem, & hæc est propria Christi functio, qui ex meritis iudicandorum mente sentẽtiam colliget. Sed altero modo contingit sententiam proferre, autoritate illius, qui id munus ministro committit. Et hoc modo iudicabunt Apostoli & apostolici uiri, sententiam. s. Christi autoritate latam in notitiam iudicandorum proferẽdo. Quod est quasi illam pronunciare: hoc est, eos docere quid cuiq; iustitia Dei pro suis meritis retribuat. Atq; hoc inferius uidetur idẽ Ricardus his uerbis explicare. Iudices coram iudicãdis decretorum suorum libros aperire: est ad cordium suorum inspectionem inferiorum quorumlibet uisum admittere,sensumq; suum in his quæ ad iudicium pertinent reuelare. Debet.n. illa esse locutio,aut uocalis aut mentalis,ut quęst. sequenti uidebimus.

3.Conclu. ¶Tertia conclusio. Honorificum hoc iudicandi munus non quibuslibet sanctis ob quæcunq; merita, sed solis Apostolis eorumq; sequacib. propter perfectum paupertatis statum concedendum est. Duplex nanque est consideranda paupertas. Vna quidem communis,quæ sepè solet esse coacta: & illa non nominatur status paupertatis, quanuis si æquo animo per Dei gratiam toleretur,suo non careat egregio merito. Sed alia est paupertas,de qua impræsentiarum loquimur, uidelicet dum quis cuncta quæ habet,ut Christum sequatur, relinquit,& trino uoto religionem profitetur: firmitas enim uoti status dicitur.

Duplex paupertas.

Probatio conclu. Probatur ergo conclusio ex uerbis Christi, eodem Euangelico loco ubi præmissa historia illius adolescentis, cui scisciranti quid ageret,ut uitam æternam possideret affirmantique subinde seruasse mandata, respondit dominus, ut si uellet perfectus esse, cuncta quæ haberet relinqueret, & sequeretur ipsum: mirantibusque discipulis quisnam posset saluus esse,percontatus est Petrus. Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis? Cui dominus. Amen dico uobis. Quia supremum erat, quod pollicebatur præmium,crediuque subinde difficile, ut affirmatiùs illud assereret, ait. Amen dico uobis, quòd uos, qui sequuti estis me,in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim. Id est, non stabitis inter illos, qui iudicandi sunt: sed assidebitis iuxta sedem maiestatis meæ. Non promiscuè in uno communi sedili, sed singuli in sedibus singulis, quod ad maiorem honoris cumulum accedit. Nec tamen sedebitis honoris gratia, ut propè me sitis: sed quod mea ego autoritate facturus sum, id uos tanquam mei ministri facietis: iudicabitis,inquam,duodecim tribus Israel,id est,totam iudicandorum uniuersitatem. Quanquam, quia ex illo populo erant assumpti, cui Christus peculiariter

Matth.19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

liariter fuerat promissus, illum solum populum nominauit. Et quo rē explicatiùs doceret subiunxit. Omnis qui reliquerit domū, aut fratres aut sorores, aut agros, &c. pp nomē meū, centuplū accipiet & uitā æternā possidebit. Quasi dicat, pp singularia merita peculiaria recipiet unusquisq; præmia. Sed propter omnimodā omniū bonorū abiectionē, ut liber se homo totū obsequio meo tradat, iudex erit.

Paupertatis dignitas

¶Et re uera huic altissimo paupertatis statui accomodatissima est iudicandi facultas. Primò propter congruitatem. Nam qui de rebus quibuslibet iudicaturus sedet, ab eorū prorsus affectu debet esse purus: qua utiq; ratione Philosophus. 2. & 3. de anima, ait quòd uisus debet esse omni colore nudus: aliàs nequiret colores omnes percipere: ueluti lingua amaro humore infecta, gustare sapores nequit. Eadem ratione intellectus probatur esse incorporeus, quia omnia cognoscit corpora. Iudices ergo, qui Reipublicæ oculi sunt & lumina, rerum omnium affectione debent esse nudi & purissimi. Hac ergo congruētissima ratione statum paupertatis, quo omnia prorsus abijciuntur iudicandi de omnibus potestas accommodatur. Vnde quia spiritualis homo per corporalium

2. Cor. 2.

spoliationem fit, ait 1. ad Corinth. 2. Apostolus, quòd spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Quocirca, ut infideles, quia sunt manifestarij Reipublicæ hostes non iudicabuntur iudicio discussionis, sed condemnationis, quia qui non credidit iam iudicatus est, ita per alterum extremum, quia iudicium de operibus misericordiæ explicandum est, Esuriui & dedistis mihi manducare &c. illi qui per erogationem omnium bonorum statum paupertatis elegerunt, quia manifestū est uno religionis actu, & uoto cuncta misericordiæ opera exoluisse, non iudicabūtur, sed alios iudicabunt, qui partem dederunt, & partem retinuerunt: atque eos præcipuè, qui nihil dederunt.

2. Ratio.

¶Secundò, id etiā conuenit ratione meritī. Abiectio enim & contemptus mundi excelsæ humilitatis officium & indicium est: præmium autem humilitatis est exaltatio, iuxta illud. Qui se humiliat exaltabitur. Cùm ergo, qui statum paupertatis profitentur, ab omnibus suppediten tur, dispectiq; cunctis habeantur, æquissima sapientia diuinā est, ut super omnes exaltentur. Nulla uerò est exaltatio maior quam alios iudicare.

3. Ratio.

¶Tertiò, & potestas hæc paupertati, tanquam proprio ipsius præparamento congruit. Ob id enim, ut paulò ante dicebamus, conuenit sanctorum quibuspiā iudicare, quod per contemplationem cor habent diuinam ueritatem edoctum, quam alijs ualeant enunciare. Prima autem omnium dispositio ad statum perfectionis, ac perinde contemplationis est paupertas, quæ ideo in capite beatitudinum à Christo est collocata: ob idque pauperibus iudicare congruit. Vnde in

Beati pauperes spiritu &c.

uerbis illis Christi, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, hoc mihi inspicere uideor. Promittitur, inquam, pauperibus regnum cælorum, non ea tantùm generali ratione qua iustis omnibus propositum est: sed singulari qua regnum est ciuium causas iudicare ac definire. Et ideo post consiliorum narrationem concluſit Christus dicens. Qui soluerit unum de mandatis istis minimis, minimus uocabitur in regno cælorum, qui autem fecerit, magnus uocabitur. Consilia nanq; etsi quantum ad necessitatem sint minima, tamen mandatis adiecta sunt maxima. Et ideo, qui mādata absq; illis seruauerit, erit quidem in regno cælorum, sed tamen ratione status erit ex minoribus, nisi aliunde crementum fecerit charitatis. Qui uerò consilia mandatis adiecerint, erunt magni, nempe, proceres & magnates apud Deum, atque adeo assessores iudices.

Consilia.

¶In hoc ergo iudicantium ordine omnes professione pauperes utriusque sexus includuntur, in quo sacratissima uirgo principatum obtinebit. Omnes, inquam, etiā si in sanctorum canonem non fuerint per ecclesiam adscripti, dummodo instituta suæ religionis legitimè seruauerint, uel si pro humana fragilitate lapsi fuerint, per diuinam clementiam fructus egerint pœnitentiæ, & tandem in sua professione uitam absoluant. ¶Ex his colligitur angelos non esse futuros assessores iudices Christi. Sicut. n. pater quia inuisibilis est, non iudicabit, sed filius in humana natura, ut ab omnib. tam malis, quàm bonis cō spiciatur: rita neq; inuisibiles angeli. Debent enim iudices omnes in eadem apparere

Nota.

rere natura, atq; adeò homines esse quaruis iudicabunt, ut cæteri iusti, sententiam approbando. ¶Præterea quia angeli non sunt à terrenorū affectu liberi & puri suapte sponte per meritum, sed suapte natura absq; ullo merito. Quapropter nullum inconueniens est licèt illo priuentur honoris titulo, quo donantur apostolici homines, sicut & aureolis quibus uirgines donātur, propter spontaneam uirginitatem, & martyres propter uictoriā martyrij. Item quia illic mero ministrorū officio fungentur, quos ut habetur Matthæi. 13. mittet filius hominis ad colligenda scandala. Itē apparebunt tanquā testes, ut ait glossa super illud Matthæi. 25. Cùm uenerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo. Ministrorum autem & testium non est iudicare. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, illum honorē iudicandi propria autoritate neminē esse cō secuturum præter Christū, cui conuenit propter eminentiā capitis. Et per hoc itidem respondetur ad secundū: s. quod soli Christo subsunt nostra merita & demerita tanquam retributori. Sed alijs iudicib. per eius reuelationem innotescent. Et quā uis iudicium sit mente citra uocem transigendum, nihil obstat quominus quibusdā specialiter sanctis illa fiat sententiæ reuelatio, quæ non fiat omnibus. ¶At uerò cō tra tertiam conclusionem supersunt nonnulla dubiola dissoluenda. Arguitur, ergo quod non omnes professione pauperes iudicaturi die illa sint: quoniā Christus duodecim præcisè apostolis duodecim spopō dit iudiciales sedes. ¶Sed & quòd non eis duntaxat eadem potestas congruat arguitur secundò. Qui dignitate & merito inferior est, non debet superiorem iudicare: sunt autem complutes, qui quāuis paupertatem professi non fuerint, cumulatoria tamen habent apud Deum per eius gratiam merita: præsertim candidati martyres, qui licèt bona externa non abiecerint propriam tamen uitā quæ diuitijs cunctis pretiosior est, Deo sacrificarunt, in quo & Christum ipsum imitati sunt, qui ob id quod iniustè iudicatus est, iudex esse meruit. ¶Et tandem arguitur. Qui uerbis & doctrina exhortatur cæteros ius habet cō temptores uerbi iudicandi, iuxta illud Ioānis. 5. est qui accusat uos Moyses in quo uos speratis: nempe, quia eius documentis (ut ait glossa) non creditis: & iuxta illud iam citatum Ioannis. 12. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die: ergo citra paupertatis professionem erunt sancti iudices. ¶Ad primum respondet. Augusti. 20. de ciuita. Dei capit. 5. his uerbis. Ne quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, solos duodecim homines cum illo iudicaturos putare debemus. Alioqui quoniam in locum Iudæ traditoris apostolum Matthiam legimus ordinatum, & Paulum, qui plus alijs laborauit postmodum apostolatu donatum, ubi ad iudicandum sedeāt non habebunt. Vnde duodenario numero significata est uniuersa iudicantium multitudo propterea, quòd duodecim apostolis loquebatur in quorum persona hoc omnib. eorum sectatoribus promittebat. ¶Ad secundum respondetur, quod qui meritis superiores fuerint perfectius præmium essētiale, quod in Dei uisione consistit, obtinebunt: nihil tamen obstat quominus ultro nei pauperes illo accidentario fungantur honore iudicandi etiam superiores, autoritate sibi à supremo iudice indulta. ¶Ad id autem quod de martyribus obiectum est: non desunt, qui arbitrentur, ut Abulēsis super Matth cap. 15. q. 324. quod uniuersi sancti, qui in catalogū & sanctorum canonem ecclesiæ autoritate relati sunt sint cum apostolis iudicaturi, eo quòd ecclesiæ testimonio iam iudicati sunt. Verū tamen hoc, quanuis probabilitate non careat, tamē euangelio non satis consonat, quo Christus non nisi illis, qui reliquerūt omnia hāc dignitatē pollicitus est. Nisi dicas ēt martyres simul cum uita reliquisse omnia. Nihilominus opinio communis, quā sustinet hic Sāctus Thomas est, quòd non iudicabunt nisi pauperes. Et ideo respondetur, quòd martyrio non usq; adeo rōnes supra tactæ coaptantur, ut sint iudices. Quanuis ob feruorem charitatis præmiū essentiale cumulatius assequantur & aureolas quibus alij non donātur. Qui autem secundū aliam opinionē dixerint forē iudices cum probabilitate ēt loquētur. De Christo uero diuersa est ratio. Primò quia tanquā capiti conuenit ei iudicare. Secundò quia heroicè statum paupertatis seruauit. Et tertio quia non solū iniustè iudicatus est, sed per eminentissimam humilitatem humiliauit semetipsum usq;

Contra ter tium cōclusionem.

Solutiones

De martyribus.

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad crucem: & in actu humilitatis professo res paupertatis similius eum imitatur. Virgines uerò per solenne uotum statum etiã paupertatis, ut dictum est profitentur.

¶Sed rogas nunquid ex sanctis patribus antiquæ legis aliqui iudicabunt: argues nanque inde à parte negatiua, quòd tunc non uigebat uotum solenne paupertatis. Nihilominus affirmatiua probabilior est, multi enim tunc sic uitam instituebant, ut omnia prorsus abijcientes solitariam uitam monachali similem ducerent, ut Essenorum collegium, qui, ut refert Iosephus eremum colebant, in quo fuit Ioannes Baptista, & prophetæ atque alij, de quibus ait ad Hebræ. Paulus, quòd erant in solitudinibus errantes, in montibus, & in cauernis terræ, melotis induti & pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.

Sol. 3. arg. ¶Ad tertium respondetur, quòd qui alijs aut leges ponunt aut exhortatione aut cõsilio auxilio sunt, iudicabunt illos per modum causæ. s. ostendendo in iudicio quem admodum eos iuuerint, neque quicquam profecerint.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm mortales uniuersi debeant in iudicio comparere, ut iudicentur.

Partis negatiuæ argu. 1.

TErtio quæritur de iudicandis, utrũ tota mortalis uniuersitas debeat ante tribunal Christi sisti. Et arguitur à parte negatiua. Tota uniuersitas diuiditur in duo: scilicet, in infideles, qui non crediderunt, & in eos qui crediderunt: sed ut Ioannis. 3. ait Dominus, qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit iam iudicatus est: ergo nulli iudicabuntur. Atque adeò neque opus habent illic comparere. Quòd si prius mẽbrum de fide uiua intelligatur, saltem consequitur nullos iustorum esse iudicandos. Idq; præterea inde confirmatur, quòd cũ sint certi de sua beatitudine, & quod certum est in iudicium non reuocetur: nõ uidentur iudicandi.

2. argum. ¶Secundò arguitur. Legitur in psalmo primò. Non resurgent impij iudicio: sed omnes iniqui qui Deum aut fide aut moribus non sunt confessi, impij cẽsentur: ergo nulli mali iudicabuntur, atque adeò neque comparebunt. Et præsertim arguitur de pueris ante usum rationis defunctis, qui cùm nulla propria merita aut demerita habuerint, nihil habere uidẽtur de quo iudicari possint.

3. Argum. ¶Tertiò arguitur. Si homines tam beati quàm damnati resurgent in iudicio, ut iudicentur, eadem ratione consequitur angelos tam bonos quàm malos fore iudicandos: angeli uerò nõ iudicabuntur, quia boni non habent quid plus recipiant, & de malorum principe, ait dominus, Ioan. 16. Princeps huius mundi iam iudicatus est: ergo neq; homines iudicabuntur.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium aũt est illud 2. ad Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; ꝓpria corporis quæ gessit: seu bona seu mala.

1. Conclu. ¶Ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Vniuersi mortales nemine excepto comparere habent in iudicio: hoc enim affirmauit Christus Matth. 25. Et congregabuntur ante eum omnes gentes. Idq; ipsum resonat uerbum Pauli ad Romanos. 14. Omnes stabimus, ante tribunal Christi: scriptum est enim (scilicet Isaiæ. 45.) Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

¶Et ratio conclusionis, ꝙ Christus fuit uniuersalis omnium redemptor: eo quòd quantum ad sufficientiam uniuerso humano generi pretio sui sanguinis mercatus est gratiam & gloriam apud patrem licèt redemptio illa non fuerit in omnibus efficaciam sortita, propter obicem humanæ uoluntatis. Et ideo, quia se usque ad ignominiam crucis humiliauit, datum est illi nomen, ut ait Paulus, ad Philippenses. 2. quod est super omne nomen: ut in noſe Iesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorũ. Atq; hæc fuit uisio Ioan. Apoca. 19. ubi ait ꝙ agnus habebat in uestimento & in femore scriptum. Rex regum, & dominus dominantium. Ob idque totum humanum genus cõparebit, ut exaltationem illam redemptoris secundum humanitatem aspiciant, alij in gaudium, atq; alij in confusionem. Imò & angeli, quorũ etiam dominium acquisiuit, tanquam ministri, ut illico dicemus.

Duplex iudicium. ¶Veruntamen quatenus ad iudiciũ res attinet, distinguendum est duplex. Est enim aliud

aliud discussionis, quo scilicet, merita & demerita, ut unicuiq; iusta fiat retributio, æstimantur. Alterum uerò est iudicium seu approbationis, seu condemnationis: nempe, sententia, qua uel præmium confertur ad gaudium, uel infligitur supplicium ad confusionem.

2. Conclu. ¶Subijcitur ergo secunda conclusio. Vniuersi homines, absque ulla exceptione iudicabuntur: approbationis iudicio, aut reprobationis, per sententiam quæ Christo tanquam proprio iudici competit. Venite benedicti patris mei percipite regnũ, aut. Ite maledicti in ignem æternum. Atque hanc ob rem iudicium illud dicetur, eritque uniuersale & generale. Quoniã quotquot ab orbe condito homines salui facti sunt, non nisi per eius fidem & gratiã seruati sunt, iuxta illud Actuum. 4. Non est aliud nomen datum sub cælo in quo oporteat nos saluos fieri. Vnde Paulus ad Romanos 3. Quem præposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostẽsionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentiũ delictorum susciatione Dei, &c. Itaque tam præcedentes ipsum quàm subsequentes, per eius uiuam fidem seruati sunt. Quocirca & qui illam neglexerũt in eundem ipsum fuerunt iniurij: atque adeò iudex, ut ait Petrus factus est uiuorum & mortuorum: Quare & qui ante usum rationis in baptismo gratiam suscipiunt, per eum admittũtur ad regnum, & qui sine illa moriuntur, qui in Adam peccauerunt, per eum excludũntur.

3. Conclu. ¶Tertia conclusio. Iudicio discussionis neque uniuersi iusti, neque omnes iniqui iudicabuntur. Discussio enim locum non habet nisi ubi quædam est meritorum cum demeritis commixtio. Vnde illi, qui quemadmodum. 1. ad Corinthios. 3. ait Paulus super fundamentum fidei ædificant aurũ, & argentum, & lapides pretiosos: nempe, qui mundo & omnibus eius pompis & rebus abrenunciantes, crucem suam tulerũt & se prorsus addixerunt Christo: quia notabilem non habent admixtam malitiæ partem, ratione status quales sint ostendunt, non indigent discussione iudicari, sed approbatione: ut quemadmodum articulo præcedenti diximus, alios iudicent. Illi uerò, qui super idem fidei fundamentum, lignum, fœnum, & stipulam extruũt: uidelicet, qui terrenis negotijs non prorsus extricantur, sed nihilominus sic res seculares tractant, ut earum cupiditas uel à Dei gratia non dejiciat, uel finat, in ea tandem ab hac luce decedere, illi quidem discussione meritorum præmissa, suo præmio donabuntur. Itaque in istis utrunque iudicium: scilicet, discussionis & approbationis exercebitur: quia licèt commixtionem habuerint bonorum, ac malorum operum, eleemosynis tamen peccata sua expiarunt, iuxta illud. Esuriui & dedistis mihi manducare, & cætera. Vel per ignem expurgati sunt. Haud tamen huiusmodi discussionem sic intelligas, ut tũc sint culpas cum meritis simul habituri permixtas: nam iam tunc omnino erunt perpurgati: sed discutietur quemadmodum pœnitentiam egerint, & de Deo fuerint benemeriti.

De reprobis. ¶Simili ergo modo & de reprobis dicendum: iudicio siquidem condemnationis uniuersi tam infideles quàm fideles iudicabuntur. Discussionis uerò non item omnes, sed tantùm fideles. Etenim cùm nullũ opus nisi supra fidem extructum, rationẽ habeat boni meriti apud Deum, illi quibus fides Christi, uel explicita uel saltem implicita non illuxit, nullum præstiterunt bonum opus, sed omnia sua opera uel mala fuerunt uel nullius pretij apud Deum. Quare absq; ulla discussione inter bonum & malum, tanquam manifestarij Reipublicæ hostes, expellentur in tenebras exteriores. Fideles autem absque charitate defuncti, quia fundamentum fidei suo uitæ instituto iecerunt, qui saltem actus laudabilis quodammodo est, & ad meritum ratione sua ordinatus, tametsi absque charitate nõ sit meritorius, iudicabuntur iudicio discussionis, non quòd eorum opera si qua fecerunt bona, referantur, ut prẽmientur, quia per finale peccatum mortua fuerunt: sed reddetur eis condemnationis ratio. Quia esuriui & non dedistis mihi manducare &c. Ille enim mos obtinuit in republica, ut exteri hostes inaudita causa damnentur, ciues autem non nisi audita & discussa. Egregiæ ergo est Gregorij diuisio. 26. li bro mora. capit. nigesimoquarto ubi ait, duas fore tunc partes: scilicet, electorum & reproborum, sed & binos ordines eisdem singulis contineri, ita ut quatuor resultent membra. Alij nanque iudicantur & pereunt, ut mali Christiani. Alij non iudi-

Gregoriana diuisio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudicantur(nimirũ discusione)& pereunt, ut infideles. Alij iudicantur & regnant:ut boni Christiani, qui apostolicam uitã non duxerunt. Sed alij non iudicantur & regnant, ut uiri apostolici.

4. Conclu. ¶Quarta conclusio. Angeli neque boni neque mali sententia Christi iudicabuntur, quantum ad præmium uel supplicium essentiale:scilicet, neque iudicio discussionis,neque approbationis, aut reprobationis. Ad cuius intellectum abnotandum, quòd Christus non fuit angelorum redemptor:& ideo Lucifer, cum sua caterua nulla expectata redemptione, quia non erant pœnitentiæ ac perinde nec redemptionis capaces,in infernum detrusus fuit. Et hoc est,qđ ait ad Hebrę. 2. Apostolus. Nunquã angelos apprehendit, sed semen Abrahæ. Confessio est eiusdem Christi, Lucæ. 19. Venit filius hominis quærere & saluũ facere quod perierat:nempe, humanum genus, quod alibi appellat ouem quam relictis nonaginta nouem in cælo,quæsitum uenit ad terras. Quare in symbolo confitemur. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis.

¶Quam ob rem, ut Diuus Thomas docet,si homo non peccasset, Christus carnẽ non assumpsisset. Ait quippe Apostolus. 1. ad Timoth. 1. Venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Vbi August. Nulla causa ueniendi fuit Christo domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbos, tolle uulnera, & nulla est medicinæ causa. Quocirca illud ad Colossẽ. 1. Pacificans per sanguinem crucis eius siue quæ in terris siue quæ in cælis sunt: non intelligitur quasi angelos redemerit, sed quod pacem inter homines & angelos composuerit.

August.

¶Hinc ergo fit,ad Christum, inquantum homo est & redemptor, non spectare,angelorum merita discutere, aut præmium essentiale, aut supplicium eis rependere, sed inquantum Deus. Ab initio enim anteaquam homo conderetur,& boni angeli donati sunt gloria,& mali supplicijs addicti. Ea propter dæmonibus non dicitur. Ite in ignem æternum, sed hominibus, ite in ignem æternum, qui ab initio mundi paratus est diabolo & angelis eius. Et pariter electis hominibus. Venite benedicti percipite regnum, quod scilicet angeli ab initio possident. Vnde,fit angelos illic potissimum in ministerium comparituros. Hoc enim ministerium debetur Christo etiam inquantum homini,& redemptori. Acquisiuit nanque uirtute unionis humanitatis ad uerbum, eatenus angelorum dominium,ut illos quemadmodum ad Hebræ. ait Paulus,mittat in ministeriũ hominum propter eos qui hæreditatem capient salutis. Et propterea ait ipse datam ei potestatem in cælo & in terra. Comparebunt ergo tunc angeli: ut scilicet boni,administrent ei,ut dictum est, in præparatione iudicij & in patrocinium iustorũ: mali uerò ut accusatores & executores ad uersus iniquos.

Christo ad quisiuit angelorũ dominium.

Quomodo angeli iudicabuntur.

¶Nihilominus & quantum ad accidentarium præmium, aut supplicium iudicabuntur autoritate Christi,nõ quidem pro meritis proprijs,aut demeritis,sed quod alienorum causa fuerint. Boni scilicet, custodiendo protegendoq; nos, & mali nobis infestando. Quare & boni amplius tunc gaudebunt de salute eorum, quibus causa promerendi fuerint. Ac perinde mali multiplicata iniquorum ruina acrius torquebuntur.

¶Colligitur ergo ex his omnibus iudiciũ illud generale tam ex parte iudicantium quàm iudicandorum ad homines duntaxat directè pertinere:consequutiuè tamen ad angelos tanquam administros.

Iudiciũ ad homines pertinebit.

¶Facilè ergo ex his argumentorum solutio colligitur. Quod enim ait Christus, qui credit in eum non iudicatur,intelligitur de fide uiua, & de iudicio cõdemnationis. Nam cum præmiatio effectus sit misericordiæ,& punitio effectus iustitiæ, sæpè nomen iudicij pro condemnatione usurpatur. Est ergo sensus,quod qui fide uiua credit,non condemnatur. Nihilominus multi eorum, licèt non omnes iudicabuntur iudicio discussionis. Illa tamen discussio nõ minuet certitudinem ipsorum,quippe qui iam beatitudine tuto fruantur, quam citra summam certitudinem habere nõ possent. Quapropter neque ullo metu concutientur,sed intrepidè stabunt.

Sol. 1. arg.

Grego.

¶Quòd si obijcias uerbum Gregorij super illud Iob. 40. Cùm sublatus fuerit tremebunt angeli, dicentis. Consideremus quomodo tunc iniquorum cõscientia concutitur, quando etiam iustorum uita turbatur. Respondetur Gregorium loqui de iustis in hac uita, qui consideratione illius

lius diei uehementissimè turbantur. Vnde colligit quanta erit tunc dam natorum concussio.

1. arg.

¶Ad secundum respondetur. Quòd si resurgere intelligitur ad iudicandum, uel ad suscipiendum præmium nulli impij resurgent, quanuis impiorum nomẽ ad omnes iniustos extendatur. Si autem ut iudicentur, & nomine impiorum intelligantur infideles,non resurgent,ut iudicentur iudicio discussionis.

2. arg.

¶Redarguet quis forsan. Ergo remissiùs agetur cum infidelibus quàm cum fidelibus:nam infideles secundum hanc rationem & concessionem Gregorij loco citato,lib. 26. super Iob, In fideles non audient iudicis uocem, neque eius increpationem: sed iniqui fideles:uox autem iudicis, atque increpatio per quam terribilis erit: ergo terribilius erit iudiciũ aduersus fideles quàm aduersus infideles. Negatur consequentia. Nam etsi fideles increpatione terreantur, nonnihil tamen in crepatio illa remissioris rigoris habet quã neglectus infidelium. Tum quòd Christus non dedignabitur eos alioqui & eorũ demerita discutere,in quibus saltem fidem fi bi quodammodo placentem inueniet. Cũ infideles eo usque despectui sit habiturus, ut rationem ab illis non exigat,præterquã quod & sententiam damnationis in eo crudelius est probaturus. Similiter respondetur de pueris ante usum rationis defunctis, quòd non iudicabuntur discussionis iudicio, sed uel approbationis uel condemnationis. ¶Ad tertium deniq; iam responsum est, ubi rationem perhibuimus cur angeli non iudicentur. At uerò illud quis forte obijciat. 1. ad Corinth. 6. & illud Marc. 1. ubi dæmon à Christo depulsus exclamasse legitur. Venisti ante tempus perdere nos,ubi glossa ait,quod dæmones in terra dominum cernentes, se continuo iudicandos credebant. Et 3. Pet. 2. Deus angelis peccantibus non pepercit:sed rudentibus in infernum detractos in Tartarũ tradit cruciandos in iudicium reseruari.

3. arg.

Redarguitio.

¶Respondetur ad primum,Paulum illic loqui de iudicio per respectum & comparationem:quoniam quidam homines, ut Apostoli, & alij quibusdam angelis superiores erunt in gloria. Ad secundum uerò respondetur, quòd quantum ad essentiale supplicium dæmones non mittentur, ut dictum est, tunc in infernum, quoniam de cælo illuc fuerunt præcipitati:sed quãtum ad accidentale tormentum mittentur cum uniuersa damnatorum turba cum maiori ignominia:& sic mittentur,ut non amplius illis liceat ad seducendos debellandosq; homines,aut ad negotium aliud inde exire. Et eodem pacto intelligitur uerbum,quod est apud Petrum.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm iudicium in ualle Iosaphat sit futurum.

IVDICANDORVM cõsiderationi annexum est ąrere quo loco ille celebrãdus sit celeberrimus conuentus. Nam de tempore & hora, quæ est altera rei circunstantia, distin. 43. dictum est. Vtrùm in ualle Iosaphat. Et arguitur à parte negatiua. Iudicandorum uniuersitas longè auctior erit & copiosior quàm uallis una possit tãtam multitudinem capere: præcipuè damnatorum,quorum corpora non habebunt subtilitatis dotem qua se ualeant penerrare,neque dotem agilitatis,ut eleuentur in aera, sed omnes stabunt in terra: non ergo illic erit iudicium.

Partis negatiuæ argum. 1.

¶Secũdò. Videtur ibi Christus iustè iudicaturus,ubi iniuste iudicatus est:sed in prætorio Pilati fuit morti adiudicatus,& in Caluariæ loco eidem passioni addictus:ergo illic iudicabit.

2. Arg.

¶In cõtrarium est, illud Iohel. 3. Congregabo omnes gentes & deducam eos in ualle Iosaphat & disceptabo ibi cum eis.

Pars affirmatiua.

¶Cùm de loco non sit in Euãgelio expressum testimonium,solis est cõiecturis agendum. Vnde Magister senten. dist. sequenti referens quandam glossam in locum citatum Iohelis quæ ait, pueriliter eundem locum à quibusdam sic intelligi,quòd in ualle Iosaphat sit celebrandum iudiciũ: cùm tamen dominus non in terra, sed in aeris spatio ad iudicandum sedebit,opiuatus est cum illa glossa locum Prophetæ non esse intelligendum in sensu literali de illa ualle,sed secundum nominis etymologiam. Iosaphat quippe,interpretatur domus iudicij. Et ideo tantum sonat, Deducam eos in ualle Iosaphat, acsi dixisset, in domum iudicij,quicunque ille fuerit locus.

¶Hac tamẽ nõ obstante opinione,tanquã longè probabilior statuitur cõclusio quòd iudicium

Conclusio pricipalis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iudicium celebrandum sit in ualle illa Iosaphat, quæ iacet ad pedem montis Olieti uersus urbem. Et primò quòd illa opinio quam Magister refert sit magis friuola quàm hæc nostra quæ à cunctis suscipitur, patet ex ratione sua. Ex eo enim, quòd Christus sessurus sit in aere colligit nõ fore in ualle illa: hæc aũt collectio infirmissima est. Nam etsi Christus sit appariturus in aere, damnati uerò stabũt in terra: quippe quorum corpora grauia erunt, ut modò. Secundò quanuis concederetur omnes eleuandos in aera, nihilominus super aliquo terræ loco eleuabuntur, quare dicentur esse in ualle, sicut aues dicũtur per ualem uolare.

Probatio conclusionis. ¶Probatur ergo conclusio ex loco citato Prophetæ: nam quando locus quicunque scripturæ in sensu literali sustineri ualet, non est ad metaphoram, uel etymologiam distrahendus. Propheta uerò loquebatur illic quasi futuram historiam prænunciãs: quare uidetur non usurpasse nomen generaliter secundum commune significatum quo significat domum iudicij, sed singulariter pro illo loco. Alioqui non fuisset opus latinè transcribere, In ualle Iosaphat, sed in domo iudicij. Et certè uerborum ipse contextus. Congregabo eos & deducam in uallem admonet singularem locum designari.

Ratio. 1. ¶Mox & ratio hæc id uidetur suadere. Christus de Monte Olieti ascendit in forma gloriosa, & maiestate, quo ascendente angeli admirantibus Galilæis dixerunt. Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cælum, sic ueniet quemadmodum uidistis eũ eũtem in cælum. Si ergo in illa forma uenturus est, cõiectura fit magna, quòd in eundem sit quoque locum descensurus.

Ratio. 2. ¶Et re uera, quòd in illa Hierosolymitana prouincia sit uenturus, nemo cum aliquo probabilitatis colore negare potest. Nam cùm illam terram Deus uenturo Messiæ destinauerit, & ad illum populum fuerit peculiariter promissus, ibidemq; adeò natus fidem suam & legem promulgauerit, cunctaq; ecclesiæ mysteria peregerit, ac demum illic passus, inde fuerit in cælum eleuatus, quàm maximè sit probabile illuc fore ad iudicandum remigraturum. Quòd si in eadem regione est iudicaturus, ubi congruentiùs, quàm ad muros Hierusalem ubi fuerat templum, atque adeò ixta locum unde ascendit? Inde enim, ut ait Apostolus ascendens, captiuam duxit captiuitatem: illuc ergo reuersurus est, ut reliquam captiuorum partem inde sursum ducat.

Argum. ¶Sed ais, mons Olieti & uallis Iosaphat, non sunt idem locus. Respondetur, quòd cùm uallis ad pedem monticuli extendatur, conijcitur, quòd Christus in latere, uel in cacumine montis in aere sedebit, unde à cunctis electis conspici possit: qui itidem circa ipsum in aere sublimes erunt: & in ualle subtus erunt damnati in terra.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd quantum ad electos nulla est difficultas, cùm enim per dotem agilitatis sunt in aerem subleuandi, poterunt alij a-lijs sublimiùs eleuari. Qua utique ratione in paruo spatio respectu terræ possunt omnes aerem replentes existere. Damnatos uerò nõ est necesse omnes intra uallis spatium intercludi, sed erit uallis plena, & circumiacentia loca quanta illis capiendis sufficiant. Nam etsi humanitatem Christi uisuri sint omnes, tantus tamen erit splendor supernaturalis Christi, ut à quam maxima distantia uideri possit.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quòd Christus passus est in forma passibili, & humili, & uenturus tamen est cum maiestate & gloriæ splẽdore: & ideo non descendet in locum quo passus est & cõdemnatus, sed ad illum unde gloriosus ascendit.

QVÆSTIO SECVNDA
De forma iudicij.

ARTICVLVS. I.

Vtrum Christus in forma humana gloriosa iudicabit.

HANC quæstionem Petrus Lõbardus in distinctionem sequentem reiecit. Non tamen satis uidetur lucem ordinis obseruasse: ob idq; nos in hac distinctione cuncta quæ in iudicio fient absoluemus, ut in subsequenti subsequentia ipsum subijciamus. Constitutis ergo iudicantibus & iudicandis & loco, quæritur in hac secunda quæstione de forma iudicij, & primò de aduentu Christi: utrũ scilicet adueniet in forma humana, eaq; gloriosa.

Partis negatiuæ arg. 1. gloriosa. Et arguitur à parte negatiua. Iudicium & potissimè illud supremum summam autoritatem in iudice requirit, iuxta illud Ecclesiastici. 7. Noli fieri iudex nisi ualeas uirtute rumpere iniquitatem: ergo iudicabit in forma supremi domini. Forma autem humana est forma serui, iuxta illud ad Philipp. 2. Formam serui accipiens, ergo non iudicabit nisi in forma Dei, quæ est inuincibilis.

Argum. ¶Secundò pater ut Ioan. 5. legitur, omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem: honor autem æqualis non debetur patri & filio nisi secundum diuinitatem filij: ergo iudicabit non in forma humana, sed in diuina. Quo illud Daniel. septimo alludit. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, nam throni iudicandi potestatem significant, & dierum antiquitas Deo ratione æternitatis, ut in libro de diuinis nominibus ait Dionysius, competit.

Argum. ¶Tertiò arguitur, quòd non ueniet in forma gloriosa. Legitur enim Ioan. 19. Videbunt in quem transfixerunt. Et Matthæ. 14. habetur quòd apparebit signum filij hominis in cælo, id est, signum crucis. Vbi ait Chrysostomus, quòd ueniet non solum uulnerum cicatrices, sed etiam ipsam mortem exprobratissimam ostendens. Quæ omnia minimè uidentur formæ gloriosæ cohærere. Præsertim, quòd est etiam à malis contuendus, & tamen oculus non glorificatus ineptus uidetur, ut splendorem glorioſi corporis cernere ualeat. ¶In contrarium est illud Lucæ. 21. Videbunt filium hominis (id est in humanitate) uenientem in nube cum potestate magna & maiestate. Quod utique maiestatis nomen fulgorem gloriæ importat.

Conclu. ¶Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Christus ueniet ad iudicium in forma humana. Conclusio partim articul. secundo. probata est, ubi monstrauimus ipsius inquantum homini & redemptori, atque adeò ecclesiæ capiti competere iudiciariam potestatem: iuxta illud Ioann. quinto. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Etenim cum maximè sit congruẽs, ut in ea forma iudicet, secundum quam ei conuenit esse iudici, sit ut in eadem sit forma ad iudicium sessurus. Qua utiq; à cunctis tam malis quàm bonis perspici ualeat. Præsertim quòd cùm iudicandi, ut dictum est, præcipuè non sint nisi homines, conueniens est, ut ab homine humanis oculis uisibili iudicentur.

Legitima ratio. ¶At uerò ratio potissima quæ legitimam exprimit causam, est hæc. Iudicium quodcunque dominium in iudice præsupponit, aut domini facultatem, iuxta illud ad Roman. 14. Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Et ideo Christus in illa forma secundum quam est dominus humani generis iudicatum ueniet. Est autem inquantum Deus iure creationis dominus uniuersorum quæ cõdidit, iuxta illud psalmi. Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos & non ipsi nos. Obtinuit tamen & inquantum homo iure redemptionis dominium in totum humanum genus. Vnde eodem citato loco Paulus. In hoc Christus mortuus est & resurrexit, ut & uiuorũ & mortuorum dominetur. Quare Petrus Actu. 2. illud psalmi. Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis, in Ascensione domini impletum testatur. Et Marcus. Assumptus est in cælum & sedet à dextris Dei. Itaque uirtute unionis humanitatis ad uerbum conuenit Christo esse dominum: sed nihilominus & merito passionis id ipsum ei debetur. At uerò beneficium creationis bonaq; naturalia quæ per ipsum acquisiuimus, non sunt nobis ad præmium uitæ æternæ, quod supernaturale est sufficientia: præsertim postquam in Adam peccauimus, per quod peccatum ingrati facti sumus Deo. Sunt ergo ad huiusmodi præmium assequendum nobis necessaria bona quæ per beneficium redemptionis donata sunt nobis. Igitur cùm iudicium illud generale eo referatur, ut electi ad præmium illud cælestis regni assumantur, reprobi uerò inde excludantur, congruum est, ut Christus in ea forma iudex tunc sedeat, secundum quam redemit nos, illisque bonis donauit, quibus regnum illud promereremur: quæ quidem est forma humana. Nempe, ut illis, qui eiusmodi beneficijs & donis bene usi sunt, causam illic suæ salutis adorent: reliquis uerò opprobrio & improperio def, quòd eadem beneficia neglexerint. Et eam ob rem non solum in forma humana uenturus est, uerum & cum crucis insignibus: tunc enim inquit, patebit signum filij hominis

Actuũ. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minis in cælo : nempe uexillum crucis, cum reliquis improperij signis, & ut ait Chrysostom. cicatricibus, quibus corona tus & flagellatus & despectui habitus ius nobis regni mercatus est. Quæ quidem in signia electis immenso gloriæ fulgore rutilantia apparebunt, reprobis uerò pauore & terrore plena.

Alia ratio. ¶Accedit quod eius est, iudicium morum exigere, cuius est leges iniuendi condere: Christus autem quatenus redemptor, fuit etiam legislator noster: ergo eadem ratione futurus est iudex. Vnde Augustin. tractat. 23. super Ioannem. Iudicat, inquit, & suscitat corpora non pater, sed filius secundum dispensationem humanitatis. In eo quod est filius Dei est uita quæ uiuificat animas: in eo quod est filius hominis, iudex.

2. Conclu. ¶Secunda conclusio. Christus tunc apparebit iudex in forma glorioſa. Vnde Augusti. loco citato de trinita. Mali inquit, non uidebunt Christum nisi secundum formam, qua filius hominis est: sed tamen in claritate in qua iudicabit, non in humilitate, in qua iudicatus est. Hoc Christus Matth. 24. illis nos uerbis docuit, dicens. Videbunt filium hominis uenientem in nubibus cæli cum uirtute multa & maiestate.

Ratio conclusionis. ¶Et ratio conclusionis ex discrimine ducitur inter primum & secundum aduentũ. Est enim, ut supra diximus, Dei & hominum mediator: nempe, quia pro nobis quo ad sufficientiam satisfecit, & continuo interpellat ad patrem, & uicissim ea quæ patris sunt nobis impertitur. Iuxta Ioan. 17. illud Ioann. 17. Claritatem quam dedisti mihi dedi eis. Atqui his muneribus secundum duas quas habet naturas fungitur. Nam secundum humanam qua nobiscum communicat, pro nobis apud patrem intercedit: secundum uerò diuinam, qua communicat cùm patre, eius nobis dona rependit. Igitur cum in primo aduẽtu in hoc apparuerit, ut pro nobis apud patrem satisfaceret: in forma nostræ infirmitatis & miseriæ cui subuentum uenerat apparuit. At quia in secundo aduentu descensurus est, ut iustitiam patris atque adeò eius potestatem in nos exerceat, necesse est, ut suam humanitatem diuina maiestate uestitam iudicandorum oculis obijciat.

¶Atque hoc est, quod, ut Matth. 26. legitur principem illum sacerdotũ docere uoluit. Fuit enim hallucinatio illius populi, Messiam non nisi cũ regio maiestatis splendore uenturum: nimirum nescientes inter primum & secundum aduentum discernere. Cuius discriminis illos Ioan. 3. admonuit, dicens. Misit Deus filium suum in mundum, non ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Igitur cum sub articulum passionis iam Iudæi trepidassent, suspicantes illum esse Messiam, ad iurauit eum princeps, ut responderet si esset Christus filius Dei uiui. Cui respondẽs Christus. Tu dixisti, subiunxit. Veruntamen dico uobis. Amodo (id est postmodum) uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cæli. Quasi diceret. Propterea non me cognoscitis, quia sub habitu infirmitatis humanæ me cernitis: uidebitis me tamen postea in eo habitu, ut in filio hominis filium Dei latere confiteamini.

Matth. 26.

Ioan. 3.

3. Conclu. ¶Ex his sequitur tertia conclusio. Non solum in corporis glorioso splẽdore demonstrabit se Deum, quo præ cæteris eminentius splendebit, uerùm in uirtute se esse filium Dei. Hoc enim designat uerbum. Sedentem à dextris uirtutis Dei. Dextera enim Dei duo significat. Primum beatitudinem ipsius, iuxta illud psalmi. Delectationes in dextera tua usque in finem. Et sedere est illis requiescere: atque hoc pacto Christus inquantum Deus sedet ad dexteram Dei patris: quia eadem cum ipso beatitudine immutabili æternitate fruitur. Et inquantum homo etiam sic dicitur ibidem sedere: quia secundum animam in eadem requiescit beatitudine: licet non æquali per essentiam deitatis, neque ab æterno, sed per creatam in tempore usionem. Veruntamen alio modo accipitur dextra Dei, pro regia uirtute, & iudiciaria potestate quæ plenissimè data est Christo in cælo & in terra. Est isto modo inquantum homo dicitur sedere à Dextris Dei, quia omne iudicium dedit filio. Et de ista sessione, ait Marcus. Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Et sic eum sedentem uidit Stephanus in agone. Et Dauid. Dixit dominus domino meo sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Illud enim, donec, significat tempus ab Ascensione usque

Dextera duo significat.

Stephanus

nisque ad diem iudicij, quando omnes, qui Christo in hoc seculo aduersantur, subiecti erunt pedibus eius. Et ideo symbolo tres ex ordine articulos confitemur. Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei patris, & inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Quasi secundus ad primum, atque secundum tertius consequantur. Igitur uenire cum potestate & maiestate est uenire cum uirtute Dei.

Maiestas.

¶Quòd si roges quæ nam est illa maiestas & uirtus: respondet Remigius, nihil aliud quàm deitas ipsa. At uerò plus uoluit Christus asserere: nempe, quod ueniet cum illo exteriori habitu & apparatu, ut intelligatur esse filius Dei. Simile enim dixit apud Matth. cap. 16. ueniet filius hominis in gloria patris: idest, omnipotentem patris uirtutem repræsentãs, per absolutum imperium, & promptissimum obsequium, quo cuncta obedient ei tanquam pedibus suis subiecta. Hoc enim est quod ipse precatus est patrem, Matth. 17. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui quod dedisti mihi, ut faciam. Hoc est. In carne mortali passus sum cuncta quæ opus erant, ut te clarificarem, id est, ut fidem promulgarem tuam, ostendens te esse patrem meum, ut tibi orbem lucrifacerem. In cuius testimonium nunc mortalis mori adorno. Tu ergo deinceps clarifica me apud temeipsum, claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te. Id est ostende, me esse uerum Deum naturalem filium tuum, ut illa potestate resurgam & in cælum ascendam, & ad dexteram tuam sedeam, & tandem ad iudicium reuertar.

Ego te cla ficaui.

Quando an ueniet

¶Ad hanc ergo maiestatem accedet tunc & angelorum comitatus, quorum dominium, ut dictum est acquisiuit Christus, tam unione humanitatis ad uerbum, quàm merito redemptionis. Vnde loco citato Matth. 16. Veniet, inquit, filius hominis in gloria patris sui cum angelis suis, id est, suo ipsius obsequio mancipatis.

¶Neque uerò aliquantus eorum numerus eum circundabit, sed uniuersi in eius uenient comitatu. Sic enim legimus, Matth. 25. Cùm uenerit filius hominis in maiestate sua & omnes angeli cum eo. Vbi nomen, omnes, non licet coarctare ad omnes huius aut illius hierarchiæ, sed in sua amplitudine reliquere. Tota ergo cælestis curia tam animarum quæ iudicandæ sunt, quàm angelorum, qui iudici famulatum debent, illic aderunt. Quare eo ordine quo eorum hierarchiæ dispositæ sunt in cælo uenient Angeli ut iudicium enunciẽt. Principatus, ut cæteris præsint. Throni ut ueluti iudiciaria sedes sint Christo, quibus quasi subnixus ueniat: illis enim proprium est iudicij sententiam præsertim erga electos exequi.

Angelorũ officii.

¶Veniet autem in nube, ut ait Lucas, aut in nubibus, ut ait Marcus, quia etiam sancti uenient in nubibus. Tametsi disceptatio sit inter interpretes, tum de substantia nubium an erunt naturales ex uaporibus, an uerò supranaturales: quàm de necessitate & officio eius. Et re uera quanuis qui miraculum excusare contenderint, asserere cogitauerint, nubes illas fore naturales, uix tamen id defendi potest. Nam illo resurrectionis momento, motus cæli cessabunt: quare neque uapores eleuari poterunt. Item quia cum conuentus ille supernaturaliter celebrandus sit, cunctaq; illic supranaturã peragẽda, nubes illas uerisimillimum est uirtute supernaturali condensandas, ut diuina filij Dei uirtus euidentius appareat, & maiori sit spectantibus admirationi. Sic enim tum in transfiguratione nubes lucida, quæ, ut Matthæ. 17. legitur obumbrauit eos, & in ascensione, ut Actuum primo relatum est, nubes quæ susceptit Christum ab oculis discipulorum supernaturalis creditur: siue ex nimio splendore corporis Christi fuerit genita, siue angelorum ministerio. Fuit enim Christo eritque tunc solenne eximiam gloriæ maiestatem in nube demonstrare. Vnde Actuum primo aiunt angeli. Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cælum, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in cælum. Et ut 1. Thessal. quarto, ait Paulus, electi tunc etiam rapientur in nubibus obuiam Christo in aere.

Veniet in nube.

Supernaturales nubes.

Matth. 17. Actuũ. 1.

1. Thess. 4.

¶Necessitas ergo eiuscemodi nubium non est sustinere aut euehere seu Christi seu aliorum sanctorũ corpora, quippe quæ perdotem agilitatis propria uirtute per aerẽ mouentur: imò uirtus Christi nubes ipsas sustinuit & sustinebit. Sed in transfiguratione unum nubis officium fuit, tempe-

Necessitas nubium.

rare eminentem corporis Christi splendorem,ut posset mortalibus oculis intueri. At uerò in Ascensione non dicitur simpliciter, quòd nubes susceperit eum, sed quòd susceperit eum ab oculis eorum. Videbant enim eum cùm eleuaretur de terra, sed pòst à longa distantia non uidebant nisi lumen splendoris eius: sicuti ex nimio splendore quem sol reliquit, apparet in nocte uia lactea in cælo. At uerò in die iudicij oculi glorioſi beatorum non egebũt temperamento nubis ad cernẽdum Christi corpus, quandoquidem in cælo sine nube illud conspicient: sed reprobi illa indigebunt. Quocirca illæ nubes non erunt ex solo splendore Christi manantes, sed condensatione aeris factæ, ut sint quodãmodo sedilia iudicantium honoris gratia, & qui isi uehicula eorum qui assurgent Christo obuiam in aera.

Sol.1.arg. ¶Primum igitur argumentum solutum illo loco restat, ubi ostendimus, quod licẽt Christus inquantum Deus primęuũ, idemq; naturale habeat uniuersarum rerum dominium, nihilominus & quatenus homo inest sibi participatum acquisitum que dominium, quia, ut primæ. Corinth. duodecimo. & Hebræ. secundo. ait Apostolus, omnia subiecta sunt pedibus eius, & eadem ratione habet inexpugnabilem iudicandi potestatem, quam nemo detrectare ualet.

Sol.2.arg. ¶Ad secundum respõdetur. Ex hoc quod Christus genus humanum fuit redimere sufficiens, documentum suæ diuinitatis exhibuit, quia purus homo id præstare nequiuisset: & ideo quia iudicaturus est tanquàm redemptor, æqualis debetur ei honor cum patre.

Ordo iudicij apud Danielem. ¶Ordinem uerò rei huius graphicè Daniel loco citato expressit. Ait quippe. Aspiciebam donec throni positi sunt: nempe, patris & filij, quatenus homo est. Et antiquus dierum sedit; nempe pater primum, qui est prior origine, & in quo tanquàm in fonte luminum primum residet iudicandi autoritas. Quæ ideo à patre emanat in filium, tum inquantum Deus est per generationem æternam, tum inquantum est homo tam uirtute unionis, quàm merito passionis. Quare subdit propheta. Aspiciebam ergo in uisione noctis (nempe appetente aurora qua celebrandum est iudicium) & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis ueniebat, & usque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei potestatem (scilicet pater filio) & honorem & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient (scilicet inquantum redemptori) & potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur &c.

Sol 3.arg. ¶Ad tertium respondetur, quòd quanuis crucifixores Christi uisuri sint formã, quam transfixerunt, non tamen in illa ignominia qua illam affecerunt: sed in gloria per quam confusione repleantur. Et idem est de signo crucis & cicatricibus sentiendum. Est enim in potestate habentis corpus glorioſum, & præsertim Christi, illud quibus uoluerit ostendere, etiam damnatis, qui dotibus illis gloriæ carent: ut uidentes quemadmodum Isa. 26. scriptũ est, confundantur, & ignis eos inuidiæ deuoret. Gloria enim quæ amicos delectat, inimicos contristatur. Igitur dum aspicitur Christus in eadem forma iudicaturus, qua iudicatus est, non accipitur forma pro eadem qualitate, sed pro eadem natura, qualitate mutata.

¶Ad augmentum, tum repræsentationis maiestatis iudicis, tum & spectantium admirationis, accessionem faciet tunc ignis, qui ut est in psalmo ante ipsum iudicem præcedet: de quo locus præsens alterum articulum uidebatur exigere. Attamen quia illius ignis duplex erit effectus, unus quidem mundum expurgare, quare dicitur ignis conflagrationis, quod quidem faciet ante ipsum iudicij momentum: alter uerò effectus erit conuoluere dæmones cum uniuersis condẽnatis hominibus, in infernumque eos obtrudere: qui quidem effectus subsequetur iudicium tanquam sententiæ executio, ut de ambobus simul luculentius dicamus, tota huius ignis disputatio in subsequentem distinctionem reponitur. In qua de habitu & aspectu orbis, quo post iudicium in perpetuum relinquendus est, conuenit disputare.

ARTICVLVS II.

Vtrùm diuinitas Christi ab iniquis tunc sit conspicienda.

Quoniam

Partis affirmatiuæ argumen. 1. QVoniam dictũ est Christum in forma uisibili uenturum, subsequitur, ut inquiramus, utrum eius diuinitatẽ etiam reprobi sint conspecturi. Et arguitur à parte affirmatiua. Primò. Damnati cognoscent Christum esse Dei filium: ergo uidebunt eius deitatem postquam erit eis præsens. Probatur consequentia: quia si reprobi diuinitatem uidere non poterunt, ratio est quia illa sine beatifico gaudio uideri nequit: hæc autem ratio, non uidetur solida: quoniam quæ sunt in affectu non de necessitate ad ea quæ sunt in intellectu consequuntur. Solet enim, ut ait Augustin. præcedere intellectus, ubi sequitur aut tardus, aut nullus affectus. Imò uidentur, posse illam uidere & de uisu tristari: nam ut sensus ad sensibile, ita se habet intellectus ad intelligibile: sed in sensibus, ut inquit Aug. palato non sano pœna est panis, q sano est suauis: ergo pari modo damnati deitatem intuẽtes possunt ob eius odium tristari: quicquid enim recipitur ad modum recipientis aptatur: quare licèt uisio per se sit effectrix lætitiæ, potest in odiente ipsam mœstitiam gignere: nulla ergo est ratio cur non illam uideant.

2.Argum. ¶Secundò arguitur. Damnati uidebunt humanitatem Christi glorioſam, quæ suapte natura ingentissimæ uoluptatis est causa, & tamen nullam inde uoluptatem captabunt: ergo similiter res dispensari possunt, ut diuinitatem intuentes nulla afficiantur lætitia: imò ingentiori mœrore, quàm solam humanitatem uidẽtes. Si quidem maiori odio Christum quatenus Deum prosequantur iniqui, quàm quatenus hominem. Vnde colligitur diuinitatem uisuros.

Pars negatiua. ¶In contrarium est, quòd in uisione diuinæ essentiæ beatitudo consistit, iuxta illud Ioann. 17. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te uerum Deum &c. sed de essentia beatitudinis est, ut delectet, & illa delectatione damnati sunt indignissimi: ergo diuinitatem non uidebunt.

Quæst. art. ¶Quæstio hæc duo uidetur implicare mẽbra: scilicet: utrùm diuina essentia absque gaudio uideri possit: & secundum utrùm damnati eam uidebunt. Et posterioris solutio, ex prioris decisione colligitur. Tribus ergo conclusionibus respondetur. Prima. Reprobi non uidebunt deitatem in se ipsa. Conclusio est Augustin. 1. de trinita. cap. 13. ubi ait, quòd cum boni & mali uisuri sint iudicem bonorum & mortuorum, mali tamen eum uidere non poterũt, nisi secundum formam qua filius hominis est. Cæterùm illam Dei formam in qua æqualis est patri proculdubio non uidebunt. Non. n. sunt mundicordes, & tñ beati mundicordes quoniam ipsi Deum uidebũt. Et in libro de uerbis domini. Rectum, inquit, erat ut iudicandi uiderẽt iudicem: iudicandi autem erant boni & mali: restabat, ut in iudicio forma serui & bonis & malis ostenderetur, forma uero Dei solis bonis seruaretur.

Conclusio prima. ¶Ratio tamen prima cõclusionis est, quòd deitas naturaliter uideri non potest, sed lumen gloriæ requiritur quo eleuetur potentia, ut ad id fiat idonea: nam ad tam excelsam ueritatem contuendam habet se intellectus noster ueluti ad lumen solis oculus noctuæ. Etsi aliqui lumen illud gloriæ negant, exigi saltem fatentur concursum aliquem diuinum supra naturam: damnatis uerò non est cur illud donetur, aut gloriæ lumen aut singulare auxilium.

Ratio con clusionis.

Ratio. 2. ¶Secundò arguitur, quia cùm beatitudo, ut argutum est, in illo deitatis conspectu consistat, nequirent miseri deitatem conspicere, nisi tunc saltem per modum transitus essent beati, ut Paulus in raptu: quod perditos illos maximè dedecet. Ait enim Ioan. cap. 3. suæ canonicæ. Cùm apparuerit, similes ei erimus: uidebimus enim eum sicuti est. Tanta ergo similitudinis excellentia non nisi illis conuenit: qui mundo sunt corde.

Ratio. 3. ¶Tertiò arguitur. Diuina essentia absque gaudio suapte natura uideri nequit: iniqui autem nullo unquam potientur gaudio, tantum abest, ut diuino illo sint digni, ergo minimè deitatem uidebunt. At uerò ad intellectum maioris animaduertendum, id quod est per participationem delectabile, quia potest habere aliquid admixtũ quod non sit tale posse quidem quandoq; sine delectatione possideri, ut sunt diuitiæ, honores, & reliqua temporalia bona: quæ plurimum laboris & periculi, & anxietatis habent admixtum: sicut aqua calida potest frigefieri. Id autem quod per se ipsum sic est delectabile, ut si ipsa delectationis ratio, nequit absque delectatione possideri: sicut ignis non potest non esse calidus. Essentia uerò diuina, quia adeò per se

Universidad de Deusto
Biblioteca

est bona & per se uera, ut sit ratio ipsa bonitatis & ueritatis, cuius participatione quæcunque bona & uera illam habẽt qualitatem, fit adeò esse delectabilem, ut sit ipsa delectationis ratio: atque adeò sine delectatione possideri nequeat. Secùs in hac uita obscurè & sub ænigmate apprehensa. Potest enim quispiam quia adeptu difficilis est, & alias cohibet seculares uoluptates, eam non appetere.

¶Quòd si arguas. Deus potest concursum suspendere ne uisio in uidente ullum gignat gaudium, hoc minimè inficiamur: esset tamen illud supernaturale miraculum de potentia eius absoluta procedens, quod in damnatis non est affirmandum. Loquimur ergo de ipsa rei natura secundum quam nisio adeò est uoluptatis ac lætitiæ genitrix, ut nullam secum tristitiam admittat, sed omnem omnino procul pellat.

2. Conclu. ¶Secunda conclusio. Damnati uidebunt dotes gloriæ humanitatis Christi, nempe, claritatem & reliquas. Probatur, quoniam ut supra dictum est uidebunt Christum in forma humana: quia uidebunt in quem transfixerunt: sed humanitas, ut articulo præcedenti constituimus, apparebit cum dotibus gloriæ, ergo talem eam uidebunt. Nam ut supra diximus in potestate habentis corpus gloriosum est illud oculis etiam non glorioſis subdere, & dum uoluerit, subducere. Quemadmodum de Christo post resurrectionem legitur, dum discipulis se ostendere uolebat.

3. Conclu. ¶Tertia conclusio. Non solùm per excellentiam claritatis corporis, ut dictum est, uerùm & per maiestatem imperandi, & promptitudinem in angelis & sanctis obsequendi, per aliumque apparatum ac terrifica signa agnoscent illum esse uerè filium Dei. Ad quam utique cognitionem usque adeò erunt conuicti, ut id neutiquam negare ualeant. Angelos autem non uidebunt, quia uisui corporeo non patent, nisi fortè Deus dispensauerit, ut intellectu eos percipiant, sicut uidebunt dæmones. Sed satis est dicere, quòd per rerum circunstantias intelligent esse præsentes.

Sol. 1. arg. ¶Primum igitur argumentum solutum restat. Consequentia nanque nulla est, quòd si damnati Christum cognoscent esse filiũ Dei, uidebunt ipsius diuinitatem. Concediturque illam sine gaudio uideri non posse. Quod enim ait Augustin. intellectum quandoq; præuolare, quem affectus non subsequitur, intelligitur in bonis temporalibus, quæ licèt sub aliqua ratione delectabiles apprehendantur, habent nihilominus alias propter quas non delectant. Præter ea respectu bonorum temporaliũ sæpè potentia proportione caret, ut illa possit satis percipere: & ideo palatum non sanum nequit dulce gustare. Sed tamen dispositio damnatorum praua non tollit proportionem ad essentiam diuinam quæ est per se bona, ad quam idcirco natura inclinatur: ob idq; si illam uiderent, non possent non oblectari: neque odium quo illã prosequuntur uim tunc haberet ad generandum tristitiam, quia odium est finitæ efficaciæ, essentia uerò diuina infinitæ ad illud deuincendum.

¶Ad secundum demum respondetur non esse rationem parem de uisione glorioſæ humanitatis: tum quòd sine lumine gloriæ potest naturaliter uideri, tum quòd cùm non sit per se ratio ipsa delectationis sicut diuinitas, neque sit infinitæ actiuitatis, sed res participata & finita, non est necessarium, ut odium damnatorum extinguat. Et ideo ipsam uidentes inuidia & liuore contabescent: & uehemẽtius contristabuntur, quòd eum quem oderunt in tanta honoris & gloriæ sublimitate perspiciant. 2. Arg.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm tunc unusquisque, tam electorum, quàm reproborum, uniuersa bona & mala, tam propria quæ fecit quàm aliena uidebit.

VM ad iudiciũ merita cause sint cognitu necessaria quæritur utrum omnium operatam bona quàm mala erunt uniuersis patentia, ut singuli & propria uideant & aliena. Et arguitur à parte negatiua. Quicquid factorũ cognoscimus, aut per sensum præsens accipimus, aut per thesauros memoriæ depromimus, tunc autem peccata præterita, quia elapsa sunt, non poterunt sensu percipi, neque uerò quæ memoria exciderunt cognosci: ergo non tunc cuncta uidebunt. Partis negatiuæ argum. 1.

¶Secundò.

1. Arg. ¶Secundò. Resurgentium cognitio non erit tunc perspicacior quàm nunc est angelorum, quippe cum hominibus Matthæi. 22. æqualitas cum angelis promitta tur: angeli uerò non possunt alienas conscientias scrutari & cognoscere ipsis inuitis, imò aliorum locutione opus habent, ut eorum corda cognoscant: ergo multò minus illic unus quispiam poterit alterius conscientiam inspicere.

3. Arg. ¶Tertiò arguitur Aut omnia quisque uno intuitu uidebit, aut sigillatim: non sigillatim, ut facta sunt quia id immensum exigeret spatium temporis: neque uerò simul uno contuitu, nĩ ut 2. Topicorum ait Philosophus, nó possumus simul plura intelligere: adeò, ut neque angeli possint simul intelligere nisi quæ per unam speciem intelligunt: ergo nullus tunc cuncta uidebit.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est illud 1. ad Corinthios. 4. Nolite ante tempus iudicare quousque ueniat dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

1. Conclu. ¶Ad quæstionem, quatuor conclusionib. gradatim respondetur. Prima capitalis. In illo articulo futuri illius iudicij libri aperientur quibus causarum merita legantur ut cunctis iusta appareat sententia. Sic enim de illa die uaticinatus est Daniel, capit. 7. post illa uerba supra relata. Aspiciebam donec throni positi sunt & antiquus dierum &c. Et continuo subsequitur. Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Et Apocalypsi. 20. Et uidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est uitę, & iudicati sunt mortui ex his quę scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Huiuscemodi autem libros Augu. 20. de ciui. Dei c. 14. sic interpretatus est, ut libri priore loco positi intelligantur sancti & ueteres & noui, ut in illis ostenda tur, quæ Deus fieri sua mandata iussisset: in alio autem libro uitæ, intelligatur uita uniuscuiusq; quid: s. horũ quisq; non fecisset siue fecisset. Est hic tamẽ animaduertẽdum, quod isti libri, ut ibidẽ subiungit Augu. non possunt esse materiales, quia eorũ magnitudinem & longitudinem uix ullus posset locus capere, aut tempus sufficere, ut legerentur. Et respondendum esset quãdo essent scripti, aut ubi, aut cuius opera. Item quia Dei omnipotentia hac rerum mole non indiget, ut iudicium peragat suum: sunt ergo spiritualiter intelligendi scripti, uel in mente Dei uel in mentibus hominum. Præterea meminisse oportet in iudicio binam esse cognitionem necessariam: nempe, iuris & facti. Cogitauit ergo Aug. sanctos diuinarum legum custodes scriptas habere in pectore diuinas leges & iura, quæ per eorum opera alijs innotescunt: de quibus supra citatus Ricardus ait, eorum corda esse quasi quædã canonum decreta, qua utique ratione librorum imaginẽ præ se ferent. Sed præterea Librũ uitæ interpretatur Aug. morũ cuiusq; relationẽ, in quo eius gesta scripta sint: atq; hanc intellexit quandam uim esse diuinam, qua fiet, ut cuique opera sua, uel bona uel mala, cuncta in memoriã reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset uel excuset scientia conscientiam, atque ita insimul, & omnes & singuli iudicentur. Liber uitæ

¶At uerò quanuis sancti quodammodo libri dici possint: tamen liber uitæ, ut in Apocalypsi subiungitur, non potest intelligi scientia quæ in memoria cuiusque erit, eius conscientiã accusans uel excusans Primò, quia liber uitæ nunquã inter sanctos & Theologos accipitur nisi pro libro prædestinationis: notitia. n. ipsa Dei, qua firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad uitam æternam, dicitur liber uitæ. Secundò, quia Ioannes Ilic non dicit in libro uitæ scripta esse opera cuiusque, sed nomina, & ideo subdit. Qui non inuentus est in libro uitæ scriptus missus est in stagnum ignis. Quare non dicitur liber uitæ, quia scripta in eo sint acta & gesta uitæ, sed quia in eo scripti sunt omnes prę destinati ad uitam. Et ita idem Aug. illico ca. 15. exponit librum uitæ.

Dan. ca. 7.

Apoca. 20.

Aug. 20. de ciuita. Dei ca. 14.

¶Dicendum ergo quòd libri aperiendi in iudicio sunt tũ sanctorum officia & merita, in quibus ius effulget, ad cuius normã cuncti deberent officia sua exigere: tum etiam singulorum memoriæ, quibus unusquisque gestorũ suorum recordabitur, ut opera cũ legibus conferantur, & cuius retributionis digna fuerint, appareant. De quib. libris ait Paulus. Testimonium reddente illis cõscientia eorũ, cogitationib. inter se accusantibus, aut defendentibus, in die cùm iudicabit dominus occulta hominum. Itaque cogitationes memoriæ Sententia autoris.

sint libri, qui conscientiam aut ream tunc facient, aut absoluent. Et quia illæ cogitationes erunt Christo & sanctis eius patulæ, per illas dicetur unusquisque referre propria corporis prout gessit siue bonum siue malum: ut 2. Corinth. ait Pau. Sed præter hos libros expandetur & in mente iudicis liber uitæ ubi conscripti sunt prædestinati, ut constet quemadmodum per Dei gratiam quæ prędestinationis effectus est, ipsam prædestinationem compleuerint, & suam uocationem, ut ait Petrus, certam fecerint: & quemadmodum reprobi in illo libro nunquam scripti supplicia fuerint commeriti. 2. Petri. 2.

¶Exurgit tamen ex hoc interrogatio, quę nam sint & quanta quæ in suis conscientijs tam electi quàm reprobi cernent. Quare subiungitur secunda conclusio. In reproborum conscientia tam ipsi quam alij uniuersi cuncta eorum crimina & demerita in spectabunt, imò & bona etiam si qua fecerint opera, omnia inquam uirtute diuina: de qua loquitur August, subitò eis in memoriam reuocabuntur, atque alijs in eorum conscientijs manifesta fient. Probatur conclusio. Iudicium illud erit, ut rectissimum, ita & prudentissimum: ad rectitudinem autem iudicij spectat, ut non nisi conuicto reo sententia proferatur: conuinci autem nequit nisi uniuersa de quibus accusatur ei ob oculos proponantur, ut perinde merita suæ causæ cognoscantur: omnia ergo cuiusque reprobi erunt ei peruia, ne de iudice cõqueratur quòd uel ex odio uel alio extra causam affectu eum iudicauerit. Quare non solùm mortalia crimina, sed etiam ueniales culpæ, quæ momentum aliquod ad suppliciorum cumulum afferunt, erunt ei præsentes. Imò neque sola opera aut uerba externa, uerùm & cordium cogitationes in publicum prodibũt iuxta illud 1. Corinth. 4. Dominus tunc illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et ratio est: quoniam licèt iudicium humanum, quod idcirco imperfectum est, non fiat nisi secundum externa opera quæ sensibus patent, illud tamen perfectissimum, secundum penitissimas causas & in pectore reconditissimas faciendum est. Nam cùm ex corde, ut ait Christus exeant cogitationes: scilicet opera, ex intentione quæ intus latet sunt opera perpendenda. Quod si aliqua bona fecerint ex gratia procedentia, ut Christiani, etiam illa præsentia reũ ipsum accusabũt, propter ingratitudinem qua Deo terga uertit: imò & naturæ dotes, illic clamabunt, quòd gratias pro ipsis suo creatori non rependerit. At uerò, quia iudicium illud non priuatim inter iudicem & tantum reum fiet, sed publicitus in conspectu totius Reipublicæ humani generis, non sat erit, ut rei se ipsos agnoscant: sed operæpretium est, ut eorum conscientiæ uniuersis sint cõpertæ, quibus & sententiæ innotescent.

Meditatio

¶Meditetur ergo cordatissimus quisque quanto pudore & opprobrio suffundentur in conspectu Dei, angelorum, & hominũ, hypocritæ: qui mortalium oculos tãquam dealbata sepulchra fefellerint: nempè, qui putida pudendaq; corda & pectora intus gestantes, execranda opera fucato externo habitu contegerint. Certè quando nullus nos alius infernus spectaret, hæc satis esset meditatio, ut tales esse contenderemus, quales Deo & hominibus apparere cupimus.

Interrogatio.

¶Interrogabit autem hic quispiam, si omnia opera etiã infidelium sint eis in memoriam reuersura: quomodo dictum est, quòd non iudicabuntur iudicio discussionis? Respondetur, nõ negari quin per suas sint conscientias conuincendi, quanto sint supplicio digni sanè cùm inter ipsos sint alijs longè peiores, sed tamen eorum peccata, cum suis uirtutibus non conferentur, neque causa eis sententiæ reddetur. Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c.

3. Conclu.

¶Tertia conclusio. Omnia opera iustorum bona, tam sibi quàm uniuersis alijs illic propalabuntur: reuocabuntur, inquam in eorum memorias, & in aliorum notitiam reducentur, non solùm opera & uerba, sed etiam cogitationes.

Ratio conclusionis.

¶Et ratio est, quia licèt præmia adultis ętate propter illa merita conferantur, quæ ex diuina misericordia, & gratia dimanarunt, tamẽ quia suppositâ gratia uerè sunt merita, retributio illa erit actus iustitiæ, iuxta illud Pauli. 2. Timot. 4. Bonum certamen certaui, cursum cõsummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius. Iustitia autem in præmio cognosci non potest

Ratio. 2.

test nisi per meritorum pretium: cunctis ergo illorum merita explicabuntur. ¶Accedit autem secunda ratio, quòd quanuis essentiale præmium in Dei possessione cõsistat, tamen ratio ipsa præmij hoc ipsum sonat, ut propter meritum conferatur, alioqui non esset actus iustitiæ. Et ideo maxima honoris accessio inde fiet tunc iustis, quòd ineffabile illud præmium non prorsus gratus absque ullo eorum merito, sed pro suis meritis de diuino subsidio profectis suscipiant. Inter homines enim præstantius est meruisse, qđ non habes, quàm non meruisse, quod habes. Dignitas enim honoris æstimatur, nõ nuda possessio. Quare Christus Ioan. 12. Si quis, inquit, mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Videlicet, ostendendo publicitus uniuersis quemadmodum mihi ministrauerit. Et Lucæ. 12. Qui me confessus fuerit coram hominibus (tãquam amicum & dominum) & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei, ubi longè erit cumulatissimus honor, tãquã fidelem seruũ. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei, ubi ingentius erit opprobrium.

Ioan. 12.

Luc. 12.

Dubium.

¶Veruntamen de electorum delictis per pœnitentiam deletis, dubium est utrũ sint in memoriam reuersura. Extant enim oracula sacra partim negatiuæ fauentia: ut illud Isa. 65. Ego creo cælos nouos & terrã nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis in æternum, & rursus. Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores, & abscondita ab oculis nostris. Vbi Hier. Obliuioni, inquit, tradentur priora mala, quia forsitan in futuro pristinæ conuersationis memoria omnino delebitur, succedentibus bonis æternis, ne sit pars malorum prioris augustiæ memorari. Et psal. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et. 1. Petr. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum.

Isa. 65.

Psal. 31.

1. Petr. 4.

¶Quæsitum hoc bipertitur distinctio. 47. Magister senten. Concedit enim electorũ delicta in memoriam eis reditura. Sed præfata testimonia hoc contestari, quòd memoria illa contristabit electos, nec beatitudinem offuscabit. Vtrùm uerò proditura sint in aliorum notitiam, ait se non legisse expressum in scriptura: unde non irrationabiliter, inquit, putari potest peccata hic per pœnitentiam tecta & delera, illic etiam tegi alijs. Et re uera uulgus hominũ facilè hanc sibi sententiam persuadebit hoc argumento. Vix enim ingenium plebis percipere ualet quo pacto fieri possit, ut crimina flagitia & scelera, quæ nonnunquam nefanda esse contingit & quam maximè depudenda, quæ hic fuerunt occulta, in notitiam illic purgatissimarum mentium prodire possint absque maximo pudore & opprobrio illius, qui illa commisit. Præsertim si hic semper fuerit, ut iustus & honestus æstimatus. Cùm ergo beatitudini omnis turpitudinis pudor & uerecundia repugnet, colligitur electorum delicta non esse tunc in aliorũ notitiam prodẽda.

Argumen. uulgi.

¶Nihilominus subnectitur quarta cõclusio. Cuncta etiam electorum crimina uniuersis erunt aperta. Neque hoc loco tenetur sententia Petri Lombardi. Probatur. Primò ex illo Pauli. 1. Corin. 4. asserentis, quòd tunc dominus illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit cõsilia cordium: quæ quidem indefinita assertio uim habet uniuersalis: quia illud erit uniuersale iudicium, non solum uniuersorum hominum uerùm & uniuersorum operum. Et ideo ait illic glossa, quòd gesta cogitata bona & mala, tunc aperta & nota erunt omnibus. ¶Et secundò arguitur, quòd aliquorũ iustorum delicta erunt illic manifesta: sicut Dauidis, & Petri, & Magdalenæ: & eadem est omnium ratio.

4. Conclu.

Probatio cõclusion.

¶Tertiò id præsertim comprobatur. Iudicium illud ad hoc potissimum celebrabitur, ut gratiæ & uirtutes, quæ nobis diuina ope proueniunt, uniuersis ad Dei gloriam innotescant, inter has uerò egregium locum obtinet pœnitentia: expedit ergo, ut eius uis & efficacia sit cunctis manifesta. Nequiret autem satis cum sua laude cognosci nisi cuncta electorum delicta quantunuis ingentia & fœda, quæ illa sunt uirtute deleta, omnibus essent comperta: quo enim grauiora erunt, eo pœnitentiæ potestas diuino fauore suffulta maiori splendore fulgebit. Huic enim quodammodo accommodari potest uerbum Pauli, Roma. quinto. Vbi abundauit delictum superabũdauit & gratia. Absit autem quemadmodum illico nos Apostolus admonet, ut peccatis complicemur, ut gratia abundet sicut illi blasphemi aiebant, Faciamus mala, ut inde:

Egregia rõ.

Roma. 5.

de ueniant bona. Neque enim nos Deus condidit, nec Christus redemit, ut pœnitentes essemus, sed ut eius mandata sic obseruaremus, ut nulla nobis opus esset pœnitentia. Quare cæteris paribus longè copiosior laus erit innocentibus quàm pœnitentibus, nisi pœnitentia quemadmodum in Magdalena excellentes fuerit uires sortita.

Solu. argr. ¶Ad argumentum ergo populare respondetur, quòd delicta iustorum, quia non erunt tunc patentia Deo ad uindictam, sed tanquàm materia pœnitentię, nulla in oculis iustorum erunt opprobrij, aut pudoris causa, sed laudum, quibus Deum offerant, qui tantam uirtutem pœnitentiæ, & fidei, spei, & charitati quibus nititur, tribuit, ut deleta peccata nullo sint amplius uituperio aut exprobratione digna. Quanuis fuerit uel peccatum Adæ si pœnitentiam egit uel persecutio Pauli, uel turpitudo Magdalenæ, uel negatio Petri, uel impietas crucifigentium Christum: imò & proditio Iudę si eum facti pœnituisset, non esset tunc fœdum. Hunc ergo sensum exhibent testimonia illa citata apud Isaiam, & Dauidem, & Petrum. Sunt enim iustorum peccata cõtecta apũd Deum, quia quantum ad ultionem obliuioni ea tradit iuxta illud Ezechi. 18. Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor.

Chrysost. ¶Obijciet uerò quispiam illud Chrysost. hom. 2. in psal. 50. Nunc si recorderis peccatorum tuorum, & pro eis deprecaris, citiùs illa delebis: si uerò obliuiscaris, tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur in conspectu omnium amicorũ, & inimicorum, sanctorumq; angelorum: ergo illa sola peccata tunc proferentur in publicum, quæ propter negligentiam non fuerunt hic remissa.

¶Item si omnium delicta essent cũctis iniquis comperta, inde solatium aliquod reciperent: nam solatium est, plures habere delictorum socios, indeq; eis uerecundia & pudor minuitur.

¶Respõdetur ad primum, Chrysost. id docere, quòd peccata quæ hic non fuerint delata proferenda tunc erunt ad ignominiã: quæ uerò fuerint extincta proferentur ad gloriam.

¶Ad aliud negatur quòd aliquod sint inde solamen, aut uerecundiæ remissionem damnati habituri. Illud, n. in iudicio hominum accidit, inter quos propter multitudinem delinquentium fit leuior pudor. Secus in æstimatione Dei, quæ tunc erit omnibus manifesta, qua scilicet res æstimantur secundum ueritatem, secundum quam nihilo est peccatum minus propterea, q̃ pluribus sit in consuetudine: imò ob id est peius.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd omniũ mortalium opera quãuis memoria exciderint manent in suo effectu, ut bona manent in acceptatione ad præmium. Et si fuerint per peccatum mortifica manent in ingratitudine. Et quæ nõ fuerunt per pœnitentiam deleta manent in reatu æterni supplicij. Et si fuerint deleta in uirtute pœnitentiæ. Quocirca, quia cuncta ex his effectibus pendent perinde habent, ut ualeant in memoriam remigrare. At uerò, ut citatus Aug. ait, tam repentina tantorum operum recordatio diuinæ tunc uirtuti tribuendum est, qua Christus per iudicandi potestatem in omnium memoriam remigrare.

¶Sed redarguitur contra. Aucta causa effectus crescit, charitas in hac uita est causa doloris peccatorum & gemitus: charitas autem illic erit cõfirmatior & perfectior: ergo si tunc peccata memorię iustorum recurrerent, non possent non dolere: contra illud Apocalyp. 21. Absterget Deus omnem lachrimam ab oculis eorum: & non erit ultra gemitus, neque clamor, neq; dolor. Respondetur, quòd licèt illud sit charitatis ingenium in hac uita, lætitia tamen in patria erit potẽtior, ut omni dolori obsistat, ne occupare animum possit beatis: imò potius de diuina clementia gaudebũt per quam ab illis malis libertati sunt. Sicut solent post prælium milites lætari de illis quæ euaserunt periculis: atque illi qui post grauissimos morbos conualuerunt. Veluti è contrario damnati, bonorũ memores quæ fecerunt: nullum inde oblectamentum suscipient: imò plus eis augebitur mœstitiæ. Iuxta illud Boetij. 2. de consolatione. Summum infortunij genus est, fuisse fœlicem.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quòd cum & bona iustorum opera, & iniustorũ iniqua, aliquod illic incrementum gloriæ & miseriæ efficiant, inde poterunt alij aliorũ merita, aut demerita, saltem in genere perspicere:

cere: speciatim uerò per uirtutem diuinã, ut dictum est singulorum conscientiæ cunctis pandẽtur, ut ab omnib. legantur. Qua propter non solum in suis effectibus, ut dictum est, sed in se ipsis, merita demeritaq; cuiusq; deprehendentur.

Sol. 3. arg. ¶Ad tertium bipertitus est respõdẽdi modus. Quidam. n. aiunt, eodem instanti tũc oẽs singulorum merita & demerita uisuros. Quod quidem quantum ad beatos facile est creditu, si illa sunt uisuri in uerbo. Secus in proprio genere, puta in singulorum conscientijs. De damnatis uerò, qui non in uerbo, sed in ꝓprio genere uidebũt non ita facilè creditur. Et iõ alij opinantur, quòd non uidebunt sigillatim cuncta, sed in genere. Hoc tamen est contra uerbũ Aug. loco supra citato. 20. de ciu. Dei. ubi ait, quòd oĩa mentis intuitu cernentur, & quasi in lib. recitabuntur. Imò ad conditionem illius iudicij non satis est cũcta in genere cognoscere, sed & singula perpendere. Alioqui non æstimarentur personæ ad iustum quales essent. Dicendũ ergo, ut hic ait D. Th. quòd singula considerabuntur in proprio genere, non tamen in instãti, cum non sint uidenda per eandem speciem. Sed tamen subitò per diuinam uirtutem: hoc est, in exiguo tempore. Et ut ait ibidem Aug. mira celeritate cernẽtur. Vnde super illud Iob. 8. Induetur confusione ait glossa. Viso iudice oĩa mala ante oculos mentis uersantur: hoc est, singula quẽ admodum commissa sunt occurrunt.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm iudicium illud, scilicet, tam disceptatio, quàm sententiæ prolatio, sit uocaliter, an non nisi mentaliter repræsentanda.

D hæc quæ dicta sunt attinet, ut breuiter exploremus utrum iudicium illud, sit externo uerbo, an sola mẽtis locutione perficiendum. Et arguitur, quod fiet uoce. Ait quippe Aug. 20. de ciu. Dei. Per quot dies hoc futurum iudicium tendatur incertum est: non autem incertum esset nisi uocis prolatione esset celebrandum. Et Gregorius libro etiam citato uigesimosexto. Morali. ait, quòd illi saltem uerba iudicis audient, qui eius uerbo fidem tenuerunt.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium autem uidetur stare Paul. Rom. 2. ubi ait. Testimonium illis reddente conscientia ipsorum &c.

¶De hac quæstione nihil habetur sacris literis compertum. Et ideo hoc Magist. senten. tanquàm problema utrinque anceps relinquit. Dicebant enim quidam quòd iudicium mentaliter sit faciendum propter uerbum Apost. 1. Cor. 15. In momento, & in ictu oculi. Illud autem non ad iudiciũ, sed ad resurrectionem refertur: & ideo alij dixerunt uocaliter exprimendum. Ricardus uerò hic art. primo quæstione secunda ait, quòd sicut Christus est Deus & homo, ita partim mentaliter, & partim uocaliter iudicabit.

1. Conclu. ¶Dũas autem conclusiones possumus ex coniecturis & uero similibus rationibus colligere. Prima sit. Discussio & examinatio operum, & accusatio aut excusatio, quæ ad conuincendum iniquos, & ad præmiandum iustos sententiam antecedet, mentaliter duntaxat perficietur. Conclusio est cunctis receptissima. Et ratio est quia accusatio illa, & singulorum operum enarratio, & examinatio, si uoce seriatim esset peragenda, immensum temporis spacium exigeret, & ferè esset in illud absurdum recidere quod Aug. de libris repellit, qui apud Danie. & in Apocalyp. commemorantur. Nempè, quòd si essent materiales, uix tempus sufficeret, ut legerentur. Idem enim propemodum accideret, si omnia essent uoce percensenda. Vnde eodem. lib. cap. 26. ait, quòd conscientias reproborum conuincet sine ulla sermonis prolixitate. Et sapien. 4. dirumpet illos inflatos sine uoce. Accedit, quòd cum illa Deus nouerit, & sua uirtute sit cunctis reuelaturus, nihil uocali prolixitate opus erit. Et certè hoc uidetur. Rom. 2. Paulus, illis uerbis docere. Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit dominus occulta hominum. Quibus utique uerbis insinuat nullos fore accusatores aut testes præter conscientiæ cogitatus, qui omnibus erunt in propatulo. Rom. 2.

2. Conclu. ¶Secunda conclusio. Quanuis non omnino cum certitudine, tamen neque absque probabilitate affirmari potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri poteſt, ſententias illas Chriſti, quæ Matth. 25. referuntur. Venite benedicti. &c. Ite maledicti: ſenſibili uoce eſſe proferendas. Opinio fuit Abulenſis ſuper eundem locum: quæſt. 333. Et quæ ratio in hoc inducit eſt illa, quæ ſolet: nempe, quòd ubicunque euangelicus textus admittere ſenſum poteſt literalem quem ſonat, ſecundum illum eſt audiendus: poſſumus autem ſententias illas ad literam, ut uocales interpretari: nam licèt accuſatio & examinatio intelligi nequeat niſi cum magno temporis decurſu: ſententiæ tamẽ illæ citiſſimè enunciari ualent: quoniam non ad ſingulos ſingulatim ſunt proferendæ, ſed una ad electorum chorum, qui erunt à dextris, atque altera ad reproborum turbam, qui erunt à ſiniſtris: non ergo eſt cur negetur uoce eſſe proferendas.

Ratio. 2. ¶Secundò arguitur. Chriſtus iudicare debet inquantum homo, uenturusq; eſt in forma humana uiſibili, & uniuerſi in eundem locum in ſuis corporibus ſunt cõuocandi: & quod probabilius ſupra diximus, uoce, & ſono tubæ: & reuera ſunt ad dextram & ad ſiniſtram loco ſeparandi: ergo pari ratione audibili uoce ſunt per ſententiam approbandi uel reprobandi. Etenim ſi omnia in mente duntaxat perficienda eſſent, non tanta apparet ratio celebritatis illius concilij.

Ratio. 3. ¶Præterea & Chriſto ad honoris excellentiam uox illa, Venite benedicti percipite regnum, &, Ite maledicti in ignem æternum, accedet & iuſtis ad augmentum gaudij, & iniquis ad terroris uehementiam cauſa illa eius uoce prolata. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &, Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare: ergo ſono uocis enuntiabuntur. Neque neceſſarium eſt, ut quidam arguunt, ſententiam hac ratione examinationi & accuſationi reſpondere: nam accuſationi & examinationi ſufficiunt ſingulorum conſcientiæ cunctis mente perſpectæ, ſententia uerò debet maieſtatem iudicis ſecundum humanam uocem repræſentare.

Solut. arg. ¶Argumenta ergo in capite obiecta, quatenus probant ſententiam uoce eſſe proferendam, conceduntur. Si autem fiant ad probandum examen quoque & teſtificationem, ſimiliter eſſe exprimendam. Reſpondetur ad primum, propterea Auguſt. incertum dixiſſe quanto tempore iudicium ſit protendendum, quod neque compertum habebat ſit ne uoce an uerò mente exprimendum. Gregorius autem ſententiam noſtram tenuiſſe uidetur. Ait quippe, quòd uniuerſi Chriſtiani, tam beati, quàm damnati audient uocem iudicis: ſententiam, uidelicet illam, Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &, Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: quia infidelibus illa ſuæ condemnationis ratio minimè reddenda eſt.

ARTICVLVS. V.

Vtrùm electi & reprobi ſunt ad dextram, & ad ſiniſtram Chriſti ſeparandi.

POST hæc quæritur de diſpoſitione iudicandorum, utrùm ſint ſeparandi ad dextram & ad ſiniſtram Chriſti. Et arguitur à parte negatiua. Videtur ſeparatio illa nec ſine magno negotio fieri poſſe, neque eſſe tam neceſſaria: ergo non niſi per metaphoram intelligenda eſt, ut iuſti dicantur eſſe ad dextram, quia ſunt ad beatitudinem deſtinati, & reprobi ad ſiniſtram, quia ſunt deſtinati ad ſupplicium. Partis negatiuæ arg. 1.

¶Secundò Paulus dicit. Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, ergo omnes erunt ante faciem eius, electi quidem ſurſum in aere, ut ait idem Apoſtolus: miſeri uerò in terra, grauedine ſuorum corporum preſſi: ergo non erunt à dextris neque à ſiniſtris. 2. Arg.

¶In contrarium eſt illud Matth. 25. Cùm uenerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ad inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, & hœdos à ſiniſtris. Pars affirmatiua.

¶Locus iſte euangelicus erunt fortè à quibus non niſi per metaphoram exponatur, ut ſedere Chriſtum, quia in aere nequibit eſſe ſedes: & ſeparari bonos à malis. Imo Origenes ſuper Matth. in eundem locum uidetur huc alludere, quòd dextra nihil aliud ſit quàm beatorum cognitio qua uidebunt ſe, miſerante Deo, ſeruatos. Et ſiniſtra iniquorum notitia, auq Origenes.

qua ſuis ſe delictis ſupplicia meruiſſe intelligent. Ait quippe, quòd quandiu iniqui: nempe in hac uita, neque ſe cognoſcunt neque Chriſtum, & iuſti per ſpeculum & in ænigmate uident, tandiu non ſunt ſegregati boni à malis: cùm autem propter manifeſtationem filij Dei, omnes ad intellectum uenerint ſuum, tunc ſaluator ſegregabit bonos à malis, quia peccatores cognoſcent ſua delicta, & iuſti manifeſtè uidebunt ſemina iuſtitiæ ſuæ ad qualem eos perduxerint finem. Quare per dextram, & ſiniſtram non uidetur intelligere niſi differentiam præmiorum & ſupplicıorum. Sancti enim, inquit, qui dextera opera operati ſunt, acceperunt mercedem ſuorum laborum, dextram regis, in qua requies & gloria eſt: multi uerò propter opera ſua peſſima & ſiniſtra ceciderunt in ſiniſtram & in triſtitiam tormentorum. Conclu.

¶Quicquid autem uel Origenes, uel alij quicunque ſenſerint, ad quæſtionem tribus concluſionibus reſpondetur. Prima. Credibile eſt Chriſtum iudicatum ire in forma ſedentis. Nam poſtquàm hoc ipſe aſſerit, & poteſt ad literam ſuſtineri, non tam caſtè & ſincerè ſeruatur aſſertio per metaphoram: præſertim cùm non ſolùm dicat ſeſſurum ſe in ſede maieſtatis ſuæ, uerùm & diſcipulis, ut dictùm eſt, duodecim pollicitus fuerit ſedes in quibus tunc ſedeant. Ratio.

¶Secundò, quia cùm inquantum homo, atque in forma humana ſit iudicaturus, conſequitur, ut etiam ſit oſtenſurus formam iudicis, quæ eſt ſeſſio. Hoc enim plurimum ad maieſtatem confert. Et ideo ait quòd ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ, ſicut dum nos redemit pependit in cruce ignominiæ ſuæ. Sedes enim non ſolum honorem contra ignominiam, uerùm & requiẽ à laboribus ſignificat: ut ſicut ſtans ipſe à ſedentibus pontificibus & iudice ludibrio habitus fuit, & iniuſtæ neci adiudicatus: ita ſedens ſtantes ſuos hoſtes ante ſcabellum pedum ſuorum, iudicio condemnet. Sedes ex

¶Sedes autem illa non eſt exiſtimanda fore aut ex terra, aut ex aliqua terrena materia, quia non ſunt abſque neceſſitate cumulanda miracula: ſed erit nubes illa in qua ſe ipſe aſſeruit uenturum. Itaque quod alibi ſe dixit uenturum in nube, hic dixit in ſede maieſtatis ſuæ. Aer enim uirtute diuina condenſabitur in nubem lucidam ſub forma ſedis. Et pari modo de alijs iudicantibus dicendum. Præterquàm quòd throni ipſi angelici apparebunt ipſum, non neceſſitatis, ſed honoris gratia uehentes.

¶Secunda concluſio. Tunc re uera inter fœlices & miſeros ſegregatio fiet localis. Nam poſtquàm aſſertio Chriſti in hoc literali ſenſu optimè audiri poteſt, ſic eſt auſcultanda. Enimuerò cùm Chriſtus utrunque dixerit: ſcilicet, congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſegregabit oues ab hœdis diffiteri realem nequeunt ſegregationem, niſi qui pariter congregationem negauerint: quod eſſet negare iudicium in forma uiſibili per congregationem in eundem locum. Præſertim cùm iniqui igne ardebunt: fœlices uerò minimè: ut diſt. ſequenti uidebimus. 2. Conclu.

¶Et eſt præterea æquitatis ratio quæ eandem ſegregationem perſuadet. In hac enim ſeculari militia, quia prædeſtinati & reprobi non planè diſcernuntur, neque conſtat qui nam ſint in uno, quæ ui in altero ordine permittuntur permixtim uiuere, ut ſint quaſi triticum inter zizania. In illo uerò reſurrectionis momento, luce pluſquam meridiana illa manifeſtabitur differentia. Quare non eſt æquitati cõſentaneum, ut ſimul filij lucis, cum filijs Belial commiſceantur. Non ergo congregatio omnium gentium, & ſegregatio ouium ab hœdis ſic intelligendæ ſunt, acſi priùs tempore fiat congregatio, quàm ſegregatio, ſed quẽadmodum ait Chriſtus Ioan. 5. quòd reſurgent alij in reſurrectionem uitæ, atque alij in reſurrectionem iudicij, ſic in ipſo regenerationis articulo, exurgent electi ad dextram, & reprobi ad ſiniſtram: ut congregatio ſit ſimul ſegregatio. Sed propter faciliorem humanum modum intelligendi, dictum eſt, congregabuntur, & ſegregabit. Terribilior nanque erit, longeque plus nobis pauoris offeret meditatio ſi quemadmodum hic uiuimus, quando noſtræ ſalutis, aut perditionis incerti ſimus, meditemur nos eſſe ſicut in diebus Noe, ſecurè comedentes & bibentes, ac lubricis huius ſeculi uoluptatibus fruentes. Tunc enim ſi de repente apparenti ad iudicium Chriſto præſentati, audiremus ipſum ſegregare inben Congrega- & ſegre. Meditatio.

tem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem bonos à malis, quo nam pauore & ſtupore unuſquilibet corriperetur, hæſitans utrius nam eſſet ſortis. Igitur quod Matth. decimotertio ait Chriſtus, in conſummatione ſeculi exituros angelos, qui ſeparabunt malos de medio iuſtorum: de hac ſeparatione à dextris ad ſiniſtram, intelligendum eſt, ut inde illico mittantur in caminum ignis.

Dextra & ſiniſtra.

¶Nomine dextræ in Deo miſericordia eius intelligitur, & ſiniſtræ, iuſtitia. Enim uerò ubi membra hæc non inueniuntur, ratione uirtutis dignoſcuntur. Vnde Ariſto. in orbe cæleſti, illic dextrum poſuit, unde motus eius inciperet, ſi poſt quietem moueretur: nempe in oriente. Propriùs autem primuſque motus Dei eſt per miſericordiam. Non quòd iuſtitiæ uirtus nõ ſit etiam ei propria, ſed quòd miſericordiæ actio non habet in nobis propriè cauſam, ſed à ſolo ipſo dimanat. Dum enim uniuerſum condidit, nullum erat in rebus illius beneficij meritum, quia neque ulla res erat: neque uerò in impio dum illum iuſtificat: iuſtitia uerò eius propter noſtra merita aut demerita operatur in nobis: & ideo dum in iniquos animaduertit, à ſiniſtris operatur, quia ex eorum delictis ultio illa procedit. Atque hic eſt ſenſus eccleſiaſticæ illius collectæ. Deus cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Quaſi illud ſit proprium ingenium eius & prima beneficiorum radix. Hac ergo ratione electi collocandi ſunt à dextris Chriſti, & reprobi à ſiniſtris.

2. Ratio.

¶Præterea quia dextra proſperitatem deſignat, atque adeò ſempiternam fœlicitatem: ſicut ſiniſtra extremam miſeriam. Igitur electi tum propter merita quæ ex miſericordia procedunt, tum propter præmium quod recepturi ſunt collocabuntur à dextris: iniqui uerò, & propter demerita quæ ex ſua ſiniſtra uoluntate proceſſerũt, & propter iuſtum ſuppliciũ quo ſunt plectendi ſtatuentur à ſiniſtris.

Chriſ paſtor &c.

¶Cæterùm quia Chriſtus pluribus ſe muneribus functum aſſeruit in euangelio, pluribus modis ſegregationem hanc explicere poſſumus. Eſt enim eccleſiæ ſponſus iuxta illud Pauli. Deſpondi uos uni uiro uirginem caſtam exhibere Chriſto, prudentes uirgines, præparatæ ad nuptias conſtituentur à dextris & fatuæ quæ in

Pruden. & impruden. uirgi.

hoc ſeculo, dum oleum miſericordiæ gratis uendebatur, malignè illud emerunt depellentur ad ſiniſtram. Et quia regnum cælorum cum ſagena contulit miſſa in mare, boni piſces cuſtodientur à dextris, & mali eijcientur in ſiniſtram. Et quia ſe quoque comparauit agricolæ permundanti aream ſuam, illi qui ſunt in horreum condendi, ut grana, ſiti erunt à dextris, paleæ uerò & zizania ſemouebuntur ad ſiniſtram, ut inde proijciantur in ignem.

Oues & hedi.

¶Inter omnes autem ſimilitudines illa Chriſto maximè placuit, ut ſe paſtorem prædicaret, & ſuam familiam ouium gregem. Deſcendit enim de cælo ouem quæſitum, quam perdiderat, & ideo ait. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Ob idque ait impræſentiarum, quòd ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris. Ouis etenim obedientiſſimum animal eſt & in grege ſub cura paſtoris ſemper uiuens: ex cæteris enim animalibus ſilueſtria feraque inuenias, etiam capros, oues uerò minimè: obidque maximè Chriſtianam eccleſiam repræſentant. Sunt & inter animalia maximè frugiferæ, lana quippe, lacte, & caſeo, & aſſiduo fœtu, & carnibus ipſis ſunt nobis frugi, & uberes. Et tales debent in ſpiritualibus eſſe chriſtiani. Sunt humillimæ pauciſſimis contentæ, inermesque & nulla fallendi arte inſtructæ, & manſuetudine inſignes. Quam ob rem dominus diſcipulos ſuos ceu oues in medio luporum eſſe iuſſit. Sunt denique innocentię candore præſtantiſſimę, adeò, ut Chriſtum ipſum quaſi agnum dominatorem terræ expectarent Prophetæ, & uelut agnum tollentem peccata indicaret Ioannes, & tanquàm agnum coram tondente ſe obmuteſcentem ſe ipſe tradiderit in ſacrificium.

Capri.

¶Capri uerò contra infructuoſi, cornibus & mento feritatem ſuperbiamq; præ ſe ferunt, & cum oues demiſſo capite tenellis herbis contentæ paſcantur, capri in duos ſemper pedes erecti dumorum cacumina decerpunt. Sic enim filij huius ſeculi ad ſummos ſemper honores inhiant, uixque paſtoribus obſequuntur. Atqui ad maiorem emphaſim, oues fœmineo genere expreſſit, quia mitiores ſunt frugalioresque quàm arietes: hœdos uerò nempe

Dæmones

nempe barbatos capros genere maſculino, quoniam ferociores ſunt quã caprę.

Copioſior numerus à ſiniſtris.

¶Hinc fit, ut dæmones nunquàm formam ouium, ſed ſemper caprorum induant. Atqui ea propter in lege ueteri capri pro delictis populi ſacrificium erãt, & ideo quaſi ipſa peccata foras emitteban tur. Agnorum uerò ſacrificium innocentiam Chriſti præſignabat.

¶Tandem & hoc conſideratione dignum eſt, quanto ſcilicet copioſior numerus à ſiniſtris erit quàm à dextris. Si enim ab orbe condito ſub lege naturę oculos ad gentes conijcias, quibus fides Meſſiæ non effulſit: deinde ad gentes quæ modò euangelium non agnoſcunt, incomparabilis eſt infidelium numerus reſpectu anguli quo uerus Deus colitur. Imò ſi infidelium multitudine prætermiſſa Chriſticolarum eccleſiam contemplemur, utinam tot dextram quot ſiniſtram occuparent. Quod enim ait Chriſtus, tunc duo erunt in agro, unus aſſumetur & unus relinquetur: duæ molentes in mola, una aſſumetur & una relinquetur, duo in lecto, unus aſſumetur & alius relinquetur, non ſignificat electorum ac reproborum paritatem, ſed quòd ex omni ſtatu, ſexu, ætate, conditione, officio, & arte, erunt prędeſtinati & reprobi. Nam quia præmiſerat aduentum iudicis de repente futurum ſicut in diebus ante diluuium, quando ſecuri etant homines, comedentes, bibentes, nubentes & nuptui tradentes, ne quis cogitaret non eſſe tunc plures ſaluandos quàm illic in arca, dixit ex quocunque ſtatu aliquos ſeruandos, aliosque reijciendos: uidelicet, ut neque in ullo quiſpiam ſtatu & conditione, aut officio tutò ſe uiuere arbitretur, niſi Dei gratia præſidio ei fuerit, neque uerò deſperet ſi eius uoluerit fauore uti. Ob id nanque dixit. Vnus aſſumetur, & alius relinquetur: ne quis ſuis uiribus naturalibus ſuam ſalutem adſcribat, ſed prænenienti Dei gratiæ. Non enim ex operibus, ut ait Paulus, ſed ex uocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.

Duo in agro, &c.

¶Ad primum igitur argumentum negatur, aut magno negotio opus tunc fore, ut ſeparentur ab iniquis electi, aut non eſſe neceſſarium: imo reſurgendo ſeparabuntur, & erit operæpretium, ut beandi ſicut meritis, ita & loco ſint ab iniquis diſgregati.

Sol. 2. arg.

¶Ad ſecundum reſpondetur nihil ſitui obſtare quominus omnes ſint ante faciem iudicis, electique in aere, reprobique in terra: & nihilominus illi ſint à dextris & iſti à ſiniſtris.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm generale iudicium per ſententiam iudicis concludetur.

POſtremus actus iudicij eſt ſententia, & ideo tandem quæritur utrùm per ſententiam iudicium generale cõcludetur. Et arguitur à parte negatiua. Si aliqua eſſet illic ſententia futura, maximè illa, Venite benedicti patris mei &c. aut, Ite maledicti &c. illæ uerò non habent ſententiarum formam, quæ eſt abſoluo aut condemno uos, aut quid ſimile, imò potiùs habet executionis ſententiæ figuram.

Partis negatiuæ arg. 1.

¶Secundò potiſſimum arguitur. Sententiam debet examinatio cauſæ antecedere, ut ſecundum merita proferatur, illis uerò uerbis non exprimitur tota cauſa legitima approbationis aut condemnationis: ergo non eſt ſententia. Probatur minor. Regnum cælorum pro legis & mandatorum obſeruatione confertur, & pro eorum tranſgreſſione aufertur, iuxta illud Matth. 19. Si uis ad uitam ingredi ſerua mandata, & copioſior eius poſſeſſio illis promiſſa eſt, qui conſiliorum uota obſeruantiæ mandatorum adiecerint: iuxta illud Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites, Beati qui lugent, &c. quorum cuſtodibus promittitur, quòd erunt magni in regno cælorum: illic autem nulla fit aut mandatorum, aut conſiliorum mentio: ergo non eſt legitima ſententia.

2. Arg.

¶Tertiò arguitur. Nemo à regno niſi propter uel originale, uel mortale crimen excludetur: opera uerò miſericordiæ genere ſuo rarò, nimirum propter extremam, aut grauem neceſſitatem obligant ſub reatu mortalis criminis: ergo non uidentur tot condẽnandi, quia eſurientem nõ pauerunt, aut non potarunt ſitientem. Potiſſimum,

3. Argum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mum, quòd opera misericordiæ spiritualia præstantiora censentur, quorum tamẽ illic nulla habetur memoria.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est Christi autoritas, cuius nulla in iudicio alia referuntur uerba quàm illa, Venite benedicti,& Ite maledicti, &c. quæ cùm sint iudicij conclusio, eius habent imaginem sententiæ.

Conclusio catholica. ¶Ad quæstionem hac una catholica conclusione respondetur. Verba illa Christi, Venite, & Ite, legitima est sententia eademque iudicio illo accommodatissima. Vbi adnotandum est, quòd cùm ad iudicium, ut supra diximus tria sint potissimum requisita: nempe potestas in persona, sapientia in intellectu, & rectitudo in uoluntate: quæ quanuis per proprietatem in tribus personis existant, attribuitur tamen primum patri, secundum filio, tertium spiritui sancto: hæc omnia in summo gradu relucẽt in illo iudicio: quia Christus quantum ad potestatem, ut ait Petrus constitutus est iudex uniuersalis uiuorum & mortuorum: est autem ipse ut summa bonitas, & ex uno falli nõ potest, & ex altero nec potest fallere, neq; alicui iniuriam irrogare.

Tria ad iudicium requisita.

Sapientia iudicis duplex. ¶Sapientia autem iudicis duplex est: scilicet iuris & facti, inde ergo primum tum extimescendum est illud iudicium, tum eum primis adorandum, quod iudex neque per testes falli poterit in facto, neque per aduocatos in iure, quia omnia sunt, etiam cordium intima suis oculis patentia:& leges secundum quas iudicaturus est ipse condidit. Itaque ipse simul est, & legum summus conditor, & factorum oculatissimus testis,ac perinde omnium equissimus iudex. Nam quemadmodum secundum intellectum falli non potest, ita neque secundum uoluntatem flecti, neque prece neque pretio, neque (quod expauescendum in Deo est) ullo commiserationis affectu. Etenim tempus miserendi illucusque protenditur, illic uerò sola iustitia dominabitur meritorum iudex, quæ hic uel de misericordia eiusdem Dei processerunt, uel de nostra peruersa uoluntate. Misericordia ergo & benignitas Dei, & longanimitas qua homines hic ad pœnitentiam adducit,dum per duritiam cordis excluditur, in iram tum ipsius iudicis conuertetur. Iuxta illud Pauli Roma. secundo. Per duritiam tuam thesaurizas tibi iram in die iræ. Hoc ergo grauius erit miseris, multoque tremendum: nempe, diuinum pectus sit occlusum uidere, ut nullus eis pateat ad eius clementiam aditus. Et quemadmodum neque secundum intellectum decipi, neque secundum uoluntatem flecti, ita neque præ eius omnipotentia poterit ullo pacto superari. Quare nec ad alium superiorem locum habebit appellatio, neque executio moram: sed sicut in mundi fabrica ipse dixit & facta sunt, ita in illo iudicio ipse iubebit, & facta erunt.

Roma.2.

¶Quo ergo ad primum argumentum respondeamus, negatur uerba illa. Venite, & Ite, non esse sententiæ Dei aptissima. Homines quippe dum iudicant, quia non semper prolata sententia protinus executioni mandatur, mitiorem aliam pronuntiandi formam habent: in Christo autem, quia sententiam proferre est ipsam executioni mandare, appositissimè electis dicet. Venite percipite regnum, & reprobis. Ite in ignem æternum.

Benedicere.

¶Et quia in Deo benedicere est benefacere, & summum beneficium est collatio regni cælestis, ait. Venite benedicti, hoc est, summa benedictione donati. Adijciet autem, patris mei, quia cùm iudicaturus sit inquantum homo per potestatem quam à patre recepit, illam præmij collationem patri adscribet. Præsertim cum ille sit supremus prædestinationis effectus, quæ quidem prædestinatio fuit æterna, quæ Christo non secundum humanitatem, sed secundum diuinitatem, quam per generationem habet à patre, competit. Quibus de causis filijs Zebedæi, Matthæi uigesimo ait. Calicem quidem meum bibetis: nempe, meritum meam baiulando crucem præstabitis: præmium uerò, scilicet, sedere ad dextram, & ad sinistram, non est meum dare uobis, sed quibus paratum est à patre meo. Miseros autem reprobos maledictos appellans,non adijciet patris mei,quia peccatorum, quæ sunt condemnationis causa, Deus non est autor, sed nostra deprauata libertas.

Matth. 20

Percipite regnum.

¶Possidete regnum, nam quanuis iam tunc omnes electi sint illud possessuri secundum animas: percipient tamen illud tunc

tunc secundum corpora: & cum omnium beatorum consummato consortio. Quanuis fortasse explicet illud Christus ad nostrum intelligendi modum: quasi tunc primum,ut fit in cuiusque particulari iudicio recepturi essent regnum. Ait autem possidete,hoc est percipite,quasi illud electi cõ cupiuerint, & corda inclinauerint, ut ait Dauid ad faciendas iustificationes propter illam retributionem. Quocirca damnatis nõ ait,Ite, percipite aut possidete ignem: quia sua intentio non fuerat illud adipisci sed ex transuerso inuiti in illud malum impingent.

¶Et quoniam meritum regni consistit in appropinquatione ad Christum, ait, Venite. Nam quanuis tunc non erit in cælo empyreo, quod sedes est beatorum, ait tamen. Venite mecum, quo ego sum remigraturus: sicut alibi dixit. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam uos. Et quia peccata consistunt in recessu à Christo, ait iniquis. Ite, sicut Matthæi septimo. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem.

¶Vnum autem hic se offert dubium circa intellectum illius uerbi. Percipite regnum. percipere nanque regnum non est nisi regis, cuius est regni dominium & gubernatio:rex autem regni cælorum nõ est nisi Deus secundum primam autoritatem, & Christus secundum eam quæ sibi collata est. Respondetur autem,quòd regni possessio per ius dominandi & regendi non est nisi regis: sed nihilominus & ciuibus, qui ius habent uiuendi in regno, & in pace & tranquillitate possessiones suas ibidẽ possidendi, & iuribus eis fruendi, competit etiam regni possessio. Itaque regnum est regis tanquam regentis,& ciuium tanquam eorum qui reguntur. Et isto secundo modo Christus traditurus est uniuersis electis regnum cælorum. Quanquam emineat quædam excellentia in cælestibus ciuibus præ terrarum incolis: uidelicet, quòd ciues in hoc seculo non ad nutum toto utuntur regno, sed per partes: in quo ideo multa illis aduersa contingũt, ut paupertas,infirmitas, atque aliæ calamitates, per quas non licet eis animum suum concupitis explere. Fœlices autem cælicolæ non per partes, sed totum possident regnum:uniuersi, inquam, diuinam essentiam uident,qua ratione Deum possident, qui est totum regnum. Atque adeò quicquid optant,obtinent:nec quicquam est quod illis aduersetur, sed omnia pro uotis sunt eis subdita. Atque hac ratione regum etiam nomen suo gradu illis adscribitur. Iuxta illud Apocalyp. 3. Qui uicerit,dabo ei sedere mecũ in throno meo. & cap. quinto. Redemisti nos Deo in sanguine tuo,& fecisti nos Deo nostro regnũ & sacerdotes,& regnabimus super terram. Et cap. uigesimosecundo. Dominus Deus illuminabit illos,& regnabunt in secula seculorum.

Paratũ uobis, &c.

¶Paratum uobis regnum à constitutione mundi. Nam etsi paratum:hoc est,prædestinatum, non à constitutione mundi, sed ab æterno fuerit: tamen quia à constitutione mundi angeli illud possidere cœperunt, & tunc homines ad illum possidendum fuerint conditi,ait paratum à constitutione mundi. Quasi diceret. Inde iam uos expectat. Differentibus autem uerbis ait damnatis. In ignem æternum,qui paratus est diabolo & angelis eius. De regno nanque non dixit, quod paratum est angelis, quoniam æqua sorte præparatum est hominibus cum angelis. Neque merita quibus regnũ homines promerentur, contingunt eis per angelorum gratiam & fauorem, sed per auxilium & gratiam Dei, quæ æqualiter hominibus atque angelis opitulatur: peccatum uerò primum hominis diaboli suggestione ingressum est in orbem, quod causa est condemnationis in ignem æternum: & ideo ad maiorem exprobrationem ait. Qui paratus est diabolo,& angelis eius. Quasi homines per peccatum facti sint Satanæ angeli. Præterea, ut alibi diximus,quia infernus propriè nõ uidetur nisi angelis decretus:eo quòd nequeant per pœnitentiam à peccatis liberari: hominibus nanque ad terrorem deberet infernus seruire, ut inde se per pœnitentiam eriperent. Quocirca humanũ quidem est peccare,sed diabolicum in peccato perseuerare.

Qui paratus est diabolo.

Sol. 2. arg.

¶Secundum uerò principale argumentum, difficillimum uulgo existimatur:tanquam miraculum enim ducitur, quòd in causam præmij & supplicij æterni, non nisi impletio operum misericordiæ, & eorũ omissio afferantur. Veruntamen, qui de hoc mirantur, supponunt nullum aliud

Universidad de Deusto
Biblioteca

illic futurum meritorum, demeritorumque examen, eo quòd non aliud illic Christus uerbo expressit, sed est ipsorum præsuppositum falsum. Nam, ut iam satis expositum est, uniuersa merita ac demerita, unicuique in memoriam redibunt, eadem que erunt cunctis compertа: ubi quemadmodum iniqui mandata defregerint uniuersis constabit: atq; adeò palam erit unusquisque conuictus, quanto sit supplicio dignus. Nam, ut ait Christus Matth. 12. Omne uerbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ob idque Matth. decimo octauo assimilauit regnum cælorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. In qua utique parabola conclusit, quòd unusquisque reddet omne debitum usque ad nouissimum quadrantem ut ait alibi. Imò & in illo mentali iudicio aggrauabitur eorum culpa, qui pœnitentiam non egerunt, Niniuitarum exemplo, qui in prædicatione Ionæ illam fecerunt, cùm tamen Christus lógissimè maior fuerit quàm Ionas, quippe qui speciale supernaturale auxilium continenter offert peccatoribus. instigando eos ad pœnitentiam. Et infidelium cæcitas itidem exprobrabitur comparatione reginę Austri, quâ fama Salomonis ad ipsum perduxit.

Matth. 12

¶Simili modo & iustorum merita erunt cunctis propatula, tam in consilijs quàm in mandatis, ut cunctis compertum fiat, quàm sit unusquisque fœlici illa retributione dignus.

Cur mẽtio operũ misericordię facta.

¶Hinc autem emergit dubium, cur mentio duntaxat operum misericordiæ, quæ aut completa sunt aut neglecta, singulariter fuerit facta. Aliqui forsan cogitabunt, illam esse causam, quòd nonnunquam opera misericordiæ uim obtinent præcepti, nempe, ingruente extrema aut graui necessitate. Sed re uera causa hæc non apparet legitima: quoniam alia sunt præcepta maiora: quæ efficaciori ratione deberent exprimi. Præterea, omissio illa & impletio misericordiæ in casu necessario, inter alia merita & demerita, per mentale conscientiarum examen, in illo iudicio liquebit. Adde, quòd commendatio illa impletorum operum misericordiæ, & omissorum improperatio, non habet in uerbis Christi illam effigiem, ut solùm ad casus extremæ aut grauis necessitatis referatur, sed ut protendatur ad omnes supererogationis misericordias.

Duæ cãe.

¶Duæ ergo sunt causæ, ob quas illa misericordiæ mentio fiat, quæ propemodum in eandem incidunt. Prior hoc habet fundamentum, quod adulti Christiani ratione utentes, ad quos illa commemoratio refertur, uix communi lege possunt sine peccato uiuere, imò si confirmatos excipias, rarò sine aliquo mortali. Inter fructus autem pœnitentiæ egregium locum habet eleemosyna: nam licèt oratio ex obiecto sit præstantior, eleemosynas tamen necessitas publica pauperum commendationi potius proprij corporis confert. Vnde Tobiæ quarto. Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat. Et capit. duodecimo. Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosynam magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & uitam æternam. Quo alludit illud Christi, Luc. decimosexto. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant uos in æterna tabernacula. Et Ecclesiast. tertio. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector est eius, qui reddidit gratiam. Et Luc. undecimo. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis. Plurima sunt quæ Christus in hanc pietatis commendationem contulit. Et certè illud primæ Petri quarto. Ante omnia mutuam in uobismet ipsis charitatem continuam habete: quia charitas operit multitudinem peccatorum, eleemosynæ potissimum coaptatur. Dum ergo Christus opera misericordiæ allegat iustis in causam suæ beatitudinis, non uult negare quin impletio mandatorum fuerit causa potissima, sed demonstrare, quemadmodum, si peccata commiserint, pœnitentiam tamen egerint, eademque peccata, ut Daniel. quarto habetur eleemosynis redemerint, suaque perinde merita per gratiam Dei illis beneficentiæ muneribus auxerint: quippe quibus egregium amorem erga Deum, qui pauperum personam agebat, declarauerint. Et è conuerso reprobis omissionem operum misericordiæ improperans, non uult negare quin propter delicta mortalia in supplicium ignis mittantur,

Eleemosynarũ commendatio.

Pauperum cõmendatio.

tantur ostendere, sed quemadmodum peccata sua per pœnitentiam delere neglexerint. & per illos pœnitentiæ fructus amorem eius colere, ipsumque adeò sibi reconciliare.

¶Secunda causa, illius misericordiæ commemorationis, & quasi eadem est commẽdatio pauperum. Demonstrat enim Christus quanta ei cura sit pauperum, quantaque eius gratia per eleemosynarum beneficium concilietur: primum in hoc quòd in die iudicij nullam se habiturum memoriam expresserit aliorum mandatorum, aut consiliorum, aut sacramentorum, aut denique officiorum quàm benignitatis & largitatis in pauperes. Deinde, & in hoc præsertim, quòd non satis dixisse putauit, Quod uni de his fecistis pro me fecistis. Sed ingentissimæ emphasis gratia, quandiu fecistis, inquit, uni, de his fratribus meis mihi fecistis. Stupenda Dei clementia. Dum sederit in sede maiestatis suæ cum angelis Dei, tunc ut eleemosynarum merita eximio extollat honore, nihil cunctabitur se pauperem fuisse & egenum cõfiteri: nempe, qui in persona pauperis adiuuas esurierit nostras, illic plagas nobis ostenderit, & ærumnas cum rubore detexerit. Igitur quibus mendicus Christus, nobis in pauperibus præsens, uiscera aperire non suffecerit, eosdem saltem sufficiat uel ad illum inenarrabilem incitare honorem, quando coram angelis Dei confitebitur, se pauperem ab ipsis alitum, potatum, uestitum, uel illo maledicto absterreat, quando exprobraturus est illis seipsum mendicum, esurientem, & nudum, à suis ianuis abactum expulsumque fuisse.

Extollitur eleemosyna.

¶Ecce ergo secundum argumentum solutum. Antecessura enim est meritorũ: hoc est præceptorum mentalis examinatio sententiam. At uerò sententia, ut supra diximus fortè sono uocis propter causas iam relatas exprimetur.

Ad 3. arg.

¶Ad tertium denique respondetur, quòd quamuis nemo nisi propter peccatum uel originale uel mortale à regno sit excludendus, nihilominus quia potuit unusquisque illud per pœnitentiam delere, & per misericordiæ fructus extinguere, datur miseris improperio, quod eadem misericordiæ opera neglexerint.

Opera mi

¶Missa autem fecit opera misericordię spiritualia, eo quòd licèt sint ratione obiecti cumulatioris meriti, non sunt tamen tam omnibus nota quàm corporalia, neque ad tam multa hominum genera se extendũt. Non enim tam multi sunt, qui consilio, aut doctrina, aut correctione alios iuuare possint, neque tam frequentes, qui illis indigeant. Imò uerò (quæ potissima causa est) neque sunt illa auxilia tam necessaria. Illa quippe spiritualia opera, quæ ad salutem sunt homini necessaria usque adeò sunt cunctis peruia, ut quicunque possit, nisi sua culpa obstiterit, sibi sufficere, licèt ab alio non corripiatur, neque emendetur. Sed tamen corporalia subsidia nõ cunctis suppetunt: & ideo maiori obligatione ligant. Hoc autem examinare non est præsentis loci, sed illud admonere, ut timorem aduentus domini Christiana excultaque nobis uita adimat, eiusque amorem ingeneret. Ait enim Paulus. Coronam iustitiæ illis esse propositam, qui aduentum domini diligunt: nempe, qui non tam supplicia timent, quàm præstolantur præmia. Vnde ad Titum. 2. Sobriè & iustè & piè uiuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi.

sericordiæ spũa. missa.

Timoth. 4

DISTINCTIO QVADRAGESIMA OCTAVA, De purgatione & innouatione mundi.

Textus. Cap. 1.

POST hęc quẽ admodũ sitmũdus in sempiternum speciosior permansurus rimandum nobis superest. Enimuero cum non nisi in hominis obsequium conditus fuerit, quippe cui ut Genes. primo legitur dominium eius

Genes. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuerit conceſſum, conſentaneũ eſt diuinæque prouidentiæ cõdecens ut humano generi perpurgato, & per gloriam innouato, mundus quoque luſtretur, purgatusq; innouetur. Illud autem miniſterium ignis, qui eidem muneri accommodatam habet naturam exhibebit.

Pſalm. 49. *Vnde in Pſal. In conſpectu eius exardeſcet ignis, et in circuitu eius tempeſtas ualida. Atq; cũ duos ſit habiturus effectus, nempe & mũdum expiare, & damnatos cũ dæmonib. conuolutos in infernum obtrudere, prioremq; ante, poſteriorem uerò poſt iudicium, conſequẽs ſit, ut faciẽ iudicis ſit anteceſſurus. Vñ in alio Pſal. Dauid, Ignis añ ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Et Joelis. 2. Ante faciem eius ignis uorans, & poſt eum exurens flamma.*

Cap. 2. ¶ *Primũ igitur electos, quos uiuos repererit purgationis egentes, citiſſima morte perpurgabit: deinde elementa trianobis attigua, quæ nobis ſubinde uſui ſunt: nempe, terra, aqua & aer eodem igne conflagrantia expurgabuntur: ac perinde ignis, qui apud nos in aliena ardet materia. Hoc nos Petrus Apoſtolus docuit dicens, quod cæli, qui prius erant, & terra & aqua, aquarum inundatione perierunt. Vbi palam cælorum nomine, ut 20. lib. de ciui. Dei ait Augu. uentoſi aereique cæli intelliguntur, non ætherei cæleſtes. Quos ſubinde cælos, ait igni reſeruatos in diem iudicij. Ac demum de eiſdem ſubdit, quòd cum uenerit dies domini ut fur, cæli cũ magno impetu tranſibunt, & ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent, & opera nempe miſta, quę in terra ſunt, exurentur. Aſcẽdet ergo, ut inde colligitur ignis ille, ueluti aqua diluuij, cubitos quindecim ſuper montium cacumina: quare ad elementum ignis, quod purgatione non indiget, non pertinget. Tandem prolata ſententia iudicij complicatos cum dæmonibus miſeros homines in infernum rapiet.*

2. Petri. 3.

Au. l. 20. de ciu. Dei c. 28.

¶ Eiuſ-

Cap. 3. ¶ *Eiuſmodi ergo purgatione peracta ſpecioſior mundus innouatus permanebit: iuxta illud Apoca. 21. Vidi cælum nouum & terram nouam: primũ enim cęlũ et prima terra abijt. Vnde diuus Petrus nouos, inquit, cælos, & terram nouam ſecundum ipſius promiſſionem expectamus, in quibus iuſtitia inhabitet. Nempe ut ſecundum hominis gloriam, cuius gratia mundi machina fabricata eſt, mundus ipſe noua pulchritudine donetur. Et creatura quæ, ut ait ad Roma. Paul. reuelationem filiorum Dei expectat liberetur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ ipſorum.*

Apoc. 21.

Roma. 8.

¶ *Igitur cum cæli non in aliud moueantur officium, quàm ut humano generi propagando alẽdo q́ue ſeruiant, illa tunc neceſſitate ceſſante, à ſuo motu requieſcent, ut nec dies amplius noctes q́ue diſtinguant aut mẽſes & annos: lucem autẽ non amittent: imò iuxta uerbum Eſai. Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptemplici-*

ter: non autem diei & noctis uiciſſitudine. Ac perinde elementa ſuo ordine & gradu cælorum amœnitatem imitabuntur. Nempe, ut terræ ſuperficies, peruia ut uitrum ſit: aqua ſicut cryſtallus: aer ueluti cælum: ac deniq; ignis ceu luminaria cæli. Animalia uerò & mixta, quia ſuapte natura corruptibilia etiam in totum exiſtunt, non innouabũtur, ſed prorſus & ignis conflagratione, & cælorum motu ceſſante interibunt: ut quemadmodum homo, qui corpus ſeminat corruptibile in incorruptionem reſurget, ita cunctis corruptibilibus peremptis ſoli cæli, qui ſuapte natura incorruptibiles ſint, atque elementa quæ in totum non ſunt corruptioni ſubiecta, perſeuerent.

DISTINCTIONIS QVAdrageſimæoctauæ, Quæſtio prima. De igne conflagrationis, & eius effectibus.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm aliqua ſit futura mundi purgatio per ignem.

AD tractatum iudicij pertinet mundi purgationem, & innouationē, quæ post diē illum in æternum est permansura speculari. Quare præsens distinctio duas habebit quæstiones, unam de purgatione mundi, atque alteram de eius innouatione. ¶Quæritur ergo primum utrum mundus sit per ignem purgandus. Et arguitur à parte negatiua. Partis negatiuæ argum. 1. Purgatio rei uel ab eo fit quod impurum suæq; naturæ commistum habet, ut expurgatur aurum: uel secundum diuinam iustitiam, ad abstergendum culpæ sordes: cui muneri locus purgatorij destinatus est: at uerò in elementis huius mundi nil immundum commistum est, iuxta illud Actu. 10. Quod Deus creauit, tu ne commune (id est immundum) dixeris: neque in rebus in animis ulla existere potest culpa: ergo neque ulla indigent purgatione. 2. Arg. ¶Secundò arguitur, quòd etiam si mundus sit purgandus, id non sit per ignem faciendum: tum quòd aqua non minoris uirtutis est ad purgandū quàm ignis, imò plura aqua quàm igne permundantur. Et prima mundi emundatio per diluuij inundationem facta fuit: tū etiam quòd si per ignem mundus purgaretur, ille esset eiusdem speciei cum elemento ignis: hoc autem inde apparet falsum, quòd omnia quatuor elementa illo sunt igne consumenda, ut 2. Petri. 3. illo uerbo secundum glossam significatur. Cæli ardētes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent: ignis autem non potest se ipsum concremare. Pars affirmatiua. ¶In contrarium est illud. 2. Pet. 3. Aduenient dies domini, ut fur in quo cœli magno impetu transient, elementa uerò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur. 1. Conclu. ¶Quæstio hæc quatuor conclusiones quæ argumētis propositis insinuantur exposcit. Prima. Mundus in die iudicij purgandus est. Conclusio hæc, quanuis sub his terminis in sacra pagina non inueniatur expressa, sic tamen ex illa colligitur ut sit ceu catholica susciptenda. Legitur enim Apocal. 21. Vidi cælum nouum, & terram nouam. Primū enim cælum & prima terra abijt, & mare iam non est. Et loquitur de ultima mundi consummatione: omnis autem rei innouatio, per aliquam fit purgationem: ut in metallorū purificatione conspicitur. Cui alludit Pau. 1. Corinth. 7. ubi ait. Præterit figura huius mundi. Præterire nanque figuram est per purgationem immutari. ¶Ratio uerò conclusionis sic colligitur. Mundus propter hominem conditus est, nam ut Aristot. 2. Physi. habet licèt mundum factum negauerit, cognouit tamen esse propter hominem. Vnde Gen. 1. post mundi fabricationem ait dominus. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & uolatilibus cæli, & bestijs &c. Et psal. 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Locus autem debet locatò proportionari: ergo quando homo secundum corpus est ad statum gloriæ assumendus, condecet, ut & mundi corpora in statum meliorem mutentur, ut scilicet, locus conueniētior sit ad gloriam, & aspectu pulchrior. Immundities autem quæ hominis gloriam impedit, est culpa. Nam ut 1. Corin. 15. ait Paulus corruptio incorruptelā non possidebit Et Apocal. ulti. in ingressu ciuitatis gloriæ, foris inquit, manent uenefici, impudici, homicidæ &c. Quare homines quousque & ab omni culpa, & ab omni reatu pœnæ inde relictæ purgentur, gloriam non possidebunt. Creaturæ uerò corporales homine inferiores, quanuis res nō sint, quæ culpa sic inficī possint, ut eā committant, tamē quatenus sunt in homine seruitium, quandam incongruitatem atq; indecentiam ex eorum culpis contrahunt: qua ideo indecentia, & sordibus expurgari debent, ut gloriæ fulgore resplendeant: quemadmodum basilicæ dum aliqua fœditate polluuntur, non sunt sacris faciendis idoneæ, quousq; lustrentur. Res uerò quæ hominibus delinquētibus seruiūt, ac perinde eorum delictis contaminantur, sunt mixta, & elementa, quæ generationibus, atq; alijs humanis usibus polluuntur, sunt ergo omnia elementa purganda: nā mixta omnia peribunt. ¶Hanc ueritatem Paul. Roma. 8. quem locum illic locupletius enarrauimus, edisserit. Etenim postquā gloriam quæ reuelabitur in nobis longè passiones nostras superaturam adstruxit, subiunxit. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non uolens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quo loco, ut bene ait Chrysostom. Omnem corpoream creaturam designauit, Ratio conclusionis. Roma. 8.

uit, quæ cum in seruitium hominis condita fuerit, cui si in originali iustitia perstitisset, absque aliqua turpitudine inseruiret, postquam ab eadem iustitia per præuaricationem diuini mandati homo cecidit, duplici uanitati subiecta fuit non uolens. Primæ. s. quia terra cœpit tribulis spinetisque & id genus herbarum nocumentis syluescere, aerq; nobis esse inclemens, & animalia nobis esse infesta, omnisq; perinde creatura nobis cœpit mortem intentare, quā ante peccatum posset homo non experiri. Et quia uanum est, quod suo frustratur fine, dictus est homo, ac perinde omnis creatura illi uanitati humanę mortis subiecta, non uolens, quia non fuit illa eius primæua institutio. Sed & alteri peiori uanitati, nempe culpæ, ab illo usq; peccati momento subiectus fuit mundus, quia homini in suis patrādis sceleribus inseruit. Lux quippe solis, ei seruit, ut illa uideat quæ ipsum turpiter alliciant: seruit & noctis umbra, ut impudenter eadem perpetret: seruiunt & elementa quæ fructus ei proferunt, atque alia temporalia bona quibus ad ambitionem, luxum, atque alia id genus flagitia & scelera utatur. Est autem creatura illi seruitio subiecta, propter eum (scilicet Deum) qui subiecit eam in spe: id est, qui iussit rebus huius mundi, ut homini ad nutum seruirent, quousque in eiusdem mundi innouatione ab hac seruitute liberarentur. Hæc ergo ratio futura est compurgationis mundi, ut deinceps innouatus permaneat, statuique gloriæ sit idoneus. Quomodo autem purgabitur, articulus sequens declarabit. Nam sunt elementa à mixtione depuranda, & à contagione per humanos usus contracta expianda.

¶Primum igitur argumentum partim solutum restat. Nam etsi per se elementa non sint culpæ subiecta, ex hominum tamen flagitijs quodammodo contaminantur. Et ad priorem partem respondetur, eo pacto nullam esse creaturam immundam: quo Manichæi dicebant, bonum & malum esse duas substantias, alterum à bono, alterumque à malo Deo creatas, & in unaquaque re permixtas: in quo sensu illud allegatum intelligitur Actuum. 10. Nihilominus elementum quod sua natura est purum habet quandiu generationes durant, aliquid admixtum extraneæ, & peregrinæ naturæ, à qua debet purificari & defecari, ut arti. proximo monstrabitur. 2. Conclu. ¶Secunda conclusio. Purgatio illa facienda est per ignem. Probatur primo ex illo psalm. 49. Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas ualida. Et quòd loquatur de extremo iudicio probant & præcedentia, & subsequentia uerba. Ait quippe, Deus manifestè ueniet, id est, non occulte sicut in primo aduentu. Ignis in conspectu eius exardescet &c. Ad uocauit cælum de sursum (hoc est, ut angeli & animæ de superno cælo descendāt) & terram decernere populum suum: id est, ut iudicet populum suum. Quanuis August. 20. lib. de ciuita. Dei. cap. 2. non legat nisi. Aduocauit cælum sursum, id est, ut sursum ascendat. Quare nomine cæli intelligit iustos, qui, ut ait Paulus ascensuri sunt Christo obuiam in aera. Et nomine terræ intelligit damnatos. Sed prior lectio congruentior est. Et super illud. 1. Corint. 7. Præterit figura huius mundi, ait August. 20. de ciuita. Dei cap. 16. Pulchritudo huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit. Sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuij. Et subdit inferius. Vt scilicet, mundus in melius innouatus, apertè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis. Et. 2. Pet. tertio. Mundus inquit, aqua innundatus perijt: cæli autem, qui nunc sunt & terra eodem uerbo (hoc est eadem sententia) repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis hominum. Et subiungit uerba illa quæ iam supra citata sunt: scilicet, quòd elementa & cæli ardentes soluentur. Nouos autem cælos & nouam terram & promissa expectamus in quibus iustitia habitat.

¶Ratio autem conclusionis ex effectu & modo quo ignis purgabitur sumitur. Tria enim sunt, ad illam mundi purgationem pertinentia: nempe expurgatio ab illa indignitate, & ut sic loquamur irregularitate: qua mundus per humana delicta infectus est, ut idoneus maneat beatorum gloriæ. Mox purificatio & defecatio elementorum ab impuritate & commixtione aliarum rerum, ac denique dispositio ad gloriæ perfectionem. His autem operibus perficiendis aptissimus est ignis. Primum pp suam nobilitatē, qa est qualitatibus gloriæ similimus, præsertim in luce. Atq; hac ratione accōmodatus est Ratio conclusionis.

ad abstergendas sordes ex delictis humanis relictas: ut sicut ignis purgatorij pœnas peccatorum delet: sic & reliquias illorum in elementis admistis ille ignis extinguat, & mundum suo creatori conciliet. Secundò propter suam puritatem: quoniã ob eximiam efficaciam actiuæ suæ uirtutis, nullam extranei permixtionem admittit, sed citissimè illud absumit. Qua præterea uirtute potẽtissimus est impuritatem elementorum extrahere. Nam ut. 2. de generatex. 8. autor est Philoso. calidum cõgregat homogenea, hoc est similia, ab æterogeneis ea segregando. Est quippe ad rarefaciendum & extenuandum efficacissimus. Qua utique ratione metalla per ignem excolantur. Tertiò ignis dignitas est, quòd inter elementa à nostris est usibus semotissimus: qua de causa minimè inter omnia ipsis inficitur. Quartò, quia purgatio illa citissimè facienda est: non sicut pristina quæ per aquas diluuij quadraginta diebus durauit, ignis autem uelocissimæ actiuitatis est.

¶Deinde & propter alterum eius effectũ, qui est damnatos in infernum rapere, non potuit aliud organum ad illam exequendam sententiam commodius assumi: quãdoquidem igneis cruciatibus sunt perpetuò torquendi. Præterea, quia eodem igne illi iusti, qui aliquid pœnarum habebunt purgandum expurgabuntur, ut articu. proximo explicabitur. Adde quòd & ad maiestatem iudicis efferendam, splendoremque gloriæ iustis, terroremque inferni iniquis repræsentandum apta est ignis demonstratio. ¶Ad secundum igitur argumentum respondetur, quòd quanuis aqua aptior sit ad sordes abluendas, non tamen ad eorum purificationem, quæ de extraneis naturis sunt commixta. Ob idque cum sub ætatem Noe, non fuisset orbis postrema expurgatione innouandus, sed tantum à peccatorum sordibus, & præsertim à carnalib. flagitijs, quib. tunc mundus potissimum sordebat, expiandus, aquarum officio mũdatus fuit, illo flagitiorum ardore restincto: instar quodammodo baptismi quo peccata suffocantur. Et quemadmodum in mari rubro submersi fuerunt Aegyptij: & ueluti in antiqua lege panni & uasa quæ sine sui consumptione mundari per ignem nequiuerant, aqua abluebantur. In die autem iudicij expurgandus est mundus non modo ab infectione peccati, uerùm & à commixtione & impuritate elementorum per separationem alienæ naturæ quam habent admixtam. Cui quidem negotio accommodatissimus est ignis, quo liquescunt, excolanturq; metalla: præterea ut proximè dicebamus, tum & damnatorum supplicio, tũ & iustorum gloriæ similis. Præterquàm ꝙ tunc propter nimiam cupiditatem, & prorium amorẽ refrigesceret charitas, ut Matth. 24. legitur, cuius frigoris antidotum est ignis. ¶Ad secundã uerò partẽ eiusdẽ argumẽti rñdetur, ꝙ ignis, qui purgatiõe tunc indigebit, est ille, qui in nostros uenit usus: qui quidem est in aliena materia, puta in carbone & flãma, cuius esca & fomentũ est lignũ, & aer: qui ideo ignis poterit ab his alienis materijs, per illũ alium purissimum expurgari. Ligna. n. & aer, & omnia, illo conflagrabunt igne. Quare non fit consequens, ut ille se ipsũm aut purificet, aut consummat. ¶Quòd si rursus arguas. In prima mundi fabrica rerum distinctio & segregatio non fuit per aliquod corporeum instrumẽtum facta, sed à Deo ipso immediatè. Vnde illa forte philosophorum dimanauit opinio, qua fuit Anaxagoras imbutus: nempe, quòd rerum segregatio esset actus diuinæ mentis: ergo eodem non condecet, ut illa elementorũ purificatio per segregationem fiat à solo Deo. Negatur consequentia. Qm̃ illa prima rerum distinctio fuit per productionẽ formarum in distinctis materijs, qua solus Deus, ut autor naturæ producere tunc potuit, cùm non essent alia agentia quę sibi similia gignerent. Purificatio uerò elementorum in fine mundi, erit rerum reductio ad illam puritatem in qua conditæ sunt. Ad quod opus perficiendum poterit ignis Deo ministerium exhibere.

¶Tertia conclusio. Ignis ille erit eiusdem speciei cum elementari & nostro. De hac enim re tres circunferuntur opiniones. Prima fuit quòd elementum ipsum in illud sit tunc officium descensurum. Non quòd locum suum debeat uacuum relinquere, quia hoc rerum naturæ aduersatur sed quòd per combustionem aeris multiplicabitur usque ad terram propter excrescentem tunc eius uirtutem. Pugnare autẽ cũ hac opinione uidetur testimoniũ Petri, insinuãtis, quòd quãtũ aqua ascendit

Sol. 2. arg.

Inundatio diluuij.

Aliud arg.

Responsio.

Tertia cõclusio.

Prima opinio.

dit mundum emundans tantum sit ignis ille ascensurus: unde Doctores colligunt prope nos fore generandum. ¶Et ideo alij cogitant ignem illum uehementibus solis radijs in nubes densas congestis progignendum: quemadmodum in speculo eorum reuerberatione solet ignis accendi. Verunta men neque opinio hæc cõueniens est: quoniam tam ingens radiorum congestio nequiret, nisi ex certo situ & aspectu astrorũ fieri: qui ideo aspectus & situs posset astrologis esse compertus: cum tamen prorsus sit ignotus quia non erit nisi supernaturalis, ueluti cætera quæ illa die sunt euẽtura. ¶Rei ergo ueritas est quam D. Petrus insinuare & Aug. loco proximè citato explicare uidetur: nempe, quòd eiusmodi ignis sit ueluti olim diluuium futurus. Aquæ uerò diluuij per causas fuerunt naturales genitæ: sed tamen causæ illæ uirtute supernaturali Dei fuerunt coadunatæ. Fecit enim Deus, ut uniuersæ causæ aquarum genitrices, tam cœlestes quam terrenæ tunc præter suum naturalem ordinem coirent. Simili ergo modo uniuersæ causæ quæ sunt caloris igniſque effectrices, tam quæ in cælo quam quę in terra existunt, conuenient ad inflammandum omnia quæ possunt esse ignis materia. Quocirca ignis ille, ut genituram habebit supernaturalem, ita, & eadem uirtute erit purissimus, atque adeò reliquis rebus expurgandis aptissimus.

Probatio conclusio.

¶Hinc ergo colligitur nostra conclusio. Ignis enim ex quacunque materia genitus, eandem tamen speciem seruat: ut patet in igne ex radijs solaribus prolato, qui eiusdem speciei est acsi ab altero generetur igne, & uterque eiusdem speciei est cũ elemento. Nisi quòd iste quo nos utimur ratione crassioris materiæ non est tam purus. ¶Atqui per hæc liquet argumenti solutio quod supra insinuauimus, scilicet, ꝙ cum omnia elementa, etiam ignis purgandа sint, non fit purgatio facienda per ignẽ. Respondetur, inquam, quòd ille ignis tanquam uehementior & purior purgabit ignem, qui nobis est usui: experimur enim ardentem facem admotam exiguæ candelæ illam extinguere: quia aerem quo eius flamma nutritur, ocyus consumit Elementum uerò ignis nil habet admixtum extraneum, quod sit purgãdum, ut articulo proximo uidebimus.

¶Veruntamen aliud existit fortius argumentum. Virtus iudicat rei naturam: uirtus autem illa diuersa apparebit à uirtute ignis elementarij & nostri, quia mundum: nempe, aquam terram & aerem purificabit, quod facere nequibit noster ignis. Litera responsionis huius apud Thom. mendosa est, ubi legitur non esse inconueniẽs, quòd ignis ille sit alterius speciei: cuius contrarium & in quæstio. docuit & in responsione ad 1. Legendum ergo quòd uirtus illius ignis, cum sit supernaturalis specie differet à uirtute ignis nostri & elementi, licèt ignes ipsi omnes sint eiusdem speciei. Et ideo quia uirtus illa non fluet ex principijs substantiæ ipsius ignis non indicabit naturam eiusdem ignis: qui eiusdem speciei est cum nostro: si quidem illa uirtus ampliorem effectum habebit: adeò ut sit admirabilis quemadmodum inundatio diluuij. Quapropter non solum ascendet secundum naturam ignis sed circumquaque inserpet sequendo combustibilem materiam: ueluti in igne totam inflammante, aut domum aut siluam conspicimus.

Vera responsio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ignis ille ante iudicium ueniet.

QVæritur subinde de aduentu illius ignis, præcedet ne an uerò subsequetur iudicium. Et arguitur, quòd nõ præcedet. Deus enim dicitur orbem per ignem iudicaturus: ergo executio sententiæ erit ut impetu illius dãnati cum dæmonibus rapiantur in infernum, atque adeo erit iudiciũ subsecuturus.

Partis negatiuæ ar. primum.

¶Secundò arguitur. Si esset antecessurus, nulli in aduentu domini reperirentur uiui: quia omnes concremaret: contra illud Apostо. 1. ad Thessa. 4. Nos qui uiuimus &c. rapiemur obuiam Christo in aera.

2. Arg.

¶Tertiò arguitur. Si ueniret ante iudiciũ illud in medio eiusdem ignis celebraretur, quo fieret, ut sanctorum corpora cum corporibus dannatorum tunc arderent.

3. Arg.

¶In contrarium est illud psal. 96. ignis ante ipsum præcedet.

Pars affirmatiua. Conclusio

¶Ad quæstionem unica conclusione respondetur. Ignis ille iudicium præueniet: nempe faciem aduenientis iudicis antecedens, ut in psalm. citato ait Dauid. Et in alio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

alio. Ignis in conſpectu eius exardeſcet. Et Ioelis, 2. Ante faciem eius ignis uorãs. Ratio autem concluſionis eſt quòd ignis illius duo erunt effectus. Vnus mundi purgatio, atque alter complicatio damnatorum in infernum. Primus autem antecedet iudicium & ſecundus ſubſequetur ſententiam iudicis: quia erit eiuſdem ſnĩæ executio: fit ergo conſequens, ut iudicem antecedat. Quòd autẽ prior effectus prẽueniet iudicium, probatur. Reſurrectio mortuorum prẽcedet iudicium: nam ut 1. Theſſ. 4. ait Apoſtolus, illi qui tunc reperientur uiui, rapientur obuiam uenienti Chriſto, atque adeò iam tũc mortui erũt & excitati. Beati uerò reſurgent in gloria itaq; terminus & finis reſurrectionis erit gloria animarũ & corporum. Iuxta illud. 1. ad Cor. 15. ſeminat̃ in ignobilitate ſurget in gloria: ergo in illo temporis articulo innouabitur mundus: quandoquidem innouatio illa fit propter hominum innouationem: nimirum, ut quemadmodũ ait loco ſupra citato Aug. nouus mundus innouato homini ſeruiat. Quod uerbo illo Pau. ad Rom. 8. confirmatur. Ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei. Igitur cũm orbis conflagratio ad eius expiationem & innouationem referatur, fit ut ſubito ante iudicium ſit futura. ¶ Veritas hæc prætera hinc colligitur quòd in momento reſurrectionis, ut ſupra diximus ceſſabit tẽpus ac proinde cæli motus, quæ quidẽ ceſſatio ad eandẽ mũdi innouationẽ ſpectat ¶ Auguſt. uerò loco citato lib. 20. de ciui. Dei recenſens illa quæ tunc contingent, conflagrationem mundi poſt iudicium cõnumerat: imò poſt miſſos damnatos in ignem æternum: non tamen cogitabat eo ordine illa referre, quo ſunt euentura. Et ideo ſubdit. Quæ omnia quidem uentura eſſe credendum eſt: quib. autem modis & quo ordine ueniant, magis tunc rerũ experientia docebit, quàm nunc ad perfectũ hominis intelligentia ualeat conſequi.

Ratio. 1.

2. Ratio.

3. Ratio.

Auguſt.

Solut. argumentorũ.

¶ Primũ igitur argumentũ ſolutũ eſt: quoniam ſolum probat quòd ille ignis aliquẽ ſit effectum poſt iudicium habiturus. Cæterùm circa ſolutionẽ ſecundi & tertij adnotandum quòd ignis ille in illo momento quo reſurrectionem antecedet, uirtutẽ naturalem exercebit in omnes quos uiuos repererit, tã probos quàm reprobos uniuerſos in cineres reſoluendo. Quapropter opinio tenentium quòd iuſti tunc uiui non morientur, ſuſtineri nequit, niſi dicendo quòd Deus uirtutem illius ergà prædeſtinatos ſuſpendet, quòd non eſt uero ſimile. At uerò quamuis omnes hac ratione interficiat cum aliquo tamen diſcrimine. Iniquos nanque exurendo cruciabit: electos uerò ſi qui tunc inueniantur, qui nihil prorſus purgãdum habeant, nullum ut ait hic D. Tho. & Doctores in illa combuſtione habebunt doloris ſenſum, Deo ſic ſua uirtute diſponente: quia nulla eſt ratio cur crucientur. ¶ Sed profectò hoc non eſt dictu neceſſarium. Etenim cũ mors illa ſit per cauſam naturalem futura, non eſt cur non habeat ſuum doloris effectum: quandoquidem aduenient uiatorib. in termino uiæ ſicut martyres in hac uita habent, & ſanctiſſimi uiri ſi comburantur. Et ſicuti illi ſancti ſi areſcẽtes præ timore, ut ait Lucas, exanimarentur: ſentirent mortis aculeum. Auguſt. nanque libr. 20. de ciui. Dei cap. 18. dicens, quod ille ignis nil tunc nocebit iuſtis, intelligit poſtquàm reſurrexerint. At qui uoluerit dicere, quòd præſeruabuntur à dolore, ſuluti tres pueri in camino ignis, cum probabilitate loquetur. Ricard. diſt. præſenti arbitratur illos, qui uiui reperientur non eſſe ab illo igne interficiendos, ſed morituros propter ceſſationem cæleſtis motus quàm putat illi igni anteceſſuram. Sed profectò opinio non uidetur ueritati germana, quoniam motus & tempus non ceſſabunt, ut ſupra diximus niſi in momento quo angeli officium abſoluent colligendi cineres: quare iam omnes erunt per ignẽ in cineres reſoluti. ¶ Iuſti autem qui aliquid habebunt purgandum, cruciabuntur illo igne non ſolum in obitu, uerum ſecũdũ animas in illo perexiguo tẽpore quo erunt mortui. Cruciabuntur inquã, ueluti in purgatorio plus minus ve pro qualitate & quantitate pœnarũ quarũ rei ſunt ut Aug. & patres docẽt. ¶ Quod ſi redarguas mors illa non niſi tantillum temporis tenebit animas à corporib. ſeparatas: quomodo ergo tã citò purgari poterunt oẽs? ¶ Reſpõdetur triplicẽ eſſe cãm. Prima eſt quòd terrorib. & perſecutionib. præcedentib. adeò erũt electi purgati, ut perparum eis fiat reliquũ expurgandũ. Secunda quia cũ uiui & ultronei illam inflictam mortẽ patiantur, permultum erit eis ſatisfactoria. Veluti de Cypriano martyre ait Aug. quòd paſſionis falce fuit citiſſimè perpurgatus. Tertia deniq; cauſa eſt quòd tormẽtum illud tanto erit intenſione truculentius, quanto minus protenſum. ¶ Per hæc ergo ſolutum reſtat argumentũ ſecundũ. Intelligit. n. Paulus aliquos tunc uiuos reperiendos dum ignis aduenerit: quo conſumpti reſurgent, aſſurgentq; obuiã Chriſto. ¶ Ad tertium uerò reſpondetur, quòd ignis ille ſtatim poſt reſurrectionẽ uirtutem exercebit ſupernaturalem, qua ideo damnatos in ſuis corporibus cruciabit, electis uerò nullatenus nocebit. Ob idque hanc inter alias ſuperiori diſt. cauſam adduximus, cur in ipſo reſurrectionis articulo fiet ſeparatio, ut iniqui reſurgant ad ſiniſtram, iuſti uerò ad dextram. Quapropter licèt omnes ſint in igne, alij tamẽ ar debunt: alij uerò, minimè. Tametſi Aug. loco citato. c. 18. hæſitando dixerit, quòd fortè iuſti altiùs erunt in aera ſubleuati quàm ut poſſit ignis ille illos attingere. Sed non eſt neceſſarium.

Diſcrimen inter probos & reprobos.

Adnotatio autoris.

Iuſtorum purgatio.

Sol. 2. arg.

Sol. 3. arg.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm ignis ille & cælos & omnia elementa perpurgabit.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

Sol. 3. arg.

Sol. 4. arg.

Sol. 5. arg.

Sol. 6. arg.

Sol. 7. arg.

Sol. 8. arg.

Sol. 9. arg.

Sol. 10. arg.

Sol. 11. arg.

Sol. 12. arg.

Sol. 13. arg.

Sol.

nem aeris,in qua significatione dicitur cę li pluuia,& rorare cęlos. Et ideo dicens quòd cæli igni reseruati sunt in diem iudicij,eundem aerem designauit:& ubi sub iungit arsuros cælos.

2.Conclu. ¶Secunda conclusio. Tria elementa,nempe terra aqua & aer citra sui corruptionē ignis conflagratione in sua substantia permanentia purgabuntur. Quo autem conclusio intellectu percipiatur,duæ sunt differendæ de hac re opiniones. Prior illorum,qui arbitrati sunt,omnia quidem elementa suam retentura materiam, mutanda uerò quātum ad imperfectionem, diuersimode tamen. Quoniam duo eorū, nimirum aerem & terram aiebant suas cō seruatura formas substantiales, alienis naturis,quæ sibi commiscentur,abiectis. Sed ignis & terra,ut putabant in formam cæli transibunt:quoniam ignem propter suam lucem,& aquam propter suam diaphanitatem,facilè censebant posse in cælestes substantias transformari. Qua utique ratione fieret,ut nō nisi cælum & terra permanerent. Nam aer, licèt suam retineat formam,cælum tamen nuncupatur. Hanc sibi opinionem illo uerbo persuadebant Apoca.21. Vidi cælum nouum & terram nouam. Vbi duntaxat cælum & terrā permansura notantur.

Reprobatio opinionis. ¶Est tamen opinio, & rei Physicæ,& Theologicæ omnino dissona: quoniam neque cælum corruptibile est aut generabile,cum non habeat contrarium, neque elementorum materia potentiā habet cæ lestem formam suscipiendi. Item cum Ioan.loco citato & secundum eum Aug. nos doceant totum mundum in cælis & elementis innouandum,consequens fit ut debeant elementa secundum substantiā cum suis formis perdurare. Quare super uerbum Pauli.præterit figura huius mundi,non ait Augu.quod substantia, sed q pulchritudo eius peribit. Adde quod cum mundus sit tunc purgandus per ignem,sicuti olim per aquam,fit ut sicut tunc omnia elementa seruata fuere, ita & in fine mundi salua consistant.

¶Præterea totus orbis debet permanere perfectus,duobus tamen elementis secundum substantiam de medio sublatis, non esset perfectus,sed truncus. Iam denique absurdum est in loco aquæ uerum esse cę lum & ipsi eminere sursum aerem, sy retinentem formam.

¶Ioannes ergo in Apoca.nomine terræ quicquid sub orbe lunæ continetur comprehendit. Veluti Gene. 1. In principio creauit Deus cælum & terram. Et in psal. Laudate dominum de terra,Ignis grando nix glacies &c.

Secunda opinio. ¶Posterior opinio,aliorum fuit, qui aiebant.quatuor elementa secundum substā tiam permansura,remouendas tamen esse qualitates ab illis actiuas & passiuas. Et adducebantur uerbis Aug.20. de ciuit.ca. 16.ubi ait conflagratione mundana elementorum corruptibiliū qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilius conueniebant,interrituras.

Reprobatio opinionis. ¶Veruntamen neque hæc opinio cum ueritate conuenit:quoniam cum tunc elementa sint perficienda,nihil quod ad eorum perfectionem & naturam attinet,amittent:qualitates uerò illæ quatuor sunt propriè elementorum passiones, eorum naturalibus principijs ingenitæ, atque adeò ad eorum secundam perfectionem pertinentes,ueluti risibile conuenit homini:quapropter elementa persistentibus eorum substantijs,nequeunt illis qualitatibus denudari. Cuius nobis testimonium perhibet aqua quæ quantocunque calore ferueat,dum fuerit ab igne semota se ipsam in suam natiuam frigiditatem reducit.

Probatio conclusionis. ¶His ergo opinionibus depulsis consequens fit nostra conclusio:nempe, quòd elementa & in suis substantijs & cum suis qualitatibus perdurabunt: expurgabuntur tamen ab alienis naturis quæ fuerint cum ipsis commistę. Videlicet ab impuritate,quam per mutuam actionem & passionem contraxerant:utpote per uapores & exhalationes,perque rigorem æstus & frigoris. Cessante enim motu cæli, omnia illa cessabunt. Atque hic est sensus August. dicentis qualitates illas penitus interituras.

¶Purgabunturq; per eundem ignem ab impuritate & infectione nostrorum delectorum. Hæc autem purgatio nil aliud erit quàm quædam per illum ignem reconciliatio,ut Deo hominē reconciliato, mūdus etiam sit ei gratus, atque adeò statui beatorum idoneus. Quemadmodum quæ immunda sunt aqua & igne & hysopo lustrantur,ut antiquitus uasa & nunc uiolata

lata templa. ¶Ad secundum igitur argumentum respondetur quòd dicuntur elementa absumēda propterea quòd aliquo modo purgabuntur. Ait uerò Beda quòd duo ex toto consumentur. Non quod secundum substantiam sint corrumpenda, sed quòd cum sint plus alienis substantijs permista,penitius sunt purificanda. Hęc autem quidam dicunt esse ignem & aqua quæ qualitatibus actiuis: scilicet, calore & frigore reliqua exuperant. Etenim cum actiones istæ tunc sint penitus cessaturæ, dicuntur illa elementa prorsus consumenda. Sed alij dicunt esse aquam & aerē pro pter uarios motus & impressiones cælestes,quibus prę alijs elementis alterantur ut patet in fluxu & refluxu maris & in uētorum commotionibus. Et hæc opinio uerisimilior est: quoniam elementum ignis, nullas habet fæces quibus emundetur. Quanuis & terra profectò cum in centro subsideat,ubi tam crebro generationes & corruptiones fiunt,non minus quàm reliqua elementa purgatione indigebit.

Solutio. ¶Similiter respondetur ad illud Apocal. 21.primum cælum & prima terra abijt & iam mare non est. Vbi cęlum quia compo nitur non solum cum terra sed etiam cum aqua uidetur usurpare pro aere,ut loco citato ait Aug. Respondetur,inquam, quòd solum signatur eorum innouatio.

¶Sed aliter forsan quis de illa purgatione sic ambigat. Natura ignis est materiam quæ ei admouetur prorsus corrumpere & in suam substantiam conuertere: ergo nō poterit res aliter mundare, quàm illas in cineres aut in se ipsum transformando. Et confirmatur. Elementa tunc sunt in nobilissimum statum efferenda: ignis autē est omnium nobilissimus, & reliqua possunt in illum conuerti:ergo ita fiet.

¶Respondetur ad primum,quòd ignis ille aget,ut instrumentum diuinæ uirtutis & prouidentiæ. Et ideo non aget usque ad elementorum consumptionem sed usque ad purificationem. Præsertim cùm neque uirtute naturali quicquid purificat consumet, ut in metallorum eliquatione & purificatione experientia docet.

¶Ad secundum uerò respondetur elemēta esse perficienda:res autem dum corrūpitur non perficitur: quia non est superstes. Præterquam quòd sunt perficiendæ non in se tantum,sed ueluti mundi partes,qui uno elemento extincto, imperfectus esset.

3.Conclu. ¶Tertia conclusio. Ad elementum ignis in suo proprio loco existentes ille purgatorius ignis non pertinget. Non defuerūt qui huic conclusioni aduersarētur, astruētes illum ignem usq; ad summitatem quatuor elementorum ascensum ire: nam D. Petrus absque exceptione ait quòd eius ardore elementa contabescent. Nihilominus probatur conclusio autoritate eiusdē apostoli & interpretamento. Aug.lib.2. de ciui.c.18. Conferunt enim purgationē finis mundi cum illa quæ per diluuium facta fuit: igitur cum illæ tunc aquæ non ascenderint nisi cubitis quindecim super montium cacumina, ut Gen. 7. refertur, fit ut neque ignis ille altiùs sit progressurus,ut ait glo. super illud 2. Thess. 1. In flāma ignis dantis uindictam,quam magist. sent. & theologi amplexi sunt.

Ratio conclusionis. ¶Præterea & ratione id comprobatur: quoniam elementum ignis,ut supra diximus, non habet permixtiones aliquas à quibus purgetur,& à nostris usibus & iniquitatibus remotissimum est:elementa ergo lustranda & emundanda sunt terra aqua & aer usque ad mediam regionem, quæ nomen sortitur cæli: hæc enim & eiusmodi commixtionibus subiecta sunt, & nostris usibus polluuntur. Vnde Petrus Apo.cum nomine ardentium cælorum aerem intellexerit,fit ut subiuncta elementorum appellatione quæ eodem calore tabescent,duo inferiora subinde designauerit. unde Aug.eodem loco cælos,inquit ardentes Petrus istos imos aereos, non illos supremos æthereos appellat. Quocirca loco citato Apocal. non fit nisi tantum commemoratio. s. cæli terræ & maris: ignis.n. non nisi existens in aliena materia apud nos purgabitur.

4.Conclu. ¶Quarta conclusio. Mixta non purgabūtur,sed cuncta illo igne consumentur. Enimuerò quanuis cessante cælorum motu generationes cessabunt, nihilominus tamen mixta quæ tunc genita erunt, & plātæ,metalla,& saxa,atque id genus reliqua non illico deperirent,nisi illo igni cūcta cum animalibus inflammante absumerentur. ¶Ad tertium igitur argumentum Sol.3.arg concedituir infernum non esse purgandū, imò erit omnium purgamentorum sentina,quo ignis ille cuncta conijciet. De paradiso

radiso autem terrestri quem in li. 12. senten. dist. 17. Magist. sent. & reliqui Bedam & Strabonem secuti aiunt esse in loco eminentissimo sub æquinoctiali, quò aquæ diluuij non ascenderunt, dicendum subinde est, neque purgatorium ignem illuc usque euolaturum. At uerò quanuis necessarium sit dicere, contra quàm Origenes sensit, paradisi locũ fuisse in terra arboribus consitum: tamen quòd modo sit sub æquinoctiali superstes, non usque adeò certũ est. Etenim cum iam per omnem uentum totum pelagus fuerit tranatum, neque talis fuerit repertus locus, in dubium uertitur ubi nam fuerit. Fortasse fuit in terra, quæ post fuit promissionis. Nil ergo de hoc hic definitur, nec de loco ubi Elias & Enoch latitant.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm ignis ille inuoluet reprobos in infernum.

SEcundus effectus, qui illi adscribitur igni, est damnatos in infernum post latam sententiam rapere. Et ideo quæritur utrùm hoc uerum sit.

Partis negatiuæ argu. 1. Et arguitur à parte negatiua. Super illud Malachi. 3. purgauit filios Leui, ait glossa. Duos ignes legimus futuros: unũ quo purgabit electos, & præcedet iudicium: alterum, qui reprobos cruciabit. Hic autẽ est ignis inferni, qui ut habetur Matth. 25. ab initio paratus est diabolo & angelis eius: ergo conuoluere damnatos non erit illius ignis, quia ille non fuit ab initio: sed alter, qui animas nunc cum dæmonibus cruciat.

2. Argum. ¶Secundò. Ignis ille purgatorius erit instrumentum Dei honorificum, quippe qui eius uirtute mundũ perpurgabit: ergo non

Pars affirmatiua. est cum infernali commiscendus. ¶In contrarium illud est citati psalmi. 96. Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu inimicos eius.

Conclu. ¶Ad quæstionem breuissimè conclusione affirmatiua respõdetur. Ignis ille, lata sententia iudicij, protinus damnatos corripiet, & conuolutos in infernum obtrudet. Propterea nanque in altero psalm. 49. dicitur in conspectu eius ignis exardescet & in circuitu tempestas ualida. Et Dan. 7. Igneus fluuius rapidus qui egrediebatur à facie eius. Vbi ait una glossa: ut bonos purget & malos puniat, atque altera. Vt peccatores trahat in gehennam. Et loco proximè citato. 2. Thess. 1. ait Apostolus in reuelatione domini Iesu de cælo cum angelis uirtutis eius in flamma ignis dantis uindictam his, qui non nouerunt Deum &c.

Ratio conclusionis. ¶Ratio autem conclusionis sic colligitur. Tota mundi purgatio & renouatio propter hominis purgationem & renouationem, ut prædiximus, est facienda: purgatio autem humani generis fiet per separationem electorum à reprobis, quemadmodum grana à paleis segregantur: iuxta illud Matth. 3. Cuius uentilabrum in manu sua, & permũdabit aream suam: ergo quia officium illius ignis erit purgare orbem ac subinde mortaliũ genus, reprobos ceu paleas à iustis quæ fœlicia sunt grana, separabit, proijcietq; in tenebras exteriores. Vnde Basilius super illud psalm. Vox domini intercidẽtis flammam ignis. Quoniam in igne (inquit) & calidum ustiuũq; & grossum reperitur, & præterea subtile & lucidum, in illa die sic ille ignis intercidetur, ut quod ustiuum est & grossum ad inferos in pœnam damnatorum descẽdat, quod autem in eo subtile est & lucidum, superius ad gloriam electorum remaneat. Igitur ubi primum Christus protulerit illud, Ite maledicti, & dæmones homines surripient, & ignis utrosq; in tartara concludet. Prudentissimè ergo simul ac sanctissimè D. Petrus post illum cælorum ardorem, elementorumq; calorem, ac mixtorum exustionem concludit dicens. Cũ igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet uos esse in sanctis cõuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei domini.

Basilius.

2. Petr. 3.

Meditatio egregia. ¶Re uera nunquam aut de auribus nostris cadere illa uerba deberent. Venite benedicti, &, Ite maledicti, aut ab oculis spectaculum illud dimoueri, pientissimi simul ac seuerissimi iudicis, uentilabro permundantis aream suam. Fac mortales uniuersos in aceruo, ueluti in hoc seculo sumus ceu grana cum paleis commixta, congestos esse, & terribilem Dei maiestatem manu uentilabrum tenentem ad eundem uentilandum aceruum: atque à dextris horreũ situm, quo imm tenda sunt grana, & à sinistris hiantem inferni uoraginem, flammas expirantem paleas uoraturam. Contemplare

templare tũc ergo domino uentilãte quot in illo aceruo latitent, ceu grana in hoc seculo æstimati, quos in altum uentilatos uentus aquilo à quo pandetur omne malum, ab ira Dei insufflatus, in illas inferni flammas tanquam paleas miserandas subripiet. Videas illuc euolantes magnates, antistites, reges, sacerdotes, monachos, doctores, ac magistros cum summa ignominia aerem sua multitudine densantes, & flammis ardentes, in illam tartarorum uoraginẽ præcipites. Videasq; contra quàm plurimos in hoc seculo nullo pretio habitos uelut grana prodituros, suorum meritorum pondere, quæ per Dei gratiam cõpararunt, ad dextram cadere, unde in super cælestibus horreis recondantur. O nimium stupendum, miserandumq; biuium, quo fratres à fratribus, à parentibus liberi, & mariti ab uxoribus dissecabuntur, cunctisq; id genus arctissimis uinculis dissolutis, alij ibunt in uitam æternam, atque alij in ignem æternum.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur eundem fore ignem conflagrationis mundi, & qui damnatos conuoluet: dicuntur tamen duo, tum propter officia diuersa: quia purgabit electos, eisque lucebit: & cruciabit iniquos: tum subinde propter quandam substantiæ uel qualitatum diuisionem, quia ut ait Basilius, quod grossum est cadet in infernum, quod uerò lucidum & subtile manebit in aere. Qua utique ratione ignis ille sic non carebit honore suo, ut etiam cum infernali commisceatur.

¶Et per hoc respondetur ad secundum, quòd sicut electorum gloria post iudicium erit per accidens cumulatior tum propter corporum resumptionem, tum propter plenum beatorum consortium, ita & damnatorum cruciatus erunt eadem ratione truciores: quapropter non inconuenit dicere, quòd igni quo ab initio cruciabantur dæmones & animæ torquebãtur, alius adhibeatur nouus.

QVAESTIO SECVNDA, De mundi innouatione.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm mundus sit innouandus.

POst mundi purgationem sequitur de eius innouatione quæ erit eius effectus. Quæritur ergo utrùm sit innouandus. Et arguitur à parte negatiua. Legitur Gene. 1. & Deus die septimo requieuit ab omni opere, quod patrarat. Vbi sancti interpretes requieuisse aiunt à nouis condendis creaturis: mundus autem innouatus noua uidetur creatura, quod esset incidere in dogma illud Empedoclis quem secutus fertur Origen. quòd uidelicet post hunc mundum futurus sit alius.

Partis negatiuæ argum. 1.

¶Secundò dispositio quam nunc mundus habet est ei naturalis: ergo si in alteram post innouandus est, illa dispositio erit innaturalis, ac perinde uiolenta: uiolentum autem ut 1. cæli, ait Philosoph. nequit esse perpetuum.

2. argum.

¶Tertiò arguitur. Innouatio creaturæ est propter gloriæ præmium: creaturæ autem homine inferiores non sunt gloriæ capaces: ergo non sunt innouandæ. ¶In contrarium est illud Apoca. 21. Vidi cælum nouum & terram nouam: primum enim cælum & prima terra abijt.

3. Argum.

Pars affirmaua.

¶Ad quæstionem hac unica conclusione affirmatiua respondetur. Mundus est innouandus, ut perpetuò maneat innouatus. Vnde Isa. 66. Ecce ego creo nouos cælos & nouam terram, & non erunt in memoria priora. Id quod dixerit Diuus Petrus loco citato dicens. Nouos cælos & terram nouam secundum ipsius promissionem expectamus, in quibus iustitia inhabitet. Vbi rationem ipsius conclusionis insinuat: uidelicet ut mundus aptus fiat beatorum gloriæ, quam per opera iustitiæ, ex diuina misericordia, pfectam eruerũt. Enimuerò cum mundus, ut supra dictum est propter homines fuerit conditus, congruens est, diuinæq; sapientiæ condecens, ut secundum uarios humani generis status uarie disponatur: quandiu autem uita hæc humana mortalis durat, duplex nobis mundus obsequium exhibet: seruit enim nobis primo ad alendum propagandumq; genus nostrum per terræ nascentia & animalium auxilia: præterea ad Dei cognitionẽ: per hæc enim uisibilia, ut ait Paul. sempiternam Dei uirtutem contemplamur: ergo his transactis necessitatibus humanoque genere innouato congruit, ut mundus

Conclu.

dus quoque innouetur. Iam enim inde à resurrectione carnis, neque homo mundo indigebit ad uiuendum, neque ad Deũ contemplandum, quippe cum in illa æternitate Deum facie ad faciem contemplabitur. At uerò cum corporeus oculus diuinam essentiam contueri nequeat, oblectabuntur beati uisu tum corporis imprimis Christi, ac subinde aliorum beatorum, tũ & aspectu diuinorum operum, atque hac de causa oportebit totum orbem speciosum esse & aspectu pulcherrimum. Quocirca innouatio mundi non erit solum purificatio, sed nobilitatio, tam in perspicuitate elementorum quàm in lucis cremento astrorum cæli, ut illico articu. 4. uidebimus.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur respondetur, quòd Deus quieuit die septimo à creatione nouarum specierum, imò neque deinceps in diuidua creauit præter animas rationales: innouatio autem mundi non erit creatio, quandoquidem cæli: & elementa secundũ substantiam permanebunt: quemadmodum in sex diebus creata fuerunt. quòd si arguas ad minus erit res noua contra illud Eccles. Nihil sub sole nouum. Quid est quod fuit, ipsum quod futurum est. Respondetur, sapientem ibi de ijs rebus loqui, quæ orbium circulationi subiectæ sunt: propterea enim dixit, Nihil sub sole nouum. Quæ quidem res in circulo secundum eandem speciem, numero differentes continenter per generationes reuertuntur. Illa autem mundi innouatio non fiet per causas naturales quæ solis orbiũque circumlationibus gubernantur, sed super naturã, & ideo nihil mirum, si futurum fuerit nouum.

Sol. 2. arg. ¶Et per hoc ad secundum respondetur. Innouationem illam, non fore naturalẽ, sed tamen neque innaturalem, seu contra naturam, atque adeò neque uiolentam, sed supernaturalem, qualis est gratia, & gloria. Quapropter erit perpetua quem-

Sol. 3. arg. admodum & Dei uirtus. ¶Ad tertium denique respondetur, quòd quanuis mũdus illã innouationem non fuerit cõmeritus, homo tamen per Dei gratiã illã meruit, quippe qui ad eius gloriam pertinebit.

ARTICVLVS II.

Vtrùm motus cælestium orbium per illam innouationem sit cessaturus.

AT innouatio illa per partes melius innotescat, quæritur primũ de cælis, utrùm ad eorum innouationem attineat, ut à motu requiescant. Et arguitur a parte negatiua. Motus cæli est finis creationis eorum: etenim propter motum conditi sunt: frustra ergo erunt superstites, si sunt à motu cessaturi: ea siquidem sunt frustra quæ suo orbantur fine: nihil autem tunc erit frustra, ergo perseuerabunt in suo motu. Præsertim cũ illa innouatio sit rerum perfectio & de perfectione cælorum sit moueri. Partis negatiuæ Augu. 1.

¶Secundò arguitur. Sol indifferens est, ut hac uel illa plaga mundi perfistat, ergo nulla est signabilis ratio cur potiùs in una parte debeat gradum sistere quàm in alia atque adeò in nulla quiescet. Eo uel maximè, quòd si in oriente perstiterit, pars terræ occidentalis orizontis erit in perpetuis tenebris, quòd illi fœlici statui orbis minimè congruit. 2. Arg.

¶In contrarium est, quòd cum tempus sit mensura motus, quandiu durabit motus, durabit tempus: sed Apoc. 10. iurauit angelus per uiuentem in secula, quòd postquàm septimus angelus tuba cecinerit: scilicet ut mortui resurgant, tempus amplius non erit, ergo neq; erit amplius circulatio cæli. Pars affirmatiua.

¶Quæstionis huius solutio propemodum ex superioribus colligitur: bimembri ergo conclusione respondetur. Motus cæli in mundi innouatione cessabit: non quidem suapte natura, sed per Dei uoluntatem motrices causas suspendentis. Duæ nanque per extremum sunt de hac re errantium opiniones, Prior philosophorũ, tam eorum, qui Peripatetici sunt, Arist. sequuti; quàm Academicorum sub Platone philosophantium. Isti enim cum non nisi causas naturales fuerint perscrutati nullã in cælis causam quietis rimati sunt: quia cum sint substantiæ incorruptibiles, lassari motu illo nequeunt, aut deteri. Rursus cum eorum motus sit orbicularis, non habet terminum, quo debeat finiri. Quòd autem Deus suo arbitratu motum illum interrumpere ualeat minimè cognouerunt. Alij uerò Philosophi per aliud extremum somniarunt mundum infinities posse, & interire, & redire. Conclu. Duæ opiniones.

¶Contra hæc uero dogmata statuitur nostra conclusio. Disciplina enim illa philosophorum theologæ ueritati è diametro contra pugnat. Est enim certus finitusque prædestinatorũ numerus, qui scripti sunt in libro uitæ, ut in libro de correctione, & gratia, ait Augu. qui quidem numerus neque augebitur, neque minuetur. Iuxta illud Pau. ad Rom. 8. Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: quos autem prædestinauit, hos & uocauit. Si autem mundus esset perpetuus numerus ille certus esse non posset. ¶Altera uerò opinio rei physicæ aduersatur: qm̃ neq; in cælis, neq; extra ulla est naturalis potentia, quæ eis esse ualeat quiescẽdi causa, fit ergo consequens, quòd cessabunt suspendente Deo concursum, qui est ad illum motũ necessarius, interdicenteq; intelligentijs mouendi munus, ob rationes supra expositas: scilicet, quoniam finis illius motus est humanum genus, quandiu corruptibile est, conseruare. Quapropter cum diuina opera non sint frustra, illa necessitate cessante, cessabit motus, unde palam fiet nobis propter nos mundi machinam esse fabricatam. ¶Secundò luminaria cæli, ut Gene. 1. refertur edita sunt, ut sint in dies menses & annos, quib. nostras nos metimur actiones: post diem uerò iudicij non alia utemur mensura, quàm diuina æternitate: neque opus erit dierum noctiumque uicissitudine. ¶Ac per hoc respondetur ad illud Gene. 8. Cunctis diebus terræ frigus & æstus: æstas & hyems, nox & dies non requiescent. Intelligitur enim de terra quanuis uicissitudine illarum rerum indigebit: nam post iudicium ait Isa. cap. 60. Non occidet ultra sol tuus & luna tua non minuetur. Circa illam uerò insinuatam rationem, quòd cum finis cælestium motuum sint generationes horum infernorum, cessante illo fine frustra permanebit motus: solet hic disputari utrum cessatio motus cæli sit sufficiens causa, ut generationes cessent. Ricardus enim, atque alij arbitrantur non consequi, neque sufficere cælestis motus cessationem, ut generationes cessent: quoniam ut Iosuæ. 10. legitur, Sole motum sistente minimè generationes cessarunt: imò pugnauit ille cum suo exercitu strenuè.

¶Deinde arguitur. Cæli non tantum per motum, uerum & per lucem, atque alias occultas influentias in hęc agunt inferiora: ergo cessante motu non fit consequẽs, ut generationes cessent. ¶Accedit uerbũ Aug. 11. confessionum dicentis, quòd si corpora cælestia starent, adhuc figuli rota posset moueri. Quare Stephanus Parisiensis Episcopus hunc anathemate condemnauit articulum, dicentium, quòd si cælũ staret, ignis in stupam non ageret. Art. Parisiensis. Responsio

¶Ad hæc autem primum respondemus potissimam causam cessationis generationum fore post diem iudicij, quod Deus ad id nullum generale præstabit auxilium, atque hæc ad nostrum propositum sufficiens est responsio: nam inde fit consequens motũ cæli fore deinceps superuacaneum. Sed respõdetur secundo, & eiusmodi motus cessationis causam esse sufficientem, nõ quidem, ut omnia mixta illico interirẽt: quare supra diximus cuncta esse, ut ait Petrus Apost. exurenda per ignem, sed tamen ut nulla fieri postea posset naturalis generatio: imò neq; actio: quanuis de actionibus liberis, de quib. loquitur Au. non id omnino cõsequatur. Et rõnem docet primo de genera. Aristoteles: nẽpe, q̃ per accessum & recessum solis ad nos alternãtur, hyẽs, & uer: æstas, & autumnus, atq; adeò cuncta generantur. ¶Quocirca ad arg. respõdetur, quòd etsi cæli per alias quoq; influentias & lucem in hunc mundum inferiorẽ operentur, tamen per motum fit illarum fluentiarum applicatio. Quocirca saltem hoc manifestè sequitur, quòd sine motu cæli fructus terræ nec crescere, nec maturescere possent. Imò neque animalia neq; plantæ ullo temporis spatio possent uiuere, quippe quorum uita consistit in cõtinuo motu, & præcipuè animalium uita in actione caloris in humidum: quapropter illico animas expirarent. Secus de lapidibus & metallis. Quod autem Aug. ait est quòd si aliquis impelleret rotam figuli moueretur. ¶Episcopus autẽ Parisiensis nõ est Romanus Pontifex. ¶Ad illud aũt miraculum tempore Iosue non desunt qui respondeant: quòd etsi orbis solis quieuerit, non tamẽ primũ nobile motum pausauit suũ, quo generationes fiunt. Respõsio tamen hæc non est conueniens: nam tunc sequeretur motum solaris orbis proportionẽ aspectũq; amisisse, quẽ habet ad alios orbes. Quare cõuenientius est dicere oẽs tunc orbes pausam fecisse: sed tamen Deus qua uirtute id fecit, subsequẽter curauit Ad miraculum Iosue.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sol. 1. arg. rauit rerum generationes seruare, uicem supplendo cælorum. ¶Ad primum igitur arg. in capite propositum respõdetur, Cælorum finem alterum esse proximum, qui est motus, alterum uerò superiorem, qui est homo: iuxta illud Deute. 4. Ne fortè oculis eleuatis ad cælum uideas solem & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea quæ fecit dominus Deus tuus in ministerium gentibus, quæ sub cælo sunt. Iudicium ergo ex superiore fine sumendum est. Quamobrẽ cũ quiescẽtes orbes seruiant Deo, & beatorum gloriæ, nõ erunt frustra, quanuis careant motu. ¶Et eodem modo respondetur ad aliud, quòd motus cæli non est de perfectione eius essentiali, sed quatenus causa est influendi in hæc inferiora. Imò uerò simpliciter requies præstantior est motu: quia similior Deo. Ob idq; quiescens cælum, quicquid philosophi dixerint, digniorem statum habebit, gloriam referens beatorum. ¶Ad

Requies præstãtior motu.

Sol. 2. arg. secundum respondetur, quòd quanuis secundum naturam particularem solis indifferens ei sit punctum quodcunque cælestis circuli, tamen secundum illum finem, qui est hominis gloria, propter quã quiescit, aptus est in nobilissimo puncto quiescere: illud autem secundum Aristote. est

Oriens. Oriens, & luna quiescet in oppositio puncto occidentis. Non quidem in linea ecliptica, ut eclipsim patiatur, sed ut sit lumine plena. In illo enim aspectu lumi-

Isidorus. naria illa creata esse censentur. Sic ait Isidorus super illud Esaiæ. 60. Non occidet ultra sol tuus. Ait quippe, quòd post diem iudicij sol recipiet mercedem laboris sui,

Labor cęli & non ueniet ad occasum. Nomen autem illud laboris cælorum, quo utitur etiam Ambrosius super illud ad Roma. 8. Omnis creatura ingemiscit, accipitur propriè quoniam cæli, ut incorruptibiles sunt, ita nullam possiunt lassitudinem pati, sed intelligitur per metaphoram, ut quòd Paulus ait, ingemiscere: quia cùm motus cæli ordinatione diuina referantur ad complẽdum electorum numerum, censentur illud desiderare: ac perinde per similitudinem fatigari, expectantes mundi innouationẽ.

¶Alia uerò obiectio, quòd tunc plaga occidentalis erit sub perpetuis tenebris, negatur: quoniam luna quæ tunc lucebit, ut sol, in illo erit aspectu. Præterea beati quorum statui luminaria tunc seruient, cùm sint fulgore gloriæ rutilantes, neque emendicato illo lumine indigentes, aspectu illius uarietatis oblectabuntur.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm astris corporibusq; cælestibus lux in illa innouatione sit augenda.

Partis negatiuæ arg. 1. 2. Arg.

QVæritur de altera cælorum qualitate quæ est lux. Et arguitur à parte negatiua. Orbes illi natura sua nullius sunt mutationis capaces, neque purgatorius ignis ad illos usque pertinget, ut aliquam inde ualeant mendicare lucem: ergo non augebitur eorum lux. ¶Secundò arguitur. Quemadmodũ motus cæli, ita & lux in obsequium nostrum propter generationes condita est: non enim solùm motu, sed etiam luce cælum ad easdem generationes cõcurrit: ergo qua ratione cessabit motus, cessatura est lux. Quòd si dicas seruiturum tunc ad gloriã beatorum, in cõtrarium est quòd ipsi nulla egebunt tali luce: iuxta illud Isa. 9. Nõ erit tibi amplius sol ad lucendum per diẽ, neq; splendor lunæ illuminabit te. Et Apocalyp. 21. scriptum est. Quòd ciuitas illa beatorum non egebit sole, neq; luna, ut luceant in ea. ¶In contrarium est illud Isaiæ. 30. Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter.

Pars affirmatiua.

¶Ad quæstionem Rabbi Moyses negatiuè respondet, haud enim sibi persuadere potuit sapientissimum Deum tantam orbis machinam innouaturum cælorumque splendorem auctum ire propter unam exiguam creaturam: qualis est homo. Negat tamen Hebræus ille mundum factum propter hominem, non intelligens ipsum qui ad imaginem Dei efformatus est, & ipsius diuinæ gloriæ capacem, ea dignitatis excellentia pollere, ut mundus propter ipsum fuerit conditus, & ideo testimonium illud Isaiæ & similia, quę de mundi innouatione loquuntur, per metaphoram exponit, sed nulla est in hac parte

Conclu. autoritate dignus. ¶Respondetur ergo ad quæstionem breuissima conclusione. Astra corporaque cælestia cremento lucis in illa innouatione decorabuntur. Probatur. Innouatio mundi eo refertur, ut illic

illic gloriam repræsentẽt, & cognitione qua beati Deum uidentes fruentur: mundus autem propter decorem speciei, quæ luce resplendet, inaccessam illam Dei gloriam præ se ferunt: iuxta illud Sapientiæ. 13. A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum uideri. ergo congruentissimum est, ut completo beatorum numero lux cælestium orbium augeatur: luce nanq; species decorque mundi refulget iuxta illud Ecclesiastici. 43. Species cæli gloria stellarum mundum illuminans in excelsis dominus.

Dubium

¶Dubium autem crementum illud lucis unde corporibus cælestibus sit prouenturum: nam purgatorius ignis neque illuc pertinget, neque tam lucidus erit, ut cælorum lumen augere ualeret. Nonnulli quorum est Ricardus distin. præsenti arbitrati sunt augmentum illud lucis cælorum ex radiatione multitudinis corporum beatorum effluxum iri: neque uerò probabilitate carent. Quanuis tunc sequeretur, quòd nunc etiam per radiationem corporis Christi influxum aliquem lucis recipiant, quod non habet tantum probabilitatis, sed responderi posset quòd unũ corpus, quantumuis lucidum, non potest tantum effundere lumen, secùs ubi innumerafuerit multitudo. Vel dicendum, quòd augebitur diuina uirtute, qua reliquæ partes orbis innouabuntur, quod significant illa prophetica uerba, Lux lunæ sicut lux solis, & lux solis septempliciter.

¶Sensus autem uerborum non est cunctis omnino peruius: sunt enim, qui autumant ob delictum Adæ solem & lunam plurimum suæ lucis amisisse, imò glossa eiusdẽ loci ait, quòd cum omnia facta sint propter hominem, in eius lapsu peiorata fuere, solq́e & luna in suo lumine minorata Atque eadem ratione in mundi consummatione debet eis lumen restitui: quare illud septempliciter solaris lucis dictum putant, quia restituetur ei lux qua septem illis diebus antè hominis casum promicauit. ¶At uerò minimè credendum est quippiam reale luminis illis luminaribus fuisse ademptum: quoniam per naturam id fieri nequiuerat: quod autem Deus propter peccatum Adæ illorum lumen extenuaret, non est credibile, ut toto mundi decursu præter suam essent naturam quo dammodo truncata. ¶Adde quòd lumen hoc, quo nunc lucent, est totum, quod suæ naturæ conuenit, alioqui astra non essent idonea & sufficientia ad conseruandum humanum genus. Quod si hoc est naturale non habuissent in statu naturæ integræ aliud uehementius. Nam alias illud fuisset supranaturale: essetq; nimium excellẽtius, quàm ut homines illud ferre possent neque ad aeris temperamentum esset idoneum. Imò sequeretur, quòd luna tunc, ut ait Propheta, tantum luceret sicut modò sol, atq; adeò quando esset in oppositione solis in nullo hemisphęrio fieret nox: contra illud Gene. 1. luminare maius, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. Igitur nullo modo illa fuerunt propter peccatum minoris lucis. Sed in gratiam illius glossæ, intelligendum est respectu humani usus, quia inclementia aeris quæ propter frigus uel æstus accidunt, sunt nobis in pœnam peccati, quæ antea fuisset naturalis. Quemadmodum terra maledicta fuit in opere suo, ut spinas, & tribulos germinaret. Non quòd eodem antea non germinasset, quia sunt naturales, sed quia non essent in pœnam peccati hominib. molesti. Fit ergo ex his consequens, quod augmẽtum lucis, quod habituri sunt cæli in die iudicij, non erit restitutio illius, quod perdiderunt, sed ornamentum illius innouationis. Quocirca non consequitur, quòd si nihil propter peccatum altra illa perdiderunt, nihil sit eis accessurum propter gloriam. Vnde fit illud, quod Propheta ait, septẽpliciter, nõ habere aliud mysterium, quàm quòd ingens eis luminis accessio fiet: quoniam septenarius numerus perfect onẽ denotat. Et fortè in illa septenaria proportione super lunã fiet illud crementum. Etenim si tunc luna erit sicut sol, nihil mirũ si in illa proportione lumẽ solis excrescat. ¶Hinc consequitur, quòd lumen lunæ non erit tunc aliud quàm quod ueluti modò, à sole recipiet: quamlibet ipsa per se fiet amplioris luminis capax. ¶Ad primũ igitur Sol. 1. arg. iam responsum est, quòd illud lucis incrementum nõ fiet actione purgatorij ignis, sed uirtute Dei: nã quanuis cælestes orbes nõ sint per naturã mutabiles, sunt tamen omnipotentiæ Dei obedientes, eiusq; supernaturales effectus capaces. Neq; illa erit propriè mutatio, quia non machinabitur eorũ correptionem, sed potiùs erit eo

Gene. 1.

rum perfectio, sicuti beatorum gloria.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quòd motus suapte natura non pertinet ad rei perfectionem, cùm sit actus imperfecti, quanuis esse causam generationum, perfectionem dicat: lux autem secundum naturam suam dicit perfectionem: & ideo cessante generationis necessitate cessabit simpliciter motus, non tamen lux, quanuis fuerat generationis causa: nam licet desinat esse causa, permanebit tamen quatenus est cælorum perfectio. ¶Ad id autem quod obijcitur, quòd tunc beati non indigebunt lumine aut solis aut lunæ. Respondetur, bifariam aliquid posse in usum hominum uenire. Vno modo ob necessitatem, & isto modo beati nulla utentur creatura: quia Deus erit eis sufficientissimus, nam sicut, ait primę ad Corinth. 3. Paulus, erit omnia in omnibus. Sed alio modo creatura potest uenire in usum hominis propter eius honorem & accidentariam perfectionem: & isto modo tunc seruient cæli hominibus: nam etsi essentiale eorum gaudiũ futurum sit, essentiam Dei uidere, oblectabuntur tamen in contemplatione operum eius tanta pulchritudine refulgentiũ Siue in essentia diuina opera illa contemplentur, siue in proprio genere: quandoquidem à cælo empyreo poterunt omnes orbes prospectare. Imò forsan corporalibus oculis, saltem uirtute diuina. Et quando illos usu corporeo non cernerẽt, ipsi tamẽ illa pulchritudine canerent gloriam Dei qua suam curiam beat.

Nulla erit beatis creatura necessaria.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm elementa per aliquod claritatis augmentum sint innouanda.

Partis negatiuæ ar. primum.

POst cælorum considerationem subsequitur de elementis etiam explorare an sint per aliquam claritatem innouanda. Et arguitur a parte negatiua. Sicut claritas est cælorũ propria, ita & calidũ, frigidum, humidum, & siccum sunt elementorum qualitates: ergo sicut cæli per claritatis ita elemẽta per istarum qualitatum augmentum sunt innouanda. 2. Arg.

¶Secundò. Rarum & densum. sunt qualitates elemẽtorum propriæ, quæ ideo in ipsis permanebunt; claritas uerò aeris, quia non habet opacitatem, non est apta ad recipiendum claritatem per modum relucentis corporis: neque uerò densitas terrę, propter nimiam eius impuritatem introrsum claritatem admittit. 3. Arg.

¶Tertiò. Si elementa aliqua erunt claritate donanda, eadem ratione deberent & plantæ atque alia mista innouata, & claritate ornata permanere: tum quòd ad ornatum eorundem elementorum attinẽt; tum quòd, sicut elementa, ita & mista propter hominem facta sunt, cui etiam seruiunt: quare par illis, ut elementis debetur honoris gratia, innouatio: atque adeo si mista non innouabuntur, sit ut neque elementa sint innouanda. 4. Arg. ¶Quartò. Elementa si permansura sunt, superuacanea tunc uidebuntur, nisi aliqua rationalis creatura, illis ceu domicilio utatur: nulla autem rationalis creatura in illis habitabit: nam beatis cęli sufficient. Nisi cum quibusdam opinemur, pueros qui absque baptismo decesserunt, de limbo esse tunc educendos, qui super faciem terræ spacientur, cælorũ aspectu fruentes. Hæc autem opinio non est rationi consentanea: ergo elementa non permanebunt, claritate illustrata.

¶In contrarium est illud sæpè citatum Apocalyp. 21. Vidi cælum nouum & terram nouam. Pars affirmati ua.

¶Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Elementa per receptationem amplioris claritatis innouabuntur. Probatur. Cum corporalis creatura propter spiritualem sit condita, per illamque adeò gubernetur, oportet ut perinde atque spiritualis disponatur: fit ergo consequens, ut sicut ordo se habet spirituum terrenorum ad cælestes, ita se habeat & corporum terrestrium ad cælestia: In illa autem ultima rerum innouatione spiritus terrenorum hominum ad honorẽ & dignitatem angelorum promouebuntur: quia ut Matth. 22. legitur, homines erunt sicut angeli Dei, quatenus humanus spiritus cum angelicis conuenit: nempe in intellectu & uoluntate: ergo simili modo substantia corporea, nempe elementa in eo quod cum cælestibus conueniunt, ad cælorum exemplum innouabuntur: illud autem, ut 2. de anima, ait Philosophus, est natura lucis & diaphani: ergo eiusmodi corpora ampliore claritate donabuntur. At quia non omnia eandem habent

1. Conclu.

Diuersa elementorũ claritas.

habent lucis capacitatem, quoniam non sunt æquè diaphana, illa eorum claritas non erit in omnibus æqualis, sed suis cuiusque gradibus distincta. Nempe, ut terra secundum exteram superficiem sitę, ut refertur, peruia sicut uitrum: aqua etiam in partibus interioribus, uelut crystallus: aer tanquam nunc est cælum: & ignis qualis est modo luna. Quocirca crementum illud lucis elementorum nihil auferet de proportione uniuersi. nam sicut modo in luce & qualitatib. quas continẽt, proportionem habent, eandem seruabunt, propterea quòd singula in suo gradu & ordine respectu alterius augmentũ suscipiẽt. Hæc non sunt sacris oraculis tam exactè secundum has differentias constituta: nihilominus sancti interpretes optimis coniecturis illa colligunt, Ex illo Esaiæ. 66. Ecce ego creo nouos cælos & nouam terrã. Et ex Apoca. Vidi cęlum nouum, & terrã nouam. Et ex diuo Petro, Nouos cælos & nouam terram, & promissa ipsius expectamus: nomine enim terræ illa quæ sub cælo sunt elementa comprehenduntur.

Ratio. 1.

¶Accedunt & testimonijs rationes. Nam cùm elementa in hac mortali uita sua obsequia hominibus exhibuerint, à qua seruitute, ut ad Rom. 8. ait Paulus in illa reuelatione filiorum Dei liberabuntur, congruens est, ut aliquo præmio donentur, quo illam referant glorificatorum corporum claritatem: nempe ut ampliore splendore fulgeant.

Ratio. 2.

¶Ad hæc tandem cum humana corpora ex elementis constent, fit ut partes quæ in electorum corporibus latitant, cumulata luce innouentur: ergo cùm eadem sit ratio totius & partium, tota ipsa elementa simili modo innouabuntur.

Conclu. ¶Secunda conclusio. Mista non innouabuntur, sed prorsus interibunt. Hanc conclusionem quæst. præcedenti præmisimus inter loquendum de purgatione, nunc tamen iterum comprobatur. Mũdus ut propter hominem plasmatus est, ita & propter ipsum, atque adeò instar ipsius est innouandus. Innouatio autem hominis ea erit, ut de statu corruptionis in incorruptionem, perpetuamque quietem transeẽdat, iuxta illud primæ ad Corinthios. decimoquinto. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: ergo illa quoque erit innouatio mundi, ut omni abiecta corruptione, illa duntaxat, quæ ordinem habent ad incorruptionem, incorrupta maneant: hæc autem sunt cæli, quæ suapte natura sunt incorruptibiles & perpetui, tam secundum partes, quàm secũdũ totũ: mox elementa, quæ licèt secundum partem corrumpantur, sunt tamen secundum totum incorruptibilia: deinde homines, qui quanuis sint generabiles, & corruptibiles, hoc tamen habent secundùm materialem partem: nam anima incorrupta manet, quę tandem, cum corpus propter ipsam conditum fuerit, ipsum resumet in corruptibile. Reliquæ uerò brutę animantes ac subinde plantæ & inferiora mista, ut metalla & lapides, & id genus reliqua, nihil in se continent incorruptibile, sed simpliciter sunt corruptibilia, tam ex parte formæ, quàm ex parte materiæ. Quapropter cum nullum habeant ad incorruptionem ordinem, sunt prorsus absumenda. ¶Item si animalia & plantæ deberent permanere, cum par sit omnium ratio, de berent & illa quæ corrupta sunt resurgere, quod est concessu absurdum. Nam cũ anima bruti dum moritur, in nihilum abeat, non posset animal illud resurgere nisi eius anima crearetur.

¶Quod si dicas, illa saltem quæ in illa die reperientur uiua, fore permansura, hoc nulli rationi congruit: nam igne conflagrationis omnia exurentur, ut diuus ait Petrus. Item quia cum tunc cælorum motus cessare debeat, protinus illa interirẽt, neque alia procrearentur.

¶Ad hæc tandem cum plantæ, & animalia, ut Gene. 1. legitur in subsidium uitæ animalis hominum producta fuerint, cessante illo fine omnia disperibunt.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quod cum mundus sit propter hominem innouandus, debet illa innouatio eiusdem hominis gloriæ accommodari: scilicet, ut sensu etiam in corporibus indicia diuinitatis percipiat. Omnium autem sensuum præstantissimus est usus, cuius obiectum est lux: ob idque luce elementa innouabuntur: qualitates uerò primæ quæ sunt actiuæ & passiuæ non seruiunt nisi generationibus, & fomento & recreationi sensus tactus. Generationes autem tunc cessabunt, sensusq; tactus non habebit usum circa elementa, & quanuis haberet, qualitates illæ essent molestæ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quare illæ ceſſabunt. ¶ Quòd ſi redarguas. Multiplicatio lucis etiam eſt caloris cauſa: ergo elementa erunt intemperatè calida. Reſpondetur, quòd lux illa non erit caloris genitrix, ſicut feruentes radij ſolis, ſed ſicut lux cæleſtium corporum, quæ ipſa non alterat.

Sol. 2. arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd aer nõ fiet clarus quaſi radios emittens, ſed ſicut illuminatum diaphanum. Terra uerò uir tute diuina fiet in ſuperficie lucis capax. In inferno tamen nulla erit lucis innouatio, quanuis fiat ignis multiplicatio, per acceſſionem ignis conflagrationis: ille quippe non erit lucidus, ſed tenebroſus, ut ſit damnatis tenebræ exteriores, quæ hoc habent nomen reſpectu culparum, quæ ſunt in anima interiores tenebræ.

Sol. 3. arg. ¶ Ad tertium uerò reſpondetur. Quòd mixta non pertinent ad elementorum ornatum, niſi quatenus actiuæ & paſſiuæ elementorum qualitates ad particulares actiones contrahuntur in mixtis, quibus ideo actionibus ceſſantibus, mixta non ſunt amplius elementis ornamento. Et ad aliud membrum reſpondetur, quòd neq; elementa neque mixta innouationem merentur, ſed hominis meritum eſt, ut innouentur. At quia mixta non ſunt innouationis capacia, non cadunt ſub eodem merito.

Redarguciones aliæ ſoluuntur. ¶ Sed argnitur rurſus. Ad perfectionem uniuerſi pertinent etiam mixta, & uniuerſum debet manere perfectum ergo & mixta debent perdurare. Secundò. Animalia, & plãtæ nobiliores formas habent, quàm elementa, cum ſint uiuentia: ergo fortior ratio perſuadet, ut ſint permanſura. Iam uerò & mixta omnia habent naturalem perpetuitatis appetitum, qui per generationes impletur: naturalis autem appetitus non debet fruſtrari: ergo permanebunt.

¶ Ad primum reſpondetur. Quod perfectio uniuerſi, ſicuti & hominis, alia eſt quandiu hoc ſeculum durat, atque alia ſecundùm ſtatum gloriæ. Ad perfectionem ergo uniuerſi ſecundum hunc ſtatum pertinent mixta, non tamen ſecundùm illum futurum.

Reſpõſio. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod & ſi formæ uiuentium mixtorum ſint illa ratione perfectiores, quàm elementorum, nihilominus ab illis in hoc deficiũt, quòd nihil habent in ſe perpetuitatis. ¶ Ad tertium denique reſpondetur. Quòd appetitus perpetuitatis miſtorum determinatus eſt & taxatus ſecundum cælorum motum, quo fiunt generationes. Illo ergo ceſſante motu non fruſtratur mixtorum appetitus, licèt intereant.

Solu. quarti de pueris limbi. ¶ Ad quartum principale argumentum nonnulli reſpondent, poſt diem iudicij pueros qui ſunt in limbo, ſolo originali maculatos educendos in fine mundi in ſuperficiem terræ, qui ideo elementorum amœnitate fruentur. Imò arbitrantur, fore ſcientijs naturalibus inſigniter illuſtrãdos. At uerò ut libro. 1. de natur. & grat. capit. 14 dicebamus, imprimis nulla ratio uidetur ſuadere, quòd ſint tunc reſumptis corporibus ſcientijs naturalibus imbuendi, quas nunc ignorant. Enimuerò cum in hac uita nullam acquiſiuerint ſcientiam, neque ſuis meritis debeatur, ut eiuſmodi diſciplinis diuinitus infundantur, non ſolum uanum, ſed temerarium eſt aſſerere, quòd tunc ſcientijs pollere debeant: alio qui & nunc illis potirentur, quod non eſt opinabile. Neque uerò ulla apparet cauſa affirmandi, quòd ſint tunc à limbo in lucem prodituri. Quòd enim nunc ſint in limbo, atque adeò in tenebris, receptiſſima, ut ſuprà explicuimus, eſt patrum omnium ſententia, & præcipuè Aug. in libr. de baptiſmo paruulorum. Et refertur de conſe. diſtinct. 4. can. Nulla præter. Si ergo nunc ſunt in tenebris quæ nam ratio fingi poteſt, ut inde poſt eruantur in lucem: quandoquidem uerè ſint Dei inimici, quia in Adam peccauerunt, atque adeò in perpetuum ad illud ergaſtulum ſint perinde condemnati, atque illi qui ſunt in inferno, licèt pœnas ſenſus non patiantur. Quare Ioannes Papa in ſuo decreto, Ad lumina 30. quæſtio. prima. ſtatum illorum perpetuam mortem appellat. Addè quòd cùm cæli immoti ſint permanſuri, in nullum uiuentium uſum permanebunt præterquàm in teſtimonium gloriæ beatorum. Quare Auguſt. hypognoſticõ. quinto. nullum tertium poſt finem mundi ponit locum, ſed duo: ſcilicet, uitæ perennis ſupra cælum, & mortis æternæ ſub terra. nempe infernum, & paruulorum limbum.

DISTIN-

DISTINCTIO QVADRAGESIMANONA, De ſtatu Beatorum.

Tertur. Cap. 1.

EOelicitatem uerò & gloriæ Beatorum lingua non ualet humana referre, de quorum nihilominus ſtatu, & habitu non decet omnino ſilere. Beatitudinem ergo hominis palam conſtat in aſſecutione, poſſeſſioneque ſupremi eius finis ſitam eſſe: tunc ſi quidem res unaqueque perficitur dum ad ſuum redit principiũ: eſt autem Deus ut eſt in Apocalypſi, α & ω, principium & finis, Deus uerò qui intelligibilis ſubſtantia eſt, non niſi mentis oculis percipitur, & poſſidetur. Vnde fit conſequens in uiſione illa qua Deus facie ad faciem conſpicitur, noſtram eſſe beatitudinem collocatam. Vnde Ioannes. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur & ſimus. Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt. Et ueritas ipſa. Pater uenit hora clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te &c ut omne quod dediſti ei, det eis uitam æternã. Hæc eſt aũt uita æterna, ut cognoſcant te Deum uerum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Vita. n. æterna una eſt, quæ hic per fidem inchoatur, & in cælo per uiſionem confirmata perficitur. Atque adeò, ut ſpe & amore in hac ſeculari militia ad illum conſpectum per fidem in ænigmate properamus, ita & illic apprehenſo obtentoq; Deo amore inhæremus, atque in illo ſic poſſeſſo per ſummum gaudium conquieſcimus, illoq; perinde fruimur. Juxta illud Aug. 10. confeſ. Beatitudo eſt gaudium de ueritate, quia ſcilicet, gaudium eſt beatitudinis conſummatio. Vbi enim ait Paulus, Sic currite ut comprehendatis: inſinuat, per fidẽ nos in hac uita ſpe currere, ſed uiſionem eum poſtmodum comprehendere, ac perinde

Ioan. 17.

Augu. 10. confeſſ.

2. Corin. 9

in ipso, quem amamus comprehenso, per gaudium cõquiescere. Est enim, vt idem ait Augustinus, ille beatus qui habet quicquid uult & nihil mali vult.

13. de trini cap. 5.

Cap. 2. ¶ Ad hanc verò fœlicissimã beatitudinem etsi homines naturali inclinatione ferantur et pondere, iuxta illud Augustini, Fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec veniat ad te, minimè tamen per nostras naturæ vires illam cõsequi sine speciali Dei fauore & auxilio valemus secundum illud Apostoli primæ ad Corinthios secundo. Oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascẽdit quæ præparauit Deus diligentibus se. Quasi diceret. Nulla homini facultas à natura suppetit, illam fœlicitatem vel corde cogitandi. Quinuerò nisi lumine gloriæ mentis nostræ oculus diuinitus subleuaretur, ad visum illum non sufficeret. Vnde Dauid, Gratiam inquit, & gloriam dabit dominus. Et alibi. In lumine tuo videbimus lumen. Rationem etenim fœlicitatis in genere nemo non appetit. Rem verò illam in qua verè consistit naturale lumen ostendere non sufficit. Vnde 13. de trinit. Aug. Si unus dixisset. Omnes beati esse uultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non cognosceret voluntate. Ob idque cum capessendæ beatitudinis vna sit omnium voluntas, de ipsa tamen beatitudine magna est voluntatum diuersitas: non quòd eam aliquis nolit, sed quod nõ eam omnes norint.

1. Corin. 5

Psalm. 83.

Psalm. 35.

Aug. 13. de trini. ca. 3.

Cap. 3. ¶ Igitur cum Deus fœlicibus illis cœlicolis speculum, sit, non naturale, sed spontaneum, quã quam omnes iuxta uerbũ Pauli eum sic comprehendant, vt visu teneant, nemo tamen sic vt ipse comprehendit, sed plura pauciora ve in ipso contuentur, vt secundum singulorum merita per eius misericordiam comparata iustitia requiret. Erit ergo cunctis Deus, vt in parabola uineæ, ait Dominus, denarius vnus, & ueluti ait Pau. Omnia in omnibus: quia vnusquisque uoluntatem explebit suam. Sed tamen non omnes parem gloriam sortientur: nam in domo patris mei (ait idem redemptor) mansiones multæ sunt: quia multæ erunt præmiorum differentiæ. Domus ergo una, sed mansiones multæ. Sicuti & claritas vna, sed tamen, vt ait Apostolus, stella differt à stella in claritate. Post diem uerò iudicij amplior erit electis accidentaria gloria: tum propter resumpta corpora, tum et propter amplificatum electorum numerũ. Vnde super Oseã Hierony. illud explicans verbum. Viuifica nos post tres dies. Peracto inquit iudicio ampliorem gloriam suæ claritatis Deus demonstrabit electis.

Matth. 20

Ad Colos. 3.

Ioan. 14.

1. Cori. 15

Hierony.

¶ Cæterùm vt animæ tribus dotibus, secundum numerum Theologarum virtutum ditabuntur: nempe, visione quæ respondet fidei, comprehensione firmaq; per eandem visionem tentione, quæ terminus est spei, stabilique dilectione, & delectatione quæ consummatio est charitatis, ita &) in corpora quatuor inde effluent dotes, quę sunt impassibilitas contra corruptionem, subtilitas cõtra animalem naturam, corporis agilitas contra eius grauedinem, & claritas contra obscuritatem. Iuxta illud Pauli primo Corin. 15. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate surget in uirtute. Seminatur corpus animale surget corpus spirituale.

1. Cori. 15

Cap. 5. ¶ His demum aureis beatitudinis coronis, quibus per diuinum conspectum beati omnes decorantur iuxta illud Apocalypsis quinto. Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, adhibentur & Aureolæ, illis propositę, qui per quasdam singulares uirtutes Dei numine adiuti de nostris hostibus: nempe, de carne, mundo, & diabolo triumpharunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pharunt. His nanque per quã dam excellentiam illud Pauli de his qui in agone certant ac commodatur. Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Virginibus ergo ob inſignem aduerſus carnem victoriam, & martyribus, quia ſtrenuè contra mundi turbulentam rabiem depugnantes morti occubuerunt, atque adeò catholicæ ueritatis Doctoribus, qui ſuccincti gladio ſpiritus, qui vt ait Apoſtolus eſt uerbum Dei, tentamenta diaboli, non ſolum à ſe ipſis, uerum ab alijs propulſarunt eiuſmodi aureolę decretę ſunt.

2. Timo. 2

Epheſios.

DISTINCTIONIS QVADRAGESIMÆNONÆ, Quæſtio prima, In quo Beatitudo conſiſtat.

TERTIA tandem, poſtremaq; pars tractatus, de ſtatu reſurgentium in diſputatione uerſatur, de ſtatu Beatorum ac damnatorum: quæ ideo duas continet diſtinctiones. Hæc ergo quadrageſima nona, in contemplatione beatitudinis poſita eſt: digna profectò materia quæ quartum hunc librum ſententiarum concludat, atq; adeò quæ attentiſſima ſpeculatione diſſeratur. Expoſcere autem uidetur quæſtiones quinque. Prima.n. interrogabit, in quo beatitudo conſiſtat. Secunda, quibuſnam uirib. eã adipiſcamur. Tertia, de uiſione, quæ eſſentia eſt beatitudinis: Quarta, de beatorum omnium dotibus. Ac demum quinta de quorundam aureolis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm beatitudo in aliqua re corporea, aut ſenſibili conſiſtat.

CVM res primum in ſpirituales, & corporeas diuidantur, inde initium huius præſentis ſpeculationis ſumendum eſt, ut uideamus, utrũ beatitudo in re aliqua corporea aut ſenſibili conſiſtat. Et arguitur à parte affirmatiua. Id quod plurib. in opinionem eſt, nõ uidetur falſum eſſe omnino: nam uox populi uox naturæ uidetur. & 7. Ethi. ait Philoſophus, quòd opinio non perditur, quã populi multi famant. Sed populi opinio in reb. corporeis fœlicitatem collocare uidetur: nempe, aut in diuitijs, aut in uoluptatib. ut. 1. Ethicorum, ait idem Philoſophus: quippe quas & auidiſſimè cupiunt, & ſolertiſſimè inſectantur: & elegantiores in honorib. ergo in illis beatitudo cõſiſtit. Partis negatiuæ argum. 1.

¶Secundo arguitur. Beatitudo conſiſtit in illo bono, quod optimum eſt, bonum autem corporale uidetur optimum: quia quo aliquod bonum communius eſt, eo diuinius, ut. 1. Ethic. ait Philoſophus: corporale autem bonum uidetur cõius quàm ſpirituale: nam ſpirituale non conuenit niſi homini ſecundum animam, corporale uerò ad alias ẽt inferiores creaturas protenditur. Imò ſpirituale non põt eſſe corpori cõmune: corporale uerò poteſt eſſe commune animæ ut pote quæ de rebus corporeis uoluptatem capit: ergo uidetur beatitudo in bonis corporalib. eſſe poſita. 2. Arg.

¶Tertiò ſicut prima cauſa inter efficientes eſt illa quæ in omnes influit, ita & ultimus finis in quo beatitudo conſiſtit, eſt illud quod primum omnium affectum mouet: illud autem eſt eſſe, quod ut ait Ariſtoteles in uiuentibus eſt uiuere: ergo beatitudo hominis conſiſtit in uita quam totam ſine ſalute corporis ſeruare nequimus: ergo in ijs quæ ad corporis conſeruationem attinent collocatur beatitudo. Vnde Eccleſiaſtici trigeſimo. Non eſt cenſus ſupra cenſum ſalutis corporis. 3. Arg.

¶In

Pars negatiua.

¶In contrarium eſt, quòd beatitudo hominis conſiſtit in eo, quod ſibi quatenus animali rationali, eſt peculiare, & proprium, ut 1. Ethicorum. cap. 7. ait Philoſophus, quo ſcilicet cunctis animantibus præſtat, quippe quibus beatitudo propriè non conuenit: corporea uerò bona ſunt brutis communia: ergo in illis beatitudo nõ conſiſtit. Beatitudo.

¶Primum omnium hoc eſt de nomine adnotandum. quòd hominis beatitudo idem eſt, quod ultimus eius finis, quo cuncta ſua deſideria refert, & in cuius conſecutione conquieſcit. Quocirca diſtingui ſolet inter beatitudinem, ſeu fœlicitatem, obiectiuè, & formaliter. Obiectiuè nanque eſt res ipſa, quam homo poſſidere cupit, ſed formaliter eſt ipſa poſſeſſio. Vt fœlicitas auari, obiectiuè eſt pecunia, formaliter uerò eius poſſeſſio. Et fœlicitas guloſi eſt cibus, formaliter uero eſt guſtatio, qui eſt actus guſtus. Quare obiectum illud dicitur bonum hominis extrinſecum, actio uerò qua poſſidetur, intrinſecum, & inhærens homini. Adnotatio quæſtionis.

¶At uerò quanuis tam finis ultimi quàm beatitudinis nomen promiſcuè pro utroque uſurpari ſoleat, ut tam res, quàm poſſeſſio dicatur beatitudo, & utrumque dicatur ultimus finis: Deus ſcilicet extrinſecus & uiſio intrinſecus, tamen ad hanc amphibologiam cauendam, ſi nominum proprietatem obſeruemus, dum ſimpliciter dicimus, ultimus finis, rem ipſam quam conſequi cupimus ſignificamus: ſed dicimus beatitudo, ubi poſſeſſio rei illius intelligitur. Nam beatitudo eſt abſtractum huius quod eſt, beatus, atque adeò nominat inhærentem formam, qua homo eſt beatus, ſicut albedo eſt forma albi: finis uerò ultimus dicitur bonum quod propter ſe amamus & cupimus. Quare ultimus finis eſt res quæ nos per ſui poſſeſſionem beat. Igitur cum quærimus in quo beatitudo conſiſtat, exploramus rem illam quæ ultimus finis eſt, cuius poſſeſſione beamur. Quæſtio noſtra.

¶Atqui ſi rem à prima linea exordienda hic nobis fuiſſet, debuiſſemus feriatim per ſingula bona corporalia diſcurrere, ut Diuus Thomas fecit. 1. 2. quæſtione ſecunda, nempe utrùm cõſiſteret in diuitijs, aut in uoluptatibus, aut in honoribus &c. Illa tamen diſputatio ad moralem philoſophiam ſpectat. & rationibus naturalibus ſecundum Ariſtotelem. 1. Ethico. procedit: & ideo non curamus hic peculiariter de ſingulis illis rebus ſingulos conſtituere articulos. Nihilominus, quia rei etiam Theologicæ præſenti inſeruit, ſummatim hoc primo articulo cuncta complecti inſtituimus.

¶Ad quæſtionem ergo unica concluſione reſpondetur. Beatitudo in nulla re corporea conſiſtit. Bonum enim ſi ratione ſuæ formæ, & naturæ diuidatur, triplex eſt, ſcilicet honeſtum, utile, & delectabile. Honeſtũ .n. eſt quod pp ſe eſt expetibile, ut Deus imprimis, ac ſubinde uirtutes. Dicturq; honeſtum, quia honore dignum: quin honor eſt uirtutis præmium. Vtile uerò bonum eſt, quod habet bonitatem ad alterius boni conſecutionem accommodã. Vt ſunt medicinæ reſpectu ſanitatis. Bonum autẽ delectabile eſt quod de rei concupitæ conſecutione dimanat. Itaque honeſtum bonum, ut utile antecedit, ita & delectabile ſubſequitur. Conclu. Triplex bonum.

Si uerò bonum ex parte ſubiecti diſcernatur, tunc alia ratione eſt etiam triplex. Eſt enim bonum animę, ut ſcientia & uirtutes, & bonum corporis ut ſanitas, ac bona deniq; externa, ut pecuniæ & aliæ facultates. Quam utiq; diſtinctionem Ioannes in 1. Canonica inſinuauit dicens, Omne qđ eſt in mundo, aut cõcupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia uitę. 1. Ioan. 2.

¶His ergo ſuppoſitis cõcluſio hac ratione ſub compendio probatur. Beatitudo hominis, ut nomen ipſum iam à nobis expoſitum admonet, eſt id quod ab hominibus uniuerſis ſecundum ſuam bene inſtitutam naturam, tanquam ultimus eorum finis concupiſcitur: finis autem rei eſt uel operatio ipſius, nam res eſt propter operari, uel aſſecutio finis ultimi per ſuam operationem: operatio uerò hominis propria eſt quæ à propria forma eius emanat: nam res per formam, à qua recipit eſſe, habet operari: forma uerò propria hominis per quam eſt rationalis, eſt anima: ergo beatitudo hominis in operationibus animæ conſiſtit, & in illo ultimo fine quẽ per illas operationes conſequitur: nempe in operatione formaliter, & in re obiectiuè. Operationes autem animæ propriæ non ſunt corporales, ſed ſpirituales: ergo beatitudo minimè in rebus corporis conſtituitur. Quòd ſi arguas, Homo Prima rõ concluſio.

conſti-

constituimur ex anima & corpore: ergo finis debet esse utrique commune: spirituale autem non est commune corpori. Respondetur, quòd quia corpus est propter animam sicut materia propter formam, ut ait 2. de anima. Aristot. Beatitudo consistit in bono animæ, quod redundat in corpus.

2. Ratio. ¶Secundò, quòd eodem ferè recidit, Beatitudo non nisi in bono honesto consistit, quod, ut diximus, per se est expetibile, quoniam proprium beatitudinis est animum, omni expleto desiderio, quietare, quod nō faceret si propter aliud concupisceretur: bona autem corporalia non sunt honesta, sed utilia, quia ut corpus est propter animam, ita & omnia bona corporis ad animam referuntur, propter quam condita sunt. ¶Tertiò, & id præterea sic demōstratur, tam homo quàm angelus ad imaginē Dei fuit fabricatus, ut Gene. 1. legitur: ergo ultimus finis utrique est idem communis: beatitudo autē angeli esse nequit corporalis: ergo neque finis hominis. Atqui rationes istæ non solùm theologæ sunt, sed etiam morales ex principijs naturalibus depromptæ. Quanuis tertia plus theologiæ redoleat. ¶Quod uerò istæ sub cōpendio demonstrant, aliæ sigillatim de rebus quibuscunque creatis ostendunt. Enimuerò quod in bonis externis temporalibus nempe diuitijs & facultatibus, quas Ioannes nominauit concupiscentiam oculorum, beatitudo sita non sit, probauit Aristoteles ex eo, quòd diuitiarum aliæ sunt naturales, atque aliæ artificiales. Naturales autem exquiruntur, non propter se, sed ad sustentandam hominis naturam, & uitam, ut cibus, indumenta, uehicula, & cætera. Non ergo possunt esse ultimus finis. Artificiales ue: ò, ut nummi, quippe qui propter naturales expetuntur, multo minus sunt ultimus finis. ¶Præterquàm, quòd beatitudo consistit in rei possessione firma, & stabili: bonum autem diuitiarū non est possessio, sed earum usus & consumptio: sunt enim bona non per se honesta, sed utilia. Adde, quòd beatitudo, si naturalem rationem consulas, debet propria uirtutis operatione acquiri, diuitiarū autem comparatio temeritati potiùs, atque aleæ fortunæ subdita est, quàm prudentiæ, & uirtuti. Quod si illud Aristote. obijcias. 2. Physic. ubi ait, quòd fœlicitas & fortuna circa idem esse uidetur. Respōdetur, quòd

Beatitudo in diuitijs nō cōsistit.

intelligit fœlicitatem & fortunam subiecto conuenire: nam solus homo, qui est fœlicitatis capax, est fortunæ subiectus: non tamen uersantur circa idem obiectum & materiam: nam fortuna est eorum quæ referuntur ad alium finem: est nanque eorū quæ accidunt præter intētionem finis. Beatitudo uerò est illius rei quæ ab omnibus amatur & intenditur tanquam finis. Ob idq; fortuna res est à fœlicitate diuersa. Licet nonnunquam illi seruiat: nam res quæ præter intentionem accidunt, tum prospere tum præsertim aduersæ conferre quandoque homini assolent ad emendandam uitam. ¶Iam uerò cùm beatitudinis sit appetitum satiare, nulli hoc minus rei quàm diuitijs conuenit: nam ut Ecclesiastici. 5. admonemur, auarus non implebitur pecunia. Qua de causa quandam infinitatem eius auiditas habet: ratione beatitudini cōtraria. De uera quippe beatitudine ait ipsa sapientia Ecclesiastici. 24. Qui edūt me adhuc esurient: nam quāto perfectiùs possidetur, tanto eius perfectio suauiùs gustatur, atque adeò tanto uehementius amorē ad se rapit: diuitiæ uerò contra, quo plures possidentur, eo illarum insufficientia euidentiùs percipitur, & ideo illis cōtemptis, aliæ affectantur. Vnde Ioannis. 4. Dominus ait, Qui biberit ex hac aqua, scilicet, ex temporalibus bonis, sitiet iterum.

Fœlicitas & fortuna.

In honore nō cōsistit.

¶Neque uero in honore, quod est bonum animæ appellatum à Ioan. superbia uitæ consistere potest beatitudo. Est enim honor uirtutis præmium, qui idcirco non expetitur nisi tāquam uirtutis testimonium: hac enim ratione homines à sapientibus honori haberi percupiunt. Quocirca uirtus præstantior res est, quàm honor. ¶Præterea beatitudo in potestate hominis saltem per Dei auxilium esse debet: honor autem non est in honorato, sed in honorante, hoc est. In potestate cuiuscunque est per Dei fauorem dignum fieri honore: honorari uerò minimè, sed in aliorum potestate. Quocirca, ut supra diximus, præstantior est honoris dignitas, quàm ipsa honoratio. Atque adeò non debemus honorē, ut aiebat Cato, quia umbra uirtutis est, insequi, sed uirtutē, ut honor nos subsequatur. Fac uirtutem solem esse. Versus uirtutem ire perge, & te fugientem persequetur umbra, sicuti illum, qui uersus solem graditur. At si terga uirtuti uertas, quantumuis

Optima si militudo.

uis honorem insequaris, nunquam legitimum consequeris, sed uanum. Ob idq; uerus honor, qui expetí à nobis debet, est ille quem Dominus Lucæ. 12. suis dilectoribus pollicitus est, Quicunque me confessus fuerit coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei. ¶Multo autem minus collocanda fœlicitas est in bonis corporis, nempe, in uoluptatibus, quas Ioannes nuncupauit concupiscentiam carnis. Oblectatio nanque nō est per se bona, sed alteri bono tanquam accidens, adiuncta ad alliciendum affectū. Delectatio inquam ciborum non est per se bonum, sed nutritio, cui sagax natura delectationem adiunxit propter illius necessitatem. Delectatio ergo, ut. 1. & 10. Ethicorum, autor est Philosophus, non est per se aut bona aut mala, sed id à re illa sortitur, ad quam consequitur. Vt si cibatio est iusta & bona, delectatio erit laudabilis, sin minus, uituperio digna. Igitur bonum illud à quo uoluptas bonitatem sortitur præstantius est ipsa. Quare in uoluptate non potest beatitudo consistere, & longè minus in uoluptate sensus. Nam bonū quod sensu percipitur, non est perfectum hominis bonum: ut pote cuius propria species sit esse animal ratione, quod utique habet ab anima. Ex quo fit quòd bonum corporis non attingit hominis perfectionem: atque adeò sensibilis uoluptas multū ab hominis fœlicitate degenerat. Quapropter eos, qui in honoribus fœlicitatem collocabant, elegātiores appellauit Philosophus: nam sensualis uoluptas cum brutis animātibus communis est homini. ¶Tres istas sectas absurdas uisus est profligasse Christus dominus Matthæi. 5. quasi mundus totus eis esset imbutus, ut legi suæ uiam sterneret. Beati pauperes spiritu. Beati mites. Beati qui lugent. Acsi dixisset. Tantū abest, ut beatitudo in ijs bonis quæ mundus admiratur, sit collocāda, ut in eorum prorsus abiectione sit posita.

¶Neque uerò beatitudo consistit in gloria aut fama humana. Gloria enim, ut ait Ambrosius, est clara cum laude notitia: at uerò notitia humana, quia sumitur à rebus apparentibus, fallax est, & ideo dicitur uana, sed pendet nostra fœlicitas ex notitia Dei, quæ cum sit causa rerum, nō fallit. Quare illa est uera gloria nostra, quòd merita nostra per eius gratiam nobis comparata, & ipse lauder, & alijs manifestet. Iuxta illud psal. Eripiam eum, & glorificabo eum. ¶Colligamus ergo in bonis corporalibus non consistere beatitudinē: imò quatuor habere qualitates beatitudini cōtrarias. Est etenim uera beatitudo, summū bonum, quod ideo nullum secum compatitur malum: estq; per se sufficiens, quæ id circo nullius extrinsecus indiget. Est præterea perfectum bonum quod propterea nulli potest nocere. Atque adeò comparatur ex principijs ipsius beati diuinitus adiuti. Bona uerò temporalia, & multa habent sibi mala permixta, neque ullum illorum per se sufficit, imo neque omnia simul, & crebro ipsis possessoribus sunt perniciosa, ac demum extrinsecus nobis obueniunt. Fit ergo ex his consequens neque beatitudinem hominis in aliqua operatione corporali consistere, neque eius ultimū finem aliquam rem esse corporalem.

Epilogus.

¶Ad primum igitur capitale argumentum respondetur, non semper multorum opinionem esse in totum ueram, sed in partē. Populi autem opinio huic nititur syllogismo. In eo consistit fœlicitas quod optimū est: bona autem temporalia sunt optima. At qui in istarum priori præmissa non fallitur, quia id natura magistra uniuersi docti sunt: in illa tamen subsumpta æstimatione, nil mirū, si uulgus fallatur, eo quòd sensit de rebus iudicat. ¶Et eadem ratione soluitur argumētum fieri solitum. Id enim uidetur esse summum bonum, quod prius concupiscitur: & tamen ab amore rerum corporalium incipit affectus noster, & inde, ut ait Gregorius, ad amorem inuisibilium manu ducimur. Sed negatur inde cōsequi esse summum aut præstantius: sed quoniam cognitio nostra, ut 1. Physicorū habetur, ab uniuersalioribus inchoatur, fit ut quod primum amamus, ht in genere id quod nobis uidetur optimum: ob idq; primum omnium amamus nos ipsos, deinde corporalia quæ ad nostram conseruationē & quietem attinent. Sed tamen inde assurgimus ad spiritualium amorem, quæ cognoscimus esse perpetua & ad animā propriè pertinere. ¶Ad secundum respondetur, quòd bonum corporale est quidē communius in genere per prædicationem: tum quòd corporalia plura sunt quàm merè spiritualia: tum quòd & corporalia etiam ab angelis cognoscuntur: spiritualia uerò non

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non percipiuntur sensu. Sed tamẽ si loquamur de re una singulari, res spiritualis est bonum communius per participationem & continentiam plurium bonorum. In re enim spirituali uirtute continentur corporalia ut in speciebus ad intelligendum, & in affectu ad amandum. Et omnium potissimum in Deo quia eminenter continet omnia, ac perinde est finis omnium supremus. Et eadem ratione uirtus quæ est res spiritualis se extendit ad corporalia quãtum ad finem suæ operationis: per uirtutem siquidem temperantiæ & fortitudinis homo se protegit à nocumentis etiam corporum, quia omnia illa sunt materia uirtutis: sed tamen finis intentionis, quo uirtus tendit & in quo homo quietatur, non est nisi bonum animæ, quæ nobilior est corpore.

Sol. 3. arg. ¶Ad tertium denique respondetur, quòd esse simpliciter acceptum præstantius est rebus cæteris uniuersis: quia omnia fundãtur in esse rei: sed tamen esse participatum in hac uel illa re particulari, ut esse hominis in corpore, licèt sit præstantius rebus alijs corporalibus, non tamen est perfectius, quàm esse spirituale, quod in Dei possessione & contemplatione cõsistit. Vnde Dionysius cap. 5. de diuinis nominibus, Esse inquit est melius quàm uiuere (quia uniuersalius) sed uiuentia sunt meliora existentibus: & intelligentia uiuentibus sine intellectu.

ARTICVLVS II.

Vtrùm beatitudo consistit in aliqua operatione.

QVO ex superioribus habemus collecta, & definita, nempe finem ultimum hominis non esse bonum aliquod corporale, neq; uerò eius beatitudinem in operatione eius corporali consistere, unde fit consequens, ꝙ sit bonum aiæ: sed restat explorare. Vtrũ beatitudo, saltem in aliqua consistat operatione, secundum sensum, uoluntatem, uel intellectum. Et arguitur à parte negatiua. Ait Paul. ad Rom. 6. Habetis fructum uestrum in sanctificatione, finem uerò uitam æternam. uita autem non est operatio, sed ipsum uiuẽtium esse: ait. n. 2. de anima. tex. 37. Philosophus ꝙ uiuere uiuentibus est esse: ergo beatitudo non cõsistit in operatione. 2. Argum.

Partis negatiuæ argu. 1.

¶Secundò. Boetius. 3. de consolatione. Beatitudo, inquit, est status omnium bonorum congregatione perfectus, status aũt non dicit operationem sed esse. Quod si operationem includeret, comprehenderet etiam sensitiuam, à qua intellectiua dependet, & per quam multa cognoscimus, sine qua ideo non posset omnium bonorum congregatio consistere: sensitiua aũt cognitio cùm sit temporalis, non potest ad essentiã beatitudinis pertinere.

Pars affirmatiua.

¶In cõtrarium uerò est illud Arist. 1. Eth. c. 7. quòd fœlicitas consistit in operatione secundum uirtutem. 1. Conclu.

¶Ad qõnem trib. conclusionib. respondetur. Prima. Beatitudo consistit in aliqua operatione. Ad cuius intellectum illa sem per habeatur' præ oculis supra explicata distinctio inter ultimum finem, & beatitudinem, quòd beatitudo sit assecutio ultimi finis: & ideo si quis interroget. Vtrum beatitudo hoís consistat in aliquo bono creato, & consistere in aliquo bono dicat rõnem obiecti, in quo homo quietatur, quem sensum in rigore facit eiusmodi propositio, negatiuè respondendum est, ut. 1. 2. q. 2. art. 8. respondet D. Th. quoniam illud bonum in quo beatitudo sic consistit, est ultimus finis, atq; adeò Deus. Vnde Aug. 19. de ciui. Dei. Vt uita, inquit, carnis aĩa est, ita beata uita hominis Deus é, de quo dicitur. Beatus populus cuius dominus Deus eius. Nihil. n. uoluntatem quietare ualet, eiusq; desideria plenè complere, nisi sit bonum uniuersale quod est prorium uoluntatis obiectum: bonum autẽ uniuersale, oĩa bona continens, quæ assectari possunt, solus Deus est. Quando ergo dicimus beatitudinem in operatione consistere loquimur in sensu (ut aiunt) identico: nam beatitudo est ipsa operatio, qua homo formaliter est beatus.

Probatio conclu.

¶Probatur ergo in hoc sensu conclusio, scilicet, quòd beatitudo sit operatio hominis. Est enim in homine considerare primum omnium, esse & uitam, & præterea in anima potentiam, habitum, & actũ, ut secundo Ethicorum ait Philosophus: beatitudo autem non potest esse nisi operatio. Quod sic probatur. Beatitudo est ultima hominis perfectio: nihil autem perficitur quatenus est in potentia,

tia, sed quatenus est in actu, quippe cùm potentia sine actu imperfecta sit: quoniam ut. 2. de cælo tex. 17. ait Philosophus, unũ quodq; cuius est aliqua operatio sit propter eius operationem, ut cæli sunt propter generationem, & oculus propter uisionem: consistit ergo beatitudo in actu hominis. Philosophus autem. 2. de anima, tex. 2. & 5. duplicem actum ponit in anima, nempe habitum, & actum. Habitus uerò non est purus actus, sed medium quid inter potentiam & actum, nempe perfectio potentiæ ad operandum: sed quia per habitus denominamur sapientes, studiosi, prudentes, &c. appellauit habitum, actum primum: operationem uerò, actum secundum. Igitur si perfectio rei in actu consistit, necesse est, ut ultima perfectio consistat in ultimo actu. Quo enim domus cùm ædificatur plus habet de actu, eo forma domus perfectior est, & quo fœtus in utero plus habet de uita. Quocirca Aristoteles. 1. Ethicorum ca. 7. fœlicitatem in operatione collocauit, quæ est secundùm uirtutem. ¶Quòd si arguas. Bonum quo diuturnius, ut. 1. Ethicorum habetur, eo perfectius, habitus diuturnior est actu, ergo perfectior atq; adeò in ipso consistit beatitudo. Ad primam præmissam respondetur comparationem faciendam esse in eadem specie, ut. 10. Metaphysic. textu. 13. ait Philosophus: habitus uerò & actus sũt diuersæ speciei: & ideo quia cætera non sunt paria, habitus non est perfectior: quoniam est propter actum. Præsertim quòd actus beatitudinis, ut infra uidebimus, est magis diuturnus: nempe perpetuus. At uerò cùm operatio, ut. 9. Metaph. ait Philosophus, duplex sit: una scilicet transiens, ut urere & ficcare quæ in externam transit materiam, atque altera permanens, ut intelligere & uelle, beatitudo non potest esse illa transiens: quippe cùm non sit forma perficiens subiectũ, sed perficiens opus effectum. Est ergo operatio permanens. Omnis quidem operatio perficit operantem: illa uerò quæ transit in exteram materiam, ut ædificatio, perficit quidem operantem in ratione finis ipsius artis: sed permanens perficit ipsum in ratione formæ, ut amor & cognitio, in qua ergo consistit beatitudo.

¶Eadem conclusio demonstratur apud Arist. loco proximè cicato. 9. Metaph. tex. 15. & 16. ex eodem principio, quòd res est propter suam operationem: unde concludit fœlicitatem esse uitam, quę consistit in operatione perfectissima. Idemq; concludit. 10. Ethi. c. 7. & 12. Meta. tex. 39. Hæc autem conclusio perspectior fiet articulo proximo inter disputãdum de uisione beatifica, utrũ sit operatio ipsius intellectus.

2. Conclu. ¶Secunda conclusio. Operatio sensitiua siue sit potentiæ apprehensiuæ, siue appetitiuæ, non potest esse beatitudo: quanuis sit beatitudinis accidentaria. Tripliciter nanque ad beatitudinem quippiam attinet. Nempe, aut essentialiter, aut accidentaliter, aut consequenter. Atqui essentialiter operatio sensus beatitudo esse non potest. Beatitudo etenim nostra, ut dictum est, cõsistit in consecutione ultimi finis, qui ut modò diceb amus, est bonum increatum, nempe Deus. Sensu autem, quippe, qui materialis est, nequimus Deum, puriſſimum actum percipere, atque adeò neque ipsum appetitu sensitiuo concupiscere.

¶Sed contra. Contritio nonnumquam sensu percipitur: adeò, ut & lachrymas exprimat, ergo appetitu sensitiuo timere possumus Deum, atque adeò aliquo modo amare. Respondetur, quòd sensu non possumus Deũ uidere, ut quæstione tertia monstrabitur. Sed nihilominus supposita cognitione intellectus abstractiua Dei potest sensus interior: nempe æstimatiua aliquam rationem amicitiæ uel timoris Dei percipere, sicut auicula & matris amicitiã & lupi inimicitiam percipit. Et per illam potest appetitus dolere usque ad lachrymas. Possunt præterea operationes sensus beatitudinem tum antecedere, tum etiam subsequi: quoniam in hac uita intellectua lis cognitio à sensu proficiscitur, quare per hæc uisibilia, ut ait Paulus, inuisibilia Dei contemplamur. Et corporibus per resurrectionem resumptis, ut ad Dioscorum, ait Augustinus, fiet in æterna beatitudine quædam redundantia beatitudinis animæ in corpus, & in corporeos sensus, ut quæstione quinta peramplius explicabitur.

3. Conclu. ¶Fit ergo ex hac proxima conclusione consequens beatitudinem in operatione duntaxat secundum animæ partem rationalem, nempe intellectum & uoluntatem consistere. Adhibetur nihilominus, Tertia conclusio. Beatitudo non consistit in operatione hominis,

minis, quæ in hac uita caduca haberi poteſt. Probatur. Beatitudo eſt ultima hominis perfectio: ergo unicuique ſecundũ modum ſuæ naturæ, quo perfici poteſt, contingit. In Deo nanque quia eſſe & eſſentia & operari idem ei ſunt, beatitudo eſt eius eſſentia, neque alio quàm ſe ipſo fruitur, ſed alia ꝓpter ſe ipſum diligit. Angeli uerò p unicam operationem qua Deo coniungũtur fiunt beati: per illam nanque operationem qua ſe cum Deo per eius gratiam coniunxerunt meruerũt beatitudinem, quam in termino illius operationis adepti ſunt. Quare in uia unicum tantum habuerunt meritorium actum. In homine uerò, quia diutius eſt in uia, multæ ſunt operationes quibus ſempiternam beatitudinem promereturꝫ nulla tamen eius eſſe poteſt beatitudo. Fœlicitas nanque, ut Ariſtote. 1. & 10. Ethicorum, autor eſt in duas diſtinguitur: altera enim eſt actiua quæ conſiſtit in operatione ſecundum uirtutem, atque altera ſpeculatiua, quam in contemplatione ſubſtãtiarum ſeparatarũ collocauit. Haud enim naturali duntaxat lumine affulſus adueræ notitiam beatitudinis pertingere ualuit, quæ in intuitiua Dei contemplatione conſiſtit. ¶ At uerò quod in hac uita neutra eſſe ualeat perfecta, atque adeò nec rationem induere beatitudinis, inde conſtat quod continua eſſe nequit, neque firma & ſtabilis: quoniam neceſſe eſt, tum ſopore, tum & alijs officijs, quibus interdum uacare neceſſe eſt, interpollari. Neque contemplatio euidens eſſe poteſt, quia neq; Deũ, in quo beatitudo conſiſtit, præſentem habemus. Quocirca Philoſophus. 1. Ethico. Beatitudinem huius uitæ imperfectã cenſuit, neque nos ſimpliciter beatos efficere, ſed beatos ut homines: nempe qua ratione eſſe poſſumus in hac uita fœlices.

Fœlicitas cõtẽplatiua & actiua.

Probatio cõcluſion.

¶ Contemplatio uerò proprius ueræ beatitudini appropinquat, quæ erit in cælo; quoniam fœlicitas ſecundum uirtutẽ moralem, tunc circa res corporeas & temporarias ſæpè uerſatur: tum præſertim in plures operationes diſpergitur, neque in altero ſeculo eius neceſſitas perdurabit. Attamen contemplatio: & digniſſimæ potentię eſt, nimirum intellectus, & obiectorũ magis nobilium, ſcilicet rerum ſpiritualium. Et eſt actio magis una quia ueritatis ſpeculationi incumbit. Vnde Chriſtus Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima. Porrò unum eſt neceſſarium. Et quandam habet perpetuitatis imaginem, eo quod in promptu ſemper homo habet contẽplationis materiam: & ſi quãdo illam ſomno uel alia recreatione interrumpit: id facit, ut organa uegetiora ſint & animus plus ad ipſam inſtaurandam uigeat. Nihilominus quanuis contẽplatio genere ſuo & obiecto excelſior ſit, tamen proximorũ neceſſitas ſæpiſſimè efficit, ut officia actiuæ uitæ ſint cumulatioris meriti. Veram ergo beatitudinem in unica Dei præſentis contemplatione conſiſtere neceſſe eſt. ¶ Ad primum igitur argumentum reſpõdetur, quòd uita uno modo accipitur pro eo, quod eſt eſſe uiuentis: & ſic beatitudo nõ eſt uita, niſi in Deo, cuius eſſe eſt operari. Sed alio modo accipitur pro operatione: ſicut diuiditur in actiuam & contemplatiuam: & dicimus uiuere ſapientis eſt ſtudere. Et iſto modo beatitudo & uita: iuxta illud Ioan. 17. Hæc eſt uita æterna ut cognoſcãt te uerum &c. ut illico explicabimus. Et ideo Pau. contulit meritum cum præmio dicens. Habetis fructum &c. quoniam in hac uita per opera ex fide & gratia per liberum arbitrium germinantia debemus ſanctificare, hoc eſt purificare cor. Et illi ſunt ſpirituales fructus: iuxta illud ad Galatas. 5. Fructus ſpiritus ſunt, charitas, pax, gaudium, &c. Atque hoc pacto promeremur præmium, quod eſt uita æterna. Vnde Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. ¶ Ad ſecundum reſpondetur Boetiũ nil aliud docere uoluiſſe quàm beatitudinem eſſe bonũ perfectum atq; omniũ bonorum complementum: ob idq; operationem illam per quam illud bonum poſſidetur appellauit ſtatum. Sed tamen de eſſentia illius nõ eſt operatio ſenſus: ſed hoc probat argumentum quod operatio ſenſus antecedit ſubſequiturq; beatitudinem. Vt in ſecunda concluſione expoſitum eſt.

Sol. 1. arg.

Ro. 6. Habetis &c.

Sol. 2. arg.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm beatitudo ſit potiùs intellectus quàm uoluntatis operatio.

HVcuſq; rem hactenus deduximus, quod beatitudo eſt actus animæ ſecundum partem rationalẽ. Subſequitur ergo indagatio inter duas potentias

potentias rationales, quæ ſunt intellectus & uoluntas, in cuius illarum actu cõſiſtat. Et arguitur, quòd in actu uoluntatis, Beatitudo hominis, ut 9. de ciuita. Dei, ait Auguſt. in pace conſiſtit: iuxta illud Pſalm. Qui poſuit fines tuos pacem: pax autem in uoluntate conſiſtit: nam eſt charitatẽ conſequens: ſecundum illud, Ad Gala 5. Charitas gaudiũ pax, &c. ergo beatitudo conſiſtit in actu uoluntatis. ¶ Secundò. Beatitudo eſt ſummum bonum: ſed bonum eſt obiectum uoluntatis: ergo beatitudo eſt eius operatio. ¶ Tertiò. Beatitudo, ut nomen inſinuat, eſt operatio omnium nobiliſſima: hæc autẽ eſt charitas: iuxta illud. 1. ad Corinth. 13. Horum autem maior eſt charitas: ergo in illa beatitudo conſiſtit.

¶ In contrarium eſt illud Ioannis. 17. Hæc eſt uita æterna ut cognoſcant te ſolũ Deũ uerum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: uita nanque æterna eſt finis ultimus ubiq; in euangelio, tãquam ſummum præmium nobis propoſitus: ergo beatitudo hominis in cognitione Dei conſiſtit, quæ eſt actus intellectus.

¶ Quæſtio hæc multum & in Scholis celebrata atque eam ob rem compluribus opinionibus frequentata. Sunt enim tria in uera beatitudine coniuncta, nempe uiſio Dei, qui ultimus eſt finis noſter, & eiuſdẽ Dei amor, ac demum delectatio, quæ inde conſequitur. Vnde opiniones quot modis poſſunt uariantur: adeò ut ſint quinque. Quidam enim dicunt in nullo illorum actuum beatitudinem conſiſtere, ſed in omnium aggregatione. Alij in delectatione. Atque alij in amore, & alij in cognitione.

¶ Prima opinio fuit Henrici Gandenſis, quam Scotus diſtinctione præſenti q. 1. refert ex eius quodlib. 13. q. 12. Commẽtus enim ille fuit neſcio quam meditationem, quæ olim fuit celebris: nempe, quòd beatitudo conſiſteret in quadam circumincеſſione, & illapſu Dei in eſſentiam animæ beati, ad modum quo ignis circumincedit illabiturq; in eſſentiam candentis ferri, qđ transformatur in ipſum. Qui quidem illapſus fiebat ex ui amoris. Nam ut Dionyſ. cap. 7. de cœleſt. hierar. contemplatur, amor eſt uirtus transformatiua & conuerſiua amantis in amatum: quaſi à ſe exeat & in alio eſſe incipiat: iuxta illud euangelicum, ubi eſt theſarus tuus ibi eſt cor tuũ. At quia creatura non poteſt naturæ diuinæ illabi, econuerſo Deus ipſe & beatum diligens, & ab ipſo dilectiſſimus, per illum amoris feruorem fit tanquam ignis, quo inflammatus beatus fit ſicut Deus. Quapropter ſecundum illum doctorum beatitudo non eſt operatio perficiens potentiam, ſed illapſus Dei primò perficiens eſſentiam, atque inde redundans in potentias. Tametſi illapſus ille per operationẽ fiat uoluntatis. ¶ Et probabat ſuam opinionem primò, quòd cùm beatitudo ſit nobiliſſima perfectio, debet in nobiliſſimo ſubiecto recipi: eſſentia autem animæ perfectior eſt quàm potentia.

¶ Secundò. Quia cùm beatitudo ſit ultima perfectio rei, debet eſſe perfectiſſima coniunctio beati & beantis: perfectiſſima uerò coniunctio fieri non poteſt per operationem, cùm ſit accidens, alioqui beatitudo eſſet accidentaria: ergo debet illa coniunctio fieri per eſſentias ipſas, ut Deus eſſentiæ beati illabatur, quam in ſe transformet. Item, quia gloria quæ eſt beatitudo eſt gratia conſummata: gratia autẽ ut Sanctus Thomas docet, eſt in eſſentia animæ, gratum reddente Deo. Et potiſſimè arguitur. Beatitudo noſtra conſiſtit in ultimo fine, qui eſt Deus, & non in aliquo accidente: ergo non erimus beati quouſque ipſe Deus ſit nobis per eſſentiam coniunctus, & non per operationem. Et ideo Philoſophi, aiebat Henricus, quia non cognoſcebant rationem ueram beatitudinis conſiſtere in Deo, ipſam in operatione collocabant. ¶ Hæc autem opinio licẽt quandam præ ſe ferat imaginem ueri, quia certè ita eſt, quòd amor quodammodo trãsformat amantem in amatum, illa tamen transformatio non eſt, quia unum ſimpliciter fiãt, ſicut ex materia, & forma ſit ſuppoſitum, ſed quia amor infigit amantem in amatum: & ideo per metaphoram dicitur, & exaggerationis cauſa transformatio. Quare illa coniunctio non poteſt eſſe immediatè per eſſentias, ſed per illam amoris actionem. Illo enim pacto ait Chriſtus Ioan. 17. pro eis, qui crediturí ſunt in me rogo: ut omnes unum ſint. Sicut tu pater in me: & ego in te, ut & ipſi in nobis unũ ſint. Non enim rogabat, ut eſſemus una eſſentia cum Deo, ſicut filius eſt cum patre, ſed quòd quemadmodum pater, & filius ſe mutuo amore diligunt, ita & nos ſemper eſſemus cum ipſis per amorem conglutinati.

Reprobatio opin.

Ioan. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinati. ¶Potissima ergo reprobatio opinionis est, quòd illa circumincessio, & illapsus per essentiam non est intelligibilis: duæ enim essentiæ nunquàm fiunt una nisi per infirmationem, quod Deo est impossibile, neque immediatè coniunguntur, nisi per unionem hypostaticam, qualis fuit in Christo.

2. Arg. ¶Et ideo bene arguit Scotus. Deus cùm sit beatis præsens non aliter se habet, quàm priùs, si essentiam utriusque consideres: ergo non potest coniunctio aliter intelligi, quàm per operationē, seu intellectus seu uoluntatis, quæ ideo operatio erit forma creaturæ qua fit beata.

3. Arg. ¶Item creatura non potest Deum, ut formā recipere à quo ipsa denominetur beata, quia Deus non est in subiecto receptibilis, ergo recipit eum per accidens, scilicet per operationem qua ei coniungitur. ¶Postremò arguitur. Deus ipse, quanuis sit beatus per suam essentiam, ratio tamen est, quia essentia, & operatio, nempe comprehensio, qua se comprehendit, sunt idē, atque adeò ratione saltem differt beatitudo ab essentia: ergo in creatura, similiter beatitudo est eius operatio.

Argum. ¶Quòd si arguas. Ergo anima facit se beatam. Negatur consequentia. Si intelligatur, ut tota aut prima causa: quia non potest illam operationem, nisi Deo autore elicere iuxta illud psalm. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Præterea, ipsa sibi uidetur opinio contradicere, dicens illapsum fieri per amorem, & nihilominus priùs fieri in essentia.

Solut. arg. ¶Ad eius ergo primum argumentum respondetur, quòd etsi beatitudo sit nobilissima perfectio, tamen quia formaliter accepta, non est nisi operatio, non potest primum recipi in essentia, sed in nobilissima potentia, quam infra monstrabimus esse intellectum. ¶Et eodem pacto respondetur ad secundum. Conceditur nanque beatitudinem esse coniunctionem perfectissimam cum ultimo fine, possibilem tamen: non autem est possibilis nisi per operationem. ¶Ac perinde conceditur quòd beatitudo nostra consistit in ultimo fine, qui est Deus tanquam in obiecto: formaliter tamē in operatione perfectissima qua nobis coniungitur. ¶Secunda opinio est Ricardi distinctione præsenti articu. 1. quæst. 6. quòd beatitudo consistit complexim, & aggregatim in actu intellectus, simul, & uoluntatis. Quocirca nominales, ut Maioris quæst. 3. dicit, quòd beatitudo accipitur dupliciter, uno modo collectiuè, & sic cōsistit in aggregato uisionis amoris & delectationis: & alio modo diuisiuè, quo pacto in quolibet illorum actu consistit: ná, ut ait quæstio. 5. tanquam problema sustineri potest quòd actus intellectus sit præstantior uel actus uoluntatis. ¶Durandus uerò quæstio. 4. ait quòd si beatitudo accipiatur pro eo quod omnem beati perfectionem includit, supponit aggregatiuè pro omnibus perfectionibus animæ & corporis quæ sunt in ipso, iuxta illud Augustin. 13. de trinita. capit. 5. Beatus est ille qui habet quicquid uult & nihil mali uult. Et iuxta illud citatum Boetij. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Si autem accipiatur pro eo, quod est omnium optimum, beatitudo est uisio.

Secūda opinio. Durand.

Reprobatio opin.

¶At uerò iste modus loquendi de aggregatione, quanquam prima facie quidpiam referat claritatis, non tamen neruum rei attingit. Nomine enim beatitudinis non nisi coniunctio cum ultimo fine designatur: quapropter unicam nominat, eandéq; consummatissimam operationem, qua qui dē unica actione omnia beatus possideat, quæ uult, quia in ipsa omnia aggregantur bona. Enimuerò, ut rerum omnium unica est operatio, qua cum suo fine coniungitur, ut descensus grauis & ascensus leuis, & ignitio ignis, & uisio oculi, &c. Ita & unica esse debet actio, per quam homo suum ultimum finem possideat, quæ idcirco eius sit perfecta per essentiam beatitudo, cui actiones aliæ sint annexæ: atque hæc est quam indagamus. Ineptum est ergo dicere, quòd beatitudo consistat in plurium aggregatione.

Tertia opinio.

¶Tertia opinio fuit Aureoli, qui collocauit beatitudinem in gaudio, & delectatione. Ait quippe Augustin. 10. confess. cap. 1. quòd beata uita est gaudium de ueritate. Et re uera opinio hæc nonnullum habet probabilitatis colorem: quia beatitudo uidetur esse quies beati, & fructus eius ultimus, gaudium autem est ultimū, quod consequitur ex uisione, & amore, in quod ideo beatus quiescit in Deo uiso & amato, atque adeò est fructus quem ex illa uisione capit.

Quarta opinio Sco.

¶At uerò Scotus quæstio. 4. ait beatitudinem consistere in amore, qui est actus uoluntatis, quem ipse putat esse fruitionem: ob idque occasione ab eodem doctore sumpta solet quæstio sub his terminis proponi. Vtrùm beatitudo consistat in uisione, an uerò in fruitione. At uerò Diuus Thomas & antiqui non interrogant, nisi utrum consistat in actu intellectus, an uerò in actu uoluntatis, & sic certè est disputandum: nam de fruitione, quinam actus sit, alia est quæstio. Et ideo nos claritatis gratia in duas quæstiones eā partiti sumus. ¶Ad præsentem ergo unica cōclusione respondetur, quæ est Sancti Thomæ. 1. 2. quæstio. 3. articu. 4. Beatitudo est actus intellectus: nempe, uisio Dei. Ait quippe, quòd essentia beatitudinis actu intellectus consistit, sed ad uoluntatem pertinet delectatio beatitudinem consequens. Quod dialecticorum more sic explicare possumus. Nomen beatitudo supponit pro uisione connotando amorem & delectationem: est enim uisio Dei quem amamus, quam delectatio consequitur. Probat. Primò sententia illa Christi citata, hæc est uita æterna, ut cognoscant te, &c. Hunc tamen locum sic cauillatur Scotus dicens, quòd illic non accipiatur uita æterna pro uita beata, hoc est, pro uita in qua consistit beatitudo, sed est sensus, quòd cognitio Dei est quædam uita quæ nunquam finitur, sed in perpetuum durat. Philosophus nanque. 12. Metaphysi. text. 39. ait quòd cognoscere est uiuere, & ideo si cognitio est æterna, qualis est Dei uisio, erit uita æterna, non tamen inde sequitur, quòd illa sit beatitudinis essentia.

Reprobatio opinionis.

¶Hanc tamen interpretationem, ut cum bona uenia egregij doctoris loquamur, textus non gratanter admittit: eadem enim ratione damnatorū cognitio, quippe quæ perpetua est, diceretur uita æterna. Adde, quòd Christus non simpliciter dixit, ut cognoscant te, sed ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum, ubi Deum ipsum qua ratione est finis noster, expressit, ut explicaret cognitionem illam esse perfectissimam cum illo coniunctionem, tanquam cum ultimo fine. Et ideo adiecit, & Iesum Christum: qui inquantum Deus est eiusdem beatitudinis obiectum, & inquantum homo causa & medium ipsius consequendæ.

Vita æterna.

¶Sed quid pluribus opus est? Nomine enim uitæ æternæ, ubicunque in euangelio memoratur, designatur summum illud præmium cultoribus Dei, primò positū, quod à morte inferni distinguitur. Iuxta illud Pauli, ad Romanos. 6. Stipendium peccati mors, gratia autem Dei uita æterna. Vt de Matthæi. 16. Quid boni faciam, ut habeam uitam æternam? Et infra, qui reliquerit patrem aut matrem &c. Centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Et Marci. 9. Bonum est tibi claudum intrare in uitam æternam, quàm duos habentem pedes mitti in gehennam ignis. Et Ioannis. 3. Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat uitam æternam. Vnde ante illa citata uerba apud Ioannem, ait Christus, Clarifica filium tuum, &c. ut omne, quod dedisti ei, det eis uitam æternā. Hæc est enim uita æterna, &c. Ecquis ergo colore ullo ambigere ualeat, quin illic uita æterna pro æterna beatitudine usurpetur?

Alius cauillus.

¶Aliter tamen solent Scoti discipuli locum illum interpretari, ut à sensu Sancti Thomæ illum diuertant: nempe, quòd ibi cognitio non accipiatur pro uisione beatifica, sed pro cognitione fidei, quæ dicitur uita æterna, eò quòd sit primū fundamentū quo itur ad uitā æternam.

Redargutio.

¶At uerò cū nulla illic fiat cognitionis restrictio, sed simpliciter Christus dixerit, ut cognoscāt, planè denotauit totā Dei cognitionē, quæ est uita æterna. Illa etenim uita hic incipitur per ænigmaticā fidei cognitionem, & in patria perficitur, & cōsummatur per uisionē, & nihilominus est una, nisi quia in hoc seculo non est confirmata. Nam uita gratiæ quæ hic fundatur in fide, suapte natura & ingenio, nisi nostra obstet culpa, perpetua est: quippe quæ neque per corporis mortem interrumpitur, sed permanet in anima, in qua loco fidei succedit uisio, eandem perpetuans uitā. Dicens ergo Christus, hæc est uita æterna, ut cognoscant te, non solā fidem, uerūm & præcipuè uisionē significauit, per quā Christus clarificaturus est patrem, cùm offerat ei in patria beatorū regnum, quod hic acquisiuit, nēpe sponsam suam ei reddens sine macula & sine ruga, qualis uniuscuiusque anima de fonte baptismatis resurgit. Quocirca Augustinus libr. 1. de trinita. Et Magister sententiarum, in hoc sensu tanquā certissimo

Ratio Sãcti Tho.

& receptissimo tractant hunc locum de uita æterna. ¶At uerò ratiõe Sancti Thomæ profectò conclusio planè, dilucidata, constabilitur, quæ est hæc, Beatitudo (qđ nemo negare potest) est consecutio ultimi finis, qua scilicet Deum possidemus & comprehendimus iuxta illud Matthæi. 25 Venite benedicti patris mei possidete regnum. Et secundùm illud Pauli. 2. ad Corinthios. 9. Sic currite, ut comprehendatis: Deum autem non per actum uoluntatis, sed per uisionem consequimur, possidemus, & tenemus &c. ergo uisio est beatitudo. Probatur minor. Voluntas fertur in finem, & absentem, dum ipsum desiderat, & præsentem dum in ipso quiescẽs delectatur: desiderium autem finis absentis constantissimum est, non esse finis consecutionem, sed motum in ipsum, quod idcirco desiderantem cruciat: delectatio uerò quæ habetur, dum finis est præsens non potest esse eius consecutio: imò potiùs illum iam obtentum & possessum supponit: non enim finis possidetur ex eo, quòd delectat, sed ex eo potiùs quod possidetur, delectat: non ergo consecutio finis est actus uoluntatis. Ex quo fit ut sit actus intellectus.

Impugnatio.

¶Hæc tamen ratio sancti Thomæ nonnullis uidetur lubrica, & manca, quia dũ de solis desiderio & delectatione probet non esse consecutionem finis, infert consecutionem non esse actum uoluntatis: & tamen deberet probare non esse amorẽ, Dei præsentis, in quo eam Scotus constituit. Veruntamen si ratio penitus inspicia tur, est profectò efficacissima. Supponit enim quòd actus uoluntatis, qui est amor cum sit indifferens ad rem præsentem & absentem: non est rei comprehensio: quia consecutio rei est actus per quem res habetur præsens: & ideo excluso desiderio, quod est rei absentis, si aliquis actus uoluntatis deberet esse assecutio Dei, ille deberet esse delectatio, quæ non est nisi rei præsentis: cum ergo illa non sit, fit ut neque ulla uoluntatis operatio sit finis adeptio & possessio. ¶Sed arguis.

Redargutio.

Pariter cognitio Dei est indifferens ad absentem & præsentem, & nihilominus per cognitionem consequimur Deum. Respondetur, id uerum esse de cognitione in genere, tamen uisio non est indifferens sed natura sua est rei præsentis, imò Deus per uisionem fit præsens, atque adeò apprehenditur. ¶Et per hoc confirmatur superior ratio. Si aliquis amor esset consecutio Dei, maximè esset ille qui est rei præsentis: ille autem præsupponit iam Dei præsentiam per uisionem: ergo uisio ipsa per quam Deus fit nobis præsens, est Dei assecutio, apprehensio, & tentio. Imò amor, ut dictum est, idem erat licèt nõ tam firmus antea rei absentis, uisio uerò minimè. Itaque idem argumentum, quod probat de delectatione, probat, & de amore, quòd non sit consecutio Dei. Ob idque Diuus Thomas. 3. contra gent. ca. 26. utrunque probat, sed in summa quia utrunque idem erat omisit, tanquã superfluum de amore multiplicare argumenta. Quin uerò, quia non suspicabatur aliquem constituere finis consecutionem in amore. Nam ut aliud instruamus argumentum, profectò quanuis deberet beatitudo in actu uoluntatis constitui, non esset in amore collocanda, sed in delectatione, quæ est uisionis fructus, atq; adeò fruitionis terminus, ut illico art. proximo mõstrabimus: est enim frui uoluptatem de re obtenta captare. ¶Sed ait nihilominus Scotus, quòd beatitudo non consistit simpliciter in amore, sed in amore Dei uisi. At uerò profectò tantum est dicere, in amore Dei uisi, acsi dicas in amore Dei habiti, ut præsentis, non ergo amor est actio per quam Deum habemus, sed illa uisio quæ præsupponitur ad illum amorem, & in eius obiectio includitur, cum dicitur in amore Dei uisi. ¶Ait uerò rursus per utrã q; potentiã nos consequi Deum scilicet, per uisionem, & per amorem: sed uisio præcedit, & ideo amor, qui subsequitur est perfectior, iuxta doctrinam Arist. 9. Metaphys. tex. 15. dicentis, quòd posteriora sunt perfectiora. ¶Veruntamen hoc, qđ affirmat non probat: scilicet, quòd amor sit consecutio: imò contrarium, ut ait Diuus Thomas circa fines sensibiles compertum est. Cupidus nanque pecuniæ nequaquam per eius amorem illam consequitur, sed illo amore incitatur ad conquirendum illam, quam tandem manu assequitur, uel alio possessionis genere. Et auidus cibi certè non consequitur per amorem cibum, sed per gustum, & auidus musicæ per aurem, & amicus pulchri per uisum. Et dũ per illos sensus rem possidet, tunc

Confirma .2 Co

S. Tho. 3. congent.

Aliud arg.

Scoti cogitationes refutantur.

Sententia Scoti.

Senſibiliũ exempla.

tunc delectatur in re habita & obtẽta. Simili ergo modo in Deo à principio per desiderium cupimus ipsum consequi: consequimur autem per hoc, quod fit nobis præsens: fit autem præsens per actum intellectus, eo quod res est intelligibilis, quæ aliter non potest attingi. Et tunc uoluntas quæ illam possessionem optabat, illum firmiùs diligit, atq; adeò iam in ipso habito delectatur. Igitur inceptum est duas, fingere consecutiones, nam postquam rem semel consequimur, non opus est alia consecutione, sed subsequitur in re amata & habita delectatio: quis enim rem adeptã adipiscitur? ¶Atqui hic est sensus uerbi Augustini supra citati. 10. confessio. quòd beatitudo est gaudium de ueritate, hoc est beatitudo est consecutio ueritatis, quam consequitur gaudium. ¶Præterea ad maiorem horum explicationem arguitur. Hoc differt cognoscitiua potẽtia ab appetitiua, q̃ cognoscitiua est apprehensiua rei, quippe cuius actus consistit in eo quod est obiectũ recipere: per species enim quas recipit ab obiecto ipsum cognoscit. & cognoscendo apprehendit, appetitiua uerò potentia nõ est apprehensiua, sed eius agendi modus est ferri in obiectum, ergo certè per amorem non apprehendimus Deum, sed per uisionem: & cum beatitudo sit Dei cõprehensio, ut ait Paulus, atque adeò eius possessio, fit ut non sit amor, sed uisio.

¶Item beatitudo est sufficiens bonũ: hoc aũt consistit in hoc q̃ Deus ostendat se nobis secundũ illud Ioan. 14. Qui diligit me ego diligã eum, & ostendã meipsum illi. Et Philippus. Ostende nobis patrẽ, & sufficit nobis. Manifestum aũt est Deum nõ se nobis ostẽdere per amorẽ nostrum, sed certè per uisionem. Glossat aũt Scotus dictum Philippi, q̃ loquebatur de sufficiẽtia quantum ad credendum per fidem, si ostenderetur ei pater. At profectò in hoc quod ait, ostende, non significat, nisi desiderium uidendi ad quod ducimur per fidem: & ideo Augustinus lib. 1. de trini. per illam ostensionem, uisionem intelligit, ut statim uidebimus. ¶Præterea. Beatitudo consistit in eo per quod efficimur Deo similes: nam ratio filij in similitudine consistit, iuxta illud. 1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur & simus: quia cùm apparuerit, inquit, similes ei erimus: per quid autem efficiamur similes, declarat subdens, uidebimus eum sicuti est. Eodemq; alludit Paul. 2. Corinth. 5. dicens. Dum sumus in corpore peregrinamur à domino: per fidem enim ambulamus, & non per speciem: sed habemus uoluntatem peregrinari à corpore, & esse præsentes ad dominum &c. ergo esse præsentes est uidere facie ad faciem: atque adeò idipsum est illum consequi, habere, tenere, & possidere.

¶Præterea. Beatitudo est præmium quod Deus nobis confert in patria, id autem, quod nobis confert est uisio: ad quam non modò concurrit specialiter, ut ad amorem, sed in ratione speciei uniendo se intellectui nostro, ipsumque subinde per lumen gloriæ eleuando, ut ipsum conspiciamus: amor uerò ille firmissimus consequitur illam uisionem: quasi uoluntas in Deum uisum naturaliter feratur. Adde denique, quòd summa miseria, & pœna damnatorum est pœna damni, quæ est carentia diuinæ uisionis: ergo in uisione consistit beatitudo.

¶At uerò quoniam Augustinum Scotus & sui in suam ipsorum sententiam cogere contendunt, consulatur ipse ubique, & potissimùm. lib. 1. de trinita. & constabit multo euidentius hanc suam fuisse sententiam, quàm S. Thomæ. Etenim capit. 8. tractans illud ad Colossen. 3. Cùm Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos apparebitis cum ipso in gloria. Ante, inquit, quàm id fiat, uidemus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Hæc enim, inquit, nobis contemplatio promittitur actionum omnium finis, atque æterna profectio gaudiorum. Vbi uisionem appellat contemplationem finis & præmium nostrorũ operum. Vnde subdit illud Ioannis iam à nobis citatum. Scimus quia cum apparuerimus similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Et subdit. Hæc est enim uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum: de qua contemplatione & uisione intelligit illud Pauli. Cùm tradiderit regnum Deo & patri: quasi illa sit regni possessio: quid clarius? Et cap. 9. In Dei, inquit, uisione merces tota promittitur delectationis, & desiderij nostri. Nunquid non merces idem est quòd meritorũ præmium? Glossat tamen Scotus, quòd uisio sit merces intelligentiæ, non tamen

Augustí. testimonia.

hominis. At uerò Augustinus nõ ait quòd sit nisi merces quæ promittitur omnium nostrarum actionũ & desiderij nostri præmium. Et cap. 10. In illa contemplatione Deus erit omnia in omnibus: quia nihil ab illo aliud homo requirit, sed solo ipso illustrari perfruiq; sufficiet. Mirandum est, quomodo Scotus hunc locum pro se afferat, cùm aperte dicat in illa contemplatione Deum esse omnia in omnibus, quod est esse omnium præmium. Sed & cap. 13. pluries, quàm quinquies id explicatissimè inculcat. Beati enim inquit mũdi corde, quoniam ipsi Deum uidebunt, qua summum præmium promittitur iustis. Et rursus, Hęc uita æterna est illa uisio, quæ non pertinet ad malos. Et rursus. Visio formæ Dei solis pijs exhibebitur, quorum dilectioni hoc ipsum promittit, quia seipsum ostẽdet eis. Et ut alia missa faciamus, circa finem enarrans illud Ioan. 14. Qui diligit me, ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi, uisio inquit sola est summum bonum nostrum, cuius adipiscendi causa præcipimur agere quicquid rectè agimus. Perspice q̃ ubi dixit Philippus, Ostẽde nobis patrem & sufficit nobis, de uisione loquebatur, quæ est sufficiens bonum. Et lib. 13. cap. 5. Beatus, inquit, nõ est nisi qui & habet omnia, quæ uult, & nihil uult malè. Non ergo ait beatitudinem esse, uelle seu amare ea quæ habes, ut Scotus glossat, sed habere & possidere ea quæ uis, & amas: ergò uisio q̃ quam Deum quem amamus habemus, est beatitudo. Sed nihil malè uelle requiritur ad beatitudinem sicut quædam dispositio uoluntas, nam qui mala uult, infœlicior est possidendo, quàm si ea consequi nequiret. Certè qui hanc ueritatem negant non tam Diuo Thomæ, quàm Diuo Augustino bellum inducunt.

Scoti argument.

¶Accersit uerò Scotus in suum patrocinium, Augustinum lib. 1. de doctri. c. 32. di centem, quòd hæc est summa merces, ut Deo perfruamur. Hunc autem locum tractabimus articu. proximo.

¶Sed nunc dicimus uisionem ipsam qua Deus possidetur, esse fruitionem, nempe actionem qua capitur delectatio. Ait nanque idem August. in lib. de moribus eccle. c. 3. Quid est aliud quod dicimus frui, nisi præsto habere quod diligis? ¶Arguit præterea Scotus, quòd beatitudo debet esse nobilioris potentiæ, uoluntas autem est nobilior, & præstantior, quia obiectum eius est bonum. Veruntamen quanuis hic locus non uacet ad amusim disputandi de collatione hac uoluntatis cum intellectu, certum est tamen Philosophum. 10. Ethico. capit. 7. ex professo probare intellectũ esse potentiarum perfectissimam, ac diuinissimam: qua de causa, summam hominis fœlicitatem in uita contemplatiua collocauit, quo nihil potuit euidentius in nostrum fauorẽ asserere, licèt religione Christiana non esset imbutus. Ecqua enim est summa contemplatio, nisi illa Dei uisio?

Omnis homo naturaliter scire desiderat.

¶Imò illud primi metaph. Omnis homo naturaliter scire desiderat ad id ipsum pertinet. Haud enim desiderium illic naturale hominis qualecunque insinuat, ut est desiderium comedendi, ambulandi &c. Sed summum desiderium, quod est hominis suprema fœlicitas. Quemadmodum grauis appetitus est quiescere in centro & leuis sursum. Nempe quia est rationale animal, & rationis est sapere. Ob idque in uisione illa qua summa ueritas conspicitur, ex quo fonte ueritates omnes quæ in hac uita sciuntur deriuantur, beatitudo consistit. ¶Quapropter ait. 10. Metaph. tex. 29. Præstantissimam omnium diuinissimamq; operationem esse cõtemplationem, quàm ait esse deorum uitam. Quinuerò ideò uidere Deum est uita æterna, quia est uisio, ac perinde possesio uitæ æternæ.

Intellectus est præstãtior potentia.

¶Atqui quòd intellectus sit præstantior potentia quàm uoluntas, inde D. Thom. 1. par. q. 82. art. 3. demonstrat, quòd ratio obiectiua intellectus, nempe, uerum, spirituálior sit, quàm ratio bonitatis: nam uerum cognoscimus abstrahendo à materia, ut 3. de anima docet Philosophus. Bonum autem sumitur per respectum ad subiectũ, quia alicui est conueniens. Et ideo intelligere abstrahit ab existentia rei: intelligimus enim simpliciter res quæ non sunt, nec sub ratione existentiæ. At uerò licèt uelimus ea quoque quæ non sunt, non tamen ea cupimus & amamus nisi referendo ad existentiam, quia cupimus ea habere: quod autem abstractius est à materia & ab existentia, altius est, & purius.

¶Fallax ergo est ratio Scoti quòd intellectio, quia prior est amore sit imperfectior. Non enim est prior in genere causæ materialis, de quibus loquebatur. 9. Metaphy. Philosophus, sicut imperfectior est anima

anima sensitiua qua prius uiuit embrio, quàm intellectiua qua uiuit posterius, sed est prior in genere causæ efficiẽtis, & ideo est perfectior, sicut causa prima quàm secunda. Lumen enim rationis est uoluntatis lux, & intellectus dux eius, quare certè intellectio natura sua præstantior est, ut Aristote. docuit.

Obiectio Scoti.

¶Contra hæc autem obijcit Scotus illud Pauli. 1. ad Corinth. 13. Horum autem maior est charitas, & dictum Anselmi lib. 2. Cur Deus homo cap. 1. Peruersus ordo est uelle amare propter intelligere, imò intelligendum est, ut amemus. Tertio quia corruptio actus uoluntatis, nempe uelle malum, peruersius est quam corruptio actus intellectus, nam intelligere malum nõ est malum: ergo uelle bonum perfectius est, quàm intelligere bonum.

Argumentum dirimitur.

¶Ad hæc autem respondetur primum, quòd hoc arguendi genus est res ab uno proposito in aliud diuertere. Cùm enim ratione naturali probamus actum intellectus esse perfectiorem, non loquimur in genere moris, sed in genere entis, quare indifferens est huic proposito quòd uelle bonum sit magis meritorium, quàm intelligere & quòd charitas sit hoc pacto præstantior. Secundò Paulus non comparauit charitatem ad actum perfectissimum intelectus, sed ad fidem & spem, quæ sunt actus uitæ, & non manent in patria. Non autem dixisset, quòd charitas patriæ est præstantior uisione Dei, per quam Deum comprehendimus, & ei similes efficimur, & per quam se nobis ostendit, & ad sui amorem nos necessariò trahit.

¶Tertio denique annotandum est maximè, quòd alius est ordo in uia inter charitatem & cognitionem Dei ænigmaticã, atque alius in patria inter uisionem, & confirmatam charitatem. In uia nanque perfectior est charitas, quàm fides & spes, ut ait Paulus: nam fides ordinatur ad charitatem, ut ait Anselmus, imò omnes naturales scientias ad hoc debemus referre, ut per uisibilia, quemadmodum ait Paulus, Deum cognoscamus, ac subinde amemus: sed tamen uisio beata non ordinatur ad amorem tanquam medium ad finem, imò ipsa uisio est finis, in qua uoluntas conquiescit. Igitur uita beata incipit à cognitione fidei, quòd progreditur per amorem ad Deum, qui est per uisionem possidendus. Itaque debemus Deum hic intelligere, & intelligendo, ut ait August. amare, & amando possidere. Hoc est, sicut per intellectionem promouentur ad amorem, ita per amorem perducamur ad comprehensionem.

Alia Scoti argumẽta.

¶Tandem, ut finem faciamus, arguit Scotus. Vltimus finis intrinsecus hominis est illud quod est summè uolendum, sed uelle ipsius uoluntatis magis est uolendum quàm intelligere, quia unaquæq; res plus appetit suam perfectionem, quam alterius: uelle autem est perfectio uoluntatis, & intelligere perfectio intellectus. ¶Item uelle uolũtatis propinquius est sibi, quàm intelligere, ergo propinquius per uelle tendit in suum finem, quàm per intelligere. ¶Item tertiò arguunt discipuli eius. Vltimus finis est summum bonum, sed bonum est obiectum uoluntatis: ergo immediatiùs per actum uoluntatis assequimur finem quàm per actum intellectus.

¶Ad primum respondetur, non esse loquendum de uoluntate & intellectu acsi essent duo supposita distincta, quia non sunt nisi duæ potentiæ eiusdem suppositi, & actiones propriè sunt suppositorum, ut 1. de anima ait Philosophus, & ideo respõdetur legitimè, quod uoluntas non appetit magis suum bonum quàm bonum intellectus, sed homo per uoluntatem appetit summum sui ipsius bonum, puta Deum possidere, & quia id non possumus nisi per uisionem, illud est quod summè per uoluntatem appetit. Imò id ipsum est summum bonum uoluntatis.

¶Ad secundum uerò respondetur, primo, quòd siue uoluntas immediatiùs uniatur Deo per suum uelle, quàm per intelligere, siue secus: nihil ad rem, quia ille actus uoluntatis non est affectio obiecti, qua scilicet homo uel anima ipsum comprehendit. Quinuerò ille amor præsupponit consecutionem. Secundò respondetur, quòd non est ad hoc attendendum, an uelle sit immediatior actus uoluntatis, sed quòd sit immediatior actus fini, per quem anima finem ipsum consequitur, & ille est uisio quæ ponitur in obiecto amoris: nam amor patriæ est Dei prius uisi. ¶Pro solutione tertij notandum est, quòd uerum & bonum, cùm sint transcendentia, de mutuò prædicantur: omne enim bonum est uerum, & omne uerum

Verum & bonum.

rum est bonum: uoluntas autem beati nõ fertur in rationem boni in abstracto, sed in bonum hoc singulare: bonũ igitur summum uoluntatis est Deus uisus. Est ergo sophisticum argumentum. Conceditur. n. quòd ultimus finis est summum bonum, & quòd bonum sit obiectum uoluntatis, negatur uerò consequentia cùm infertur: ergo consequimur præstantius uel immediatius ipsum per actum uoluntatis: quoniam illa ratio boni quod homo per uoluntatẽ appetit consistit in Deo, quem homo uel anima tanquam intelligibilem ueritatem per intellectum assequimur.

Aliud arg. ¶Aliter arguunt alij. Si ille qui Deum uidet non haberet amorem eius, & gaudiũ Dei non esset beatus: ergo beatitudo non in uisione sola, sed in omnium congregatione consistit. Respondebitur art. proximo. Quoniam res hæc (& ut arbitror sine causa) nimium est apud quosdam in controuersia posita, boni cõsulat lector quòd tam multis eam tractauerim.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum in capite quæstionis positum respondetur, quòd pax non est essentia beatitudinis, sed ipsam antecedens, & consequens: quia omnia perturbantia in hac uita pacem per Christum, qui fuit princeps pacis, remota sunt, & forsan de hac pace ecclesiæ militãtis uaticinabatur Psalmista. Sed nihilominus est pax alia cælestis, de qua ait Paulus quòd exuperat omnem sensum & illa est consequens beatitudinem: est enim tranquillitas & quies animæ in Deo uiso.

¶Ad secundum negatur consequentia, & si beatitudo est summum bonum, & bonũ est obiectum uoluntatis, beatitudo consistat in actu uoluntatis. Nam si consistere accipiatur tanquàm in obiecto & ultimo fine, potius, ut ait S. Tho. sequitur contrarium: nam actus uoluntatis non potest esse eius primum obiectum, sicuti obiectũ primum uisus non est uisio. Si autem consistere accipiatur tanquàm in operatione per quam assequimur ultimum finem, iam mõstratum est, quomodo bonum illud ultimũ quod uoluntate cupimus, non per eius operationem consequimur.

Aliud arg. ¶Quòd si quis sic redarguat, primo mouẽti respondet ultimus finis, ueluti ultimus fini. exercitus est uictoria, quæ est finis ducis mouentis omnes: primum autem mouens est uoluntas, quæ omnibus uiribus utitur: ergo beatitudo est operatio uoluntatis. Respondetur ad maiorem, quòd si intelligas ultimum finem respondere primo mouenti, ideſt, quod per actum primi mouentis apprehendatur, falsum est. sed respondet ei, quia primum mouet ad illum assequendum. Potentia enim quæ primò ostendit finem est intellectus: sed uoluntas mouet & intellectum & reliquas potentias ad illum assequendum, & tandem homo assequitur ipsum per alias potentias, ut dulce per gustum, & Deum per uisum. Veruntamen uoluntas, ut fuit primum mouens, ita postea in obiecto comprehenso quietatur, ipsoq; fruitur.

¶Tertium uerò argumentum iam solutũ est, ubi ostendimus, quòd intellectio in genere entis est præstantior, quia est præuia dilectioni, & lux eius, & ideo per ipsum primò attingimus rem, quia nihil diligimus nisi præcognitum, ut decimo de trini. ait Augustinus. Quanquam uolitio sit nobilior im mouendo, præstantius tamen est simpliciter dirigere & attingere, quàm mouere.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm fruitio sit actus appetitiuæ potentiæ.

QVoniam cõstitutum est beatitudinem in actu intellectus consistere. Quæritur de fruitione quę est fructus perceptio, quam habeat cũ beatitudine connexionem. Vtrum scilicet sit actus appetitiuæ potentiæ. Et arguitur à parte negatiua. Frui, ut nomen ipsum planè sonat, est fructum de re capere: sed fructus humanæ uitæ, idem esse uidetur, quod eius beatitudo & finis, quem per intellectum, ut dictum est, assequimur, in cuius actu beatitudo formaliter, ut ostensum est consistit: ergo frui non est appetitiuæ potentiæ, sed intellectus. Partis negatiuæ arg. 1.

¶Secundò. Quælibet potentia habet prorium finem, qui est eius perfectio: sicut finis uisus est uidere: & finis auditus sonos percipere: & sic de alijs: sed finis rei est fructus eius: ergo frui est potentię cuiuslibet, & nõ solius appetitiuæ. 2. argum.

¶Tertiò arguitur. Fruitio est delectationis perceptio: sed delectatio sensibi is ptinet ad sensum apprehensiuum, ut delectatio cibi ad gustum, & delectatio pulchri ad uisum: ergo eadẽ ratione delectatio intellectualis (qualis de Deo percipitur) pertinet ad intellectum. 3. Argum.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium est sententia illa celebris Aug. 1. de doctrin. 4. & 10. de Trinit. Frui est amore inhærere alicui rei propter se ipsam, sed amor est actus uoluntatis: ergo & fruitio, imò uidetur fruitio idem esse amor.

Decis. art.

¶Quæstionem hanc ad literam cum istis arg. proponit & tractat D. Th. 1. 2. q. 11. artic. 1. Quam sic mouendam duximus, ut eius mentem pro captu nostro exponeremus. imò, ni fallor. ut planissimam ueritatem uix intellectam curaremus explicare, quæ plurimum ad beatitudinis notitiam refert. Respondetur ergo ad quæstionem quinque conclusionib. Prima statuitur sub eodem uerborũ tenore, quo illam statuit S. Th. Fruitio est actus appetitiuæ potentiæ. Ad intellectum autem huius conclusionis, uidelicet ad intelligendum quomodo sit actus uoluntatis, elicitus ne, an imperatus, supponenda est nominis significatio latina, ab illis qui de nominibus tractant. Apud latinos enim (ut omnes consulenti compertum fiet) frui est uoluptatem desse captare: nomine autem uoluptatis intelligitur, delectatio & gaudium. Enimuerò ut D. Th. 1. 2. q. 31. diserte docet, quies delectatio & gaudium differunt, ut magis commune & minus commune. Quies. n. est generale nomen, ad res uniuersas. Est enim perfectio, quam res consequitur ex eo quòd suum finem ultimum attingit: ut cùm terrea moles descendit ad centrum, & ignis ad locum sui elementi. Et dicitur illa quies, hoc est, naturalis cessatio motus, & consecutio loci ad quem naturalis appetitus rei propendet. Res autem cognitione pollentes hoc differunt ab alijs cognitione carentib. quod cognoscũt & sentiunt illam finis adeptionem, & ex illa cognitione resultat in eorum appetitu motus qui dicitur delectatio, quæ est passio eiusdem appetitus. Itaque delectatio est res inferior quàm quies: omnis enim delectatio est quies, quando est cum cognitione: non autem omnis quies est delectatio, ut patet in rebus insensibilibus.

Conclu.

¶Rursus quia cognitio alia est sensitiua, & alia intellectiua & rõnalis, cognitionem sensitiuã consequitur mera delectatio, quę non habet altius nomen: cognitionem uerò rationalem consequitur delectatio, quę sortitur nomen gaudij. Vnde Auicenna. lib. suo de anima. gaudium, inquit, est quædam delectationis species. Et Damascenus, & Gregorius Nicenus aiunt. Delectamur in his quæ naturaliter etiam secundum corpus, concupiscimus, ea adipiscentes, & in his quę concupiscimus secundum rationem. Gaudium uerò illa sola delectatio est, quæ rationem sequitur. Ex quo fit quòd dum homo secundum appetitum sensitiuum de re aliqua delectatur, quam, quia mala est auersatur ratio, delectatio illa nomen gaudij non sortitur. Auicenna.

¶Hinc fit quòd gaudium propriè non in appetitu sensitiuo, sed in intellectiuo, nẽpe in uoluntate suscipitur. Est ergo motus uoluntatis quæ non est uolitio, sed passio seu affectus. Nam etsi dicatur passio, profectò non tam propriè hoc nomen meretur, quàm delectatio sensualis. Quoniam in appetitu sensitiuo fit delectatio cum aliqua transmutatione corporali, ut eadem quæst. art. 4. ait D. Tho. sicut dum aqua calefit. Delectatio uerò appetitus rationalis nihil aliud est quàm simpliciter motus uoluntatis, nempe passio: sine aliqua tamẽ corporali transmutatione. Vnde Aug. lib. 4. de ciuit. Dei. Cupiditas, inquit, & lætitia nihil aliud est, quàm uoluntas in eorũ consecutione quæ uolumus. Augusti.

¶Veruntamen inter gaudium & lætitiam secundum nominum proprium significatum, hoc interest, quod gaudium est affectio animi dum ad mensuram rationis exhilaratur, neque ultra modum foras effunditur. Lætitia uerò cum ita mouetur ut exterius, præcipuè in uultu immodice egrediatur. Quare Stoici, passiones repellentes, gaudium sapienti permittebant, non tamen lætitiam. Vnde Cicero. 4. Tuscul. Cùm ratione, inquit, animus mouetur placidè atque constanter, tunc gaudium dicitur: cum autem inaniter & effuse exultat, tunc illa lætitia, gestiens uel nimia dici potest: quæ est animi elatione sine ratione. At uerò in sacris hæc non obseruatur differentia. Imò illa gaudij beatorum exuberantia, & delectatio & lætitia etiam nuncupatur: iuxta illud Psalm. Delectationes in dextera tua usque in finem. Et rursum adimplebis me lætitia cum uultu tuo. Gaudiũ & lætitia. Cicero. Psalm. 15.

¶Igitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

Frui.

¶Igitur quo ad rem reuertamur. Frui est uoluptatem seu delectationē & gaudium captare de re. Id quod D. Thom. pro constātissimo supponit. Ait quippe quòd fruitio, & fructus ad idem pertinent, & quia nomina ab ijs quæ sensui patent imponuntur rebus, & fructus est sensui patentior, fruitio dicitur à fructu. sicut cibatio à cibo, & ædificatio ab ædificio. Est enim fruitio per quam percipitur fructus sicut cibatio, actio, qua sumitur cibus. Et ideo sub distinctione concludit, quod frui pertinere uidetur ad amorem uel delectationē quā aliquis habet de expectato, quod est ultimus finis: non ait esse amorem, sed pertinere ad ipsum. Imò quanuis sub disiunctione dicat, uidetur, affirmare tamen apparet fructum non esse nisi delectationis captionem, quam aliquis percipit de ultimo fine expectato, & possesso. Nam certe nomine fructus id intelligitur: iuxta uerbum Augustini loco citato. 10. de trinita. c. 10. Fruimur cognitis in quibus uoluntas ipsis propter se ipsa delectata conquiescit. Et ideo idem Diuus Thomas quæstio. 4. articu. 4. ubi definiuit beatitudinem consistere in uisione, subdidit, sed ad uoluntatem pertinet delectatio beatitudinem

Augusti. consequens: iuxta uerbum Augustini, beatitudo est gaudium de ueritate: quia gaudium est consummatio beatitudinis. Frui ergo profecto non est nisi uoluptatem capere de fine expectato, & obtēto. At quia finis, ait D. Thomas, & bonum est obiectum appetitiuæ potentiæ, manifestum est, quòd fruitio est actus appetitiuæ potentiæ. Hactenus Diuus Thomas.

2. Conclu. ¶Ex his subsequitur secunda conclusio. Fruitio, si accipiatur effectiue pro actione per quam captatur uoluptas, & delectatio, non est actus elicitus uoluntatis, sed intellectus, nempe ipsa uisio, qua ratione est obiectum uoluntatis, sed si accipiatur formaliter pro ipsa receptione gaudij est

Probatio. motus uoluntatis. ¶Prior pars patet imprimis apud S. Thomam in uerbis proximè præcedentibus. Colligit enim fruitionem esse actum uoluntatis, quia finis, unde captatur uoluptas est obiectum uoluntatis, obiectum autem uoluntatis est uisio, nempe Deus uisus: ergo non aliter intelligit fruitionem esse uolūtatis nisi, quia per illam uisionem quam expectauit uoluntas, & præsentem amat, capit uoluptatem & gaudium: illa autem uisio non est actus elicitus uoluntatis, sed uolitus: ergo operatio per quam uoluntas capit uoluptatem non est actus eius elicitus, sed intellectus. ¶Eandem uero ueritatem pālā absque ullo ænigmate affirmat in solutione primi argumenti. Erat enim argumentum, quòd cum frui sit fructum capere, & fructus humanæ uitæ, quæ est beatitudo, accipiatur per intellectum, frui est nō potentiæ appetitiuæ, sed intellectiuæ. Et sic respondet. Nihil prohibet unum secundum diuersas rationes ad diuersas potentias pertinere. Ipsa igitur uisio Dei, inquātum est uisio, est actus intellectus (nempe elicitus) inquantum autem est bonum & finis est uoluntatis obiectum, & hoc inquit modo est eius fruitio. Ecce uisio elicita ab intellectu, sed uolita à uoluntate, est fruitio, & subdit. Finem hunc intellectus consequitur tanquam potentia agens, uoluntas autem tanquam potentia mouens ad finem: nempe, quia mouet intellectum: & tanquàm fruens fine iam adepto, id est tanquam percipiens fructum, & gaudium ex illa uisione. Ecce ergo quomodo fruitio est actus elicitus ab intellectu, sed uolitus, & imperatus à uoluntate quare expresè quæst. de potentia Dei, quæst. 5. artic. 1. ad 15. ait, quòd uisio est fruitio. Roma. 6. ¶Hanc doctrinam explicuimus super illud ad Roma. 6. Habemus fructum in sanctificationem, sed uisa fuit noua, & nonnulli Diui Thomæ discipuli propterea existimāt duram, quia cum Diuus Thomas in cap. quæstionis. 8. proponat prius agere de actibus uoluntatis immediatè ab ipsa elicitis: & in eorum numero. q. 11. collocet fruitionem, nequeunt sibi aliud persuadere, quàm quòd est actus elicitus à uoluntate. Cùm tamē uerba eiusdē doctoris modo relata expræssissima, & planissima maius afferant pondus ad probandum esse actum elicitum intellectus, nempe uisionem, quatenus obiectum est uoluntatis mouentis intellectum.

Secunda eędēqs plana ꝓbatio

Exponitur D. Tho.

¶Ratio autem ob quam fruitionem inter actus uoluntate elicitos collocauerit est, quam in secunda parte conclusio. explicuimus: quoniam licèt per uisionem in genere causæ efficientis percipiatur delectatio, illa tamen, ut supra explicuimus, est motus uoluntatis: & ideo delectatio recipitur tanquā in subiecto

iecto in uoluntate, quippe quæ potentia est per quam formaliter gaudemus, & tristamur, eo quòd isti sint uoluntatis affectus, & quodam modo passiones. Quare captatio uoluptatis formaliter sumpta est (non dicam actus elicitus) sed motus uoluntatis, quia non est propriè actio, sed passio: licèt fiat, ut diximus sine transmutatione, & ideo dicatur affectus: Actio uerò per quam suscipitur est uisio, sicut per actionem ignis calefit aqua. Illi autem qui de uoluntate & intellectu sic diuisim existimant, acsi duo essent suppositа, non possunt intelligere quemadmodum per actum intellectus in uoluntate percipiatur delectatio: qui uerò ueritatem penetrant, atque adeò intelligunt esse potentias eiusdem suppositi, & actiones esse suppositorum, facilè subinde intelligent quē admodum homo, uel anima per unam potentiam delectationem recipiat quę est passio alterius. ¶Hæc uero doctrina, ne uidear illam duntaxat tanquàm S. Tho. sustinere, probatur ratione physica. Voluntas enim est per quam res appetimus: atque adeò ipsa est primum mouens potentias omnes & corporis organa ad suos consequendos fines. Vtitur enim intellectu ad huius uel illius rei contemplationem & studium: oculis ad uidendum, pedibus ad ambulandum: manibus ad capiendum &c. ergo eadem ratione per illas potentias, quibus utitur, fines eosdem adipiscitur: & in ipsis adeptis delectatur & quiescit: ut cibum quem gulosus affectat, adipiscitur per gustum: & pulchrum per uisum: atque adeò per easdem sensuum actiones uoluptatem captat: quę est eiusdem uoluntatis affectus & passio. Simili ergo modo anima uoluntate cupiens Deum assequi, per intellectum assequitur: atque adeò per eius uisionem delectatur, hoc est delectationem capit, licet in uoluntate recipiatur. In summa neque Augustinus neque ullus unquam priscorum patrum aliud nomine fruitionis intellexit, quàm adeptionem rei concupitæ. Et in hoc sensu dicimur rebus frui & amplexibus concupitis. Quocirca usque ad Scotum nemo legitur amorem existimasse fruitionem. Quare mirandum est, quomodo illa opinio usque adeò inserperit, & increbruerit in scholis. ¶Sed arguis. Nunquid non Augu. idem clarè adstruxit, dicens, Frui esse amore inhærere alicui? Respondetur. Illud non inde colligi. Nam eodem testimonio utitur D. Th. & tamen non inde colligit, quòd fruitio sit amor. Sed quòd ad ipsum pertineat. Sēsus ergo ille non est quem uocant identicum: quasi amor sit fruitio: sed est causalis In hoc sensu, quòd non fruimur nisi illis rebus quas propter se ipsas amamus. Itaque amore inhærere non est formaliter ipsa fruitio, sed causa requisita, ut re aliqua fruamur. Posuit enim illam definitionem ad differentiam huius, quod est uti. Est enim uti rem usurpare ad id obtinendum quod amamus. Quare res quibus utimur, amamus propter illas quibus fruimur. Sed illas quibus fruimur amamus propter se. At quia frui contingit non solùm rebus præsentibus, quæ est perfecta fruitio, sed etiam absentibus in spe, quæ quidem fruitio est imperfecta, ut ambas complecteretur, dixit in genere frui est amore inhærere: id est requiritur sic eas amare, ut ultra nō progrediamur. Si autem perfectam fruitionem definiret, quæ non est nisi de re obtenta & possessa, certè dixisset, uti est, de re, cui amore propter se ipsam inhæremus, dum possidetur, delectari. Iuxta uerbum eius citatum. lib. 10. de trini. cap. 10. Fruimur cognitis in quibus uoluntas ipsis propter se ipsas delectata conquiescit. & capit. 11. Frui est uti cum gaudio: non adhuc spei, sed etiam rei. At locus ille supra citatus lib. de moribus eccle. cap. mentem August. aperit. Quid est quod dicimus frui nisi præsto habere quod diligis? Non ait frui est amare, habere quod amas, quod fit in Deo per uisionem. ¶Et re uera Scotus. primo sent. dist. 1. quæ. 3. multum uacillando hæsit ambigens amor ne, an delectatio esset fruitio: plura hinc inde Au. testimonia cōferens. Sed tandem ob id decreuit esse amorem quòd frui construitur cum ablatiuo significanti obiectum ex ui transitionis. Quasi idem sit frui Deo, quod amare Deum. Veruntamen, ut probè artic. præsenti. 1. 2. Caie. annotauit constructio illa id non suadet, imò dissuadet: frui. n. Deo non est amare Deum, sed conspectu Dei delectari. Nam illud Prouerb. Veni & fruamur cupitis amplexibus, non est, ut amemus amplexus: quoniam in hoc quod ait concupitis, præsupponit iam amari absentes.

Amore inhærere.

Scotus. 1. sent. dis. 1. quæst. 3.

absentes. Sed est re ipsa amplexando delectari. Et quod ait in Adelphis, Terentius. Agellum huic demus, qui fruatur, nō est sensus, Qui amet, sed qui possidendo fructum capiat, quo delectetur.

3. Conclu. ¶Tertia conclusio. Beatitudinem in uisione consistere, & in fruitione adeò non sūt res diuersæ, ut sint idem. Non quòd consistat in amore, quem Scotus arbitratur fruitionem, sed quòd consistit in uisione quæ in sensu iam exposito est fruitio, nempe actio per quam uoluntas in se delectationem recipit. Hanc conclusionem expressè docuit Aug. Ait quippe. 1. de trini. c. 9. quòd in uisione patris, & filij, ac subinde spiritus sancti merces tota promittitur delectationis, & desiderij nostri, & nihilominus lib. 1. de doctri. Christiana. c. 32. Hęc inquit, summa merces est ut Deo fruamur Hoc secundum testimonium affert pro se Scotus, sed discipuli S. Thomæ obijciunt aliud: & glossant hoc, quòd sit proportio causalis, nempe quòd uisio sit causa fruitionis. Ista tamen controuersia inde nascitur, quòd supponitur amorem esse fruitionem. Augustinus uerò planè loquitur de uisione, & fruitione quasi sint idem. Quod illo bis citato loco lib. de mor. eccle. c. 3. confirmatur. Quid est aliud quod dicitur frui, quàm præsto habere qđ diligis? Nō dicit quàm diligere, sed quàm habere. Vnde cùm D. Th. hic & quæst. 5. de pot. dei. citata concedat quòd fruitio est ipsamet uisio, per quam uoluntas capit uoluptatē, nunquàm negasset, beatitudinem consistere in fruitione.

Auguſt.

¶Ob idque. 1. 2. quæst. 4. art. 2. non confert uisionem cum fruitione, sed cum delectatione, interrogans utra sit præstantior. Quam utique quæstionem Arist. 10. Ethi. insolutam relinquit. Apparet enim delectationem esse dignioré, eo quòd est perfectio ipsius operationis. Sed tamen respōdet. D. Tho. operationem esse perfectiorem, atque adeò uisionem, eo quòd totū bonum delectationis in quo uolūtas quietatur est ipsa operatio: præstantius autem bonum est illud in quo uoluntas quietatur, quàm quietatio ipsa quæ est delectatio. ¶Atque hæc est responsio qua Aureolo fit satis, atque alijs qui tenent beatitudinem consistere in delectatione: delectatio quippe perficit operationem, non quidem in genere causæ efficientis, imò è cōuerso sic operatio perficit delectationē, sed tanquam consequens & concomitās: ueluti decor perficit, hoc est, adornat & decorat iuuentutem: cum tamen iuuentus sit perfectior.

Reſponde tur illis qui beatitudinē ponūt in delectatione.

4. Conclu. ¶Quarta cōclusio. Fruitio est duplex quædam in re, atque altera in spe: iam enim constitutum est fruitionem non esse nisi ultimi finis, quem propter se ipsum diligimus: alioqui non esset de se sufficiens uoluntatem satiare, & explere. Qua utique de causa, ut Aug. lib. 83. quæstionum. q. 30. ait. Omnis humana peruersio est fruēdis uti uelle, atque utendis frui. Non ait, quòd uelle sit fruitio, ut Scotus colligit, sed quòd uelle frui utendis est uoluntatis peruersio. Est enim amare creaturas propter se: ut auari uidentur amare pecunias, & uoluptuosi uoluptates: quia amant illas sine ullo, aut termino, aut modo, quasi essent finis uitæ. Atque alia peruersio est uti fruendis, ut si quis Deum non propter ipsum, sed propter aliud bonum diligeret quod non protinus in Deum ipsum referret: igitur sicut in ordine temporalium rerum medicinis non fruimur, sed utimur, sanitate uerò fruimur quàm propter se diligimus, & propter ipsam medicinas: ita in ordine simpliciter rerum solo Deo fruendum est, & creaturis utendum, quas propter ipsum à quo eas recepimus debemus diligere.

Aug. Frui utendis & uti fruentis.

Probatio concluſionis.

¶Probatur ergo conclusio. Frui, ut ait Auguſt. est alicui amore propter se inhærere, hoc autem contingit non solum dū res habetur, sed dum speratur. Vnde idem Aug. lib. 9. de trini. ca. ulti. appetitus, inquit, inhiantis fit amor fruentis: ergo in spe etiā possumus Deo frui. Id quod Christus Matth. 5. edocet, dicens, Beati pauperes spiritu, qm̄ ipsorū est regnū cælorum &c. Vocat enim ibi pauperes beatos in spe, qui postea futuri sunt in re. Et idem sentiendum de alijs beatitudinibus ibidē subiūnctis: iuxta illud psal. 29. Beatus uir cuius est nomen domini spes eius. Et ad Roma. 5. Gloriamur in spe gloriæ eius. Et cap. 13. Spe gaudentes. At uerò fruitio illa in spe imperfecta est, & illa duntaxat perfecta quę ut ait. 10. de trini. capit. 10. Aug. est uti cum gaudio non adhuc spei, sed iam rei. Vtraq; uerò fruitio solis creaturis rationalibus, nempe angelis, & hominibus propriè conuenit, quippe qui possunt

Matth. 5.

Pſalm. 29.

sunt media in finem referre, quod à brutis animantibus alienum est.

4 Conclu.

Beatitudo practic. &

¶Ex his demum colligitur quinta conclusio. Beatitudo est intellectus cognitio speculatiua per se sufficiens: est enim Dei cōtemplatio, ut monstratum est. In hoc enim seculo Philosophus, ut. 1. & 10. Ethic. docuit, duas distinxit fœlicitates practicam, scilicet, quæ consistit in operatione secundum morales uirtutes, & speculatiuā quæ consistit in contemplatione substātiarum separatarū. Et spec. hanc dixit esse digniorem, & præstātiorem. Primo, quia est optimæ potentiæ & optimi obiecti. Licet inter intelligentias non expresserit Deum, qui est omnium summum. Secundò, quia quæritur propter se, nam operatio uirtutum moralium creberrimè posita est in ope egenis ferēda. Tertiò, quia per ipsam communicamus Deo, eique assimilamur. At uerò uisio Dei, quam Aristoteles non agnouit, simpliciter est contemplatio speculatiua, quia nullatenus circa mores uersatur, imò per ipsos iam exactos comparatur. Tametsi, quia per illam actionem elicitur, dirigiturq; amor in Deum quo omnes beatæ uoluntatis affectus componuntur, dici quodammodo potest practica. Quod autem sit sufficiētissimum bonum, simili ratione sit notum. Ad utranq; enim huius uitæ beatitudinem corpus requiritur, ac perinde bona eius ualetudo, & habitudo, atque adeò in eius subsidium requiruntur exteriora bona, ac subinde amicis, non quibus indigeat, sed apud quos fœlix sua beneficia collocet. Quanuis plus sit in digna fœlicitas actiua, quàm contemplatiua. At uero beatitudo patriæ corporib. ex necessitate non indiget, ut supra diximus: cū uisio illa non per abstractionem à phantasmatibus corporalibus producatur: requirit tamen corporum resumptionem tā quàm accidens, ueluti pulchritudo aduenit iuuentuti. Illam uerò corporum resumptionem cum optima eorum ualetudine, & pulchritudine, & ornamento, uisio in se ipsa quodammodo continet: quoniam ratione illius status Deus resuscitabit corpora nostra. At uerò externorum bonorum ad eorum corporum perpetuitatem, nequaquam. Amicos autem habet eadem fœlicitate fruentes, atque ista ratione uisio illa beata & beans status est omnium bonorum aggregatione perfectus, perque illam adeò unitam beatus habet quicquid uult, & per eandem nihil male uult: nam inde deriuatur in uoluntatem amor, qui summa est eius rectitudo: & delectatio quę est omnium desideriorum expletio, atque adeò summa requies.

Reſpōdetur illis q fœlicitat. ponunt i aggregato

¶Et per hoc illis respondetur qui fœlicitatem in aggregato uisionis, & contemplationis collocant. Conceditur enim, quòd si uidens Deum per absolutam Dei omnipotentiam ipsum non amaret, aut eius uisione non oblectaretur, non esset beatus, sed tamen ex natura rei ex uisione fluunt, & amor firmus, & delectatio plena: & ideo quia uisio uirtute continet reliqua, ipsa est bonorum omnium aggregatio, atque adeo uera beatitudo.

Sol. 1. arg.

¶Primum igitur argumentum satis solutum est, ubi explicuimus quemadmodum fruitio sit quodammodo ipsa uisio, quia est actio per quam percipitur uoluptas & delectatio. Quanuis recipiatur in uoluntate, tanquam motus hoc est passio uel affectio eius.

Sol. 2. arg.

¶Ad secundum respondetur, quòd cum sola uoluntas sit appetitus rationalis, per illam appetit homo & anima separata omnia sua bona, ac proinde oēs fines aliarum potentiarum comprehenduntur & continentur sub obiecto uoluntatis, quæ appetit intelligere, audire & uidere &c. Ob idque omnes potentias ad eosdem fines consequendos mouet. Ex quo sequitur uisionem ipsam esse obiectum & finem uoluntatis: quare ipsa est, quæ consequitur finem, quoties quælibet aliarum potentiarum suum proprium attingit: uerba sunt in forma S. Th. Quib. idcirco docet uoluntatem, per uisionem intellectus consequi suum ultimum finem.

Sol. 3. arg.

¶Ad tertium denique ipse respōdet, quòd in delectatione sunt duo scilicet perceptio cōuenientis boni, nempe finis, & hæc pertinet ad apprehensiuam potentiam, atque adeò ad intellectum in delectatione cælesti, & complacentia eius quod offertur, ut conueniens. Et hæc pertinet ad appetitiuam potentiam: ubi ratio delectationis completur: quia illa delectatio est motus (ut diximus) hoc est passio uel affectus eius.

QV AE-

QVAESTIO SECVNDA, De adeptione beatitudinis.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm omnis homo appetat beatitudinem.

IN hac quæstione de beatitudinis consecutione ordinem D.Tho. præter meum ingenium. 1.2.q.5. non seruo. Imò postremo eius articulo primum locum tribuo: quia cum assecutionem rei motus præcedat, quo ad ipsam tenditur, & primum fundamentũ motus sit appetitus, hic ordo naturæ uidetur germanior. ut ab appetitu beatitudinis exordiamur. Et ideo primo quæritur, utrũ omnis homo appetat beatitudinem. Et

Partis negatiuæ ar. primum. arguitur à parte negatiua. Nullus id appetere ualet quod ignorat, cum ut. 3. de Anima autor sit Philo. bonum apprehensum sit appetitus obiectum: multi autem sunt, qui beatitudinem ignorant. Vnde ut Aug. 13. de trini. c. 4. adnotauit, tanta diuersitas censendi de beatitudine oborta est: alijs scilicet in uoluptatib. corporis eam collocantib. atq; adeò in uirtute animæ, & alij in reb. alijs: ergo non omnis homo beatitudinem appetit.

2. Arg. ¶Secundò. Essentia beatitudinis est uisio essentiæ diuinæ (ut iam constitutum est) sed aliqui opinantur hoc esse impossibile, alijq; illud existimant difficile & labore plenum, quia necesse est illius gratia à uoluptatib. huius uitæ abstinere: quib. inescãtur mortales: ergo non oẽs illam appetũt.

3. Arg. ¶Tertiò arguitur. Beatus est (ut ait Aug.) qui hẽt quicquid uult, & nihil malè uult: complures aũt malum, etiam consulto uolunt: ergo non oẽs beatitudinem appetũt.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium aũt est illud Aug. lib. 13. de trini. c. 3. Si minus ille dixisset. Omnes beati esse uultis, miseri esse non uultis, dixisset aliquid, quòd nullus in sua non cognosceret uoluntate.

Distinctio trina. ¶Hæc qõ multa digna scitu in hac materia continet. Ad quam iõ tribus præmissis distinctionib. quinq; conclusionib. respondetur. Dist. quippe impræsentiarũ opus ẽ, & ex parte beatitudinis, & ex parte appetitus, ac denique ex parte appetitionis. Beatitudo nanq; bifariam cõsiderari põt. Nõ dico duplicem esse beatitudinem: qm̃ nõ est nisi unica uera, nempe uisio illa beata: sed illa inquam bifariam consideratur. Vno modo secundum eius generalem rationem, nempe secundum nomen hoc beatitudo: atq; altero modo secundum speciale singularemq; eius rõnem uidelicet. Hæc beatitudo, ut uisio illa designetur.

Appetitus duplex. ¶Item appetitus alius est naturalis, atq; alius liber, seu electiuus. Atqui naturalis ille, qui est in reb. inanimis & in animantib. brutis, nihil ad nostrum attinet propositum: qm̃ ille non fertur in ultimum finẽ per eius cognitionem, eo modo quo hic loquimur: sed in solo appetitu rõnali. s. uoluntate distinguuntur rõnes duæ. Est. n. in ea quædam inclinatio naturalis, quatenus res quędam est naturalis, atq; alia inclinatio libera quatenus est indifferens ad utrũlibet. Quocirca dum percontamur, utrùm omnis homo appetat beatitudinem, põt appetitio alterum duorum significare: uidelicet aut inclinationem duntaxat naturalem uoluntatis: quæ est propensio & põdus in rem aliquam ante actum elicitum: quæ nimirum inclinatio à natura homini inest, ceu rebus uniuersis, etiam cognitione carentibus, quæ actum elicitum habere nequeũt. Veluti grauitas inest lapidi atque igni leuitas: quæ cùm cognitione careant actus non habeant elicitos, sed motus naturales per modũ passionis, ut ascensum & descensum. Aut potest nominare actum elicitum appetendi, nempe amoré.

Appetitio dupliciter. Quæstio. His præhabitis, ut ab eo quod natura altius imprimit exordiamur. Quæritur primò de appetitu, uidelicet de inclinatione ante actum elicitum, utrum naturalis nobis insit ad ultimum finem. Et ne omnia in litem deferamus compertissimum omnib. & confessissimum est, naturalem in nobis inesse appetitum ad beatitudinẽ generaliter consideratã, nẽpe ad bonũ, qd̃ homini optimũ est: iuxta illud philosophi in fronte. 1. Ethi. Bonum est quod omnia appetunt. Sed ambiguitas nostra est. Vtrũ naturalis appetitus hominis in illam tendat beatitudinem ueram quæ est uidere Deum. Huius. n. partem affirmatiuam tenet Scotus in prologo sententiarum, ubi ait, quòd Deus est finis naturalis hominis, & in 4. d. 49. q. 9. quo loco ait naturale desideriũ ferri ad uidendũ Deum. Et cum Scoto sentit Durand. q. 8. Partem uerò negatiuam

Scotus.

Caietanus

amplepus est Caiet. in 1. par. q. 1. ar. 1. & q. 12. art. 1. Ait quippe q̃ si natura & uoluntas humana considererur in puris naturalibus lumine fidei destituta non habet naturale desiderium uidendi Deũ, sed si consideretur lumine fidei illustrata, præsupposita. s. cognitione, quòd beatitudo cõsistit in uisione, naturaliter illam desiderat. Fundamentum eius est hoc. Finis naturalis hoís est quem naturaliter põt attingere: nequimus aũt Deum naturaliter, ut arti. proxi. monstrabimus, uidere: ergo Deus uisus non est nobis naturalis, sed supernaturalis finis: atq; adeo neq; appetitus ipsius est nobis naturalis.

1. Conclu. ¶Secundò. Naturale desiderium & appetitus est ille qui naturaliter potest actum elicere circa suum obiectum: sed non possumus naturaliter actu elicito appetere uisionem Dei, quia ut ait Aug. Nihil est uoli tum nisi præcognitum: & cognoscere illũ finem nõ possumus naturaliter, quia est reuelatio fidei: ergo neq; appetitus est naturalis. ¶Nihilominus prima cõclusio huius articuli sit affirmatiua. Homini inest appetitus naturalis ad illam ueram beatitudinẽ quæ in Dei uisione consistit. Non dico appetit per actum elicitum: sed hẽt appetitũ hoc est, inclinationem naturalem & pondus naturæ quo in illum finem propendet: sicut est grauitas in lapide & pondus in cẽtrum. At Duran. ait hunc naturalem appetitum & inclinationem non esse uoluntatis sed intellectus, cuius est finem cognoscere & apprehendere. Sed profectò potiùs est uoluntatis, nam homo est, qui beatitudinem appetit, & proprius appetitus hoís non est intellectus, neq; alia potẽtia', sed sola uoluntas. Non negamus intellectui suam inclinationem ad cognoscendum, sed tamen hominis per uoluntatem est appetere, finem ultimum uidere, apprehendere, & possidere. ¶Conclusio imprimis est S. Tho. in suo prologo super 1. sen. ubi ait. Vnumquodq; suauiter est dispositum, quando collocatur in suo fine, quem naturaliter desiderat: & hoc inquit nobis collatum est per Christum, quando nos in gloriam æternam induxit. Inductio ergo in gloriam æternam per uisionem est finis quem naturaliter homo desiderat. & prima par. q. 12. ar. 1. ait inesse nobis naturale desiderium ad cognoscendum causam cognito effectu: quare per cognitionem

Lhio.

creaturarũ naturaliter appetimus cognoscere causam, nempe Deum.

Caiet. ¶Respondet autem Caiet. quòd intelligit de desiderio cognoscendi causam sub ratione causæ, nempe cognoscere quomodo hæc efficit: non autem de desiderio uidendi essentiam. At uerò hoc planè est mentem D. Th. detorquere. Quærit enim illic, utrum intellectus creatus naturaliter possit uidere Deum per essentiam. Cum ergo partem affirmatiuam per illud medium concludat, manifestum est intellige re de desiderio uidendi essentiam. At uerò. 1.2.q.3.artic.8. absque ænigmate hoc explicatissimè affirmat. Probat enim illic, quòd uera beatitudo non põt consistere nisi in uisione diuinæ essentiæ: quia uniuscuiusque perfectio attenditur secundũ rationem sui obiecti, obiectum autem intellectus, ut. 2. de anima ait Philoso. est quod quid est, id est essentia rei: & ideo ex cognitione effectu Dei remanet inquit naturaliter hómini desiderium, ut cognoscat de cã quod quid est, scilicet essentiam ipsius Dei sicut cognita eclypsi habet naturale desiderium cognoscendi essentiam causæ: essentia autem Dei non potest nisi per uisionem cognosci: iuxta illud Ioannis, uidebimus eum sicuti est: ergo homo ex creaturis naturale colligit desiderium uidendi Deum. ¶Sed probatur præterea conclusio Alaatio. ex communi animi conceptione. Nemo enim est mortalium cuiuscunque religionis aut sectæ, qui interrogatus an cupiat Deum uidere non respondeat, se id percupere. ¶Mox arguitur autoritate Augu. in Auguſt. li. de præde. sancto. ubi ait. Posse habere fidem & charitatem, naturæ nominis est: habere autem, gratiæ Dei. Respondet autem Caie. quòd posse habere est naturæ id est homo est illius cognitionis capax. Sed profectò plus aliquid uoluit Aug. tribuere naturæ, nempe inclinationem ad fidem charitatem & gloriam. ¶Et ut arguit Scot. trinus est appetitus, nempe naturalis & uiolentus & neuter. Tametsi de appetitu neutro nihil mõ approbemus: quia forsan nullus est, nisi dicas oculum corporale habere appetitũ neutrũ ad uidendũ Deũ, quem certè potiùs appellarẽ repugnantẽ. Appetitus aũt noster ad uidẽdũ Deũ nõ est uiolentus, neq; uerò neuter: ergo est naturalis. Ait Caie. esse tantũ obedientialẽ, sed re uera plus q̃piã uidemur habere. Cadauer enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ratio potissima.

enim solum habet obedientialem potentiam,ut animam resumat: quòd uerò hó recipiat gloriam,aliquid superaddere ur. ¶Potissima uerò ratio quæ me persuasum habet est hæc.Quòd homo sit imago & similitudo Dei,est naturale: nam quando dixit Deus,Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, naturam ipsam nostram designauit.Similitudo autem & imago Dei certè non solum capacitatem dicit Dei uidendi, sed naturalem etiam inclinationem:nam simile naturaliter appetit suum simile.Atque hinc alia colligitur ratio. Appetitus naturalis hominis in nulla re mundi, quam obtineat, quiescit,sed semper in aliud fertur: quousque ad illum fœliciſſimum Dei conspectũ perueniat:iuxta illud Aug.1. confess. Fecisti nos domine ad te,& inquietum est cor nostrum donec perueniat ad te: ergo hoc manifestum indicium est eundem appetitum naturalem in illum finem tendere: siquidem extra illum non satiatur. Hac enim ratione probatur,quòd materia omnem appetit formam: nempe, quia nulla satiatur.Nisi quòd ille appetitus est uagus ad omnem formam:noster uerò est determinatus & destinatus in rem aliquam.

Alia ratio. ¶Præterea arguitur. Vnaquæq; res suapte natura in rem aliquam determinatam fertur:sicut terra ad centrum, & ignis ad concauum lunæ:at uerò nulla res potest designari in quam naturalis appetitus hominis,ceu in ultimum finem tendat citra illam uisionem:ergo illa est noster naturalis finis in quem ideo naturaliter ferimur. Nam si dixeris quòd naturaliter illam desideramus in genere desiderando bonum,nequaquàm rei satisfeceris:quoniam hoc uagum desiderium in bonum, necesse est in rem illam naturaliter tendat,in qua summum hominis bonum situm sit. Et tandem conclusio confirmatur ex illo.33.Ostende faciem tuam & salui erimus,ubi certè inclinatio naturalis exprimitur.Cui illud consonat Ioan.14. ostende nobis Patrem & sufficit nobis, ubi insinuatur quòd citra illud nihil appetitui sufficit naturali.

¶Tandem arguitur ex dictis Caie. Si cognito illo fine ultimo per fidem tunc naturaliter homo illum appetit, colligitur illam inclinationem naturalem semper esse natura insitam,etiam ante illam cognitionem:nam cognitio illa non attulit inclinationem,sed fecit eum potentem elicere actum suum.

Soluuntur argu. Caieta.

¶Respondetur ergo ad argumenta Caietani,non bene definisse finem naturalem esse illum quem potest homo naturaliter consequi,neque appetitum naturalem illum qui naturaliter potest habere actum elicitum:quoniam appetitus naturalis nõ debet definiri per effectum,sed per causam . Est ergo appetitus naturalis quem nobis natura inseruit:& eo ipso qd creati sumus ad imaginem Dei insitum habemus appetitum naturalem ad ipsum uidẽdum.Atque adeò finis naturalis est quem naturaliter appetimus:licet consecutio eius & adeptio non sit nobis naturalis.Hęc enim fuit nostræ magnificatio naturæ, quod ad illum finem fuerit condita,quem nisi per auxilium speciale Dei consequi non ualeamus.

¶Et per hoc respondetur ad aliud eius argumentum ex 2.Cæli.ubi ait Phil. quòd si astra haberent uim progressiuam, natura dedisset eis organa opportuna nempe pedes:sed quia non dedit talia organa, signum est quòd neque dedit uim.Similiter nanque arguit Caiet. quòd postquàm non habemus naturalia instrumenta ad uidendum naturaliter Deum, non habemus naturalem inclinationem. Respondetur autem quòd Arist. non dixit si haberent inclinationem, sed si haberent uim, haberent instrumenta. Nos autem non dicimus,quòd natura nostra habet uim, id est potestatem naturalem uidendi Deum, sed inclinationem.Præterea Arist. nil de supernaturalibus nouit: & ideo non concederet rem aliquam habere naturalem inclinationem ad aliquid nisi haberet potestatem & naturales uires ad illud assequendum:nos autem concedimus naturam nostram adeò esse sublimem , ut ad illum finem naturaliter inclinetur, quem non nisi per auxilium Dei assequi possumus. Est tamen paratissimus nobis subuenire:& quæ per alios possumus,per nos ipsos posse censemus.

¶Hoc suppositio de appetitu,qui est potentia,subsequitur, ut de appetitione dicamus,quæ est actus elicitus.Beatitudo ergo, ut dicebamus considerari potest aut sub generali ratione aut sub speciali & singulari.Sit ergo secunda conclusio . Beatitudinem 2.conclu.

tudinem sub generali ratione omnis homo suapte natura appetit non solum naturali inclinatione, sed ẽt actu elicito dum illi mẽte offertur.Probatur. Beatitudo sic considerata nil aliud est quàm bonum perfectum:bonum aũt est obiectum uoluntatis,atq; adeo bonum eius perfectum est illud quod eam satiat eiusq; desideria complet,eiq́ue perinde satisfacit:ergo beatitudinem appetere id ipsum est quod appetere in genere ut uoluntas expleatur eiusq; desiderijs fiat satis.Hoc aũt nemo est, qui non appetat, quantumuis sit corruptæ uitæ.Nam etiam iniqui dum uoluptates suas explere uolunt eas sub ratione boni apprehendunt, quãuis in rei ueritate à uera beatitudine sint alienæ, imò ei sint aduersæ . Atque hoc est quod Augu. loco citato docuit, ubi facetiam mimi cuiusdam refert . Qui cum in theatro pollicitus esset enunciaturum se quid quisque habeat in animo,cunctis magna expectatione suspensis cupientibus miraculum audire,quomodo scilicet posset arcana cordium detegere, tandem dixit, uili uultis omnes emere , & carè uendere . Irridet uerò meritò Augu. scenici illius ineptam facetiam. Quamplurimos.n.uideas,qui ut suis animis obsequãtur , & fruantur concupitis uoluptatibus , charissimè emunt,& uilissimo pretio uendunt,atq; adeò sua bona dilapidant. At uerò si quispiam ille esset ex sapientib. dixisset.Omnes beati esse uultis,miseri esse nõ uultis: & tunc certo coniectasset,quid quisque in animo gereret.Scot.in 1.sen. q. 4. non uult Augustinum loqui de actu elicito quo.s. omnes appetant beatitudinem , sed de inclinatione naturali. Sed hoc illico monstrabimus non esse menti Augusti ni consonum.

Mimi inepta facetia

Ratio contra dictionis.

¶Rõ aũt conclusionis est,quam D.Th. 1. 2.q.10.ar.1.sapienter docuit . Quicquid enim rei non necessario competit fundatur in eo quod sibi à natura est necessariũ. Intellectui nanque prima principia cognitionis sunt per se naturaliter nota,ut quodlibet est uel non est: atque inde deducuntur alia plus minusve nota , quæ cum non sint tam euidentia , necessitatem intellectui non inferunt,ut eis assentiat. Quod autem in intellectu est primum principium respectu oĩum conclusionum,est in uoluntate ultimus finis, ad quem oĩa referuntur electiones mediorum : ergo æqua rõne in ultimum finem sub illa generali rõne cognitum sic fertur naturaliter , ut nequeat illud nolle,sed necessario , si aliquẽ illius actum habeat,sit uolitio . ¶At uerò quanuis conclusio hæc sub hoc uerborum generali tenore nequeat legitima rõne negari, maiori nihilominus indiget explicatione. Est siquidem dubium utrùm beatitudo, & summum bonum sub hoc genere cognitum sic uoluntas naturaliter appetat,ut nequeat non uelle, an uero duntaxat sic,ut nequeat nolle. Tractant.n. qõnem Scotus in 1. q.1. 4.d.& impræsentiarum.q. 9. & Duran.q.8.Ad cuius intellectum annotandum,quòd uoluntatem ferri naturaliter in bonum.bifariam potestin telligi, uidelicet aut quantum ad specificationem actus , aut quantum ad exercitiũ . Quantum ad specificationem sensus est , quòd uoluntas non põt nolle beatitudinẽ sub generali rõne cognitam summi boni , sed si aliquem actum habeat, ille necessariò est uolitio , & appetitio. Appetere aũt naturaliter quantũ ad exercitium,est non id solum,sed quòd oblato obiecto sub illa cognitione, necessariò uoluntas hẽt uolitionem. Itaq; non ualeat ab exercitio cessare . ¶Et quidem Henricus Gandensis quodlib. 3.q.7.opinatur uolũtatem necessitari respectu ultimi finis sic cogniti, non solùm quantum ad specificationem,sed ẽt quantum ad exercitium, ut non possit illã in genere cognitam non uelle.Quæ quidẽ sniã in beatis euidenter cognoscentib.beatitudinem in particulari uerissima est, ut q.seq.mõstrabitur,non.n. possunt ab amore desistere. ¶Veruntamen de eadem beatitudine in uia in genere cognita solũ sub rõne summi boni statuitur tertia conclusio.Beatitudo sic in genere cognita necessitatem infert uoluntati quantum ad specificationem , non tamẽ quantum ad exercitium.¶Probatur prior pars primum rõne iam facta. Quia inclinatio naturalis uoluntatis est ad bonum quo satiare eã possit.¶Secundò,sic planiùs explicatur. Obiectum proprium uoluntatis est bonum. Itaque sicut intellectus non põt alicui assentiri nisi appareat ei uerum, neq; uisus quidpiam nisi sub rõne coloris uidere,ita & uoluntas nullam ualet rem appetere, aut amare nisi ei offeratur sub rõne boni , atque adeò nec põt quidpiam nolle & respuere, nisi sub aliqua rõne mali . Veluti intelle-

Explicatio conclu.

3.Concl.

Probatio .

ctus,nu'li poteſt propoſitioni diſſentiri ni ſi appareat ei falſa. In beatitudine autem ſub illa ratione generali cognita nulla apparet ratio mali: ergo neque poteſt uoluntas eam odiſſe aut nolle. ¶At uerò nonnulli ex neotericis quorum eſt Maio. d. præſenti.q. 7. quia cuncta contẽdunt in litem euocare,inficiantur illam maiorem,nempe ſolum bonum eſſe obiectum uoluntatis.Imò poteſt inquit,uelle aliquid ſub ratione mali, ac proinde nolle ſub ratione boni.Et probat. Quia poſſunt damnati uoluntatem ſuam diuinæ uoluntati accómodare, &(ut aiunt)conformare: poteſt autem Deus eis præcipere, ut ſuam ipſius nolint beatitudinem: quia nec eis uult ipſam conferre: ergo poſſunt eam nolle, atque adeò ſub ratione boni, quia in beatitudine nulla apparet ratio mali. Idemq; aſſerunt de illo cui Deus ſuam reuelaret damnationem:poſſet enim eam uelle, beatitudinemq; ſubinde nolendo reſpuere. ¶Neſcio tamen quiſnã poſſit hoc quod iſti contendunt perſuaſum habere. Profectò tã impoſſibile eſt uoluntatem id uelle in quo nulla apparet ratio boni, aut nolle in quo nulla apparet ratio mali,quàm eſt impoſſibile uiſu id uidere, quod nullo indutum eſt colore. Sciſcitaret enim ab iſtis, cùm unicuique potentiæ ſuum ſit proprium natiuumq́ue obiectum, quodnam conſignare poſſunt uoluntati ſi bonum non eſt eius obiectum ?

Neotericaopinio.

Reprobatio.

Obiectio. ¶Sed forſan quis ſingat, quod quemadmodum obiectum intellectus ſit hoc diſiunctum uerum uel falſum,ita & obiectum uoluntatis ſit bonum uel malum. At uerò reſponſio hæc uera eſt, ſi quæ latet fallacia detegatur. Intellectus quippe eſt potentia,tum apprehenſiua, tum iudicatiua, & ideo apprehendi quidem æqualiter uerũ & falſum, ſed tamen iudicatiuus aſſenſus non eſt niſi ueri, & diſſenſus non niſi falſi. Voluntas uerò non eſt niſi tantum appetitiua, cuius ideo tantum bonum eſt obiectum reſpectu uolitionis, ac ſubinde malum reſpectu nolitionis.

Diluitur obiectio. ¶Ad argumentum ergo eorum reſpondetur, quòd damnati nolunt quidem beatitudinem, non ut uoluntatem ſuam diuinæ ſubijciant, imò quãuis eis præciperet, nolent obtemperare, ſed illam reſpuunt,propter odium quo Deum proſequuntur,quẽ ideo uidere nolunt, atque id ſub aliqua ratione mali nolunt,ſcilicet, ſub ratione inimicitiæ. Atque adeò eius inimicitias ſub ratione boni appetunt: nempe quia ſe uolunt de ſuo hoſte uindicare. Ille uerò cui in hac uita reuelaretur ſua damnatio (qđ de lege ordinaria fieri non poteſt)nõ ideo illam cuperet. Sed ſi Deus ei præciperet, ut eam uellet, & ei obtemperaret,id faceret ſub illa ratione boni, quæ eſt obedire Deo. ¶Eadem concluſio confirmatur auctoritate Auguſt. in Enchir.c.104. ubi ait.Neque uoluntas non eſt, aut non libera dicta eſt, qua ſic beati eſſe uolumus, ut miſeros nos eſſe uelle non poſſumus. ¶Veruntamẽ Scotus quanuis loco citato fateatur nobiſcum, quòd circa ultimum finem oblatum ſub illa ratione nequeamus actum eliacere uoluntatis niſi uelle, non tamen omnino nobiſcum conuenit, quòd ille amor beatitudinis in genere cognitæ ſit naturalis.Naturale enim uno modo dicitur,ut diſtinguitur contra liberum, atque alio modo,ut ſit ex inclinatione naturali,quanuis liberè. Scotus ergo non concedit eſſe naturalem primo modo, ſed ſecundo, ſcilicet, quia oritur ex inclinatione naturali, & ſit abſque electione. At uerò S.Thom. intelligit uoluntatem moueri naturaliter, id eſt,non liberè,ut.1.2.quæſtione.10. artic. 2. ſe planè exponit,dicens,quòd uoluntas ab aliquo obiecto mouetur naturaliter, ut ab ultimo fine,ab alijs non, ſcilicet à medijs. ¶Argumentum autem Scoti quo utitur in primò di.1.quæſtio. 4. eſt, quòd uniius potentiæ nõ poteſt eſſe niſi unus modus agendi: cùm ergo uoluntas ſuapte natura ſit potentia libera, non poteſt habere alium modum,ut ſcilicet aliquando reſpectu alicuius finis moueatur naturaliter: quoniam agere liberè & naturaliter ſunt contraria. Item quia ſi eſt actus uoluntatis,eſt uoluntarius: omne autem uoluntarium eſt liberum.

Auguſt.

Scotus.

S. Tho.

Argumen. Scoti.

¶At profectò eadem ratione probaret, quòd cùm intellectus reſpectu aliquarum concluſionum non moueatur neceſſariò naturaliter ad aſſenſum, inde cõſequatur, ut neque reſpectu primorum principiorũ moueatur neceſſariò. Reſpondetur ergo, quòd licèt libertatis arbitrium, idem ſit, quòd uoluntas, ratione tamen differunt: quicquid enim eſt à uoluntate poteſt dici uoluntarium,ſed tamen ratio libertatis addit indifferentiam ad utrumliber. Et ideo quanuis uoluntas ſuapte natura ſit libera, nihilominus reſpectu finis ultimi mouetur, ut natura quãtum ad ſpecificationem, ita ut reſpectu illius non poſſit habere actum niſi uolendi. Itaque ſicut graue ſuapte natura deſcendit quia eſt talis natura, ita uoluntas ſuo pondere fertur in beatitudinem ſibi in genere cognitam,ut nõ poſſit eam reſpuere. ¶Alioqui ſi ſua argumentatio efficaciam haberet,concluderet ſubinde nec beatos poſſe Deum uiſum amare per modum naturæ, ut ibidem cõcedit: quod eſt falſiſſimum. Imò eum non amãt libere licèt per uoluntatem, ſed naturaliter:ut quæſtio. ſequenti uidebimus. Et eſt quodammodo exemplum in Deo, licèt nõ ſit omnino æquiparatio. Amat quippe ſe ipſum ſpiratq́; ſpiritum ſanctum certè nõ libere,ſed naturaliter,tametſi Scot.diſtin. 10.uideatur illud ſubobſcurè negare. Nihilominus quanquam ſpiratio illa ſit ſponcanea ut uoluntaria,non tamen eſt libera, ſed tam naturalis quàm generatio filij qa non poteſt ſe Deus non amare aut non ſpirare ſpiritum ſanctum, quanuis omnia extra ſe amet libere. Reſpõdetur ergo,quòd uoluntas amat ultimum finẽ non propriè, quia libere uult, ſed quia eſt talis naturæ, quia non eſt in ſua poteſtate, ſi habet erga ipſum actionem,non amare. ¶Secundum concluſionis membrum contra Henricum aſſertum eſt, qui cenſet beatitudinem ſub illa generali ratione cognitam neceſſitatẽ uoluntati inferre, etiam quoad exercitiũ. Id quod primò ſic ꝓbat. Sicut prima principia in intelligibilibus, ſic & in operabilibus ultimus finis: prima autem principia neceſſitate intellectum mouent ad aſſenſum: ergo & ultimus finis uoluntatem ad eius amorem.ſecundò uoluntas neceſſario illud amat,cuius gratia cætera cupit: cuncta uerò quæ concupiſcit in ultimum finẽ refert:ergo illud neceſſario amat. Tertio, uoluntas nequit quippiam non uelle, niſi in quo ſit uel aliquis defectus boni uel aliqua apparentia mali:in ultimo aũt fine ſic cognito neutrum iſtorum ineſt: ergo non poteſt ab amore ultimi finis ceſſare.

Reprobatio Scoti.

¶Scotus uerò inter alias impugnationes, iſtas ut præcipuas ponit. Primum arbitratur contra dictionem inuoluere ultimum finem ſub ratione generali cognitum neceſſitate trahere uoluntatem,& tamen cognitum ſub ratione particulari,nempe uiſionis Dei,non idem facere, quanuis abſtractiuè & ænigmaticè, ut in hac uita noſcitur. Huius autem rationis infirmitatem illico monſtrabimus. ¶Secundo id redarguit. Potentia inferior nequit ſuperiorem uincere:ergo intellectus oſtendens ultimũ finem nequit uoluntatem ſic uincere,ut neceſſario illum amet. Hæc uerò ratio pluribus errat modis. Primò ſupponens intellectum eſſe uolũtate inferiorem:cuius contrarium ſupra demonſtrauimus. Secundò, quia maior illa ĩ ſenſu ipſius falſa eſt: imò ſenſus oſtendens prima principia intellectui,ut à quolibet puncto in quolibet punctum lineam ducere, ipſum ut aſſentiat euincit. Tertiò,quia hæc uictoria nõ eſt potentiæ oſtendẽtis obiectum,ſed ipſius obiecti. Etenim dum intellectus oſtendit ultimum finem uoluntati,non eſt ipſe, qui uolũtatem pertrahit, ſed obiectum ipſum cognitum:intellectus enim non facit niſi obiectum applicare, ueluti quis ignem ſtupæ admouet non exurit,ſed ignis ipſe. Et hac ratione quæſt.ſeq. commõſtrabimus Deũ clarè uiſum uoluntatem non modò allicere, uerum neceſſitate ad amorem mouere,etiam quoad exercitium. ¶Aliter probatur concluſio ex illo Aug.1 retracta.Nihil tam eſt in poteſtate uoluntatis quàm ipſamet uoluntas: ſed tamẽ hæc autoritas non reprobat uoluntatẽ quoad ſpecificationẽ neceſſitari in hac uita, & in futura etiã quoad exercitiũ: & ideo nõ eſt tã efficax. ¶Ratio ergo legitima eſt,ꝙ beatitudo in hac uita ſub illa generali ratione cognita nõ eſt potens uoluntati neceſſitatẽ imponere,ut ſit illo obiecto attenta: nam cùm ipſa ſit reliquarum potentiarum motrix, põt quæcunq; cognitio in intellectu exiſtat,ad aliud ſe diuertere.Imò & intellectum ab illa cognitione repellere.Solus nanq; Deus, qui eſt autor naturæ põt neceſſitatem uoluntati inferre quoad exercitium:id quod in patria per ſuam ipſius uiſionem facit. ¶Durandus autem in allegata quæſtione. 8. hanc ſic moderatur concluſionem, quòd ſaltem homo cognita beatitudine in genere neceſſitatur quoad uelleitatem, quæ non eſt uoluntas efficax, ſcilicet uellem. Sed re uera ratio facta hoc etiam falſum eſſe demõſtrat: quia cùm uoluntas poſsit exiſtente illa cognitionem illam amouere, ad nullum actum neceſſario mouetur.

Reprobatio Scoti.

Auguſt.

Legitima.

Durandus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cõtra Scotum. ¶Non tamẽ propter hoc debuisset Scotus mentẽ Augustini detorquere, dicens, quòd illis uerbis, Omnes beati esse uultis, miseri esse non uultis. solum appetitum designauerit qui est naturalis inclinatio, nã etiam actum ipsum elicitum significauit. Non quòd necessario quantum ad exercitiũ semper habeatur, ut patet in dormiente, sed quantum ad specificationem, ut expositum est.

4. Conclu. ¶Quarta conclusio. Veram beatitudinem in particulari cognitam, sub illa scilicet ratione quæ est uisio, apprehensio & possessio Dei, nemo naturaliter potest appetere actu elicito nisi supernaturali cognitione præsupposita. Conclusio est liquida, quia nil est uolitum nisi præcognitum: cognitio uerò hæc beatitudinis, sicuti & res ipsa, uires excellit naturæ: quia supernaturalis est. Non nego, quin per uires naturales possit talis appetitio elici, supposita reuelatione supernaturali in ipso, qui appetit, uel in alio. Enimuerò si Christianus lumine fidei perfusus infidelem doceret, ueram beatitudinem in solo Dei conspectu & possessione consistere, posset quidem illi ueritatem hanc persuadere, atque adeò posset infidelis ille assensum præbere, atque adeò eundem Dei conspectum appetere & concupiscere, quanuis nollet alios fidei articulos recipere. Illa tamen appetitio non esset grata Deo: quia non dimanaret à fide catholica, neque finem illum fine tali fide posset consequi: posset nihilo minus appetere.

5. Conclu. ¶Quinta conclusio. Cognitio fidei obscura, qualis est in uia, non imponit uoluntati necessitatem, neque quoad exercitium, neque uero quoad specificationem. Prior pars iam satis probata est. Sola enim clara uisio uim illam habet necessitatẽ inferendi uoluntati quoad exercitium. Posteriorẽ uerò contra rationem Scoti supra relatam

Cõtra Sco. statuimus. Nam ista obscura cognitio beatitudinis in particulari non tantum urgoris habet ad trahendam uoluntatem, ut bene ait quæstio. cita. Durandus, quantum cognitio in genere. Nam cum in genere nil aliud sit quàm si dicas bonum & optimum nullam præ se fert appetendi difficultatem: quoniam & iniqui hoc cupiunt, cũ quicquid affectent sub ratione boni eis apparentis concupiscant. Si uerò alicui proponatur beatitudo uera in particulari, ostendaturq; uia ad ipsam perueniendi, quę est ab illicitis uoluptatibus abstinere, & diuina mandata officijs colere, profectò difficultatem corruptis hominibus offert: adeò ut illam nolint, imò malint suis uoluptatibus oblectari. Fatcor neminem non habere uelleitatem quandam, nempe uellem illa beata uita angelorum potiri, nisi tanti mihi constaret: sed tamen quòd omnes habeant efficacem absolutumq; amorem eius & desideriũ experientia docet esse falsum. Aduersus Luthera. ¶Atq; hoc est aduersus lutheranos ineluctabile argumentũ. Tribuunt.n. eã uim uirtutemq; & energiã fidei, quam habet uisio in patria. Sicut enim illa fœlices uoluntates absorbet, ut nequeant non Dei amore conflagrare: ita contendunt fidem, necessariã habere connexionẽ cum charitate, ut qui credit non possit nõ amare, atq; adeò inferunt, quòd per quodcunque peccatũ mortale, quo amittitur charitas. perdatur fides: quæ quidem hæresis absurdissima est. Diluiturar gu. Scoti. ¶Quo ergo Scoto respondeamus, negatur ullam conuoluere contradictionem beatitudinem in genere cognitam necessitatem imponere uoluntati quoad specificationem: non autem si speciatim cognoscatur in particulari. Imò ambo hæc sunt sibi cohærentia. De uisione autem Dei, qua etiã negat beati uoluntatẽ necessariè moueri quoad exercitium quæstione sequenti disputabimus. Sol. 1. arg. ¶Primum igitur argumentũ in capite propositum iam dilutũ est. Probat enim eos, qui ignari sunt ueræ beatitudinis non posse illã appetere, quemadmodũ quarta conclusione explicatũ est. Illã uerò sub ratione generali nullus ignorat: atq; adeò nemo nõ appetit. Quãuis posit uoluntas aliorsum attẽdens ab actu appetendi desistere, ut secunda, & tertia cõclusio demõstrabant. Sol. 2. arg. ¶Ad secundũ uerò per quintã cõclusionẽ respõsum est, qua ostendimus cognitionẽ ultimi finis in particulari adeò nullã necessitate mouere uoluntatem, ut possit propter difficultates: quæ in illa obtinenda offeruntur, eius consecutionem nõ appetere imò renuere. Sol. 3. arg. ¶Ad tertiũ respondetur, q; illi etiã, qui malè aliqua appetũt, cõcupiscũt illa sub generali ratione boni, ut in secũda conclu. dicebamus, & ideo appetũt beatitudinẽ in genere, nempe bonũ sub illa rõne apprehẽsum. Ille tñ appetitus non est naturalis, sed corruptus: quia non est

ueræ beatitudinis. Neq; ille homo est uerè beatus, imò adeò à uera beatitudine deflexus, ut eius impedimenta appetat. Quapropter sapienter Augustinus, addẽs, nihil malè uult uulgarem plebis opinionem condemnauit: existimantium illum esse beatum, qui habet quicquid uult, & cui omnia pro uotis succedunt: imò malè uolens miserior fit dum ei pro uotis succeditur. At uero qui diceret beatum illum esse, qui habet omnia quæ uult appetitu naturali ueritatem pronunciaret, licèt nil aliud adderet. Quoniam appetitus naturalis in ea duntaxat fertur, quæ ad normam rectæ rationis expetibilia sunt. Sed Augustinus explicatius loquitur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm homo naturalibus uiribus possit beatitudinem consequi.

Postquam de appetitu beatitudinis dictum est, subsequitur, ut de eius assecutione dicamus. Quęritur ergo primò, utrùm homo per suam naturalem facultatem possit beatitudinẽ assequi. Et arguitur à parte affirmatiua. Natura nunquam in necessarijs deficit: nihil autem tam necessarium homini est, quàm in suo ultimo fine conquiescere: ergo à natura illi sic prospectum est, ut possit per eius uires suum adipisci finem.

¶Secundò. Homo irrationabilib. creaturis nobilior est & præstantior, atq; adeò plus sibi sufficiens: irrationales autẽ creaturæ proprijs uirib. suos fines attingunt: ergo & homo id ipsum potest. ¶Tertio. Beatitudo (ut. 1. & 10. Ethi. autor est Philosophus) est operatio perfecta, & cuius est rem incipere, est ipsam perficere: officia uerò, quæ uocant moraliter bona, naturalis hominis potestati subduntur, iuxta illud Pauli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, & illa sunt perfectæ uitæ inchoationes: ergo & ad illam uitam pertingere, in hominis positum est naturali facultate.

¶In contrarium est illud Esaiæ. 64. Oculus non uidit Deus absq; te (id est nisi te autore) quæ præparasti expectantib. te. Et 1. ad Corin. 2. addidit Paulus, neq; auris audiuit, neq; in cor hominis ascendit. Quæ nulla naturalis potentia hac uigeat uirtute ac facultate.

¶Quæstio præsens alia præsupponit, atq; alia quærit. Ob idq; ad omnia quinq; conclusionibus respondetur. Supponit enim, quòd homo suam possit supremam beatitudinem, & fœlicitatem consequi, & quærit subinde quib. id uiribus ualeat. Cui & alia adiungitur quæstiũcula, utrùm in hoc seculo, id sit Deo possibile. ¶Adnotandũ tamen in quæstionis uestibulo, quòd nihil hic de merito sciscitamur, utrùm scilicet homo suis uiribus naturalibus ualeat beatitudinem promereri: hæc enim alia quęstio est, ad tractatum de gratia Dei pertinens: quo aduersus Pelagianos pars negatiua, ceu catholica ueritas definitur. Ad Eph. 2. Gratia enim Dei (ut ait ad Ephesios Paulus) sumus saluati per fidem, & hoc non ex nobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur: sed scisciatamur utrùm secluſa ratione meriti homo possit illam obtinere, scilicet utrum postquàm beata uirgo ad alius quispiam meritus est beatitudinem, uel si per impossibile daretur sine meritis nostris aut Christi, posset beatitudinis suæ fieri compos. 1. Conclu. ¶In hoc ergo sensu statuitur prima conclusio. Homo potest suam consequi beatitudinem. Nihil modò asserimus, quibus uiribus. id possit sed absolutè, quòd possit. Conclusio est de fide iuxta illud. 1. Ioan. 3. cùm apparuerit similes ei erimus & uidebimus eum sicuti est. & 1. ad Corin. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Ratione uerò naturali probat conclusionem hanc duobus locis D. Thomas, prima enim par. quæst. 12. art. 1. quæsiuit, utrùm homo possit Deum per essentiam uidere: absque disputatione utrùm in illa uisione beatitudo consistat: hic uerò scilicet. 1. 2. q. 5. disputat utrùm possit homo suam beatitudinem consequi, quæ est illa uisio. Et utrobique assertiuè respondet. Probatio est illa quam articulo præ- 1. Conclusionis rõ. cedenti explicuimus. Cognito enim effectu desiderium homini naturale inest cognoscendi causam, non quomodocunque, sed per eius essentiam: ergo cognitio: huius machinæ mundi desiderium naturale nobis ingenerat cognoscendi causam in sua ipsius essentia quod nisi per uisionem, fieri non, potest: naturale autem desiderium non est frustra: ergo ad illum finem

Decis. art.

Notandũ

Ad Eph. 2.

1. Conclu.

1. Conclusionis rõ.

2. Ratio. potest homo peruenire. ¶Secunda ratio est. Beatitudinis nomen adeptionem perfecti boni significat: ergo quicunque capax est perfecti boni, ad eandem beatitudinis adeptionem peruenire potest: homo autem est illius capax: ergo potest illuc pertingere. Minor uerò probatur. Homo suapte natura ad imaginem & similitudinem Dei, ut Gene. 1. legitur, conditus est: imago autem & similitudo Dei capacitatem quandã & aptitudinem designat eius essentiam cognoscendi amandiq; ac perinde ea fruendi. Est enim similitudo illa ueluti cælatura in annulo aureo instar lapilli figuræ excauata, qui illic cælandus est: sic enim intellectus & uoluntas capaces sunt quibus Dei uisio & amor imprimatur.

Cõfirmatio. ¶Et confirmatur hac ratione physica, Intellectus, quia immaterialis est, potest bonum uniuersale apprehendere abstrahendo ab hoc & ab illo bono naturali, atq; adeò illud] sic in genere cognitum amare & appetere: ergo suapte natura est capax consequendi rem illam quæ eminenter continet uniuersa bona. Cuius indicium, ut supra diximus, est quòd citra illius consecutionem naturalis noster appetitus nequaquam sedatur & conquiescit.

Obiectio. ¶Veruntamen aduersus hanc conclusionem uidentur militare argumenta hæc. Sicut natura rationalis est supra sensibilẽ ita rationali præeminet intellectualis, qualis est Deus, ut Dionysius ait in lib. de diuinis nomi. sed brutæ animantes solo sensu pollentes nequeunt ad finem rationalis creaturæ, nempe hominis peruenire: ergo neque homo ad supremam beatitudinem naturæ intellectualis. ¶Item infinitum, ut 3. Physi. ait Arist. non est cognoscibile: Deus autem est infinitus: ergo non potest

Responsa. à nobis cognosci. ¶Propter primum argu. non defuerunt, qui negarent posse Deum à creatura rationali uideri, propter eius excellentiam & eximiam puritatem. Veluti sol qui est maximè uisibilis à uespertilione cerni non potest, ut Arist. 1. Met. ait, nempe, quòd sicut oculus noctuæ ad lumen solis, ita & intellectus noster ad manifestissima naturæ. Igitur si recondita naturæ intelligere non possumus, multo minùs inaccessum splẽdorem Dei, qui totius est fons naturæ conspicere ualemus.

Notandũ. ¶Veruntamen adnotandum est, quòd alius, quia est lucidum, sed tamen excellentia lucis obstat ne ipsum possit uespertilio intueri. Quare per Dei potentiam posset eius sensus sic roborari & acui, ut eundem posset solem conspicere. Pari ergo modo intellectus noster eleuari per lumen gloriæ potest (ut artic. 4. uidebimus) ut Deum intueri queat. Nam etsi anima mortali corpori immersa species intelligibiles à phantasmatibus abstrahat, tamen ad uidendum Deum (ut artic. proximo uidebimus) Deus ipse in ratione speciei intelligibilis erit fœlicibus intellectibus coniunctus. ¶Ad aliud uerò respondetur. Quòd Aristote. quando ait infinitum non esse cognoscibile, intelligit de infinito ratione materiæ, scilicet, quod est in infinitum in potentia, ut numerus partium continui & moles in infinitum protensa: quia non habet formam, aut certum numerum per quam cognoscatur, & res non est cognoscibilis, nisi quatenus per formam fieri potest in actu & in propria specie. Deus autem est infinitum in actu, infinitaq; subinde perfectio, atque adeò non solùm est cognoscibilis, uerùm & infinitè cognoscibilis, ut à se ipso cognoscitur.

1. Concl. ¶Atque hinc colligitur secunda cõclusio. Neque Deus neque Angelus corporalib. oculis uideri possunt, ut. 1. par. q. 12. ar. 3. ait D. Th. Imò neque per absolutam Dei omnipotentiam id fieri potest, plusquam, quòd aut per aures uideas, aut per oculos audias. Quoniam licèt Deus se solo possit producere entitatem illam quæ est uisio sui, non tamẽ est in oculo aut in sensu corporeo receptibilis eo modo, ut per ipsam ualeant immutari: eo quòd res intelligibilis non est obiectum eius, ueluti coloratũ non est obiectum auditus. Vnde Augu. in lib. de uidendo Deum ad Paulinam, Deũ inquit nemo uidit unquàm, & in hac uita sicuti ipse est, & in Angelorum uita sicut uisibilia ista quæ corporali uisione cernũtur. Quocirca illud Iob. 19. In carne mea uidebo Deum saluatorem meum, non sic intelligitur, quòd oculo carneo posit uideri essentia Dei, sed quòd hõ existens in carne post resurrectionẽ uidebit Deũ, & per oculum carnis uidebit Christũ. Illud aũt c. 42. Oculus meus uidebit te, de oculo mentis intelligitur. ¶Quòd si arguas. Saltim per sensum interiorem imaginatiuæ potentiæ põt Deus uideri: legitur. Esa. 6. Vidi dominum sedentem super solium excelsum &c. illæ aũt prophetic æ uisiones imaginariæ erant. Respondetur. Per illam uisionem Deum non fuisse à Prophe ta conspectũ scdm eius essentiam, sed sub aliqua forma corporea, imaginationi oblata, Deum per similitudinem repræsentãte: ut puta sub imagine regiæ maiestatis in throno sedentis. Supernaturalia uerò quàlis est Deus non usque adeò intellectum nostrum excedunt, ut intra lineas obiecti eius non comprehendantur. Imò cum obiectum intellectus sit ens, Deum ipsum suo ambitu continet. Sed solùm excedit captum nostrum quantum ad modum cognoscendi, propter eius excellentiam, ad quam intellectus in puris naturalibus non habet proportionem. Hoc enim pacto sol exuperat uespertilionis uisum. Comprehenditur enim sub obiecto uisus,

Augu.

Obiectio.

Supernaturalia sunt à nobis intelligibilia.

Ad Conclu. Dictum quippe est in uisione Dei esse positam. Quæ utique uisio in hac uita obtineri nõ potest. Nisi quis obijciat, illam Deũ posse ex peculiari priuilegio alicui concedere, ut fecit Paulo. Attamen loquimur secundum ordinariam legem. Præterea illa, nisi firmum haberet perpetuumq; statum, ratione completa ueræ beatitudinis careret. Imò, ut suo appendice ornamento decora esset, corpus etiam immortalitate, & reliquis dotibus insignire deberet.

¶Conclusionem uerò ob id impræsentiarum statuimus, ut eam quoque ex generali ratione beatitudinis deduceremus. In quo locupletando argumento Diuus Augustinus librum totum decimumnonum de ciui. Dei expendit. Perfecta nanq; beatitudo (ut nomen ipsum auribus suggerit) perfectum bonum est, atque adeò sufficiens: sufficiẽtia autem eius hæc est, ut omne malum excludat, omneq; desiderium expleat: neutrum uerò istorum in hac fieri uita possibile est. Nam & intellectus noster multis ignorantiæ nebulis obducitur, & uoluntas subinde prauis corruptisq; affectionibus est peruia, à quibus nisi magna cura & labore eripi nequit. Et præterea corpus creberrimis est ærumnis & calamitatibus subditum. Hæc enim speculatio Academicos dementauit, qui disquirentes in hac uita ubi nam fœlicitatem collocarent, inuenire nequiuerunt. Imò Marcus Varro sectas fermè tercentum de re hac recensuit. Quod etiam argumentũ in Academicis & in de Finibus bonorum & malorum Cicero, aurea sua lingua disseruerit, tamen punctum non attigit. Quoniam in hac uita summum bonum non erat reperibile: imò neque in altera quemadmodum ipsi citra Deum illud indagabant. Enimuerò cùm homo ex anima & corpore constet, utramque partem necesse est, beatitudo perficiat. Corpus autem quod mors tam multis morbis, doloribus & cruciatibus uexat, & in suum urget interitum, constantissimum est, non posse in hac uita ab illis eripi, quousque ad illam perueniat, in qua non erit luctus neque clamor.

Augu. Probatio cõclusion.

Meditatio

¶Sed ut ad animi bona conuertamur, in quibus omnes huius seculi sapientes fœlicitatem statuebant, in tribus uitæ generibus illam arbitrabantur esse positam, scilicet aut in contemplatione & inquisitione ueritatis, aut in gerendis rebus humanis:

De animi bonis.

Tria uitæ genera.

Ad Tit. 2.

Probatio.

manis: quorum prius genus ocioſum eſt, poſterius uerò negocioſum, aut in quadá uita ex utroque genere commiſta & temperata. Si uerò uirtutes morales in quibus negotium actiuæ uitæ uerſatur, contemplemur, nulla in hoc ſeculo ſine labore ſuum finem conſequitur. ¶Temperantia nanque, qua carnales frænantur libidines, in perpetuo conflictu laborat, quia ſpiritus (ut ait Paulus) concupiſcit aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum. Et ideo hæc uirtus uix euitare ualet quo minùs, ratio nonnunquam carni ſuccumbat. Abſit ergo (ut inquit Auguſtin.) ut dum in hoc inteſtino bello ſumus, beatitudinem adeptos non eſſe credamus: cùm ad ipſam pugnando peruenire contendamus. ¶Mox prudentia, quæ reliquis uirtutibus mediũ conſtituit, crebris erroribus obnubilatur. ¶Deinde iuſtitia, cuius munus eſt ſua cuique tribuere, in hoc munere perſoluendo quàm plurimum laborat, tantum abeſt, ut beatitudinis requie fruatur. Imò hæc uirtus eſt inter omnes quæ à Repub. maximè exulat. Adeò proprius uniuſcuiuſque amor, propriorumq; bonorum cupido iura aliis debita ſoluere uetat. ¶Tandem fortitudo, metus audaciæq; moderatrix patiẽtiæ parens, qua mala huius uitæ toleran tur, tam multa malorum turba nonnunquam concutitur, ut etiam Stoici, qui docebant nullam paſſionem in uirum ſapientem cadere, dicere cogerentur, quòd quando. eo uſque mala illa ſuccreſcerent, ut ſapiens, uel non poſſet, uel non deberet ea ſuſtinere, tunc mortem, ſi neque naturaliter aduenirent, neque aliunde accederet, deberet ipſe ſibi inferre, ut ab illis eripere tur. Vide quò cæcitatis illi ſapientes exiſtimati præcipitarentur, qui ut uitam quam beatam ducebant, fugerent, mortis auxilium implorabant, ſtrenuamq; fortitudinis uirtutem homicidam faciebant.

¶Adde quòd nonnullæ uirtutes, ut pietas in parentes atque in ciues miſericordia, in cõdolendis miſerorum aduerſitatibus laudem merentur ſuam. Cùm tamen dolor à legitima beatitudine alieniſſimus ſit. ¶Neque uerò ſuprema fœlicitas, quam in contemplatione ueritatis collocabant, quietem ſuam & otium nanciſci in hoc ſeculo ualet: quippe cùm multis rerum turbis perturbetur, quouſque in cæleſtem Hieruſalem conſcendamus, cuius ſeras portarum nullus malorum impetus abrumpere ualet, ſed poſuit Deus ſuos fines pacem: ubi adipe fruméti per illam beatam uiſionem perfruemur. Præterquam quòd qui in hac uita addit ſcientiam, addit ſibi laborem, & indignationem: quia indignatur uidens indignos magiſtratus adminiſtrare.

Temperantia.

Prudẽtia.

Iuſtitia.

Fortitudo.

Miſericordia.

Cõtemplatio.

4. Conclu.

¶Quarta concluſio qua ſuperior confirmatur ſit. Perfecta beatitudo ſemel acquiſita amitti nõ poteſt. Origenes fertur quorundam Platonicorum errores ſequutus, aſſeruiſſe de ultima beatitudine hominem poſſe in miſeriam recidere. Quod ueræ beatitudini quàm maximè repugnat. Enimuerò cùm ſit bonum ſufficiens, oportet (ut diximus) ut omne malum excludat, omneq; deſiderium expleat, inter alia uerò fœlix præcipue deſiderat bonum quod obtinet, ſecurè & tutò retinere, alioqui amittendi metu angeretur, & ſi amitteret, doleret. Requiritur ergo ad beatitudinem, ut poſſidens certam habeat opinionem nunquam ſuam amittendi fœlicitatem. Si autem opinio eſt uera, inde fit conſequens beatitudinẽ amitti nõ poſſe. Si uerò falſa, falſitas ipſa rationem ueræ beatitudinis tollit. Igitur cùm in hac uita, quæ caduca & labilis, atque adeò peritura eſt, nihil ſit perpetuũ, fit ut nec inſit in ea perfecta beatitudo. Sed illa tantùm eius inchoatio, quæ in ſpe conſiſtit, de qua Rom. 8. ait Paulus, ſpe ſalui facti ſumus. Quæ quidem beatitudo quanuis genere ſuo perpetua ſit, ſicuti diuinus amor, nihilominus ratione ſubiecti, quia in hoc ſeculo nondum ſumus confirmati in gratia, per liberum arbitrium noſtrum eſt amiſsibilis, niſi in beata uirgine & Apoſtolis qui ex priuilegio fuerũt, confirmati. Dum uero rationem ueræ beatitudinis in particulari quæſtione ſequenti ſpeculemur, altiorem rationem eandemq; legitimam contemplabimur, cur illa beatitudo amitti nequeat.

5. Opinio.

¶Quinta demũ concluſio quæ ad titulum quæſtionis reſpondet eſt. Quanuis beatitudo imperfecta, quæ in hac uita per cultum uirtutum moralium obtinetur, uiribus naturalibus poſsit acquiri, non tamẽ perfecta & ſuprema. Imò uiſio Dei in qua cõſiſtit, ſuper naturam nõ ſolùm hominis, uerùm & omnis creaturæ exiſtit. Prior pars per ea quæ dicta ſunt demonſtrata eſt. Duas enim diſtinximus in hac uita imperfectas beatitudines. Vnam ſecũdùm Philoſophos, uel actiuam,

uam, quæ conſiſtit in operatione ſecundũ uirtutem, & cõtẽplatiuã ſubſtãtiarũ ſeparatarum. Atq; ad has aſſerit prior pars noſtræ concluſionis uirib. naturalibus poſſe hominem pertingere, ſcilicet, per opera moraliter bona. Quanuis opera illa nec digna ſint abſque charitate infuſa proprio nomine uirtutum. Alterum uerò beatitudinis genus, quod in ſpe cæleſti; beatitudinis poſitum eſt, abſq; ſpeciali Dei cõcurſu conſequi homo non poteſt. Verumtamen impræſentiarum de officijs quib. beatitudinem promeremur, non habetur ſermo. Sed de eius conſecutione, quæ habet rationem præmij. ¶Quòd autem uiſio illa beata ſit nobis atque Angelis ſupranaturalis, eſt catholica ueritas, cuius contrarium fuit Bigardorum hæreſis, in concilio Viennenſi ſub Clemente quinto clementi. ad noſtrum de hæret. inter octo illorum errores condemnata. Aſſertio enim eorum erat, quod intellectualis natura in ſe ipſa eſt beata: neque indiget lumine gloriæ ipſam eleuante, atque adeò neque alia ſupranaturali uirtute ad uidendum Deum. Imò aiebant phrenetici illi & ſtupidi, quòd cùm Deus ubique ſit præſens, atq; adeò quantum eſt de ſe ſemper ſit intellectui noſtro applicitus, ſolum delictorum noſtrorum obſtaculum, eſt nobis impedimento, ne eum cernere ualeamus. Ex quo ſubinferebãt, uſqueadeò poſſe hominem in hac uita cor à culparum ſordibus emundare, ut in hoc in mortali corpore Deum ualeat (quemadmodũ de Paulo fertur) per eſſentiam uidere. ¶Sed erat illa inſignis dementia. Contrarium nos enim fides Catholica docet. Legitur enim in Pſal. 83. Gratiam & gloriam dabit dominus. Hoc eſt, ſicut gratia, quæ eſt ſemen gloriæ, ita & gloria ipſa ſolo Deo fit autore. Cui concinit ad Roma. 6. Apoſtolus, dicẽs Gratia Dei uita æterna. Quæ quidem uita (ut monſtratum eſt) in illa Dei beata uiſione conſiſtit. Accedit & locus citatus Eſaiæ, Oculus non uidit abſq; te quę pparaſti expectãtibus te. Cui. 1. ad Cori. 2. concors Paulus, Oculus inquit nõ uidit &c. Et Matth. 11. Nemo nouit Filiũ niſi Pater, & Patrem quis nouit niſi Filius & cui uoluerit Filius reuelare. Vbi ſimpliciter de Dei cognitione loquebatur, ut doceret, tam Fidem, qua cognoſcitur in uia, quàm uiſionem, qua comprehenditur in patria, opera eſſe Dei ſupernaturalia. Eodemq; illud alludit Ioan. 14. Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam illum, & manifeſtabo me ipſum illi. Quaſi munus proprium eius ſit manifeſtare ſe amicis ſuis, quod fiet per eius intuitum in cælo. Eſt ergo Catholica fides.

Bergadorum error

Teſtimonia ſacra.

¶Rationem uerò, qui rem in cortice duntaxat cernunt, non aliam referunt, quàm quòd cum creatura ſit finita, Dei uerò ſubſtantia infinita, nulla ſit proportio, ut homo naturaliter poſſit uidere Deum. At uerò ratio hæc minimè ſatisfacit. Aliud enim eſt quærere de proportione rerum quatenus ſunt res naturales, atque aliud de proportione obiecti & potentiæ in ratione cognoſcendi. Enimuerò cùm ens ſit intellectus obiectum, cuius amplitudine comprehenditur Deus, diſproportio inter eius infinitatem & noſtram capacitatem, non eſt ſufficiens cauſa tollendi proportionem in ratione potentiæ & obiecti ne cognoſcatur à nobis. Nam per hæc uiſibilia, ut ait Paulus, poteſt ipſe cognoſci inquantum cauſa. Vnde poſſet quis argumentum ducere, quod ſi Deus fieret nobis præſens poſſemus ipſum naturaliter uidere, ſaltem anima à corpore ſeparata in puris naturalibus abſq; peccato & gratia exiſtens. ¶Rationem ergo, quæ certè ſola inter naturales legitima eſt, exponit Diuus Tho. 1. 2. q. 5. artic. 5. Sed explicatiùs. 1. part. q. 12. arti. 4. Ratio uerò fundatur in hoc, quod cognitio fit per abſtractionem à materia ſecũdum diuerſos gradus: eo quod cognitio eſt, ſpiritualis actio ſaltem modo aliquo. Supponit autem alia fundamenta tria. ¶Primum, cognitio cuiuſcunque rei fit ad modum cognoſcentis: eo quod eſt receptio in potentia. Nã, ut 2. & 3. de anima ait Philoſophus, cognoſcere atque adeò intelligere eſt quod dam pati. Et ideo ueluti aqua dum uaſi infunditur eius figuram ſuſcipit, ita cognitio recipitur iuxta naturam cognoſcẽtis. Vnde (ut in libro de cauſis habetur) intelligentia cognoſcit tã ea quæ ſunt ſupra ſe quàm ea quę ſunt infra ſe ſecundùm modum ſuæ ſubſtantiæ. Homo enim quia habet intellectum materiæ infuſum, non cognoſcit Angelos, qui ſunt ſupra ſe; per ſpecies tam puras tamque ſpirituales quàm ſunt Angelicæ, ſed per illas intelligibiles, quas de phantaſmatibus materialibus deducit,

Ratio conclusionis illegitim..

Ratio legitima.

Primũ fundamentũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ducit, & per easdem itidem genera & species intelligit naturarū materialium, quæ sunt infra se. ¶Hac ergo supposita ueritate quòd cognitio fit ad modum cognoscenti, tanquam secundum fundamentum distiuguenda sunt, tam potentiæ cognoscitiuæ quàm obiecta cognoscibilia. Et quidem potentiæ quanquàm nō sint nisi duę, nempe intellectus & sensus, reperiuntur tamen in creatura in triplici differentia. Angeli enim solo intellectu uigent: bruta uerò solo sensu, sed homines utroque. Obiectorum uero cognoscibilium tria similiter sunt genera. Infimum est eorum quorum natura non habet esse nisi in hac diuiduali materia. Vt sunt omnia mere corporalia. Alia uero sunt quorum natura, nec materialis est, nec receptibilis in materia, ut Angeli. Homo uero est medius, quia licet habeat formam. nempe animam immaterialem, recipitur tamen illa in materia. ¶Sensus ergo siue hominis siue brutorum nequeunt nisi singularia materialia & corporea cognoscere. Tametsi, ut in eorum patet speciebus, nonnihil præ se ferant immaterialitatis & spiritualitatis: eo quòd quodammodo sunt à materia abstractæ: ob id nanque species uisibiles tam subito mouentur, nec uidentur ipsæ, nec sentiuntur. Intellectus uerò noster, quia in se est immaterialis, potest quidem cognoscere naturas & quiditates rerum, sed tamen quandiu est in materia, nequit illas cognoscere nisi per species à materialibus phantasmatibus abstractas. Quare proprium eius munus est cognoscere naturas in uniuersali: nempe genera & species, atque earum quiditates: quod facultatem sensus excedit. Angelico uerò intellectui connaturale est quiditates & substantias creaturarum spiritualium cognoscere. Quod quidem facultatem intellectus humani pro isto statu excedit, qui illas substantias non nisi abstractiuè cognoscit ex corporalibus ratiocinando. ¶Tertium fundamentum sit, quòd esse creaturarum non de est intrinseca ratione substantiæ & quiditatis & essentiæ ipsarum. Nam antequam mundus esset uerum erat hominem esse animal rationale & Angelum esse substantiam spiritualem, licet non existerent. Quare omnes creaturæ habent esse receptum. Quod quidem uel per creationem uel per generationem recipiunt. Deus autem est suum esse: nam de intrinseca ratione eius quidditatis est existere: quoniam nisi, esse, suæ esset naturæ intrinsecum nullatenus esse posset, quia non posset illud ab alio recipere. Ex quo fit, quòd cum omnis creatura habeat esse receptū siue in materia corporali siue in indiuiduo, ut Angelus, omnis est quodammodo materialis. Nam id ipsum quod est recipi, est materialis conditio. Solus autem Deus est purissimus actus.

Secundū fundamē-tum.

Tertium fundamentum.

Colligitur ratio.

¶Ex his ergo colligitur propria ratio qua re Deus nequeat à creatura per essentiam cognosci. Sensus ob id nequit spiritualia cognoscere, quòd est potentia materialis, & spiritualia sunt immaterialia: & intellectus noster pro isto statu ob id nequit Angelos per essentiam cognoscere, quòd ipse est in materia receptum, & Angeli habent esse actu à materia semotum. Sed in hac spiritualitatis ratione Deus plus omnem creatam cognoscitiuam potentiam exuperat, quàm uel spiritualia sensum: uel Angeli mortalium intellectum: ergo nullus intellectus creatus potest naturaliter Deum per essentiam cognoscere, atque adeò nec uidere. ¶Sed statim hoc loco quis ambiget, cum quæstio sit an Deus possit naturaliter uideri, quid nam referebat probare, quòd non possit per essentiam cognosci? Respondetur, quòd sicut in creaturis, tunc res per essentiam cognoscitur, quādo cognoscitur per eius definitionem quidditatis, ita Deus, quia cum sit infinitus definiri non potest, cognoscitur per essentiam dum uidetur: quia tunc cognoscitur sicuti est. ut ait Ioannes, atque adeo in sua essentia. ¶Scotus distinctione præsenti quæstione. 11. quanuis conclusionis ueritatem confiteatur, rationem tamen negat esse istam Sancti Thomæ: quia nullus in ea informatur syllogismus, sed solum huic innititur collectioni, quòd quia Deus excelsioris naturæ est quàm creatura non possit ab ipsa naturaliter uideri, quæ tamen collectio nulla est. Quoniam Angelus inferioris speciei uidere potest superiorem. Ratio ergo, inquit, non est alia quàm, quòd nulla creatura uirtutem habet faciendi Deum sibi præsentem in ratione obiecti. ¶Sed profectò ratio hæc nullius est prorsus energiæ. Imò hæc aliam priorem causam desiderat: nam

Obiectio Scoti.

Reprobatio.

nam cùm Deus sit ubique præsens, quæritur ratio cur animæ separatæ sine culpa & gratia in puris naturalibus existenti fieri nequeat præsens in ratione obiecti. Scotus ergo suique asseclæ ob id Diuum Thomā redarguunt, quòd mentem eius inspectam non habent. Diuus enim Thomas non inde argumentum ducit quòd Deus sit altior, imò infinitus in genere rei. Haud enim negat quin brutum possit uidere hominem, aut Angelus inferior superiorem: sed inde quòd Deus sit immaterialior. Nec uerò inde colligit, quòd non possit naturaliter cognosci à creatura, sed quòd non possit per suam quidditatem & essentiam à creatura cognosci, quod est ipsum uidere. Et quanuis Diuus Thomas non fuerit solicitus syllogismum struere intendit tamen illam gradationem facere quam nos in forma eliquauimus.

¶Ad primum igitur argumentum respondet optimè Diuus Thomas, quòd sicut natura homini non ideo fuit deficiens, quòd non dederit ei naturalia tegumenta & arma, sicut tauris & leonibus, quia tribuit ei rationem qua illa sibi conquireret, ita nec fuit maligna & insufficiens, quanuis ei principia non suppeditauerit, & facultatem ueniendi per se ad beatitudinem, quia non erat possibile: dotauit tamen eum libero arbitrio, quo per Dei fauorem adiuto, qui nobis semper est fauore promptissimus, ad eandem posset beatitudinem promoueri. Nam quæ per amicos possumus (ut 3. Ethicorum Philosophus autor est) per nos ipsos possumus.

¶Ad secundum respondetur, quòd nobilitas naturæ (ut 2. de Cælo ait Philosophus) ex dignitate supremi finis, ad quem instituta est, debet perpendi: & ideo præclarius cum natura intellectuali & rationali actum est, quòd ad tam excelsum finem fuerit creata, ut uires eius excedat, quàm cum alijs naturis, quæ ad inferiores tendunt fines, quos suis uiribus assequi ualent. Quemadmodum melius est ad sanitatem dispositus, qui perfectam potest medicorum ope consequi, quàm qui non nisi imperfectam absque alieno auxilio ualet comparare.

¶Ad tertium respondetur, quòd quando rei inchoatio & dispositio est eiusdem speciei cum forma perfecta introducenda, eiusdem est potentiæ illam incipere & perficere. Illa autem dispositio quæ ut per opera moraliter bona non est in genere moris eiusdem speciei cum illa quæ fit per auxilium speciale Dei, & est ad beatitudinē requisita. Et ideo homo habet prioris facultatem, non autem posterioris.

ARTICVLVS. III.

Vtrum essentia Dei ab intellectu creato per aliquam creatam similitudinem uideri ualeat.

EX determinatione superioris articuli nascitur alia quæstio: utrum Deus, licet non nisi supranaturaliter sit à nobis cognoscibilis, uideri tamen per aliquam creatam speciem possit. Et arguitur à parte affirmatiua. Intellectus in actu (ut docet Philosophus. 3. de anima) est intelligibile in actu, hoc est obiectū fit actu intelligibile per species sui, quę in intellectu recipiuntur per quas ipse fit et intellectus in actu: nempe in potentia propinqua ad intelligendū. Igitur cum hic sit intellectui naturale, pariter ad uidendum Deum requiritur species, quæ sit ipsius similitudo in intellectu recepta.

Partis affirmatiuæ arg. 1.

Secundum arg.

¶Secundò id probatur ex illo. 1. Io. 3. scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus: uidebimus eū sicuti est. Cui consonat Aug. 9. de trini. Dicens, quòd cum Deum nouimus fit aliqua Dei similitudo in nobis.

¶In contrarium est Augu. 15. de trinita. ubi ait quòd cum Apostolus ait, Videmus nunc per speculum & in ænigmate, speculi & ænigmatis nomine quæcunque similitudines ab ipso significatæ intelligi possunt, quæ accommodatæ sunt ad intelligēdum Deum: nisi o autem Dei per essentiam non est specularis, & ænigmatica, sed contra eam diuisa: ergo diuina essentia non uidetur per similitudines.

Pars negatiua.

¶De ista quæstione uariæ sunt opinionum differentiæ: ad quam tribus conclusionibus respondebitur. Primum aūt adnotandum est duas esse quæstiones similes. una est, utrū homo possit per actionem alicuius creaturæ beatitud nem consequi, quam disputat Diuus Th. 1. 2. quæst. 5. art. 6. Hic aūt altera peculiariter inquiritur utrum per aliquā creatā speciē possit Deus uideri: quā disputat. 1. parte quæstio. 12. artic. 2. Prior, inquā, quærit, utrum in genere causę efficientis crea-

Duæ similes quæstiones.

r.Conclu. tis creatura possit hominem beare. ¶Ad quam,quia facillimæ expeditionis est,respondetur prima conclusione.

¶Nulla creatura potest hominem uel angelum in genere causæ efficientis beatum facere.Et loquimur de perfecta beatitudine:nam de illa imperfecta, huius uitæ, quam diximus uiribus naturalibus posse acquiri,qualis est operatio moraliter bona secundum uirtutem moralem, diuersa est ratio.Quoniam uirtus moralis non solum naturaliter ab ipso studioso, uerùm & aliorum ope, qui eum consilio aut doctrina iuuant,potest comparari. Sed de perfecta probatur conclusio. Illud quod totam naturam creatam excedit, nequit actione propria fieri alicuius creaturæ, quemadmodum suscitatio mortui & cæci illuminatio,atque id genus alia miracula. Consecutio autem perfectæ beatitudinis, quę in Dei uisione consistit, quia suprana turalis est,totam excedit naturam, ut arti culo proximo monstrauimus: ergo nullius actione creaturæ potest attingi:sed solius Dei immediatè agentis.

Probatio.

¶Nihilominus peculiaris quæstio est de specie,quæ propriè concurrit in ratione obiecti,per quam scilicet,recepta in intellectu obiectum illi unitur ad producendam notitiam.Duo enim ad cognitionem tam sensitiuam quàm intellectiuam sunt necessaria: scilicet & uirtus potentiæ & unio obiecti cum ipsa.Et ideo de uisione Dei duo sunt disputanda. Vnum ex parte intellectus: nempe utrùm lumen eius naturale sufficiat ei ad uidendum Deum, an uerò aliud altius exigatur gloriæ lumen,quo ad illud opus eleuetur: de quo articulo proximo subsequens erit quæstio.Disputatio uerò præsens est ex parte obiecti de specie qua coniungitur intellectui.¶Atqui OKam.1.senten.dist.1.qu. 2.& in 4.quæst.13.usque adeò beatificã uisionem existimat esse supranaturalem, ut arbitretur nequaquam ab intellectu, sed à solo Deo produci: quare neque ullo opus est gloriæ lumine,neque uerò specie.Probatio eius potissima est, quòd cũ uisio illa sit supremum præmium, quod à Deo expectamus,ab ipso solo immediatè confertur:nam sicut meritum à merente, ita præmium est à præmiante. Alias creatura se ipsam bearet,atque adeò per nullam speciem producitur. Item quia cum

Duo ad cognoscẽdũ requisita.

OKam.

uisio Dei sit supernaturalis (ut proximè probatũ est) à nulla potest creatura produci,atque adeò neque ab intellectu ipso.

Conclusio prima.

¶Hæc autem opinio nullius habet probabilitatis specimen:& ideo statuitur prima conclusio. Intellectus beatus ad Dei uisionem concurrit.Quoniam adeò naturale est potentię cognoscitiuæ non cognoscere nisi eliciendo suam cognitionem, ut id ipsum sit cognoscere, quod cognitionem producere.Quid enim aliud est uidere, quàm uisum uisionẽ rei in se producere. Veluti amare idem est quod amorem eli cere.Nam quanuis Philosophus dicat intelligere esse quoddam pati, hoc propterea dixit.quòd fit per receptionem specierum ab obiecto,per quas utique intellectus fit in actu primo,ut potens sit notitiam proferre,quæ est actus secũdus. Obidq; idem Philosophus intellectionẽ appellat actionem immanentem, quia scilicet in eadem potentia permanet, à qua ingignitur.Vnde Aug.2.de doctri. Christiana tanquàm axioma ab omnibus receptissimum asserit, quòd à cognoscente & cognito paritur notitia.Atque hac ratione Pater in diuinis per intellectum generat Filium.Potest quidem Deus alias formas se solo in subiecto producere,ut calorem, & alborem &c. Et tamen notitiam per quam potentia cognoscat,aut amorẽ per quam appetitus amet,nequit sine concursu ipsius potentiæ.

Cauillus.

¶Sed dicet OKam,Quanuis uisio à Deo solo producatur,satis est:ut intellectus cognoscat,quod ab eo conseruetur. At uerò uisionem tanquàm actum uitæ, uidendo conseruare est agere. Quare non est cur negetur ab intellectu produci.

Redargutio.

¶Nihilominus rursus quis redarguat: nõ potest creatura producere charitatẽ aut gratiam,aut aliquam ex uirtutibns infusis,quia sunt supranaturales, ergo eadem ratione nequit intellectus uisionem producere.Negatur consequentia. Quia habitus,qui sunt supranaturales potentiæ & facultates ad agendum creatura non ualet,sed solus Deus producere: illis tamen potentia informata producit actus. Sicut intellectus non producit species, sed per ipsas producit notitiã.Et ideo lumen gloriæ non potest produci ab intellectu quia est quidam habitus & facultas ad uidendũ,sed postquàm suffunditur potest Deũ uidere.

Respondetur arg. OKam.

uidere. ¶Ad argumentum igitur OKam superius factum respondetur,quòd quanuis præmium sit à præmiante, sicut meritum à merente,non tamen inde subsequitur quòd uisio non producatur ab intellectu: aut quòd ipse se ipsum beet, uel animam. Quoniam uisio illa non producitur nisi speciali auxilio Dei supranaturaliter infundentis lumen gloriæ, & concurrentis cum intellectu in ratione speciei:ueluti si Deus in præmium alicuius meriti conferret cęco uisum,per ipsum ille uisionem eliceret.

Secunda conclusio.

¶Supposito ergo, quòd uisio beata ab intellectu ipso eliciatur, quæritur quæstione præsenti per quid Deus ipsi in ratione obiecti uniatur, utrum scilicet per aliquã speciem. Dum enim coloratum aliquod uidetur, non per se sed per suam speciem recipitur in uisu.¶Subiungitur ergo secunda conclusio.Nulla creata species potest Deũ per essentiam repręsentare. Sententia est S.Tho.loco citato.1.part. quæst.12.ar.2. Creaturę quidem per modum uestigij aut imaginis repræsentant Deum abstractiuè, non eius essentiam, sed in se ipsis eius uirtutem.At loquimur de specie quæ repræsentet Deum sicuti est:uelut species uisiuæ obiectum,tanquam eius similitudo. ¶Et quidem prima facie satis inde uidetur probari,quòd essentia est infinita, species autem creata est finita. Sed iam supra diximus huiusćemodi rationem non esse efficacem,utpote quæ de proportione loquitur creaturæ ad Deum inquantum sunt res naturales: quod non sufficit ad excludendum proportionem creaturæ in repręsentando essentiam Dei. Et ideo ex proprijs arguitur, primo authoritate Dionysij. 1. cap.de diuinis nomi. dicentis per similitudines inferioris ordinis nullatenus posse superiora cognosci:ueluti per species sensibiles non cognoscitur essentia rei in corpore:multo ergo minus per speciem creatam,essentia Dei.¶Sed ad rem etiam propius probatur conclusio eadem ratione, quam articulo præcedenti faciebamus. Species quæ repræsentat obiectum debet esse plus spiritualis & immaterialis quàm obiectum ipsum repræsentatum, uel saltem tam immaterialis:ut patet quia species seu sensibiles seu intelligibiles magis sunt spirituales quàm obiectum corporale per ipsas cognitum: & ideo speProbatio minima.

Probatio minima.

cies intelligibiles nostræ in hac uita non possunt angelorum essentias repręsentare, ob id quòd cùm sint à phantasmatibus abstractæ,non sunt tam spirituales. Nulla autem species aut similitudo creata esse potest tam spiritualis quàm Deus:quia omnis creatura eo ipso,quod habet esse receptum,est quodammodo materialis: Deus autem quia non habet esse receptum, sed est de sua essentia, est purissimus actus. Quocirca nulla species in ratione similitudinis potest ipsum repræsentare. Tertio Omnis creatura in suo genere est limitata:etenim species humana ad certam perfectionem limitat, ita & uirtus, ut fortitudo ad certam materiam & prudentia ad aliam & similiter quæcunque scientia aut sapientia ad certum rerum genus, ut species albedinis ad uidendam albedinem & species nigredinis ad nigredinem &c. essentia uerò diuina non est limitata:imo eminenter continet quicquid per omnem speciem creatam significari potest. Atque adeò nulla ad id pertingit, ut eum per essentiam repræsentet. Quinetiam(ut aliud adhibeamus argumentum) Deum uideri per speciem est non uideri per essentiam. ¶Accedit ijs tandem, quòd si aliqua creata species Deum posset intuitiuè repræsentare,sequeretur,quòd aliqua creatura uirtutem haberet faciendi Deum præsentem intellectui,atque adeo quodammodo beãdi hominem in genere causæ efficientis. Nam licet species concurrat in ratione obiecti,& formaliter sit in intellectu, nihilominus concurrere ad notitiam est quodammodo agere. Etenim licet Scotus dicat propterea naturaliter hominem non posse Deum uidere, quia non potest creatura Deum facere præsentem non tamen supremam rei causam affert: quæ certe est hæc quod nulla species creata potest eum repræsentare Nã sicut non stat species uisibiles esse in oculo, quin obiectũ ei præsentent, idem de illa specie fieret cõsequens.

Obiectiones.

¶Quo uero conclusio explicatius elucidetur, arguitur primo contra rationem Dionysij. Creaturæ (ut ad Roma. 1. ait Paulus)repræsentant Deum,& tamen sunt ipso inferiores. Secundo species intelligibiles significant substantias, substantiarumque naturas & tamen cum sint accidentia, sunt inferioris ordinis, quàm substantia. Tertio species quæ sunt in Angelo inferiori

Universidad de Deusto
Biblioteca

riori repræsentant superiorem: ergo nihil obstat quominus species inferioris hominis possint superiora repræsentare, atque adeo species creata Deum. ¶Hæc uerò argumenta per ea quæ facta sunt facilè diluuntur. Cuncta enim in hoc peccant, q̃ mentem diui Thomæ detorquent. Res enim esse inferioris ordinis stat dupliciter uno modo in essendo atque alio in repræsentando. Nihil enim obstat quominus res inferiores in essendo superiores repræsentent. Quo pacto creaturæ repræsentant Deum: tametsi non eius essentiam, sed eius uirtutem, per quam est rerum causa. Et pariter species intelligibiles quæ sunt accidentia repræsentant substantias, & species inferioris angeli superiorem. Veruntamen hoc nihil ad rem. Nos enim non dicimus nisi, quòd species inferioris ordinis in repræsentando, quæ illa ratione debent esse immateriales, non possunt repræsentare res superioris ordinis: puta minus materiales & magis spirituales & hac ratione creatura Deum repræsentare nequit, ut satis superque expositum est. ¶Potissimum autem argumentum est de uisione ipsa. Illa enim, cum sit creatura, habet esse receptũ, atque adeò quidpiam immaterialitatis, & nihilominus repræsentat Deum. De lumine gloriæ dicemus articulo proximo.

Solicitudines.

Potissimũ ar. de uisi.

Capreolus ¶Capreolus distinct. præsenti quæstio. 5. huic argumento succumbens, negat uisionem esse Dei similitudinem, sed ait nomen similitudinis obiecti soli speciei competere. Et arbitratur esse opinionem S. Tho. eo quòd hic in solutione ad primum illud Io. 3. Cum apparuerit similes ei erimus, non de uisione, sed de similitudine, quæ est per participationem luminis gloriæ interpretatur. ¶At uerò profecto minimè negandum est uisionem esse similitudinem. Imò ob id requiritur species, quę est similitudo obiecti per modum habitus, ut potens sit intellectus notitiam producere, quæ est actualis (ut aiunt) eiusdem obiecti imago. Vnde August. 14. de trin. ca. 17. Tunc inquit perfecta erit Dei similitudo in mente quando Dei perfecta erit uisio. Vbi uisionem appellat similitudinem. Et Anselmus Monologion. 38. nulla, inquit, ratione negari potest cognitionem rei esse imaginé eius. Glossa autem Capreoli, scilicet, quòd dicatur imago in suo principio, nempe in specie à qua producitur, est uerborum mẽ

Reprobatur Capre lus.

tem inflectere. Imò uerò Ioannes, ubi ait. Similes ei erimus, de uisione loquitur. Atque illam Diuus Thomas appellat participationem luminis gloriæ. Præterea Capreolus nequit uim argumenti declinare. Nam gratis admisso uisionem non esse similitudinem, saltem euitari non potest quin repræsentet Deum: & tamen est creatura, atque adeò minus spiritualis quàm Deus.

¶Respodetur igitur aliter ad argumentum, quòd aliter species quàm uisio est similitudo obiecti ipsum repræsentans. Nã repræsentare speciei est efficere rei cognitionem: modus autem repræsentandi notitiæ non est efficere, sed esse cognitionem ipsam & repræsentationem formaliter. Et Sanct. Thomas, non contendit creaturam non posse esse repræsentationem Dei. Sed quod non posset creatura sic repræsentare Deum, ut eius cognitionem efficiat, qua cognoscatur per essentiam.

Solutio legitima.

¶Quod si discriminis differentiam scisciteris, respondetur planam esse. Quoniam species tenet se ex parte obiecti, uicem eius gerens. Et ideo impossibile est, quòd illa quæ est magis materialis suppleat uicem obiecti minus materialis. Visio uerò non se tenet ex parte obiecti, sed est ipsa eius apprehensio. Et ideo licet nequeat esse species creata Deum repræsentans, nihilominus Deus ipse concurrens in ratione speciei producit uisionem sui quæ est ipsa repræsentatio. ¶Et similiter respondetur ad aliud argumentum supra factum, quòd creatura posset beare hominem. Si enim daret species Deum repræsentans, hominem bearet in ratione causæ efficientis: uisio autem non beat nisi formaliter, quod est esse ipsam beatitudinem, per quã Deus qui illam producit creaturas facit beatas.

Discrimẽ inter speciem & notitiam.

Tertia cõclusio.

¶Tertia conclusio. Deus in ratione speciei unitur intellectibus beatis ad producẽdum eius uisionem. Probatur conclusio ex superiori. Intellectus solus nisi ei obiectum uniatur, ut constituat eum in actu primo, hoc est in potentia proxima ad intelligendum, intelligere ipse, aut uidere nequit. Quemadmodum neque uisus corporeus nisi obiectum ei per species uisibiles coniungatur. Hæc enim ueritas adeò fuit semper uniuersis philosophis perspicua, ut quemadmodum primo de Animа,

ma, ait Philosophus propterea priscorum scholæ philosophorum docerent intellectum esse omnia: nempé, ferrum, terram &c. ut omnia posset intelligere. Neque illos aliter potuit idem Philosophus refutare, quàm docendo obiectum uiri intellectui, non per se realiter, sed per suam speciem quæ est eius similitudo. Igitur, cum ut iam probatum est, nulla esse possit creata species Deum repræsentans, consequens fit ut Deus ipse eidem intellectui in ratione speciei uniatur.

Expl cãtio concl.

¶Sed ad rei huius explicationem arguitur. Vniri in ratione speciei est recipi in intellectu, aut in quacunque alia apprehensiua potentia, Deus autem non est receptibilis formaliter, per se ipsum in aliquo: nam sicut non habet esse receptum: ita nec potest in alio recipi: alioquin non esset simplicissimè immaterialis.

¶Ad hoc autem respondetur illo negato, quod assumitur. Negatur inquam uniri in rõne speciei esse recipi in potentia: hoc. n. non conuenit per se speciei, sed per accidens specieb. creatis, quia sunt accidentia: per se enim rõ speciei non dicit aliud quã uniri potentiæ, & facere cum ea unũ principium ad cognoscendum faciendo potentiam cognoscitiuam in actu primo: uerum quia creaturæ non possunt per se hoc pacto uniri potentijs, accedit eis, ut per species quas in potentia proferunt ei uniantur. Deus autem quia eminenter continet uniuersalem rationem essendi, à quo ideo esse omnium rerũ deriuatur, per se ipsum unitur intellectui, esto ipsi non inhæreat, quia est completissima substantia. Itaque cum dicimus, Deum uniri in ratione speciei intellectui non solum asserimus quod concurrat in genere causæ efficientis uelut cum omnib. causis secũdis concurrit ad agendum: sed quòd concurrit peculiari ratione speciei faciendo intellectum intelligibilem in actu primo.

¶Et per hoc solutum restat arg. primum. Concedimus. n. quòd intellectus & sensus non fit in actu nisi quando obiectum illi unitur: sed tamen obiecta creata uniuntur potentijs per accidentales species quæ in ipsa recipiuntur, Deus autem se ipso.

Sol. 1. arg.

Redargutio de uisione.

¶Sed redarguitur hæc solutio. Sequeretur inde quòd etiam Deus ipse posset uniri intellectui in rõne notitiæ & uisionis atque adeò nulla opus esset alia creata. Negatur consequentia: quoniam uisio de intrinseca rõne sua dicit formam inhærentẽ oculo, & notitia formam inhærentem cognoscenti. Nam cognoscere, & intelligere, ut ait Arist. est quoddam pati: quare intellectum uidere, est in se habere uisionem, sicut aquam calefieri, est recipere calorem: & papyrum esse albam est in se habere alborem. Imò in oĩb. actionibus simile est exemplum. Etenim sicut hominem scribere est actionem illam ab homine emanare, ita & hominem ambulare est ambulationem (ut sic loquamur) facere & recipere. Et idem est de nutrire, atq; adeò de uidere & intelligere.

¶Ad autoritatem uero Ioannis. Similes ei erimus. Respondet S. Tho. quòd non intelligitur de similitudine speciei, quæ recipiatur in intellectu, sed de participatione luminis gloriæ, quo eleuatur potentia ad producendum uisionem, quæ est similitudo Dei. Et eodem modo intelligitur Augu. si loquatur de intellectione beata. Videtur tamen loqui de intellectione in uia per quam quodãmodo assimilamur Deo.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm intellectus creatus ad uidẽdũ Dei essentiam aliquo creato lumine supranaturali indigeat?

QVoniam dictum est duo ad cognoscendum esse necessaria & uirtutem potentiæ, & unionem obiecti per speciem, & ab hoc secundo expediti sumus, subsequitur, ut de priori inquiramus. Vtrùm, requiratur lumen supranaturale ad uidendum Deum præter naturale quo intellectus uiget. Et quæstio S. Th. 1. par. q. 12. art. 5. Et arguitur à parte negatiua. In rebus creatis, id quod per se lucidum est (ut sol) alio non eget lumine quo uideatur: Deus autem est ipsissima in telligibilis lux: ergo alio, ut uideatur, non indiget lumine.

Partis negatiuæ arg. primum.

¶Secundò. Quando Deus per aliquod medium uidetur, ut puta per creaturas, non uidetur per essentiã: quia uideri per essentiam est uideri immediatè, hoc est, sine alio medio.

2. Arg.

¶Tertiò. Quicquid est creatum non repugnat

3. Arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnat alicui creaturæ esse naturale: igitur si essentia Dei per lumen creatum uideri potest, posset lumen illud alicui creaturæ esse naturale, atq; adeò Deus esset naturaliter à creatura uisibilis, cuius contrarium constitutum est. Nulla ergo luce opus est supranaturali ad Deum uidendum.

4. Arg. ¶Quartò redarguit Durand. D. Thomam contradictionis. Ait enim dist. præsenti. q. 2. art. 7. quòd in hac uita miraculosè fieri potest diuina uirtute, quòd intellectus creatus non habens nisi dispositionem uiæ eleuetur ad uidendum Deum per essentiam: ergo & in patria id fieri potest.

Pars affirmatiua. ¶In cõtrarium autem est illud psalmi. 35. In lumine tuo uidebimus lumen.

Decis. art. ¶In introitu quæstionis huius adnotandũ est, quòd cum uniuersalis sit omnium confessio Deum à creatura non posse naturaliter per essentiam cognosci, atq; adeò nec uideri. De modo tamen quo supernaturaliter uideatur uariant doctores, suntq; per inde in triplici differentia.

Triplex opinio. Opinio enim ferè communis est quòd neque ulla requiritur species ex parte obiecti, neque uerò lumen ex parte potentiæ. Hæc enim sententia nominalibus perplacet. Enimuero ut sunt Metaphysicæ scientiæ parum amici, ita neque in huiusmodi speculationib. multum insudant. Veruntamen in eandẽ sententiam uidetur & Scotus declinare distinctione præsenti quæstione. 11. eandemque affirmat Durandus quæstione. 2. Alij dicunt requiri speciem supernaturalem ex parte obiecti, quæ Deum faciat potentiæ præsentem. Hæc tamen opinio satis articulo præcedenti explosa fuit. Quo autem ad priores reuertamur, si ab illis scisciteris cur nequeat Deus à creatura naturaliter uideri. Nam si naturaliter uider inon potest, supernaturalis uirtus ad id requiritur. Respondet Scotus, non aliam requiri uirtutem præter Deum qui se faciat præsentem intellectui.

Scoti impugnatio. ¶Sed primum non satis respondet nisi addat, quod uniatur in ratione speciei obiecto. Nam hoc est se facere præsentem. Præterea, non satis est respondere ex parte obiecti quomodo se uniat intellectui uerum & ex parte intellectus, utrum uirtutem habeat sufficientem concurrendi cum Deo naturalem: nam certè corporeus oculus iam uirtutem non habet.

Durandus ¶Quocirca Durandus respõdet, non aliã uirtutem ex parte intellectus requiri: quã status mutationem. Nempe, quòd corpus hoc mortale exuat, in quo nequit intelligere nisi per species à phantasmatib. abstractas. Anima. n. inquit, separata quæ illis phantasmatibus non indiget Deum potest naturaliter uidere.

¶At uerò opinio hæc generalem confessionem diffitetur tenentium Deum non posse naturaliter uideri. Nam si anima separata id suis uiribus naturalibus assequitur, cùm status ille, quo separata est, sit ei naturalis, colligitur, quòd possit Deus à creatura per naturam uideri: contra illud Psalmi, Gratiam & gloriam dabit dominus, & contra id genus recitata testimonia.

Concl. ¶Est ergo tertia opinio S. Thomæ secundum quam ad quæstionem unica conclusione affirmatiua respondetur. Ex parte intellectus non sufficit lumen naturale, sed requiritur eius eleuatio per lumen gloriæ, ut Deũ cernere & uidere possit. Quo uerò rationis ius euidentior fiat, arguitur statim contra. Deus (ut dictum est) in ratione speciei intellectui coniungitur ad uisionem ipsius eliciendam, ergo lumẽ gloriæ, ut superfluum redundat. Probatur consequentia. Quia ut intellectus intelligat sufficit, ut per species obiecti fiat in actu primò. Imò Deum uniri intellectui in ratione speciei est cum ipso una concurrere: ergo hoc absque alio lumine satis est.

Obiectiones. ¶Et confirmatur ratio. Lumen ad id solùm ponitur necessarium, ut eleuetur potẽtia. Sed per Deũ ipsum in ratione speciei concurrentem satis eleuatur: ergo nullo opus est lumine.

Fundamẽtum. ¶Ad rei ergo huius intelligentiam illud fundamẽtum pro fixo habendum est quod articulo præcedenti, tanquam ab omnib. receptissimum, præiecimus. Nempe duo esse ad cognitionem necessaria, scilicet uirtutem potentiæ & obiecti unionem. Atqui priùs requiritur uirtus potentię quàm unio obiecti. Imò ad hoc requiritur uirtus, ut possit species obiecti recipere. Etenim quia potentia sensitiua non habet uirtutem cognoscendi spiritualia & uniuersalia, nequit species intelligibiles recipere: per quas obiecta illa uniantur ei. Et quia oculus uespertilionis uirtute non uiget cernendi solem, fit ut neq; eius uisibiles species susc ipere ualeat.

¶Hoc

Probatio conclusionis. ¶Hoc supposito probatur conclusio. Visio beatifica est intellectui supranaturalis (ut supra probatum est tum sacris oraculis tũ etiam ratione) ergo lumen naturale non est ad illum intuendum sufficiens. Cùm ergo intellectus ipse (ut supra probatũ est) debeat concurrere ad eliciendam uisionẽ, lumine alio supranaturali indiget, quo fiat uidendi potens: hoc est idoneus cui Deus in ratione speciei uniatur. Lumen enim gloriæ non concurrit ex parte obiecti ueluti species, sed ex parte potentiæ, ut eius acies quodammodo acuatur.

Ratio. 2. ¶Et confirmatur ratio ex illo Aristot. 1. Metaphysi. Sicut oculus noctuæ ad lumen solis, sic intellectus noster ad manifestissima naturæ. Etenim cùm inter prima principia naturæ quæ Aristoteles appellat manifestissima, Deus sit supremus, multo minùs intellectus noster lumine naturali uidere Deum potest quàm oculus noctuæ solem. Non solùm pro isto statu quo anima est corpori colligata, uerum & simpliciter. Cum ergo Deus mentis oculis sine aliquo intellectuali lumine cerni nequeat, ueluti nec colorata uideri sine sensibili, subsequitur, ut supernaturali lumine sit ad id muneris illustrandus. Profectò posita illa ueritate, q Deus à creatura naturaliter uideri nequit planè colligitur nostra conclusio. Nam in de consequitur quòd intellectus nõ habet talem uirtutem neque sufficiens lumẽ (nã lumen nil aliud est quàm intellectus uirtus) atq; adeò quòd indigeat alio supranaturali.

Ratio. 3. ¶Ad hæc accedit exemplũ fidei. Nam quia in hac uita lumen naturæ ad cognoscendum Trinitatis mysteria nobis nõ sufficit, lumine fidei supranaturali donatur: eadem ergo ratione si lumen naturale nobis ad uidendum Deum non est satis, consequens fit, ut per aliud debeamus diuinitus ad id muneris eleuari.

Contra arg. ¶Vnde ad argumentum proximè factum respondetur, quòd si Deus posset uniri intellectui creato in ratione speciei sine lumine gloriæ, non esset illud necessarium, sed tamen non potest sicut oculus noctuæ recipere lumen solis nisi supranaturaliter acutior fiat: & ideo lumen prærequiritur, ut Deus illi uniatur & cum Deo ad uisionem concurrat. Cur autem non eleuet intellectum Deus absque lumine, sicut per se concurrit in ratione speciei, liquida est ratio. Quia lumen eleuans tenet se ex parte potentiæ: est enim uirtus ei superaddita: & ideo debet in ipso esse formaliter inhærens ei: species autem tenet se ex parte obiecti. Hinc facile quisque usum luminis gloriæ colliget. Haud enim ponitur, ut sit dispositio merè passiua ad susc ipiendum uisionem, quemadmodum dispositiones ad susc ipiendam formam. Sed tanquam actiua uirtus cum Deo concurrente in ratione speciei ad eandem eliciẽdam uisionem coagat.

Visus lumi nis gloriæ.

¶Quocirca non est ceu similitudo aut imago obiecti quemadmodum species, aut notitia, sed potiùs simile est habitibus quibus potentia perficitur ad agendum. Tametsi quodammodo ab illis discriminetur, quod apprimè est animaduertendum. Nam habitus naturalis non ponitur simpliciter ad agendum, sed ad bene & facilè agendum: potest enim intellectus sine habitu scientiæ aliqua rerum habere iudicia, non tamen ita bene & facilè, quàm per habitum. Et ideo dicitur dispositio perfecti ad optimum. Lumen uerò gloriæ non ponitur solum ad bene uidendum Deum, sed simpliciter ad uidendum, utpote sine quo intellectus nullatenus ipsum uidere ualet: ob idq; potiùs assimilatur illi speciei qualitatis, quæ est potentia, quàm illi quæ est habitus. Quanquam & similis quoque sit habitui fidei infuso sine quo supranaturalia credere non possumus.

Nota discrimen.

Decretum clemẽtinæ ¶Sententia hæc S. Th. Vel est determinatio ecclesiæ, uel ei quam simillima & proxima in Clementina supra citata. Ad nostrum. de hæreticis. Vbi error condemnatur dicentium quòd anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum uidendum & ipso beatè fruendum. Quocirca qui sub his uerbis hoc negaret, in hæresim impingeret.

Bifariã de lumine gloriæ loqtur ¶Est tamen adnotandum, quòd de lumine gloriæ bifariã sentire possumus. Vno modo, quòd sit qualitas distincta sicut lumen in aere, atq; altero modo, ut sit Dei concursus, intellectum eleuãtis, atque hoc secundo modo glossant Sco. Durandus, & nominales clementinam. Scilicet quòd specialem Dei concursum appellet lumẽ gloriæ. Priori uerò modo sentit de illo lumine Diuus Thomas. Atque in hoc sensu censet Caietanus illic esse ab ecclesia decretum. Et profectò est quàm maximè uero simile. Similiter enim in eodem concilio Viennensi sub eodem Clemente

definitum est habitus per baptismum infundi,etiam paruulis:qui cùm non possint actu à Deo moueri,consequens fieri uidetur definiri,quòd infundãtur habitus, qui sunt qualitates à potentijs distinctæ. Item cùm lumen in creaturis sit qualitas, uidetur idem ibidẽ decern. ¶Quòd si arguas. Obiectio. Lumen naturale intellectus nó est necesse,ut sit ab ipso distincta qualitas:ergo nec de lumine gloriæ id asserere constringimur.Respondetur primũ antecedente negato.Nã lumen naturale est uirtus intellectus agẽtis,qui est qualitas. Et præterea consequentia non ualet. Nã cũ lumen supranaturale sit uirtus naturæ superradita, urgentius ratio cõuincit distingui à potentia quàm lumen naturale. ¶Arguit uerũtamen Scotus cõtra,Quicquid Deus põt facere cũ causa secunda põt facere se solo: ergo si per lumẽ gloriæ eleuat intellectũ, põt absq; illo id ipsũ efficere. ¶Caie. qui dẽ loco præsenti & Capreolus.qu. 2.nihil cunctantur negare Deũ per suã omnipotẽtiam efficere posse,ut intellectus absq; lumine gloriæ ipsum uideat. Et quanuis eorum olim opinionẽ nimis rigidam censebã,iam uerò modo mollior & uerior mihi censetur.In illo.n. consuetissimo syllogismo cauendũ est ne uariatio appellationis quam sic uocant,deliteſcat:nam & si quancunq; entitatem quam Deus per causam secundam profert,possit & se solo proferre,non tamen sine causa secunda efficere potest,ut ipsa faciat. Potest inquam entitatem quæ est meritum, nempe orationẽ sine me proferre, non tamen potest ipse se solo mereri:quia mereri,est actio creaturæ. Sicuti potest entitatem quæ est uisio sine oculo meo producere: facere tamen non potest, ut ego uideam nisi uirtutem mihi uidendi tribuerit. Quemadmodum nec facere uale ,ut lapis uideat, aut quod aqua absq; calore aut alia simili uirtute,calefaciat. Ad propositum ergo lumen gloriæ est uirtus & facultas intellectus ad uidendum Deum:ergo quanuis possit illam entitatem se solo producere, imò producit,non tamen potest absq; illa facere, ut intellectus uideat uisione beata: quia hoc esset facere,ut intellectus sine uirtute uidẽdi uideret. Sicut potest uisionem solis se solo producere,non tamen intelligitur quomodo possit facere,ut noctua uideat solẽ nisi altiorem illi uirtutem suppeditauerit quam modo habet.Profectò uix' potest intelligi quomodo possit facere quod intellectus ipsum uideat,nisi tribuendo illi uirtutem quam nos uocamus lumen gloriæ. Obiectio. ¶Quòd si arguas.Deus potest conseruare formam substantialem,puta ignis, sine dispositionibus in subiecto,ueluti è conuerso conseruat in sacramento altaris qualitates panis sine eius substantia, ergo similiter potest uisionem in intellectu conseruare sine lumine gloriæ.Negatur consequentia.nam dispositiones solum concurrunt ad conseruendam formam, quam Deus sine illis conseruare potest.Lumen uero (ut dictum est) non est dispositio passiua ad recipiendam uisionem,sed uirtus actiua. Et ideo licèt entitatem illam possit Deus se solo conseruare,non tamen facere, quòd intellectus absque illa uideat:sicut non potest facere,ut aqua absque calore calefaciat. Bonú arg. ¶Validius tamen argumentum,quod aduersus hoc obijci potest, est de auxilio speciali,quo Deus mouet peccatorem ad sui conuersionem:quod quidem est supernaturale:& tamen nó est qualitas, sed motus Dei. Respõsio. ¶Attamen neque hoc concludit. Est enim ratio diuersa: quoniam liberum arbitrium quantum ad substantiam operis facultatem habet naturalem mouendi se in Deum saltem supposita cognitione fidei:sed indiget à Deo specialiter moueri, ut sit dispositio ad eius gratiam assequendam. Et ideo potest moueri à Deo, ut se disponat,sine alia qualitate gratiam præcedente. Veluti serra,quia formam in se habet secandi, non indiget alia forma artifice impressa ad arcam fabrefaciendã, quàm, ut ab ipso secundum artem moueatur. Videre autem Deum per essentiam omnino excedit naturales uires, etiam quantum ad substantiam operis. Et ideo sine uirtute supranaturali intellectui inhærente:non uidetur quomodo possit concurrere ad uisionem. Sufficiẽs responsum. ¶Sed quo supremum responsum adhibeamus. quanuis gratis largiremur Scoto,Deum per suam omnipotentiam intellectum posse absque lumine eleuare:nulla tamen inde fit consecutio,ut sic faciat. Non enim solam absolutam Dei omnipotentiam rimari decet:sed quid debitus rerum ordo deposcat. Disponit.n.Deus (ut est apud Sapientẽ) omnia suauiter.Igitur cum res naturales suis potentijs & uirtutib. instruxerit & respectu supra-

Obiectio. Caietan. Deus sine lu. gl. uidere nequit.

supranaturalium nos etiam habitibus infusis donauerit,quibus debitas ualeamus actiones exercere,cur negandum est cùm intellectus naturaliter Deum uidere nequeat,lumine aliquo & uirtute supranaturali ad id muneris diuinitus perfici? ¶At quanuis sententia hæc de lumine gloriæ, & rationibus suffulta,& ecclesiæ autoritate sit subnixa,à pluribus ceu peculiaris S. Tho.impugnatur.Et primò arguit Scotus argumento quod nos primò loco proposuimus,quòd quia Deus per se lucidus est imò & totius fons luminis, non indigeat alio ut uideatur. Ad quod optimè Diuus Tho.respondet,quòd lumen illud non requiritur ex parte Dei, ut per illud fiat ipse intelligibilis,sed ut potentia fiat potẽs: per modum quo potentia fit potentia ad operandum per habitum.Quanuis, ut diximus,non solùm requiritur, uelut habitus acquisitus,ut potẽtia sit potentior,sed ut simpliciter sit potens.Hunc enim in modum lumen corporale necessarium est uisui, nempe ut medium actu transparens fiat,ut possit à colore moueri, qui per se est uisibilis. ¶Quod si arguas,Sol per suum lumen uidetur:ergo & Deus. Conceditur argumentum:pari enim modo & Deus uidetur per illud lumen ab ipso emanans, iuxta illud citati Psal.In lumine tuo uidebimus lumen. ¶Ad secundum uerò itidem responsum est,lumen illud non requiri, ut Dei similitudinem,in qua uideatur, acsi esset eius species:tunc enim non uideretur per suam essentiam,sed per medium. Sed ponitur quasi intellectus perfectio, ipsum corroborans,atque eleuans, quare nó per ipsum tãquam per medium uidetur Deus, sed sub ipso,id est,uirtute ipsius,quòd non tollit,quin per essentiam uideatur. ¶Redarguit uerò Durandus interrogans,quomodo lumine illo corroboretur intellectus:aut enim uirtus eius intẽditur: & hoc non:quia uirtus illa non est intensibilis,neque susçipit magis & minus : aut ueluti duo agentia imperfecta inuicem se adiuuant,ut duo pondus aliquod importantes cui neuter per se sufficeret , & neque hoc est uerum:quia non est dicendum, quòd intellectus faciat partem, & lumen aliam partem. Respondetur autem,quòd neutro illorum modo,sed quia est uirtus intellectus ipsius,sicut habitus fidei. ¶Ad tertium denique respondetur, quòd quanuis lumen illud sit creatum, nequit tamen connaturale esse creaturæ, nisi creatura esset naturæ diuinæ,cuius lumen illud est participatio, sicut splendor solis non potest esse connaturalis nisi soli,neque calor nisi igni. Dubitatio ¶Dubitatur hic autem, utrùm saltem intellectui per lumen illud sibi infusum sit naturale uidere Deum:nam & hoc Scotus ex opinione Sancti Thomæ, ceu absurdum elicit, quod quidem Caietanus illi concedit,scilicet,quòd supposito lumine intellectus naturaliter uideat. Crediderim tamen hoc esse falsum, & contra mentem Sancti Thomæ:nam negans lumen illud posse fieri naturale creaturæ, negare uidetur,& uidere ipsum esse naturale. Quo circa dicendum, quòd nunquam actus fit naturalis,nisi quando potentia est naturalis,licèt sit supranaturaliter recepta. Cæcus inquam per uisum supranaturaliter receptum , naturaliter uideret, quia natura eius est habere uisum,sed tamen quia non est naturale intellectui habere illud lumen,fit ut neque uidere sit ei naturale. Aliud arg. ¶Aliud uerò fieri solitum argumentum,nẽpe,quòd pari modo Deus posset uisum corporeum per lumen eleuare, quo ipse uideretur,iam supra art. 2. solutum est. Vbi diximus,quòd quia Deus (sicut neque ulla res spiritualis) non comprehenditur sub obiecto sensus,nequit per Dei potentiam eleuari,ut spiritualia uideat, Deus tamen comprehenditur sub obiecto intellectus, quod est ens,sed tamen propter eius excellentiam nequit à creatura per essentiã uideri,aut cognosci.Nihilominus quemadmodum Deus potest uespertilionis oculũ acuere,& perficere,ut possit solem uidere, potest intellectum per lumen subleuare, ut ipsum uideat. Durand. ¶Et per hoc soluitur argumentum quod hic obmolitur Durandus. Quando uirtus potentiæ se ad aliquod obiectum extendit,illo præsentato statim illud cognoscit sine alio iuuamine:obiectum uerò intellectus est ens quo comprehenditur Deus: ergo sine alio iuuamine potest illum anima separata uidere, uel in corpore glorioso. Negatur inquam maior, quando excellentia obiecti superat uirtutem potentiæ, ut patet in sole respectu oculi noctuæ. Argumen celebre. ¶Aliud uerò item argumentum facit idem Durandus , quod ceu Achilles existimari solet, neque solutum satis ui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

deas, quia ex falso intellectu procedit. Arguit quippe hoc pacto. Lumen gloriæ ob id ponitur à Diuo Thoma, ut intellectus, qui per se cum Deo non habet proportionem altiùs eleuetur, & fiat ei proportionabilis: at uerò tam sine proportione manet lumine illo donatus, quàm sine illo: ergo lumen illud est superuacaneum. Probatur minor, quia disproportio illa in hoc consistit, ꝙ Deus est infinitus, intellectus uerò est finitus: lumen autem illud, cùm sit creatura, non usqueadeò intellectum eleuat, ut Deo adæquetur: quoniam semper manet finitus. ¶ Argumentum uerò re perspecta nullius est roboris. Respondetur enim ad minorem, nempe, quòd ẽt cũ lumine illo intellectus non habeat cũ Deo proportionem: si. n. intelligatur de proportione rerũ in esse naturæ, ea confitemur, sed nihil ad rem. Non enim Diuus Thomas intelligit, quòd intellectus per illud lumen efficiatur infinitus, quia neque est necessarium nec possibile, sed quòd fit proportionabilis Deo in ratione cognoscendi: quem admodum potentia proportionatur obiecto. Videlicet, quòd cùm per lumen naturæ non possit Deum intelligere, per illud lumen supernaturale efficiatur ad id potens, quãuis sit finitum. ¶ Quòd si redarguas. Propterea intellectus naturaliter nõ erat potens uidere Deum quia infinitum Deus excedit creaturam: ergo ad uidendũ ipsum deberet fieri infinitus, ut tolleretur ille excessus. Negatur consequentia: nam ex hoc quòd Deus est infinitus, solum sequitur quòd intellectus ipsum naturaliter non potest uidere: nullatenus tamen subsequitur quòd id non possit supernaturaliter etiam si maneat finitus. Quare cum illud lumen sit uirtus supernaturalis, per qã intellectus acquirit esse supernaturale, & quandam Dei participationem satis est. Exemplum est in habitu fidei. Enimuerò quia mysteria fidei sunt supernaturalia & infinita, non potest illa homo satis credere naturaliter, sed supernaturaliter per habitum iusum, licèt non faciat hominem infinitũ. Euidentius ꝙ; id inspicitur in gratia. Nequimus enim uiribus naturalib. opera exhibere quæ Deo sint grata: sed quia per grãtiam eleuamur, & ut ait Petrus, effi cimur diuinæ cõsortes naturæ, eadem possumus opera præstare. ¶ Aliud adhibet idẽ Duran. argumentum, nempe, quòd lumine gloriæ posito sterneretur uia processui in infinitum: nam qua ratione illud requiritur, ceu dispositio ad suscipiendam uisionem, cùm ipsum sit etiam forma supernaturalis, alia requireretur ad ipsum susciendum dispositio, & sic in infinitum. Ad hoc autem respondetur primum, quòd lumen non requiritur tãquam dispositio ad eam susciendum, sed tanquam uirtus ipsam producendi: & quia lumen non producitur ab intellectu, non exigitur alia uirtus ad ipsum producendum. Secundò respondetur, quòd etiam si considereretur, ut dispositio ad susciendum uisionem, ut Durandus falso opinatur, argumentum eius nullum est: quia ad formam quæ est ultimus terminus actionis requiritur dispositio, ut ad formam ignis, sed ad illam quæ est uia, & inchoatio alterius, ut ad calorem non requiritur alia dispositio. At prior solutio est magis legitima. ¶ Circa quartum argumentum quod fuit Durandi tria sunt notanda. Primum quòd in hac uita lege cõmuni nemo potest Deum uidere, quæ quidem catholica ueritas est in Clement. ad nostrum, de hæreticis contra Bigardos, quos superius retulimus, decreta, secundum illud Exod. 32. Non uidebit me homo, & uiuet. Vbi glossa. quãdiu hic mortaliter uiuitur, per quasdam imagines Deus uideri potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest. Et 2. ad Corinth. 5. Apostolus. Per fidem ambulamus, & non per speciem: audemus autem, & bonam uoluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad dominum, scilicet, per uisionem. ¶ Rationem uerò affert Diuus Thomas. 1. part. quæst. 12. artic. 11. quòd cognitio sequitur rei naturam: anima autem in hac uita, quia est corpori allegata, cuius cognitio, ut ait Philosophus à sensu incipit, nihil cognoscere ualet nisi per species à materia abstractas, atq; adeò non cognoscit nisi formas quæ sunt in materia, aut substantias separatas quatenus per has possunt abstractiuè cognosci. Deus autem ut monstratum est, non est secundum suam essentiam per aliquam speciem cognoscibilis, & multo minus per speciem abstractam à materia, cognoscitur ergo in hac uita non per se, sed per suos effectus, ut ad Rom. 1. ait Paulus.

¶ Veruntamen lege hac ordinaria non obstante potest Deus in hoc seculo ex priuilegio singulari uisionem sui suis dilectis impartiri: ut Aug. 12. super Gene. ad literam & ad Paulinam de uidendo Deum. & D. Th. 2. 2. quæst. 175. art. 3. de Moyse, & Paulo affirmant. Idq; congruentissima ratione: nam ut ille doctor fuit synagogæ, ita & Paulus ecclesiæ. Quibus ideo se se Deus suaq; arcana expandit. Præter hos autem nemini concessum legitur. Prophetis nanq; solum per imaginarias similitudines fuit ostensus: iuxta illud Esaiæ. 6. Vidi dominum sedentem super solium. Aut per extasim & mentis excessum in contẽplatione. Quemadmodum ait psalmista. Ego dixi in excessu meo omnis homo mẽdax. Et Act. 10. de D. Petro legitur, quòd cecidit super eũ mentis excessus. Et sic intelligendũ est illud Gen. 32. de Iacob, Vidi Deum facie ad faciẽ. Dixit. n. facie ad faciẽ, non quòd uideret sicuti est, ut ait Ioa. sed ad exaggerandam suæ contemplationis eminentiam. ¶ Tertiò deniq; nosse oportet, quòd neque in hac uita per priuilegiũ Paulus aut quiuis alius uidere potuit Dei essentiam, nisi lumine glorię perfusus. Vt rationibus superius probatum est: quoniam licèt Deus entitatem quæ est uisio se ipso producere queat, facere tamen quòd intellectus ipse uideat, non potest nisi tribuendo ei uirtutem supernaturalem: quandoquidem naturaliter non potest. Virtus autem illa supernaturalis est lumẽ. Potest tamen lumen hoc dupliciter inesse, scilicet, aut per modum habitus permanenter: & hoc ad beatitudinem requiritur, qualis est in patria: aut per modum transeuntis dispositionis: atque hoc pacto fuit in Paulo. Sententia est D. Th. loco citato 2. 2. in solu. ad 3. Quare tandem ad argumentum factum respondendum quòd S. Th. præsenti distinctione dicens, quòd in hac uita potest miraculose diuina uirtute intellectus creatus non habẽs nisi dispositionẽ uiæ eleuari ad uidendũ Deũ per essentiã, non negauit requiri lumen, ut non solum Durandus arbitratur arguendo contra sanctum Thomã, uerùm & Capreolus respondendo. Quare ait, quòd postea se retractauit & correxit in 2. 2. Sed certè non opus habuit retractatione: quia hic nõ negauit requiri in uia. Imò in hoc ꝙ dixit, Virtute diuina, intellexit lumẽ gloriæ per modum transeuntis requiri. Quod quidem lumen simul esse potest cum dispositione uiæ, nempe cum habitu fidei. Quinetiam lumen ipsum per modum transeuntis est dispositio uiæ ad uidendum Deum.

Solutio.

Sol. 4. arg.

Lumen gloriæ in uia necessariũ.

Solut. arg.

Redargutio.

Aliud arg.

Ex priuilegio uiator pót Deum uidere.

QVAESTIO TERTIA, De uisione.

ARTICVLVS. I.

Vtrùm uidentes Deum per essentiam ipsum comprehendat.

TERTIA quæstio additur de qualitate, & potestate uisionis. Atqui Diuus Thomas. 1. parte quæstione. 12. aliã rationem sequutus, priùs disputat utrum uidentium Deum alius alio perfectiùs uideat, ac deinde utrum ipsum comprehendant. At uerò quia si comprehenderent omnes æqualiter uiderent, si uerò non comprehendunt, possunt uidere inæqualiter, à comprehensione initium sumimus. Vtrùm scilicet omnes beati Deum comprehendant. Et arguitur à parte affirmatiua ex illo Apostoli ad Philippenses. 3. Sequor autem si quomodo cõprehendi. & 1. ad Corinthios. 9. inducto exemplo in stadio currentium, ubi omnes quidem currunt, sed non omnes accipiũt brauium, admonet Corinthi. dicens, Sic currite, ut comprehendatis. Et de se ipso subdit. Ego igitur sic curro non quasi in incertum, Quasi diceret. Sed ut comprehendam.

1. Arg.

¶ Secundò arguitur. Augustinus in Epistola. 112. de uidendo Deum ad Paulinam cap. 9. Illud inquit comprehenditur, quod ita totum uidetur, ut nihil eius lateat uidentem: sed si Deus per essentiam uidetur, cum sit simplex, necesse est, ut totus uidea tur, neque quippiam eius lateat: ergo comprehenditur.

2. Argum.

¶ In contrarium autem est illud Hieremię. 32. Fortissime magne potens, Dominus exercituũ nomen tibi & incomprehensibi lis cogitatu.

In contra.

¶ Inter respondendũ ad hanc quæstionem multis OKam in quarta. quæstione. decimatertia. & sui sequaces distinctionibus utuntur, ad rem non ita multum pertinentibus. Quinque enim inquit, modis comprehensionis nomen usurpatur. Primo scilicet idem est comprehendere, quod

Okã quinque modis accipit cõprehensionis nomẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rem taliter uidere, ut nihil eius uidentem lateat. Et secundo modo idem est, quòd singulares rei partes distinctè cognoscere. Et tertiò est rem perfectissima cognitione qua cognoscibilis est cognoscere. Quartò est rem cognoscere sub omnibus prædicatis ei conuenientibus. Ac deniq; quintò tunc res comprehenditur quando talis est proportio cognitionis illius ad cognitiones aliarum rerum, quanta est inter rem ipsam & alios. Tunc igitur dicit quòd primo modo beatus comprehendit essentiam, quia cum Deus nullas habeat partes nulla latet uidentem. Et eadem ratione neque à se neque à creatura potest comprehendi. Reliquis uerò tribus comprehenditur à se ipso, sed non à creatura.

Reprobatio.

¶ Is uerò modus coaceruandi distinctiones profectò neq; theologus est, neque ad scientiam admodum conducens. Nomina enim non sunt ad libitum distinguenda, nemo quippe nescit, quòd si capiatur hoc modo, ut unicuilibet placet, Deus comprehẽdatur. Si uero aliter ut alteri lubet, non cõprehendatur. Sed certa ratio docendi est ex proprijs nominum significatis doctrinã instituere, & rerũ ueritates rimari. ¶ Duobus ergo duntaxat modis usurpatur in sacro eloquio comprehensionis nomen. Rem enim cognitione comprehendere primò eodemq; proprio, & perfectissimo modo est ipsam tantum cognoscere, quantum est suapte natura cognoscibilis. Verba sunt sancti Thomæ præsenti articulo, Dixerim, Quantum suapte natura est cognoscibilis: ut cognoscibile dicat conditionẽ obiecti, non autem conditionem subiecti cognoscentis, puta quantum potest ab alio cognosci, ut in tertia acceptione fingit. OKam, scilicet, quòd comprehendere sit rem perfectissima notitia cognoscere qua potest cognosci. Tunc enim fieret cõsequẽs, quòd nulla creatura posset ab alia creatura comprehendi: puta quòd angelus non posset formicam comprehendere: quia nulla creata cognitio est perfectissima, qua res potest cognosci, cum à Deo perfectius cognoscatur. Quod quidem consequens, licèt Okam concedat, est nihilominus absurdum, & rei physicæ contrarium: nam cum quæcunq; natura creata sit finita, gratis negatur posse ab alia creatura comprehendi. Imò uerò sequeretur tam incomprehensibilem esse creaturam, quàm Deum: nam sicut Deus à seipso solo comprehendi potest, ita neque creatura posset nisi ab ipso comprehendi: consequens tamen est concessu longè absurdissimum: quando quidem solùm ipse prædicatur incomprehensibilis, eo quòd est infinitus.

Cõprehendere dupliciter.

Soluuntur arg. Caiet.

Contra Okam.

Rõ cõprehensionis.

¶ Igitur comprehensio in hoc stat, quòd notitia sit obiecto adequata: nempe, quòd quantum est in ipso cognoscibile per tantum ipsam cognoscatur. Hoc enim planè nominis significatio admonet. Neque uerò satis est rem totam cognoscere ad comprehensionem, siue partes habeat, siue indiuisibilis sit, sed requiritur præterea, ut docte ait D. Thomas, quòd ea notitia cognoscatur, qua res ipsa secundum naturam suam est cognoscibilis. Quocirca si quod per scientiam demonstratiuam scibile est, opinione duntaxat cognosceretur, non esset comprehensum. Quare omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, nemo comprehendit, nisi qui id per demonstrationem cognoscit: nam qui solum sapientibus mathematicis citra demonstrationem id dicentibus fidem adhiberet, ueritatem illam non comprehenderet. Atque adeò nec sufficit ad rem comprehendendam illam in alio cognoscere, sicut cognoscitur Deus per creaturas, sed debet per essentiam cognosci, qua liter est cognoscibilis. Vnde Augu. epist. citata. Aliud inquit est uidere, aliud est totum uidendo comprehendere. Quandoquidem id uidetur, quod præsens. utcunq; sentitur: totum autem comprehenditur uidendo, quod ita uidetur, ut nihil eius lateat uidentem, aut cuius fines circunspici possunt, & 12. de ciuita. Dei. ca. 18. Quicquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur.

Augustꝰ.

1. Conclu.

¶ Ad quæstionem ergo tribus conclusionibus respondetur. Prima. Deus est simpliciter incomprehensibilis. Veritas est catholica ut patet oraculo illo prophetico citato. & Iob. 11. forsitan uestigia Dei comprehendes? & usque ad perfectum omnipotentem reperies. Quasi dicat, nequaquam. Cuius utique rationem subdens, ait, Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari. Vbi graphicè rationem explicat cur sit incomprehensibilis: nempe, quia infinitus, cuius infinitatem

finitatem describit ad sensum per excessum super omnes creaturas, quæ sint oculis subiectæ. Eadem enim phrasi ait Salomon. 3. Regum. 8. Si cælum & cæli cælorũ te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui? Idem Paulino confirmatur eloquio ad Rom. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incõprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles uiæ eius. & 1. ad Timoth. sexto. Qui solus habet immortalitatem & lucem inhabitat inaccessibilem id est incomprehensibilem.

¶ Ratio uerò conclusionis colligitur ex definitione, Deus est substantiæ, & essentiæ infinitæ, nempe quæ non limitatur ad aliquod certum genus, ut homo, leo, equus, &c. Sed eminenter omnia continet, atque adeò eius esse est infinitũ. Sed unumquodque ea est ratione cognoscibile, qua habet esse naturale: quia sicut ait Arist. sicut res se habent ad esse, ita & ad cognosci: ergo suapte natura est infinitè cognoscibilis, nulla autem notitia creata potest esse infinita: ergo à nulla creatura potest comprehendi: quia nec eius fines, ut ait Aug. possunt ab eo circunspici.

Deus se cõprehendit.

Interrog.

Christi uerum cõprehẽdat.

¶ Atqui eadem ratione & unumquodque eius attributorum est incomprehensibile: nam qua ratione essentia Dei, eadem & bonitas, & sapientia, potentia, & iustitia sunt infinita.

¶ Et confirmatur ratio ex ijs quæ art. præcedenti definita sunt. Intellectus siquidem creatus non potest per sua naturalia Deũ uidere, nisi uirtute supernaturali luminis gloriæ sibi donati: illud autem cũ sit creatura, est finitum, neque adæquatur Deo: ergo nullus potest beatorum ipsum comprehendere.

¶ Hinc fit quòd se ipse sua sapientia comprehendit: nam sicut habet infinitam essentiam, ita infinitam sapientiam, quæ adæquatur essentiæ, atq; adeò quantum est cognoscibilis, & intelligibilis tantum se ipsum intelligit. ¶ Sed perconctaris, cur si se ipsum comprehendit, simpliciter dicatur incomprehensibilis? Respondetur, quòd hæc attributa per ordinem ad creaturas cognoscuntur à nobis: & ideo quia est à creatura incomprehensibilis, simpliciter dicitur incomprehensibilis. ¶ Sed arguitur, q̃ saltem anima Christi essentiam Dei comprehendat licèt sit creatura. Gloria quippe respondet gratiæ: sed gratia Christi fuit infinita, ut 3. par. q. 7. art. 11. docet D. Th. ergo & eius gloria & beatitudo est infinita, atq; adeò uisio essentiæ diuinæ, in qua, ut supra dictum est, beatitudo consistit. Si uerò est infinita nihil uetat quominus sit diuinæ essentiæ comprehẽsoria.

Gratia Christi infinita.

¶ Respondetur, q̃ gratia unionis in Christo fuit infinita simpliciter ratione termini, nempe, quia fuit assumptio humanitatis ad diuinam personam: gratia uerò gratum faciens non fuit infinita, inquantum ens, quia fuit res creata: sed tamen in genere gratiæ fuit infinita, non quidem simpliciter, ut essentia diuina, sed quodammodo non limitata: quia habuit quicquid ad rationem gratiæ pertinere poterat: quoniam non fuit ei data gratia ad mensurã, sicuti lux solis potest dici infinita, quia habet quicquid ad rationem lucis attinet. At uerò per illam gratiam non meruit suam gloriam, sed nostram, si per eius auxilia, & nostra opera nobis applicetur, quare gloria ei collata est non per merita, sed ratione unionis, sicuti & gratia ipsa. Non ergo argumentum uincit uisionem qua anima Christi fruitur Deo esse simpliciter infinitam, quod requiritur ad comprehendendum, sed est quodammodo infinita, ut gratia quia continet quicquid ad rõnem creatæ uisionis pertinere põt: infinita. n. simpliciter neq; per Dei omnipotentiam esse potuit quandoquidem est creatura.

2. Conclu.

¶ Secunda conclusio. Esse incomprehensibile hoc perfecto modo est proprium attributum Dei, nulli competens creaturæ, Et rõ est liquida. Quoniam incomprehensibile est attributum ad id consequens, quod est infinitum: & immensum: nulla aũt creatura est infinita: nulla ergo est incomprehensibilis. Imò omnis põt non solum à Deo, uerùm & ab alia creatura comprehendi. Potest. n. Angelus naturas rerũ creatarum cognoscere, quãtum in se sunt cognoscibiles. Tametsi à Deo perfectiùs comprehendantur. Dum. n. ego auellanã aut nucem, totam manibus, aut ore concludo, ut nihil eius appareat, re uera illam comprehendo, licet alio ampliori uase melius concluderetur.

Secũda acceptio cõprehensionis,

¶ Secundò uerò modo rem comprehendere idem est quod attingere, & tenere, & consequi, quæ quidem consecutio est insecutionis terminus. Dum enim

rapax accipiter auem, quam insequitur, unguibus tenet, & canis leporem, prædam uerè dicuntur comprehendere, quâuis totam neq; unguibus, neq; ore ambiant.

3. Conclu. ¶Et secundum hanc acceptionem subnectitur tertia conclusio. Creatura intellectualis, & rationalis, nempe angelus, & homo Deum uidentes eum hoc secundo modo comprehendunt, quia attingunt ipsum tenent, & possident, licèt non totam eius essentiam cognoscendo circunscribant.

Videbimus eum sicuti est. Hoc probatur testimonijs illis citatis Pauli, & Cantic. 3. ait sponsa, tenui eum neq; dimittam. Et Ioannes. 1. can. c. 3. Cùm apparuerit similes ei erimus, uidebimus eum sicuti est. Idest non uidebimus solum sub humanitatis uelamine, quemadmodum nobis apparuit, sed in se ipso quatenus Deus est, quod est ipsum attingere, & comprehendere. Et Aug. eadem epistola citata comprehendere inquit Deum impossibile est cuicunque intellectui creato, attingere uerò mente Deum qualitercunque magna est beatitudo.

Non sat ẽ uidere ad comprehẽdendum. ¶Hinc fit ad comprehendendum hoc modo Deum non sat esse Deum uidere, sed oportet ipsum tenere, hoc est cum perpetuitatis securitate eum uidere. Quapropter Paulus licet Deum uiuens uiderit, nõ tamen comprehendit, quia non per modum perpetui habitus, sed transcursim eũ fuit intuitus. Est enim comprehensio, spei terminus: spes autem nõ solum dicit amorem rei, sed motum ad ipsum consequendum. Quocirca ubi per uisionem tutò tenetur, spes cessat, atque hoc est, quam uehementissimum argumentum contra Scotum tenentem beatitudinem consistere in amore. Beatitudo enim non est nisi comprehensio obiecti in quod spe tendimus: non autem comprehenditur per uoluntatem, quia non est potentia apprehensiua, sed per intellectum. Quapropter uisio quatenus est clara notitia, actusque ab intellectu elicitus est dos animæ respondens fidei, sed quatenus est tentio obiecti per uoluntatem concupita, est comprehensio, atque adeò dos quæ est spei terminus, delectatio uerò fruitio, & quies in ipso comprehenso est tertia dos respondens charitati. Sed de hoc quæstione sequenti latiùs.

Cõtra Scotum.

Sol. 1. arg. ¶Primum igitur argumentum Pauli testimonijs instructum solutum est. Accipit enim illic comprehendere Deum. Secundo modo, quo tertia conclusio asserit posse à creatura comprehendi.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum uerò quod ex autoritate Augustini colligitur, respondetur, quòd non ideo Deus incomprehensibilis est à creatura, quòd aliquid eius sit quod nõ uideatur: quicunque enim beatus, ut art. sequenti uidebimus, omnia attributa Dei intuetur, sanè cum omnia sint ipsa simplicissima essentia, sed ob id quòd non adæquatè uidetur, ut uisibilis est, hoc est cum illa claritate & euidentia, qua ipse se cognoscit: quemadmodum diximus de conclusione demonstrabili, si non nisi per probabilem rationem cognosceretur, tunc enim cognosceretur tota, sed non perfectè. Sic enim & beatus cognoscit, & essentiã Dei, & sapientiam, potentiam &c. Sed nullum perfectè. Qua utique ratione duo posuit Augustinus incomprehensionis definitione, nempe, quòd sic res tota uideatur, ut nihil eius uidentem lateat, aut cuius fines circunspici, & circunscribi possunt. Tunc. n. & fines rei circunspiciuntur, quando in modo cognoscendi ad finem peruenitur, quod ereatura non potest respectu Dei.

Deus uidetur totus, sed non totaliter. ¶Et hoc est, quod solent antiqui dicere Deum uideri à beatis totum, sed non totaliter. Ad huius autem intelligentiam arguitur, quòd non possit uideri totus, quin totaliter. Aut enim id quod dicitur totaliter, significat modum rei uisæ, aut modũ uidentis. Si modum rei uisæ, certum est uideri totaliter, quia cernitur totus. Si autẽ significet modum uidentis, itidem appareret totaliter uideri, quia quicunq; beatus tota sua uirtute eum uidet. ¶Respõdetur, quòd illud totaliter dicit conditionem obiecti, non quidem, quòd modus obiecti nõ cadat totus sub cognitione, sed quòd modus obiecti non sit modus cognoscentis. Quod est dicere. Quicunque beatus uidet Deum esse infinitum, eiusq; potentiam, & sapientiam esse infinitam, infinitæq; perfectionis, & ideo quale est obiectum, tale cadit sub cognitione, iuxta uerbum Ioan. Videbimus eum sicuti est. Tamen modus obiecti non est modus cognoscentis. Hoc est cognoscens non cognoscit infinitè perfectè sicut ipse est cognoscibilis. Quemadmodũ potest quis p̃rationem probabilẽ, & per fidem quam adhibet mathematico cognoscere illam ueritatem, triangulus habet

habet tres angulos æquales duobus rectis, esse demonstrabilem, licèt non cognoscat ipsam demonstratiuè, sicuti ipsa est cognoscibilis.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm uidentium Dei essentiam unus alio perfectius uideat.

1. Arg. POstquam uisum est, uidentes Deum ipsum non comprehendere, subsequitur, ut exploremus utrùm omnes æqualiter uideant: an uerò unus alio perfectius. Et arguitur, quòd omnes uideant æqualiter. Omnes, ut ait proximè citatus Ioannes: uidebimus eum sicuti est: ipse autem non est nisi uno tantum modo: ergo omnes eodem modo eum uidebimus, atq; adeò nullus alio perfectiùs.

Secundum arg. ¶Secundò. Vna res ut Aug. lib. 83. quæstionum autor est, non potest ab uno plusquã ab alio intelligi. Nam intelligere est totam rem intus legere: quare aut tota intelligitur, aut nihil eius: omnes autem uidentes Deum intelligunt eius essentiam: quoniam intellectu, ut dictum est uidetur: ergo nullus alio perfectiùs uidet.

3. Argum. ¶Tertiò. Quòd aliquid ab uno quàm ab alio perfectiùs uideatur, aut prouenit ex parte obiecti, quòd non se æqualiter repræsentat, aut ex parte potentiæ uisiuæ, quæ non est in omnibus æqualis: ex parte quidem Dei id nõ uidetur accidere. Nam cùm non uideatur per aliquam speciem creatam, ut dictum est, quæ sit in uno perfectior quàm in alio, non apparet quomodo inæqualiter repræsentetur. Si autem id prouenìat ex parte potentiæ: tunc consequitur, ut cuius intellectus naturaliter sit sublimior, perfectiùs uideat, atque adeò angeli, qui sunt sublimioris naturæ perfectiùs quàm homines uiderent, quod uidetur Euangelio contrarium Matth. 22. ubi hominibus pollicetur Christus, quòd erũt sicut angeli Dei in cælo.

¶In contrarium autem est. Quòd si omnes æqualiter uiderent, cum uisio illa sit uita æterna, iuxta illud apud Ioannem, supra expositum. Hæc est uita æterna, ut cognoscant te &c. consequens fieret, ut omnes essent æquales in uita æterna: contra illud. 1. ad Corinth. 15. Stella differt ab stella in claritate.

1. Conclu. ¶Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Inter beatos unus alio perfectiùs uidet diuinam essentiam. Et quidem conclusio omnibus est in confesso. Imò quanuis non sit in sacra pagina expressa, est tamen habenda tanquam catholica secundùm illud Pauli citatum. Ait enim, stella differt ab stella in claritate, & subdit, sic & resurrectio mortuorum. Enimuero quẽ admodum astra omnia lumen à sole secundum cuiusque naturam recipiunt ita beati in Dei præsentia eius gloria secundum diuersa merita promicant.

In contra. ¶Et Christus ipse Ioan. 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Vbi non solum loquitur de ecclesia militanti in qua sunt diuersæ functiones, ut episcoporum sacerdotum &c. sed de locis quibus beati collocabuntur in cælis, ut patet ex subiunctis continuo uerbis: quia uado uob s parare locum. Ibat autem per mortem ad patrem. Cælum enim ubi requies est beatorum optimè aptissimèque dicitur, & est domus per metaphoram. Imò uerò ad rei proprietatem uidetur accedere. Domus nanque hoc distinguitur à diuersorio, quòd in diuersorio peregrini in transitu recipiuntur: domus autem est in qua permanenter habitatur. Vnde. 2. ad Corinth. 5. Apostolus. Scimus quòd si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cælo est, superindui cupientes. Dicitur ergo cælum ubi sedes est Dei, domus, id est, perfecta habitatio, ad differentiam huius seculi, quod est diuersorium in quo peregrinamur à domino. Igitur, qua ratione receptaculum illud quo uniuersi beati recipiũtur, ob id dicitur una domus, quòd omnes sub eodem patrefamilias unius Dei uisione, & hæreditate, ceu eius filij fruuntur, ita & propter diuersos gradus beatitudinis dicuntur, in eadem domo multæ esse mansiones. Vnde Lucæ. 16. pluratiuè dixit. Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, qui recipiant uos in æterna tabernacula.

Mãsiones. Domus patris.

Rõne probatur conclusio. ¶Ratione autem probatur conclusio, non solum esse ueram, sed esse catholicam. Nõ erunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

erunt omnes æqualiter beati: beatitudo autem consistit in uisione ergo uisio illa non erit in omnibus æqualiter perfecta, atque adeò nec secundum eandem perfectionem omnes Deum uidebunt. Posterior quidem præmissa non est de fide: licet, ut monstratum est, sit uerissima opinio: ad nostrũ autem propositum nil refert utrùm in uisione: an in amore, uel in delectatione beatitudo consistat. Satis quippe est ueritatem esse fidei quòd non omnes erunt æquè beati: & uisionem ad beatitudinem pertinere: inde enim planè colligitur non omnes æqualiter uidere, aut amare, aut delectari: quandoquidem in illis actibus uel in eorum aliquo beatitudo consistit.

Aduersus Lutheranos.

¶Quòd autem catholica sit ueritas nõ omnes esse æquè beatos probauimus aduersus Lutheranos. lib. 2. De natura & gratia. cap. 20. Gloria enim respondet gratiæ quę illius est seminariũ & arrha. At uerò quod non omnes iusti sint pari modo grati Deo neque eundem apud ipsum habeant locũ, probatur: quia non omnes de Deo æqualiter bene merentur. ¶Sed uide Lutherano rum errorem, Quia putant nullam in nobis inesse iustitiam. sed per solam iustitiã Christi nos iustificari, quæ una fuit, colligunt omnes esse Deo æquè gratos, pariterq; amicos, atq; adeò æquali sanctitate pollere. Audi quàm sit absurdum, quod Lutherus inde elicuit, nempe omnes esse tam sanctos, quàm fuit sanctissima uirgo. Certè animus audire exhorret. Veritas autẽ catholica est, quòd etsi Christus quo ad sufficientiam omnibus plenissimè satisfecerit, applicatur tamen nobis illa satisfactio & meritum quoad efficaciam per sacramenta, perq; nostra opera liberi arbitrij eius ope, & fauore suffulti. Quapropter licet infantes ante usum rationis ex fonte baptismatis ubi Christo commorientes eius efficimur membra, in gratia æquali resurgant; tamen post modum rationis luce adueniente tanquam Dei filij per eius gratiam merita nostra accumulamus, plus, minusuè secundum curam & diligentiam quàm eius cultui impendimus: iuxta illud Apocal. 22. Iustus iustificetur adhuc.

Lutherani

Ratio colligitur.

¶Colligamus ergo rationem. Deus ut ad Roma. 2. ait Paulus, reddet unicuique secundum opera eius: opera autem non sunt æqualia neque in uiris probis neque in reprobis: ergo sicut alijs inæqualia suppli-

cia & ita & iustis imparem gloriam est redditurus. Gloria uerò & beatitudo in uisione Dei consistit ergo non æqualiter, sed cum quadam disparitatis æquitate ipsum uidebunt.

¶Huc accedit illud Matthæi. 5. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum uidebunt. Cor nanque per charitatis officia, quæ ex fide procedunt emũdatur. De corde enim exeunt cogitationes prauæ Matth. 15. ac perinde aliæ mundę: ergo quo quisq; mũdius habuerit cor, perspicacius Deum uidebit. ¶Sed redarguet quis fortè hanc ueritatem ex illa Christi parabola Matt. 20. De operarijs uineæ, qui quanuis non paribus diei horis neque pares operas impendissent, nihilominus pater familias eũdem cunctis rependit denarium diurnum. Respondetur per illam parabolam id tantum Christum admonitos nos curasse, ut intelligeremus, quod in Dei cultu tantum solertissimus quisque potest in breui tempore proficere, quantum segnis in maiori. Item, docere uoluit, quòd omnia nostra merita ex sua uoluntate & gratia ualorẽ sortiuntur: & ideo dixit. Quia huic uolo dare. Cæterum in suprema retributione gloriæ quanuis cunctis idem conferatur denarius, qui erit Dei essentia ab omnibus clarè conspecta & possessa, nihilominus uisio illa & possessio non erit in omnibus æqualis: atque adeò, licèt Deus in se denarius sit infinitæ æstimationis, non tamen in omnibus erit eiusdem pretij. Mirabile auditu quòd sit in hominis potestate per Dei gratiam positum, ut possit suis meritis pretiũ immutabilis Dei sibi augere: & tamẽ non sit eis tantæ curę illud procurare, cordisq; oculos exacuere & purificare, quibus ipsum euidentius uideant.

Matth. 5.

Redargutio.

Denarius diurnus.

Cõtemplatio.

¶Conclusio igitur catholica est, & à catholicis confessa, sed inquirendi ratio inde exurgit, quodammodo & per quid uarientur beatorũ uisiones, ut sint aliæ alijs perfectiores. Enimuerò, qui rationibus de superficie ductis contenti sunt, non aliã tribuunt, quàm quòd cum Deus sit speculum, non naturale, sed (ut in epistola ad Paul. ait Augustinus) spontaneum, id est, quo gradu se sibi placet repræsentans, ostendit se unicuique pro cuiusque meritis. At uerò quanuis hoc uerissimum sit, non tamen per hoc redditur causa quam hic exploramus. Non ambigimus diuersos beatitudinis

De modo uarietatis uisionum.

nis gradus Deum sua sponte pro ratione distributiuæ iustitiæ distribuere, sed cùm illa beatitudo in uisione consistat, quærimus causam & modum ex natura rei eius uarietatis, ut in uno sit in repræsentando perfectior, quàm in alio. Illa enim differentia non potest nisi aut ex obiecto prouenire, aut ratione potentiæ.

Ratio.

¶Diuus ergo Th. 1. par. q. 12. ar. 6. supponit in primis, ut conclusum est, non id euenire propter speciẽ & similitudinem creatam, quæ in uno sit perfectior, quàm in alio, cùm non sit uisio illa per talem speciem gignẽdam, atq; adeò nec euenire ex parte obiecti. Nec sufficit quidem in causam reddere quòd Deus perfectius cũ uno intellectu quam cum alio concurrat: quoniam cum intellectus etiam ipse concurrat, necesse est in ipso etiam intellectu perfectiorem consiteri uirtutem qui perfectius concurrit. Varietas ergo illa, ait D. Th. inde prouentura est, quòd intellectus unius maiorem habebit facultatem ad uidendum Deum quàm alius. Facultas uerò illa non competit intellectui secũdum suã naturam: quandoquidem ut dictum est, non potest Deus à creatura naturaliter uideri. Accidet ergo per lumẽ gloriæ, quod intellectum in quadam Deiformitate cõstituit. Quo fit ut quo unusquisq; intellectus plus illius luminis erit participans, perfectius Deũ uidebit: plus aũt ille participabit, q plus habuit ī uia charitatis, qua ut diximus permũdatur cor. Nã ubi maior fuerit charitas ibi est maius desiderium potiundi re amata: desiderium autem paratiorem reddit desiderantem ad susceptionem rei concupitæ, & ut exuberantius gaudium de eius possessione capiat.

Quãta est charitas, tantum lucrem.

¶Collige ergo quod cum charitas mentis obtutum purificet, fit ut quemadmodum qui oculorum aciem acutiorẽ habet, perfectius lumine ad uidendum requisito illuminatur, quam qui lippitudinem oculorũ patitur, ita qui feruentiori charitate flagrant, clariori perfundentur lumine ad uidendum Deum. Igitur si scisciteris in quo consistat mansionum diuersitas, respondetur, quòd in uaria perfectione uisionum maiorum & minorum: nam mansio dicit terminum uiæ ac perinde requiem. Et ex uarietate uisionis, subinde eadem consequitur uarietas in amore & in delectatione. Si uero cãm rursus inquiras huius uarietatis. Respondetur Proximã esse lumẽ quod est facultas uidendi maior uel minor. Primitiuã uerò in rõne meriti charitatẽ uiæ.

Bona rõ.

¶Quòd si contra arguas Matth. 25. legitur. Quod dedit unicuiq; secundum propriam uirtutem. Et in psal. & apud Paul. quod reddet unicuiq; secundũ opera sua. Respondetur, quòd quia opera non sunt meritoria secundum substantiam operum solius liberi arbitrij, sed quatenus à charitate procedunt, idé est reddere secundum opera, quod secundum mensuram charitatis: atq; idem ẽt est reddere secundũ propriam uirtutem. Non. n. accipitur hic uirtus pro naturali, sed pro illa q̃ nobis particulariter donatur auxilio Dei. ¶Et re uera hoc egregium est arg. in fauorem luminis gloriæ. Siquidem illo secluso uix reddi cã põt proxima uariæ perfectionis beatitudinum. Nam dicere satisesse, quòd Deus plus concurrit cũ beata uirgine q̃ cũ beato Petro, non satis rei facit, ut supradictũ est: sanè cum non solum Deus, uerùm & intellectus ipse creatus ad uisionem concurrat, cui iõ necesse est, ut clarius & perfectius uideat, perfectiorem habeat in se uirtutẽ: nã re uera in hac uita non põt Deus facere quod lippus oculis tam perfectè uideat q̃ linx, nisi tantam ei uirtutem tribuerit: & cum in beatis illa uirtus non sit naturalis, consequitur quòd tota differentia cõsistat in lumine gloriæ.

Vtrum uisiones sint eiusdẽ pfeciei.

¶Et confirmatur hæc rõ. Aut beata uirgo perfectius ad suã uisionem eliciendam concurrit, q̃ D. Pet. aut secus: sed solus Deus est, qui plus concurrit cum illa. Hoc secundum non est probabile: tum quia non est intelligibile qũo perfectiùs uideat: nisi perfectius concurrat: cùm uidere sit actus uitæ, tum ẽt quòd hoc derogaret dignitati uirginis. Nã cum fœlicitas & meritorium præmiũ consistat in elicienda uisione Dei, ubi maior est dignitas, & cumulatius meritum perfectior debet esse concursus ad eliciendam uisionem. Si aũt concesseris, ut concedendũ est beatam uirginem, perfectius concurrere, cõsequitur ut perfectiorẽ habeat supernaturalẽ uirtutem, q̃ alia nequit excogitari, q̃ lumen gloriæ. ¶Scisciteabitur hic tũ fortè quispiam, utrum uisiones oẽs angelorũ & hoĩum sint eiusdem speciei. Videtur. n. specie differre. Primum quia à potentijs producuntur differentib. specie, qualiter hoĩes ab angelis differũt. ¶Secũdò, quia

nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec sunt omnes eiusdem adæquati obiecti, quoniam ut artic. proxi. uidebimus, nõ omnes eadem prorsus in uerbo uident.

¶ Tertiò denique, quoniã ut omnium est theologorum confessio, unus est alio essentialiter beatior, siquidem uisio in qua essentialiter beatitudo consistit perfectior est in uno quàm in alio: ergo eadem ratione ipsa erit essentialiter perfectior, atque adeò omnes, uel saltim illæ quæ sunt inæquales sunt specie differentes. ¶ His tamẽ non obstantibus respondetur omnes esse eiusdem speciei essentialis. Et primò de uisionibus animarum res est cõstantissima: quandoquidem sunt, & eiusdem obiecti, & à potentijs eiusdem speciei productæ. Sed etiam si illas cum uisionibus angelorum conferas, idem probatur. Nam omnes sunt eiusdem obiecti & fiunt per eandem speciem: nempe per Deum concurrentem in ratione speciei & à lumine eiusdem speciei: neque differunt nisi sola claritate quæ non est differentia specifica, sed accidentaria. ¶ Vnde ad primum argumentum respondetur. Primùm, quòd esto producatur à potentijs diuersarum specierũ, scilicet angelicis & humanis, nõ inde consequitur ipsas differre specie: quoniã ignis à sole productus, & productus ab igne eiusdem sunt speciei: & uisio leonis, & uisio equi eiusdem obiecti: quare si uisio unius poneretur in alterius oculo uideret per ipsam. Secundò respondetur, quòd cùm uisiones illæ producantur non uirtute naturali, sed uirtute luminis: & speciei quæ est Deus, & omnia lumina sint eiusdem speciei, ut de uerit. q. 9. artic. 1. ait D. Thom. hoc sufficit, ut sint eiusdem speciei. ¶ Et confirmatur. Si omnes, ut ait OKam à solo Deo producerentur, essent eiusdem speciei: eædem autem sunt prorsus licèt intellectus creatus simul cõcurrat, ergo & nũc sunt eiusdem speciei. ¶ Ad secundam igitur obiectionem per distinctionem respõdetur. Sunt enim omnes eiusdem obiecti proximi, & quod aiunt immediati, nempe essentiæ diuinæ, quod sufficit ut sint eiusdem speciei: licèt nõ sint eiusdem ad æquati mediati, & remoti: quia non omnes eosdem uident effectus Dei in ipso, ut articu. subsequenti uidebitur. Tertia demum obiectio sophisticæ nititur consequentiæ. Non enim sequitur. Vnus beatus in ratione beati est essentialiter perfectior alio: ergo eius beatitudo est essentialiter perfectior, quia essentialis eius beatitudo est perfectior, sed non quia ipsa est essentialiter perfectior. Quare melius diceretur beatus secundum beatitudinem essentialẽ perfectior, quã essentialiter perfectior. ¶ Secunda conclusio. quæ ex prima elicitur. Quemadmodum uisio ita & amor ac subinde delectatio non est in cunctis beatis æqualis, sed quo quisque beatior est, eo & ardentiùs diligit, & suauiùs delectatur. Probatur planè conclusio: quoniam amor uisioni & antecedens est, & subsequens. Quo enim in uia auctior est charitas, ut dictum est, subsequetur & perfectior uisio, ex qua subinde proueniet, ut eadem confirmata charitas copiosior sit ac perinde delectatio: nam quo quisque perfectiùs id possidet, quòd flagrantius diligit suauiori ampliorique gaudio perfunditur.

¶ Ad primum igitur argumentum principale respondetur, quòd ubi ait Ioan. uidebimus Deum sicuti est, aduerbium illud, sicuti, determinat uisionis modum ex parte rei uisæ: ut sit sensus. Videbimus eum, ita esse, sicuti est: quia ipsum eius esse uidebimus, quod est eius essentia. Quare uidebimus eum actum purum, simplicissimum, infinitum, &c. Non tamen determinat modum uisionis ex parte uidentis: ut sit sensus, quòd tam perfectus erit modus uidendi quàm est in Deo perfectus modus essendi.

¶ Et similiter respondetur ad secũdum, quod erat uerbum Augu. Dum enim ait, quòd rem unam non potest unus alio melius intelligere, ueritatem cõtinet, si ad modum rei intellectæ referatur: quia quicunque intelligit rem aliter quàm sit, non uerè intelligit: non autem si referatur ad modum intelligendi. Nam etsi duo rem intelligant qualis est, unus tamen potest eam perfectiùs quàm alius intelligere. ¶ Ad tertium denique respondetur, ut dictum est, quòd illud uisionum discrimen non prouenit ex parte obiecti, quod per species diuersas repræsentetur: sed ex parte potentiarum quæ non habent pares intelligendi facultates. Illa tamen facultas non est naturalis, sed luminis gloriæ: & ideo non est maior in angelo, quàm in anima eiusdem meritis cumulata. ¶ Contra hanc tamen sententiam existit argumẽtum, quòd uis naturalis intellectus aliquid conducat, ut cum eodem lumine perfectiorem producat uisionem. Nempe, quod angelus qui naturali lumine uigore intellectus sublimior est, perfectiùs cum eodem lumine Deum uideat, quàm anima humana, ut beatæ uirginis, aut Petri.

¶ Caietanus nanque. 3. par. q. 10. arti. 4. sic opinatus est. Et uidetur cum aliqua probabilitate locutus. Quoniam cùm intellectus creatus concurrat ad uisionem, etiam per suam naturalem uirtutem eleuatam per lumen, uidetur qui perspicaciorem habet intellectum, perspicaciùs Deum cernere. Quocirca subsequenter concedit, quòd si lumen gloriæ quo donata est anima Christi tributum esset angelo, perfectiùs ille uideret, quàm anima illa. Et eadem ratione perfectiùs uideret Christus si assumpsisset naturam angelicam cum eodem lumine. ¶ Crediderim tamen, partem contrariam longè probabiliorem. Videtur enim in primis sententia S. Tho. qui totam facultatem uidendi tribuit lumini. Et ratio præterea huic parti patrocinatur. Nam cũ actus uidendi sit supernaturalis uidetur solam proportionem naturalis uirtutis insequi. Aqua siquidem quia non habet natiuum calorem sed extraneum, non calefacit secundũ proportionẽ suæ naturalis uirtutis, sed secundũ proportionẽ caloris, uel maioris, uel minoris. Idem confitemur in meritis de condigno. Nam licèt producantur per liberum arbitrium, tamen quia tota ratio meriti inest eis ex gratia & auxilio Dei, secundum illius proportionem æstimatur ratio meriti. ¶ Secundò arguitur. Visio non est maior, aut perfectior nisi secundum concursum Dei quo in ratione speciei concurrit: non tamen plus minusue concurrit quàm est quantitas luminis gloriæ: ergo naturale lumen perfectionem uisionis non auget. ¶ Tertiò arguitur. Concessa cõtraria opinione fieret consequens quòd lumen non conferretur beatis secundum meritorum proportionem. Etenim si angelus & homo æqualia habẽt merita, æquale consequuntur præmium, quod est uisio. Si autem æqualibus infunderentur luminum radijs perfectiùs uideret angelus: ergo necesse est, ut minus ei lumen donetur, quod non est probabile. ¶ Respõdetur ergo ad rationem obiectam quod quanuis intellectus creatus concurrat ad uisionem, non tamen nisi in uirtute luminis gloriæ, & ideo maior uirtus naturalis non auget uisionem. ¶ Contra hoc tamen arguitur. Omnes beati toto quo possunt conatu uisionem Dei eliciunt, sed ubi auctior est uirtus naturalis, uehementior erit conatus: ergo & uisio perfectior. ¶ Ad hoc plurimi respondent omnes beatos æqualiter conari. Quare uisionum disparitatem non arbitrantur ex diuersis conatibus prouenire, sed ex diuersitate luminũ, si opinionem teneas D. Tho. uel secundũ Scotum, & nominales ex diuerso concursu Dei.

¶ At uerò ubi nulla est resistentia profectò uix est intelligibile duos æqualiter conari, ubi effectus non sunt æquales aut ubi sunt æquales, inæqualiter conari. Quoniam conatus non est aliquid antecedens applicationem potentiæ sed applicatio ipsa: & ideò certè quanta est applicatio, tantus erit effectus. Quod ut exemplo explicemus, fertur communiter maiori conatu opus esse ad dilectionem inimici, quàm ad æqualem amici. Attamen si id uerum est prouenit quidem ex resistentia inimicitiæ, quæ obstat amori: quapropter difficiliùs sese applicat uolũtas ad eius dilectionem, quàm ad dilectionem amici. At uerò in Dei uisione, ubi nulla est resistentia, re uera quantus erit conatus, erit & applicatio potentiæ ac subinde uisio. Item cum conatus sit actio & nullus intellectus agat nisi quantum Deus cum ipso concurrit, profectò fieri nõ potest, ut omnes beati æquali conatu ad uidendum applicentur, & tamen Deus plus cum uno quàm cum alio concurrat. ¶ Dicendum ergo non omnes æqualiter conari, sed eo quisque plus, quo beatior est. Conatus autem sequũtur, non naturæ uires, sed luminum quantitatem. Quãto enim quisque lumine donatur tantum ad uidendum conatur, tantamq; perinde uisionem elicit. ¶ Cum ergo assumitur quòd omnes summo conatu uidẽt, distinguitur. Etenim si intelligatur de conatu secũdum naturales uires, negatur, si uerò secundum luminis modum, conceditur. Quare supremus angelus, quanuis sit sublimioris naturæ non tamen tantum conatur quantum sacratissima uirgo, quæ ampliori gloriæ lumine fulget. ¶ Ex his fit consequens quòd ille conatus non potest intendi aut remitti sicut neque lumen: atque adeò licèt simul cum uisione beatus alia

Oẽs sunt eiusdẽ speciei.

Solut. arg.

1. Conclu.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

Sol. 3. arg.

Vtrũm uires naturales aliquid ad uisionẽ conferant.

Caietanus

Sententia autoris.

Secũda rõ.

Tertia rõ.

Vtrũ beati toto conatu uideant.

Sententia autoris.

Sententia autoris.

lia plura in proprio genere intelligat non ideo ullo pacto remittitur uisio.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm uidentes Deum omnia in ipso uideant eademq; simul.

ARticulo præcedenti, quo cõclusum est unum alio uidere perfectiùs, annectitur præsens, utrum illa uisionũ uarietas etiam extendatur obiectis, ut unus in Deo plura uideat, quã alter, an uerò omnia oẽs contueantur. Et

Partis affirmatiuæ argumen. 1. arguitur à parte affirmatiua. s. quòd oẽs uideant omnia. Ait. n. 4. Dialogorum Gregorius. Quid est quod non uideant qui uidentem omnia uidẽt? cum ergo Deus omnia uideat cuncta itidem unusquisq; beatorum uidet. ¶Secundò. Quicunq; uidet speculum uidet oĩa quæ in ipso resplendent, sed in Deo qui omnia eminenter cõtinet, uniuersa resplendent: ergo cuncta in eo oẽs aspiciunt. ¶Tertiò. Si non oĩa uiderent oẽs, sequeretur quòd posset beatus successiuè in Deo nũc pauciora & post plura uidere. Nil enim obstat quominus Deus ei qui non oĩa uidet ea in ipso reuelet quæ illum antea latebat. Consequens aũt est contra sniam Augusti. ulti. de trini. Vbi ait quòd oẽm scientiam nostram uno simul conspectu uidebimus in Deo: ergo omnia

Pars negatiua. oẽs simul uidẽt. ¶In contrarium est, quòd angelorum Deum uidentium inferiores (ut. 7. cap. de cælesti hierarchia ait Dionysius) à superioribus purgantur, quod est illuminari: atq; adeò inferiores nõ tot quot

Decis. art. superiores uident. ¶Quæstio hæc præcipua est. Ad quam decem conclusionib. respondebitur. Est enim inter ea quæ sunt in Deo distinguendum. Sunt inquam quædam in ipso formaliter: nẽpe essentia eius & esse, personæq;, & uniuersa attributa: quæ sola ratione ab essentia distinguuntur. Sunt & alia eminenter: nempe uniuersæ possibiles creaturæ. Quæ quidem non tãtum sunt in illo ut effectus in cã. Quem admodum effectus quos sol producere potest, sunt in ipso tanq̃ in uirtute & principio: sed quia Deus qua rõne est infinitus

Quinque opiniões. eminenter est oĩa. At quia res est profundæ speculationis, tot de illa sunt sensus quot capita. Sunt. n. opiniones non pauciores quàm quinque. ¶In ingressu uerò statim adnotandus est usitatus Theologorũ sermo. s. uidere in uerbo. Etenim quę in essentia Dei, ceu in speculo uniuersali uidẽtur, dicuntur uideri in uerbo. Et ratio est quia uerbum est in quo quasi in imagine uidetur obiectum. Et quanuis nomen uerbi propriè conueniat filio in diuinis, qui tanquàm expressa notitia per modum intellectus gignitur, nihilominus quia essentia ipsa est per eminentiam species & speculum creaturarum, illa quæ uidentur in ipsa dicuntur uideri in uerbo: quoniam, ut dictum est, in rõne speciei Deus ad sui uisionem concurrit. Obidq; dicuntur uidere in uerbo ad differentiam eorum quæ beati uidẽt per proprias species, quæ ideo dicuntur cognoscere in proprio genere.

Quid sit aliquid uidere ĩ uerbo.

¶Igitur quia opiniones omnes in primam conclusionem consentiunt, illam ante earum recitationem præmittamus.

1. Conclu. ¶Conclusio est. Vniuersi beati uident omnia quæ sunt formaliter in Deo. In primis sententia est S. Tho. in 1. par. q. 12. ar. 7. in solutio. ad 2. ubi ait, quòd non propterea Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid eius sit quod non uideatur, sed quia non tam perfectè à creatura uidetur, quam est ipse uisibilis. Imò Ioannes ubi ait, uidebimus eum sicuti est: Id nos ipsum docet: uidere enim sicuti est, ut suprà explicuimus, est uidere quicquid ipse est.

¶Sed ratione id probatur. Quicquid est in Deo formaliter est ipsissimus Deus: relationes enim diuinæ & attributorum quod cunque est ipsissima essentia: ergo nequit uideri Deus quin cuncta quæ in ipso sunt formaliter uideantur. Etenim Deus tam sua est sapientia, quàm ego sum mihi idẽ.

¶Item desiderium naturæ, ut diximus, est cognoscere causam per essentiam: quare uisio est cognitio Dei per essentiam: qua, ut ait Ioannes, cognoscitur sicuti est: cognoscere autem per essentiam est cognoscere omnia quæ in diuina essentia includuntur: hæc autem sunt illa quæ formaliter sunt in ipso.

2. Conclu. ¶Ad hæc uisio illa est clara notitia quæ respondet fidei, & tentio quæ respõdet spei. Sed per fidem omnia quæ in Deo sunt credimus & per speciem omnia illa possidere concupiscimus: ergo per uisionem cuncta uidemus & possidemus.

¶Quod si arguas Deum, ut ait Aug. est speculum uoluntarium: ergo potest illa quæ uoluerit reuelare, alia celando. Negatur consequentia, de illis quæ in ipso sunt formaliter & intrinsece. Naturaliter enim illa sic repræsentat, ut se ipsum repræsentare sit omnia illa repræsentare.

Dubiũ de omnipotẽtia Dei.

¶Dubium hic tamen emergit. Vtrùm esto omnia illa uideant quæ sunt formaliter in Deo, possint de potẽtia Dei absoluta quædam eorum absque alijs uideri? Scotus nãque in primo dist. 1. q. 2. & in 4. dist. presenti tenet, quòd potest quis uidere essentiã non uidendo personas, ac perinde unam personam sine alia, saltem patrem sine spiritu sancto. Quoniam de patre & filio qui relatiua sunt, maior difficultas ei occurrebat, eo quòd unum relatiuum includit teliquum. Probatio eius est. Essentia est quid absolutum, & persona quid relatiuũ. Imò essentia, ut putat, & relatio formaliter distinguũtur. Absolutum autem non includit relatiuum: ergo potest unum, absq; alio uideri. Et eadem ratione potest pater sine spiritu sancto uideri.

Scotus.

¶Secundo. Si essent personæ distinctæ per absoluta posset una uideri sine alia: ergo quanuis distinguantur per relatiua, saltem pater sine spiritu sancto: quia pariter distinguitur realiter, & unus non refertur ad alium.

¶Atqui si ratio hæc efficax est, similiter concludit quòd attributa distinguantur ab essentia & inter se: quia pariter secundum ipsum distinguuntur formaliter.

Conclu. ¶Contra hanc tamen opinionem asseritur secunda conclusio. Quanuis per notitiam iudicatiuam essentia possit sine persona cognosci, atq; una persona sine alia: apprehensiua tamen intuitiua neque per diuinam omnipotentiam est possibile. Intuitiua inquam: quoniam per notitiam abstractiuam, ut modo in uia, nil uetat quominus quisque possit Deum apprehendere nil cogitando de trinitate aut de omnipotentia aut de alio quolibet attributo. Atqui de iudicio illico dicemus.

¶Sed de apprehensiua intuitiua probatur conclusio. Visio Dei est notitia ipsius existentis atque præsentes: sed non existit nisi in persona: ergo non potest essentia uideri nisi uideatur persona, & eadem ratione quinuideantur omnes tres. Atque hinc colligitur quòd nec potest uideri una sine alia: quoniam pater non potest uideri nisi in essentia, & essentia non potest uideri nisi uideatur filius & spiritus sanctus: ergo una persona non potest absque alia uideri.

Ratio. 2. ¶Secundo arguitur ostendendo primam conclusionis radicem. Persona & attributa non distinguũtur ab essentia ex natura rei: imò essentia tam idem est pater & filius & spiritus sanctus & iustitia & misericordia ex natura rei, &c. quàm Petrus est Petrus & Michael angelus ipsemet: imò magis quia Deus est magis simplex eo qd natura angelica habet esse receptum in indiuiduo per creationem. & in Deo nihil prorsus compositionis aut distinctionis ex cogitari potest, nisi quẽadmodum ait Anselmus, ubi est relationis oppositio: ut puta inter personas: ergo quemadmodum Angelus non potest uidere intuitiuè naturam alterius angeli existentis coram ipso nisi uidendo personam, neque personam nisi uidendo essentiam, ita nullus potest uidere Deum nisi uidendo trinum, omnipotentem, sapientem, &c. nam uidere est cognoscere per essentiam, & essentia includit perfectiones omnes illas & prædicata.

Distinctio formalis Scoti. ¶Scio quidem Scot. in 1. di. 8. tenere personas diuinas distingui formaliter ab essentia. Attributa uerò & ab essentia & inter se. Propterea, quòd qui diffiniret, inquit, iustitiam Dei aliam assignaret definitionem quam misericordiæ aut omnipotentiæ, & similiter si definiret essentiam aliam constitueret quàm definiendo personam.

Impugnatio. ¶Sed profecto hæc differentia est falsa ex natura rei. Imò apertè diuinæ simplicitati repugnat. Nam primum in Deo nulla est propria definitio: hoc est enim esse infinitum actũ quod non coarctari ad genus aliquod, ac perinde nec definiri posse. Secundo admisso q aliquo modo sit definibilis, falsum est q ex natura rei alia definitio daretur iustitiæ & alia sapientiæ diuinę. Iustitia enim & sapientia creatæ diuersas habent definitiones, quia sunt res diuersæ. In Deo tũ quia unaquæq; illarum perfectionum est infinita & oẽs sunt unus simplicissimus Deus, quicquid essentialiter includitur in sapientia, includitur in essentia & sic de oĩb. attributis. Quare non põt dari definitio unius differẽs à definitione alterius, nisi sola rõne. Quæ quidẽ definitio sumitur per comparationẽ ad nostrã sapientiã, iustitiam & miseri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

misericordiam. Sed in hoc fallitur, nisi nos fallimur, Scotus, quòd ex eo quod in deo existit potentia & iustitia sine operatione intellectus, infert esse duo seclusa operatione intellectus: & tamen non sequitur. Imò licet secluſa operatione intellectus sit potens, & iustus, non tamen illa sunt plura, sed intellectus comparans illa ad nostras qualitates cognoscit ea ut plura.

Et hoc est sola ratione differre ratiocinata: quia habet fundamentum in re. Et idē

Periculosa opi. Sco. ēst prorsus de essentia & persona. ¶Profectò si Scotus plus quam nomine à D. Th. differat: nomine, scilicet, distinctionis formalis intelligat aliam distinctionem à parte, ei præter distinctionem rationis, fateor me intelligere non posse quomodo summam Dei simplicitatē tueri ualeat. Quod si non ponat aliam planissimè sit consequens, quòd nec per Dei omnipotentiam fieri possit ut quis uideat essentiam non uidendo personas & omnia attributa.

Aliud arg. ¶Præterea arguitur. Si Deus esset unica persona sicut Michael, non posset uideri essentia sine persona, nec è conuerso. Nūc autem tam simplex est Deus quàm esset tunc, & tam idem sunt essentia & pater quantum essent essentia & illa persona: ergo non potest unum sine alio uideri: quia nullatenus ex natura rei sunt unum & aliud. Imò explicatissima contradictionis implicatio est uideri essentiam nō uisa persona, aut è cōuerso. Id quod Christus Ioā. 14. expresit dicens. Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum. Quod non dixit propterea quòd pater relatiuè dicitur ad filium, sed quia sunt unica & simplicissima essentia: & ideo subiecit. Quia ego in patre & pater in me est.

Optimum argument. ¶Et quod supremum argumentum est. Si posset essentia uideri aliquo attributorum non uiso, eadem ratione posset uideri essentia nullo uiso, quod est manifesta contradictio: nam qui non uideret in Deo omnipotentiam, sapientiam & iustitiam, &c. quid nam uideret?

De notitia iudicatiua. ¶At uerò si de iudicio percōteris. Respondetur posibile esse ut quis iudicium formet de Deo quòd sit unus, non aduertendo quemadmodum gignat filium aut spiret spiritum sanctum. Quinetiam potest Deus concurrere cum uno beato ad producendum unum iudicium & nō ad producendum aliud. Si modo loquamur de iudicio quòd sit assensus in proprio genere: quos potest etiam habere beatus: nam de uisione ipsa secus est. Quippe quæ, ut illico uidebimus, nō solum notitia apprehensiua est, uerum & iudicatiua naturaliter repręsentans: & ideo nō intelligitur quomodo quis per illam posit iudicare de re aliqua, quæ est formaliter in Deo, non iudicando de omnibus.

Solutio argu. Scoti. ¶Clara ergo est solutio argumenti Scoti: nam quanuis essentia in creaturis non includat relatiuum. Secus tamen in diuinis. Sunt enim de essentia diuina tum relationes personales, tum & uniuersa attributa: quare nullum potest nisi cum alijs uidere.

Opinio Hēnrici pri ma. ¶Hac supposita conclusione hinc incipiūt opiniones uariari. Henricus enim Gādensis quodlibet. 6. q. 4. opinatur nullum beatum in uerbo uidere nisi omnia, solaq; illa quæ sunt formaliter in Deo. Itaque de creaturis nihil uidēt nisi forsan in proprio genere. Ratio uerò eius potissima est, ꝙ si quis uideret simul etiam illa quæ in Deo eminenter continentur, comprehenderet ipsum: quia cognoscere Deum, non solum in ipso absolutè, sed in ratione principij quatenus est rerum causa. Et ideo nihil eius lateret uidentem, ut ait Augustinus.

¶Quod si dicas alium alio clarius uidere & ideo neminem comprehendere, non potest ipse intelligere, eum clarius uidere qui non plura uidet: nam in creaturis in tabella depicta quicunque melius uidet, plura uidet. ¶OKam in 4. di. 13. aliter negat nō posse eadem uisione uideri essentiā & creaturas. s. quia tunc non esset intuitiua creaturarum, sed solius Dei in quo uiderentur creaturæ tanquam in imagine, atque adeò non esset uisio earum. Sed uel dicendum, inquit, est quòd uisio terminatur collectiuè ad essentiam & creaturas immediatè, sicut cum quis uidet plures homines simul. Vel dicendum cum Henrico quòd uisio solum significat essentiam & Deus producit alias uisiones quas ei placet quibus beati uiderent creaturas.

OKam.

Secunda opinio. ¶Secunda opinio est quam Durand. d. prę senti. q. 3. recitat: nempe, quòd omnes usque ad minimum beatorum uident omnia quæ sunt in Deo, tam quæ sunt eminenter quàm quæ sunt formaliter. Ratio quā hæc sibi opinio posset obtendere, est ꝙ Deus, ut supra diximus, tam naturaliter repræsentat ea quæ sunt eminēter in ipso, quàm quæ

Tertia opinio Durā. quæ sunt formaliter. ¶Tertia opinio est ibidem Durandi inter ambas media, quæ duo asserit. Primum. Quicunq; beatus uidet in uerbo omnes creaturas quātum ad quod quid est: nempe quid est homo quid lapis &c. Omnes inquit, non solum quas naturaliter per causas secundas producere potest, uerum & quas potest supranaturaliter. Secūdum eius assertum est nullam creaturam quispiam beatorum in Deo cognoscit quantum ad existentiam. Itaq; in uerbo nemo cognoscit angelum aut hominem existere: neque beatos, neque nos, neque nostras orationes, aut quæ apud nos accidunt, sed eiusmodi existentias solum noscunt per creatas à Deo species & uisiones: ut aiunt Hēnri. & OKam. ¶Probatio eius est, quia eo modo cognoscuntur creaturæ in Deo, quo in ipso repræsentantur. Verbum autem repræsentat quidditates naturaliter & de necessitate: existētias uerò, libere: ergo respectu quidditatum non est uoluntarium speculum. sed solum respectu existentiarum: quare non est possibile uidere Deum quin uideantur quidditates. Secus autem de existentijs. Et probatur illa minor: quoniam Deus quidditates eo repræsentat quòd illas potest producere, sed non est in potestate Dei quin possit illas producere: ergo de necessitate illas repræsentat. Existentias uerò non repræsentat nisi quia in sua mera uoluntate est producere si libuerit. ergo non repræsentantur de necessitate, atque adeò nec per uisionem beatificam uidentur.

Quarta opinio Scoti. ¶Quarta denique opinio est Scoti in 3. d. 14. q. 2. Vbi licet de anima Christi loquatur, de omnib. tamen beatis id ipsum sentit. Cuius duo itidem sunt asserta. Primum anima Christi (acperinde quicunq; beatus) unica uisione uidet in uerbo habitualiter quæcunque in ipso eminenter continentur quantum ad essentias & existentias. Secundum est quòd non actu uidet omnia. Cognosce re habitualiter est quòd habet uirtutem repræsentandi quicquid Deus uoluerit, & quando uoluerit, quare illa uisio successiuè repræsentat nunc pauciora, nunc plura.

Conclu. ¶His ergo opinionib. ob oculos obiectis ad enarrandam quintam opinionem quæ est S. Th. & eruendam pro captu nostro ueritatem subijciuntur alię conclusiones. Sit ergo ordine tertia circa primam opinionem. De potentia Dei absoluta non repugnat beatum in Deo illa præcise uidere, quæ sunt formaliter in ipso. Conclusio est Durando contraria. q. 3. nihilominus probatur ex arti. præcedenti. Dictum enim est quòd quanto lumen gloriæ maius minusve est, tanto beatus plura pauciora ve uidet in uerbo: hoc autem de his quæ sunt in ipso formaliter intelligi non potest: ergo de alijs intelligitur, quæ in ipso sunt eminenter: igitur si quis potest pauciora illorum uidere quàm alius, tam remissum esse potest lumen, ut nihil eorum uideat in uerbo. Et hucusque pertingit, quòd Deus sit speculum uoluntarium.

Visio uerbi omniū minima. ¶Ex quo fit illam uisionem esse omnium imperfectissimam, ut ait inibi Duran. quæ posset haberi de Deo: quandoquidem nulla potest pauciora repręsentare quam quę sunt in ipso formaliter. Sed ait quòd talis uisio non est admittenda: & ratio eius est, quia tunc Deus non uideretur perfectè: causa enim non cognoscitur nisi cognoscatur eius potestas ad effectus. Cum ergo Deus sit omnium causa, non potest uideri perfectè nisi eius uideantur effectus. Et quo eius argumentum maius habeat robur, sic confirmatur. Inter alia attributa Dei hoc est unum, quod est eminenter omnia continens: dictum autem est, quòd nō potest uideri nisi uideantur omnia quæ formaliter sunt in ipso: ergo uidens Deum uidet Dei eminentiam, & creaturarum continentiam, atque adeò creaturas. ¶Item Deus est obiectum tam naturaliter repræsentans creaturas, quàm se: quia est eminēter omnes. ¶Respondetur autem hoc argumentum concludere non posse uisionē Dei non repræsentare in ipso creaturas in uniuersali & in ratione generica: quoniam uidens Deum uidet eius omnipotentiā & cuncti sapientiam: atque adeò quòd possit cuncta possibilia producere. Sed tamen tā remissum potest esse lumen, ut non uideat creaturas in particulari puta, Angelum hominem, equum &c. Quocirca conceditur non esse illam perfectissimam uisionem: quia non solum non est comprehensiua, uerum nec tam perfecta quàm uisiones quæ nunc sunt beatorum. Sed nihilominus si talis daretur uisio esset tam perfecta quantum sufficeret ad beandum uidentē. Iuxta illud uerbum Augustini. 5. confessionum. Beatus qui te scit, & si alia nesciat.

¶Ad postremum uerò respondetur, quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus naturaliter quantum est de se repræ sentat creaturas sicut se ipsum. Sed inde so lum sequitur, quòd qui eum comprehende ret sicut se ipsum comprehendit, non pos set non uidere cunctas creaturas in ipso. Secùs ille qui eum non comprehendit. Ve luti qui non comprehendit principiũ non in eo uidet omnes conclusiones. ¶ Quarta conclusio contra eandem primam opinio nem. Secundum legem ordinariam nulla est beatorum uisio qua illa præcise uidean tur, quæ sunt formaliter in Deo: nam pri mùm de anima Christi nõ est dubiũ quin omnia illic uideat quæ ad mysterium re demptionis attinẽt. Imò & beatus Petrus illa etiam quę attinent ad suam ecclesiam. Et singuli beatorum ea quæ cuiusque sta tui competunt, ut illico explicatius eluci dabitur. ¶ Sed probatur priùs conclusio etiam aduersus Okam. Essentia diuina nõ solum, ut dictum est, existit creaturarum causa, uerum eminenter omnes illas con tiner. Neque uerò, ut ipse cum suis nomi nalibus censet, continere eminenter est es se excellentioris naturæ. Ista enim ratio ne etiam homo continet creaturas se infe riores, quia illas excedit. Imò continere e minenter omnia est proprium Dei, quia quatenus est infinitus est eminenter om nia. Et inde prouenit, ut sit omnium fons & origo. Quocirca creaturæ perfectius in ipso repræsentantur quàm in se ipsis. Vn de quãuis Augustinus & reliqui patres ap pellent Deum speculum creaturarum, nõ tamen est omnino, ut creata specula quæ species à rebus suscipiunt, quas reflectunt. Deus enim non suscipit à rebus species, imò priùs perfectiusque creaturæ sunt in Deo quàm in se ipsis. Quocirca creaturæ potiùs sunt specula Dei: nempe ipsum tan quam ipsius effectus repręsentantes. Quẽ admodum 1. ad Cor. 13. ait Paulus. Vide mus nunc per speculum in ænigmate, sed dicitur Deus speculum eo solo quòd repre sentat creaturas, ut causa. Hinc ergo colli gitur argumentum. Deus est omnia: ergo uidens ipsum uidet creaturas quatenus se cundũ proportionem sui luminis plus mi nusue perspicuè uidet Deum. Et ideo nega tur uisionem illam non esse notitiam intui tiuam tam creaturarum quàm ipsius Dei. Enimuerò Deus in se ipso intuetur creatu ras: ergo uisio sui ipsius est uisio creaturarum, atque adeò notitia earum intuitiua.

4. Concl.

Aduersus Okam.

Deus speculum.

¶ Sed redarguis. Speculum creatum non ui detur per easdem species per quas uiden tur res in ipso: ergo nec Deus & res in ipso eadem specie uidentur. Negatur cõsequen tia: nam res in speculo creato non uiden tur nisi per proprias earum species, quę in ipso refranguntur: speculum uerò per pro priam ipsius. Sed tamen in Deo uidentur creaturæ per ipsum Deum, qui est earum species: & ideo eadem uisione uidẽtur qua ipse. Atque hoc modo intelligendum est uerbum D. Tho. 1. par. q. 12. art. 9. scilicet quòd per unam speciem uidetur speculum & ea quæ in ipso apparent. ¶ Et confirma tur illo uerbo Gregorij supra citato. Quid non uident qui uidentem omnia uident? Sensus enim est, quòd quemadmodum ip se in se ipso omnia uidet, Ita beati in ipso ea uident quæ ad cuiusque mensuram atti nent. ¶ Tertiò & conclusio probatur ex il la celebri sententia Aug. 12. de genesi ad li teram, atq; alijs locis. Ait enim quòd bea ti creaturas duplici uisione uident, nempe matutina & uespertina. Matutinam noti tiam creaturarum appellat illam qua ui dentur in uerbo, & uespertina qua uidẽtur in proprio genere, scilicet, per species crea tas, quas in uia acquisierunt, uel Deus illis infundit quãdo opus est orationes nostras uel aliud quippiam eis, quod non uidebãt, reuelare. Imò & angeli superiores, ut dixi mus, aliquando reuelant aliqua inferiori bus per nouas species. ¶ Ad hæc cum Deus sit secundum Aug. speculum uoluntarium, & non respectu eorum quę in ipso sunt for maliter, ut dictũ est, sit ut sit respectu crea turarum quæ ideo per Dei uisionem uidẽ tur in ipso. ¶ Sed uide lepidam solutionẽ Okam. Ait quippe quòd quanuis per uisio nem Dei nulla uideatur creatura, nihilo minus, quia simul cum illa uisione Deus producit creaturarum notitias in beatis, dicitur speculum uoluntarium, & per illas uisiones quatenus ab ipso productæ sunt, dicuntur creaturæ uideri in uerbo, atque adeò censentur matutinæ cognitiones.

¶ Hæc uerò, ut bona uenia dixerim, inep tiora sunt, quàm ut sint impugnatione digna. Enimuerò ratio speculi est esse obiectum: nihil ergo uidetur in uerbo, quin uideatur tanquam in obiecto atque adeò per eandem uisionem, qua ipsum ui detur. Neque alia duci potest matutina no titia: quandoquidem matutina non sit nisi illa

Gregor.

Cognitio metutina & uespertina.

Solutio Okam.

fortissimũ argumen.

D. Thom.

Vnũ omnẽ uidean tur.

Conclu.

illa in qua essentialiter consistit beatitu do: nempe quæ est notitia ipsius lucis in se ipsa: nam uisio, quæ fit per species creatas, non est de essentia beatitudinis: & ideò di citur uespertina. Negari ergo non po test beatam Dei uisionem creaturas in ip so repræsentare. Cuius contrarium toti theologię aduersatur. ¶ Et quando aliud non esset argumentum, hoc certè satis es set, quòd Christus inquantum homo, & quatenus redemptor, ac perinde iudex ui uorum & mortuorum, cognoscit omnia opera nostra, etiam cordiũ cogitationes: utpote de quibus debet iudicare, quin ue rò & creaturas omnes, quibus bene aut ma lè utimur: cognoscere autem tam multa in proprio genere per species diuersas, atque adeò simul ad omnia aduertere, cùm ani ma eius sit finita, quæ habere neq it spe cies infinitas non est creditu possibile. Co gnoscit ergo illa per beatam uisionem in uerbo. Atque hac ratione D. Tho. 1. par. q. 12. artic. 6. probat, quòd uidẽtes Deum non uidentur per aliquas creatas similitu dines, sed per ipsam essentiam intellectui præsentem, quæ est omnia eminenter.

¶ Supposito ergo quòd beati non solum il la quæ in ipso sunt formaliter, uerùm & il la quæ in ipso sunt eminenter uident, sub sequitur ut examinemus utrum uideãt om nia, ut dicebat secunda opinio. Nam tunc argumẽtum Henrici uidetur energiam ha bere cõcludendi intellectum creatum pos se comprehendere Deum.

¶ Statuitur ergo contra secundam opinio nem quinta conclusio. Nullus fœlicium il lorum cælicolarũ intellectus uidet in Deo distinctè omnia quæ in ipso eminẽter con tinentur. Hæc est sententia & conclusio S. Tho. 1. part. q. 12. artic. 8. Imò uidetur te stimonijs sacris satis firmari. Angeli nan que apud Esa. cap. 63. Christum intuentes ascendentem de terris hæsitantes legun tur interrogasse. Quis est iste qui uenit de Edom tinctis uestibus de bosra? Vbi faten tur mysteria redemptionis non prorsus in uerbo uidisse. Et 1. Corinth. 2. Quis homi num scit quę sunt hominis nisi spiritus ho minis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei. Vnde col ligitur beatos non nosse cogitationes no stras aut aliorum beatorum, & multo mi nùs penetrant spiritum Dei, ut eius cuncta cogitata sunt eis peruia. Et Matth. 24. De die illa (scilicet, Iudicij) nemo scit, neque angeli de cælo, nisi solus pater. Secundò cum supra citatus Augustinus dicat Deum esse uoluntarium speculum, nõ omnia om nibus quæ in ipso sunt detegit, & tamen se cundum istam citatam opinionem omnia quæ sunt in ipso tam eminenter quàm for maliter essent cunctis naturaliter patula. ¶ Vnde deniq; consequeretur, quòd Deus nemini beatorum posset nouas facere re uelationes aut orationum nostrarũ, quas ad ipsos fundimus, aut aliarum rerum quæ nobis accidunt: sed omnia in Deo perinde ac in se ipso perspicerent, quod fas non est opinari. ¶ Rationem aut ex rerum natura (quod suum fœlix ingenium est) deducit lo co citato D. Tho. hoc modo. Si beatus cun cta quæ in Deo sunt, non modo formali ter, sed eminenter conspiceret, fieret inde consequens eiusmodi intellectum compre hendere Deum. Et probatur. Illa quæ emi nenter sunt in Deo cõtinentur in ipso tã quam effectus in causa, & tanquam conclu siones in aliquo principio. Sunt enim om nes creaturæ sicut radij illius lucis, quam ut ait Paulus, Deus habitat inaccessibilẽ. Vnde Iacobus Apostolus. Omne datum optimum & omne donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum. Quanto uerò principium aliquod luculen tius perfectiusq; uidetur, tanto plures ibi dem effectus conspiciuntur. Qui enim acu mine ingenij & perspicacitate posset in u no sibi principio proposito, subitò pluriũ conclusionum inspicit ueritates, quas si e betioris esset ingenij non antea intellige ret, quàm sibi singulæ explicarentur. Ille igitur intellectus qui uiso principio om nes effectus omnesq; effectuum rationes contueretur, illud comprehenderet: nul lus autem intellectus creatus, ut dictũ est, plenè ualet Deum comprehendere: nullus ergo ipsum cernendo omnes eius perspi cit effectus, qui in ipso eminenter cõtinen tur. Sed eorum quæ facit & facere potest eo quisque plura cognoscit quo eum per fectiùs cumulatiori lumine gloriæ uidet.

Ratio con clusionis.

¶ At uerò contra hanc conclusionem non pauci insurgunt: & primò uidetur ad comprehendẽdu ipsum Deum neutiquam requiri quòd omnes eius effectus cogno scantur in ipso, nec uerò sufficere. Etenim ad comprehendendã creaturã, ut ad cõpre hendendum solem, non est necesse omnes

Obiectio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eius possibiles effectus distinctè & in particulari cognoscere. Angelus enim profectò uidetur solem posse comprehendere, & tamen difficile est creditu quòd omnes eius effectus in indiuiduo distinctè cognoscat. ¶Secundò dictum est art. 1. non sat esse ad comprehensionem, ut res tota cognoscatur, sed præterea exigi, quòd clarissima notitia ex qua ex sua natura est cognoscibilis, cognoscatur. Quare enunciatio per demonstrationem scibilis non comprehenditur dum opinione cognoscitur.

Solution. ¶Ad primum respondetur quòd S. Tho. non dicit illud esse requisitum, ut omnes effectus cognoscantur, sed quòd illud sufficit: nempe, quòd qui illos cognosceret cõprehenderet causam. Secundò respõdetur quòd diuersa est ratio in Deo quã in creaturis: quoniam in causa creata non relucẽt omnes effectus possibiles in indiuiduo, sed in confuso: uidelicet in potentia producendi res huius uel illius speciei: quare ad illã comprehendendum satis est illa eodẽ modo effectus in ipsa cognoscere. In Deo autem, quia est eminenter omnia, uniuersa distinctè & in indiuiduo relucent: & ideo ex natura sua est sic cognoscibilis, ut distinctè in eo cognoscantur: atque adeo non antea comprehẽditur, quàm sic in eo cognoscantur omnia. Imò & principium intelligibile in creaturis forsan non comprehenderetur nisi cognoscerentur omnes conclusiones distinctè, saltem illæ quæ proximè & immediatè ex illo eliciuntur: ob idque hoc D. Thom. exemplo usus est.

Notãda solutio. ¶Secundum uerò argumẽtum multis scholæ D. Tho. difficile apparet, arbitrantibus sibi se esse contrarium, cum priùs dixerit non satis esse totam rem cognoscere ad comprehendendum & post contrarium. At uerò S. Doctor minimè secum pugnat: imò docte sibi constat. Etenim si contingere posset, ut quis omnia uideret quæ sunt in Deo formaliter & eminenter, & tamen non id infinita claritate notitiæ cognosceret, profecto minimè ad comprehendendum sufficeret. Sed tamen adeò sunt ambo connexa, ut neutrum absque altero esse ualeat: imò qui distinctè sic omnia cognosceret, infinita notitia & claritate Deũ cognosceret, qui adeò solus potest esse ipse Deus. Et idem esset de principio creato si quis in eo omnes eius conclusiones inspiceret.

¶Nihilominus Scot. in 3. d. 13. q. 2. rationem D. Tho. inficiatur. Ait quippe quòd quanquam qui perfectius cognoscit causam plures cognoscit effectus, non tamen conuertitur, ut qui plures cognoscit effectus perfectiùs cognoscat causam. Primò, quia causa ab effectu nullam recipit perfectionem, atque adeò nec cognitio principij perficitur ex plurium conclusionum cognitione. Quare neque exemplum, inquit D. Thom. legitimum est: quia potest quisque cognito principio in aliquo gradu cognoscere postmodum aliam conclusionẽ, quam priùs in ipso non nouerat, non aucta eiusdem principij cognitione. ¶Respondetur argumenta æquiuocatione laborare: cognoscere nanq; effectus stat dupliciter: uno modo in se ipsis, atque altero in suo principio. Ex cognitione ergo effectuum ipsis non augetur cognitio principij: & hoc est quod probat Scotica ratio: quia causa ab effectu nõ perficitur. Et hoc modò potest cognito principio in uno gradu nouus effectus cognosci non aucta cognitione principij, sed tamen quando effectus cognoscũtur in suo principio, quanto plures illic cognoscuntur tanto perfectiùs cognoscitur principium. Neque potest nouus postmodum in eodem principio cognosci, quin pficiatur cognitio principij. Hoc enim non est causam ab effectu perfectionem recipere, sed penitiùs per cognitionem uirtutem eius penetrari.

Scotus. Cognoscere effectus dupliciter.

Alia obiecto. ¶Arguit præterea contra. Quando duæ perfectiones uni rei competunt & secunda ratione prioris, tunc si res illa non comprehenditur cognita priori perfectione, non comprehendetur etiam si posterior cognoscatur: in Deo autem ratione infinitatis & omnipotentiæ conuenit ut creaturæ sint eminenter in ipso: uidentes autem infinitatem, & omnipotentiam Dei ipsum non comprehendunt: ergo nec quanquam in ipso uideant distinctè creaturas.

Scotus. ¶Respondetur, quòd si infinitas & omnipotentia comprehenderentur, non uisis distinctè creaturis, satis esset ad comprehensionem Dei: sed tamen quod nos dicimus est, quòd neque infinitas neque omnipotentia neque aliquod attributum quod habeat ordinem causæ ad extra, comprehenditur nisi in ipso cognoscantur omnia quæ eminenter continet. ¶Igitur si uidentes

6. Conclu. tes Deum uident ea quæ in ipso sunt non solum formaliter, uerum eminenter, inuestigare restat quæ nam uident, & quæ non uident. Sit ergo sexta conclusio circa tertiam opinionem quæ fuit Durandi. Vniuersi beati uident in uerbo omnes quidditates rerum naturalium, non tamen rerum supernaturalium, ut arbitratur Durandus. Hæc ét est conclusio. D. Th. eod. art. citato in solu. ad 4. Et probatur utraq; pars. Illa beata uisio satiare omne debet naturale desiderium: omnes aũt naturaliter scire desiderant species, & genera rerum naturaliũ, & rationes earum, quia horum cognitio ad perfectionem intellectus naturalẽ pertinet: ergo omnia illa cuicunq; beato sua demonstrabit uisio. Veruntamen quia naturale desiderium ad supranaturalia mysteria & arcana Dei non exurgit, nõ opus est ut uidentes Deum illa, quæ supranaturaliter producere ualet, inspiciant, sed sicut Deus uoluerit reuelare. Falsum ergo est Duran. assumptum: nempe quòd beati uideant in Deo res quẽadmodum naturaliter repræsentantur: nam ex creaturis non uident nisi secundum luminis quantitatẽ, quod Deus beatis pro ratione iustitiæ distributiuæ admetitur. ¶Septima conclusio aduersus eundem autorem. Quanuis non omnes beati omnium existentias in uerbo uideant, quorum quidditates inspiciunt, nihilominus multa uident, etiam quoad existentiam. Hæc conclusio satis in quinta fuit demonstrata. Negari enim non potest quin Christus, non modo quidditates, uerum existentias rerum in uerbo uideat, de quibus iudicaturus est: nam peccata & merita non sunt in quidditatibus, sed in ipsis operibus, & tam innumerabilem rerum numerum non potest per proprias species uidere. Fallax ergo est consequentia Durandi quòd propterea quòd rerum existentiæ non sunt nisi in uoluntate & libertate Dei, beati illas non uideant: nam & uoluntas ipsa quam uident, uoluntarium speculum illarum rerum est. Quocirca quemadmodum Deus in se ipso, non modo rerum quidditates, uerum & existentias intuetur: ita & beati in ipso. Vident ergo beatorum singuli in diuina essentia, eadem ratione, qua naturalium quidditates, existentias quoque rerum, quæ ad suos eiusque status attinent.

7. Conclu. ¶Sed tamen ad huius pleniorem intelligẽ

tiam subiungitur aduersus Scotum octaua conclusio. Visio beata, siue animæ Christi, siue alius cuiuslibet, non repræsentat per modum habitus, sed per modũ actus. Inest quidem eatenus per modum habitus quòd est perpetuo permanens uelut res in corruptibilis. At uerò repræsentatio eius non est nisi per modum actus. Opinatur Scotus, quòd quemadmodum habitus sciẽtiæ, nunc pauciorum, nunc plurium actuales assensus producit: ita & per eandem uisionem, seu animã Christi, seu quicunq; alius beatus, nunc pauciora uidet, & postea plura, & postea pauciora. Itaque dũ Deus reuelat beato orationes, quas in hac uita ad ipsum funduntur, non id facit aliam illi infundendo notitiam uel speciem, sed quia est speculum uoluntarium per illam uisionem incipit tunc beatus in illo illas orationes uidere. Et sic de alio quocunque apud nos euentu, quem ad statum beati nosse pertineat. Contra hanc ergo opinionem, statuta est nostra conclusio, quæ est S. Tho. 1. part. q. 12. art. 10. Vbi docet, uisionem beatam simul omnia quæ in uerbo uidet cognoscere: imò hoc tanquàm notum supponit, quæ etiam sententia fuit Aug. ult. lib. de trini. ubi ait, Non erunt uolubiles nostræ cogitationes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes: sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu uidebimus. Quare D. Tho. solum possibilitatis modum exponit. Nam quòd conclusio sit uerissima, patet: quoniam uisio illa non est habitus, sed certè actualis notitia, sicut uisio corporalis in oculo, & iudicium in intellectu. Imò est notitia intuitiua, ut nomẽ ipsum uisionis admonet: impossibile ergo est cogitatu, cum sit actualis notitia obiecti semper præsentis, quomodo nunc plura, post uero pauciora, & è conuerso, repræsentet. ¶Secundò ad id arguitur. Visio illa est actualis notitia per Deum in ratione speciei genita: ergo habet naturam ipsius Dei, tanquàm eius participatio. Atq; adeò sicut Deus actu in se omnia uidet, ita & beatus in ipso illa, quæ per eandem uisionem, intuetur.

Opinio Scoti

Ratio conclusionis.

Ratio. 2.

Ratio. 3. ¶Ad hæc. Visio illa in ratione notitia est incorruptibilis: ergo eadem ratione est in uariabilis, nam omne uariabile est corruptibile. Si autem in ratione notitiæ est inuariabilis, profectò non potest diuersa succeßiuè repræsentare.

Ratio Scoti.

¶Neque cogitare possum, quæ nam ratio mouit Scotum, quàm quòd beatis Deus in diuersis temporibus recentes reuelationes inspirat. Veruntamen respondetur, illas nouas reuelationes non facere in uerbo, sed per proprias species: sanè cum ad essentiam beatitudinis non pertineant, sed sint illi accidentariæ, & aduentitiæ. Imò & inferioribus angelis ministerio superiorum, ut ait Dionysius, multa reuelat: & eadem fortè ratione, animabus inferioribus ministerio superiorum: quæ ideò reuelationes non possunt fieri in uerbo. Quocirca orationes nostras, ad sanctos effusas, Deus illis, non in uerbo, sed per proprias species reuelat. ¶Aliud dubium, neque dignum, quod silentio prætermittatur, ex his quæ dicta sunt, emergit. Vtrum uisio beata sit simplex, an complexa, sitq; tantum apprehensiua. ¶Subiungitur ergo nona conclusio. Visio quæcunq; beata est notitia simplicissima, eademq; apprehensiua, & simul iudicatiua. Probatur. Primò ex nomine ipsio uisionis: uisio enim in creaturis simplex notitia est, pariter & notitia apprehensiua intellectus: cur ergo in beato non erit simplex? Et cõfirmatur. Notitia enim simplex perfectior est cæteris paribus, quàm complexa: quippe quæ propiùs, ad unitatem, & simplicitatem Dei accedens: quanuis in creaturis per accidens notitia complexa sit perfectior, eo quòd iudiciũ non habetur nisi per enunciationis compositionem: sed est propter imperfectionem status, quia non possumus complexa enunciationum nisi pluribus notitijs apprehendere. Cum ergo uisio beata sit Dei participatio, consequens sit esse simplicissimam. ¶Quòd autem sit etiam iudicatiua, probatur. Nam constantissimum est, beatum cognoscere quæ in uerbo uidet: cognitio autem non est perfecta nisi sit iudicium.

¶Item uisio illa cuncta explet beatorum desideria: desiderium autem nostrum non est tantum uidere Deum, sed iudicare quis quantus, qualisque sit: ergo beatus illa omnia iudicat. ¶Ad hæc. Visio illa, ut diximus correspondet fidei: fides autem, non solum apprehensiua cognitio est, uerum & iudicatiua omnium articulorum: talis ergo est uisio. ¶At uerò forsan quis, rationes has eludere sic contendet, quòd licèt beatus omnia illa iudicet, non tamen per uisionem, quæ solum est simplex apprehensio, sed per iudicia, quæ ab eadem uisione dimanant. ¶Hic autem elusorius cauillus est: quoniam beati tam multa iudicia diuersa simul habere non possunt, nec uàlerent per omnia simul aduertere: ergo non iudicant nisi per uisionem. Præterea. Illa producta iudicia essent creata, atque adeò non pertinerent ad essentiam beatitudinis, neque essent cognitiones in uerbo: plura ergo est per eandem uisionem cũcta beatum iudicare. Vnde D. Tho. articulo illo. 10. citato hoc tacitus præsupponens, declarat quomodo sit possibile. Nos enim inquit, in hac uita ob id non possumus plura simul intelligere, ut ait Philosophus, quod per plures species illa cognoscimus & intellectus non potest simul pluribus speciebus informari, & actuari, ad intelligendum plura sicut unum corpus, non potest pluribus coloribus simul pingi.

¶Sed obiter huius Aristote. axioma, quod multis negotium facessit, exponam. Ait enim quòd contingit plura scire, intellige re uero non. Hoc est plures simul habere sententiarum habitus, non tamen per omnes simul intelligere. Vnde aliqui eliciunt quòd licèt corporalibus oculis, plura simul uideamus: nempe homines, libros, & sedes, atque alia suppellectilia, quæ in eadem sunt aula: illa tamen intellectus non simul intueri ualet per diuersas illorũ species. Sed hoc tamen est negare experientiam & sensum ad quod neq; Aristotelis, neq; ulla doctorũ autoritas non pót cogere. Snia ergo Arist. non fuit nisi quòd cum intelligere sit rẽ intus, atq; adeò perfectè cognoscere, non possumus ad plura simul attendere perfectè: imò attẽtio tũc remittitur: quia plurib. intẽtus, minor est ad singula sensus. Nihilominus sicut corpus in gradib. remissis pót recipere qualitates cõtrarias: ita pót intellectus ad plura remisse simul attendere. At uerò quando illa plura cognosci per eandem speciem, ut plures partes per speciem totius, aut conclusionẽ per suum principiũ, non remittitur attentio, quin possit perfectè simul & principiũ & conclusio intelligi. Eodẽ ergo modo in beati uisione: quia omnia uidentur per unicã speciẽ, quæ est Deus, atq; intuitiua eiusdẽ uisionis, beatus simul plura perfectissimè intelligit, ac de omnibus simul iudicat, omnibusq; simul fruitur. Nec temporibus ullã successionẽ expectat, sed est, uelut stella actuali

Visio est indicatiua.

Alia ratio.

Cauillus.

D. Tho.

Non possumus plura simul intelligere.

actuali Dei lumine semper plena, semperq; absque ullo fastidio satiata.

¶Colligamus ergo in epilogum quæ dicta sunt, decimam adhibentes conclusionem. Oẽs beati uident in uerbo, quantum ad rem existentias, quotquot ad suum cuiusque statum pertinent. Hoc. n. est beatitudo, ut diximus. Status oĩum bonorum aggregatione perfectus. ¶Igitur aĩa Christi, qui est primo genitus in multis fratribus, quinetiam unigenitus patris, uidet in uerbo oĩa quæ Deus uidet scientia uisionis, Conclusio est S. Th. 3. par. q. 10. art. 2. Illa dicitur Deus uidere scientia uisionis, quæ secundum aliquam temporis differentiã, existunt. Nempe oĩa quæ sunt, uel fuerũt, uel erunt, sed illa cognoscit simplici intelligentia, quæ esse possunt, licèt nunquàm erunt. Quare scientia uisionis nõ auget supra scientiam intelligentiæ nisi præsentiã rerum, non solum in uerbo, sed in se ipsis. ¶Probatur conclusio. Quia quatenus est iudex uiuorum & mortuorũ debet inquantum hõ cognoscere mortales uniuersos, suaq; oĩum opera & cogitatus. Vnde illud Ioan. 2. Ipse. n. sciebat quid esset in hoie, non solum inquantum Deo, uerum inquãtum homini ei tribuendum est. Et cũ mundus corporeus propter hoiem factus sit, & in opere redemptionis, angelorum ẽt ministerio fuerit usus, ad ipsum, cui subiecta sunt oĩa, spectat præterita, præsentia & futura cognoscere in uerbo. Fuit. n. agnus (ut Apoc. 5. legitur) qui dignus est accipere diuinitatem & sapientiam, hoc est omnium cognitionem ut explicuit glosla. Nõ tamen nouit oĩa quæ Deus facere potest alioquin diuinam essentiam uisione creata comprehenderet. ¶Post ipsum ẽt beata uirgo in uerbo uidet tanto plura quocunque alio quanto maiori lumine gloriæ perfunditur. Et D. Petrus, qui fuit ecclesiæ uicarius præcipua gesta eorum quæ in ecclesiastica administratione fiunt, & D. Dominicus ea quæ ad suum attinent ordinem: & D. Franciscus ea quæ ad suum spectãt: & sic de unoquoque dicendum. Tametsi quanuis nemo nisi Deum præcise uideret, id ei ad æternam fœlicitatem sat esset: iuxta illud Aug. 5. confessionum. Infœlix homo, qui scit omnia illa, scilicet creaturas, te autem nescit. Beatus autẽ qui te scit, ẽt si illa nesciat. Qui uerò te & illa nouit, non propter illa beatior est, sed propter te solum beatus. ¶Vnde quantumuis dignitate & præmijs beati disparẽs sint summa tamen concordia fruuntur, non solum singuli sua propria gloria, uerum & aliorum tanquàm proprijs. Vnde Aug. lib. de uirginitate cap. 26. super illud. In domo patris mei mansiones multæ sunt, glossat id est, uariæ præmiorum dignitates: sed erit etiã par gaudium, ut quod habebunt singuli commune sit omnibus par inquit ad hunc sensum, q̃ quilibet suo erit plenus, & contentus. Bona enim seculi huius: quia curta sunt & angusta, possideri ab omnib. simul nequeunt in pace. Quocirca quia cupidines, appetitusq; mortalium nimium exorbitant, naturæ legibus, decalogiq; mandatis, ceu quibusdam lineis & limitibus intercluduntur, ut quisque iure suo contentus, alienumve uiolet: hæreditas uerò illa cælestis, quia infinita est, omnium desideria complet: quare nemo alijs quod possident inuidet. Quinuerò quo plures illa fruuntur, eo se singuli fœliciores existimant. Est enim illic Deus omnia in omnibus, ut ait Apostolus. Super quo uerbo Aug. lib. 22. de ciui. Dei. c. 30. Ipse, inquit, finis erit desideriorum nostrorum, & subdit. Cæterũ qui futuri sint pro meritis ẽt gradus honorum, atq; gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quòd tamen futuri sint non est ambigendum. Arque id ẽt beata ciuitas illa, magnum in se bonum uidebit, quòd nulli superiori nullus inferior inuidebit: sicut nunc non inuident angelis angeli cæteri, neque in corpore esse uult oculus, qui est digitus: quia nemo illic uult esse, quod non accepit, sed pacatissimo concordiæ & charitatis uinculo ei, qui accepit erit obstrictus.

¶Argumenta in capite quæstionis proposita contra quintam conclusionem militare uidentur: contendunt enim probare quòd uidentes Deum per essentiam, uniuersa uideant quæ in ipso sunt, tam eminenter quàm formaliter, ut secunda tenebat opinio. Illud ergo Gregorij. Quid nõ uident, qui uidentem omnia uident? non sic intelligitur, quòd omnes uideant quicquid Deus uider, sed quòd cùm ipse quantum est de se sufficientissimum sit obiectum, quicunque in ipso quantum desiderat uidet: quia nemo plusquam pro sua dignitate uidere desiderat. ¶Ad secũdũ uerò negatur q̃ uidens speculum uideat omnia

10. Concl.

Anima Christi. S. Th.

Beatissima uirgo.

Nota de bonis huius seculi.

Augustꝰ.

Sol. 1. arg.

Sol. 2. arg.

nia quæ in ipso resplẽdent, nisi ipsum comprehendat. ¶Sed aliter arguitur. Plus est uidere Deum quàm omnia alia præter ipsum, etiam illa quæ Deus potest facere: qui autem uidet maius uidet minus si in ipso includitur: ergo uidentes Deum, omnia contuentur in ipso. Respondetur autem ꝙ licèt maioris perfectionis sit uidere Deum quàm omnes creaturas in se ipsis, perfectiùs tamen est sic uidere ipsum ut in eo uideãtur omnes quàm solum uidere ipsum. ¶Hinc autem exurgit aliud argumentum. Aliud arg. Cognoscere omnia quæ Deus potest producere in se ipsis, profectò nemo posset nisi uel infinitis notitijs uel una infinita: sed uisio quæcunque beata est perfectior quã esset illa, aut omnes illæ: ergo quæcunque uisio Dei est infinita, atq; adeò ipsius comprehensoria. ¶Quicquid sit de priori præmissa, quæ fortasse est uera, licèt sit impossibile tot notitias, aut tantam haberi, conceditur minor: nempe, quòd licèt tales notitiæ, aut notitia dari posset, quæ esset infinita, non esset tam perfecta quã uisio Dei: quia perfectio notitiæ attenditur ex parte obiecti, & infinitæ creaturæ, si essent possibiles in actu, non essent tã perfectę quàm Deus. Sed nihilominus uisio Dei creata est finitæ perfectionis, per quã ideò Deus non comprehenditur. ¶Ad tertium uerò Sol 3. arg. principale responsum est cõclusione octaua: ubi ostendimus beatam uisionem non repræsentare per modum habitus nunc plura nunc pauciora, sed per modum actus simul omnia.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm uisio Dei per essentiam omnia eminenter, & in uirtute contineat, quæ ad beatitudinem pertinent.

Vanuis ex superioribus facilè quisq; colligere id posset, quod hic interrogamus. Nihilominus ut explicatiùs contemplationẽ beatæ uisionis concludamus, quæritur utrùm eminenter & in uirtute contineat quicquid est ad supremam fœlicitatem expediens. Et arguitur ad partem negatiuam. Partis negatiuæ ar. primùm. Inter alia ad beatitudinẽ requiritur quòd sit adeò perpetua ꝙ amitti nequeat: illa autem uisio est ex natura sua amissibilis. Omnis enim perfectio inest perfectibili secundum modum ipsius: cum ergo homo, qui eius subiectum est, sit suapte natura mutabilis: illa etiã uisio erit mutabilis. ¶Secundò. Ad beatitudinem requiritur recta uoluntas, etiam perpetua: iuxta illud August. Beatus est qui habet quicquid uult, & nihil malè uult: illa autem beatitudo nó continetur in illa uisione: quoniam illa existẽte, cum uoluntas sit libera, potest ab amore Dei cessare. Vel dicendum est quòd uisio tollit libertatem uoluntatis, quod esset illam sua perfectione denudare. Quòd si potest cessare ab amore, potest etiam cessare à gaudio, quod tamen est de beatitudinis essentia: nam qui quod habet non amat, non oblectatur in illo. ¶Tertiò arguitur. Si uisio qua nunc animæ fruuntur cuncta contineret quæ ad beatitudinem pertinent, consequeretur: ut post corporum resurrectionem nequirẽt plura uidere in uerbo quàm modò uident aut intensiùs: consequens tamen esse uidetur aduersus illud Aug. 12. super Gen. c. 25. dicentis ꝙ anima separata appetitu administrandi corpus retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in summũ cælum. i. in uisionẽ essentiæ diuinæ. Vnde oẽs inferunt sanctos resumptis corporibus fore beatiores. ¶In Pars affirmatiua. contrarium est ꝙ beatitudo, ut dictum est, consistit in illa uisione: & tamẽ beatitudo, ut ait Boetius, est status omniũ bonorũ aggregatione perfectus. ¶Ad ueram & legitimam fœlicitatẽ, duo Aug. 13. de trini. c. 5. & 6. exigi docet, scilicet, & habere quod uis, & nihil malè uelle. Beatus est enim inquit, qui habet quicquid uult, & nihil malè uult. Horũ aũt primũ potiusq; est nihil malè uelle: nẽpe rectitudo uoluntatis. Qua re primũ omniũ, ut in cæteris actionibus præfigendũ est obiectũ beatitudinis, ut sit bonũ, quod est proprium uoluntatis obiectũ. Vnde mala, inquit, uolũtate, uel sola, quisq; miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malè uoluntatis impletur. At peruersitas naturæ nostræ est, ut cũ hæc duo ad beatitudinem requirantur, magis eligant hoies, ut omnia quæ uolunt habeant, q̃ ut omnia bene uelint, ét si non habeãt: cùm hoc posterius sit primum fundamentum, atq; omnium præstantissimũ in beatitudine. ¶Igitur ad cœlestem quæ uera est, beatitudinem tantum tria, quæ sint de eius essentia, requiruntur: scilicet uisio, amor, Duo ad fœlicitatẽ requisita.

amor, & gaudium'. Nam per uisionem habemus, quod amamus, & per amorem amamus quod optimum est. Et ideo per eius possessionem gaudium suscipimus, quod est honestissimum atque adeò illud suscipere, est summa fruitio. De qua ideo fœlicitate ait. 12. super Gen. ad literam Augu. Vna, & tota uirtus est amare quod uideas, & summa fœlicitas habere quod amas. Nó dixit summa fœlicitas est amare, sed habere quod amas. At uerò sicut amare illic rectitudinem dicit uoluntatis: ita & habere firmitatem, & possessionis perpetuitatem. Huic autem beatitudinis essentiæ insepa- Honor & gloria. rabilia accidẽtia sunt honor & gloria: quæ Deo sunt attributa necessaria: iuxta illud. 1. Timo. 1. soli Deo honor & gloria. Quod & de sanctis per participationem conueni re canitur, nempe in illo uersiculo psal. 8. Gloria & honore coronasti eum. ¶Corpo- Perpetuitas & recta uoluntas. ra uerò in quæ animarũ beatitudo per dotes effluat, & amicos: nimirũ sanctorũ consortiũ, accidentia sunt beatitudini accidentia. Sed tamen bona alia externa, quæ in hac animali uita ad fœlicitatem pertinẽt, ut bonorum possessio &c. nequaquam ad illam fœlicitatẽ spectãt, ut supra diximus: quia illa bona uel requiruntur ad sustentationem corporis animalis, uel ad operationes aliquas & officia, quæ per huiusmodi corruptibile corpus exercemus, in illa autem uita (ut. 1. ad Corin. 15. ait Paulus) non erit corpus animale, sed spirituale. Propositũ præsentis articuli. ¶Proponimus ergo præsenti articulo ostẽdere cuncta, quæ ad rationem ueræ beatitudinis attinent, in uisione tanquam in primo fundamento eminenter contineri, ut sit ipsa in uirtute status omnium bonorum aggregatione perfectus. Hoc autẽ sex conclusionibus explicabitur. Prima. Illa uisio est possessio omnium quæ rectè desiderari possunt. Hæc iam supra. q. 1. art. 3. est asserta, ubi monstratum est, ꝙ per uisionem Deũ apprehẽdimus: cùm intellectus sit potentia apprehensiua, non aũt uoluntas: & Deum, cùm sit intelligibilis, per aliam potentiam attingere & consequi non possimus. Per uoluntatem, n. amore eum quæri mus, & per uisionem adipiscimur. In quo subinde amantis uoluntas conquiescit. Iuxta illud can. 3. Quæsiui quẽ diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. Cùm uerò Deus, ut sæpè dictum est, sit eminenter omnia, quæ rectè desiderari possunt, per illam uisionem beatus habet quicquid recta ratione uult. Vt qua phrasi ait Gregorius. Quid non uident, qui uidentem omnia uidentẽ dicere quoque possimus. Quid non habet & possidet, qui eum qui omnia est possidet? Vnde Aug. loco supra citato lib. 22. de ciui. Dei. c. 30. super illud Esaiæ. Ego ero illorũ Deus, & ipsi erũt mihi plebs, ait. Quid hoc est nisi ego ero unde satientur, ego ero quæcunq; à bonis honestis desiderantur, & uita, & salus, & uictus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? ¶Secunda conclusio. Visio beatrix 2. Concl. suapte naturæ est perpetua. Hanc conclusionem aduersus priscos in primis hæreticos, sed & quodammodo aduersus quosdã catholicos constituitur. Fuerunt enim Origenianistæ ab Origene Adamantio dicti: inter quorum alios errores Epiphanius, & secundum eum August. in lib. de hæresibus c. 43. Vnum hoc referunt, cuius supra dist. 45. q. 2. arti. 2. meminimus, & sicut damnati possunt quandoq; liberari, & ad fœlicitatem transire: ita & beati possunt de sua fœlicitate in miseriam incidere. Sed hæc hæresis adeò est demens, ut uix credatur in illa Origenem permansisse. Quanuis illius etiam meminerit D. Tho. 1. 2. q. 5. arti. 4. At uerò inter catholicos quanuis nullus sit, qui nó fateatur uisionem illam esse perpetuam: dicunt tamen nonnulli id non suapte habere natura. Sed quia Deus pro suo (ut aiũt) beneplacito uult illam perpetuò conseruare. Cõtra quos asserimus hoc ex suo ipsius habere natura. Etenim qui aliter loquuntur, non satis uisionem illam pro sua dignitate æstimant. Illo enim pacto & ego, & corruptibilium quodcunque posset esse perpetuum. Conclusio uerò nostra asserit quod uisio illa est perpetua, ueluti angeli & cælorum orbes. Angelorum enim quanuis Deus supra naturam creando condiderit, dedit nihilominus ei substantiam & esse natura sua perpetuum. Itaque sine speciali auxilio Dei perpetuo est duraturus: sicuti animæ nostræ & cœli, quæ ideo res miraculum essent si finem haberent: quia nequeunt nisi per anihilationem finiri. Homines uerò & corruptibilia mixta uice uersa, quia corruptibilia sunt, nequeunt per concursum Dei generalem perpetuo subsistere, sed supranaturaliter per specialem Dei concursum. Igitur sicut angelus, sic & uisio beata, quanuis supranaturali- Visio beata suapte natura perpetua. 1. Conc.

ter

ter sit producta: nihilominus (sicut lumen ipsum gloriæ) suapte natura est incorrupti bilis. Itaque naturale est ei semper existe re, & si corrumperetur, esset supranaturale miraculum. Probatur conclusio. Illa uisio est uita æterna: ergo sicut natura sua est es se uitam, ita & suapte natura est æterna.

Probatio.

¶Secundò. Quia uisio naturam insequitur speciei per quam producitur: illa autē pro ducitur à Deo concurrente, non solum ut concurrit ad propagationem corruptibi lium, sed in ratione speciei: ergo & uisio il la inde incorruptibilitatis sortitur naturā.

Ratio. 2.

¶Tertiò ad idem arguitur cùm D. Thom. loco citato. 1.2.q.5.arti.4. Si illa esset natura sua corruptibilis, aut ex parte Dei id proueniret, aut ex parte libertatis subie cti, nempe uidentis, aut ex parte alicuius agentis contrarij. Non ex parte Dei: quo niam subtrahere uisionem illam esset pœ na, postquam illa confertur in præmium: pœna autem à Deo æquissimo iudice, non nisi propter culpam infligitur: culpa uerò illic, cùm uoluntatis rectitudo, ut statim di cemus, sit ex illa uisione necessario conse quens non potest accidere: ergo Deo ces sante illam conseruare non est corruptibi lis. Quinimò in sensu composito, ut illam postquam cōtulerit auferat, bonitati Dei, ac perinde fidei, qua fidelis est, apertè repu gnat. Quapropter si omnipotentia Dei in finita bonitati eius, fideiq; & cōstantiæ di ctorum alligata consideretur, non potest per talē potentiá illa uisione beatos expo liare.

Ratio. 3.

Nō est cor ruptibilis ex parte Dei.

¶Quod aūt nec ex parte libertatis subiecti illa sit corruptibilis, probaē. Quo niam qui bono carere optat, quod possi det, aut hoc facit quia bonum illud insufi ciens iudicat, aut aliquod habens annexū incommodum, propter quod illud fastidit: uisio autem diuinæ essentię animam bonis omnibus cōplet: quippe quam summo fon ti totius bonitatis cōiungit. Vnde in psal. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Et Sa pien. 7. Venerunt mihi cuncta bona pari ter cum illa, nempe cū illa diuinitatis con templatione. Quòd autem nihil habere queat incōmoditatis annexum, probatur. Nā in fonte illo bonitatis, ut omnis est bo norū sufficientia, ita neq; pōt quippiam in cōmodi apparere. Vnde Sapien. 8. Non ha bet amaritudinem conuersatio illius nec tædiū conuictus eius, sed lætitiam & gau dium. Quapropter nullum ex illa satietate

Ex parte subiectinō est corruptibilis.

potest fastidium suboriri. Vnde Ecclesiasti ci. 24. Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient: quoniam quanto magis eius dulcedo cognoscitur, tanto aui dius percipitur. Vnde Aug. lib. illo pluries citato. 22. de ciuita. Dei c. 30. Ipse, inquit, finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine uidebitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. ¶Sunt uerò qui di cunt uoluntatem ob id solum, ut suam ex periatur libertatem, posse ab illa uisione delidere, nisi Deus supranaturaliter illam retineret, atque adeò colligunt illam uisio nem suapte natura non esse perpetuam.

Quorūdā obiectio.

¶Attamen isti non animaduertunt liber tatis amplitudinem, quātumuis magnam, infra limites obiecti uoluntatis esse inter clusam, neque foras egredi posse: obiectū autem uolūtatis respectu uolitionis est bo nū, saltem apparens, & respectu nolitionis malum. Quapropter nisi experientia liber tatis sub ratione boni repræsentetur, neutī quam uoluntas eadem potest uti libertate: uoluntati autem uidentis Deum sub nul lius potest ratione boni repræsentari, ab il la uisione cessare: atque adeò nec liberta tem in hoc experiri: quare neque ab illa ui sione desistere potest.

Visio beata nulli sub ditur contrario.

¶Cæterùm neque ullius tertij agentis uir tute potest eadem uisio uel mutari, uel de perire. Probatur. Mens per illius uisionis celsitudinem Deo coniuncta super omnes eleuatur creaturas, atque adeò ab omni bus eximitur periculis, quæ ab illis existe re possunt. Quare absurdum est beatitudi nem illā, ut Origenianistæ contendebant, alternationibus subijcere: quæ quidem nō nisi temporis successione & uicissitudine contingunt, cùm uisio illa tempori, quod motus mensura est, non subiaceat, sed sit æterna, atque adeo omni motu & uicissitu dine exempta. Vnde Dauid. Lauda Hieru salem (hoc est uisio pacis) dominum: lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit seras portarum tuarum (scilicet, ne quip piam illuc aduersi penetrare possit, quod ineffabilem illam requiem perturbare ua leat) sed benedixit filijs tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem (sine ullo bello rum periculo) & adipe frumenti satiat te. Nempe Dei ipsius conspectu, qui radix est fructuum omnium prima, atque adeò per nullam inopiam beata illa uita defi cere potest.

Lauda Hie rusalē, &c.

¶Huic

3. Concl.

¶Huic conclusioni annectitur tertia. Visio illa suapte natura habet certum, securūq; facere beatum suæ perpetuitatis. Probatur. Visio illa est beatitudo, ac perinde bonum sufficiens, cunctis, scilicet rectis desi derijs satis faciens. Inter desideria autem humana, hoc est unum, ut supra diximus: scilicet, non carere bono, quod possidet, atque huius certitudinem habere: nam si il la certitudine careret, non posset non an xiari, sicut si bonum illud perderet, nō pos set non tristari: per illam ergo uisionem iu dicat in uerbo beatus tutum se esse & per petuitatis illius beatitudinis certum.

Recens ar gumen.

¶Atque hoc est recens aliud argumentum, q uisio suapte natura sit perpetua: nam si il lud iudicium quo id iudicat est uerum, per petua est, sin falsum, uisio illa non esset bea titudo: nam falsitas, quia malum est, beati tudini aduersatur.

4. Concl.

¶Quarta conclusio. Vi sio beata in sua natura & essentiali uirtute includit uoluntatis rectitudinem, quæ est ad beatitudinem necessaria. Et ratio est. Quia uisio illa necessitatem uoluntati in fert amandi Deum, non solum quoad spe cificationem, ut actum contrarium habe re nequeat, uerum & quoad exercitium, ut ab eodem amore cessare non ualeat. Hanc conclusionem negat Scotus distinctio. præ senti quæstio. 9. Sed latiùs in primo Sentē, distin. 1. quæst. 4. Negat inquam uoluntatem beati necessitari quoad exercitiū ad amandum.

Scotus.

¶Nihilominus antequam eius argumenta referamus probatur planè con clusio. Finis ultimus, in quem homo suapte natura fertur, & ad quem humana natura, cum ad imaginem Dei fabricata est, fuit instituta, & ad quem per fidei cognitio nem fuit illustrata, & diuino gloriæ lu mine eleuata, est perspicua illa Dei uisio: sed omnis natura dum ad finem suum na turalem peruenit, naturaliter ibi conquie scit: ut patet de graui quando est in cētro, & de unoquoque elemēto dum in suo pro prio est loco: atque ita in eo quiescit, ut nullus ei fiat reliquus appetitus inde absce dendi: ergo & uoluntas clarè uidētis Deū, sic ei amore infigitur, adeoque in eo con quiescit, ut nullus ei relinquatur appeti tus, aut potentia ab illa uisione, amore, ac fruitione euellendi se se. Imò sicut graue corpus in centro, sic spiritus illi fœlices, in illo suo supremo fine immobiles suapte natura consistunt.

Probatio conclusio nis aduer sum Scotū.

¶Secundò id probatur. Voluntas, ut supra dictum est, ad suam beatitudinem sub ge nerali ratione boni cognitam appetendū, quo ad specificationem necessitatur, quo ad exercitium uerò non item, sed ratio est, tum quòd beatitudo sic cognita non nihil difficultatis uoluntati offert ad illam inse quendam, propterea quòd ab alijs uolu ptatibus est ei abstinendum, tum etiam q̄ hominem in hac uita opus est alijs uacare negotijs necesse est ei, ut ab illis actibus co gnoscendi & appetendi finem distraha tur. Vbi autem Deus præsens est, euiden terq; conspectus, nil prorsus difficultatis aut laboris in eo amando apparere potest: imò summa facilitas & fœlicitas. Neque il lic alia negotia possunt uoluntatem inter pellare, ut ab illo uisionis splēdore & amo ris dulcedine cesset.

2. Ratio.

¶Tertiò denique arguitur. Voluntas nun quam ab amore rei cessat, nisi, uel quia po tentia fatigata lassatur, & somno forti so pitur, uel ad aliud se amandum transfert, quod pluris æstimat. Illic autem neque ulla potest esse lassitudo, aut somnium, ne que ulla res offerre se potest præ Deo ipso diligenda, ad quam se uoluntas conuertat: ergo non potest ab illo amore cessare. Nā quod ut suam experiatur libertatem id fa cere possit, iam reprobatum est: quoniam id non potest uoluntati sub aliqua ratione boni præsentari.

3. Ratio.

Cauillus.

¶Sed ait Scotus, quòd nondum satis probatum est non posse uo luntatem uelle aliquid nisi sub ratione bo ni, aut nolle nisi sub ratione mali. At uerò hoc satis superq; supra demonstratum est. Quinetiam adeò est per se notum, ut pro batione non egeat.

Responde tur argu. Scoti.

¶Argumenta uerò Scoti iam supra dilu ta sunt. Vnum enim est, quòd potentia inferior, qualem putat esse intellectum, non potest superiorem uincere, nempe uoluntatem. Veruntamen, præterquam quod falsum est intellectum esse potē tiam inferiorem, ut supra satis ostendi dimus, uis illa non est in intellectu, sed in obiecto clarè uiso, & per intellectū uolun tati applicato.

¶Alia eius ratio est. Eadem est potentia quæ uult finem. & media propter finem: ea dem autem potentia non habet cōtrarios modos agendi, nempe naturaliter & libe re, qui sunt modi oppositi: cum ergo libere uelit media, libere etiam uult finem.

¶Re

spondetur

ſpondetur autem ad minorem. Quod modi agendi naturaliter, & libere nõ ſunt in eadem potentia contrarij reſpectu diuerſorum: & ideo uoluntas uult finem optimè applicatum de neceſſitate, ſcilicet, tanquã natura: & medium libere. Quæ quidem diuerſitas conſiſtit in ipſis obiectis diuerſimodè mouentib. ſcilicet in fine clare uiſo, qui neceſsitatem infert uolũtati, & in medijs, quæ ad id non ſufficiunt. Vt patet reſpectu intellectus, qui ad aſſenſum primorum principiorum neceſſario mouetur, nõ tamen ad concluſiones, quæ inde non neceſſaria conſequentia inferuntur.

Aliud arg. ¶Sed arguit rurſus. Diuerſa applicatio obiecti non mutat id, quod intrinſecum eſt uolũtati: Deus autem obſcure uiſus in hac uita non neceſſitat ad ſui amorem: ergo neque clarè uiſus in patria. Negatur maior. Imò cũ Deus in ſe uim habeat trahẽdi ad amorem ſui uolũtatem ex neceſsitate, ſi in uia id non facit, eſt, quia imperfectè applicatur per intellectum. Et præterea quia uoluntas eſt in uia laſſitudini ſubdita & ideo in patria, ubi perfectè per uiſionẽ applicatur, nec uoluntas fatigari poteſt: Deus trahit ipſam ad ſe plena uirtute, atque adeò ex neceſſitate.

Aliud arg. ¶Et per hoc ſoluitur aliud Scoti argumentum. Arguit quippe. Non poteſt uoluntas, quæ antea libere moueatur, nunc ex neceſſitate moueri, niſi aliquod intrinſecum ei recens adueniat: per uiſionẽ autẽ nihil intrinſeci uoluntas acquirit: ergo nõ ex neceſſitate mouetur. Reſpondetur enim ad maiorem. Non opus eſſe ut uoluntas aliquod principium intrinſecum nouũ acquirat: quia hoc eſt ei perpetuo natiuũ & naturæ ſuæ intrinſecum, ut ad ſuum finem non perfectè applicatum non moueatur de neceſsitate quo ad exercitium, & tamen ſi applicetur perfectè feratur in ipſum tanquàm mera natura.

Amor in patria nõ eſt liber. ¶Hinc fit beatificum amorem non eſſe liberum libertate contradictionis aut contrarietatis, ſed neceſſarium, ueluti eſt ille quo ſe ipſe Deus amat: licet Deo inſit à natura, imò ipſe ſit ſuus amor: & in beato producatur à Deo ipſo clare uiſo. Eſt nihilominus actus uolũtarius: hoc eſt à uoluntate procedens. Non tamen meritorius noui præmij, licet ſit optimus.

Nõ eſt coactus. ¶Sed argues. Ille amor eſt neceſſarius: ergo eſt coactus. Negatur conſequentia. Quoniam neceſsitas ſolum tollit libertatem contrarietatis, aut contradictionis, ſcilicet, aut ponendi contrarium actum, aut nullum habendi. Coactio uerò addit inſuper, ut actus fiat cõtra inclinationem ſuppoſiti, atque adeò uoluntatis, quæ eius eſt appetitus: & tamen amor ille eſt ipſiſſima uoluntatis inclinatio.

Libertas. ¶Imò uerò quanuis libertas uno proprioque modo accipiatur, ut dictum eſt, uſurpatur tamen etiam à ſanctis patribus pro actu uoluntatis, ad quem maximè inclinatur: qua phraſi utẽtes aiunt ſummam in beatis ineſſe libertatem, eo quòd adeo ſummo bono inhæreant ut neque ab illo diuelli poſsint, nec peccare queant. nam peccandi non eſt potentia, ſed impotentia potius. Abſit enim ut Deum impotentem dicamus, eo quod peccare non poſsit, cum peccare potius ſit deficere. Quocirca Auguſtinus eodem citato cap. 30. libr. 22. de ciuitate Dei. Neque ideo, inquit, liberum arbitrium non habebũt (ſcilicet, beati) quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libertatem. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum eſt, quando primum creatus eſt rectus, potuit non peccare, ſed potuit & peccare. Hoc autem nouiſſimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoq; Dei munere, non ſuæ poſsibilitate naturæ. Aliud eſt. n. eſſe Deum, aliud participem Dei. Deus natura peccare non poteſt, particeps uero Dei ab illo accipit, ut peccare non poſsit. Hæc ille. Igitur cum uoluntatis inclinatio ſit in bonum ſecundum rationem, quando ei immobilis hæret, ſumma cenſetur libertate frui. Præſertim quòd in beatis, quanuis eorum uoluntas ſit ad bonum per Dei amorem determinata, nihilominus non prorſus eſt ad unum ſingulare cõſtricta, quin poſsit unum, & aliud bonum, atque diuerſa in proprio genere uelle, quę in Deum ipſum referantur. Quemadmodum & Chriſti uoluntas libera fuit, tametſi nequaquam peccatrix.

Peccare impotentia. Auguſt.

5. Conclu. ¶Ex his planè colligitur quinta concluſio. In eadem beante uiſione eminenter cõtinetur perpetuum, idque honeſtiſſimum gaudium & fruitio. Quinimò, ut ſupra mõſtratum reliquimus, uiſio ipſa eſt per quã uoluntas uoluptatem captat. Quæ quidem lętitiæ captatio eſt uiſo Deo frui.

¶Conſtitutum denique ſatis habemus in uiſione beatifica cuncta eminenter contineri, quæ in eſſentia beatitudinis includuntur. De accidentibus ergo, quæ ei propria ſunt & inſeparabilia, quaſi ex eadem uiſione fluẽtia ſubiungitur ſexta concluſio. Ex eadem uiſione dimanant gloria, & honor. Differt autem inter hæc, quòd gloria (ut ait Ambroſius) eſt clara cum laude notitia. Honor autem (ut 1. Ethicorum autor eſt Philoſophus) eſt reuerentia cuipiam propter aliquam eius excellentiam exhibita, & potiſſimùm propter uirtutem. Eſt enim honor uirtutis præmium. Vnde ipſa nomen ſortitur boni honeſti. Quapropter gloria ex natura ſua antecellit honorem. Nam quia merita, & excellentia perſonæ nota eſt, digna exiſtimatur honore.

6. Conclu.

Gloria. ¶Gloria uerò ut ſuper ca. 2. ad Romanos annotauimus, bifariam poteſt intelligi. Primò gloria ipſa Dei, quę per illam uiſionem in beatos exundat. Notitia enim illa ineffabilis, qua ſeipſum, ſuarumq; perfectionum abyſſum cognoſcit, & comprehendit, quatenus per eam ipſe ſibi ab æterno innotuit, dicitur, eſtq; gloria Dei. Et quia per beatrices illas uiſiones, beatis itidem innoteſcit, per illam eis gloriam ſuã cõmunicat, qua beatorum deſideria explet. Quo ideo modo pſalmiſta nomen gloriæ uſurpauit, ubi dixit. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Atque in hoc eodem ſignificato Iacobus appellauit Deum, patrem luminum. Quin uerò (ut enarrat Origenes) cum pater fons gloriæ ſit Chriſtus (ut ad Hebræ. 1. ait Apoſtolus) fuit unigenitus eius ſplendor. Ait quippe, Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Idem. n. eſt, & ſplendorem eſſe gloriæ, & figuram ſubſtantiæ. Vnde Dauid pſal. 109. In ſplendoribus ſanctorũ ante Luciferũ genui te: ideſt, In illis ſplendoribus ab æterno, qui in tẽpore erant cum ſanctis cõicandi. Et ideo idẽ Chriſtus, qui ſplendor eſt unigenitus patris & tanquã homo, primogenitus in multis fratrib. eiuſdem nos facit gloriæ participes. Iuxta illud Eſaiæ. 68. Requiem tibi dabit dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animã tuam, & oſſa tua liberabit. Atque hæc eſt eſſentialis beatorum gloria. Quo ideo conſuetiſſimo nomine fœlicitatem uitæ æternæ ſignificamus.

Eſſentialis gloria.

¶Sed poteſt nihilominus in præſentiarum gloria, pro illa clara notitia uſurpari, quam de dignitate, & meritis uniuſcuiuſq; beati, tũ Deus tum etiam per ipſum reliquorum beatorum cœtus, maxima cum laude habebunt. Hoc enim ſignificatu opulentiæ dignitatisq; amplitudo, quæ latiſſimè patet, & cunctis nota eſt, gloria nuncupatur. Vnde ut Geneſis. 45. legitur, Ioſeph fratribus ait. Ite annunciate patri meo omnem gloriam meam. Chriſtus autem, cordium etiam inſpector, in illo ſupremo iudicio sãctorum merita, per eius gratiam cumulata, quæ in hac uita magna ex parte latent, cunctis propalabit, ut magna cum laude fiant manifeſta. Eſuriui & dediſtis mihi mãducare: ſitiui & dediſtis mihi bibere, &c.

Gloria ſecundo modo.

Gene. 45.

Honor duplex.

¶Atqui quemadmodum gloria, ita & honor duplex impræſentiarum cenſeri põt, ſcilicet, & ille inæſtimabilis, quo Deus fœliciſſimos ſuos amicos honeſtabit. Nominibus, ſcilicet, honorificis, nõ iam ſeruos, ſed amicos appellando, imò & Dei filios: iuxta illud Ioannis. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, ut filij Dei nominemur, & ſimus. Quare & in ſuam hæreditatem admittens, Venite, inquiet, benedicti patris mei. Percipite regnum. Meritò ergo pſalmiſta ait. Nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.

Secundus honor.

¶Secundus etiam illic erit honor mutuus, quem ſibi inuicem beati ſunt delaturi. Qui quidem honor ſummo pretio æſtimandus eſt. Nam ſi (ut ait Ariſto.) ob id à ſapientibus honorari cupimus, quod illi sũt certiores uirtutis noſtræ teſtes, quanto pluris habendus eſt honor ab illis exhibitus, qui & optimi ſunt, & falli nequeunt?

Corpora & amici.

¶Accidentaria uerò, quæ eſſentiæ beatitudinis adhæreſcunt, ſunt corpora, quæ gloriæ dotibus donantur, ac demum amicorum contubernium, ut eadem in omnes diffuſa gloria, ſingulos fœlicius delectet. Et hęc quoque iure illius beatę uiſionis beatis accedunt: quæ ideo uiſio ſtatus eſt omnium bonorum aggregatione perfectus.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum reſpondetur, quod quanuis homo ſecundum ſuam naturam ſit mutabilis, tamen quia uirtute diuina in illa ſuperna beatitudine per lumen gloriæ ſubleuatur, capax ſit illius beatitudinis, quæ cùm ſit ſufficientiſſimum bonum, immobiliter inhæret, faciq;

citáque suum ipsius subiectum immutabile. ¶Secundum autem iam solutum est, ubi monstrauimus, quòd uoluntas respectu amoris Dei uisi, non est libera libertate contradictionis, aut contrarietatis, ut posit ab illo bono desistere, aut contrarium committere peccatum. Neque hoc est, sua perfectione priuari: imò illa est summa libertas summo bono immobiliter adhærere, atq; illa requie & pace Dei frui, quæ exuperat omnem sensum.

Sol. 2. arg.

3. Arg.

¶Tertium argumentum offert quæstionem illam quæ hic solet per se latius disputari, utrum beatitudo sanctorum post corporum resurrectionem sit futura maior, quàm sit modo: sed tamen quia breuissimæ facilimæque expeditionis est, non opus habet singulari articulo. Dissoluitur ergo sub distinctionibus duabus. Sermo enim haberi potest, aut de beatitudine essentiali: scilicet, de uisione, aut de accidentali & aduentitia. Item augeri beatitudine essentiali: scilicet, de uisione, aut de accidentali & aduentitia. Item augeri beatitudinem bifariam intelligi potest, ui delicet aut extensiue (quod aiunt) aut intensiue. At qui beatitudo sanctorum post resurrectionem extensiue amplior erit: nõ solum, quia plures erũt beati: uerum quia uniuscuiusque beatitudo latius diffundetur: tum propter ampliorem societatem fruentium Deo, tum etiam: quia dilatabitur ad corpus: nam ex uisione animæ deriuabũtur dotes in corpora: ac subinde gaudium accidentarium accumulabitur propter satiatum appetitum naturalem quem anima habet ad corpus.

Beatitudo post resurrectionem extensiue maior.

D. Tho.

¶Vtrùm uerò uisio ipsa intensiuè augeatur, respondet hic D. Tho. quæstione prima articul. quarto affirmatiuè. Et ratio eius est, quia anima perfectius habet esse (simpliciter loquendo) in corpore quo niã est actus corporis, quàm separata. Sed accidit ei quando corpus est corruptibile, ut minus bene habeat: quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Sublata ergo illa mole & grauedine, ut aufertur à corpore glorioso, perfectiùs erit anima in corpore illo quàm separata: ex perfectiori aũt esse prouenit perfectior operatio, ut patet: in corpore sano respectu egri: ergo anima tunc perfectiùs uidebit: quod est intensius augeri uisionem. Et hoc est (inquit) quod sonat autoritas allegata Augustini. ¶Durandus uerò distinct. præsenti quæstione. 7. contrariam tenet sententiam, quia anima in corpore glorioso non habet, inquit, perfectius esse, ut perfectiùs sit nomen adiacens huic quod est esse: licèt perfectiori modo sit in corpore. Et re uera quicquid sit de argumento Durandi, non uideo quomodo uisio hoc modo intensiue augeatur: nam si in genere uisionis intensior est, erit clarior etsi clarior, plura repræsentabit: nã clarius uidere aliquod principium in ratione principij est plures effectus seu conclusiones in ipso uidere. Etenim simili modo argumentabatur superius D. Th. quod qui omnia in uerbo uideret quæ eminenter continet, ipsum comprehenderet. Præterea quicunque picturam clarius uidet plura in ipsa uidet: nam distinctius uidet.

Durãdus.

Visio post resurre ctionẽ nõ erit intensior.

Maximum argument.

¶Atquiomnium argumentorum maximũ est, quod resumpto corpore non augebitur lumen, & totus conatus, ut supradiximus, est secundum luminis quantitatem, & non secundum uires naturales: & ideo licet appetitus animæ in corpore esset liberior, non ideo esset uegetior ad Deum uidendum. Igitur D. Thom. in summa nẽ pe. 1. 2. q. 4. art. 5. hanc deseruit opinionẽ, dicens quod resumptis corporibus solum augebitur gloria extensiuè: quia deriuabitur ad corpus per dotes. Et argumento quarto obiecit autoritatem illam Aug. quòd appetitu corporis anima separata retardatur ne tota intentione feratur in Deum, & respondet non aliter intellgi, quàm quòd, licèt quiescat in Deo, tamen uellet, ut ad participationẽ suæ beatitudinis corpus per dotes pertingeret. Et sic solutum restat argumentum. Videlicet quod animæ beatæ resumptis corporibus non uidebunt plura in uero neque illud clarius aut intensius, sed erunt beatiores accidentaliter, quo ad corpora & quo ad plenum beatorum numerum & consortium.

S. Tho. se correxit.

QVAESTIO QVARTA,

De dotibus gloriæ.

ARTICVLVS. I.

Vtrum aliquæ sint in beatis dotes.

De

DE beatitudine, & gloria essentiali hactenus dictum est. Subsequitur, nunc de dotibus sermo, quæ inde promanant. Quæritur ergo primo in genere. Vtrùm sint aliquæ dotes. Et arguitur à parte negatiua. Dos est id quod sponso pater sponsæ, ad onera sustinenda matrimonij iure consignat: sancti autem non gerunt figurã sponsi, nec Deus figuram patris sponsę, imò patris sponsi, nempe Christi: ergo dos non habet locum in beatis.

Partis negatiuæ arg. 1.

2. Arg.

¶Secundò arguitur. Dos est ornatus animæ, & corporis: beatitudo autem est ipse idem animæ ornatus: ergo dos non distinguitur à beatitudine.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium est. Quod ad Ephesios. 6. referens Apostolus matrimonium primorum parentum ait. Sacramentum hoc magnum est: dico autem in Christo & ecclesia. Vbi matrimonium spirituale animæ per illud designari docet: in matrimonio autem carnis sponsa non nisi dotata traducitur in domum sponsi: ergo similiter anima in cælum assumitur.

Dos nomẽ

¶Dos à dando dicitur: nullibi tamen est nisi recipiatur. Vnde pro quocunq; dono seu munere generaliter usurpatur: siue à Deo donatum sit: ut Gene. 30. Dotauit me Deus dote bona: siue à natura, secundùm animam uel corpus: quemadmodum dicimus hominem, scientia, & uirtute dotatũ, & pulchritudine, & uiribus. Et Ouidius. Et quacunque potes dote placere, place. Atq; hoc pacto nonnulli arbitrantur dotis nomen in præsentia usurpari. Sed tamẽ ratio non consentit: quoniam tũc non possent dotes sub certo numero comprehendi: quippe cùm uniuersa dona, quibus diuinitus donamur, hanc habeant rationẽ dotis. Accipitur ergo in præsentia dos, secundum acceptionem, & usum iuris, instar illius, quo sponsa dotatur, ut possit maritus onera matrimonij sustinere. Vnde dos (ut definiri assolet) est perpetuus ornatus animæ, & corporis ratione spiritualis matrimonij, uitæ sufficiens in æterna beatitudine iugiter perseuerans.

Conclu.

¶Ad quæstionem ergo duab. conclusionibus respondetur. Prima. Dotes quibus anima in ingressu cæli, & corpus in resurrectione dotantur, patrum traditione, quę in sacro eloquio fundamentum habet, receptissimæ in ecclesia sunt. Dixerim traditione patrum. Quoniam sub hoc nomine dotium, talis assertio non extat expresse in sacra scriptura. Nihilominus in ea fundamentum habet. Eninuerò, quia natiuũ nobis est, eo quòd cognitio nostra à sensu incipit, spiritualia similitudine corporalium intelligere, copulatio animæ cum Deo desponsationis, & matrimonij nomine nobis significatur: potissimum coniunctio Christi per amorem cum ecclesia: quãdo nostram naturam assumpsit, qua Deus factus est homo. Hanc enim loco citato ait Paulus, sub mysterio in illo primorum parentum matrimonio fuisse designatam. Vnde in psal. 18. Vbi eius incarnatio denotatur: tanquam sponsus prænunciatur procedens de thalamo suo. Et ad Ephe. 5. Apostolus. Christus dilexit ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea &c. ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam, aut rugam. Etenim quemadmodum per carnale matrimonium, ut legitur Genes. 2. fiunt duo in carne una, ad propagationem humani generis secundùm carnem. Ita per unionem, qua sibi Christus humanitatẽ uniuit, facti sunt Deus & eius ecclesia duo in uno spiritu, ad propagationem filiorum, quos sibi Deus adoptare cõstituit. ¶Quocirca per baptismum, quod est ecclesiæ sacramentum, uirtute passionis Christi institutum, dum cum ipso morientes, & cum ipso sepulti membra eius efficimur, fide formata renascimur filij Dei: iuxta illud Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius. Igitur qua ratione ecclesia est sponsa Christi, eadem quicunque in eius gremio in gratia Dei existẽs, est filius Dei illo matrimõnio genitus. Nihilominus & quicunque nomen etiam sponsæ retinet. Nam illa copulatio per gratiam in baptismo, ut respectu Dei adoptio in filium est & respectu Christi incorporatio membri in suum corpus. Ita est & desponsatio, qua ratione est coniunctio cum Deo in uno spiritu. Illic enim Deus animam ceu sponsam amplexatur: iuxta illud Cantic. secundo. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Vnde Paulus secundę ad Corint. undecimo. Despondi enim uos uni uiro uirginẽ castã exhibere Christo.

Desponsatio Christi cum ecclesia.

Desponsatio in baptismo.

Christo. Itaq; nomen sponsæ,ut totæ collectioni ecclesiæ,ita & singulis eius membris adaptatur. Vnde cuicunque animæ per gratiam Deo coniunctæ, ait sponsus Cant. 4. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa. Etenim quia Dei nascitur filia,soror est Christi: sed nihilominus propter amplexus gratiæ ad edendos spirituales fructus,& fœtus,etiam sponsa est. Et ideo subdit. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa.

Collectio nois dotis.

¶Hinc ergo meritissimò sancti patres nomen dotium collegerunt: Deum scilicet, considerantes sponsam suam,cum eam domo receperit, dotatum ire. Legitur enim Esaiæ.61. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me uestimento salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Et psalmo. 44. Astitit regina à dextris tuis in uestitu deaurato,circundata uarietate. Et Cantic.1. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis:collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi uermiculatas argento.

Dotes non nisi in gloria dãtur.

¶Atuerò,quoniam ut.ff.de iure dotium.l. Dotis.habetur. Dotis appellatio non refertur ad matrimoniũ quo ad usq; sit omnino confirmatum, dotes non sunt, nisi quæ in ingressu gloriæ conferuntur. Quapropter gratia,per quam in hoc seculo desponsamur Deo, nomen dotis non obtinet,neque uerò habitus infusi fidei,& charitatis:quoniam nondum in hoc seculo sic confirmatur matrimonium, ut in domum sponsi traducamur, sed possumus ab illa dignitate decidere ac subinde, matrimonium dissoluere. Dicitur autem gratia pignus seu potius arrha gloriæ:nam arrha ẽ quæ postea perseuerat in matrimonio. Dotes ergo sunt illæ, quæ ad sufficientiã æternæ uitæ conferuntur in domo Dei, ubi mansiones multæ sunt.

Gratia est arrha gloriæ.

Argu. sol.

¶Et per hoc soluitur argumentum,si quis arguat. Dos matrimonij causa confertur: sed per fidem desponsamur Christo: iuxta illud apud Ioan. citatum. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius:ergo fides est dos. Respondetur,inquam, quòd per fidem nõ confirmatur matrimonium, ut non sit dissolubile. Et ideo non dotantur animæ nisi in introitu cœli. Quandiu enim uita hæc durat (ut.2.ad Corin. 5. ait Paulus) peregrinamur à domino.

Ante orbẽ redemptũ nõ fuerunt dotes.

¶Hinc ergo colligitur in antequam Christus humanitatem indutus ecclesiam sibi desponsasset, neminem unquam neque sub lege naturæ, neque sub lege scripta, quantauis sanctimonia ab hac luce demigraret,dotibus fuisse ornatum:quia neque ullus fuit illucusq; cælum ingressus.

Obiectiones.

¶Redarguet autem qu's forsan,contra hanc dotium assertionem. Dotes,ut dictũ est,ad ferẽda onera matrimonij conferuntur,ut,scilicet, facilius tolerentur: sed in patria nulla sunt onera, nec difficultas in illa sustinenda uita: ergo inepte illa dona dicuntur dotes. Præsertim cùm dotes ad externa fortunæ bona perineãt: & tamen beatorum præmia intus animæ conferantur.

Solutiões.

¶Ad primum uerò respondetur, quòd dotis aliud per se inest, aliud uerò per accidens. Per se inquam est matrimonij solatium,& uitæ emolumentum & subsidium. Per accidens autem habet, ab onere, & molestia matrimonij animum leuare, & inopiam supplere. Dotes ergo congruunt beatis secundum priorem rationem: nam posterior non habet illic locum. Neque uerò omnimoda extat similitudo in bonorum genere huius seculi: nam in matrimonio carnali decore opus est,& ornamẽto exteriori, ob idque sponsa bonis fortunę dotatur. In matrimonio uerò spiritualis decor intrinsecus est in anima:iuxta illud psal. 44. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis: & ideo dotes exigit spirituales.

Sol.1. arg.

¶Ad primum igitur capitale respõdetur. Quod quanuis dos sponso assignetur, cuius durãte matrimonio, est eius possessio, & usus: tamen eius dominium non est nisi sponsæ: quæ ideo dicitur dotata, uel si dote caruerit, dicitur indotata. Quapropter dissoluto matrimonio tale dominiũ penes ipsam iure permanet. Pari ergo modo dotes, quæ ecclesiæ & singulis eius mẽbris conferuntur in patria, quantum ad usum sunt sponsi,scilicet,Dei,in cuius gloriam & honorem cedunt,sed quantum ad dominium sunt sponsæ, quæ huiusce modi dotibus ornatur.

Aliud arg.

¶Ad aliud uerò membrum respondetur, quòd quanuis in more sit, ut parẽtes puellæ illam de suis bonis dotent, quæ quidem dos,

dos,quia à patre proficiscitur, dicitur profectitia. ff. de iure dotium. l. profectitia. Hoc autem non est de intrinseca ratione dotis, sed accidentarium: potest enim à quocunque alio dotari, nempe uel ab eo qui eam uiolauerit:iuxta illud Exodi. 22. Si seduxerit quis uirginem;necdum despõsatam,dormieritq; cùm ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem. Vel potest dotari à patre sponsi, ut de Sychem legitur Genes.34. Qui cum optaret Iacobi filiam filio suo in uxorem tradere,dixit ad Iacob, & fratres eius. Augete dotem. & munera postulate. Quin uerò & sponsus ipse amore ductus sponsæ illam dotat, ut senes solent puellas uirgines. Ad propositum ergo. Quanuis pater in diuinis sit pater sponsi ecclesiæ,nẽpe Christi:pater tamen sponsæ.s.ecclesiæ,& eius membrorum est tota trinitas:nempe Deus quatenus unus in tribus personis: & quia effectus ad extra totius sunt trinitatis, pater potius sponsæ secundum proprietatem eam dotib. exornat quàm pater sponsi, nempe Deus potius quàm prima persona trinitatis. Quãuis per appropriationem, & attributionẽ eadem dotatio secundum diuersas considerationes aliæ atq; aliæ personæ adscribatur. Attribuitur.n.patri:quia in ipso est respectu creaturarum prima autoritas, & paternitas. Et sic eidem patri, qui per proprietatem est pater sponsi,& per attributionem est pater sponsæ, conuenit ipsam dotare. Filio autem eadem attribuitur dotatio: quia propter ipsum,& per ipsum cũcta nobis donantur. Ac demum spiritui sancto, quatenus in ipso & secundum ipsum donatur nobis charitas Dei, quæ est uniuersæ donationis ratio. ¶Secunda conclusio. Dotium aliquæ sola ratione differunt à beatitudine. Alię uero differunt re. D.Th.dist.præsenti.q.4.art.2.refert opinionem tenentium quòd solùm differunt à beatitudine ratione,atque illa reiecta tenet quòd differunt re. Sed tamen si in particulari considerentur, ut ex dictis eius in alijs locis & ex rei ueritate colligitur,fortasse non tam uniuersaliter absolutè respõdendum est: quòd omnes differant realiter, ut suis singularum articulis examinabitur saltem dotes animæ. Dotes nanque corporis planum est realiter differre à uisione,quæ est in anima, in qua beatitudo collocatur. Sunt enim corporum perfectiones & ornatus, ex animæ beatitudine deriuati ut infra monstrabitur.

Dio Deus dotet animam.

Conclu.

¶Ad secundum igitur argumentum respondetur, quod beatitudo, cùm sit animæ operatio, non tam propriè dicitur ornatus, quàm operatio ex qua ornatus dimanant,qui sunt dotes,ut agilitas, subtilitas &c.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm Christo uel angelis dotes competant,an uerò solis hominibus.

POST considerationem dotium secundùm suam essentiam quæritur de eius subiecto:nempe utrùm sint in Christo & in angelis,an uerò in solis hominibus. Et arguitur quòd competant Christo. Primo. Quia per dotes corporis conformabimur Christo:iuxta illud ad Philip.3. Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ:ergo in ipso sunt dotes quibus nostræ debent esse conformes.

1. Arg.

¶Secundò arguitur. Quod etiam sint in angelis. Spirituale matrimonium in spirituali coniunctione consistit cum Deo per gratiam & gloriam: hæc autem non minus in angelis est quàm in hominibus: ergo non minus eorum ecclesia est sponsa Dei quàm nostra.

2. Arg.

¶In contrarium est. Quòd inter spõsum & sponsam exigitur discretio personarũ: in Christo autem non sunt duo suppositi, ipse uerò est sponsus: iuxta illud Ioan. 3. Qui habet sponsam sponsus est: ergo nullatenus est sponsa. Et de angelis idem patet. Quia Christus desponsauit sibi ecclesiam per incarnationem,& passionem, in cuius mysterium prædictum fuerat Exodi.4. Sponsus sanguinum tu mihi es: angeli uerò tunc non aliter fuerunt Deo coniuncti quàm erant antea: nam ut ad Hebrę.2. ait Apostolus. Nusquam angelos apprehendit ergo ipsi non sunt sponsa, atq; adeò neq; habent propriè dotes.

In contrarium.

¶Ad quæstionem tribus conclusionibus respõdetur. Primùm enim Christo, ut hic refert D.Th. nonnulli dotes etiam conuenire arbitrati sunt. Aiunt quippe, tripicẽ in ipso discerni unionem:unam, scilicet, qua per amorem cõiungitur patri, quam

Triplex unio Christo.

uocant cõsentaneam: quia idem eis est uele. Atque hanc uidetur Christus Ioan. 17. significasse, ubi ait Claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut & nos unum sumus. Secunda unio est, quam appellant dignatiuam, nempe qua dignatus est naturam nostram sibi unire in unitatẽ suppositi. ¶Tertia est, qua Christus per amorem unitur ecclesiæ, & uicissim ecclesia ei per fidem charitate formatam. Aiunt ergo secũdùm primas duas uniones propriè conuenire Christo habere dotes: quia quatenus unitur per amorẽ patri, est eius sponsa, & pariter humanitas quatenus unita uerbo est sponsa Christi. At uerò secundũ tertiam unionem non habet propriè dotes secundùm proprium nomen, & rationem dotium: quia non est sponsa sed sponsus: quanuis dona illa quæ in alijs beatis habent rationem dotis, sint in illo per excellentiam. ¶Huius autem opinionis duæ priores partes refutantur, & solum tertia recipitur. Et ideo statuitur hic prima conclusio. Dona quæ in beatis nomen habent & rationem dotis per excellẽtiam sunt in Christo: nomen autem & ratio dotium secundùm nullam eius unionem illi competunt. Prior pars liquida est, quoniam in anima Christi ab instanti suæ conceptionis fuit uisio, comprehensio, & fruitio eminentissimo modo, & in eius corpore post resurrectionem incorruptibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas.

Prima conclusio de Christo.

In Christo nõ fuerũt dotes sub tali rõne.

¶Secunda uerò pars itidem probatur. Secundùm unionem amoris qua Christus secundùm diuinitatem fuit ab æterno, estq; patri coniũctus, nõ potest dici patris sponsa. Quippe cum sponsa respectu sponsi subiectionem quandam & participationẽ gratiæ dicat. Filius autem in diuinis non est subiectus patri, nec particeps propriè dicitur: cum unica simplicissima essentia sit tribus personis æqualiter communis. Neque uerò secundum unionem humanitatis ad uerbum humanitas dicitur sponsa uerbi: quoniam distinctio inter sponsum & sponsam est personalis tanquam inter duo suppositorũ: in Christo autem non sunt duo suppositorũ. Secundò, quia desponsatio debet esse inter personas natura similes, & ideo Christus per unionem humanitatis, factus est sponsus non humanitatis: quia non est similis naturæ diuinæ, sed ecclesiæ cuiusdem humanitatis assumptionem factus est similis. Tertiò denique, quoniam dos datur (ut dictum est) sponsæ quando in domum sponsi introducitur, humanitas autem nunquam fuit à diuinitate separata, neque ab eius uisione comprehensione & fruitione. Secundùm denique coniunctionem, qua sibi ecclesiam per gratiã adiunxit & desponsauit, ipse fuit sponsus qui ecclesiam dotauit, neutiquam tamen sponsa: quia eiusdem non est dare & recipere. Dona igitur illa Christus in anima uel in corpore non recepit per modum sponsæ ab sponso, sed uirtute unionis humanitatis ad uerbum, qua factus fuit sponsus. Atque adeò neque rationem habent dotium, neque uerò nomen.

¶Respondetur igitur ad primum argumẽtum, quòd quanuis Christo conformabimur secundùm illa dona quæ sunt in illo & in nobis: imò in ipso per excellentiam tanquam in capite, non tamen in illo habent rationem dotium, sed in nobis in quibus sunt tanquam in eius membris. ¶Potest autem quis obijcere ad probandum, quòd humanitas unita uerbo dicatur eius sponsa, glossam super illud Psalmi, In sole posuit tabernaculum suum: quæ contrarium dicit. Item Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana ait, quòd Christus secundùm regulam Tychonij propter unitatem corporis mystici quæ est inter caput & membra, nominat se etiam sponsam & non solùm sponsum. Nam de ipso sub utroque nomine intelligitur illa prophetia Esaiæ. 61. Quasi sponsum decoratum corona, & quasi spõsam ornatã monilibus suis. ¶Ad primum respondetur, quòd natura humana non dicitur propriè sponsa uerbi: quia non est persona. Dicitur autem quodammodo desponsata, idest, uerbo indissolubili nodo tanquam superiori inferior coniuncta & ab ipso gubernata. ¶Et simili modo respondetur ad secundum: non enim Christus dicitur sponsa, quia uerè sit, sed quia suscipit prædicatum, quod conuenit ecclesiæ. Dicitur, inquam, sponsam nõ in se, sed in suis membris. Et eodem modo dici potest habere dotes: quia ecclesia illas habet.

Sol. 1. arg.

Obiectio.

Alia obiectio.

¶Quòd si redarguas. Christus ipse dicitur membrum ecclesiæ. 1. ad Corinth. 12. Vos estis corpus Christi & membra de membro. Omne autem membrum habet

bet dotes, etiam sub ratione & nomine dotium. Respondetur. Quòd quandoque nomen ecclesiæ usurpatur pro reliquo corpore quod distinguitur à capite, quod est Christus, & hoc modo Christus non est membrum ecclesiæ. Sed alio modo usurpatur nomen pro toto corpore compacto ex capite & membris, & isto modo Christus potest dici membrum, sicut caput est membrum. Sed inde non sequitur, quòd habeat dotes sub ratione dotium: quia eius officium non est recipere, & dotari, sed influere & dotare. Et ideo non est propriè membrum ecclesiæ, ut ecclesia est nomen sponsæ, sed ecclesiæ, ut dicit coniunctionẽ ex sponso, & sponsa, quia ipse est sponsus.

Conclu.

¶Secunda subnectitur conclusio. Quanuis dona illa quæ sunt dotes animæ, nempe uisio, & comprehensio, & fruitio sint in angelis, tamen in illis neque rationem tam propriè habent dotium, neque nomen, quàm in hominibus. Prior pars notissima est. Quandoquidem eadem beatitudine fruuntur, qua homines secundùm animã, Secunda uerò probatur, si desponsatio intelligatur cum Christo qui est sponsus ecclesiæ. Primò. Inter sponsum & sponsam debet esse similitudo secundùm aliquam naturam: Christus autem, ut dictum est, naturam non assumpsit angelicam, sed humanam, & ideo angeli nõ sunt ei similes.

Potissima ratio.

¶Sed potissima ratio est. Quòd angeli. ut distinctio. 47. dicebamus, non receperunt gratiam per modum redemptionis ex passione Christi: quippe qui non nisi propter peccatum Adæ factus est homo. Ante cuius casum creati à Deo fuerant in gratia, & ideo non propriè dici possunt sponsa Christi. Atque adeò nec habere eius dotes. Quare Origenes super Cantica quatuor dignouit personarum differentias, uidelicet, sponsum & sponsam, qui sunt Christus & ecclesia: & adolescentulas, quæ sunt animæ, quæ ab sponso in gremio sponsæ lactantur, & sponsi sodales, qui sunt angeli. Sed nihilominus respectu Dei atque adeò Christi, qua ratione est Deus potest eorũ ecclesia dici sponsa, licet non sint eiusdem naturæ: quia sunt Deo per gratiam coniuncti, quam ab illo receperunt, atque adeò gloriam: eadem ergo ratione eorum dona dici possunt Dei dotes.

Quatuor personarũ genera.

¶Ex his fit consequens tertia conclusio. Dotes propriè, quatenus sponsæ Christi, solùm sunt in hominibus, tam secundùm corpus, quàm secundùm animam. De quibus nos subsequentes articuli docebunt.

3. Concl.

¶Ad secundum igitur argumẽtum respondetur. Quod quanuis angeli sint per gratiam coniuncti cum Deo, qua ratione aliquo modo possunt dici eius sponsa, non tamen sunt desponsati cum Christo: quia non sunt illius naturæ quam assumpsit.

Sol. 2. arg.

¶Sed contra secundam cõclusionem uidetur pugnare glossa super illud Canti. 6. Vna est columba mea. Quæ ait. Vnam esse ecclesiã in hominibus & angelis. Et super illud Lucę. 12. Et uos similes hominibus expectantibus dominum suũ, &c. ait alias, q̃ ad nuptias dominus ibit cum post resurrectionem nouus homo angelorum multitudinem sibi copulabit. Quibus locis angeli censentur sponsa Christi tanquam pars ecclesiæ. Item quia maior requiritur similitudo inter caput & mẽbra q̃ inter spõsum & sponsam: Christus autem propter cõformitatem & excellentiam gratiæ & gloriæ uidetur esse caput angelorũ: ergo & sponsus. ¶Respondetur ad primum, quòd licet angeli hoc modo pertineant ad unitatem ecclesiæ Dei: quod eisdem donis participant, nõ tñ sunt pars ecclesiæ Christi tanquam eius membra. ¶Ad secundũ aũt respondetur. Quod quanuis dicat glossa, q̃ nouus homo Christus angelorũ multitudi nẽ sibi copulabit, non tñ dixit sibi disponsabit propriè, sed quia copulabit ecclesiã suam cum angelorum cœtu in gloria. ¶Ad tertium deniq; respondetur, q̃ Christus, ut non est sponsus angelorum, ita neq; est caput: quia neque est eiusdem naturæ, neque influxit per passionem gratiã in illos. Sed est eorũ caput inquantũ Deus: nã illa ratione fuit autor eorum gratiæ, & glorię.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm tres sint tantum animæ dotes, scilicet, uisio, delectatio, & fruitio.

POstquam in generali de dotibus dictum est, consequitur, ut in particulari singulas exploremus. Quæritur ergo, utrùm tres sint tantũ animæ dotes, scilicet uisio, dilectio,

& fruitio. Et arguitur à parte negatiua. Anima Deo coniungitur secundum mentẽ, in qua est trinitatis imago, nempe memoria, intelligentia, & uoluntas. Dilectio uerò pertinet ad uoluntatem, & uisio ad intelligẽtiam: ergo debet aliqua dos respondere memoriæ: illa autem non est fruitio: quippe quæ, ut supra dictum est, ad uoluntatem attineat: ergo numerus non conuenit. ¶ Secundò. Dotes animæ tribus dicuntur uirtutibus theologicis respondere, nẽpe fidei, spei, & charitati, quarum Deus obiectum est. Dilectio autem respondet charitati, & uisio fidei: ergo tertia deberet respondere spei: illa uerò non est fruitio, ut pote quæ ad charitatem pertinet: ergo alia deficit dos. ¶ Tertio. Ad beatitudinẽ requiritur comprehensio iuxta illud. 1. ad Corinth. 10. Sic currite ut comprehendatis. ergo hæc debet constitui dos quarta. ¶ In contrarium autem est. Quod dotes animæ respondent uirtutibus, quarũ Deus ipse est proximum obiectum, ut præmium correspondeat meritis: illæ autem sunt uirtutes theologicæ, quibus tres illæ dotes optimè coaptantur.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Arg.

3. Arg.

Pars affirmatiua.

Septem dotes.

¶ De hac quæstione uniuersi doctores cõsentiunt esse tres animæ dotes, ut quemadmodum septem sunt uirtutes, scilicet, tres theologicæ, & quatuor morales cardinales. Ita & septem sint dotes, scilicet, tres animæ, respondentes uirtutibus theologicis: & quatuor corporis, quæ cardinalibus adaptari possunt. Secundo & omnes consentiunt quòd prima illarum sit uisio, seu ornatus & claritas quæ sit dos uisionis. Itẽ quòd aliæ duę sint ex numero harum triũ, quæ sunt, dilectio, fruitio, & comprehensio. Dissentiunt tamen inter illas. Quidam enim dicũt, quòd sunt uisio, dilectio, & fruitio. Alij uerò, aiunt quod sint uisio, comprehensio, & fruitio, quæ ponitur loco dilectionis. Alij quod sint uisio, dilectio, & comprehensio quæ ponitur loco fruitionis. Tametsi Ricardus dist. præsenti art. 3. quæst. 7. loco comprehensionis non ponat nisi securitatem, neque dilectionem distinctam à fruitione: quia habendo, inquit, rem amatam, illa fruimur, illamque tenemus, & sic dicit quòd dotes sunt uisio, fruitio, & securitas.

Opinionũ uarietas.

¶ Secundum tamen dubium quod hic includitur, est utrum dotes istæ sint operationes illæ uidendi, fruendi, & diligẽdi. An uerò qualitates per modũ habitus eisdem operationibus antecedentes, quæ sunt animæ ornatus per modũ habitus. ¶ Ad quæstionem ergo quinque conclusionibus respondetur. Prima fundamentalis sit. Dotes animæ sic asignandæ sunt, ut tribus uirtutibus theologicis respondeant. Probatur ratione proximè insinuata. Quoniam dotes pertinent ad beatitudinem, uel tanquã actus, uel tanquam habitus & ornatus animæ: nã dotes sunt quibus sponsa in ingressu liminum sponsi dotatur, nempe quando beata illa fœlicitate donatur: & quia beatitudo essentialiter est in anima, dotes animæ accommodari debent ad illam beatitudinem, qua Deum consequimur, illoq; fruimur, & quia in uia per tres uirtutes theologicas: ut quę Deum habent pro proximo obiecto, ad ipsum tendimus debent dotes eisdem respõdere uirtutibus. ¶ Hinc sequitur secunda conclusio. Prima dotium est clara uisio, seu habitus claritatis ad uidẽdum, ut inferius explicabimus. Hoc patet quia prima uirtutum theologicarũ est fides, quæ uisioni respondet, tanquam meritum præmio. In præmiũ enim quod nũc ea credimus, quæ nõ uidemus, uidebimus eadem postea, quæ nunc credimus. ¶ Hoc docet Pau. 1. ad Corint. 13. Ex parte enim inquit cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem uenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Et subdit. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: uisio ergo est præmium fidei. ¶ Tertia conclusio. Spei respondet dos, quæ est comprehẽsio. Hoc patet ex illo citato. 1. ad Cor. 10. Sic currite, ut comprehendatis. Spes enim dicit non quemcũq; amorem, sed desideriũ, per quod tendimus in rem: igitur sicut terminus credẽdi est uidere. Ita terminus spei est tentio, & comprehensio. Vnde quanuis per uisionem Deum teneamus, & comprehendamus: tamen est diuersa ratio: nã quatenus est clara cognitio, respondet fidei, sed quatenus est consecutio. Dicum securitate, & perpetuitate correspondet spei. Et ideo sicut per illam uisionem quatenus est clara cognitio euacuabitur fides, id est, cessabit in patria. Ita per eãdem, quatenus est tentio, euacuabitur spes. ¶ Quarta conclusio. Si comprehensio connumeretur secunda dos, quæ optime, aptissimeq; cõnumerari põt tunc tertia, quæ correspondet charitati, ponitur fruitio, ea ratione, qua includit dilectionem, ceu proximam causam: nã dilectio patriæ, quia est iam boni præsentis per uisionem, & cum securitate possessi per comprehensionem, causa est proxima fruitionis quę ideo erit terminus charitatis uię. Est enim frui de re possessa, quam propter ipsam amamus delectationem capere. Et hæc certè est satis apta, & concinna dotiũ distinctio quam D. Tho. amplectitur. 1. 2. q. 4. art. 3. Nihilominus eadem ratione qua dilectio includit fruitionem possunt etiam designari uisio, dilectio, & cõprehensio, ut dilectio patriæ quę est firma, & immobilis sit terminus dilectionis uiæ. Tandem quia comprehensio includitur tam in dilectione patriæ quàm in fruitione tanquam utriusq; cã, possunt etiam designari uisio, dilectio, & fruitio. Quæ quidem distinctio uidetur D. Th. im præsentiarum magis placere: quia & hæc est etiam rei satis accommoda. Tunc autem fruitio quatenus comprehensionem includit est terminus, non charitatis, sed spei. Et hoc etiam satis apte: quoniam terminus sub spe laborantis, est rem consequi ut ea fruatur. Perparui ergo refert, primamne, an tertiam malueris rationem insequi. Quanuis illa prima quam in summa D. Th. sequutus fuit, sit præferenda.

1. Conclu.

2. Conclu.

3. Conclu.

4. Conclu.

Verùm dotes non sint habitus.

¶ Restat nihilominus dubium, quod in capite quæstionis insinuauimus, quomodo dotes distinguantur à beatitudine. D. Th. hic, & Ricardus loco citato, & reliqui antiqui dotes omnes tam corporis quàm distinctas arbitrantur à beatitudine, nempe à uisione, amore, & delectatione, quæ sunt actiones uel passiones. Vt sint dotes tanquam habitus & ornatus animæ huiusmodi operationibus præuij, & tanquàm potentiæ ad easdem operationes eliciendas: quanuis appellantur nominib. eorundem actuũ. Itaq; dos uisionis est habitus ad eliciendam uisionem, quæ quidem dos dicitur uisio, & pariter dos dilectionis & habitus charitatis, ex qua elicitur dilectio.

¶ Atqui si ad amussim uelis analogiam seruare dotium matrimonij carnalis sic dicẽdum apparet. Nam dotes nuptiarum non sunt operationes uitæ, scilicet, sumptus facere ad sustinendam uitam, sed facultas & potestas eosdem faciendi, nempe numi & possessiones & reliqua. Pariter ergo cẽ-

sendum apparet de dotib. animæ.

Impugnatio.

¶ At uerò profectò difficile est istos habitus illic in patria perscrutari. Et S. Tho. in 4. sequebatur opinionem communem reseruando exactiora examina ad summã quam dictare cogitabat. Haud. n. intelligi põt uisionis dos ad uisionem præuia, nisi sit lumen gloriæ. quod certè non tam apte dicitur uisio, neque D. Tho. huc uidetur alludere quòd dos sit lumen illud. Alias ipse se explicuisset. Itẽ ad uidendũ nos alius requiritur habitus præter speciem, cuius uicem gerit illic Deus. Præterea quanuis habitum charitatis possimus utcunque appellare dotem dilectionis, ex quo elicitur actus diligendi, non tamen oẽs consentiunt, ut dilectio ponatur dos. Imò D. ipse Tho. loco proximè citato. 1. 2. non poni dilectionem, sed fruitionem ait respondere dilectioni uiæ. Præterea. Dos comprehensionis profectò non potest intelligi alia quam ipsa uisio, qua ratione est obiectum uoluntatis, & terminus spei. s. qua ratione est consecutio obiecti cum securitate, & perpetuitate. Præterea respectu fruitionis non põt signari habitus præcedens, nam fruitio est captatio delectationis, quę licèt sit affectus uoluntatis, susçipitur tamen ex uisione, ut supra ex S. Th. 1. 2. q. 11. ar. 1. collectum reliquimus.

Sñia autoris.

¶ Crediderim igitur quod si D. Tho. ad hunc locum dotium in summa peruenisset, non alias hoc noĩe intellexisset qualitates quàm actus ipsos uidendi, comprehendendi, amandi, & fruendi. Neq; opus est rationem similitudines dotium matrimonij carnalis ad unguem in spirituali seruare. In matrimonio enim carnali dotes sunt facultates sustinendi uitam: in patria uerò sunt actus ipsi ad quos præter lumẽ gloriæ & habitum charitatis nullis alijs opus est habitibus, sed Deus in ratione speciei producit uisionem quæ est comprehensio.

5. Conclu.

¶ Si ergo opinio hæc placet statuenda est quinta conclusio. Dotes animæ sola ratione à beatitudine distinguuntur: uisio nanque quatenus clara est cognitio elicita ab intellectu est dos respondẽs fidei, sed quatenus est obiectum uoluntatis concupitũ, per quam scilicet uoluntas consequitur & tenet finem suum, in quod per spem tendebat, est comprehensio respondens spei. Iã enim diximus, quòd uoluntas utitur alijs

potentijs ad cõsequendum fines suos quos appetit: nam quia actiones sunt suppositorum & uoluntas est proprius appetitus suppositi, ipsa est quæ mouet alias potentias per quas & suos consequitur fines. Atque adeò, ut ait S. Th. 1.2.q. 11.ar.1.ad 1. eandem uisionem, qua ratione est obiectum uoluntatis per quam de bono concupito delectatione capitur fruitionem censet.

Sol. 1.arg. ¶ Ad primùm igitur argumentum respondetur, quòd memoriæ & intelligentiæ nõ respondent duo, sed una dos quæ est uisio: eo quòd memoria non est nisi intelligentiæ thesaurus, nempe specierum apotheca. Neq; uerò opus est dotes illis potẽtijs ad iustum respondere, sed theologicis

Sol. 2.arg. uirtutibus ¶ Secundum autem iam solutũ est, ubi diximus comprehẽsionem uel fruitionem, quatenus comprehensionem includit, respondere spei. ¶ Anselmus uerò

Anselmus dicit ad beatitudinem animæ pertinere sapientia, amicitiam, concordiam, potestatem, honorem, securitatem & gaudium.

Boetius. Et Boetius tertio de cõsolat. enarrat quinque quæ sunt sufficientia, quam promittunt diuitiæ, iucunditas, quam promittit uoluptas, celebritas quam promittit fama, securitas quam promittit potentia, reuerentia quam promittit dignitas. Hæc aũt ab istis patribus non tanquam dotes connumerantur, sed tanquam beatitudinis comites. Sapientia enim pertinet ad sponsum: amicitia uerò & concordia ad ipsum respectu membrorum & ad membra ipsa inter se. Nam amicitia refertur ad effectum, & concordia ad assensum in agendis, & potestas est in sponso ad gubernandum, & honor in inferioribus, quê eæ deferunt. Boetius uerò aliam sequutus rõnẽ explicuit quemadmodum in beatitudine ea sint quę hoĩes in hac uita concupiscũt. Homines. n. ab incommodis securos esse cupiunt & tutos, & illa securitas est in patria. Cupiuntque bonum sibi conueniens quod est iucunditas, uel bonum perfectũ uel optimum, quod est sufficientia, uel excellentiæ manifestationem, quæ est celebritas & gloria. Ac deniq; sibi cupiunt honorem deferri & reuerentiam.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm corporibus glorioſis ſint futuræ dotes quatuor.

POst dotes animæ subsequitur de dotibus corporis disputatio. Et ideo quæritur primo de earum numero, 1. Arg. sed primò arguitur, quòd in corporibus nullæ sint futuræ dotes. Enimuetò dotes ad statum attinent spiritualem, qui est in mente, corpora uerò ad illum non pertinent statum, quippe cùm illic mentis operationes à corporib. non pendeant: ergo nullæ erunt corporib. dotes. 2. Arg. ¶ Secundò arguitur contra numerum quòd non erunt præcisæ quatuor. s. impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas. Anselmus siquidem ponit septem quæ sunt pulchritudo, uelocitas, fortitudo, libertas, sanitas, uoluptas, & diuturnitas. ¶ In contrarium uerò est illud. 1. ad Corin. 15. In contra rium. seminatur in ignobilitate resurget in gloria, & seminatur in infirmitate, surget in uirtute, seminatur corpus animale, surget 1. Conclu. corpus spirituale. ¶ Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Congruentissimum ad fœlicitatem, imò secundum diuinam bonitatem sapientiã & iustitiam Dei necessarium, ut sanctorũ corpora suis dotibus exornet. Conclusio primum catholica est (ut patet autoritate Pauli inducta, & Sapien. 3.) fulgebunt iusti & tanquàm scintillæ in arundineto discurrent. Vbi in fulgore claritas designatur, & in igne, quatenus elementum uehementissimæ actionis est, qui omnia subitò deuorat, impassibilitas: & qua rõne uelocissimum hẽt motum (ut lib. 3. super Genesim exponit Augustinus.) Agilitas, & scintillarum significatione, subtilitas. Ratio con clusionis. ¶ Sed & rõne præterea probatur. Dotes sunt ornamenta, quib. exornatur sponsa, ut in conspectu sponsi dignè decenterque compareat. Debet aũt non solum secundum aĩam, sed ẽtin corpore comparere: ergo non solum in aĩa dotari homo debuit, uerum & in corpore ornari. Neq; obstat si obijcias, quòd cum oculo corporeo Deus uideri non possit nõ fit corpori Deus præsens: qm̃ licẽt uisio non sit nisi in anima, condecet tamen, cùm sit actus corporis, ut in corpore quo Deum uidebit appareat illis ornamẽtis dotato, quæ fœlicem aĩam condecent. ¶ Secundo id etiam probatur. Homo quatenus factus est ad imaginem & similitudinem Dei est beatitudinis capax: & quanuis illa imago in animæ potentijs

rentijs existat, nihilominus corpus eidem animæ adaptatum est, quod eius dignitati & usibus congrueret: ergo eadem ratione in beatitudine necessarium est, ut ex animæ beatitudine, quæ est uita æterna, deriuentur in corpus dotes, quibus ad usus eiusdem uitæ aptum sit & idoneum. ¶ Secunda conclusio. Dotes corporis cõgruentissimè tantùm quatuor designantur, scilicet, nec pauciores nec plures. Hunc numerum possumus ad uirtutes Cardinales referre, ueluti tres dotes animæ ad Theologas retulimus. Iustitia nanque, quę, quia perpetuò seruat Reipubl. pacem, immortalitatis titulum obtinuit, respondet impassibilitas temperantiæ, quæ corpus extenuat, subtilitas, Fortitudini uerò agilitas. Vnde Paulus loco citato, seminatur, inquit, in infirmitate (scilicet in grauedine qua motus retardatur) surget in uirtute. Sed prudentiæ propter cognitionis lucem respondet claritas. ¶ Hæc autem coaptatio quanuis concinna sit, non tamen rei causam enucleat. Numerus ergo dotium inde sumendus est, quòd per illas corpus glorioſum disponitur & exornatur, ut idoneum sit animę coniunctioni in uitam æternam. Nempe, ut ei ad usus illius uitæ absque impedimento & mora inseruiat. Aĩa uerò unitur corpori & ut forma & ut motor, tribuens ei & esse & operari: & quidem ex hoc fundamento Diuus Thomas sic hunc numerum colligit, quòd inquantum corpus fit idoneum animæ informanti requirit dotem subtilitatis: nam quod subtile est, facilè alienam formam suscipit, & inquantum ab eadem anima recipit formas accidentales, conuenit eis dos claritatis. Inquantum uerò subditur ei ut motori, conuenit ei dos agilitatis, & inquantum ab anima conseruatur, dos impassibilitatis. Atqui distributio hæc fortè est legitima. Attamen non deerit cui alia magis arrideat. Videlicet, ut quatenus anima uelut forma dat corpori esse, conueniat ei dos prima impassibilitatis, quæ est omnium fundamentum. Subtilitas uerò impassibilitati annexa est: si sit dos, ut quidam autumant, dos qua se corpus glorioſum cum alio corpore solido penetrat, quod est quoddam incorruptibilitatis & impassibilitatis genus: nempe alteri corpori in eodẽ loco non cedere. Quanuis hoc suo proprio loco examinandum &

1. Conclu.

Ratio numeri dotiũ

D. Tho.

Alia colle ctio nume ri dotium.

corrigendum est. Qua uerò ratione corpus animæ, ceu motori subijcitur, reliquis duobus dotibus opus habet: uidelicet quãtum ad motum localem & reliqua corporalia opera dote agilitatis, ut animæ ad nutum obsequatur, sed sensuum operationibus congruit claritas propter uisus dignitatem inter alios sensus. Tametsi & earundem uoluntati seruiat quoque agilitas. De singulis autem in suis proprijs locis fiet explicatior sermo.

¶ Ad primum igitur argumentum negatur corpus glorioſum nullatenus pertinere ad statum spiritualem animæ: status enim animæ (ut dictum est) per assumptionem corporis perficitur. Præterquam quòd ad eundem statum spiritualem pertinet, ut corpore utatur sibi per dotes accommodato: nam operationes secundùm corpus pertinent ad gloriam accidentalem illius spiritualis status. Sol. 1. arg.

¶ Ad secundum respondetur illa septẽ quæ numerauit Anselmus, ad hæc quatuor reduci. Nomine enim claritatis, pulchritudo continetur. Velocitas uerò libertas & fortitudo sub agilitate comprehenditur: uelut sanitas & diuturnitas sub impassibilitate. Voluptatem forsan Anselmus non posuit tanquã dotem, nisi subtilitati adaptetur, eo quòd subtile facilè & absque ullo labore formam recipit, in qua quiescit. Sol. 2. arg.

ARTICVLVS V.

Vtrùm impassibilitas inter dotes corporis glorioſi sit connumeranda.

VT de singulis dotibus dicamus primum se offert impassibilitas. Quæritur ergo utrùm sit inter dotes animæ connumeranda. Et Partis negatiuæ ar. primum. arguitur a parte negatiua. Primò, quia quod est rei definitioni intrinsecum, pertinet ad eius essentiam: sed homo in corpore glorioso erit animal rationale mortale: ergo passibile. 2. Argum. ¶ Secundò, quia cùm consistat ex forma & materia quam moriens reliquerat: materia autem intrinseca si erit in potentia ad alias formas: fit ut 3. Arg. sit passibile. ¶ Tertiò. Patientur homines in corporibus secundum sensus: non enim solum uidebunt, sed audient &

tangent cælum. ¶In contrarium est illud citatum. 1. ad Cor. 15. Seminatur in corruptione resurget in incorruptione.

Pars affirmatiua.

Impossibilitas.

¶Dos hæc prima consulto non appellatur incorruptio: tametsi ad illam consequatur, sed impassibilitas. Et ratio est quod esse in corruptibile non est corporibus gloriosis proprium, sed & corporibus damnatorum cum ipsis commune: impassibilitas uerò est beatis propria. Corpora (inquam) damnatorum sic sunt incorruptibilia, ut tamē sint passibilia passione etiam propriè dicta, ut caloris & frigoris: quæ quidem passiones corpora, nisi Deus in perpetua supplicia illa conseruaret, corrûperent. Quocirca incorruptibilitas illa nō dicitur, dos ueluti incorruptibilitas beatorum quę passibilitatem habet annexam. ¶Accipitur autem passionis nomen dupliciter: uno modo pro quacunque qualitatis receptione, siue sit rei perfectiua, siue corruptiua. Quē admodum generatio habituum scientiarum & uirtutum, atque adeò cognitiones ipsæ dicuntur generali nomine passiones: quanuis hoc non sit propriè pati: sed perfici. Secundò modo accipitur nomen propassione propriè dicta, quam Damascenus lib. 2. de fide ait esse motum præter naturam: tunc enim res propriè patitur, quando à sua naturali dispositione ad naturam agentis trahitur, ut quando aqua calefit. Vnde immoderatus cordis motus, passio eius est: quando uerò cum moderamine mouetur, potiùs est actio, in qua eius uita consistit.

Passio duplex.

Damascē.

1. Conclu. ¶His suppositis ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. Prima. Corpora glorioſa sunt impassibilia passione hac propriè dicta. Hanc asseruit Paul. loco citato, dicens, Seminatur in corruptione surget in incorruptione. Et rursum. Oportet corruptibile hoc induere incorruptionē, & mortale hoc induere immortalitatem. Imò est assertio Christi ubicunque de uita æterna loquitur: ut Mat. 16. Omnis qui reliquerit patrem uel matrem &c. uitam æternam possidebit. Et Matth. 25. Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Eninuerò cum uita æterna post corporum resurrectionem, non solum animæ, sed toti homini promittatur, tam perfectum erit suo gradu corpus tāq; incorruptibile, quàm anima. Vnde Paul. ad Rom. 2. Deus reddet unicuique secundum opera eius, ijs quidem qui gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, uitam æternam.

¶Conclusio ergo confessio est catholica, sed de modo: nempe, quæ nam res sit dos hæc impossibilitatis controuertitur. Etenim cum ad passionem requiratur & principium passiuum (est enim potentia passiua secundum Arist. 5. Meta. principium transmutandi ab altero) & præterea agentis uirtus, potest impassibilitas assignari, aut per hoc quod in corpore glorioso nullum sit principium passiuum, aut per hoc quod in eo sit uirtus impediens actionem agentis. Et uterque modus sub opinionibus uersatur. Quidam enim hanc dotem statui & conditioni elementorum glorificati corporis adscribunt, dicentes quod etsi corpora illa ex elementis constent, non tamen in eis qualitates erunt actiuæ & passiuæ, atque adeò in eis non erit principium patiendi.

1. Opinio.

¶Sed isti ueritatem tollunt, & naturam ueri corporis. Illæ enim qualitates sunt de perfectione elementorum ad diuersam complexionem membrorum pertinentes: erunt enim illic uera caro, uera ossa & sanguis: hæc autem diuersas habent complexiones quæ non nisi ex diuersa mixtura & temperamento illarum qualitatum, scilicet, caloris & frigoris constant. ¶Et eodem pacto refutatur alia opinio dicētium in illis corporibus fore illas qualitates: cohibitas tamen uirtute diuina ne agant. Hæc enim opinio qualitates illas poneret ociosas. Mox & easdem tolleret complexiones, quippe quæ temperata actione earum qualitatum seruantur. Adde quod si corpora glorioſa tangantur sentientur tēperatissimè illæ qualitates: ut quando dixit discipulis suis Christus, Palpate & uidete. Quanquam ab illa temperatissima actione exorbitari non possint, neque ulla futura sit illic actio caloris naturalis in humidū naturale. Huiusmodi enim actio non sustinet nisi uitam mortalem. Præterea isti non ponunt dotem, quæ sit res aliqua positiuè, nisi sola prohibitio actionum naturalium: quod non est congruens naturæ corporis glorificati.

2. Opinio.

¶Tertia ergo opinio finxit in corporibus gloriosis quandam naturam quintæ essentiæ: quam autumant in compositionem uenire humani corporis ad conciliandum elementa

3. Opinio.

ta in harmoniam quandam, ut materia fiat incorruptibilis, consona incorruptibili animæ. Hæc enim inquiunt: quinta essētia in hoc seculo dominio uincitur naturæ elemētalis: sed post corporum resurrectionem uictoriam super eadem elementa obtinebit, atque adeò glorioſa corpora suapte natura faciet incorruptibilia, instar cælestium corporum. Hæc autem opinio & rei physicæ aduersa est, & theologæ ueritati. ¶In compositionem enim mixtorum corporum secundùm Aristotelem in libris de generatione, & de cælo, & secundùm omnes, qui uero nomine philosophorum censentur, duntaxat ueniunt elemēta quatuor quæ sunt sub orbe lunæ. Quare nomine quintæ essentiæ solam cælestem substātiam intelligunt. Ob idq; illam in mixtis asserere, confictum commentum est.

Aduersus quintam essentiam.

¶Præterea dotem impassibilitatis uirtuti naturali tribuere, fide reclamante, non licèt. Apostolus nanque loco citato, uirtuti Christi dotes illas adscribit. Ait quippe, Factus est primus Adam in animam uiuentem nouissimus Adam in spiritum uiuificantem. Qualis terrenus, tales & terreni. Qualis cælestis, tales & cælestes. Et ad Philippenses. 3. Ipse reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. ¶Ad hæc corpus humanum ad proprietatem cælestis gloriæ subleuari, uirtutis certè Dei supernaturalis est. Virtus enim naturalis quantumcunque singatur quinta essentia, non utiq; sic posset naturam elementorum euincere, ut corpus in naturam cælestem transmutaret.

¶Adde quòd cùm alias dotes, quæ corpori glorioso conueniunt, ad rationem beatitudinis pertineant, atque adeò uirtuti Dei perper modum retributionis ei præmij cōferantur. Idem necessum est de impassibilitate sentire.

R. ō. S. Th.

¶Ratio ergo quinta est quam Diuus Thomas impræsentiarum constituit. Causa enim impassibilitatis corporis glorioſi ex illo perfecto modo deducit, quo anima tunc corpus informabit. Nihil enim patitur passione propriè dicta nisi ab agente, quod assimilare sibi passum intendit, euincatur, & superetur. Vt patet in aqua dum ei admouetur ignis. Hæc autem uictoria contingere nequit nisi forma ipsius passi debiliretur, atque eius attenuetur uirtus. Post resurrectionem uerò, sicut anima beata erit omnino Deo subiecta, ita & corpus sic erit animæ ipsi subditum, atque ab ipsa perfectum, ut nullum ei naturale agens dominari ualeat, ut possit ipsum ab animæ dominio & informatione diuellere.

¶Cæterùm hanc Diui Thomæ sententiā, & eius contrarij impugnant, & eius discipuli eo modo glossant, quem Diuus Thomas non explicat.

¶Paludanus nanque distinctione. 44. quæstio. 2. & Capreolus imitatur sic glossant Diuum Thomam, quasi intellexerit dotem impassibilitatis esse quandam qualitatem, qua corpus sic animæ subditur, ut nō possit ab alio agente contra uoluntatem ipsius animæ uinci: quoniam anima dicunt non potest supra corpus excellentius habere dominium, quàm ante, nisi corpus ipsum aliquo modo mutetur: mutatio autem terminatur ad aliquam qualitatem: ergo illa est in beatis. ¶Præterea dotes corporis debent correspondere dotibus animæ: animæ uerò dotes sunt qualitates, ut expositum est, nempe dispositiones actibus antecedentes, uel actus ipsi. ¶Tertiò id patet ex Augustino in epistо. ad Dioscorum, ubi ait, quòd in corporibus glorioſis erit perpetua sanitas & incorruptionis uigor. Et propter hanc autoritatem ait Paludanus posse teneri dotem illam esse in corpore: quanuis dicat fortasse esse in anima, ut per illam qualitatem dominium obtineat in corpus, ut nihil ei præter suam uoluntatem accidat.

Paludanus

Impassibilitas an sit qualitas.

¶Atque hoc potest confirmari similitudine status naturæ integræ: erat enim tunc corpus eatenus immortale, ut posset non mori, idq; habebat per iustitiam originalem quæ erat in anima. Cum ergo in gloria maior sit immortalitas, quia est nō posse mori, id fiet per aliquam qualitatē. Et hæc fuit antiquior opinio Ricardi distinctione præsenti quæst. 2. art. 4. ¶Scotus uerò distinctione præsenti quæstione. 13. & Durandus distin. 44. quæst. 4. non aliam agnoscunt rationem dotis impassibilitatis, quàm Dei assistentiam sua uoluntate impedimentis actionem contrarij agentis corporaque subinde illa conseruantis. Arguit enim Scotus contra illam qualitatem: quia illa non potest esse de natura cælesti, cùm sit in corpore mixto. Si uerò sit materialis, ut durities, quæ incisioni resistit,

Scotus & Duran.

stit,tunc non posset esse contraria omnibus qualitatibus actiuis:ergo non omnem posset contrariam actionem cohibere.

¶Secundò,quia quando aliquid est pluribus commune, eadem ratione omnibus inest:esse autem incorruptibile,est corporibus damnatorum cum beatis commune: damnatorum uerò corpora non sunt incorruptibilia per aliquam inhærentem qualitatẽ:ergo nec corpora glorioſa. Sunt ergo omnia per hoc tantũ incorruptibilia quia Deus uult illa conseruare. Atque ad hanc sententiam annuere uidetur in epistola ad Consentium. 146. Augustinus dicẽs, quòd sicut ab igne fornacis Chaldæorum abstulit Deus uirtutem comburendi.quantum ad aliquid, quia corpora puerorum seruata sunt:sed mansit quantum ad aliquid,quia ille ignis comburebat ligna ita auferet à corporibus beatis corruptionem,licèt manebunt quantum ad alia uera corpora.

¶Alij demum impassibilitatem glorificatorum corporum solùm tribuunt cessationi cælestis motus:sine quo nihil potest aut generari,aut corrumpi.

Reprobatio illius quod impassibilit. non sit nisi conseruatio Dei.

¶Ex his autem postremis opinionibus, ut tres priores uelut reprobas relinquamus, hæc profectò Scoti & Durandi non satis uidetur rei facere.Cùm enim corpus glorioſum dicatur sitq; incorruptibile,necesse est sic ipsum incorruptibile asserere, ut hoc intrinsecus habeat. Veluti Angelus (ut supra dicebamus) natura sua est incorruptibilis & pariter cælum. Item cũ corpus resurget in uitam æternã, necesse est, quòd suppoſita supranaturali uirtute Dei illud resuscitantis, per se ipsum naturam habeat incorruptibilitatis: sicut dicebamus de uisione.Si autẽ non aliter esset incorruptibile quàm per Dei conseruationẽ id profecto nõ haberet ex se, sed prorsus ab extrinseco. Quare nõ posset simpliciter incorruptibile aut impassibile cẽseri. Etenim licet hominẽ modò Deus, uel qdpiã aliud natura sua corruptibile perpetuò statueret conseruare,nõ aliter q̃ cohibẽdo omnia agentia ne illud corrũperent, certe nec incorruptibile propriè diceretur, nec impassibile,neq; diceretur homo immortalis.Qm̃ hæc sunt prædicata rei intrinseca,sed solùm diceretur res diuinitus conseruata:ueluti in statu naturæ integræ cõseruarentur homines per lignum uitæ.

¶Præterea sequeretur,quòd corpora glorioſa non aliter essent incorruptibilia, q̃ corpora damnatorũ : quia nihil plus in se haberent incorruptibilitasis q̃ illa: sed solùm qa omnia per solã Dei assistentiã seruarentur,licèt corpora glorioſa seruarentur insuper à passionib.consequens autem est falsum:quia dotes corporis glorioſi deriuantur à beatitudine, quæ est in anima: atq; adeò impassibilitas est in corpore.

¶Ad hæc dicere corpus Christi nõ aliter esse incorruptibile in cælo, quàm q̃ Deus illud supernaturaliter conseruat, est eius dignitati plurimùm derogare:si autẽ est in se incorruptibile, taliter etiam reliqua erunt:quippe cùm ut ait Paul. ei sint consiguranda. ¶Igitur impassibilitatis corporum glorioſorum præter causas quæ sunt ab extrinseco signanda est causa intrinseca. Ab extrinseco quidem causa una est cessatio motus cælorum. Item quia post diem iudicij nulla erunt agentia extrinseca quæ possint corpus corrumpere,qua ratione nec elementa tunc corrumpentur. Adde & circunstantiam cælestis loci. Nã esto ulla essent agentia contraria, non possent illi loco,sicuti neque modò applicantur,applicari.sed tamen nulla istarum earum meretur nomen dotis. Signanda est ergo causa intrinseca prohibens ne corpus à calore naturali & alijs qualitatibus elementalibus corrumpatur: atque adeò ipsum reddens, simpliciter incorruptibile & impassibile. ¶Hæc autem non absque probabilitate potest constitui qualitas (ut ait Paludanus) corpori inhærens uel animæ:nam sic significantius seruatur, quòd dotes corporis deriuentur ex anima. Qua re tunc sicut lumen gloriæ eleuat animam ut possit uidere Deum,ita & dos impassibilitatis cum reliquis disponeret corpus, ut perfectissimè possit,tum informari, tũ etiam moueri ab anima. ¶Veruntamen quicquid sit de alijs,profectò impassibilitatem non est necesse sic asserere distinctã qualitatem.Nec Diuus Thomas talem insinuat qualitatem,sed ait potiùs,quòd ipsa animæ informatio perfecta, & indissolubilis quæ dat corpori esse perpetuum,est dos impassibilitatis. Contemplatur enim, & re uera doctè,quod anima, quia per uisionem & amorem Dei est Deo omnino subdita,æterna uita fruens, est potens corpus resurgens sic indissolubiliter informare:

Impassibilitatis causæ.

Quod dos impassibili. sit qualitas.

Quod non sit qualitas

re:ad modum quo forma cæli suam informatur materiam,atque adeo alligat sic potentiam materiæ,ut non sit amplius ulli alterationi atque passioni peruia quæ à sua natura corpus distrahat.

Explicatio ueritatis.

¶At uerò propterea huic sententiæ non tanta adhibetur fides, quòd putant nonnulli Diuum Thomam hoc in uoluntatem animæ retulisse: nempe, quòd sicut ipsa subdita est Deo,ita habeat corpus suæ uoluntati subiectum,ut nihil ei præter eius arbitrium accidere possit nocumenti:hoc autem non esset facere corpus impassibile, sed animam omnipotentem respectu corporis cui posset omnia nocumenta cauere.Et tamen Sanctus Thomas illud non tribuit uoluntati, sed naturæ informationis.Itaque licèt beatus se in ignem proijceret,suapte natura corpus non posset magis comburi,quàm cælum uel angelus. Neque ad hoc,ut Paludanus arbitratur, opus est aliqua qualitate existente in corpore. Atqui ad hunc sensum intelligitur dotem hanc deriuari ex animę beatitudine. Et certè hoc est illud,quod ait Augustinus loco citato ad Dioscorum. Tam potentem fecit animam Deus,ut ex eius plena fœlicitate redundet in corpus sanitas perpetua & uigor incorruptibilis. Imò hoc sonat uerbum Apostoli, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem, Certè non aliter quàm per animæ informationem. Atque idem est.Seminatur in corruptione resurget in incorruptionem. Resurget nanque per animæ informationem.

August.

¶Et hoc constituitur discrimen inter glorioſa corpora & damnatorum: hæc.n. non sunt incorruptibilia per dotem quæ deriuetur ab animæ beatitudine: alioqui essent etiam impassibilia. Quanuis ut in sum.con.gen.libr.4.capit.89.ait S. Tho. non sint transmutabilia in alias formas, diuina uirtute corpus animæ totaliter subijciente.

¶Quocirca non est æquale exemplum in iustitia originali per quam uires inferiores erant rationi subditæ:illud quippe tantùm fiebat per gratiam Dei, quam credo fuisse illam iustitiam quæ præter quam quod reddebat hominem Deo gratum, faciebat pro illo statu illam rectitudinem. Neque erat similis immortalitatis illius status,quæ erat potestas non moriendi ab extrinseco per lignum uitæ proueniens. Immortalitas enim corporis glorioſi est tam intrinseca quàm incorruptibilitas cælitquanuis supernaturam ei adueniat.

¶Neque Augustinus ad Consentium citatus ubi exemplum ad hoc propositum inducit de tribus pueris,qui in camino ignis illæsi seruati sunt, huic sententiæ refragatur:imò ei patrocinatur.Ait enim illic carni illorum non esse additam incorruptionem,sed igni detractam corrumpendi facultatem.Infert tamen inde quòd qui uirtutem igni detraxit comburendi, potuit carnem post resurrectionem facere, ut nõ posit corrumpi.Hoc est, quod sit per se incorruptibilis.

August.

Alia ratio.

¶Adde quòd anima tunc informans corpus ad quendam spiritualitatis gradum illud eleuabit,ut sibi ad nutum seruiat. Ait enim 13.de ciuitate Dei Augustinus exponens illud Pauli, Seminatur corpus animale, surget spirituale. Non quòd caro in spiritum conuertetur, sed quia spiritui summa & mirabili obtemperandi facilitate subdetur usque ad implendam mortalitatis indissolubilem securissimam uoluntatem,omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate detracta. Itaque non erit aliud incorruptibilitas q̃ indissolubilis informatio,& coniunctio animæ cum corpore.

¶Vnde ad illud argumentum,quod debẽt dotes corporis,illis quæ sunt in anima cõuenire,respondetur,non opus esse, ut sint perinde qualitates atque illæ: sed sicut illæ sunt uel dispositiones ad operandum, uel operationes ipsæ,ita impassibilitas est perfectissima animæ informatio ad perpetuum esse corporis.

Omnes dotes æquales.

¶Hinc fit dotem impassibilitatis secundùm se consideratam nullatenus esse maiorem in beata uirgine quàm in infimo beato:quia incorruptibilitas est ipsum esse rei non aptum corrumpi: negatio uerò hæc aut priuatio, non suscipit magis aut minus. Atque id asserit Glossa super illud primo.ad Corinth.15. Surget in incorruptione. Nempe quòd æquale omnes habent quòd pati non possint. Erunt tamen inæquales ex parte causæ. Quod est dicere, Habebunt causas inæquales: quoniam dotes dantur propter merita præcedentia ex fide per charitatem operante: quæ quidem merita non sunt in omnibus paria.

¶Ad

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondet Anselmus in libro illo citato de similitudinibus, quòd mortale in definitione hominis à Philosophis adiectum est: qui non nouerunt immortalem uitam totius hominis in anima & corpore: de quo ideò secundum hanc uitam præsentem philosophati sunt. Vel potest dici, quòd secundum Philosophum. 8. Metaphysi, quia differentiæ essentiales sunt nobis incognitæ, utimur quandoque differentijs accidentalibus ad significandum essentiales quæ sunt accidentalium causæ: & ideò nomine mortalis explicantur qualitates contrariæ homini essentiales, quæ sunt mortis causæ.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quòd quamuis in corporibus glorioſis eadem permaneat materia quæ in istis inferiorib. quantum ad substantiam quæ suapte natura est in potentia ad alias formas: est tamen illa potentia ligata per animæ informationem perfectam, ut nequeat amplius illas recipere: quod quidem ligamen non est in uia propterea quòd non ita perfectè dominatur corpori anima nec tam perfectè illud informat.

Aliud arg. ¶Et per hoc respondetur ad illud argumẽtum, quod quispiam hoc pacto posset adijcere. Contraria, ut 1. de genera. ait Philosophus, suapte natura inuicem agunt & patiuntur: in corporibus autem glorioſis erunt qualitates contrariæ, ut dictum est: ergo agent inuicem & patientur secundum suam ultimam potentiam, atque adeò temperamentum uitæ corrumpere.

Respondetur inquam, quòd cum elementales qualitates, ut 2. de anima ait Philosophus, sint animæ instrumenta (eius enim uirtute gubernatur calor naturalis in nutriendi opere) & ubi agens principale perfectum est, & in instrumento nullus est defectus, nequeat actio instrumenti regulam transgredi à principali agenti præscriptam, perfecta illa animæ informatio qualitates moderatur, ne possint à debito temperamento exorbitari. Doctrina est Augustini loco citato ad Consentium, dicentis quòd Deus qui ignem fornacis trium puerorum eatenus compescuit, ne illorũ corpora comburere t: seruando in eo tamen naturam, qua posset urere ligna, potest de ista uisibili & tractabili natura corporum, quibusdam manentibus qualitatibus, alias auferre, atque adeò efficere, ut qualitates maneant contrariæ, sine facultate distemperandi corpus.

Auguſt.

¶Secunda conclusio. Corpora sanctorum patientur passione perfectiua, nempe recipiendo species sensibiles in sensorijs organis ad sentiendum. Negari enim non potest quin sentiant: quia corpora glorioſa resurgent, ut distinct. 44. dicebamus, perfecta absque aliqua labe aut uitio: ergo habebunt organa sensus: si autem illa essent omnia perpetua ociosa, tunc uita sanctorum quantum ad corpora somno potius similis esset quàm uigilantium uitæ, quod opinari non decet. Secundò quia uis sensitiua propinquior est & uicinior spirituali uirturi animæ quàm reliquum corpus, sed corpus sanctorum sua suscipiet præmia pro meritis, ueluti, & corpora damnatorũ sua pro demeritis supplicia: ergo & uis sensitiua corporis glorioſi non frustrabitur: ueluti in damnatis suas patietur tristitias, delectatio uerò sensus non nisi per eorum usus percipitur. 1. Conc.

¶Tertiò sancti mouebuntur motu animali, nam (ut habetur Sapien. 3.) tanquàm scintillæ in arundineto discurrent: motus uerò animalis non fit sine ducatu sensus. Certissimum ergo est beatorum sensus suis potiri usibus. Neque de hoc ullus ambigit. Quoniam huiusmodi passio adeò corruptionem corporum non machinatur, ut sit eius perfectio. Veruntamen de modo est controuersia: Nam quoniam solent cum sensorijs specieb. qualitates materiales in organis recipi, quæ eorum temperamentum lædunt, ut in auditu patet & in odoratu & potissimum in gustu & tactu, nonnulli negarunt sensationes in corporibus glorioſis per susceptionem fieri ab obiecto, sed extra mittendo. Alij uerò dixerunt sensus externos ab internis suscipere species uice uersa qua modo interiores ab exteriorib. eas modo suscipiũt. Duo modi errandi de beatorũ sẽsationib.

¶Neuter tamen istorum modorum rationi consentaneus est. Quoniam potentiæ sensitiuæ non mutabunt naturam suam: sunt autem potentiæ non quidem actiuæ, ut extra mittant, sed passiuæ ut intus suscipiant: idq; respectu suorum obiectorũ. Igitur neque sentire nisi per susceptas species possunt, neque illas nisi à suis proprijs obiectis suscipere. Attamen cum corpora illa non sint susceptiua qualitatum materialium, recipient species spirales, eo

3. Conclu. eo gradu quẽ unusquilibet sensus exigit.

¶Sed maior ambiguitas est utrum omnes sensus, suos illic habebunt usus. De hoc adhibetur tertia conclusio. Certum est qd uisus suo fungetur officio. In hanc enim conclusionẽ unanimi consensu omnes conueniunt. Augustinus quidem. 22. de ciuit. Dei. cap. pen. Differit utrùm corporeo uisu tunc uidebunt, propterea quòd oculus erit spiritualis. Nihilominus certum est illa non posse uidere. Quia spiritualia sub nullo cadunt obiecto sensus, atq; adeò neque sub facultate potentiæ aut sensorij organi. Proculdubio tamen uidebunt sancti cælestia corpora, & simili ratione se inuicem. Est enim uisus sensuum dignissimus, cuius species inter omnes sensibiles pluriMum spiritualitatis habent: nulla ergo ratio uetat quominus beati illo fruantur dignissimo sensu. Illius enim medium ad uidendum est lumen, quod est cælestis qualitas: & inter corporum dotes una est claritas eidem sensui accommoda: uidebunt ergo amœnissimum cælorum splendorem & sanctorum fulgentia corpora. Quinimò & hunc inferiorem elementorum orbẽ, quæ ideò (ut supra diximus) fore claritate illustranda. Et accedit ratio potissima quod omnes oculis corporalib. uidebunt Christum ad iudicium in forma humana uenientem: iuxta illud Apocaly. 1. Ecce uenit cũ nubibus, & uidebit eum omnis oculus, atque adeò ipsum perpetuò aspiciẽt in gloria. Imò illa inter accidentales potissima erit fœlicitas.

Auguſt.

Argum. cõtra conclusionem. ¶Vnum tamen argumentum poterit fortè quempiam ancipitem tenere. Cum species uisibiles non possint nisi per aerem multiplicari aut, per corpus diaphanum, quod sit transparens, & sanctorum locus sit interna pars cæli quæ solida est, & opaca, ut stellæ testantur, quæ nisi opacitatem haberent, nõ possent solis radios quos suscipiunt, reuerberare, non apparet quomodo per medium cælum multiplicabuntur, ut possit beatus distantem alium uidere? Respondetur quòd etsi cælum adeò esset opacum, ut penetrari speciebus non posset tamen ratione status penetraretur. Nam & penetrabitur cum corporib. glorioſis. Sed tamen miraculum hoc non erit necessarium, quia cælum empyreum est usque adeò transparens, & lucidum, ut multo melius per ipsum quàm per purissimam crystallum uisibiles species diffundantur. Nõ enim est sicut astra quæ foras emittunt lucem, ut supra diximus, sed sicut illuminatus aer. Quinimò hinc aliud emergit argumentum in contrarium. Eximium enim lumen in speculo, ut experientia docet impedit ne per species obiecti in ipso receptas ipsum earum obiectum uideatur: ergo tã ingens splendoris uehementia obstaculo erit, tum ne obiecta possint species diffundere, tum ne pupilla tanta claritate suffusa possit illas suscipere. Argum.

¶Præterea beati non poterunt ad tantam distantiam uidere: præsertim, si ut par est, omnes uisu corporeo intueri habent Christum. Aliud arg.

¶Veruntamen respondetur ad primum, quòd uehementia luminis nil per se obstat uisui, quinimò quo splendidius est melius ad uidendum seruit: nisi uisus debilitas obstet, ut in uespertilioue respectu solis. In speculo enim ob id non uidetur obiectum per species in ipso reflexas, quòd ipsas reflectere nequit, nisi dorsum opacũ habeat, qua ratione illi à tergo adhibetur plumbum, quod obscuri atem faciat: & quia nimius radiorum solarium fulgor illam obscuritatem contegit, obstat ne in speculo uideatur obiectum. In cælo uerò, quia uulla erit potentiæ debilitas, nil luminis uehementia obstabit uisui, quinetiam limpidissimę erit uisionis causa. Et pariter respondetur ad secundum, quòd acutissima illic erit acies & acumen uisus: & iõ tenuissimo cono & angulo specierum immutabitur, atq; adeò à quàm longissima distantia uidebunt. Resonſa.

¶Et re uera siue hoc sic fiat ex natura oculi, & luminis, siue supernaturali uirtute: piè tamen credendum est omnes semper uisuros Christi humanitatem. Imò & ex beatis se inuicem multos: præsertim quòd ut infra uidebimus, moueri poterunt ad uidẽdum nunc alios, tunc uerò & alios.

¶Secundus sensus ordine & spũalitatis & eminentiæ in cerebro est auditus, quẽ non nulli negant usum illic habiturum, dicentes quòd solus uisus & tactus suis officijs fungentur. Statuitur nihilominus quarta conclusio. Auditus ẽt in illa fœlicitate habebit usum fœliciſsimum. De hmõi sensationib. ut Auguſt. 22. de ciui. Dei c. ult. ait nihil temerè definire debemus: quia nec excogitare illa quæ illic euenient possumus: Quarta cõclusio ẽ auditu.

mus. Sunt nanque ut est apud Sapientem cogitationes mortalium timidæ incertęq; prouidentiæ nostræ. Veruntamen de illis modulo nostro possumus utcunq; coniectari. ¶Coniectura autem est, ut quicquid ad gloriam Dei sanctorumq; attinet, quæ in alia æternitate æstimari crediq; facilè possit, affirmetur. Soni uerò & harmonia quæ perfectum est auditus obiectum, nil illius æternitatis uetat, quominus intonari possint, & audiri. Illa enim quatuor animalia quæ Ioanni Apocaly. 4. apparuisse referuntur, ait Ioannes, quòd requiem nõ habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus Deus omnipotens. Quod ecclesia quotidie in sacris referens, Deum ipsum precatur, ut cum ipsis angelis qui quotidie clamare non cessant, nostros cantus admittat. Cùm ergo musica hæc ad literam possit absq; ulla absurditate intelligi, nulla est ratio, cur sic non intelligantur. Vnde & super illud Psalmi penultimi. Exultabunt sancti in gloria, & exultationes Dei in gutture eorum, ait Augustinus, quòd sanctorum corda & linguæ non cessabunt laudare Deum.

Cõiectura conclusio.

2. Ratio. ¶Secundò. Cùm usus linguæ ad exprimendum humanos conceptus natura hominibus, ea ratione concesserit, quòd homo est animal politicum, & natum in societate uiuere: quæ quidem societas per huiusmodi conceptuum communicationem colitur, & uegetatur, ratio non permittit quòd sancti in cælo ubi natura perficienda est, illo dono frustrentur. Nam etsi ad beatitudinẽ essentialem sat beatis sit in uerbo ea uidere, quæ illos fœlices faciunt, erit tamẽ per quam iucundum fratribus habitantib. in unum colloquia secum inuicem nectere, & multo fœlicius laudes Dei, quas mente concipiũt linguis efferre: quandoquidem & in hac ecclesia militanti illis uocalibus laudibus Deus colatur, & in illa triumphãti corpora etiam habebunt sancti.

3. Ratio. ¶Tertiò. Sicut pulchrum delectat uisum, ita & auditũ suauitas musicæ, adeò ut Pythagoras cælestes orbes suis motibus cogitaret harmoniam facere: ergo sicut oculi illic suo non frustrabuntur gaudio & lætitia, ita neq: aures.

4. Ratio. ¶Accedit illud quod supra diximus. Nempe sententiam illam. Esuriui et dedistis mihi manducare &c. Et uenite benedicti patris mei sonora uoce pronunciatum iri. Quod si ita fiet, nil mirum si contemplemur Christum nonnunquam beatissimæ matri & reliquis sanctis eum laudantibus uicissim loquutum ire. Illa enim uita erit in corpore et anima iucundissima, non ergo est cur uel Christum, uel reliquos sanctos mutos fore credamus. Quòd si non erunt muti, certè neq; surdi.

Nota. ¶At uerò quanuis loco citato in Apocalypsi dicatur quòd requiem non habent clamãtia, fortasse non tam ad rigorem literæ intelligitur, sed quòd clamabant ordine quodam & per uices cantus quandoque pausando.

Magnũ argu. contra conclusio. ¶Tota uerò difficultas in hac suscipienda sententia huc incumbit, quòd uocalis sermo quomodo fiat non intelligitur nisi aeris uerberatione, qui in cælo non est, item neque fieri potest in corpore solido, quod inscindi nequeat. Nam uox multiplicatur per motum: at uerò corpus cæleste discindi non est possibile.

¶Ad hoc D. Tho. in secundo sen. distin. 2. quæst. 2. arti. 2. bifariam respondet. Vno modò, quod soni illi & uoces multiplicabuntur per sonoras species sine motu, atq; adeò sine incisione corporis: ad modum quo species uisibiles multiplicantur sine incisione aeris. Nihilominus adhibet solutionem secundam, quòd possunt multiplicari soni per incisionem partium cæli empyrei, quod eius ignobilitati non est tribuendum: eo quod factum sit propter beatorum statum, & scinditur impulsione beatæ linguæ. Et Ricardus distinctione præsenti. art. 4. quæst. 3. hanc secundam amplectitur opinionem, quæ ideo uidetur fuisse antiqua. Neq; inde infertur ait D. Tho. cælum illud esse corruptibile: quoniam raritas inquit, & densitas illius cæli non sunt eiusdem rationis cum eiusmodi qualitatibus quæ sunt apud nos. Ob idque licet partes, dum discinduntur condensentur, & dú concurrunt, rarefiant, non ideo corpus est corruptibile.

Ricardus.

¶At uerò profectò non est facilè sic de incorruptibili cælo sentire: cùm scindi corruptio sit. Præterea est argumentum ex qua materia uoces illæ fiant. Nam si dicas fieri ex aere quod in pulmone latet, cùm illo expirato, qui finitus est, non posset alius inspirari, facilè materia illarum uocum absumeretur. Et ideo fortasse uoces illæ per species spirituales, ceu uisibiles, modo nobis occulto efformãtur.

1. Conclu. ¶Tres alij sensus plus habent materialitatis: inter illos uerò minus olfactus: cuius ideo organum in cerebro eminentiùs est organo gustus, de quo statuitur quinta cõclusio. Odor illic suauissimus sentietur. Est tamẽ hic adnotandũ, quòd in illa fœlicitate nullũ erit prorsus corpus nisi cælum, & corpora gloriosa. Quare nullus illic põt esse odor extraneus sicuti apud nos florũ, aut fructuum, aut pigmentorũ. Quocirca illud Apocal. 5. de senioribus illis habentibus singulis phialas aureas plenas odoramẽtorũ, quæ sunt orationes sanctorum: & quicquid simile in sacris literis reperiatur, per metaphoram intelligendum est. Orationes. n. ut est in psalmo. 140. Sicut odorifera incensum diriguntur in conspectu Dei. Veruntamen corpora ipsa gloriosa erunt odorifera ob temperatissimam primarum qualitatum complexionem: stomachus inquam substantia erit odorifera plenus, & reliqui humores odorem mittent. Etenim si sanctorum cadauera in terris odore fragrant, nihil mirum, si eadem resurgentia corpora in cælesti beatitudine cælestibus odoribus recreentur. ¶Quòd si arguas odorem non emitti nisi per effumationem, ut apud nos apparet. Respondetur hoc accidere propter humiditatem quæ odoris sedes est, quæ ut illum emittat, igne est resoluenda. Non tamen hoc de essentia odoris censetur. Nam uultures à remotissima distantia cadauera olfactu præsentiscunt, ad quam fœtoris fumus pertingere nequit.

2. Conclu. ¶Reliqui duo sensus, nempe gustus, & tactus omnino sunt materiales: gustus enim pars quædam est tactus. De tactu ergo subiungitur sexta conclusio, quæ cunctis est receptissima. Vsus tactus erit in patria: nã beati per orbes cælestes transeuntes, & in empyreo existentes, tactum cælorum sentient, quanuis per illos penetrent, & poterunt se inuicem manu tangere, & amplexari: tactus enim ille nihil ad corruptionẽ corporum machinabitur, sed erit sensus perfectio: quoniam species tangibiles non secum deferent reales qualitates, sicuti in nobis caloris & frigoris, iusto temperamẽto humano corpori aduersæ: quia illa beata corpora non patientur passione propriè dicta distemperante corpus, sed recipient illas species spirituali modo, ut uisibiles. Quinimò & homines non glorificati poterunt glorificatum corpus tangere: nam qui per eundem locum quo ipsum est uellet transire, non posset. ¶Quin etiam corpora gloriosa non solũ tangibilia sunt, uerùm & palpantur. Cuius testimonium exhibuit Christus Lucæ ultimo, dicens discipulis, palpate, & uidete. Palpare enim plus quippiam addit super id quod est tangere. Primæ enim qualitates, ut caliditas, & frigiditas, tangibiles sunt, & ideo elemẽta in quibus existunt, tanguntur, ut aer, aqua & ignis, non tamen palpantur, quia non sunt consistentia, & solida, requiritur enim ad hoc quòd res sit palpabilis, ut suo proprio termino consistat.

Palpare.

¶De gustu uero adhibetur septima, postremaq; conclusio. Gustus proprium usum non habebit per saporem extrinsecum. Certum enim est quod illic, ut ait Christus, neque nubent, neque nubentur, atque adeo nullus erit cibi potusve usus, quia neque erit animalis uita. Etenim cum sapor non propter se à natura fuerit animalibus tributus sed propter necessitatem cibi, & potus nulla erit frustratio, si illa necessitate cessante, nullus illic sit sapor. Nihilominus probabilitate non caret ex optimo qualitatum temperamento perinde humorem aliquem perpetuum inesse illic linguæ, ut diximus odorem etiam in corpus diffundi: nempe, ut beati nullo usu sensus corporei frustrentur: humor autem ille saporẽ faciet omnium suauissimum, qui est in hac uita mortali.

7. Conclu.

¶Circa huiusmodi autem sẽsationes omnes poterit quis duhitare, uerùm per illas beatus noua concipiet rerũ iudicia. Respondetur autem quòd recipiet noua iudicia sensus communis, quæ sunt noua experimenta, non autem noua iudicia intellectus: quoniam beatus omnia quæ ad suum statum attinent, scit, licèt sit postea experturus. Quemãdmodum Astrologus sciens futuram ecclypsin, postea illam experitur. Vnde quod ait supra citatus Augustinus illic non fore cogitationes uolubiles, intelligitur de intellectualibus iudicijs.

Iudicium sensus.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm subtilitas sit inter dotes corporis glorioſi connumeranda.

Secunda

SEcunda dos est subtilitas, quam diximus impassibilitati esse annexam, & ideo de illa quæritur utrùm sit inter dotes corporis glorioſi connumeranda. Et arguitur à parte negatiua. Dotes corporis glorioſi excedunt ſimiles omnes qualitates naturales: ut clatitas claritatem ſolis:& agilitas perniciſsimum uentorum uolatum:ergo ſi illic erit ſubtilitas, debet ſubtilitates omnium corporum naturalium excedere, ut aeris:in tanta uerò ſubtilitate nequit humana natura ſeruari.

Partis negatiuæ arg. 1.

¶Secundò arguitur. Si ſubtilitatis dos erit in corpore glorioſo effectus cius,ut fertur,erit ut glorificatum corpus cum alio ſe corpore in eodē loco penetrare ualeat. Reformabitur enim corpus humilitatis noſtræ,ut ad Philippenſes. 3.ait Paulus cō figuratū corpori claritatis Chriſti,& Chriſtus poſt reſurrectionem, ut refertur Ioannis. 20.ianuis clauſis ad diſcipulos ingreſſus eſt:conſequens tamen uidetur fallum. Nā dos ſubtilitatis nequit à corpore corpulentiam qua locum replet auferre: illa uerò permanente non poteſt ſe cum alio corpore penetrare.

2. Arg.

¶Tertiò. Si ſubtilitas ad dotes corporis glorioſi pertineret,faceret ipſum non eſſe palpabile,tum quòd Gregorius in Homilia octauæ paſchæ. Corrumpi inquit neceſſe eſt quod palpatur, tum quòd ſi palpabile eſſet,reſiſteret alteri corpori eundem ſecū intrantem locū,atq; adeò non ualeret ſe cū illo penetrare. Quòd autem non faciat corpus impalpabile docuit Chriſtus Lucæ ulti.dicens diſcipulis poſt reſurrectionem. Palpate & uidete: nulla ergo erit dos ſubtilitatis.

3. Arg.

¶In contrarium eſt uerbum citatum Apoſtoli primæ ad Corinth. 15. Seminatur corpus animale ſurget ſpirituale,ideſt, ſpiritui ſimile:ſubtilitas enim corporis ſpiritualitatem deſignat.

Pars affirmatiua.

¶Ad hanc quæſtionem quatuor concluſionibus reſpondetur. Eſt tamen primum animaduertendum, quòd ſubtilitatis nomine ſpiritualitas corporis glorioſi deſignatur,ut in uerbo Apoſtoli citato innuitur. Nomen autem ſubtilitatis,ut patet in aqua,& præcipuè in aere, à penetratiua uirtute ſumptum eſt. Nam ut 2. de genera. ait Philoſophus ſubtile eſt,quod eſt partibus ac partium partibus ſubintrandis aptum. Ob naturam enim humidi, quod malè termino proprio terminatur, bene tamen alieno,ut in aqua cōſpicimus, corpus quod tangit uſque ad minimam partem influit: & ideo figuram uaſis in quo recipitur facile ſuſcipit, non proprio ſed alieno termino contenta. ¶Hæc autem penetrandi uirtus quæ ſubtilitas dicitur,aut ex tenuitate quantitatis prouenit,ut in acus cuſpide, aut ex raritatis qualitate, ut in aere. Tenuitas nanque materiæ ſecundum latum & profundum, licèt res ſit longa, ut acus,facit,ut facilè penetret. Et hæc ſubtilitas dicitur acuties. Similiter paucitas materiæ,unde raritas naſcitur eundem habet effectum:& ideo aqua, & plus aer, & plurimum ignis nomen ſubtilitatis obtinent,in quibus forma materiæ propter eiuſdem materiæ paucitatem optimè dominatur. At quia ſubtilitate primi generis ratione acutiei quantitatis translatum eſt nomen ad res alias quæ uirtutem habent penetrandi,ſiue corporeæ ſint,ut Sol, cuius uirtus ad intima rerum penetrat, ſiue ſpirituales ut eſt intellectus, qui rerum ueritates penitiſsimas ſcrutatur. Et pariter dicitur ſubtiliſsimus uiſus, qui uſque ad minima uidenda penetrat: & pari modò tactus,atque alius quiuis ſenſus.

Subtilitatis nomen.

Duplex ſubtilitas.

Tres modi dicendi.

¶Subtilitatem ergo trifariam corporibus glorioſis diuerſi tribuerunt Hæretici:nanque quos Auguſtinus refert, opinati ſunt corpus glorioſum' conuertendum eſſe in ſpiritum ſecundum ſubſtantiam,qualis eſt ipſa anima. Quem errorem confutat libr. 13. de ciuitate Dei capite. 23. ¶Conuincitur enim illorum error, ut libr. de duabus naturis oſtendit Boetius. Primò, quia tranſitus unius in alterum fieri nequit, niſi in materia communicent:materia autem cor pori & ſpiritui communis eſſe non poteſt, quandoquidem ſpiritualia immaterialia ſunt. ¶Secundò,quia tunc corpora mortua non eadem reſurgerent, neque homo poſt reſurrectionem conſtaret ex corpore & anima. ¶Tertiò,quia ſi corpora conuertenda eſſent in ſpiritum, conuerterentur in animam, & ſic Apoſtolus non dixiſſet, reſurget ſpirituale, ſed animale: & tamen non dixit niſi quod ſeminatur animale,reſurget ſpirituale, hoc eſt ſeminatur terrenum,& graue tanquàm uitam habens animalem,& mortalem: & reſurget

Hæreſis reprobatio.

Alij hæretici.

get ſpirituale,id eſt,ad modum ſpiritus animæ obtemperans. ¶Alij deinde hæretici dixerunt, quòd corpora reſurgent ſpiritualia propter materiæ paucitatem & raritatem. Itaq; erūt aerea,ut li. 14. Mora. c. 31. refert. Fuit. n. Euthicius Cōſtantinopolitanus Epiſcopus cum quo Gregorius de hac re congreſſus fuit. Aiebat. n. quòd non reſurget corpus palpabile. Hæreſis autem hæc condemnatur uerbo illo Chriſti Lucæ ultimo, Palpate & uidete. Quæ quidem uerba blaſphemus ille aiebat Chriſtum dixiſſe,non quia palpabile habebat corpus, ſed ut diſcipulis reſurrexiſſe ſe perſuaderet. At uerò ſi uerum non dicebat,quomodo uerum perſuadebat? Præſertim cum ſub iunxerit,Spiritus carnem & oſſa non habet,ſicut me uidetis habere? Si enim corpora reſurgentium eſſent aerea, ſicut phātaſmata,ut Apoſtoli putabant eſſe corpus Chriſti,neque oſſibus, neque uera carne compacta, quia os & caro tantam non ferunt raritatem,& tamen Iob. capit. 19. In carne mea inquit,uidebo Deum.

clu.

¶His ergo erroribus reiectis ſit prima concluſio. Corpora glorioſa habebunt ſubtilitatis dotem propter completiſſimam eorum perfectionem & aptiſſimam complexionem,qua erunt animæ dominio inſtar ſpiritus ſubdita. Quemadmodum aer & aqua formam continentis uaſis promptiſſimo obſequio ſuſcipiunt. ¶Hanc autem corporis perfectionem quidam, ut ſupra retulimus,quintæ eſſentiæ adſcribebāt,quæ elementis tunc maximè dominabitur. Sed iam diximus hanc quintam eſſentiam locum in elementis non habere,neque poſſe illa ſic euincere,ut in naturam cæleſtem uertant:ſed quintam eſſentiam ſolùm eſſe cælorum naturam. Non ergo aliunde dos ſubtilitatis conuenit corporibus quàm ex dominio animæ perfectiſſimè dominantis,actuantisq; corpus. Quo fit,ut hæc dos non antecedat,ſed ſubſequatur animæ informationem:per quam corpori tribuit eſſe,ut diximus,incorruptibile & impaſſibile,atque adeò aptitudo illa & facilitas,ut perfectiſſimè obtemperet. Nam forma ſuas ſecum affert diſpoſitiones tanquam proprias eius paſſiones, ut patet de forma ignis cum in materia inducitur.

Contra quintam eſſentiam.

¶Differentiam autem impaſſibilitatis a ſubtilitate, & agilitate Diuus Thomas ſic conſtituit, quòd ſubtilitas ſit omnium prima uidelicet per quam corpus aptè & idoneè ſuſcipit formam ſub ratione informantis ipſum,dantisq; ei eſſe perpetuum: inſtar aeris & aquæ, quæ propter ſuam ſubtilitatem facillimè ſuſcipit uaſis continentis formam. Sed agilitas conuenit ei quatenus ſubijcitur eidem animæ ceu motori:& claritas quatenus ſubijcitur ad alias operationes: impaſſibilitas uerò quatenus anima illud conſeruat. Quocirca impaſſibilitas ſecundum Sanctum Thomam non erit prima ſed ultima dotium.

Conſtitutio S. Th.

¶Durandus uerò diſtinctione. 44. quæſtione. 5. quem Paludanus ſequitur quæſtione. 3. aliam rationem affert, nempe, quod dos impaſſibilitatis conueniat corpori omnium prima ſcilicet quatenus ſubditur animæ in ratione formæ dantis ei eſſe perpetuum:ſubtilitas uero ſit ſecunda qua ſcilicet ſubditur eidem animæ, ut motori quantùm ad reliquas operationes præter localem motum,quales ſunt ſenſationes & appetitiones appetitus ſenſitiui. Sed agilitas quatenus animæ obediens eſt in motu locali. At uerò tunc non reſtaret ratio,qua claritas ei conueniret: & ideo ſi impaſſibilitas ponatur prima, quod re uera eo quod eſſe perpetuum actiones præcedit,congruentiſſimum eſt,ſic uidetur ordo iſtarum dotium conſtituendus. Sunt enim in omnibus tria,ſcilicet, eſſe quod eſt omnium fundamentum. Et potentiæ ad operandum, quæ inde proxime effluunt: ac denique operationes. Impaſſibilitas ergo eſt diſpoſitio corporis recipientis perfectum eſſe. Subtilitas uero poteſt ei annecti ſecundum eorum opinionem, qui aiunt ratione illius poſſe corpus glorioſum penetrari cum alio corpore: quia hoc eſt genus incorruptibilitatis non cedere alteri in eodem loco. Si uerò cum S. Thoma id negetur dicendum fortè, quòd per ſubtilitatem corpus ſit idoneū: obtemperatáque animæ in ſuſcipiendis facilè potentijs & organis & uiribus, ac demum debitis complexionibus corporis, quæ proxime fluunt ex eſſentia hominis, ut aptum fiat ad operandum:ueluti ſubtilia, ut aer & ignis maximè mobilia ſunt. Claritas uerò pertinet ad operationem ſenſuum,& maximè uiſus:ac demum agilitas ad localem motum.

Aſia ratio diſtinguendi dotes.

Sententia autoris.

¶Et per hoc ſolutū reſtat primum argumentum. Subtilitas nanque corporis glo-

Sol. 1. arg.

rioſi non prouenit ex acumine quantitatis, ut in acu, aut ex paruitate & raritate materiæ, ut in aqua, uel aere. Nam tanta eſt materia in corpore glorioſo quanta ad debitam hominis compoſitionem neceſſaria eſt: ſed dos ſubtilitatis eſt habilitas, ut corpus debite ab anima, uel informetur, ut ait D. Thomas, uel ut potentias & organa & debitas uires ſuſcipiat ad operandum. ¶Hinc ambiguitatis colligitur ſolutio de eſſentia huius dotis, ſit ne qualitas diſtincta à corpore. Scotus enim diſtinctione præſenti quęſtione. 16. negat eſſe qualitatem, cui Durandus adſtipulatur diſtinctione. 44. quæſtione quinta. Sed Paludanus quæſtione. 3. probabile exiſtimat eſſe qualitatem. At uerò Diuus Thomas id non inſinuat. Neque uerò opus eſt has qualitates abſque neceſſitate multiplicare. Vnde ſicut de impaſsibilitate diximus, ita & de ſubtilitate dicere poſſumus, quod non ſit aliud, quàm habilitas corporis propter animæ informationem ut facilè uires & potentias accipiat operandi quæ ex ipſo eſſe perpetuo effluunt. Tametſi non magni referat dicere, quòd ſit qualitas.

¶De effectu autem huius dotis etiam controuertitur. Vtrùm ſcilicet uirtute illius poſsit corpus glorioſum cum alio ſe penetrare: hæc autem quæſtio aliam præſuppo-

Cæli non ſunt diuiſibiles.

nit. Vtrùm, ſcilicet, id ſit ſiue poſsibile uirtute dotis, ſiue alia diuina. ¶Primum omnium opinari quis forſan poſſet nulla opus eſſe corpori glorioſo uirtute penetrandi ſe cum cælo empyreo: ſed quod cælum poſſet diuidi ſicuti aer uel aqua. Dixit enim (ut paulò ante retulimus) Sanctus Thom. 2. ſententiarum quæſtione. 2. articulo. 2. quòd diuiditur ad formandas beatorum uoces, idque ipſum opinatur Ricardus diſtinctione præſenti quæſtione 3. articulo. 4. At uerò hoc certè non eſt bene opinabile. Tùm quòd nec uoces uidentur illic formari ex aere, tum quòd non eſt intellectu facilè quomodo corpus illud ſit incorruptibile, & tamen ſit diuiſibile. Vnde Iob 37. Cæli uelut ære ſolidiſsimi fundati ſũt. Quare nec Diuus Thomas nec Ricardus fateri audent, quòd diuidantur ad motum corporum glorificatorum quicquid de ſono dixerint. Præſertim quòd de alijs ſphæris cæleſtibus inferioribus ſuſpicatur nemo eſſe diuiſibiles, per quas tamen aſcendit Chriſtus, aſcendentque beati reſumptis corporib. ¶Quò ergo ad penetrationem redeamus, eam Philoſophi conſtanter negabunt. Enimuerò, ut Philoſophus, & Commentator. 4. Phyſico. capitu. de uacuo docent impoſsibilitas eſſendi duo corpora in eodem loco ex eorum mathematicis terminis prouenit uocant autem mathematicos terminos dimenſiones quantitatis. Quare dicunt, quòd ſi cubus nempe quadrata quantitas abſque phyſico corpore eſſet in loco, non poſſet ſecum aliud corpus ibidem compati, ſecus ſi ſint duo corpora unicam habentia quantitatem, ut materia & forma: materia enim & forma ligni in eodem ſunt loco adæquato. Hinc ergo lumine naturali colligitur duo corpora non poſſe penetratiuè in eodem exiſtere loco. Quinuero Durandus in quarta diſtinctione. 44. quæſtione. ſexta. cui Paludanus adſtipulatur quæſtione tertia. tanquam probabilem opinionem ſuſtinet, quòd per nullam potentiam Deus poteſt facere, ut duo corpora in eodem loco ſe penetrent ſimul. Et ratio eius eſt, quoniam non minus neceſſe eſt duo corpora diſtingui ab inuicem ſitu & loco quam partes eiuſdem corporis ſitu inter ſe diſtare: nam cum ante diuiſionem neceſſe erat partes diſtare loco, id ipſum neceſſe erit poſtquam ſunt duo: partes autem eiuſdem corporis non poſſunt eſſe ſimul: quia de intrinſeca ratione cuiuſque corporis eſt habere partem extra partem ſitu & loco diſtantes: ergo & duo corpora neceſſe eſt ſic diſtare. ¶Fit confirmatur eadem minor propoſitio: quoniam ſi non eſſet neceſſe partes eiuſdem corporis diſtare, poſſet ſecunda medietas poni in eodem loco cum prima: & rurſus ſi illic cõſideres duas medietates, poſſet poni ſecunda ubi eſt prima: atque adeò ſic conduplicando poſſet cælũ poni in loco unius grani milij, quod non eſt opinabile.

Duran. & Paludanus

¶Tertium argumentum ſumitur ex Boetio libro primo de trinitate cap. 1. ubi ait, quòd differentia indiuidualis ſumitur ex accidentibus: duo enim homines non genere aut ſpecie, ſed accidentibus diſtant: potiſsimum autem eſt locus, & ideo fingere (inquit) duo corpora in uno loco non poſſumus. Alia afferunt minoris efficaciæ argumenta. ¶His tamen nihil obſtantibus ſubiungitur ſecunda concluſio. Per diuinam

Boetius.

2. Conclu.

nam omnipotentiam fieri poteſt, ut duo corpora in eodem loco ſimul conſiſtant. At uerò cùm hoc per naturam fieri nequeat, non poteſt concluſio ratione naturali monſtrari, neque ullus merè philoſophus eam reciperet: ſed ſatis eſt ſuppoſita fide rationes quæ contrariæ apparent diſſoluere. Eſt ergo concluſio de fide ſaltim ſecundùm communem ſcripturæ ſacræ interpretationem. Sanè cùm Chriſtus illæſis concluſiſq; uirgineis clauſtris natus fuerit, & occluſo ſepulchro reſurrexerit, & ad diſcipulos obſeratis ianuis ingreſſus fuerit, & per cælorum corpora aſcendens ad patrem abſque eorum inciſione penetrauerit, & ſimiliter in die iudicij aſcendent cum eo beati in corporibus glorioſis, & cum cælo ſe Empyreo penetrabunt.

Sacra teſtimonia.

Durandi reſponſa.

¶Durandus quidem & Paludanus ad omnia iſta reſpondere nituntur, quaſi non ſint de fide. Aiunt quippe, quòd fortè latera uaſis intemeratæ uirginis abſque ruptione poterant dilatari: & cæli ſcindi uirtute diuina. Neque expreſſe habetur, ut aiunt, in euangelio quòd Chriſtus clauſo ſepulchro reſurrexit, aut quòd per fores clauſas fuerit ingreſſus, ſed quòd erant clauſæ dum uenit.

Reproba-tio.

¶Sunt autem cauillationes iſtæ minimè tutè: imò uidentur ſacris textib. inimicæ. Quare Damaſcenus libro. 3. cap. ultimo. Corpus inquit, glorioſum erit ſpirituale, quale fuit corpus domini poſt reſurrectionem, clauſis ianuis pertranſiens. ¶Ratio ergo poſsibilitatis huius, ut ait Diuus Th. eſt quod neceſsitas: ut quodcunq; corpus unum ſibi proprium uendicet locum neque eundem duo ſimul naturaliter replere ualeant, eſt diuerſitas materiæ, quæ diſtinctionem ſitus exigit: unde prouenit, ut cùm duo per mixtionem in unum coeunt, nequeat id fieri, niſi utroque deſtructo unum fiat tertium: ut dum aqua infunditur uino. Igitur cùm eſſe cuiuſque corporis à ſuis intrinſecis principijs: ceu à cauſa ſecunda pendeat: à Deo uerò tanquã à cauſa prima, & quicquid Deus facit cũ cauſa ſecunda, facere ſe ſolo poſsit præter ordinẽ eiuſdem cauſæ, poteſt duo corpora, utroq; in ſuo eſſe conſeruato, in eodẽ loco ponere. Quemadmodũ accidens quod naturaliter mediante ſubiecto conſeruat, poteſt ſubiecto deſtructo ſe ſolo conſeruare: ut ſides nos in ſancto Sacramento docet.

¶Secundò id probatur. Sicut forma & materia lapidem componentes ſunt per eandem quantitatem in eodem loco, poteſt Deus eodem loco ſupernaturaliter ſeruare ſeparatas, ſuam utrique quantitatem tribuendo. ¶Scotus uerò loco citato diſtin. præſenti. quæſtio. 16. hanc rationem D. Thom. refutat. Impoſsibile enim, inquit, eſt, quòd Deus rem aliquam abſque ſuis principijs intrinſecis conſeruet, cuius contrarium hic Diuus Thomas affirmare uidetur. At uerò Diuus Thom. nunquam id ſomniauit: nam quando duo corpora uirtute diuina ſunt in eodem loco, utriuſque principia intrinſeca illic ſeruantur. Sed uult dicere, quòd cum duo eſſe diſtincta duorum indiuiduorum pendeant à diſtinctione materiæ, & diſtinctio materiæ ex diſtinctis ſitibus in diuerſis locis, facit Deus, ut quanuis non ſint in diuerſis locis, nec habeant diuerſos ſitus, habeant eſſe diſtincta in eodem loco. ¶Alij probant eo quòd quantitatis duo ſunt officia, ſcilicet, facere corpus quantum: nempe in ſuis partibus extenſum: & extendere in ordine ad locum, & ipſum occupare. Primum autem habet in genere cauſæ formalis: & poſterius in genere cauſæ efficientis. Poteſt ergo Deus ſeruato priori, ſecundum effectum impedire, ut corpus nõ occupet locum. Hæc uerò ratio non eſt, ut iacet admittenda. Quantitas enim corporis ſe penetrantis cum alio non impeditur, quin occupet locum: imò utrunq; eundem locum occupat ne aliud naturaliter ſubintret ſicut ſolum abſque alio occuparet, etiam ſi eſſet glorificatum: ſed ſolùm fit, ut utraque quantitas alteram ſecum uirtute diuina admittat. Neque uero naturaliter illam repellit in genere cauſæ efficientis, ſed quia locum occupat. ¶Vnde ad argumentum Durand. negatur tam intrinſecum eſſe quantitati extendere corpus in ordine ad locum, quàm ordinare partes in ſe: Chriſtus enim cum ſua quantitate eſt in ſacramento, quod certè Durã. ſine periculo negare non poteſt: & tamen non extenditur in ordine ad locum, & hoc certè maius eſt miraculum quàm ponere duo corpora in eodem loco: ubi neutra impeditur quantitas, quominus ſit extenſa in ordine ad locum. Et ad aliud conceditur, quòd poteſt tota quantitas cæli poni in tanto loco quantum eſt granum

Redargutio Scoti.

Alia ratio.

Solutur argumentum Durand.

Universidad de Deusto
Biblioteca

milij. Imò in minori, nam & quantitas corporis Christi est in sacramento sub quocũque puncto specierum: nec hoc licet Theologo negare. Atque adeò nec ambigere quin Deus possit duo corpora in eodem loco collocare. ¶ Vnde ad rationem Philosophorum respondetur. Dimensiones corporum solùm obstare ne naturaliter duo corpora in eodem simul loco esse possint, nõ autem quin Deus supranaturali uirtute id ualeat efficere. ¶ Et similiter respondetur ad Boetium, quòd loquebatur mera rerũ natura pensata. Principia enim individuationis naturalia sunt tempus, & locus: duo nanque homines non differunt numero, nisi quia unus hoc tempore & loco productus fuit, alius alio alio: nequeunt enim naturaliter duo in eodem adæquato loco & tempore simul produci, secùs autem uirtute Dei, qui non dependet in operando ex loco & tempore. Et ex eodem principio soluuntur aliæ rationes plurimæ, quæ à diuersis doctoribus in fauorem Philosophorum fieri consuerunt.

Solutio rationis Philosophorũ

Ad argum. Boetij.

¶ Veruntamen hac supposita ueritate hoc Theologum inde exurgit dubium. Vtrùm possibilitas hæc penetrandi se unum corpus cum alio in eodem loco glorificato corpori uirtute huius dotis subtilitatis cõpetat. Duo enim de hac re fuerunt errores. Vnus quem supra retulimus illius Euthicij Constantinopoli. quòd corpora glorificata uirtute dotis subtilitatis erunt aerea atque adeò poterunt per poros cuiuscunque alterius corporis penetrare. Hæc tamen absurda hæresis est quæ ueritatem humani corporis tollit. Sanè cùm corpus tũc nõ esset palpabile, nec ueram haberet carnẽ & ossa, cuius contrariũ Christus discipulis persuasum curauit. Nã caro, & ossa aereã raritatem non ferunt. ¶ Sed alius fuit error paulominus absurdus, q̃ uirtute subtilitas habet corpus glorificatum posse suã figurã uariare & in quancumq; paruissimam quantitatẽ contrahere, ut possit per quẽcunq; porũ quantumuis paruũ se le colare. Et ita dicunt natũ fuisse Christũ intrasseq; ianuis clausis p orificiũ exiguũ, & rimulas. Atq; ita dicũt posse penetrare per cælũ. ¶ Sed tamẽ & hæc cogitatio ueritatẽ tollit humani corporis: salua. n. corporis consistentia non põt quantitas nisi per condensationẽ minui, ut quando aqua gelatur, corpus autem humanum tantam cõ densationem non suffert: & multo minus gloriosum, quod cum sit incorruptibile, non est condensabile. Imò licèt fieret, uel per condensationem, uel per subtractionẽ: alia uia, quantitatis, non posset humana figura sub tam exigua quantitate seruari, imò fieret monstrum hominis, ut formica, quod decentiam corporis glorioſi absurdissime dedeceret. Præterquàm quòd cæli non habent poros per quos corpus posset beati transire. ¶ Sunt ergo hmõi figmẽta deridicula: & ideo aliter inter Theologos uariatur opinio supposita ueritate, q̃ possit se corpus glorioſum penetrare cum alio. Scotus enim quæst. 16. citata ait, penetrationem hanc ratione subtilitatis prouenire. At uerò S. Th. d. 44. id negat, cũ quo Duran. consentit. & Ricard. d. præsenti. arti. 4. q. 5. ¶ Arbitror tamen dissidium potiùs in uerbis consistere, quàm in re. Nihilominus rigore propriè loquendi seruato subiungitur tertia conclusio. Quod se corpus glorioſum cum alio penetret, uirtute dotis subtilitatis non habet, sed sola id uirtus diuina facit. Probatur prior pars. Nulla uirtus quæ in corpore glorioſo existat potest illud facere cum alio penetrabile, nisi tollendo penetrationis impedimentũ quod est quantitatis dimensio: hoc autem uirtus subtilitatis efficere non potest: nã si ponatur esse qualitas, siue corporalis, siue spiritualis, non est actiua, ut sic illam ualeat quantitatem, corpulentiamq; tollere, ratione cuius nequit cũ alio se penetrare. ¶ Item quia illã tollere non posset nisi corpus corrũpendo: nã quantitas illa cõpositione corporis insequitur: est enim conditio materiæ, quæ uerè est in corpore glorioſo, corpus autem illud non est in corpore glorioſo, corpus autem illud non est corruptibile. ¶ Præterea quauis fingeretur posse citra corruptionẽ corporis quã titas tolli, nihilominus ablatio illa defectus esset potiùs corporis, quàm perfectio, dos autem subtilitatis ad perfectionem spectat. Et rõnes istæ, quãuis quomodolibet de hac dote loquamur, energiã habeant, efficaciorẽ tamẽ si hmõi dos nõ ponatur esse qualitas & uirtus adiecta corpori, q̃d scotus concedit. Sunt qui similitudinẽ huius penetrationis ex eo existentia luminis cum aere & ignis cum ferro ducunt. Hæc uerò exempla licet ad explicandam rem uulgo conferant, nõ tamen re uera sunt legitima: quoniam lumen non est corpus. Neque in ferro ignito est substantia ignis: quippe quæ tam densam materiam non secum permittat. Quapropter neq; illic est tam intensus calor quàm in flamma candelæ: quia tanta intensio non est nisi cum forma ignis. Veruntamen propter multitudinem & densitatem materiæ ferri imbibitũ illic est plus caloris ob idq; uehementius urit, quàm flamma candelæ. ¶ Alij fingũt, ut ipse Scotus refert, quòd dos subtilitatis quauis quantitatem à corpore non adimat, facit tamẽ ut non occupet locum, & ideo potest cum alio se penetrare: hæc tamen fictio uana est, tum quòd natiuum est quantitati, & ab illa inseparabile, locum occupare, tum quòd uanissimum est dicere corpus glorioſum nõ occupare locum: tunc enim quodcunq; aliud corpus posset naturaliter eundem locum intrare. Neq; illa esset in corpore glorioſo penetrationis uirtus, sed euacuandi locum. Cum tamen corpus glorioſum locum repleat, quare quando aliud est se cum in eodem loco utrunque per se illud replet. ¶ Item sequeretur, quòd unum corpus glorioſum posset se penetrare cũ alio glorioſo, quod nullus Theologorum admittit, nec admittendum est: quia est contra illorum corporum decentiam, & decorem. ¶ Alium modum refert Ricardus, neque omniuo reputat improbabilem, nempe quòd impossibilitas penetrationis non solũ ex dimensionibus proueniat, sed ex debilitate uirtutis ad subintrandũ corpus alterius. Corpora aũt non glorioſa sunt ad hoc debilia: & ideo se nequeunt penetrare. Corpus uerò glorioſum habet illã uirtutẽ subtilitatis & ideo intrat locũ corporis nõ glorioſi, q̃d resistere nõ potest, nõ tamen locũ alterius corporis glorioſi: nam sicut unũ habet uirtutẽ intrãdi, aliud habet uirtutẽ resistẽdi. ¶ Hæc aũt inanis fictio est: nam se penetrare cũ alio corpore non est agere, & quãtitas natura sua resistit, nõ tanquàm uirtus actiua, sed quia locũ replet. ¶ Si ergo quæras ab Scoto, quomodo corpus glorioſum uirtute subtilitatis cũ alio se penetret, respondet hoc habere quatenus ab hac anima informatur. Hoc aũt maiori indiget explicatione, si. n. intelligat talẽ uirtutẽ inesse corpori falsum est, si aũt intelligat esse hoc debitũ illi statui, est uerum. ¶ Ob idq; adhibetur hic quarta conclusio. Quauis corpora duo se penetrare, siue alterum illorum glorificatum sit, siue neutrum, aut utrunque sola uirtute diuina supra rerũ naturam fiat, nihilominus corpori glorificato ratione sui status hoc debetur. Atque hoc ait loco citato Ricard. & fortè uult dicere Scotus, neque D. Th. negat, imò insinuat, & in solutione tertij argumenti quæstiuncula secunda explicat, dicens, quòd corpus glorioſum transibit spheras cælorum sine earum diuisione: non ex ui subtilitatis, sed ex diuina uirtute, quæ eis ad nutum in omnibus subueniet. Quasi diceret. Propter id quod illi statui ex pacto diuino debitum est. Itaque penetratio illa corporis glorioſi cum non glorioſo quauis sit supranaturalis, non tamen est miraculosa, sicut si duo corpora non glorificata se penetrarent, sed potest dici naturalis illius status. Etenim sicut ratione status naturæ integræ homo uirtute diuina tanquàm illi statui debitum seruabatur ne ei aliquod incommodum posset accidere: ita ratione status beatorum conuenit corpori glorificato cum alio se penetrare, quauis hoc fiat uirtute diuina, quæ non est in corpore. Et quia illi statui non necessarium est, neque uerò condecens, ut corpus glorificatum cum alio glorificato se penetret, non est eis hoc debitum ratione status. Et hoc ait S. Tho. d. 44. qu. 2. arti. 2. q. 4. Et ideo dicitur quòd corpus glorificatum potest se penetrare cum non glorificato, non tamen cum alio glorificato. ¶ Quod si roges utrum hoc quòd ratione status possit se penetrare cum corpore non glorioſo possit aliquo modo uirtuti subtilitatis adscribi, respondetur eatenus id posse concedi, q̃ cum uirtus subtilitatis sit illa habilitas corporis, qua subijcitur animæ in suscipiẽdis potentijs, & uirib. ad operandũ & ad existendum in loco, dicere possumus illa ratione Deum pepigisse, quotiescunq; opus esset, concurrere, ut beatus se posset cũ cælo penetrare, & cum illo existere. Nam penetratio cum corpore subtilitatem designat: qualis est in aere & ĩ igne, atq; adeò spiritualitatem: quo ideo nomine Apostolus hanc designauit dotem, dicens, Seminatur animale resurget spirituale.

¶ Et per hoc solutum restat secundũ argumentum in ca. q. propositum. Non. n. effectus subtilitatis est penetratio, sed subiecto ad animam modo exposito.

3. Conclu.

Duo de subtilitate errores.

Secundus error.

Reprobatio.

Opi. Scot.

Alius dicẽdi modus.

Alia opin.

Conclu. 4.

Glorioſũ corp. cũ nõ glori. nõ se penetrat.

Virtute subtilitatis

Sol. 2. arg

Discrimẽ in penetrationibus.

¶Est tamen annotandum discrimen inter penetra iones corporis Christi ante resurrectionem,& post:nam penetratio illa dũ exiuit ex clauso utero matris, nullatenus fuit ratione dotis,quia corpus tunc neque erat impassibile neque habebat dotẽ: sed fuit simpliciter miraculosa,ueluti ambulatio super aquas & claritas transfiguratio-nis. Etenim neque illa fuit dos agilitatis, neque hæc claritatis, sed ambo fuerunt miracula. Resurrectio autem clauso sepulchro, & ingressio ianuis clausis,fuit ratione corporis glotificati, atq; adeò ad sensum expositum per dotem subtilitatis. Quanuis in Christo,ut supra diximus, nõ fuerit ratio dotium. Vnde quòd in Homilia paschali ait Grego. Corpus domini intrauit ad discipulos ianuis clausis,quòd ad humanos oculos per natiuitatem suam clauso exijt utero uirginis, non ex eadem prorsus ratione euenisse affirmat.

ARTICVLVS. VII.

Vtrùm corpus glorioſum dotem habebit agilitatis.

Partis negatiuæ arg. 1.

TErtia dos est agilitas de qua ergo quæritur. Vtrùm in corporibus beatorum sit futura. Et arguitur à parte negatiua. Id quod de se est ad motum agile nullo indiget deferente uehiculo:corpora uerò resurgentium, ut. 1. ad Thessa.c. 4. ait Pau. deferentur obuiam Christo in nubibus:ergo non habebũt agilitatis dotem.

2. Arg.

¶Secundò arguitur.Si agilitas esset in beatis futura,id esset propter localem motũ: ille aũt non erit in beatis: tum quòd ut. 3. Physi. ait Philosophus, motus est actus imperfecti, & illic nulla erit imperfectio: tũ quod ille motus nunquàm est nisi propter indigentiam adipiscendi aliquid quod nõ est in omni loco: & tamen illic nulla erit indigentia,imò ut ait. 22. li. de ciui. Augu. ibi erit quicquid uoles & non erit quicquid noles.

3. Arg.

¶Item. Tertiò quia si illic futurus esset aliquis motus, fieret in instanti: quoniam nulla erit resistentia:& ut 4 Physi. insinuat Philos. ubi non est resistentia motus fit in instanti: ut in uacuo si daretur. Et Aug ait ibidem de illo statu quòd ubicunq; uoluerit spũs,ibi erit & corpus. Vbi insinuat quòd erit motus sicut spiritus uoluerit qui non dependet à loco: mõtus aũt instantaneus non est possibilis: ergo illic non erit motus, atq; adeò nec agilitas. ¶In contrarium est uerbum supra citatum Apostoli. 1. ad Corint. 15. Seminatur in infirmitate surget in uirtute.

Pars affirmatiua.

¶Ad quæstionem iuxta numerum argumentorum tribus conclusionibus respondebitur. Prima. Beati in resumptis corporibus dotem habebunt agilitatis. Hanc.n. Apostolus appellauit uirtutem,infirmitati contrariam: quam homo in hoc corpore corruptibili sentit, quod aggrauat animam. Est aũt dos hæc ordine tertia,corpori congruens in ordine ad motum, ac subinde in ordine ad alias operationes, quib. animæ ad nutum tunc seruiet. Tria.n.art. præcedenti distinximus in corpore. s. esse, posse,& operari. Cum igitur impassibilitas sit dos corporis qua subditur aĩæ tribuẽti ei esse,&subtilitas qua ei subditur,ut idoneè in ipsum potentias uiresq; ad operandum & debitas complexiones perfectiùs influat,agilitas erit dos ad obediẽdum, ut sit facilè mobile:tum motu locali,tum subinde in alijs operationib. ¶Tunc.n.anima ut spũs mouebitur. Vnde Aug. li. 16. de ciui. Dei. c. 27. Imperabit Deus animo: animus corpori tanquàm obedienti: ibi erit suauitas & facilitas, quanta regnandi uiuẽdiq; fœlicitas,& li. 22. c. ul. Qui inquit motus illic talium corporum sint futuri,temere definire nõ audeo, quod excogitare nõ ualeo. Tamen & motus & status,sicut ipsa spẽs,decens erit. Quicũq;.n. erit,ubi quod non decet nõ erit:certè ubi uolet spũs, ibi protinus erit corpus, nec uolet aliquid spiritus,quod nec spiritum possit decere,nec corpus. ¶Quod si quæras utrum hæc dos sit qualitas à corpore distincta. Respondetur, quòd neq; necessitas talis qualitatis apparet,nec D. Th. expresse eam ponit,ueruntamen neq; superflua uidebitur si inesse corpori asseratur, tanquàm motiua uirtus & perfecta sanitas. Vnde S. Thom. ait quòd est perfectio effluens ab animæ glorificata in corpus, qua fit habile,ut subijciatur aĩæ. Et Aug. 13. de ciui. c. 18. dotem hanc graphicè exponens uirtuti aĩæ tribuit. Ait. n. hoc Deum animis illis perfectissimis tribuere, ut sua corpa quãuis terrena, si incorruptibilia,ubi uoluerint ponant,& quo uoluerint agant,motu, situq; facil-

Augusti.

Augusti.

facillimo:nam si angeli quælibet animalia rapere possunt,& ubilibet constituere, cur sanctorum perfecti spiritus diuino munere sine ulla difficultate non poterunt, quo uoluerint sua sistere corpora? Subditq; aptissimum exemplum à corpore sano. Membra enim suæ carnis leuiora portat anima, cum in sanitate robusta sunt, quàm in langore,cum macra sunt. Et cum alijs gestantibus onerosior sit sanus & ualidus,quàm exilis & morbidus,ipse tamen ad suum corpus mouendum, atq; portandum agilior est,cum bona ualetudine plus habet molis,quàm cum in peste,uel in fame minimum roboris. ¶Adde quod caro, ut ait ad Galat. Apostolus, in hac uita concupiscit aduersus spiritum, non solum in moribus,ut suis seruiat uoluptatibus,uerũ in quacunque actione,& obsequio. Corpus enim quod corrumpit aggrauat animam. Et ideò tanquàm præmium beatorum corporibus,quæ in hac uita fuerint iustis animis obsecuta, retribuet Deus agilitatis dotem qua in illis fœlicib. motibus ad nutum illi perpetuo obtemperent. Est ergo agilitas perfecta quædam sanitas ex perfectissima animatione proficiscens, ut expedite obsequi ad nutum ualeat uoluntati beati. ¶Secunda cõclusio. Beati in corporib. glorificatis mouebuntur locali motu. Primò.n.id probatur testimonio Esaię. 40. Currẽt,& non laborabunt: uolabunt, & nõ deficient, ubi nõ solũ citissimus eis motus nomine cursus tribuitur, uerum & pernicissimus,tanquàm uolatus. Et Sapiẽ. 3. Fulgebunt iusti & tanquàm scintillæ in arundineto discurrent. Nomine.n. fulgoris claritas significatur, & scintillarum cursu motus. Et est profectò aptissima allusio. Arundinetum nanque propter arundinũ tenuitatem, & siccitatem paratissima est ignis esca,& ideo cùm primum minimam scintillam capit, illa pernicissimo motu exilit quasi promicans ab una in aliam arundinem. Qua ratione & fulgentissimus splendor ignis,& uelocissimus eius motus designatur, qui fulgor & motus specimen dotium beatorum præ se fert. ¶Ratio præterea ijs accedit testimonijs. Quemadmodum enim,ut supra diximus, illum statum fœlicissimum non condecet, ut beati tanquàm muti sint,aut surdi, sed usu illorum sensuum fruantur,ita neque uidetur consentaneum,ut cùm pedes habeant, & manus,dignissima corporis organa, ueluti lapides sint immobiles,sed quandoque spatientur,ut sua fruantur libertate, aliosq; beatos uisitent, & per eorum mansiones discurrant. Imò & nonnunquam, si libuerit, hũc sublunarem orbem uisere possint. Quinetiam credibile est coram Christo genua flectere. ¶Dubium autem est, utrũ mouebuntur pedibus gradiendo, an uerò auium more, aut leuissimi corporis quod uento rapitur. Respondetur, quòd ascendentes in cælum per aera, aut descendentes,si forsan huc aliquando reuertantur, non ambulabunt,quia elementa aeris, & ignis non sunt firma ad ambulandum, sed mouebuntur uolantium instar:per cælum autem Empyreum mouebuntur pedibus gradiendo:quoniam corpus cæli est solidum. Mouebuntur autem sine cælestis corporis incisione,sed penetrando se per illud,ut se,quando quiescunt,penetrãt. Mouebuntur autem etiam ascendendo absq; ullo prorsus labore & lassitudine,quia corpus glorioſum,ut non est corruptibile,ita neque graue,onerosum,aut fatigabile,sed æqualiter ad omnem differentiam positionis mouebitur. Augusti. enim. 22. de ciuit. Dei cap. 11. Deus inquit à corporibus beatis auferet graue pondus. ¶De hoc autem multiplex est opinio. Sunt enim, qui dicant,quòd mouebit se beatus ad modum uoluntatis & spiritus ab uno loco in aliũ, non transeundo per medium sicut possumus cogitationem & affectum trãsmittere à terra in cælum sine medio. Ad quod propositum illud supra citatũ Augusti. ni afferunt, Vbi spiritus erit,erit & corpus. ¶Hoc tamen credibile non est: tum quòd corpus non potest usque ad spiritus naturam,& nobilitatem transcendere:tũ quòd dũ intellectus,& uoluntas cogitatione aut affectu mutatur,non transmigrat essentialiter,quia non continetur his locis, de quibus cogitat,sed dicuntur trãsire, quia suos actus ab uno loco in alium dirigunt. ¶Alij uerò aiunt, quòd corpus glorioſum quanuis natura sua non possit transire de extremo in extremum sine medio, atque adeò moturum se fore in tempore:uirtute tamen gloriæ suæ ratione status mouetur in instanti,non transeundo per medium. ¶Aduersus hanc autem conclusionem statuitur tertia conclusio. Corpus glorioſum neq; mouetur,neq; moueri pot in instan-

Secunda conclusio.

Tanquam scintillæ.

Ratio conclusionis.

Vtrùm gra dientur.

Multiplex opinio.

Reprobatio.

3. Conclu.

ti, sed mouetur subito, hoc est breuissimo tempore & quasi modo nostro imperceptibili. Priorem partem super. 4. Physi. in materia de uacuo. q. 3. latè probauimus. Angelus enim qui est substantiæ incorporeæ, atque adeò à loco nó pendens potest quidem transire à loco, A, usque ad locú C, & non per medium B, atque adeò potest moueri in suis instantibus, ut nunc sit in C cum immediatè ante hoc fuerit in A & nunquam in B, corpus uerò gloriosum in suo motu pendet à loco, atq; adeò non potest transire ab A in C nisi per medium B, unde sequitur quòd nec possit moueri in instãti. Detur enim quod moueatur ab A in C, Tunc aut quando mouetur totum est in A, aut totum in C: & utrumlibet dederis, non mouetur. Nam si totum est in A nondum cœpit moueri, si uerò in C, iam est motum: debet ergo esse partim in A & partim in C aut in medio B. Si est partim in A & partim in C necesse est, quòd partim sit etiã in medio B,: alioquin pars quæ est in C non esset continua cum ea quæ est in A: aut debes dare, quòd totum sit in medio puta in B. Si uerò dederis quòd est partim, aut totum in B, consequitur aut quòd est simul in pluribus locis, quod est impossibile, aut quòd priùs totum transiuit per B quàm peruenit ad C, atque adeò non poterit in instanti. Quòd si contenderis quòd per potentiam diuinam ponetur simul in pluribus locis, tunc non mouebitur, sed quiescet. Fit ergo consequẽs quòd corpus gloriosum mouetur in tempore nobis imperceptibili, scilicet, uelociùs quàm uelocissimi uenti flatus. Si tamen uoluerit. Nam poterit ut libuerit moueri.

¶Nihilominus non est necesse quòd omnes beati æqualem habeant uirtutem mouendi se. Nam quodcunq; tempus quantumuis paruum, est in infinitum diuisibile, & ideo quantulocunque paruo tempore moueatur unus, potest in minori moueri alius secundũ meritorum rationem. Quantuis fortasse non sit necesse tam exactam meritorum rationem in motu sequi, quàm in uisione.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, ut supra diximus, quòd corpora gloriosa non subleuabuntur in nubibus propter necessitatem, sed propter reuerentiã & honorem.

Sol. 2. arg. ¶Ad secundum respondetur, quòd motus localis nihil rei intrinsecum uariat, quia non dicit ordinem nisi ad externum locũ: quare id quod tali motu mouetur (ut. 8. Physicorum ait Philosophus) nihil in se habet imperfectum, sicuti quod mouetur motu alterationis aut augmenti. Neque uerò mouebuntur propter indigentiam rei necessariæ quæ illis ad suam perfectionem desit, sed tum, ut sua utantur libertate, tum ut eorum potentiæ suis usibus decorentur.

¶Neq; obstat quod ait Philoso. 2. Cæli. s. quòd ea quæ diuinam bonitatem sine motu participant, fœliciùs illam participant quàm cum motu. Illud enim intelligitur quando nequeunt illam sine motu participare, quod non est in beatis.

De mãsionibus.

¶Quòd si arguas. Quo quisque erit beatior sublimiori erit mansione, quare Christus (ut. 2. ad Hebræos ait Paulus) excelsior cælis erit factus, gloria & honore & dignitate. Respondetur, quòd mansiones tribuuntur beatis secundùm præmium accidentale, & ideo non est necessarium, ut illam nemo mutet. Nam inde descendens nec uariabitur essentialis uisus Dei nec decidet de dignitate quam habet manendi in sua mansione. Quare nihil uetat quominus & existentes in inferioribus mansionibus nonnunquam ascendant: quoniam neque per hoc augebitur eorum dignitas.

Sol. 3. arg. ¶Ad tertium uerò respondetur (ut prædicta. 3. q. super. 4. Physic. respõdimus) quòd Aristoteles de uacuo non arguit ostensiuè, ut probare contendat, quòd si daretur uacuum, motus fieret in instanti, sed arguit ad impossibile, supposita illorum Philosophorum opinione qui nullam resistentiã immobili intrinsecam agnoscebãt. Tunc enim cum in uacuo nulla esset extrinseca, sequeretur illud impossibile quòd motus fieret in instanti. Aristoteles uerò, quia mobile quodcunque finitæ actiuitatis est, secluſa resistentia medij intellexit successionem motus. Sic ergo de corporibus beatorum dicendum, quòd licèt medium non resistat, mouentur nihilominus successiuè. Non quidem in tempore uerò quia post diem iudicij nullum erit. Sed erit secundũ rationem prioris. At quia motus ille & posterioris erit imperceptibilis, ait Augusti. quòd ubi uoluerit spiritus, ibi erit & corpus: scilicet, quàm citissimè.

AR-

ARTICVLVS. VIII.

Vtrùm in corporibus beatorum erit claritas.

1

Partis negatiuæ argu. 1.

QVarta postremaq; inter corporum dotes est claritas, de qua ideo quæritur utrũ sit in eis futura. Et arguitur à parte negatiua. Corpus luminosum, ut ait Auicen. 6. de naturalibus est peruium, hoc est pellucens transparens ut crystallus: corporis autem gloriosi non omnes partes possunt esse peruiæ & transparentes, quippe quæ sunt terrenæ, ut caro & ossa: ergo non erit lucidũ.

2. Arg. ¶Secundò. Lux & color cõtrariam dispositionem exigunt in subiecto: quoniam, ut li. De sensu & sensato Philosophus ait, lux est extremitas perspicui in corpore non terminato, sed color in corpore terminato: corpora uerò beatorum erunt colorata: ergo non erunt lucida.

3. Arg. ¶Tertiò. Si corpora gloriosa essent clara & lucida, non esset in potestate beati, non uideri à quocunque oculo etiam non glorificati corporis, quia lux omnibus est peruia: consequens tamen est falsum: quia Christus postquam resurrexit, ut Lucæ ultimo legitur, occultauit se discipulis euntibus in Emaus: ergo corpora beatorum nulla erunt claritate fulgentia.

Pars affirmatiua.

¶In contrarium est uerbum apostoli primæ ad Corinth. c. 15. Seminatur in ignobilitate surget in gloria.

1. Conclu.

¶Ad quæstionem duabus conclusionibus respondetur. Prima. Beatorum corpora erunt clara & lucida. Conclusio est de fide Matth. 13. Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum. Et loco citato Sapientiæ tertio. Fulgebunt iusti & tanquam scintillæ, &c. Atque illam claritatem Paulus appellauit gloriam. Vnde cum beatos astris comparasset, dicens aliam esse claritatem solis, aliam lunæ, aliam stellarum, subiunxit, Seminatur in ignobilitate surget in gloria. Enimuerò gloria nihil aliud est, quàm nobilitatis splendor quo excellentia personæ omnibus publicitus innotescit. Et ad |Philippenses 4. Saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suę. Atqui (ut Matth. 17. legit) quo corporis gloriam, & claritatem suis discipulis indicaret, transfigurauit se in monte ante eos. Vnde Iob cap. 28. de sapientia loquens (quo nomine beatitudo intelligitur.) Non adæquabitur inquit ei aurum uel uitrum, neq; topazion de Aethiopia. Super quæ uerba Gregorius. 18. Moral. cap. 31. ait quòd in auro claritas fulgentium beatorum designatur: & in uitro perspicuitas cordium.

¶Illi quintæ essentiæ fautores eidem claritatem ueluti impassibilitatem & reliquas dotes ascribunt. Sed hanc iam supra opinionem reiecimus. Est ergo claritas nihil aliud quàm fugor, qui ex animæ beatitudine in corpus influit. Id enim quod recipitur, non ad modum influentis, sed ad modum recipientis suscipitur: quare nihil obstat quominus ex spirituali gloriæ splẽdore, qui est in anima, corporalis claritas resultet in corpus: ut sicut gloria animæ participatio est gloriæ diuinæ: ita & gloria corporis sit participatio illius quæ est in anima. Vnde si qua dotium qualitas est corpori infusa, id de hac potissimum claritatis dote sentire congruit, ab ipso distincta. Haud enim claritas hæc solùm est intelligenda, ut Durandus distinctione quadragesimaquarta quæstione. 8. refert, Metaphoricè scilicet, quod sit manifestatio illius gloriæ. Aut sic tantum, quòd illa corpora sint terſa & polita, ut sicut speculum alieno lumine lucet: ita ut solo illo lumine luceant, quòd à sole, uel à cælo Empyreo suscipiunt. Sed quod in se habeant inhærentem lucem: ueluti sol ipse, & pretiosi lapides, qui etiam in tenebris lucent.

Qũo aĩa claritatem corp. efficiat.

¶Veruntamen non ita planus est intelligendi modus, quo corporalis claritas ab illa spirituali animę deriuetur, utrũ. s. anima concurrat in genere causæ efficientis. Non enim satis intelligitur qũo anima efficere possit claritatem illam. Et ideo contra hanc opinionem Sancti Tho. arguit Ricardus dist. præsenti art. 4. q. 6. Anima quippe beata non potest illam claritatem de nihilo facere: quia creare non potest: neque illam ualet de claritatis suæ uisione efficere: quia sicut corpus nequit in spiritum transmutari, ita nec spiritus in corpus. Et ideo Ricardus duos modos excogitauit. Vnum scilicet, quod quemadmodum anima uirtute intellectus agentis

Ricardus.

ab-

Universidad de Deusto
Biblioteca

abstrahit à phantasmatibus species intelligibiles, ita anima de corporali materia corporis uirtute beatæ uisionis educat illam corporalem claritatem. ¶Attamẽ hoc non tam facilè intelligitur quàm dicitur: quoniam non est in corpore materia signabilis, unde illa claritas educatur. Est ergo modus alius quòd claritas illa producitur per creationem à Deo. Et certè, si est qualitas, ita dicendum est. Nisi quod, quemadmodum supra diximus uisio in sua uirtute eminenter continet dotes istas: quia tanquam illi debitum statui, qui beatis conuenit ratione uisionis & ratione illius perfectissimæ animationis qua anima informat corpus, dotes illæ corporibus obueniunt.

Nõ in omnibus eadẽ erit claritas.

¶Neque uerò omnes beati, ut ait Paulus æquali claritate rutilabunt, sed secundum iustitiæ distributionem & pro meritorum cuiusque & dignitatis ratione. Itaq; Christus erit inter omnes sicut sol, atque omnium beatorum exemplar. Cuius iudicium fuit quòd in trãsfiguratione resplenduit facies eius sicut sol: & uestimenta eius (quorum nomine designantur Sancti) facta sunt alba sicut nix. At uerò quanuis euangelista exemplum posuerit in sole nobis noto, credibile tamen est quod beatorum minimus fulgentiùs quàm sol splendebit. Nam si cælorum lux (ut supra diximus) propter statum filiorum Dei augebitur, ratio uidebitur exposcere, ut beati ipsi micantiùs eluceant. Veruntamen non opus est, quod unus beatorum tantum luceat quàm sol, propterea, quòd sol quàm latissimo interuallo maior est beato corpore: sed si daretur tantula particula solis quantum est illud corpus, rutilantius illud esset.

Dubium.

¶Est autem hic dubium utrùm corpora beatorum à corpore non beato naturaliter uideri possint. Ricardus nanque distinctione præsenti artic. 4 quæstione. 6. aduersus Sanctum Thomam partem sustinet negatiuam: duo scilicet asserens. Primùm q claritas illa corporum beatorum specie differt à claritate elementorum & a claritate solis. Vnde quando dicitur, quod fulgebunt iusti sicut sol insinuatur æqualitas, imò plus lucebunt iusti, sed similitudo caput nostro accommodata: quia solis claritas est imitatio quædam illorum beatorum. Secundò ait. Quod nisi beatus temperare lucem illam uoluerit, ut quasi subparua nubecula appareat, nequit propter sui excellentiam & debilitatem oculi non glorificati ab illo uideri. Et potest exemplo doceri uespertilionis respectu solis. Et re uera est magnum argumentum quod si naturaliter posset ab oculo non glorificato uideri, consequeretur, quòd non esset in facultate beati occultare se non beato dum uellet: quia claritas illa naturaliter repræsentaret: nisi de loco illo beatus abscederet: cùm tamen Diuus Thomas, & omnes contrarium doceant.

¶Accedit & Augustini testimonium libr. 22. de ciuitate Dei capit. 19. ubi ait, quòd claritas corporis Christi cùm resurrexit ab oculis discipulorum abscondita fuit: quoniam eam non ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, ut posset agnosci. Igitur opinio hæc Ricardi profectò probabilitate non caret. Neque uerò scio quid S. Thom. sensisset si in summa hucusque peruenisset. ¶Nihilominus hic licèt eandem referat opinionem, illam tamen respuit, & cõtrarium sentit.

2. Conclu.

¶Secundùm quem statuitur secunda conclusio. Quanuis corpus gloriosum uideri à non glorioso naturaliter ualeat, est tamen in potestate beati illud occultare ne ab oculo non glorioso uideatur. In hanc secundam partem Ricardus & omnes consentiunt. Priorem uerò inde Diuus Thom. probat, quòd ei non uidetur contraria opinio posse defendi, nisi dicendo lucem illam non esse eiusdem rationis cum luce solis. Nam si est eiusdem rationis cadit sub obiecto uisus eiusdem rationis cum nostro, qualis est oculus damnatorum. Quòd autem sit eiusdem rationis probat. Nam cùm in sacris asseritur, quòd fulgebunt iusti sicut sol, lux intelligenda est qualem nos conspicimus: alioqui non intelligeremus quid esset.

¶At uerò probatio non est satis euidens: quoniã quicquid sit de sole respectu ignis, cuius claritates fortè, ut calores sunt eiusdem speciei, sustineri tamen potest, quòd claritas illa beatorum sit alterius speciei. Et quanuis sit eiusdem, manere tamen uidetur alia ratio in suo rigore: scilicet, quòd oculus non glorificatus proportionem ad illam luminis excellentiam nõ habeat, quemadmodum nec uespertilio ad lumen solis. Veruntamen Diuus Thomas respondet, quòd claritas beati corporis licèt in essentia sit eiusdem speciei cum claritate solis, nihilominus in modo efficiẽdi est alterius rationis. Et ideo sicut corpus ipsum non potest pati nisi passiones animalis, scilicet sensus, ita non potest impedire quominus à quocunque oculo naturaliter uideatur. ¶Opinio hæc præterea Sancti Thomę sacris oraculis fulcitur: ut est illud Apocalyp. 1. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt, scilicet Christum ad iudicium uenientem, & Sapientiæ. 5. de eisdem damnatis legitur, quod gloriam filiorum Dei uidentes turbabuntur timore horribili & mirabuntur in subitatione in speratæ salutis. Item si configurabimur (ut ait Paul.) corpori claritatis Christi, cùm claritatis illius exemplum fuerit illa quæ in transfiguratione Domini in eius facie resplenduit, sit ut & claritas beatorum sit, ueluti illa, uisibilis, quanuis negandum nõ sit quin humanus oculorum obtutus non posset tam eximium splendorem diu ferre propter allegatam Augustini autoritatẽ. Et fortasse in die iudicij nõ apparebit damnatis Christus & reliqui beati nisi nubibus tẽperantibus corporum splendorem.

¶Secũda pars conclusionis probatur, quoniam quando Christus suam celauit claritatem discipulos illos euntes in Emaus, dũ cum illis colloqueretur, non censetur nouum miraculum, sed status glorioſi corporis obedientis animæ ad nutum: ergo & omnibus beatis ratione illius status conueniet, ut oculis non glorificatis occultare se possint. ¶Et confirmatur: quoniam claritas illa ob eorum merita illis donata est: ergo suæ est uolũtati subiecta. Vnde quando Christus se discipulorum oculis subtraxit non fuit necesse, ut inde abscederet:

¶Verùm est tamen quòd si est qualitas, non est intellectu facile quomodo arbitrio beati possit occultari. Item est argumentum, quod etiam se posset beatus alteri beato contegere, quod concedi non solet. ¶Respõdetur nihilominus, quòd cùm illa non producatur nisi ex uirtute Dei, ex debito & decentia illius status, non decet, ut beati se sibi mutuò occultent: secùs respectu aliorum quando uoluerint. Ad eorum nanque nutum Deus illis subuenit, ueluti de subtilitate secundùm Sanctũ Thomam dictum est.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd Auicenna, & Philosophi loquuntur de corpore luminoso, quod ex natura sua charitatem habet, quod non potest esse nisi peruium & trãsparens ut Cryſtallus. Corpus autem glorioſum non ex natura, sed ex merito. ¶Dubia tamen est sententia hæc propter uerbum illud citatum Gregorij. 18. Moral. cap. 31. quòd in auro intelligitur beatorum claritas, & in uitio pellucentia seu transparentia. Quod uerbum exponens D. Thom. credit, quòd corpora illa erunt transparentia. Quanuis profectò obscurè loquatur. Nam in solutione primi respondens, ut modò dicebamus ad Auicẽnam, ait corpora beata non fore pernia, id est, transparentia. Sed statim exponendo uerbum Gregorij contrarium dicit, scilicet, quòd densitas illorum corporum non contrariatur peruietati. Facit enim argumentum hoc. Omne corpus lucidum occultat illud quod est post se. Vna enim flamma occultat & eclypsat illud quod à tergo illius est: corpus autem glorioſum non occultat, dicẽte Gregorio, quòd erit sicut uitrum: ergo non erit lucidum. Et respondet negata consequentia. Imò erit lucidum, quod Gregorius ait significari in auro, & simul peruium & trãsparẽs quod significatur in uitro. Quia densitas inquit illorum corporum qualem dispositio exigit humani corporis, non obstat transparentiæ: Cryſtallus enim densissima est, & nihilominus transparens.

Sol. 1. arg.

Ricardus.

¶Ricardus uerò inter respondendum ad idem argumentum, negat illa corpora esse transparentia. Nam densitas, inquit, repugnat transparentiæ. Quare res transparentes, ut Cryſtallus, non sunt inquit densæ, sed porosæ: quanuis sint duræ: neque opus, inquit est, ut maior semper densitas maiorem duritiem sequatur. ¶Ad hoc ergo dicendum in primis, quòd uerbum Gregorij non debet nobis tantum negotium facessere. Ipse enim non ait corpora glorioſa fore ut uitrum, eo quòd sint pellucentia & peruia respectu oculi corporalis: ut scilicet possit unus beatus uidere tertium, qui est à tergo secundi: quasi corpus secundi esset sicut uitrum: sed quia est perlucens oculis mentis: nempe quòd unus beatus uidet cor alterius sub eius corpore latens. Ait quippe illam beatorum societatem esse, ut aurum & uitrum, quorum corda

Snĩ autoris a

da sibi inuicem & claritate fulgent,& puritate translucent. Et ideo bene potest opinio Ricardi sustineri. Non tamen propter eius rationem, scilicet,quòd eorum densitas transparentiæ obstet:nam certè crystallus densissima est:sed quia id neque naturæ corporis humani cõgruere uidetur,nec ad illum statum esse necessarium. Nihilominus & opinio Sancti Tho. est satis probabilis: quia illa corpora erunt ueluti spiritualia,animis ad nutum obsequentia. Et ideo ait, quòd sicut in potestate corporis glorioſi est ostendere se non glorioso uel se occultare,ita & occultare corpus post se existens.Hoc pacto,quòd quando ostendit se ipsum, tunc occultabit aliud: quia eius colores impedient ne per ipsum uideatur alterum coloratum, eo quòd duo diuersi colores per idem medium non uidentur: sicut depicta uitrina non permittit, ut colores alieni trans ipsam uideantur.Quando uerò non se ostendit, tunc non occultabit aliud, quin possit per ipsum transuideri.Itaque quando Christus ab oculis euntium in Emaus disparuit,si illic permansit, potuerunt discipuli trans ipsum uidere alia corpora sicut per lucidam Crystallum. Et propterea in solutione ad primum respondit ad Auicennam.Corpus gloriosum non esse peruium sicut naturale,quia naturale semper transluce: nec potest corpus trans ipsum existens occultare.

Sol. 2.arg. ¶Ad secundum igitur principale argumẽtum respondetur, quòd gloria naturã non tollit,sed perficit: & ideo corpora glorificata iuxta eorum naturam erunt colorata,eademq; pulcherrima. Corporis enim pulchritudo(ut.19.de ciuit.Dei,ait Augustinus) est partium conuenientia cum quadam coloris suauitate. Quæ profectò pulchritudo beatos maximè condecet:sed nihilominus erunt claritate suffusi:ut quemadmodum uitrina per solares radios suos colores demonstrat,ita & corpora gloriosa suam pulchritudinem per suam propriã claritatem ostendant. Quanuis non omnia membra pari fulgore reluceant: quia non omnia sunt paris lucis capacia, ut os quàm caro.

Sol. 3.arg. ¶Ad tertium iam respõsum est, quòd cùm hoc claritatis donum detur propter meritum,in potestate beati erit ipsius effectum impedire.

Obiectio. ¶Quòd si arguas.Qualitas inest corpori glorioso sicut quantitas: non autẽ in potestate beati est quantitatem minorem facere, aut maiorem: ergo neq; est in eius facultate claritatẽ illam,quæ est qualitas,obtegere. Negatur consequẽtia:quia quantitas naturaliter inest corpori, quare non posset sine corporis mutatione mutari: neque uerò est actiua, claritas uerò est donum supranaturale, & est actiua:& ideò in potestate beati positum est, non quidem illam tollere, sed tamen eius effectum impedire.

¶Quòd si redarguas. Ergo pariter potest impedire ne uideatur à corpore glorioso. Fortasse posset si expediret:sed tamen consequentia non ualet:quoniam cùm illa occultatio sit propter decẽtiam illi statui debitam,non uidetur decere, ut unus beatus coram altero existens se possit illius obtutui subducere.

QVAESTIONE QVINTA, De aureolis.

ARTICVLVS I.

Vtrùm aureolæ sint in beatis futuræ à fructibus distinctæ.

QVinta demum quæstio, quæ hanc distinctionem clausura est,instituitur de Aureolis, quæ non omnibus beatis, sed quibusdam competunt, & ideò quæritur primò,utrùm sint à fructibus distinctæ.Et arguitur, quòd nulla sit aureola illic futura. Aureola nominat præmium accidentale ab aurea distinctum, quæ est beatitudo essentialis: beatitudo autem essentialis omnia præmia comprehendit, cum sit status, ut ait Boetius, omnium bonorum aggregatione perfectus:ergo aureola ab aurea non distinguitur. 1. Arg.

¶Secundò arguitur.Eidem merito non debentur diuersa præmia, eidem autem merito,scilicet, uirginitati, respondet aureola,& pariter fructus centesimus, ergo aureola à fructu non distinguitur. 2. Argum.

In contrarium. ¶In contrarium autem est, quòd ecclesia militans cum à triumphante descendat: iuxta illud Apocalyp.21.Vidi ciuitatem sanctam descendentem de cælo,illam imitatur,in ecclesia uerò militante uictoribus conferuntur

Nomen aureolæ. tur laureæ:ergo & in triumphante.

¶Aureolas, qui solam linguam latinã consuluerit, non ab auro aureolas,sed à lauro fortè laureolas nuncupabit:nam in re militari uictores,præcipuè apud Romanos, diuersis sertis donabantur.Erant enim diuersa coronarum genera. Vt triumphalis ex lauro: eo quòd hæc arbor lætitiæ,uictoriarumque sit nuntia:sicuti oliuæ ramus, quã columba ad Noe in Arcam detulit,fuit misericordiæ Dei nuntius. Et alia erat obsidionalis ex gramine, quæ donabatur ei, qui obsessos ab obsidione liberasset. Et ciuica ex quercu, qua insigniebatur ille qui ciuem seruasset. Erat etiam & muralis, & naualis,atque aliæ id genus, & ideo uidentur illæ coronæ non esse dicendæ aureolę, sed laureolæ:atq; adeò nihil mirũ, si quis suspicetur, uitio scriptorum pereunte prima litera,pro laureola dici aureola.

¶At uerò non ita conijciendum est, sed quòd patres consulto ab auro aureolam dixerint. Beatitudo nanque aureæ coronæ pluribus de causis comparatur. Prima q̃ cùm uita hæc humana, ut Iob.7. legitur militia sit super terram, meritorum præmium meritò dicitur corona: iuxta illud primæ ad Thimothæum.4. Reposita est mihi corona iustitiæ. Et secundæ ad Thessalonicen.2.Non coronabitur,nisi qui legitimè certauerit. Præterquàm quòd circularis coronæ figura,quæ & omnium perfectissima est, & nec principium habeat neque finem, sed principium in ea coniungitur,fini, tum perfectionem beatitudinis significat, per quam beati suo coniunguntur fini,tum etiam & eius perpetuitatem. Dicitur uerò aurea, non solùm propter illius beatæ lucis fulgorem, sed præsertim, quia beati illi possessores regni cælestis, ut reges æstimantur: eo quòd Deo sunt sanctissimè subditi,cui seruire regnare est. Iuxta illud Apocalyp.5. Fecisti nos Deo nostro regnum. Et ideo Christus Apocalyp.capit.9.refertur habens in capite suo coronam auream.Et capitu.4.Viginti illi quatuor seniores coronis itidem aureis insigniti leguntur, quas de capite suo adorãtes Deum demittebant. Igitur si beatitudo essentialis aurea corona dicitur, illa accidentalis, quæ quibusdam beatis ratione alicuius excellentiæ peculiariter adhibetur, meritò dicetur aureola,hoc est coronula aurea.

Circularis figura.

¶Ad quæstionem ergo quatuor conclusionibus respondetur.Prima.Congruentissimum est beatorum statui, ut qui aliquem singulari modo excellentem obtinuerit uictoriam,super gaudium essentialis beatitudinis,quod aurea corona dicitur,aliud superaddatur accidentale, quod nomen habeat aureolæ. Conclusio hæc non habetur in sacris literis expressa, meritissimò tamen sancti patres illam docuerunt. Qua re ecclesia in singulorum solennijs martyrum canit Corona aurea super caput eius. Et primò figura eius præcessit in mensa sanctuarij ueteris testamenti. Præceptum enim fuit,ut Exo.25. legitur.Facies mensam de lignis Sethin &c.& inaurabis eam auro purissimo. Vbi mensa cælestis regni designatur. de qua ait Christus. Ego dispono uobis regnum,ut edatis, & bibatis super mensam meam.Et sequitur. Facies̃que ei aureum labrum per circuitum, & ipso labro coronam interrasilem, id est, limatam & politam altam quatuor digitis ubi non inepte significatur antea Sanctorum corona fide quatuor Euangeliorum fulgens in conspectu domini. Et subditur. Et super illam alteram coronam aureolã, scilicet, propter eminentiam quorundam egregiè certantium,qui insigni potiti sunt uictoria.Ratio ergo conclusionis ex simili Similitudo ciuilis reipublicæ. 1.Conclu.

Exod.25. aureola.

Variæ positiones. ciuilitudine militiæ ducitur in qua propter singularia facinora singulares conferuntur coronæ,ut muralis aurea illis, qui primum murum subirent,& castrensis illi, qui hostium castra primus introiret, atq; id genus aliæ.Condecet ergo, ut similiter qui strenuè in hac uita pugnarunt,auctuario gaudio super communem mensuram donentur. ¶De aureolis ergo quidam opinati sunt nullateuus esse ab essentiali beatitudine distinctas, sed ipsam eandem uisionem,quæ præmium essentiale est, & aureæ nomen habet, qua ratione martyrib. uirginibus, aut doctoribus confertur aureolæ nomẽ sortiri. Non quòd aliquo modo præmium ipsum aut gaudium crescat, sed quia illis confertur qui illo singulari genere uictoriæ potiti sunt. Veruntamen opinio hæc non est rei consentanea, nam aureola, ut habet glossa super illud Exodi citato ait, aliquid superpositum est essentiali præmio.Enimuerò ubi meritum egregius præcessit cumulatius futurum est gaudium.

¶Est

Aureolæ descriptio.

¶Est ergo aureola (ut aliquo modo describatur) accidentale gaudium de aliquo insigni facto, essentiali præmio superadditũ, corporali decore declaratum. Vbi annotandum est, præmium non dici accidentale, quia sit accidẽs, nam & uisio ipsa & beatitudo essentialis est accidens, neque quia potest beato deficere: nam sicut aurea, ita & aureola perpetua est, sed dicitur accidẽtale, quia est gaudium de aliquo creato bono, cũ essentiale sit de Deo ipso uiso, quòd absq; alio esset sufficiens. Non autem omne præmium accidentale est aureola, quãuis omnis aureola sit præmium accidentale. Potest enim aliquid addi essentiali gaudio dupliciter. Vno modo ex natura communi uisionis: quale erit unio animæ cum resurgentibus corporibus, per quam accessio ei fiet gaudij: & pariter contubernium completi numeri beatorum, & cognitiones affectionesq; creaturarum in proprio genere. Hæc ergo præmia sunt, & gaudia accidentalia, non tamen nomen habent aureolæ, quia omnibus sunt communia.

Præmium accidẽtale.

Sed alio modo adhibetur aliquid eidem essentiali præmio ratione operis meritorij, quod duplicem habet conditionem honestatis, & laudis. Primam ratione charitatis quæ meritò est essentialis, cui ideo præmium debetur essentiale, minus: aut maius secundùm augmentum charitatis. Quare adiectio illa ad præmium pertinet essentiale quod Deum habet pro obiecto. Sed aliam rationem laudis habet meritum ex genere, & strenuitate operis, quale est martyrium, & uirginitas. Gaudium ergo quod ratione ipsius adhibetur est accidentale: quia de re creata, nempe de illo opere. Et hæc adiectio nomen sortitur aureolę, quia illi excellentiæ operis respondet ex genere suo.

Diminutiuũ nomẽ.

¶Quod si roges cur cùm sit adiectio ad præmium essentiale nomen habeat diminutiuum. Respondetur. Propterea quòd non est essentiale, sed accidentale. Præmium enim essentiale quia ratione charitatis æstimatur maioris pretij est quàm aureola: sed aureola illi adiecta facit illud accidentaliter crescere.

¶Ex quo fit consequens posse aliquos sine aureolis maiori præmio essentiali frui, quàm habentes aureolas, ut diua Magdalena: nam ut angelos interim omittamus, possunt ẽt & ex hominib. multi cumulatiorem habuisse charitatis gradum, propter longam uitam in qua plura accumularunt merita, quàm sit charitas martyris in uno actu, & quàm uirginitas. Vnde aureola non est gaudium essentiale intensius quandoquidem illud intensius esse possit ratione charitatis in eo qui aureolam nõ habet: sed est accidentale adiectum. Et ió nec differunt solùm secundùm magis & minùs in eadem specie: imò differunt specie.

De subiecto aureolę.

¶Si uerò rursus scisciteris aureola ubi sit: in anima ne, an in corpore, ex dictis colligitur solutio. Est. n. eius substantia in anima: quia est gaudium de facto illo egregio quod ex charitate processit, qua ratione erat difficile, & strenuum: nihilominus gaudiũ illud explicabitur in corpore per modum coronulæ in capite, uel instar palmæ, ut infra explicabitur. Itaque aureola non supponit, ut dialectico more loquamur, nisi gaudium ipsum animæ, connotãdo: tamen signum quo declaratur in corpore.

2. Conclu.

¶Secunda conclusio. Quanuis aureola & fructus ambo sint præmia accidentalia, differunt tamen inter se. Hanc distinctionem fructuum ab aureolis diuersi diuerso modo interpretãtur. Quidam enim aiunt inter aureolam, & fructum non esse discrimen, nisi quòd aureola debetur pugnanti: iuxta illud. 1. ad Timoth. 2. Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit, fructus uerò laboranti: iuxta illud Sapientiæ. 4. Bonorum operum gloriosus est fructus. At uerò cùm idem sit labor & certamen, distinctio hæc solùm est rationis, cùm tamen distinctio inter aureolam, & fructum sit realis. Et eodem modo refutantur alij dicentes, non aliter differre, quàm quòd aureola cõsistit in gaudio boni creati, quatenus respicit laborem corporis, fructus aũt etiam sit gaudium de bono creato, quatenus respicit uolũtatem: nam & opus quod corpore exhibetur, ex uoluntate procedit, quare sola tunc rõne different.

Distinctio fructuum.

¶Ad intelligendum ergo discrimen hoc notandum est, quòd cùm nomen fructus à corporalib. per metaphoram ad spiritualia transferatur, ex uarietate quæ in fructib. reperitur, uariæ sumuntur metaphoræ. Fructus autem qui ex terræ nascentibus proueniunt diuersas habent conditiones, ex quibus subinde diuersimodè ad spiritualia fit translatio. Primum enim conuenit fructui dulcedo, qua tanquam ultimus qui expectatur finis delectat: & isto modo gaudium de consecutione ultimi finis est fructus: unde descendit fruitionis nomen, siue in re, quando in patria per consecutionem eiusdem finis illam capimus delectationem, siue in spe, de qua etiam in uia gaudemus. Secundo modo accipitur fructus pro eo quod reficit, quantis non sit ultimum, & isto modo uirtutes omnes dicuntur fructus, quos ideo fructus Paulus ad Gala. 5. ad duodecim connumerat, dicens. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax &c. Tertio modo accipitur fructus pro illo commodo quod ex labore agriculturæ expactatur, & sic omne præmium spirituale, siue sit gratia, siue gloria, dicitur fructus: iuxta illud ad Rom. 6. Habetis fructum uestrum in sanctificationem, finem autem uitam æternam. Nullo autem horum trium modorum usurpatur hoc nomen impræsentiarum, sed quarto modo, ut metaphora sumatur ab illa fructus proprietate, qua fructus dicitur id quod ex semine nascitur. Sic enim Christus Matth. 13. uerbum fidei appellauit semen, quod in nostris cordibus seminatum facit fructum, aut tricesimum, aut sexagesimum, aut centesimum, secundùm terræ benignitatem. Verbum enim ex natura sua efficacissimum est, & ideo quo terra feracior est, id est, cor benignius, uberior est fructus. Benignitas autem & feracitas cordis in hoc consistit, quòd à terrenis se se expurget, & in spiritum conuertatur: ut scilicet neque urjs huius seculi sit peruium. Nam quod illic seminatur, uolucres cœli, nempe humana superbia deuorat. Neque sit ut sicut saxum, sed emolliatur, ne quod illic seminatur, facilè aresçat. Neque uerò inter diuitiarum spinas sit consitum, quæ semen suffocare pergũt. Sed sit terra bona ut uerbum in ea terrenos humores possit in spiritum conuertere. Fructus ergo secundum hunc significatum est gaudium ab illo differens, quod est aureola. Vt inter auream, & aureolam & fructum hoc sit interstitium, quòd aurea sit uisio, seu gaudium essentiale, inde de Deo uiso perceptum, aureola uerò sit gaudium de perfectione operis adhibitũ: sed fructus sit gaudium quod de operantis dispositione accumulatur secundum spiritualitatis gradum, quo per Dei uerbum quisque in suo corde seminatum profecit.

Matth. 13.

Fructus multipliciter dicitur.

¶Ex quo fit, quòd quemadmodum aureola, ita & fructus ad gaudium pertineat accidẽtale, essentiali adiectum: nam pari modo de bono creato percipitur. Atque adeò fructus non semper charitatis proportionem & quantitatem insequitur. Potest enim uidua plura charitatis opera & merita facere, quàm uirgo, imò & coniugatus, atque adeò in beatitudine essentiali excedere.

3. Conclu.

¶Tertia conclusio. Fructus etsi uirtuti continentiæ peculiariùs tribuatur, omni tamen uirtuti congruit. Hieronymus quidem & aduersus Iouinianum & in Commentarijs Matthæi. 13. Tres illas euangelicorum fructuum differentias soli continentiæ ascripsit: quam ideo opinionem Sanctus Thomas, & reliqui Theologi sequuntur. At uerò cuiuscunque uirtutis est fructum ferre, uerbum enim fidei in corde seminatum omnium uirtutum uberem frugem profert. Potissimum tamen in uirtute continentiæ fructus elucent, qui spiritualitati adscribuntur. Nam cùm spiritualitas ex abstractione à uoluptatibus carnalibus exurgat, eo quòd caro (ut ait ad Galatas Paulus) concupiscit aduersus spiritum & spiritus aduersus carnem, illi peculiariter uirtuti tribuitur fructus, qua aduersus carnem spiritus pugnat: qualis est uirtus continentiæ, quæ in compescendis uenereis insultibus uersatur.

Hierony.

Cibus & potus.

¶Quòd si scisciteris, cùm actus temperantiæ circa cibum & potum sint magis necessarij quàm circa uenerea, cur non tam propriè & æqualiter in ipsis ponitur fructus atque in reliquis? Respondetur, quia non sunt tam uehementes. Sunt enim uenerei adeò exorbitantes, & uiolenti, ut quemadmodum ait Hieronym. in carnali conflictu neque spiritus prophetiæ corda prophetarum tangat, & quemadmodum 7. Ethico. ait Philosophus, in illa delectatione uix sit possibile quidpiam intelligere.

4. Conclu.

¶Ex his demum colligitur quarta conclusio. Tres sunt fructus, tribus uirtutis gradibus consignati: illi scilicet qui Matth. 13. referuntur tricesimus, sexagesimus, & centesimus. Hi uerò tres gradus generaliter in omni uirtute constituũtur, qui sunt gradus continentiæ, quando homo cum passionibus colluctatur: & temperantiæ, quando illas habet sedatas & heroicas, quando nulle prorsus insurgunt, sed homo pacatè uiuit. Et ideo Christus sicut in malig-

ligna terra tres distinxit gradus, scilicet in continentiæ, quando homo est sicut in uia quibuscunque corruptis affectibus expositus: imò illos præueniens: & illorum qui uerbum uirtutis concipiunt, sed præ cordis ariditate humorem non habent, ut crescat: & illorum qui humorem quidem habent, scilicet nonnullum uirtutis affectũ, sed solicitudine secularium exortum semẽ suffocant: ita & in terra bona tres distinxit ordines, qui in quacunque uirtute reperiuntur: qui sunt incipiẽtium, proficientium, & perfectorum. Nihilominus quia hi tres generales uirtutum gradus peculiarius in uirtute continẽtiæ exiſtunt, tres isti fructus eidem uirtuti peculiariùs adaptantur: utpote per quam spiritualitas, ut expositum est, comparatur. Est enim minimus quantum ad meritum, sed maximus quantum ad necessitatem: ut carnis concupiscentia & delectatio aduersus legẽ Dei non exorbitet, sed iustis sit officijs contenta. Atque hic est in coniugatis, fidem coniugij legitimè seruantibus. Alius uerò est spiritualis gradus paulo minor quo ad necessitatem, sed maior quo ad meritum: quo scilicet se homo à licitis complexibus abstrahit, non tamen perpetuo uiaculo sed libero, à quo possit abscedere. Atque hic gradus est in uiduis. Sed tertius est maximi meriti, quo scilicet homo sic in statu spirituali constituitur, ut à carnis complexibus & uoluptatibus perpetuo propositio alienetur. Atque hic est in uirginibus, qui propositum habent in perpetuum carnis integritatem seruandi: hoc enim propositum etiam citra uotum, ad uirginitatis aureolam sufficit. Quanuis status continentiæ, ut paupertatis & obedientiæ, uoto firmiori firmetur. Primus ergo dicitur

Fructus tres.

Tricesimus sexagesimus. & centesi.

tricesimus, secundus sexagesimus, & tertius centesimus.

¶Rationem autem huiusmodi numerorũ forsan non aliam comminisci opus esset, quàm quod tricesimus fructus plurimum esse solet semini iustus in terra bona: qualis erat terra illa promissa quam Iordanis interluebat: ut scilicet modius ad triginta proueniat: & ideò adaptatur minori gradui uirtutis, quippe qui necessarius est. Solet autem ad duplum benigna gleba illum proferre. Veruntamen quasi per miraculum, ubi solum feracissimum est, ad centesimum prouenit. Legitur enim Genesis. 26. quòd cùm Isaac in Geraris sementem fecisset, inuenit in ipso anno centuplum, quasi beneficio diuino. Vnde subditur. Benedixitq; ei dominus.

Rationes numerorũ

¶Nihilominus patres qui istorum sunt numerorum obseruatores, ad denarium, qui est numerus mandatorum perfectus, tanquam ad radicem eos referũt. Tricesimus enim numerus ex denario per ternarium ducto consurgit. Ternarius autem, ut 1. de Cælo, & mundo ait Philosophus, integrũ corpus significat quod longitudine, latitudine, & profunditate cõstat: & rursus principio, medio, & fine. Et ideo significat illũ spiritualitatis gradum, qui est uirtuti necessarius. Sexagenarius autem cõflatur ex eodem denario per sex multiplicato: senarius autem quippe qui ex partibus suis aliquotis, uno, duobus, & tribus constet, duplo perfectior est. Sed centesimus numerus ex eodem denario per se ipsum ducto proueniens perfectissimus est: nempe numerus cubus, hoc est quadratus omni ex parte æqualis, & talis est in omni uirtute gradus heroicus, ut in uirtute fortitudinis martyrium, ut in lib. de uirgi. ait Augu. & in uirtute misericordiæ omnia abijcere & dare pauperibus, atque in uirtutes continentiæ status uirginitatis. Quapropter nõ opus fuit similem proportionem in his excessibus seruare, sed rationem perfecti numeri. Nec aliud Christus dicere uoluit quàm quòd fructus ex semine uerbi aliquãdo ille prouenit, qui iustè solet ex semine prouenire: aliquando uerò duplus, sed aliquando consummatissimus.

¶At quo tandem Bedæ rationem adhibeamus, quæ minimè est contemnenda, numeros illos ad digitorum refert dispositionẽ, qua apud Romanos in more erat annos supputare tacendo: ut dum depicta imago contractum habebat minimum siniſtræ digitum, significabat annum unum: si uerò solùm secundum ab illo contrahebat duos &c. Numerus uerò tricesimus pingebatur in eadem siniſtra, pollice & indice molliter se osculantibus. Quę ideo figura statum coniugalem designat. Numerus uerò sexagenarius delineabatur eodem indice pollicem in modum crucis desuper comprimente, quæ ideo figura uiduitatis pressuram poterat indicare, sed in numero centenario à siniſtra fiebat transitus ad dexteram. Vnde de Nestore, qui centesimum

Ratio supputandi p digitos.

Iuuena. Saty. 10.

tatis excesserat annum, canit Iuuenalis, atque suos iam dextera computat annos: quemadmodum homines uirginitas ab humana in angelicam transmittit naturam.

Sol. 1. arg.

¶Primi igitur argumenti solutio p ea quæ supradicta sunt liquet. Diximus enim in beata uisione eminenter contineri omnia quæ ad eius ornatum attinent: non enim ex illa solùm deriuatur amor & gaudium ad beatitudinem essentialiter pertinentia, uerùm & fructus omnes & aureolæ. Et in hoc sensu ipsa dicitur status omnium bonorum aggregatione perfectus. Nihilominus formaliter alia alijs beatis accidentaliter adhibentur. Et quanuis nihil adhiberetur, satis ad beatitudinem esset uisio, ut 5. de confessio. ait Augustinus.

Sol. 2. arg.

¶Ad secundum respondetur nullum esse inconueniens eidem merito diuersis rationibus diuersa præmia competere. Aureamscilicet qa procedit ex charitate, & aureolam ex genere operis: & fructum ex dispositione personæ. Itaque sanctissimæ uirgini ob nimiam eius charitatem post Christum summa essentialis gloria competit, & propter personæ heroicam dispositionẽ spiritualitatis centesimus fructus, idęq; super omnes cumulatissimus: nam quãuis in omnibus sit centesimus, est tamen gaudium illud in quibusdã cumulatius, quàm in alijs. Et præterea ratione strenuitatis operis adiecta est ei aureola. ¶E conuerso non in omnibus in quibus est fructus, est aureola, ut patet in coniugatis, & uiduis. Et si restrictè fructus accipiatur in uirtute continentiæ potest è conuerso in martyre esse aureola sine fructu. Secùs si fructus accipiatur pro gaudio quod gradui cuiuscunque uirtutis respondet.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm tantùm sint tres aureolæ?

Partis negatiuæ arg. 1.

SEcundò quæritur de numero aureolarum, utrum tantùm sint tres? Et arguitur à parte negatiua. Viduæ, ut Hieronymus autor est, maiorem difficultatem in abstinendo à carnis illecebris patiuntur, quàm uirgines: ubi autem maior est pugna æquius debetur præmium: ergo uiduis etiam debetur aureola. Atque adeò non sunt tres tantùm.

¶Secundò. Aureola est præmium, quod operibus supererogationis tribuitur, ait enim Beda super illud Exod. 25. Aliam coronam aureolam &c. Aureolam de eorum præmio rectè intelligi, qui generalia mandata spontaneæ uitæ perfectioris electione transcendunt, sed ubi necessitas occurrit confitendi fidem, non est opus supererogationis, iuxta illud ad Romanos. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: ergo illis martyribus nõ debebitur aureola. 2. Arg.

¶Tertiò. Omne præmium quod in patria conferendum est, alicui uirtutis operi respondet: quod ex Dei dono procedit, imò aureolæ non conferuntur nisi propter opera consilij, quæ ait Beda esse supererogationis: prædicare autem & docere non semper est singulare Dei donum, neque opus consilij, imò sæpè fit per scientiam acquisitam humano studio: ergo doctoribus non debentur aureolæ. 3. Arg.

¶Quartò. Si essent tres aureolæ non deberent esse æquales, quia nec dignitas operis est æqualis. Neq; uerò discerni posset quæ nam esset excellentior, nam ex una parte uirginitas uidetur excellere, quippe cũ de uirginibus legatur Apocalypsis. 7. quòd sequuntur agnum quocunque ierit. Sed ex alia parte uidetur martyrium excellẽtius, dicente Augustino in libr. de uirginitate, quòd nemo ausus fuit præferre uirginitatem martyrio. Sed & doctrina prædicationis uidetur ambobus præeminere ex parte obiecti, nam uersatur circa intelligibiles ueritates, cùm uirginitas, & martyrium uersẽtur circa sensibiles affectus: non ergo aptè possunt tres aureolæ distingui. 4. Arg.

¶Quintò. Si Aureolæ essent ponendæ, maximè Christo competerent, quippe qui & uirgo & doctor fuit & mortem pertulit. Item deberentur & Angelis. Nam loquens de uirginitate Hieronymus ait. In carne præter carnem uiuere potius est uita angelica, quàm humana. Item conuenirent & corpori, postquam conueniunt illi dotes, & tamen neque Christo, neque angelis, neque corporibus aureolæ istæ assignantur: ergo non sunt tres. 5. Arg.

¶In contrarium autem est sanctorum patrum, & ecclesiæ autoritas. Pars affirmatiua.

¶Ad quæstionem nouem conclusionibus respondetur. Prima. Tres sunt nec pauciores, nec plures aureolæ, scilicet uirginita- 1. Conclu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis, martyrij, & doctrinę. Aureola nanque, ut modò constitutum reliquimus, est gaudium quod propter singularem uictoriam in hac humana militia partam per excellentiam uictori confertur. Sumitur autem hic ternarius numerus & secundum hostes contra quos pugnamus, & secundum uirtutes quibus dimicamus, & secundum tria quibus Christo uincentes configuramur. Hostes nanque sunt caro, mundus, & dæmon. In pugna uerò quæ est contra carnem, illa est uictoria potissima, quæ à uenereis insultibus, & uoluptatibus, uiolentissimè inter omnia delectabilia tactus pugnantibus, per continentiam obtinetur: quæ utique uictoria in uirginitate sita est. Et ideo prima debetur uirginitati aureola. Contra mundum uerò illa est illustrissima, cùm eius infestam persecutionem, & tyrannidem usq; ad mortem sustinemus: & ideo secunda aureola debetur martyribus. In pugna uerò contra diabolum illa est suprema, cum quis non solùm à se, uerùm & à mentibus hominum quos calumniator ille seducere pergit, propulsat: qđ fit per sanam doctrinam, & ueritatis lucem, & ideo tertia aureola debetur doctoribus. ¶Atqui aureolæ istæ tribus prætrea animi uirtutibus respondent, doctrina scilicet rationali, per quã ueritas fidei diffunditur, & propagatur: aureola uerò martyrij respondet irascibili quæ circa ardua uersatur & præcipuè circa pericula mortis: sed aureola uirginitatis respondet concupiscibili, quæ uersatur circa delectabilia tactus, & præcipuè circa uenerea. ¶Rursus per doctrinæ prædicationem assimilantur doctores Christo, quatenꝰ mediatori Dei, & hominum, qui quæcunque audiuit à patre fecit nobis manifesta: per aureolam uerò uirginitatis assimilãtur ei uirgines, quatenus exemplar fuit & decus totius puritatis, sed & martyres eum imitant r quatenus mortem pertulit crucis.

Obiectio. ¶Quòd si quis arguat, quòd cùm tres illæ aureolæ tribus cardinalibus adaptentur: ut doctrina, prudentiæ: & martyrium fortitudini: & temperantiæ, uirginitas, alia etiam debuit iustitiæ constitui, imò & alia professæ paupertati, atque alia obedientiæ, quæ sunt consiliorum opera. Respondetur, quòd cùm iustitia in omni uirtute contineatur, & pariter obedientia, non indigebant singulari aureola: & quanuis paupertas sit opus perfectionis, nõ tamen tantum habet difficultatis in comparandà uictoria, quàm pugna carnis, & ideo illi non debetur aureola, sed iudiciaria potestas, ut dictum est.

¶De uirginitate hic non est proprius disputandi locus: pertinet enim ad materiã temperantiæ: de qua ideo uirtute disputat Diuus Thomas. 2. 2. quæstione. 152. sed solum ad hunc locum de ipsius aureola dicere spectat. De qua aliqui sic sentiunt, quòd ad aureolam sufficiat actu uirginitatem seruasse: dum tamen homo beatitudinem obtineat, etiam si non habuerit propositum illam perpetuò seruandi. At uerò aduersus hanc opinionem statuitur secunda conclusio. Ad aureolam uirginitatis requiritur propositum perpetuò uirginitatis seruandæ. Nam secundum aliam opinionem etiam illa uirgo quæ propositum haberet nubendi, obtineret aureolã: quod utique Sancti non approbant. Aureola enim uirginitatis præmium est illius singularis uirtutis quatenus rationem habet uirtutis. Virtus autem uirginitatis ex obiecto est continentia carnis, seu non experiri delectationem illam: ergo non habebit rationem singularis uirtutis, nisi per propositum uoluntatis illam perpetuò seruandi: atque adeò sine illo proposito uirginitati non debetur aureola: neque centenarius fructus, neque uerò uiduæ sexagenarius, nisi simile propositum perpetuæ continentiæ habeat. Votum autem non est necessarium: quanuis per ipsum fiat uirginitas perfectior, & per solenne perfectissima. Vnde Augusti. in libro, De nuptijs & concupiscentia. Virginitas, inquit, est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio: hoc est, propositum perpetuæ conuersationis illius. Et illic rursum. Virginitas inquit est continentia, qua integritas carnis ipsi creatori animæ & carnis uouetur, consecratur, seruatur. Vouetur, idest, offertur. Dicitur enim uirgo à carnis uirore, qui est in mentis proposito.

2. Concl.

Virginitas

¶Quòd si arguas. Virgo etiam quæ absq; tali proposito ab hac luce migrauerit gaudio de sua integritate oblectabitur. Conceditur, sed tamen illud nec est aureola, nec tale meretur nomen. ¶Vnde Diuus Thomas quæstione citata artic. 1. Tria inquit sunt in uirginitate consideranda. Primum integritas carnis. Et hoc est illi accidentale. Nam ut 1. de ciuitate Dei idem ait Augusti membra illa possunt diuersis casibus uulnerata uim perpeti: & à medicis & ab obstetricibus & aliunde. Secundum est in experientia uoluptuosæ delectationis in resolutione seminis. Et hoc est materiale: scilicet illam non experiri. Tertium uerò est formale, nempe propositum, quod est in anima. Integritas enim carnis res naturalis est, atque adeò non est uirtus nisi illo sancto proposito induatur. Quando ergo illud materiale perditur, nõ tamẽ sponte sed per uim reluctante uirgine, nõ amittitur uirginitas: quippe quæ semper seruatur in mente. Quãuis in illa uiolẽtia illecebra carnis uoluptasq; insurgat: quinetiã si ui corrupta concipiat. Siue uis illa in cõtumeliã fidei, siue alia de causa inferatur. Vnde beata Lucia si me, inquit, inuitã uiolare feceris, mihi castitas duplicabitur ad coronã. Non qꝺ duas esset obtentura uirginitatis aureolas, sed qꝺ illi aureolæ aliud accessurũ erat gaudiũ propter patientiã toleratæ iniuriæ. Si uerò sua sponte & uoluntate quis resolutionẽ seminis uoluptuosẽ experiatur irrecuperabiliter perdit uirginitatẽ, atque adeò aureolę ius. Et in hoc sensu ait

Hierony.

Hieronymus Deum non posse uirginitatẽ post ruinam reparare, licèt possit per pœnitentiã peccatũ tolli: quinetiã deinceps per cumulatos pœnitentiæ fructus præmiũ essẽtiale augeri. Cuius Magdalena nobis documentũ præbuit. Veruntamen dũ qui uirginitatẽ proposuit delectationes morosas mortales sua sponte sentit, aut mẽte uel in nuptias uel in fornicationem consentit, citra ullam tñ seminis emissionẽ, perdit quidem uirginitatẽ, atque adeò si in illo statu decaderet, aureolam non obtineret: põt tamen per pœnitentiã eam recuperare, & integrato eodẽ proposito perpetuæ cõtinentiæ, sua non frustrabitur aureola. ¶Percontaris aũt utrùm frigidi & eunuchi ad genandũ imò ad coeundũ inepti, de quibus supra in materia de matrimonio diximus, ualeant uirginitatis aureolam promereri.

De frigidis.

Apparet. n. non posse: quia necessitas non

Augusti.

est uirtus. Hoc tamen non obstante in lib. de Sancta uirginitate Augustinus affirmando respondet. Dũ enim propositũ habent uxorem nõ ducẽdi, faciunt de necessitate uirtutem. Ait quippe, quibus uirile membrũ debilitatur, ut generare nõ possint, ut sunt eunuchi, cùm Christiani fiunt, & Dei præcepta custodiunt, sufficit propositum non habendi coniugem. ¶Diuus Thomas impræsentiarum negat ante legem euãgelicam uirginitatem sub consilio fuisse, atq; adeò aureola fuisse dignam. Hoc tamen supra dist. 30. q. 2. ar. 1. disputauimus: in alteram partem sub peritiorum censura inclinantes. ¶Ad primum igitur argumentũ respondetur, quòd quibusdam pensatis rationibus maiorem pugnam sustinẽt uirgines: sed alijs perpensis maiorem uiduæ. In uirgines nanq; multa conspirant tentamenta. Concupiscentia nanq; propter refrænati sanguinis repressionem ardẽtiùs exurit, & rem experiundi desiderium ob curiositatem uehementiùs incitat. Homines enim ad illa quæ experti non sunt, auidiùs anhelant. Mox & existimatio maioris uoluptatis, quàm in rei ueritate turpitudo illa habet, ignem iasufflat: & minor quàm par est detrimentorum opinio, quæ tamen detrimenta magna secum affert corrupta uirginitas, illecebrarum relaxat habenas. Præterquàm si prolis cupido inter hæc sese insinuet, atq; aliarum uoluptatũ quæ solent maritis accrescere. Viduas autẽ ex altera parte præteritarũ delectationum memoria ualde infestat. Sed tamẽ quia ab alijs enaratis hostib. liberiores sunt, nõ acriori subduntur pugnæ, quàm uirgines. Quicquid autem sit de pugna, aureola tamen & palma nõ ei, sed uictoriæ decernitur. Laus autem uictoriæ est nunquam hosti succumbere: hoc enim est in militia pulcherrimũ. Et ideo non uiduitati, sed uirginitati proposita est aureola. ¶Et per hæc diluitur dubitatio de sacratissima uirgine, an uerè habeat uirginitatis aureolam. Haud enim desunt qui id negent, propterea quòd nullam sentit pugnam carnis aduersus spiritum. Quibus ut alij contradicant affirmentq́ habere aureolam, in aliud impingunt extremum dicentes habuisse pugnam carnis: tametsi propter excellentiam temperantiæ & continentiæ, quam habuit in gradu heroico illã nõ senserit. ¶Sed isti bifariã peccant. Primùm concedentes in Deipara uirgine insultum aliquem aut illecebram & tentationem carnis: cùm aut fomitem non habuerit, aut eius inclinationem habuerit prorsus restinctam & ligatam. Secundò quia si illam non sensit, nihil ad laudem referebat illam habuisse. Quare nõ est pium

Sol. 1. arg.

Sacratissima uirgo.

Impugnatio.

talem luctã in intemerata uirgine admittere. Dicendum ergo est, quòd etiã si carnis pugnã nullam habuerit, habet tamen aureolam modo excellẽtissimo. Seruauit .n. illam integritatẽ qu ẽin membris ecclesiæ uirginitas æstimatur. Et quando uirtutes sunt in gradu heroico, quanuis nullus sit passionũ insultus, adeò uirtus nec perfectionẽ suã nec nomẽ perdit, ut sit etiã perfectior. Præsertim quòd beata uirgo piè creditur si non carnis, Satanæ tamẽ iacula & tentamenta pertulisse: siquidẽ Christum etiã ipsum Deũ uersutus ille adoriri non
3. Conclu. fuit ueritus. ¶De martyrio quæ materia est fortitudinis disputat D. Th. 2. 2. q. 124. de cuius igitur tãtùm aureola affertur hic consideratio. De qua subiungitur tertia cõclusio. Martyribus, perinde atq; uirginib. aureola debetur. Dictum enim est aureolã non nisi propter insignem uictoriam deberi. Quemadmodum autem in luctamine aduersus carnem insignis uictoria est, quæ contra uenereorum pugnam obtinetur, quæ acerrima est, ita & in certamine aduersus mũdum illa est illustrissima, quæ de tyrannis habetur in causa mortis: quæ (ut ait Philosophus) omnium est terribilium terribilissima. Et ideo martyribus de
Martyrij cõmẽdatio betur aureola. ¶Accedit præterea ad eius meritum quod huiusmodi uictoria nõ solum æstimanda est ex passionis uehementia & magnitudine, uerum ex modo, ac demum ex causa. Ex uehementia inquam passionis: quia illa strenuissima patientia est, quæ tolerandæ uiolentæ morti impenditur: præsertim illis mortis tolerandis generibus, quibus martyres sunt excoriati, assati, ac dilaniati. Ex modo uerò: quoniam (ut Aristo. 3. & 7. Ethico. docet) uirtus fortitudinis plus laudis in expectãdo, quàm in aggrediendo meretur: & martyres non solum tormentorum truculentiam expectabant, uerum inermes se se crucibus offerebant, tanquàm oues in medio luporũ. Nõ modo neminem offendentes, uerum nec se ipsos defendentes: imò paratiores morti ferendæ, quàm tyranni erant inferendæ. Quod quidem admirabile etiam tyrannis ipsis genus fortitudinis erat: & Christianæ familiæ peculiare, Christi sanguine progenitæ. Causa denique martyrium in culmine collocat. Non enim tantum in protectionem uirtutis aut reipublicæ se se martyres morti exponunt, uerùm & in defensionem & confirmationem fidei quæ õmnium est uirtutum fundamentum, & spe cælestis retributionis, quæ omnium obtinet præmiorum fastigium: & propter charitatem Dei, quæ est totius perfectionis cõsummatio, & peculiariter propter Christum ipsum, qui ut nos à Satanica tyrannide liberaret & in Dei filios adoptaret mortem pertulit crucis.

¶Ex ijs argumentum secundum principale solutum restat. Nam etsi (ut ait Beda) aureolæ operibus supererogationis debeantur, non tamen ea ratione qua sunt supererogatiõis, sed ea qua sunt perfectionis: & ideo martyr non solum est aureola dignus quando extra necessitatem sua se sponte martyrio offert, uerùm etiam dum à tyranno captus, necessitas præcepti ingruit confitendi fidem, dum modo tunc uoluntate acceptet mortem. Ratio enim & meritum martyrij non consistit in passione mortis quatenus ab alio infertur, sed quatenus à martyre per ultroneam uirtutis patientiã susc̃ipitur. Quare qui renitens in patibulũ raperetur non esset martyr.

So l. 2. arg.

Martyrij meritum.

¶Veruntamen ad perfectam martyrij rationem, ut mors sine uoluntate non sufficit, ita neque sine morte uoluntas. Vnde quanuis quis auidissimè martyrium sitiat (ut de Patre nostro & de Diuo Francisco ac de alijs legitur) non est citra perpessionem mortis uere martyr: quanuis feruore charitatis possit præmium essentiale sibi augere, plusquam si esset martyr. Palma enim martyrij propterea non tribuitur ni si susceptæ morti quòd quantũcunq; quis illam affectet, difficultatem tamen non ni si sub ipsum conflictus articulum patitur, ubi ideo ad doloris tolerantiam actus ipsos internos fortitudinis & charitatis intendi necesse est, & nouas acquirere uires: sicuti in actibus impudicis usu uenit: tunc enim affectus uehementius feruet. Quod autem meritum uoluntatis sine morte sæpè sit maior, constantissimum est. Sunt enim multi sancti in gloria, qui citra martyrium nonnullis martyribus beatitudine essentiali antecellunt: ut Ioan. Euangelista & Diua Magdalena. Nam & pœnitentiam ipsam D. Gregorius genus arbitratur martyrij. Ait quippe. Quanuis occasio persecutionis desit, habet tamen & pax nostra martyrium suum: quia etsi carnis colla ferro non subijcimus, spirituali

Et uolũtas & mors ad martyriũ requiritur

Pœnitẽtia

spirituali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus. Hæc ille. Quãquam pœnitentium afflictioni aureola non debeatur: quoniam pœnitentia non dicit uehementem pugnam, sed illam mensuram, quæ ad corpus edomandum idonea est: & ideo excessus non est uirtus. ¶At citra pœnitentiam cunctis martyribus longissimè antecellit sacratissima uirgo. Tametsi nõ desint qui eam martyrum catalogo adscribere contendant, propter uerbum senis illius Simeonis Lucæ. 2. Tuam ipsius animã pertransibit gladius. Quinetiam in sermone de assumptione Hieronymus. Rectè, inquit, dixerim, Dei genitrix uirgo & martyr fuit, quanuis in pace uitam finiuerit. Vnde etiam ipsius animam pertrãsiuit gladius: scilicet dolor de morte filij. At uerò (ut Diuus Thomas impręsentiarum ait, & certè dicendum uidetur) non illa ratione fuit martyr, qua martyrij aureolã habeat. Martir enim (ut ait Isidorus) idem est Grẽcè, quod testis idemq; fidei: & ecclesia non recipit alios ut testes fidei, quàm eos, qui mortem, in eius testimonium pertulerunt. Appellauit autem eam Hieronymus martyrem, ob quandam similitudinem: scilicet ob uehementissimum doloris sensum, quem in corde habuit de morte filij, quod quædam fuit imago martyrij. ¶Atque hac ratione Bernardus tria distinxit martyrum genera: scilicet, uoluntate non nece (ut Ioannes Euangelista) uoluntate & nece, ut Stephanus, nece & non uoluntate, ut Innocentes.

Sacratissima uirgo.

Martyr.

Tria martyrij genera Bernardus.

¶At uerò nonnulli intelligentes, quòd ut sola uoluntate absque nece, ita neque sola nece absque uoluntate ratio martyrij completur, ut facerent Innocentes perfectè martyres, dixerunt acceleratum eis fuisse rationis usum, ueluti Ioanni Baptistæ in utero matris. Veruntamen hoc non est communi Theologorum autoritate susceptum. Et ideo dicendum (ut insinuare uidetur Bernardus) quòd sicut Ioannes Euangelista non fuit perfectè martyr, sed sola uoluntate, ita neque innocentes nisi sola nece, & ideo neque habent perfectam aureolam, sed quandam eius participationẽ: nempe gaudium, quòd mortem pro Christo fuerint perpessi.

De innocẽtibus.

¶Dubium tamen est de morte, cuius passio ad martyrium est necessaria. Nam cùm meritum latusque Martyrij, ut dictum est,

Vtrùm requiratur mors.

non tam in uiolenta illatione, quàm in spontanea acceptatione consistat, uidetur ille qui lethale uulnus accepit, licèt medicorum postea diligentia, aut fortè miraculo mortem euaserit, esse nihilominus martyrem: & è conuerso, qui minori quàm lethali uulnere læsus fuit propter Deum, si nihilominus incuria, & negligentia mortem obijt, non esse martyrem: & tamen ecclesia neque illum catalogo adscribet, neque istum non adscribet.

¶Respondetur, quòd qui uulnus accepit lethale, quanuis non illico animam expiret, sed post aliquod temporis spacium moriatur, martyr existimandus est: atque adeò aureola dignus. Vt de beata Cecilia atq; alijs compluribus martyribus memoriæ proditum est, qui in carcere sunt defuncti. Si uerò uulnus tale fuerit, ut medicorum iudicio æstimaretur lethale, nihilominus tamen aliqua exquisitissima medicina, & diligentia euaserit, non est martyr: quia ecclesia nullum medicorum iudicium, sed solam mortem, tanquam sufficiens testimonium approbat martyrij. Secùs fortè si manifestè constaret solo supernaturali miraculo fuisse post tale uulnus seruatum: si enim hoc euidens esset, fortasse haberetur pro martyre: postquam illa tanquam mors naturalis reputaretur. Quanuis neque hoc certò statuerim, sed iudicio ecclesiæ relinquendũ est. Si uerò uulnus non fuit lethale nihilominus mors subsecuta est, quia non potuit medicamen adhiberi, martyr ille uerè est, imò quanuis adhiberi posset medela, non tamen fuit adhibita, quia ille sic uulneratus, aut cæsus, non tenetur postquam plagam accepit, tantam diligentiam adhibere, ut curetur. Secùs si adesset, qui facilè ei mederetur, & ille renueret. Tunc enim uideretur mortem plus nimio appetiuisse, & se interemisse, quare non haberetur pro martyre.

Respõsio.

¶Quòd si roges quid si propter negligentiam mortuus est? Sunt qui dicant, non esse martyrem, quia non ex uulnere, sed ex negligentia morti occubuit. Nihilominus certius est, nisi negligentia sit adeò magna, quòd sit mortalis culpa, mortem illam tanquam martyrium ducendam: quoniam negligentia non est causa mortis, sed suppositio uulnere.

Propter negligẽtiã mortuus.

¶Quid uerò si quis nullam accepit plagam

De solo carcere.

gam neque uerbera: sed sola diuturna carceris afflictione in carceribus pro Christo uita defungitur? D. Thomas impræsentiarum ait, quòd qui aliquibus uerberibus longè ante susceptis, etiam non lethalibus in carcere tandem moriuntur, martyres reputantur, ut Marcellus Papa: sed tamen. 2. 2. quæstione. 124. articul. ad 3. ait. Quòd pro sola tolerantia carceris, exilij uel rapinæ diuitiarum martyrium nõ reputatur: nisi fortè secundum quòd ex his sequitur mors. Vbi sola tolerantia carceris, & exilij usque ad mortem appellat martyrium, quanuis nulla uerbera præcesserint. Et certè ita uidetur dicendum, dummodo illa tolerantia sit causa mortis. Nam Marcelluss licèt longè antea fuerat fustibus cæsus, læsio tamen illa nulla fuit eius mortis causa, sed quia post certum tempus stabulo deputatus est ad seruiendum animalibus, & illa fuit afflictione defunctus. Et ratio quoque id persuadet: nam afflictio illa, uerberum loco existimatur. Diuturnitas tamẽ carceris, nisi fuerit usque ad mortem, non dicitur martyrium, ut legitur de Syluestro.

¶Alia uerò temporalium bonorum amissio citra mortem, etiam si propter Christum fiat, neque martyrium est, neque aureolam meretur. Quanuis quispiam bona temporalia, scilicet diuitias, uel honorem, uel famam pluris æstimet, quàm uitam: ex genere suo sola uita est in qua exponenda egregius fortitudinis actus, ut 3. Ethicorum, ait Philosophus, locum habet.

Causa martyrij.

¶Ad hæc tandem notandum, quod neque uoluntas appetendi mortem, neque mors ipsa eidem uoluntati adiuncta, nisi causa adsit fidei, aut religionis sufficit ad martyrium. Quanuis, inquam, uita in defensionem Reipublicæ, aut pudicitiæ, aut alius cuiusuis uirtutis politiæ exponatur, nisi id referatur in fidem, aut uirtutem infusam, quæ aut Christum, aut Deum habet pro obiecto, non censetur martyrium. Itaque uel formaliter, uel uirtualiter debet esse confessio fidei, & testimonium eius: hoc enim sonat martyr, quod testis fidei. Beata enim Agnes quæ pro tuenda uirginitate colla gladio submisit eo celebratur, ut martyr, quòd id fecit in testimonium fidei, quia uirginitatem, quam Christo uouerat tueri uoluit. Quare quicunque mortem subiret in testimonium alicuius uirtutis: nempe, ad defendendum esse uirtutem, dum modo fide id Christi faceret, uerè esset martyr, & pariter qui rempublicam defenderent, ut fidem protegerent, nempe, si illam à Turcis, & infidelibus tutarentur, uel ab hæreticis, qui religionem Christianam subuertere contendunt. Secus si ab alio Christiano rege tanquam milites temporales illam defenderent: ibi enim quanuis uirtutem fortitudinis exerceant, non subinde martyrij aureolam promerentur.

Ante legẽ euãgelica fuerũt martyres.

¶Ex quo sequitur, quòd etiam ante legem euangelicam potuerunt homines aureolam mereri, ut Machabæi, qui pro religione pugnabant: licet illam in limbo quousque eos Christus in cælum euexit non obtinuerint. Et idem est de Ioanne Baptista: qui cum ob zelum propugnandæ iustitiæ capite truncatus fuerit, id ad religionem retulit, & fidem, nempe, ut ostenderet adulterium peccatum esse & ideo egregius fuit martyr. Imò si qui fortè lege naturæ pro religione ueri Dei cum sola fide implicita morti occubuerit, ut martyr nũc in cælo aureola insignitur. Et multo æquius Sanson si Dei nutu in eius amicitia templum, ut hostes religionis occideret, super seipsum coniecit. Sunt enim multi martyres in cælo, quos ecclesia, nisi in festo omnium sanctorum, non celebrat. De quibus ad Hebræos. 11. Apostolus ait. Per fidem uicisse regna, operatosq; fuisse iustitiam, qui obturauerunt, inquit, ora leonum, & extinxerunt impetum ignis, & fortes facti sunt in bello. Alij distenti, alij uero ludibria & uerbera experti, insuper & carceres, lapidati, secti, egentes, angustiati, afflicti, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.

De Sãson.

De illis q̃ se pimũt.

¶Postremum denique argumentum soluendum restat, quod, ut Augustinus primo de ciuitate Dei autor est, nemini licet sibi manus inijcere quacunque ex causa, atque adeò multò minus se se occidere, & tamen multi martyres leguntur se se peremisse, ut metum uiolandæ pudicitiæ euaderent, atque, ut tyrannos præuenirent. Legitur enim ecclesiasticæ historiæ libro 8. capit. 12. de quibusdam fœminis, quæ cum ad sacrificandum ducerentur, & in media uia Satanici ministri earum pudicitiam solicitarent, ne polluerentur, aut sacrificare cogerentur, in fluuium se præcipitarunt. Et beata Apollonia cum à lictoribus ante rogum comburenda teneretur, eorum manibus elapsa in ignem se eundem proiecit. Respondetur uerò id diuino instinctu in exemplum egregiæ fortitudinis fecisse ut tyrannorum rabies admiratione uinceretur, dum uiderent pro Christo sic sexum illum fragilem mortem contemnere.

1. Conclu.

¶Tertia demum est doctorum aureola, de qua subnectitur quarta conclusio. Doctorum aureola nec prælatis tantum quibus minus prædicandi incumbit, neque uero illis nisi munere suo fungantur, sed cunctis qui actum prædicandi & docendi, siue uoce, siue scripto exercent, debetur. Aureola enim hæc non debetur ratione status, nempe, ratione episcopatus aut præfecturæ cui annexum est officium prædicandi: nec uerò propter habitum scientiæ quo quis docere potest, sed propter actum, in quo ratio meriti consistit, iuxta illud. 2. ad Timotheum. 2. non coronabitur nisi qui legitimè certauerit. Imò qui statum habet uel habitum sine usu maioris est opprobrij dignus, maioriq; fit criminis reus. Veruntamen non pro una aut altera concione uel lectione, sed pro professione docendi expectanda est aureola, siue lingua siue calamo id fiat: dum tamen in obsequium fidei munere illo doctor fungatur. Et potissimum ut incredulos aut hæreticos lucrifaciat, seu ut illos ab ecclesia arceat diuinoq; gregi caueat. Nam docere profanas literas aut humana iura non est aureolæ meritum.

Sol. 3. arg.

¶Ad tertium igitur argumentum negatur officium prædicandi non esse opus uirtutis, & supererogationis: imò est opus misericordiæ: & quanuis doctrina ad prædicandum humano studio acquiratur, est nihilominus opus perfectionis, quinetiam perficientium alios: ad quod munus Deus credẽdus est illis specialiter opitulari: qui eius gratia id faciũt: nempe, ut fidem eius & lege elucident & persuadeant. Quapropter (ut de martyrio dictum est) non solum quando docere spontaneum opus est & supererogationis, uerum & quando necessitas occurrit præcepti comparatur aureola. Imò tunc cumulatiùs est meritum: ut puta quando id ex officio & ratione status incumbit: & præsertim quando hæreses pullulant: tunc enim ingruentibus lupis, cõtinẽter indefessèq; debet pastorum sibilus & clamor crebrescere. Est tamẽ prædicatoribus ac fidei doctoribus solerter inanis aura cauẽda, quæ aureolam illis uel auferat uel deterat. Scientia enim inflat: cum tamen ad hanc aureolam promerendam potissimum requiratur humilitas.

¶Subsequitur ut has inter se aureolas conferamus, meritoq; suo cuiusque perpendamus. Sit ergo quinta conclusio. Quanuis singulæ istarum quæ dictæ sunt aureolæ, alias merito superent, & uicissim ab alijs alia ratione superentur, simpliciter tamen martyrum aureola cæteris antefertur. Probatur prior pars. Si meritum ex pugnæ rigore & acerbitate perpendatur, aureola martyrij quodammodò præeminet aureolæ uirginitatis: sed quodammodo ab illa exceditur. Certamẽ enim in martyrio truculentius est, quod ideo in conflictu celsiorem exigit animum, maioriq; fortitudine & charitate robustum: sed ex altera parte diuturnitas pugnæ carnis in uirgine patientiam longiorem & lõganimitatem requirit. Nihilominus ex genere suo, quia terribilissimum est mors, simpliciter palma martyrij est præstantior. Veruntamen si excellentia ex obiecto & materia perpendatur, aureola doctorum illustrior est: quoniam huiusmodi pugna circa intelligibiles ueritates uersatur: cum aliæ non nisi circa sensibiles effectus uersentur. ¶Posterior uerò conclusionis pars probatur: nam etsi in uirtute perfectio obiecti, unde species sortitur, præferatur, tamẽ in aureolis, quæ uictoribus decernuntur potius habenda est ratio difficultatis in uincẽdo: & quia hæc in martyribus præeminet, eorum aureola simpliciter est gloriosior. Vnde Christus Mat. 5. in calce omniũ beatitudinum quasi omnes uno uerbo complexus, Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnũ cælorũ. Ob idq; ecclesia in sanctorum catalogo martyres doctoribus ac uirginibus præfert. ¶Et per hæc quartũ argumentum solutũ restat. Vnaquæq; enim uirtus suũ habet priuilegiũ, & excellentiam: de uirginibus nanque propter eximiam puritatem: & quia cælestem angelorum candorem referunt, legitur Apoc. 14. quod cantant canticum nouum, nempe nouum epithalamium, atque sublimiorem hym-

5. Concla.

Secunda pars.

Sol 4. arg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

num quàm solet in thalamis carnalib. cani: & ideo tanquam sponsum sponsę sequũtur agnum quocunq; ierit: quia in pluribus alsimilatur Christo (ut in libro de uirginitate ait Augustinus) propter eximiam humilitatem, quæ uirginitatis candori annexa est, licèt non tam propè eum imitentur quàm martyres.

6. Conclu. ¶ At quoniam non solum una aureola cũ alia alterius speciei, uerùm, & cum alia secum simili in specie confertur, subiungitur sexta conclusio. Aureola uirginitatis põt esse in uno uirgine cumulatior quàm in alio: & similiter aureola martyris & doctoris. At quia statim se offert in contrarium argumentum, quòd uidentur aureolæ in culmine charitatis existere, & id quod in culmine est nequit maius minusve esse, adnotandum est, quod præmium in aureolis crescere potest, aut ex radice meriti, quæ ẽ charitas, aut ex genere operis. Quando ergo crescit ex radice charitatis, augetur aureola, hoc est essentiale præmium. Quando uerò rõne operis, crescit solum gaudium, quod est aureola. Põt inquã, fortè martyr unus feruentiori charitate minores pati cruciatus, atque alius minori charitate subire maiores, tunc ergo præmium essentiale prioris auctus erit aureola uerò posterioris cumulatior. Idẽque usu uenit si ex duobus Doctorib. unũ cum minori charitate maiorem adhibeat diligentiam prædicandi. Et pariter est de uirginibus censendum. Põt. n. aliqua quæ in maiori est charitate solertius occasiones impudicitiæ cauere, atq; ab illa cautius elongari: quæ ideo maiorem habebit aureolam. Igitur aureola neq; semper est in charitatis culmine, neque charitatis insequitur proportionem. In deipara uerò uirgine utraque ratione excelentissima omnium aureola refulget.

7. Conclu. ¶ Tandem de subiecto aureolæ dicere superest. De quo septima adhibetur conclusio. In Christo domino nostro, quanuis quicquid in alijs beatis aureolæ nomen habet, eminentissimo modo existat, tamẽ propter eius excellentiam, nec ratio neque nomen aureolæ inuenitur. Probatur prior pars. Christus & uirginitatis fons fuit, & decus eximium, & martyrum firmamentum, & robur, & doctorum fulgentissimum lumen. Imò quanuis nulla carnis tentamenta ullum in eo motum habuerint, labores tamen plures hausit, & in passione dolores, ac subinde naturalem legitimamque sensit carnis infirmitatem mortem formidantis: ob quas pugnas, & luctas, quas heroicè uicit, quidam ei aureolam martyrij adscribere contenderunt. At uerò cùm aureola diminutionem, ac perinde participationem gaudij designet, fas non est illam Christo attribuere, qui non participationem sed plenitudinem omniũ habet gaudiorũ, de cuius plenitudine omnes accipiunt. Igitur sicut de dotibus diximus, quæ secundùm hanc rationem non sunt in Christo, sed aliquid excellentius cui dotes aliorum assimilantur, ita dicendum est de aureolis. Fuit enim in Christo plena uictoriæ ratio, cuius similitudine uictores omnes constituuntur, iuxta illud Ioannis. 16. In mundo pressuram habetis, sed confidite, ego uici mundum. Et alibi. Si mundus uos odit, me priorem odio habuit. Et Apoca. 5. Ecce uicit leo de tribu Iuda, &c. 3. Qui uicerit, faciam eum sedere in throno meo, sicut ego uici, & sedeo in throno patris mei. Igitur quia ipse est in throno patris, plusquam aureolam habet, sed quia alij merentur thronum eius, fiunt gaudiorum participes, quæ aureolæ dicuntur. Et similiter in doctrina ipse est lux patris, iuxta illud. Quæcunque audiui à patre meo nota feci uobis, sed alij suæ sunt lucis participes.

8. Conclu. de angelis. ¶ Octaua conclusio. Neque in angelis est propriè ratio aureolæ: nam aureola præmium est merito respondens, in angelis autem uirginitas non meritum, neque uictoria pugnæ, sed rei natura fuit. Et in hoc sensu ait libr. de uirgin. Hieronymus, quòd in carne præter carnem uiuere uita angelica est, id est meritum angelicæ naturæ simile, quia uirgines per gratiam naturam imitantur angelicam. Et quemadmodum contra carnem non sunt colluctati, ita neque contra mundum dimicarunt, ut mortem oppeterent: pugna enim illa quam contra Luciferum in cælo habuerunt, metaphorica fuit, quia illos tanquam Dei ministri de illo fastigio deiecerunt: & ideo neque aureolam martyrij meruerunt. Et quanquam Deus per superiores angelos aliqua inferioribus reuelet, illa tamen reuelatio neque explicatio fidei est, quæ non est in beatis, neque doctrinæ habet rationem,

tionem, quæ sit, iuxta uerbum Dionysij, purgatio: & ideo neque illa ratione aureolam meretur doctorum. Sed omnes unico modo, nempe per conuersionem in Deum per gratiam, & auxilium Dei eodem modo beatitudinem meruerunt, & ideo diuersis aureolis non discernuntur: ueluti homines, qui ad illam diuersis modis, & officijs promouentur. ¶ Nona conclusio. Aureola

9. Conclu. de corporibus. non est principaliter in corpore, sed in mẽte: quanuis per quandam redundantiam refulgeat in corpore. Est. n ut dictum est, animi gaudium. At uerò quemadmodum essentialis beatitudo, quæ in anima consistit in corpus per dotes gloriæ refunditur, quę quidem dotes uniuersis beatis communes sunt: ita & aureolæ, quæ sunt quorundam peculiares, aliqua habent insignia in corpore. ¶ Quòd si queras utrùm in toto corpore, an in quibusdam membris. Ex sacris literis nihil comperti habemus. Sunt tamẽ coniecturæ, ut appareant in capite coronulæ figuræ: nam aureola coronulam, ut diximus, significat. Neque probabilitate caret, ut quandam colorum uarietatem præ se ferant: nam & corpora ipsa colorata erunt. Non quòd ex commixtione qualitatum quæ in beatis sunt naturales, uarietas illa colorum in aureolis oriatur: quippe cùm sint supranaturalia insignia, sed quòd claritas ipsa gloriæ in capitibus uirginum decorem quendam alboris præferant: & in martyribus subrubeum: & in confessorib. subuiride. Et fortasse in manibus uirgines candida lilia gestare apparebunt, & martyres palmam. Arbor enim illa, quam contra impositam sibi molem Philosophi assurgere aiunt, martyrum patientiam & tolerantiam significat: & in doctoribus apparebunt subuirides rami: nihil enim uetat quo minùs cælestis claritas illas repræsentet uarietates. At uerò alia martyrum insignia, ut Pauli ensem, & Laurentij craticulam non oportebit illic repræsentari. Cicatrices autem martyrum non reputantur aureolæ, nam multi illic erunt sine cicatricibus martyres, ut qui non gladio, sed submersi uel inedia confecti martyrio coronati sunt.

Palma. ¶ Per hæc igitur argumentum ultimum solutum restat. Et hæc de amplissima beatitudinis materia ad Dei gloriam dicta sint, qui nos ad eius contemplationem admittere dignetur.

DISTINCTIO QVINQVAGESIMA, De statu, & pœnis damnatorum.

Textus. Cap. 1. *FOeliciſſimæ beatorum gloriæ miſerrimã dãnatorum calamitatem tandem opponamus oportet: quos infernus locus manet, & gehennæ perpetua flamma, & exteriores tenebræ. Etenim neque ignis ille purus eſt, ſed ſtagnum, inquit Joann.* Apoca. 19. *ignis ardentis ſulphure. Et in pſalm. Ignis ſulphur, ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Quare & ſine luce ardet, & quaſi uentorum impetu fremens miſeros concremare non ceſſat. Quod ſi, ut eſt* Pſalm. 10. *apud Iob, ab aquis niuium trãſibunt ad calorem nimium, trãſitus tamen ille omni eſt refrigerio deſtitutus.* Iob. 33.

Cap. 2. ¶ *Tam animæ ergo illic quàm corpora perpetuos ſentient cruciatus: is enim ſenſus eſt illius uerbi Domini. Ite in ignẽ æternum, nempe unde nulla eſt futura redemptio. Fuerunt enim*

Origenianiſtæ,

Lib. de hæ re. cap.

Origenianiste, ut refert Augustin. de hac hæresi condemnati, qui arbitrabantur finẽ quãdoq; genus illud suppliciorum habiturum. Prima autem calamitatum in illo ergastulo illa censetur, quòd à regno cœlesti sint in perpetuum relegati, diuinoq; priuati conspectu: quã damni pœnam appellant. Vnde Aug. quales illæ sint exteriores tenebræ futuræ, super sextum psalmum sic enarrat. Ira Dei in iudicio erit, & hic est in cœcitate mentis, cum dantur mali in reprobum sensum. Ibi exteriores tenebræ erũt, quia tunc peccatores penitus erunt extra Deum. Quid est n. penitus erũt extra Deũ, nisi esse in summa cœcitate? Siquidẽ inhabitat Deus lucem inaccessibilẽ. Hæ aũt tenebræ hic iã incipiũt in peccãte, cũ ab interiori Dei luce secluditur, sed nõ penitus dum in hac uita est. Hęc ille. Itaq; in hac uita etiam peccatores extera hac luce corporea fruuntur, sed in illo ergastulo, quo cum corporibus damnati detrudendi sunt, non solùm interioribus animę tenebris delictorum, uerũ & exteriorib. corporum caligabunt.

¶ Secunda nihilo minor animarum pœna est perpetuum eorum odium, quo in diuinam bonitatem continenter exurgũt, nam superbia eorũ qui te oderunt, ait Psalmista, ascendit sẽper. Peius. n. est dei bonitatẽ odisse quàm lucem non cernere. Hoc. n. pœna est, illud uerò culpa. Quanuis odiũ illud non sit tam nouũ peccatum, hoc est meritũ noui supplicij, q̃ suppliciũ mali meriti, qđ in hoc seculo perpetrarunt: nã ut in Enchir. ait Aug. neq; beatis uoluntas, neq; dãnatis facultas poterit ulla esse peccãdi: uel ulla cõditio moriendi. Itaque ut confirmatissimus ille beatorum amor non est meritum noui præmij, ita neque obstinatissimũ illud, pessimumq; in damnatis odium dei, demeritum est nouæ supplicij: quia utrique extra uiam sunt, statumq; bene, aut malè merendi.

Cap. 3.

Cap. 3.

¶ Tertia subinde miserorum pœna est sensus: nempè igneus cruciatus,

Cap. 4.

cruciatus, quem etiam animæ antea quàm sua resumant corpora patiuntur. Etenim quanuis lib. de ciui. Dei uigesimo Augu. cuiusmodi ille ignis fuerit, sub iudice reliquerit, postmodum tamen corporeum esse agnouit: eodemque nihilominus Spiritus cruciari. Cur enim, inquit, non dicamus quanuis miris, tamen ueris modis, etiam Spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? Hactenus ille. Patiuntur ergo nunc etiam animę inextinguibilem ignem & uermem uiuacissimum, iuxta illud Marc. 9. Bonum est tibi claudum introire in uitã æternam, quàm duos pedes habentem ire in gehennam ignis inextinguibilis, ubi uermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et in ecclesiastico: uindicta impij ignis & uermis. Uiuax ergo ignis exurens, stimulansque conscientię remorsus peccatorum putredine gemitus ceu uermis affligit. His adhibetur fletus & stridor dentium: ille ob præsentem cruciatum: hic uerò ob futurorum metum.

Li. 20. de ciui. c. 16.

Lib. 21. ca. 10.

Ecclesiastici. 7.

Lucæ. 13.

¶ Cæterum in postrema carnis resurrectione calamitosi illi corporibus induentur, quę sint sua grauitate ponderosa, sic tamen in malum suum incorruptibilia, ut tamen sint perennibus tormentis passibilia. Vnde in Apoca. In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab illis. Dolores ergo mortis sine Spe moriendi sentient. Infœlix sors & horrore plena: uita mortis imago, ubi nec passionis consolatio ulla, nec liberationis Spes reliqua: mors quæ miseros, neque uerè permittit uiuere, neque ab illa uitę umbra unquã eripere ualet. Vtinam ergo nobis Deus illam caueat perpetuam mortem, & donet suam uitam æternam.

Cap. 5.

Apoc. 9.

DISTINCTIONIS QVINquagesimæ, De statu & pœnis damnatorum Quæstio unica.

ARTICVLVS I.

Vtrùm

Vtrùm ignis inferni sit corporeus.

POstrema tandē quinquagesima distinctio in disputatione, De statu & pœnis damnatorum uersatur, quæ unica erit quæstione contenta. Et quidem à loco inferni inchoandum nobis esset, nisi illum dist. 45. circa centrum terræ reconditum constituissemus: & ideò primum de igne quæritur utrum sit corporeus. Et arguitur à parte negatiua. Primò autoritate Damasceni lib. 4. c. ult. Trādetur diabolus & peccatores in ignem æternum: non materialē, qualis est qui apud nos est, sed qualem nouit Deus. Et Aug. 12. super Gene. ad literam. c. 32. quærens cum anima de corpore exierit, utrum ad aliqua loca corporalia feratur an ad incorporalia, corporalibus similia respondet, quòd cum spiritualis sit, non corporalia loca, sed ad spiritualia, aut ad loca pœnalia, similia corporalibus fertur.

Partis negatiuæ argu. 1.

2. Argum. ¶Secundò arguitur ratione. Ignis corporeus non potest animas, quæ spiritus sunt, cruciare: animæ uerò modò sine corporibus cruciantur: ergo ignis illæ non est corporeus.

3. Arg. ¶Tertiò. Ignis corporeus naturali impetu agit: ergo illa combustibilia quæ illi applicantur æqualiter urit: damnati uerò etiam in corporib. non æqualiter, sed pro cuiusque merito tormenta eius patientur. Ait enim quarto Dialogorum Gregor. Vnus quidem est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores, unusquisque quantum exigit culpa, tantum sentiet de pœna: ergo non est corporeus.

Pars affirmatiua. ¶In contrarium est illud Matth. 25. Ite in ignem æternum.

Philosophorū placita. ¶De illo inferni perhorrendo igne multi m primitiua ecclesia dubitarunt, esset ne corporeus, quæ utique opinionum ambiguitas ex Philosophorum placitis ortum habuit: nā cùm illi corporum resurrectionem non agnouissent, solius animę corpus egressiæ pœnam, aut præmium profitebantur. Et quoniam neque satis intelligebant quomodo spiritus ab igne corporeo pati posset, eiusmodi ignem diffitebantur, affirmantes, ut ait Auicenna quicquid de animorum pœna enulgatur, per metaphorā esse intelligendum. Vt quemadmodum fœlices animæ non de re aliqua corporea, sed spirituali oblectabantur, quia suum sē finem consequutas uident, ita & afflictionem malorum, spiritualem duntaxat putabant, nempe quia à suo sunt fine semotæ. At quia illa tristitia uulgo non potest nisi per similitudines corporales ostendi, dicuntur per metaphoram igne affligi, & præterea, ut metu uiuentes exerceantur.

¶At quoniam alij etiam ex philosophis eo usque sunt cognitione progressi, ut crederent separatas animas non solùm pœna damni propter auersionem à suo fine: uerùm & sensu affligi, alij commēti sunt animas corporum similitudinibus cruciari, ut homines phantasticis imaginationibus torquentur in somno: de quo uisionum genere. 12. de ciuitate Dei meminit Augustinus capit. 21. Veruntamen quoniam neq; hoc gaudiorum, aut suppliciorum modū satis rei facere alijs uidebatur. Tertium Philosophorum placitum, quod & Auicēna refert, fuit quod animæ hæc corpora mortalia exutæ alijs uniuntur cælestibus corporibus in quibus perpetuò uel præmijs fruantur, uel afficiantur supplicijs. Hoc autem. 1. de anima Aristoteles probat esse falsum: nam anima, ut suo est proprio corpori accommodata, quæ non potest in aliud transire, ut Pythagoras comminiscebatur: ita & suis certis utitur organis, ut alijs uti non ualeat. Neque uerò soli Philosophi, uerùm & patres Sancti de hoc aliquando hæsitarunt. Vnde Augustinus. 20. de ciuita. Dei cap. 16. Qui inquit, ignis cuiusmodi, & in qua mundi uel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi fortè cui spiritus diuinus ostendit. Subiungit tamen, quòd in postrema die seculi mundanorum ignium cōflagratione mundus peribit: insinuans fortè quòd etsi de igne quo nunc torquentur animæ, ambigi possit, sit ne corporeus, an spiritualis, tamen de illo qui damnatos cū suis corporib. in infernum obtrudet, quem sunt perpetuò perpessuri, non esse dubitandum fore corporeum.

Augu. 20. de ciu. 19.

¶His ergo recensitis opinionibus ad quæstionem quatuor conclusionibus respondetur. Prima. Ignis inferni est corporeus ab initio mundi ibidem creatus. Probatur primò ex regula quam supra pluribus locis commendauimus, nempe quòd quoties

1. Conclu.

ties uerbum sacræ scripturæ, eo præsertim loco, ubi historia narratur, in sensu literali sanè interpretari potest, sic est interpretandum: ait uerò Christus dicturum se dilectis suis. Venite benedicti patris mei percipite regnum: ac subinde damnatis. Ite maledicti in ignem æternum: qui paratus est diabolo: ubi prior pars ad literam intelligitur de regno quod etiam in corporibus beati possidebunt: ergo non est cur non & ignis nomen ad literam corporeum significet, paratum ab initio diabolo. Mox accedit & ratio. Damnati resumptis corporibus igne sunt corporeo cruciandi: & non est credibile tunc totum esse creandum: quanuis ignis conflagratio nis sit illi adhibendus: ergo & nunc est ibi corporeus. Et confirmatur hoc. Si uerbum illud. Ite in ignem æternum, corporeum significat, ut pote quo damnati cum suis corporibus mittuntur, & subdit Christus, Qui paratus est diabolo & angelis eius, consequēs fit, ut idem corporeus ignis sit ab initio in inferno.

Ratio conclusionis.

¶Deinde arguitur. Si non sit uerus corporeus ignis, non est cur potiùs dixisset in ignem, quàm in aquam, uel aerem æternū: nam quantum ad spirituale tormentum non plus ignis confert, quàm aliud elemētum quodlibet.

¶Præterea ob id ignis potiùs quàm res alia prædicatur in inferno torquere miseros, quòd elementum illud propter uehementissimam agendi uim horrendissimū est, ac perinde ad ulciscenda crimina, & scelera quę contra Dei omnipotentem bonitatem committuntur, aptissimum: si autem non esset corporeus ignis, neq; uehementiorem haberet cruciandi uim, neque significantiùs terrendi nomen: quod esset religioni Christianæ quoddam deceptionis genus.

De diuite epulone. ¶Solet illud Lucæ. 16. de diuite epulone in huius confirmationem sententiæ accumulari. Quia crucior in hac flamma. At uerò Augustinus. 21. de ciui. Dei capi 10. efficaciam loci huius infirmat. Nam ubi ait ille miser. Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aqua, ut refrigeret linguam meam, neque linga eius neque digitus Lazari poterant usurpari pro corporalibus membris: quoniam neque epulo in inferno, neque Lazarus in limbo corpus habebant. Quare & flamma uidetur spiritualiter inteligenda: ueluti & aqua. Vnde libr. octauo citato super Genes. Illum, inquit, diuitem in ardore pœnarum, & illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendum non dubito: sed quomodo inteligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua diuitis, ille digitus pauperis &c. uix fortasse à mansuetè quærentibus, à contentiosè autem certantibus nunquam inuenitur. Veruntamē salua Augustini autoritate dici posset, quòd cum Christus ad normam intelligendi nostram, parabolam admetiretur, ambos induxit acsi in corporibus illic essent. Et ideo non mediocre argumentum inde sumitur, quòd uera sit illic flamma, eademque adeò terribilis, ut distillantem aquæ guttulam ille miser pro refrigerio duceret. Quare Gregorius quarto lib. Dialogorum, atque alij hoc loco idem confirmant.

¶Accedit & illud Sapientiæ undecimo per ea quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Peccant enim homines per res sensibiles: igne ergo torquentur sensibili.

¶Ad hæc & uerbū Christi Matthæi quinto. Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, qui dixerit Racha reus erit concilio, qui autem dixerit fatue reus erit gehēnæ ignis, plurimum momenti affert ad probandum corporeum illic esse ignem: quæ grauissimum est supplicium.

¶Ad hæc tandem accedit autoritas Augustini, qui licèt ante ambiguè fuerit de hac re locutus, tamen loco nunc proximè citato de ciuita. Dei affirmantius asserit esse ignem corporeum: quo etiam nunc & dæmones & humani spiritus cruciantur. Cuius sententiam Gregorius quarto dialogorum amplectitur cap. uigesimonono dicens. Ob id quod Christus dicturus est. Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius, docemur incorporeos dæmones corporeo igni cruciari, atque adeò nihil esse mirum si & animæ antequam accipiant corpora possint corporea sentire tormenta. Hæc ille. Postremum denique argumentum sumitur ex purgatorio, de quo primæ ad Corinthios. tertio ait Paulus, quòd si quis superædificat ligna fœnum stipulam &c. saluabitur quasi per ignem. Vnde eodem libro uigesimoprimo Augustinus capitu. uigesimonono sic colligit. Si hoc temporis interual-

Augustī. autoritas.

De purgatorio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

teruallo, donec dies resurrectionis aduenĩat, spiritus iusti defunctorum ignem dicuntur perpeti purgatorium, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores & amores in huius corporis uita, ut eorum ligna & fœnum & stipula consummatur.

¶Quòd si quis scisciteturan ille ignis eiusdem sit speciei cum nostro, quanuis hoc nequeat per sacros testes fieri certum, subiungitur tamen secunda conclusio. Ignis ille eiusdem speciei est cum isto quem uidemus: quanuis materia sit fortè diuersa. Aqua enim (ut primo Topicorum ait Philosophus) omni aquæ est idem specie: & eadem ratione ignis omni igni. Quandoquidem nomen ignis specificum est, unde consequitur, ut qui non est ignis eiusdem speciei cum elemento, non sit uerè ignis. Igitur cùm ille infetni uerè sit ignis (siquidem sic in euangelio uocatur) colligitur, ut sit eiusdem speciei cum isto quem nos experimur.

2.Conclu.

Ignis in propria uel aliena materia.

¶Est tamen notandum, quòd ignis potest esse uel in materia propria, quemadmodum est in elemento, uel in materia aliena, quemadmodum in nostros usus uenit: & illa ratiõe potest differre ignis ab igne materialiter, ut ignis carbo differt ab igne flamma. Quanuis in carbone non est uerus ignis, sed plurimus calor propter densitatẽ materiæ, ut de ferro supra diximus. Pari modo ignis ille inferni differt à nostro, & illa ratione supra citatus Augustinus dicit se nescire cuiusmodi est, id est, in qua materia. Nam quanuis in Apocalypsi dicatur ardere sulphure, illud tamen sulphur fortasse non est eiusdem speciei cum eo quod est apud nos. Est enim incorruptibilis materia, & ingenerabilis à solo Deo creata: quo etiam ille ignis à nostro differt. Noster enim ligno aut aere, atque alijs alimentis nutritur, quæ ab ipso deuorantur. Et ideo Gregorius decimoquinto libr. Moralium super illud Iob. uigesimo. Deuorabit eum ignis, qui non succenditur. Ignis inquit corporeus ut esse ualeat, corporeis indiget fomentis: nec ualet nisi succensus esset, & nisi re fotus, subsistere. At contra gehennæ ignis, cùm sit corporeus & in semetipso reprobos corporaliter exurat, ineque studio humano succenditur, neque lignis nutritur: sed datus semel durat inextinguibilis.

¶Tertia conclusio. Locus ille inferni gehenna ignis dicitur, quasi ignis fornax, quod in Apocalyp. uocatur stagnum ignis ardentis sulphure. Et fuit nomen, quod ut Hieronymus super Matthæum capitul. decimo ait, in ueteribus libris non inuenitur, sed primùm à Saluatore nostro est positum. Est enim gehenna, quasi uallis filiorum Hennon. Iacebat nanque prope Hierosolymorum muros, ubi (ut quarti Regum. uigesimotertio legitur) filij Hénõ, Idolo Moloch, filios suos & filias igne sacrificabant. Et ideo Christus nomen gehennæ ad inferni fornacem transtulit, eo quòd uallis illa cadauerib. combustis plena, inferni imaginem referebat.

3.Concl.

Gehenna.

¶Quarta conclusio. Ignis ille est æternus, hoc est perpetuò crucians, unde nulla est redemptio. Hæc conclusio non eo constituitur, quòd sit catholicis dubia, sed quòd hæretici olim illam negabant. Nempe Origenianistæ quos August. post Epiphanium lib. de hæret. capitu. quadragesimotertio refert. Aiebant enim ignem illum etiam inferni quo iniqui torquentur, purgationem esse ipsorum, quemadmodum nos de purgatorio iustorum loquimur, atq; adeò diabolum & angelos eius post longissima tempora purgatos, atque liberatos regno Dei luciq́ restitui: & rursus post longissima tempora omnes, qui liberati sunt, ad hæc mala denuò labi & reuerti: & has uices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, semperq́ fore. Quanuis ut distinctione quadragesimaquinta quæstione secunda arti. secundo monstrabamus, non est uerosimile Origenem in illa opinione mansisse, etiã si illi Origenianistæ ab eodem Adamantio Origene, ut ait inibi Augustinus nuncupati fuerint.

4.Conclu.

¶Illam autem uanissimam absurditatem à Philosophis, & potissimè à Platonicis didicerunt, contra quos idem Diuus Pater libr. uigesimoprimo de ciuita. Dei disputat capit. decimotertio & decimoseptimo. Non enim sibi persuadere poterant æquissimum Deum irreuocabilibus supplicijs quospiam, quantumuis sceleratos punire. Quare alij dicebant in die iudicij prolata damnatorum sententia precibus sanctorum Dei uiscera commouenda, ut eis ignoscat.

¶Sunt autem huiusmodi fabulæ sub pietatis

tis cortice impientissimæ. Vbi enim Christus se dicturum refert. Ite in ignem æternum, confirmatissimam sententiam, atque adeò irreuocabilem designat. Neque solùm dicitur, æternus quia in æternum permanet, sed quia quemcunque semel susceperit, in æternum tenet, perpetuoq́; cruciat. Et ideo subditur. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Vt quemadmodum uita æterna: uelut Deus ipse, in cuius conspectu consistit, æternum perpetuumq́; gaudium habet, ita & iniquorum supplicium nullam habere ualeat redemptionem.

¶Accedit & illud Marci. 9. Bonum est tibi claudum introire in uitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis in extinguibilis: ubi uermis eorum non morietur, & ignis non extingui tur. Id quod & Ioannis. 5. Christus quoq; explicuit, dicens. Procedent qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ, qui uerò mala egerunt in resurrectionem iudicij.

Hominũ uesania.

¶Adde quòd homines in perpetuo circulo constituere, ut per uices defuncti, nunc in summa sint miseria, deinde à miseria ad fœlicitatem translati, inde rursus ad eandem relabantur miseriam, manifesta uesania est. Sunt enim animæ perpetuæ creatæ, non ob id, ut perpetua uicissitudine mutabiles sint: sed ut sempiterno Deo in hac uita seruientes, beata requie cum ipso, eademq́; perinde perpetua perfruantur. Quod si ab infinita illa immutabiliq́; Dei bonitate desciuerint, perpetuis supplicijs addicantur.

Sol. 1. arg.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur Damascenum non negasse simpliciter ignem illum esse corporeum quantum ad substantiam: sed esse materialem quantum ad similitudinem effectus ignis, qui apud nos est, tum quòd animas nunc non materialiter cruciat, quippe quæ nõ sunt caloris receptiuæ, tum quòd neque corpora sic omnino comburet, & comburendo corrumpat, sicut ignis apud nos facit.

Sol. 2. arg.

¶Ad illud Augu. respondetur, quòd licèt aliquando fuerit ambiguus, tandem tamẽ dixit esse corporeum ignem. Præsertim quòd etiam illic dicens loca pœnalia esse corporalib. similia, ignem etiam corporeũ insinuauit nostro non prorsum dissimilẽ.

Sol. 3. arg

¶Ad tertium denique respondetur, quòd cùm ignis ille suapte natura sit instrumentum diuinæ iustitiæ, & instrumentum non agat, nisi ut à principali agente mouetur, ignis ille non prorsus, ut naturalis agit in omnes æqualiter, sed ut iustitia postulat. Præsertim quòd ut ibidem ait Grego. etiã in naturalibus est simile. Non enim omnes qui solis radios suscipiunt æqualiter calescunt, sed secundùm cuiusq; dispositionem. Nam actus agentium, ut ait Philo. sunt secundùm dispositionem patientis.

ARTICVLVS. II.

Vtrùm animæ separatæ igne illo inferni corporeo torqueantur.

SI ignis inferni corporeus est, cum anima sit incorporea, meritò quæritur, utrùm à corpore separata ab illo igne quidpiam patiatur. Et arguitur à parte negatiua illo Aug. citato uerbo. 12. super Gene. ubi ait, quòd animę non ad corporalia loca, sed aliqua pœnalia corporalibus similia deferuntur. Et rõnem ibidem subdit, quòd agens debet esse nobilius patiente: corpus autem non est tam nobile quàm spiritus.

Partis negatiuæ argu. 1.

¶Secundo arguitur. Quemadmodum Boetius in libro de duabus naturis, imò & Aristote. in libris de generatione ait, illa solùm agere in se inuicem & à se inuicem pati possunt, quæ communicant in materia: corporeus autem ignis & anima illam non participant, ergo nequit anima ab illo pati.

2. Argum.

¶Tertiò. Quicquid recipitur ad modũ recipientis recipitur: anima est spiritus: ergo nihil nisi spirituale recipit, quòd corporeus ignis producere non potest.

3. Arg.

¶In contrarium est, quòd eadem est de animabus ratio, quæ de dæmonibus: dæmones autem ab illo igne patiuntur à quo sunt passura damnatorum corpora: iuxta illud Matth. uigesimoquinto. Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius: ergo & animæ patiuntur ab illo.

Pars affirmatiua.

¶Ad qõnem duab. conclusionib. respondetur. Prima. Animæ separatæ neq; ab igne inferni quidpiam corporale recipiunt neque illum sensu aliquo percipiunt. Prior pars per se nota est: quoniã subiectum indiuisibile

1. Conclu.

diuisibile corpoream qualitatem quæ diuisibilis est, recipere nequit. Secunda etiam probatur, quoniam in anima separata nullæ sunt sensitiuæ potentiæ atque adeò nec sensationes ullæ. Sentire enim quanuis sit animæ tanquam principij in quo est agendi uirtus, non tamen tanquã subiecti quod sentit, sed totius coniuncti. Intelligere enim & uelle, quia sunt actiones per se non pendentes ab organo corporali, sunt quidem in anima separata: sentire autem fit mediante organo corporali, & ideo sunt totius subiecti: corrupto autem subiecto necesse est corrumpi potentiam quæ ipsius est propria: igitur in anima separata non manent sensitiuæ potentiæ nisi tanquàm in radice. Perseuerat enim in ipsa eadem efficacia influendi easdem potentias resumpto corpore. Quare huiusmodi potentiæ non sunt propriæ passiones animæ sicut intellectus, sed potentia illas influendi est eius propria passio. Si autem in anima separata non sunt potentiæ, multo minùs esse possunt sensationes. Imò uerò quanuis potentiæ sensitiuæ remanerẽt in anima separata, tamẽ quia sensoria organa non habet, scilicet, neque exteriora, quibus species rerum colligere ualeat ad uidendum audiendum tangendum, &c. neque uerò interiora potentiæ imaginatiuæ aut æstimatiuæ, ad eas species seruandas, quas in uia acquisierat, nullas posset sensationes, aut internas, aut externas elicere.

Libellus de spiritu & anima.

¶Circumfertur libellus quidam de spiritu & anima, qui Augustino inscribitur, ubi habetur quòd anima recedens à corpore secum trahit sensum, scilicet imaginationem, & quòd ex imaginatione illa & concupiscibilitate afficitur anima beata ad lætitiam, & damnata ad tristitiam. Sed libellus ille apocriphus est, neque Augustiniana autoritate dignus. Vbi uerò in libro de ecclesiasticis dogmatibus scriptum est, solùm hominem habere animam substantiuam, quæ exuta corpore uiuit & sensus suos atque ingenia uiuaciter tenet, nomen sensus pro parte intellectiua usurpatur.

Modus primus quo anima patitur.

¶Hac igitur prima conclusione præfixa non est intellectu facilè quemadmodum anima separata, cùm purus spiritus sit, ab igne corporeo patiatur. Etenim qui dicerent cruciatus illos esse imaginationes in phantasia iam exclusi sunt, quia tales potentiæ sensitiuæ organa non habent. Item quia illæ imaginationes deberent esse per species, quas in hac uita receperunt, atque adeò per illas non dicerentur ab igne pati. 2. modus.

¶Et ideo quidam dixerunt solum per intellectualem uisum illius ignis pati, nempe tristari. Ait enim Grego. 4. Dialog. ca. 29. quòd anima ignem eo ipso patitur, quòd uidet, & quia cremari se aspicit, crematur.

¶Hoc autem non sufficit: nam obiectum uisus sola ratione qua uidetur, non tristitia, sed lætitia afficit. Necesse ergo est, ut contristet, sub ratione disconuenientis, & nocui cerni: atque adeò quòd præterquam per uisum aliter noceat.

¶Alij ergo dixerunt, quòd sola apprehensio qua anima apprehendit ignem, ut sibi nocentem sufficit ad nocumentum & tristitiam, ut in eis impleatur, quòd ibi trepidauerunt ubi non erat timor. Cui allude re uidetur secũdum membrum uerbi Gregorij. Quia anima cremari se conspicit crematur. At uerò opinio hæc multis nominibus deficit. Primò scilicet, quia tunc passio illa non esset secundum rei ueritatem, sed duntaxat secundum apparentiam. Et quanuis secundum August. duodecimo. super Genesim ad literam, possit quispiam ex aliqua falsa imaginatione tristari, non tamen per illam tristitiam uerè patitur a re ipsa, sed à sola imaginatione. Quare isto modo non dicerentur animæ pati ab igne, sed à sua falsa opinione. Imò qui hoc modo opinantur plus à ueritate passionis recedunt, quàm illi qui per imaginarias uisiones dicerent animas pati. Nam illi aiunt esse ueras imagines quas anima ex hac uita defert, isti uerò neque ueras imagines confitentur, sed falsas existimationes. Præterea cùm animæ separatæ & præsertim dæmones, acumine uiuacis ingenij polleant, non est credibile eo usque falli posse, ut ignis eis nocere appareret, si non uerè noceret. 3. modus.

¶Quartus dicendi modus fuit concedentium uerè animam separatam ab igne pati. Nam Gregorius post citata uerba subdit. Quòd res corporea incorpoream exurit, dum ex igne uisibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur. Vnde colligit, quòd incendium anima non solùm uidendo, sed etiam experiendo patitur. 4. Opinio.

Quo autem modum exponant, subditur, corporeum illum ignem bifariam posse considerari. Vno scilicet modo quatenus res quædam est corporea. Et isto modo nequit in animam quidpiam agere: sed alio modo consideratur quatenus est instrumentum uindicis iustitiæ Dei, quæ exigit, ut anima, quę peccando se rebus corporibus subiecit, eisdem pœnam patiendo subdantur. Et quia instrumentum agit in uirtute principalis agentis, nihil mirum si ea ratione ignis ille possit realiter agere in animam, calorem scilicet in eam proferendo. Quemadmodum Deus per aquam Baptismi infundit gratiam.

Reprobatio.

¶Veruntamen neque iste modus rationi consonus est. Quoniam instrumentum nequit uirtute principalis agentis moueri nisi per propriam actionem, quæ sibi natiua est. Nequit enim artifex lanea serra uti, sed ferrea, uel alia quæ apta sit ad serrandum. Et ideo Deus nequit creatura uti tanquam instrumento ad creãdum: quia creatura nequit actionem circa nihilum exercere. Sed in baptismo quia qua realem actionem habet circa hominem, illa Deus actione utitur, ut instrumento ad ipsum sanctificandum: quanuis per gratiam, quę in anima recipitur. Igitur cùm ignis corporeus nequeat actionem realem exercere in animam, producendo calorem, quia neque anima est capax ipsius recipiẽdi, fit ut idem ignis, neque tãquam diuinum instrumentum ualeat animam illo reali calore afficere.

Opi. cõis.

¶Modus ergo quem ex Augustino & Gregorio schola Thelogorum colligit est, quòd anima separata cruciatur ab illo igne inferni per hoc quòd illic ab illo detinetur. Non potest autem ab illo detineri, nisi anima ei quodammodo uniatur. Per hoc enim quòd anima unitur uiuenti corpori ab ipso afficitur. Nam ex sensibili gaudio & dolore anima etiam lætatur atque tristatur. Vnde ut Sapientiæ nono legitur. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Anima uerò corpori bifariam unitur. Vno modo ut forma materiæ, ut ex ambobus fiat unum uiuens: quo pacto neque dæmon neque humanus spiritus corporeo igni ualet uniri. Secundo uerò modo unitur ei ut mouens mobili, & locatum loco, eo pacto quo spiritus loco definiri potest. Definitur enim spiritus loco ea ratione qua omnis spiritus creatus res finita est, qua utique de causa sic est in isto loco, ut simul alibi per naturam esse nequeat. At uerò quanuis loco definiatur, non tamen per naturam ab ipso ligari potest & teneri, quo minus ualeat, dum libuerit, inde exire: quia spiritus non pendet à loco. Veruntamen anima dum corpus informat non solùm à corpore definitur, uerùm ei alligatur & tenetur, ita ut nequeat dum uoluerit illud exuere, nisi per mortem. Habet ergo teterrimus ille ignis hoc uirtute Dei, cuius est instrumentum, ut perinde uelut ergastulum animas teneat & coerceat, quanuis ab eis nõ informetur: ueluti corpus tenet animam qua animatur. Et hoc omnes satis existimant, ut ab illo igne cruciari dicantur. Id

Caietanus

que inter alios Caietanus in quodam animarum sermone edisserit. Ait quippe animas illic cum dæmonibus libertate priuari, & quasi catenis igneis coerceri, quod suæ naturali dignitati maximè derogat. Dedignantur, nempe, quòd cùm sint ipsæ corporibus superiores, usque adeò sint horrendo illi corpori diroque igni subditæ.

Sententia autoris.

¶At uerò profectò nequit mihi satis persuasum esse, quòd ut anima uerè crucietur ab igne satis sit ipso ueluti carcere & compedibus ac manicis detineri. Et ideo statuitur secunda conclusio. Animæ perinde ac dæmones à corporeo igne inferni non solùm, ueluti in ergastulo & uinculis detinentur, uerùm & illa tristitia afflictantur, eiusdemque prorsus rationis, ac si corpora quibus essent unita concremarentur. Conclu. 2.

¶Enimuerò quòd ab illo igne detineantur (ut communis habet opinio) certissimum est: quia illic tam animæ quàm dæmones uelut in carcere detrusæ sunt. Quare infernus per metaphoram portis & ferreis uectibus prædicatur occlusus: ut est in Psalmo. 106. Eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & uincula eorum dirupit: quia contriuit portas æreas, & uectes ferreos confregit.

August.

¶Vnde Augustinus decimo secundo de ciuitate Dei capit. decimo. 4. Sicut anima inquit iungitur corpori, dans ei uitam, & ex illa coniunctione uehementem concipit amorem ad corpus, sic ligatur igni, ut accipiens ab eo pœnam, & ex illa coniun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctione concipit horrorem. Et libr. uigesimoprimo capit. decimo idem repetit. Et Gregorius lib. Dialog. capit. uigesimonono (quod & Iulianus Toletanæ urbis Archiepiscopus usurpauit.) Si uiuentis inquit hominis incorporeus spiritus detinetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igni teneatur? Ad cuius confirmationem adducit illud euangelij de epulone, qui cruciabatur in flamma.

¶At uerò ita hoc uerum est, ut tamen sufficere non uideatur, ut anima peculiariter ab igne cruciari dicatur: Nam ut tantùm esset carcer & uincula, non plus ignis conferret, quàm aqua uel aer. Imò solus Dei iussus sufficeret, ut dæmones & animas illic teneret. Ignis autem peculiariter tanquam crudeliùs diriusque affligens dæmonibus paratus fuit: ergo alio peculiari modo illos affligit. Quocirca nec satis est respondere, quòd detinentur animæ in igne propterea, quòd postea sit cruciaturus corpora. Nam & dæmones cruciat, quorum corpora non torquebit. Et epulo apud Lucam. Non solùm ait, quia teneor in hac flamma: sed quia crucior: quasi eius incendium experiens, quod aquæ guttula sedari cupiebat.

¶Item animæ resumptis corporibus acrius affligentur quàm per modum detentionis propter sensualem dolorem ignis, qui erit in corpore: ergo & nunc eadem torquentur afflictione: quoniam pœna ignis tunc non crescet in anima.

Anim. autoris.

¶Crediderim ergo si mea quidpiam ualet coniectura, quòd quemadmodum anima dum corpus, quod in hac uita uiuificat, exuritur, peculiarem afflictionem & tristitiam patitur, aliam scilicet, quàm si tormentum alius generis corpus pateretur, puta si suffocaretur aqua, uel pateretur febrim, ita in inferno exuta corpore, eandem tristitiam & afflictionem sentit quam passura est dum corpus quod resumpserit, sensualem dolorem patietur. Atque hanc uim habet ille ignis tanquam instrumentum diuinæ iustitiæ in dæmones atque animas: nempe, quòd afflictionem quam in anima mediante dolore corporis resumpti effecturus est, faciat absque illo dolore. Et hoc est, quod ait Augustinus loco citato, quòd quanuis miris tamen ueris modis spiritus affligitur ab illo igne, recipiens ab illo pœnam, non dando illi uitam. Et quod ait Gregorius scilicet, quòd res corporea incorpoream exurit: dum ex igne uisibili ardor ac dolor in uisibilis trahitur: & quòd incendium anima non solùm uidendo, sed experiendo patitur. Experiri enim incendium est perinde pati ac si corpus eius combureretur. Imò hoc est quod significat euangelicus epulo petens aquæ guttulam quæ ardorẽ flammæ ei mitigaret.

¶Ad primum igitur argumentum respondetur illic Augustinum sub dubio fuisse locutum, sed libro de ciuitate Dei uigesimo primo capit. decimo planè confessus est in corporeos spiritus ab igne corporeo pati. Nam quanuis anima nobilior sit illo igne, quatenus corpus: est tamen ipse potentior inquantum instrumentum diuinæ iustitiæ. Sol. 1. arg.

¶Ad secundum uerò respondetur, quòd Philosophi loquuntur de actione quæ ad patientis corruptionem pergit. Hæc enim materiam communem agentis & patientis requirit: diuersa tamen est qua anima patitur ab igne. Sol. 2. arg.

¶Ad tertium denique superius responsum est. Et concessum, quòd passio animæ à corpore recipitur ad modum ipsius animæ sine receptione caloris: est enim nihil aliud quàm tentio & tristitia. Sol. 3. arg.

ARTICVLVS. III.

Vtrùm damnatorum corpora absque ullo uitio incorruptibilia, sed tamen possibilia resurgent?

POST animarum meditationem damnatorum quæritur de eorum corporib. utrùm sine ullo uitio incorruptibilia, sed tamen passibilia resurgent. Et arguitur à parte negatiua. Illud quod in pœnam peccati inflictum est, auferri, nisi remisso peccato non debet: omnes autem corporum deformitates in pœnam peccati inductæ sunt: quoniam uel originalis culpæ uel actualis effectus sunt: damnati uerò moriuntur in peccatis suis: ergo & corpora cum suis defectibus resurgent. Partis negatiuæ arg. 1.

¶Secundò arguitur, q̃ non erunt incorruptibilia. 2. Arg.

ptibilia. Omne enim compositum ex contrarijs est corruptibile, nisi dote impassibilitatis seruetur: corpora autem damnatorum erunt ex contrarijs composita, omnibusq; gloriæ dotibus destituta: ergo erũt corruptibilia. 3. Arg.

¶Tertiò arguitur, quòd non erunt passibilia. Omnis enim passio, ut in Topicis ait Philosophus aliquid aufert à substantia passi: omne autem finitũ, ut primo Physicorum habetur, per ablationem finiti tandem consumitur: ergo si essent passibilia, essent & corruptibilia. Pars affirmatiua.

¶In contrarium est, quod 1. ad Corinth. 15. ait Paul. Mortui resurgent incorrupti. Vbi glossa ait, quòd resurgent omnes sine diminutione membrorum etiam peccatores. Qui tamen non immutabũtur per gloriam impassibilitatis: & nihilominus, ut Apocalypsis. 9. legitur quærent mortem & non inuenient. Decis. art.

¶Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. De defectibus nanque corporum distinctione. 44. plura diximus: & ideo in hunc locum pauca reseruauimus. Atqui Augustinus in Enchiridio capitul. 92. decidere quæstionem recusauit, utrùm damnati resurgent cum defectibus corporum, quos in hoc seculo habuerant. Durandus uerò distinctio. 44. quæstione. 2. ait quòd resurgent cum illis uitijs cum quibus orti uel defuncti fuerint, scilicet si mutili nati fuerunt, aut postea sunt mutilati. Quoniam resuscitatio corporum per modum retributionis est futura: damnati verò nulla sunt fœlicitatis retributione digni. Item facienda est per gratiam Christi: & tamen damnati non sunt eius gratiæ capaces: imò omnia eis ad miseriæ cumulum cessura sunt: ergo cum suis defectibus resurgent.

¶Contra hanc autem opinionem statuitur prima conclusio, quam eadem distinctione D. Thom. affirmat. Corpora damnatorum absque ullo uitio naturæ resurgent. Sunt enim huiusmodi uitia in triplici differentia. Quidam siquidem nascuntur trunci aut etiam monstra, ut cæci, muti, aut alijs membris orbi, aut gibbosi, aut pygmei, &c. Alij sunt defectus, qui illis uiuentibus casu aliquo accidẽt, ut membrorum amputationes. Sed alij sunt ex distemperamento humorum uenientes: ut lepra, morbi, &c. Et absque omnibus illis resurgent. Primò quia mortuorum resuscitatio duplici uirtute Christi facienda est: scilicet, sanantis naturam, & largientis gratiam. Adam enim duplicem mortem incurrit: nempe, animæ & corporis: & utranque nobis Christus restituit. In restituenda autem corporali morte nullam habuit peccati rationem. Et ideo tanquam naturæ autor illam integrè reparabit, quam integram assumpsit: & in hoc etiam damnatos sibi configurabit. Qua idcirco ratione corpora damnatorum resuscitabit incorruptibilia & in legitima ætate. Eademque perinde ratione absque ullo uitio: nam hoc totum exigit perfecta restauratio naturæ. Illa uerò quæ ad remissionem culpæ, quæ sit per gratiam, consequuntur, solis est prædestinatis donaturus. 2. Conclu.

¶Adiecimus autem loco citato rationem egregiam quæ est Sancti Thomæ. Enimuerò nisi culpa obstaret, uniuersi absque ullo uitio resurgerent: & ideo si corpora modò damnatorum uitiosa deberent resurgere, hoc esset in pœnam culpæ. Pœnam uerò æquus iudex culpæ debet admetiri: sunt autem inter miseros damnatos, qui minoribus delictis irretiti peiores corporum deformitates habuere, grauioresque infirmitates fuerunt perpessi. Absonum ergo ab æquitate esset, ut cum illis omnibus resurgerent: tunc enim resurgentium supplicia non commissis culpis in hac uita, sed toleratis pœnis responderent.

¶Præterea neque rationi est consonum, ut qui monstrifica corpora habuerunt sic resurgant. Denique consequens fieret, ut deberent cum omnibus febribus, morbis, lepris, & doloribus resurgere, quibus fuerant uiuentes subiecti, quod re uera non est uero simile. Accedit ad confirmationem conclusionis uerbum Paul. 1. ad Corinth. 15. Mortui, scilicet omnes, resurgent incorrupti, id est, in corporibus nec mutilatis nec uitiosis, sed integris & perpetuis.

¶Ad argumentum ergo Durandi iam respondimus, quòd licèt resuscitatio corporum sit propter retributionem facienda, tamen eorum uitia esse non debent retributio culpæ, imò propterea integra resurgent, ut integra patiantur. Quare integritas illa non ad eorum fœlicitatem, sed potiùs infœlicitatẽ, ceu incorruptibilitas per

tinebit. Neque erit effectus gratię gratium facientis, sed gratis datæ toti naturæ. Resurgent autem cum illis defectibus, qui ex principijs naturæ oriuntur. Resurgent inquam grauia, ponderosa, passibilia, tardè mobilia &c.

Sol. 1. arg. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur, quòd ærumnæ & miseriæ huius seculi ex originali culpa contractæ, & quæcunque aliæ ob actualia peccata adhibitę, omnes sunt temporales cum ipsa uia transeuntes: & ideo quanuis culpæ non sint à Deo remissæ, non debent illæ manere, sed aliæ secundum forum futuræ uitæ, quę sint perpetuæ. ¶Quod si arguas iustis nihil deerit quod ad eorum fœlicitatem pertineat, ergo nec damnati: quidpiam quod eorum miseriam possit augere: integritas autem corporum & uitiositatis ablatio quoddam erit miseriæ leuamen. Respondetur non esse parem rationem. Bonum enim potest esse integrum & perfectum: & ideo iustis quicquid ad eorum perfectionẽ confert, accumulabitur: malum autem nequit esse per omnes defectus omnino purum: alioqui (ut ait Philo. 4. Ethi.) se ipsum perimeret & ideo damnatis aliqua boni naturalis consistentia fiet reliqua.

Obiectio.

2. Conclu. ¶Secunda conclusio. Corpora damnatorum resurgent incorruptibilia. Conclusio est de fide, ut artic. 1. dicebamus. Quoniã sicut beati (ut Matth. 25. legitur) mittendi sunt cum suis corporibus in uitam æternã, ita & damnati in ignem ęternum. Ratio ergo conclusionis est partim naturalis partim supranaturalis. Naturalis quidem cessatio motus cælestis: non quòd cessatio illa sit naturalis: nam (ut dist. 48. q. 2. arti. 2. monstrauimus) naturaliter cessare non possunt, quare supranaturaliter quiescent, sed quòd cessante illo motu, naturali consecutione generationes & corruptiones rerum cessabunt, ut eod. art. contra quosdam disputando confirmabamus. Sed tamen præter illam causam erit & alia supranaturalis: nempe perfecta animæ informatio, per quam corpori dabit esse incorruptibile, ut D. Tho. 4. lib. contra gentes ca. 89. asserit. Similiter enim malis, ut bonis, hoc animatribuet. Quanuis in damnatis (ut supra diximus) non habeat rationem dotis incorruptibilitas: quia illud nõ deriuatur ex beatitudine & fœlicitate animæ: sed est effectus iustitiæ distributiuæ, ut ultio malorum sit perpetua. In statu enim naturæ integræ qualitates contrariæ humani corporis per Dei gratiam tenerentur, ne possent corpus corrumpere: sed in inferno per illam id fiet perfectam animationem.

De subtilitate. ¶Dubium autem est utrùm aliquod specimen dotis subtilitatis habebunt ad penetrandum per uiscera terræ, quando cadent in infernum, Respondetur nihil damnatos per modum dotis habituros. Quare tunc terra ipsa aperietur, ut miseros deglutiat, nisi Deus per aliud miraculum illum effecerit transitum. Agilitate autem opus non habebunt, tum quòd suo pondere cadent, tum quòd dæmonum impetu rapientur.

3. Concl. ¶Tertia conclusio. Corpora damnatorum non erunt per materialem motum, sed tantum per animalem sensationem & quodammodo spiritualẽ passibilia. Prior pars eadem probatur ratione, qua præcedens conclusio. Causa enim tam corruptibilitatis quàm impassibilitatis potissima est iustitia Dei, per supplicia perpetua inimicos suos æquissima ultione cruciantis. Vtitur tamen ad id causis secundis: tum extrinseca: nempe, cessatione cælestis motus: tum etiam intrinseca ipsius corporis. Igitur corpora illa eisdem causis quibus sunt incorruptibilia per materialem motum & receptionem alterantis qualitatis. Cessante inquam motu cæli & anima per perfectam informationem corpori dominante, corpus, ut est incorruptibile, ita impassibile. Nam receptio caloris, aut frigoris, & cuiuslibet id genus qualitatis corporis corruptionem molitur, alteriusque subinde generationis: ergo corpora quæ non sunt corruptibilia, non sunt illo modo passibilia.

Ratio. 2. ¶Secundo id ipsum probatur. Si corpora illa eiusmodi materiales qualitates contrarias realiter susciperent, intẽderentur, & remitterentur, & ideo quando corpora calefieri inciperent, dolorem non sentirent. & si, ut multi opinantur transirent ad niuium frigora, illo temperamento recrearentur: & tamen pœnæ illæ, nec sunt intensibiles nec remissibiles.

Ratio. 3. ¶Tertiò. Supplicium illud non ad corruptionem, sed ad afflictionem institutum est, potest autem ignis ille uirtute diuina absque ullius materialis accidentis impressione per sensus homines torquere: ergo sic usu ueniet.

¶Secunda

Probatio secundæ partis. ¶Secunda conclusionis pars explanatur. In hac mortali uita specierum sensibilium aliquæ producũtur sine materia & motu spiritualiter, ut uisibiles, & aliæ cum motu ut audibiles, atque aliæ cum materialibus alterationibus: ut tangibiles: in corporib. autem incorruptibilibus producentur omnes, sicuti uisibiles, sine impressione materialis qualitatis: ut de corporibus beatorum supra definitum est: similiter ergo atrox illeac teterrimus ignis miseros in corporibus cruciabit, ut Caietanus in allegato sermone probe ait. Ingeret inquam per sensoria organa tactus species sensibiles caloris usque ad uenas, medullas, & iuncturas, ac denique usque ad uiscera, ubi uehementior fiat doloris sensus, sine aliqua materialis caloris impressione. Tametsi id non secundum æqualem conatum & furorem, sed quantum cuiusque culpa comme ruit. Et ideo corpora illa non erunt passibilia passione materiali corruptiua, sed animali sensitiua.

Sol. 2. arg. ¶Secundum igitur argumentum iam solutum est. Contrarię enim qualitates in mixto nequeunt illud, nisi per motum cœli corrumpere, & tunc ille cessabit: quod Philosophi ignorarunt. Prętерquam quòd anima (ut dictum est) in corpus dominabitur, dans illi esse perpetuum.

De morte. ¶Quod si redarguas. Mors est miseriarum summa: quia uita est omnium naturalium bonorum fundamentum: damnati sunt in summa miseria: ergo mors non est illis subtrahenda. Respõdetur ad maiorem, quòd quanuis simpliciter loquendo, esse, sit naturalium bonorum summum, ac subinde mors sit summum malorum: per accidens mors & non esse est appetibile. Vnde Philosophus nono Ethic. licèt esse constituat maximè delectabile, quia illud omnia appetunt: exponit se tamen, quòd non loquatur de uita mala, & corrupta & mœroribus plena. Ob idque mori damnatis potiùs esset solatium: & ideo ad pœnarum cumulum eis accedit, quòd mori non possunt: si mors accipiatur pro fine: nam si accipiatur pro sensu doloris, quo morientes torquentur, perpetuò moriuntur.

Nolite timere eos. &c. ¶Vnde Christus Matth. decimo (quod meditatè, ut alibi diximus contemplandum est.) Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Nam si possent corpus semper torquendo nunquàm occidere, multo essent plus extimescendi. Si tyrannus inquam dum hominem excruciare adornat, posset illi uitam seruare, ut semper ferreis unguibus carperet, exenterarer, dilaniaret, assaret, & iterum atque iterum in tormenta deuocaret, ille uehementissimè timendus esset: sed tamen quia quo dirius torquere incipit, citius mors quem torquet è suis manibus eripit, minùs timendus est. In inferno ergo hoc est omnium horribilius, quòd nec mors ualet pœnis finem imponere.

Sol. 3. arg. ¶Ad tertium respondetur, quòd Philosophus loquitur de passione per quam patiens mutatur à sua naturali dispositione: illa enim tandem illud consumit. Sed tamen in corporibus damnatorum locũ hęc passio non habebit.

¶Quocirca ignis ille non agit actione uniuoca uolendo assimilare sibi passum, hoc est corpus in ignem conuertere: sed est actio æquiuoca. Quemadmodum enim sol in ilta inferiora non intendit producere soles, sed alia mixta: ita ille ignis non intẽdit corpus in ignem resoluere, sed dolorbus cruciare.

Dolor nõ interficit. ¶Quod si redarguas. Dolor solet tandem animalia necare. Conceditur, sed tamen id accidit, quia à sensibili passione mutatur corpus materiali motu eius temperamentum dissoluente, quod illic non accidit.

Exempla. ¶Augustinus lib. uigesimoprimo de ciuitate Dei. aduersus huius rei incredulos nõ nulla ex natura rerum accersit exempla. Aethna enim Siciliæ mons semper ardet, sed nunquàm consumitur: & Salamandra in ignibus uiuit, & uermes quidam in aqua dum bullit: qui foris extracti illico moriuntur. Sed hæc sic sunt exempla, ut tamẽ non omnino sint similia. Ignis enim Aethnę sulphure, quod continenter gignitur, perpetuò nutritur: & Salamandra non potest in igne perpetuò uiuere: quia animal est corruptibile. Vnde Galenus lib. de

Galenus. simplici medicina. Nullum, inquit, corpus est, quod ab igne non consumatur, quanuis in paruo tempore ab illo non lædatur. Præterea Salamandra non dolet in igne, imò recreatur, ueluti in aqua piscis. Sed argumentum est. Vt qui animali uirtutem dedit, qua in igne uiueret

neque ab illo læderetur, nec dolorem sentiret, potuit & ignem & corpora facere, quæ ab illo semper cruciarentur: absumerentur uerò nunquam.

ARTICVLVS. IIII.

Vtrùm damnati sola pœna ignis puniantur.

1. Arg. VOniam de igne solùm hactenus dictum est, quæritur utrùm alijs præterea pœnarum modis damnati plectãtur. Apparet enim nõ alijs plecti: quandoquidem Matth. 25. de solo æterno igne habeatur mentio.

2. Arg. ¶Secundò arguitur. Vermis qui illos dicitur torquere, uidetur fore corporalis, iuxta illud Iudith. 16. Dabit ignem & uermes in carnes eorum. Et eccleſiaſ. 7. Vindicta carnis impij ignis & uermis. Et tamen nõ apparet quomodo possit corporeus illic uermis uiuere.

3. Arg. ¶Tertiò fletus & stridor dentium, cuius mentio Lucæ. 13. habetur, nõ uidetur quomodo illic fieri possit. Quoniam lachrymæ per corporis resolutionem exprimuntur quæ illic locum non habent.

4. Arg. ¶Quartò & tenebræ exteriores, quæ Matth. 22. memorantur, nequeunt satis intelligi corporales. Ait quippe libro. 9. Moralium Gregor. super illud Iob. 10. Et sempiternus terror inhabitat. Quanuis illic ignis ad consolationem non luceat, tamẽ ut magis torqueat, ad aliquid lucet: nam sequaces, quos secum traxerunt de mundo reprobi, flamma illustrante uisuri sunt. ¶In cõtrarium est illud Psal. Ignis sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorũ. Et Iob. 13. Transibũt ab aquis niuium ad calorem nimium.

Nihil in infernolętũ. ¶In hunc articulum cuncta sunt conferenda quæ ad damnatorum tormenta congeruntur. Est enim in primis animaduertendum nihil calamitosis illis accidere posse, quod, quanuis suapte genere sit delectabile, eos ualeat delectare. Sed omnia erunt eis potiùs tristitia & mœrore plena. Atqui eorum pœnæ in duo genera diuiduntur, quæ sunt pœna damni & pœna sensus. Patientur autem resumptis corporibus secũdùm omnes potentias, nempe, secundùm intellectum, uoluntatem, irascibilem, concupiscibilem, denique secundùm omnes sensus. Hæc autem eo ordine, quo beatitudinis bona in beatis sunt, possunt in ipsis considerari.

1. Conclu. ¶Ad quæstionem ergo quinque conclusionibus respondetur. Prima. Quemadmodũ in beatis primum omnium bonorum, quin etiam omnia concinens, est uisio intellectus, qua Deum habent præsentem, ita & primum malorum in damnatis est pœna damni, nempe carentia eiusdem uisionis, & diuinæ præsentiæ: hoc enim malorum pœnæ summum est. Quia proxima essentialisq; pœna est quæ culpæ debetur: nimirum quam inimici Dei eam offendendo merentur, nempe exilium à regno cælesti, quemadmodum iustis, ceu Dei filijs debetur eius hæreditas. Et quemadmodum supra de uisione diximus, quòd illa ex qua Dei amor & gaudium subsequitur, absque alio bono sufficeret ad beandum hominem, ita & hæc carentia satis esset ad summam miseriam ad quam & odium eiusdem Dei & summus mœror consequuntur, quanuis alia mereantur tormenta. Etenim quo pacto, qui Deum possidet cũcta bona possidet, ita qui Deo caret, omni bono priuatur: quod summa miseria est. Vnde Chrysostomus super Matthæum Homil. 23. Duæ pœnæ sunt, ignis gehennæ, & casus gloriæ. Nouimus autem quia multi solam gehennam abhorrent: ego autem casum illius gloriæ multo amariorem gehenna esse aio. Tolerabilis est gehenna, & ille ignis: sed si decem mille gehennas ponas nihil tale est quàm ab illa beata uita excidere. Hæc ille. Profectò animus contemplari abhorret quid sit Deo carere, ab ipsoque odio haberi, eumq; uicissim odisse, idque in perpetuum absque ulla spe in eius gratiam redeundi. Quæri autem hic solet utrùm pœna hæc damni sit in omnibus æqualis, cuius consueta responsio est affirmatiua. Quoniam priuatio nec magis (ut aiunt) recipit nec minus, & carere Deo priuatio est, sicuti orbari uisu. At uerò quãuis priuatio in se quando pura est, maior minorve esse nequeat, ut summæ tenebræ & summa cæcitas, tamen in ratione causæ augeri potest, ut magis minusve torqueat. Crediderim ergo cum Abulensi super Matth. uigesimoquinto, quæstione 640. quòd eos qui ob grauiora crimina in maiori sunt inimicitia Dei, relegatio illa ab eius regno, ac perinde Dei ipsius carentia acriùs torqueat. Vehementiùs etenim indignantur, qui à maiori hoste in exilium mittuntur, patriaque & suis bonis expoliantur, quàm qui ab hoste, qui non est eis tam inimicus, priuationem illam patiuntur. Quare carentia ipsa diuini conspectus quæ est carentia omnium bonorũ, quatenus peioris causæ effectus est, & causa maioris tormenti: potest esse maior in uno ac perinde in alio minor.

Vtrum pœna damni sit æqualis.

Carentia maior & minor.

¶Pœna autem sensus est quæcunque sensibilis læsio & quæcunque tristitia, & afflictio uoluntatis, quæ ex apprehensione rei nocuæ, uel intellectuali, uel sensuali proficiscitur. Quapropter, & in anima separata est etiam sine corporeo sensu pœna sensus.

2. Conclu. ¶Secunda conclusio. Quemadmodum in beatis ex uisione Dei subsequitur confirmatissimus ipsius amor, quem iustus habuit in uia, unde summa colligitur delectatio: ita secunda damnatorum pœna est obstinatum odium quod habent Dei, quo uelut hostem eum perpetuo prosequuntur. Atqui hæc pœna in ratione mali peior est quàm carentia diuinę uisionis: nam est pœna simul & culpa. Quare summam bonitatem odisse aliquid supra priuationem addit, quæ est summo bono carere.

Secũda dãnatorũ pœna.

Rõ cõclu. ¶Affectus nanque uoluntatis ex apprehẽsione obiecti uariatur. Deus autem bifariã apprehendi potest. Vno modo in se sicuti est: quemadmodum à beatis cognoscitur. Et ideo cùm sit fons totius bonitatis nemini potest sic apprehensus non placere. Sed aliter apprehenditur in suis effectib. quem admodum apprehenditur à beatis in effectu iustitiæ: nempe, quia delegati à regno perpetuis cruciatibus ex illo torquentur. Atq; isto pacto obstinatissimo eum odio habent. Quòd si arguas. Illi sunt effectus iustitiæ: iustitia uerò nequit rationem ullam mali uoluntati offerre: ergo nequit illa ratione Deus dio haberi. Respondetur quòd iustitia in se ipsa uisa non habet nisi rationem boni: ob idque beati de hoc etiã Deum diligunt, quod in reprobos animaduertit. Sed tamen damnati, quia non apprehendunt illam, nisi in suo effectu, non cognoscunt eam sub ratione boni, sed sub ratione cruciantis, quod eis est malum: nõ solùm qua ratione cruciantur, sed quia à suo hoste plectuntur.

Obiectio.

¶At scisciteris nunquid illud odium sit maius quàm habuerint in uia. Respondetur, non esse maius, id est intensius: quia ubi ceciderit lignum, illic erit: hoc est in statu & affectu apud Deum quo homo decedit perpetuò manebit: sed tamen eritpe ius propter obstinationis statum, atque adeò acriùs crucians. Quemadmodũ amor in beatis non erit maior quàm in uia, sed tamen perfectior, quia confirmatior & maiori gaudio afficiens: propter præsentiam rei amatæ. ¶Hinc fit odium illud nec crescere nec minui. Quare uerbum Psal. Superbia eorum qui te oderunt ascẽdit semper, aut intelligitur in hac uita: aut si extẽdatur ad damnatos, tunc, ascendit, idem ẽ, quod stat semper in alto: quod eius ingenium est. ¶Tertia conclusio. Neq; odium illud, nec ullum damnatorum opus demeritorium est ullius nouæ pœnę essentialis. De damnatis enim atque beatis duo distinguuntur tempora. s. ante & post diem iudicij. Atqui quòd post diem illum nullum sit, aut in beatis meritum, aut in damnatis futurum demeritum, unanimis omnium confessio est. Quoniam meritum & demeritum ad aliquod subsequens nouum præmium, aut supplicium refertur: quod tamen post diem illam neutiquam esse potest: quippe quæ omnium sit bonorum malorumq; consummatio, perpetuò duraturа. Quare tunc & bona beatorum uoluntas non meritum, sed præmium erit: & dãnatorum mala non demeritum, sed supplicium. Et hoc erit eis consummatio malorum, sicut & beatis consummatio bonorũ, quod extra statum sint merendi, aut dimerendi, quãuis sorte diuersa. Illic enim duæ ciuitates (ut ait Aug.) Dei & dæmonis consummabuntur.

3. Conclu.

Ratio conclusionis.

¶Et eadem ratione respõdetur si quis hoc modo arguat. Peruersus appetitus qui ex uoluntate arbitrij processit, ét si factus sit necessarius, non excusatur quin sit demeritorius, ut patet de ebrio, qui sua se culpa uino immerſit, quem tertio Ethico. ait Philos. duplici pœna plectendum, si in ebrietate peccet: odium autem damnatorum processit ex uoluntate in hac uita: ergo non excusat à demerito. Respondetur, inquam, non ideo malam damnatorum uoluntatem à demerito excusari, quòd libertatem amisit: sed quia ad summum malorum peruenit, & extra uiã facta est. Qua re

Ante diem iudicij.

re totũ demeritũ illius est quod in termino huius uitæ fuit consummatum. ¶Ante diẽ uerò iudicij possumus aliquod meritũ & demeritũ in beatis atq; dãnatis cõfiteri: potissimùm in angelis bonis, quib. nostra custodia demandata est, quiq; & nobis in uigilant, ut nos à malis eripiãt & in bonis æmoueant, de qua sedula uigilãtia gaudiũ accidentale in die iudicij eis augebitur, dũ frugẽ conspexerint, quam Deo conquisiuerunt. Idem erit de fœlicib. animabus, quæ suis nos orationib. & patrocinio iuuant. Et similia ratione dæmones possunt modò de mereri, qui hoïes seducere & suis laqueis irretire procurant, quærentes quos deuorent. Quare serpenti qui Euam decepit, accessio fiet accidentalis mœroris in die iudicij, cum uiderit quanta inde fuerint damna subsecuta. ¶Ecce ergo duas easdemq; potissimas damnatorum pœnas quarum prior intellectus est, nempe carentia diuinæ uisionis: posterior uerò odium Dei in uoluntate. Quarum utraque per se cruciat Illa. s. propter expoliationem regni: & hæc propter iram. ¶Quòd si arguas. Carentia non torquet nisi propter appetitum rei, cuius est priuatio: damnati autem non cupiunt uidere Deum: quippe quem, ut hostem odisse non cessant: ergo propter illã carentiam non cruciantur. Respondetur quòd licèt uisionem dei ex eius amore nõ appetant, tamen quia cognoscunt bonum esse & uoluptatis causa propter amorem sui ipsorum dolent, quod ab illis abdicati sint uoluptatibus. Odium uerò cruciat per iram, quam gignit: nempè, cupidinem uindictæ de Deo: nam quia nequeunt de ipso ulcisci & uindictam capere, frementes discruciantur. ¶Tertiam pœnam tertia

3. pœna. mentis potentia patiuntur: nempe eorum memoria, quæ in hac uita gesserint, seu bona, seu mala. Memoria inquam bonorum uirtutis eos affligit: eo quòd perseuerantia non eos perduxit ad præmium, sed illo frustrati sunt. Præterea memoria eorum quæ in hac uita possederunt caduca bona, qualia sunt facultates, ampla nomina & honoris tituli, miseros pudore suffundit: utpote quòd qui in tanto fuerint pretio habiti, ad tantam fuerint ignominiam deiecti. Et super hæc omnia criminum suorum

De dãnatorum pœnitentia. scelerumq; memoria conscientias eorum exurit & corrodit. ¶Sed arguat quis forsan sic contra. Memoria peccatorum cruciare non potest, nisi propter pœnitentiã: damnatos uerò suorum criminum pœnitere nõ potest: nam, ut ait Bernar. in canticis Damnatus semper uult iniquitatem, quã fecit. 4. Conclu. ¶De hoc ergo statuitur quarta conclusio. Damnati pœnitentiã, quanuis nõ fructuosam, sterilem tamen & cruciantẽ habent. Erratorum. n. pœnitere bifariam accidet, scilicet per se, & per accidens: per se quidẽ quando quis peccatum, tanquàm dei offensam detestatur: per accidens uerò, quando nõ ipsum, sed eius abominatur effectũ: nẽpe, suppliciũ. Priori ergo modo pœnitentiam in damnatis locũ nõ habet: qm̃ in mala uoluntate, qua hinc demigrarunt, perpetua obstinatione perdurant. Atq; hoc modo ait Bernar. Iniquitatẽ semper uelle. Et Damas. ait hoc esse hominib. mortẽ, quod angelis casum: quia sicut angeli per casum, ita & homines per mortem obstinantur. Posteriori uerò modo pœnitentiam agunt perpetuam: iuxta illud sapient. 5. Intra se pœnitentiam agentes. Et 9. Ethico. ait Philosoph. quòd pœnitudine replentur prauitatis enim uoluptas transiens tristitiam ingenerat, conscientiam uulnerans. 5. Conclu de uermi. ¶Quinta conclusio. Pœnitentia hæc damnatorum est uermis, eorum conscientiam perpetuò remordens & corrodens. De quo Esaię. 66. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Quod Christus Marc. 9. etiam astruxit. De hoc enim uerme dubium antiquitus fuit, esset ne pusillum animal, carnem, ut tinea, terebrans Propterea quod apud Iudith, & in Ecclesiastico. Vermis carnis nominatur. Nihilominus non sunt credendi corporales uermes in damnatorum esse corporibus: nam post diem iudicij cessante motu cæli nulla erit uita superstes animaliũ, præterquàm hominum. Præterea uermes ex corporis corruptione scaturiunt: corpora uerò dãnatorum non erunt corruptibilia. Accedit quod modo in animabus non sunt animati uermes: ergo non est cur pòst creentur. Remorsus cõscientiæ. Remorsus ergo conscientiæ: qui ex peccatorum putredine fit reliquus, uermis nomine censetur. Vnde Aug. 20. de ciui. c. 21. In pœnis, inquit, malorũ & inextinguibilis ignis, & uiuacissimus uermis ab alijs aliter atque aliter est expositus. Alij quippe utrũque ad corpus: alij utrumq; ad animam retulerunt: alij propriè ad corpus ignem: uermen uerò tropicè ad animam: quod credibilius

bilius esse uidetur. Quòd si obijcias post modum lib. 21. cap. 9. dixisse utrunque ad corpus pertinere: quia & ignis & uermis pœna inquit, carnis erit. Respondetur id dixisse, non quòd uermis ille sit animal sed

4. pœna. quod per cruciatum animæ in conscientia corpus etiã maceratur. ¶Post tormenta, quibus per tres mẽtis potentias damnati premuntur, quartò ẽt torquentur per potentiam irascibilem. Primũ quidẽ metu futurorum: qm̃ quæ patiuntur supplicia perpetua esse nouerunt. Deinde & rabida iracũdia qua in deum exardent. Vellent. n. eum si possent, de cælo deturbare: quod quia impossibile uident, dirè torquentur. Et eadẽ ira dæmones ad impugnandos hoïes conci

5. pœna. tantur, quos diuino imperio subducant. ¶Præterea quintò & concupiscentia, suapte natura uoluptatis auida, igne maximè læditur. Sed præterea singuli sensuum suas patiuntur cruces. Tactus inquam truci do

Sensuum cruciatus. loris sensu incendium ignis patitur. ¶Circa hoc autem dubitatur utrum non solum pœnas ignis uerum & contrarias frigoris experiantur. Et dubitandi ratio nulla est

Vtrũ sint illic niuiũ frigora. præter autoritatem illam Iob. c. 24. Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium. Illo enim duntaxat loco mouentur, quia arbitrati sunt, uicissitudine illic caloris & frigoris torqueri miseros. ¶At uerò profectò hoc nec facilè creditu est, nec assertu necessarium: saltem quòd sit frigus niuiũ, ut contraria opinio inde colligit, aut frigus aquæ quod quidem ante nos super. 25 capitu. Matthæi asseruit Abul. quæst. 558. Et primum argumentum est, quòd cum Christus diuersis locis Euangelij uniuersa inferni tormenta recensuerit, nempe ignẽ, fletum, stridorem dentium, & tenebras, de frigore nullibi meminit. Imò uerò Zacha. 9. Vbi de inferno extat uaticinium sic legitur. Tu autem in sanguine testamenti tui eduxisti uinctos de lacu, in quo non erat aqua. Quasi diceret, sed purus ignis. Quin uerò Luc. 16. ubi epulo ille guttulam aquę deposcebat, qua linguam refrigeraret, documentum præbuit, merum ignem absq; ullo frigore illic ardere.

2. Ratio. ¶Mox ex ratione loci arguitur. Ignis & niues eodem loco esse non possiunt: si uerò loco distent, non est intellectu facilè quomodo, aut quibus interpollatis temporibus transmittantur damnati ab uno in alterum locum, aut quomodo ignis niuibus subintrantibus loco cedat, aut frigori in quacunque sit materia, siue aqua sit, siue alia quacunque. ¶Præterea si uerum est, 3. Ratio. quod supra probabilissimum existimabamus, nempe, quòd damnati non sunt loco semoti, sed ueluti in aceruo congesti, nõ est possibile loca omnes mutare: nec apparet quomodo deuexare eos per uices ualeant aqua & ignis.

¶Sed potissimum argumentum est, quòd Potissima ratio. Christus in ignem æternum illos missurus est: ignis autem æternus est, qui iugiter & perpetuò absque ulla interpellatione torquet: calor uerò & frigus non possunt simul torquere, etiam si per spirituales species id faciant: quoniam sensatio caloris & sensatio frigoris mutuò se expellunt: nulla ergo erit illic frigoris afflictio.

¶Iam uerò tandem arguitur. Si uicissitudo illa illic locum haberet, maximè ad augendam doloris uehementiam: sed illa satis est magna per solum ignem, & augeri potest quantum æquitas iustitiæ poposcerit: ergo officium frigoris superuacaneum est, atque adeò illic ei non datur locus. Alia ratio.

¶Igitur ad autoritatem Iob respondetur, Interpretatio loci apud Iob. non intelligi de uicissitudine quæ sit in inferno. Imò profectò, ut meam ignorantiam sub aliorum censura confitear, miror quomodo ex illo loco talis fuerit collecta sententia. Obiurgat enim illic Iob adulterum, dicens. Oculus adulteri obseruat caliginem, & inter eius qualitates ait. Leuis est super faciem aquæ, & maledicẽs ei subdit. Maledicta sit pars eius in terra. Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & usque ad inferos peccatum illius. Vbi Grego. nihil de alternatione inferni meminit, sed iniquitatem adulteri frigiditatis nomine intellexit, à qua solet ad calorem superbiæ conscendere. Aut si hoc magis placet turpes huius seculi uoluptates, quia refrigeria existimantur, & ueluti nix liquefiunt, niuium frigori comparauit: à quibus imprecatur adultero, ut ad nimium inferni calorem transeat: quia uix solent concubinati ad corredire, & ideo explicatius subdit. Et usque ad inferos peccatum illius. Non ergo intellexit, quòd postea futurus esset à calore ignis ad frigus niuium regressus: sed quòd esset à niuibus huius seculi ad calorem inferni perpetuus ingressus. Quibus uerò libuerit opinionem communem sustinere. frigora ni-

nium

Universidad de Deusto
Biblioteca

uium non debent tam ad literam intelligere, quia ridiculum esset, illic niues comminisci: sed quia terra ipsa, præsertim in centro frigidissima est. Superesset eis tamen tunc labor explicandi quomodo, aut per uices alternentur frigus & calor, aut simul sentiri ualeant.

5. Conclu. ¶Quinta cõclusio. In damnatis erit fletus & stridor dentium, ut patet Lucæ. 13. Et Matth. 8. & 13. & 25. In fletu nanque duo est considerare, scilicet, & fumi ascendentis ad cerebrum resolutionem in lachrymas. Et præterea perturbationem commotionemq; capitis & oculorum, qui sangui nolenti monstrantur. Lachrymarum autẽ resolutio illic locum non habet quia corpora erunt incorruptibilia: & tamen si resoluerentur in lachrymas tandem consumerentur. Et tamen secunda pars fletus in capite & oculis conturbatis. Ille autem effectus est ingentissimi doloris quẽ patiuntur ab igne, ac perinde cõsiderationis tam multarum calamitatum, quibus se uident perstringi. Etenim quod lachrymę illę fiãt ex sulphuris fumo, uana opinio est: quoniã fumus non exhalatur nisi ex resolutione materiæ quæ igne consumitur. At uerò illic nec sulphur nec materia alia in fumum resoluitur. ¶Stridorem autem dentium in miseris corporibus assumptis per motum etiam realem cõcedere nulla ratio uetat. Nam stridor solùm dẽtium motum & strepitum significat, qui absque ulla corruptione fieri potest. Qui aiunt illic esse frigus dicunt quasi gelatos dentibus stridere. Sed certè (ut dictũ est) nescio quomodo igneus dolor id permittat. Stridor ergo ille potest esse uoluntarius & necessarius. Volũtarius quidem potest oriri ex iracundiæ rabie, qua aduersus Deum & suam familiam infremunt: uel ob illam feram pœnitentiam delictorum, quæ illos illuc coniecit, & ex bonorum memoria quæ amiserunt. Necessarius uerò dentium stridor, ex rigore potest doloris nasci quem patiuntur ab igne.

De auditu ¶Reliquis præterea sensibus suos cruciatus iniquo animo perferunt. Nempe auditus luctuosos illos clamores & miserorum lamenta, quibus sibi maledicunt, & aduersus diuinam iustitiam reclamant.

Odoratus. ¶Odoratu uerò pessimo odore sulphuris, quem absque eius resolutione per spirituales species (ut supra expositum est) emittere potest cruciantur. Imò quemadmodum beatorum corpora odore flagrare diximus: ita & misera, fœtorem expirare credendum est.

Gustus. ¶Et quemadmodum de saporis dulcedine diximus in beatis: ita conijcitur damnatorum gustum corrupto humore, uel intrinseco, uel extrinseco, infectum iri. ¶Sed &

Visus. uisus qui omnium est præstantissimus, tenebris obducetur: nam etsi ignis in sua substantia res sit luminosa, tamen ratione materiæ esse potest tenebrosus. Id autem illic primùm ratione sulphuris accidet: & præterea ratione loci, ubi aer inclusus non habet iustam raritatem.

Tenebræ. ¶At uerò neque omnimodę sunt tenebrę, quales essent in centro terræ, si nullius illic ignis arderet. Sed conijcitur esse lumen quoddam ambiguum quo possint se miseri mutuò conspectare: idque ad maiorem tristitiam cùm suas calamitates inuicem conspiciant: nam & solatio destituti sunt quod esse solet miseris dum accidit socios habere pœnarum, ut articu. sequenti dicturi sumus. Torquentur uerò præsertim dum eos intuentur, quos uel criminũ complices habuerunt, uel sua contagione contaminarunt. Tunc enim maiori suffundun tur pudore. Coniectari ergo de illa tenebrosa luce possumus, aut sub lucidis tenebris, ad modum illarum, quas somniantes in semiurgilia patiuntur, dum uidere sibi uidentur, malignè tamen illos cum quibus colloquuntur. Vnde Gregorius quanuis super illud Euangeilcum, Mitte eum in tenebras exteriores, dixisset quòd si ignis ille lucem haberet, nequaquam in tenebras exteriores mitti dicerentur, tamen loco citato libro Moralium, ut explicaret uerbum illud, sempiternus horror inhabitat, adiect quòd quanuis ignis ille ad consolationem non luceat, tamen, ut magis torqueat lucet.

Tenebræ exteriores ¶Cur autem dicantur tenebræ exteriores, Abulensis super capitulum. 25. Matthæi quæstione. 557. ait allusionem esse ad ergastula, quæ erant Hierosolymis. Erat enim, inquit, unum internum in carcere, quod plusculum habebat lucis: sed aliud foris subdio extra carcerem multo maioris horroris plenum: ad cuius similitudinem Christus appellauit infernum tenebras exteriores. Sed hæc tamen interpretatio non habet ita multum autoritatis. Et ideo uel dicuntur tenebræ exteriores

riores respectu internæ gloriæ, quæ est intra cælum, ubi summa lux fulget, uel respectu internarum tenebrarum, quæ sunt in anima. Quemadmodum super Psalmum. 6. interpretatur Augustinus, dicens, quòd in hac uita peccatores tenebras interiores, hoc est, mentis cæcitatem patiuntur per absentiam diuinæ gratiæ, quæ est lux animæ: sed tamen quandiu hic uiuunt, luce solis externa, quantum ad corpora fruuntur. In inferno autem externas quoque corporum tenebras patiẽtur: quas

Sol. 1. arg. per internas delictorum meruerunt. ¶Ad primum igitur argumentum respondetur in sententia contra damnatos lata ob id duntaxat mentionem ignis haberi, quòd reliquæ omnes pœnæ in ipso uirtualiter continentur.

De illis q sunt in purgatorio. ¶Sed arguitur contra. Igni eodem quo torquentur damnati (ut supra dictum est) purgantur electi: isti autem non feruntur nisi merum ignem pati, ergo nec damnati alia patiuntur tormenta. Negatur consequentia, quoniam cùm ignis ille non agat ex mera natura ignis, sed diuina uirtute: & iustis in purgatorio non infligatur pœna præcipuè ad affligendum per modum ultionis, sed ad purgandum, non plectuntur

Sol. 2. arg. nisi sola pœna ignis, qui ad id muneris ido neus est. ¶Ad secundum de uerme iam responsum est, nomen uermis per metaphoram dici de remorsu conscientiæ.

¶Et pariter dilutum est tertium argumentum, ubi explicatum est, qualis illic sit fletus & stridor dentium. Et similiter quartũ, ubi conditionem exposuimus illarum tenebrarum, quæ dicuntur exteriores,

ARTICVLVS V.

Vtrùm damnati, aut bona intellectus notitia, aut bona uoluntate uti ualeant.

Partis negatiuæ argu. 1. POst hæc quæ dicta sunt operæpretium est explorare, utrum damnati uel bona intellectus notitia, uel bona uoluntate uti ualeant. Et arguitur à parte negatiua. Scientiarum contemplationi annexa est delectatio: damnati lætari non possunt: ergo nec scientijs, aut cognitionibus uti, quas in hoc seculo habuerunt.

¶Secundò. Si possent intellectus contem- 2. Arg.
platione uti, possent nonnũquam de Deo cogitare, quandoquidem eum odio habere nequeunt de quo non cogitant: cogitatio autem Dei non potest non esse lætificatiergo non possunt de illo cogitare.

¶Tertiò arguitur, de uoluntate, quod non 3. Arg.
omnis sit in eis mala. Ait quippe Dionysius capite. 4. De diui. nomi. quòd dæmones bonum & optimum concupiscunt: scilicet esse, uiuere, & intelligere: homines autem non sunt peioris conditionis quàm dæmones: ergo ipsi possunt rectè bona illa uelle atque adeò bonam uoluntatem habere.

¶Quartò. Beati possunt uelle, ut illi qui 4. Argum.
in hoc seculo superstites sunt, ab illa damnatione liberentur, ut de Epulone diuite Lucæ. 16. legitur. Qui optabat fratres suos admoneri, ne in illum locum tormentorum uenirent: illa autem est bona uolantas: ergo bonam possunt habere uoluntatem.

¶Quinto. Damnati recta ratione possunt 5. Argum.
uelle potiùs non esse, quàm in illis miserijs perpetuò esse. Iuxta illud Ecclesiasti. 41. O mors quam bonum est iudicium tuũ homini indigenti: ergo possunt aliquid bene uelle. ¶In contrarium autem est, quòd Pars affir-
recordari rerum possunt quarum scientiã matiua.
in hac uita conquisiuerũt: iuxta illud Luc. 16. Recordare quia recepisti bona &c. Obstina a tamen uoluntas in malum, qualis est in damnatis, nequit unquam esse bona.

¶Ad quæstionem quinque conclusio- 1. Conclu.
nibus respondetur. Prima. Damnati utuntur eorum memoria & cognitione quę in hac uita cognouerunt. Hæc enim conclusio articulo præcedenti monstrata est: quoniam naturales potentiæ integræ in illis erunt, atque adeò præteritorum memoria. Illa tamen cognitio nullatenus eis erit læta, sed mœroris causa: nam de peccatis sterilem pœnitentiam agent, & de bonis quæ fecerunt dolorem concipient, quòd eorum fructu fuerint frustrati. Et si quas habuerunt scientias acquisitas naturalium rerum, quanuis ex obiecto earum contemplatio sit iucunda, tamen eos ideo contristabit, quòd illas scientias ad perfectionem non perduxerunt.

¶Apparet aũt contra hoc argum. duplex. Obiectio.
Primũ, ꝙ in hac uita experimur, corpus, dum

dum nimium affligitur, contemplationem cohibere. Præterea diuturnum tempus obliuionis causam existere: cùm ergo damnati tum uehementissimæ afflictioni subdantur, tum etiam & tempori diuturno, uidentur scientiarum non posse recordari.

Respondetur autem quòd in hac uita, eo quòd anima corpori corruptibili coniungitur corruptione eius & afflictione à suis actionibus præpeditur: damnatis uerò corpus non erit corruptibile: & ideo corporis afflictio non obstabit animæ in illis actionibus quæ eius tristitiam & mœrorem augent. Tempus autem non est obliuionis causa per se, sed ratione cælestis motus, cuius est mensura: illic autem motus ille cessabit. ¶ Secunda conclusio. Dãnati de Deo nonnunquam in suis affectibus cogitabũt. 2. Conclu.

Dupliciter enim Deum contemplamur, uno modo secundum se, id est, secundum id quod ei est proprium, nempe quatenus est totius bonitatis fons & principium: atque hæc contemplatio lætifica est, quam ideo perditi illi non habent. Considerant tamen ipsum secundo modo, uidelicet in suis affectibus, quatenus uindex malorum est, quod illis est odij & afflictionis causa. Et qui Christiani fuere considerabunt trinitatis atque humanitatis Christi mysteria: nam & dæmones credunt & contremiscunt. Sed hæc etiam contemplatio dolorem eis & remorsum conscientiæ augebit: eò quòd fides eos ob suam culpam ad uisionem non euexit. ¶ Et per hæc duo priora argumenta soluta restant. Tertia conclusio. Tertia cõclusio.

Neutiquam damnatorum deliberata uoluntas esse potest bona, id est, bonum elicere auctum & laudabilẽ. Duplex enim est uoluntas, scilicet naturalis & deliberata. Naturalis uoluntas, ut dist. præcedenti diximus, est inclinatio & pondus naturæ ante actum elicitum, quæ quidem inclinatio non est effectus ipsius creaturæ, sed est à Deo tanquam ab autore naturæ impressa. Quocirca cum in dãnatis naturalia maneant integra, illa etiam permanet inclinatio bona ad esse & uiuere: quin uerò ad beatitudinem, ut supra dictum est: uolũtas autem deliberata actus elicitus à uoluntate præuia cognitione. Atque hæc nullatenus in damnatis esse potest bona. Et ratio est quòd omnem deliberatum actum ex illa obstinatione in malum, & obdurato odio in Deum eliciunt, tanquam auersi ab ultimo fine in quem omnis uoluntas formaliter uel uirtualiter, ut sit bona refertur. Quapropter etsi uelle possint aliquid qd' ratione obiecti est bonum, non tamen illud bene uolunt, sed peruerse referendo in malum finem. ¶ Vnde ad tertium argu. respondetur, quòd Diony. loquitur de concupiscentia, quę est naturalis inclinatio ad esse & uiuere & intelligere. Sed tamen eandem inclinationem per libertatem corrũpunt in actu quem peruerse eliciunt. Sol. 4. arg.

¶ Et per hoc etiam respondebitur si quis redarguat. Damnati nequeunt malum sub ratione mali uelle, ut ait Dion. & Aristot. quia ratio mali non est obiectum uoluntatis: ergo uolunt illud sub ratione boni, saltem apparentis: uoluntas autem quæ refertur in bonum sub ratione boni uidetur esse bona. Respondetur inquam non satis esse appetentiam boni, ut uoluntas sit bona, quando ob eius malitiam, id quod est malum, apparet ei bonum. Aliud arg.

¶ Sed arguitur præterea: plurimi damnatorum habitus uirtutum politicarũ in hac uita compararunt, quos credibile est in illis animabus perseuerare: ergo poterunt illic habere actus inde elicitos, qui sint boni. Respondetur, quòd habitus infusi in damnatis non permanent, neque uerò fides mortua, ut pote quæ est donum Dei. De acquisitis autem politicis uirtutibus res est ambigua. Dicere enim possumus, quòd cum animam ad uitam politicã perficiant, & illa uita illic non permaneat, fit ut neque illæ uirtutes persistant. At uerò quanuis persistere ibi aliquandiu crederentur, erunt tamen otiosæ: quoniam propter obstinatam iniquitatem, nequibunt in usum exire. Habitus dãnatorũ.

¶ Quarta conclusio. Damnati nequeunt suis propinquis & necessarijs, quos in hac uita reliquerunt, bonum aliquod optare: atque adeò nec tanquam eorum bonum, salutem eorũ cupere, ne dãnentur. Et ratio est, quòd ueluti beati in charitate Dei, ac subinde omnium proximorum firmati sunt, ita & damnati, quoniam in odio Dei sunt obstinati, similiter circa omnes tam existẽtes in hac uita mortali, quàm defunctos, siue beatos siue damnatos indurato odio affecti sunt. 4. Conclu.

¶ Ad quartum igitur argumentum de illo epulone primo modo respondeti potest, quòd fortasse Christus uerbo illius miseri contendentis suos admonere fratres, ne in illum Solut. 4. de epulone.

in illum locum irent, nihil aliud significare uoluit, quàm truces acerbissimosq; cruciatus inferni. Secundò respondetur, quòd illo uerbo significatur inclinatio naturalis, quam unusquisque erga suos habet: quæ suapte natura tanquam diuinitus naturæ impressa, bona est. Sed tamen actus elicitus epulonis, quia nullatenus fuit in Deum relatus, uitiosus fuit. Sed tertiò responderi solet: quòd quanuis damnati nemini optare possint, uel precari salutem, plus tamen illam alienis quàm suis inuident: & illa ratione epulo admonendos curabat fratres suos. Interrogatio.

¶ Sed rogas nunquid saltim erga illos quos iniquè in hac uita dilexerunt amicitiam illam seruabunt per quam illis possunt bene precari. Respondetur secundum Aristotelem. 9. Ethicorum eiusmodi amicitias super bono inhonesto conciliatas facilè rescindi.

¶ Hoc tamen supremum est hic argumentum, quòd damnati non sunt existimandi suorum suppliciorum crementum capere. Quò autem plures habuerint suæ damnationis socios, eo plus augebitur illis accidentale supplicium: ergo non concupiscũt plures illuc detrudere. Respondetur, quòd quanuis sciant ex numeri augmento damnatorum accumulandam sibi tristitiam, adeò tamen sunt odio subiecti, ut illam malint pœnam, quàm nostram salutem: præsertim dæmones. Vnde illa glossa Esaiæ. 14. super illo uerbo, Omnes principes terræ surrexerunt de solijs suis, quæ ait solatium esse malorum socios habere pœnarum, non est perinde, ut de hac uita, de inferno intelligenda. Illic enim dicitur solatium, quia sic explent sua mala desideria, quibus in nos sunt affecti. Nihilominus nulla per hoc fit eis tristitiæ remissio: imò augetur, ueluti in angelis gaudium super uno peccatore pœnitentiam agentem.

¶ De ultimo autem argumento, nempe, utrùm melius esset dãnatis non esse quàm in illis tormentis esse, disputari solet. Imò sunt qui contendant, nullatenus posse illis esse optabilius annihilari, quàm illic esse perpetuò. Quoniam nihil nisi sub ratione boni, saltim apparentis, potest concupisci: in eo autem quod est simpliciter non esse, nulla potest apparere ratio boni: ergo illud non potest rectè concupisci, imò nec nolitum esse. Probatur minor, quoniam non esse est malorum maximum atque adeò neque habet ullum apparentis bonitatis fundamentum. Accedit autoritas Augustini libro. 3. de libe. cap. 7. & 8. dicentis. Considera quantum bonum est esse, quod & beati & miseri uolunt: maius enim est esse & esse miserum, quàm omnino non esse. Imò in eius confirmationem sic ibi arguit. Prælectio (id est unum alteri præponere) supponit electionem, nempe, quòd utrunque sit elegibile, sed, non esse, non est eligibile: quia cùm nihil sit, non habet uel apparentiam boni.

¶ His tamen non obstantibus adhibetur quinta conclusio. Nõ esse melius est, quàm in perpetua miseria esse. Atque adeò recta ratione, si ex parte obiecti perpendatur, est appetibile. Esse quippe bifariam consideratur. Vno modo per se absolutè: & sic non est eligibile: quia nec ullam habet rationem boni nec in illo apparere potest: quoniam est mera priuatio: imò merum nihil. Alio uerò modo potest considerari tanquàm remedium, per quod homo à miseria eripiatur: & sic, non esse accipit illam rationem boni, nempe carere illa miseria. Nam (ut 5. Physicorum, ait Philosophus) carere malo, quoddam bonum est. Et sic potest etiam recta ratione optari. Conclu. 5.

¶ Est tamen notandum discrimen inter nõ esse simpliciter per annihilationem, & non esse in hac seculari uita per mortem. Enim uerò non esse, hoc est mori, licet nemo possit rectè sic uelle, ut ipse sibi mortem conscifcat & se interimat, potest tamen sub conditione illud uelle fieri à Deo, si ei uidebitur expedire. Quemadmodum dicebat Paulus. Cupio dissolui & esse cum Christo. Neque uerò illa solùm causa: nempe fruendi Deo mors optabilis esse: uerùm tanquàm medium, ut homo à miseria huius uitæ liberetur: uidelicet à periculis peccandi, dum maxima homini impendunt. Imò & ab alijs ingruentibus malis, & incommodis quæ hominem uehementer perturbant: qualia sunt morbus acerbus, grandis infamia & honoris iactura, iuxta illud citatum Ecclesiastici. 41. O mors quàm bonum est iudicium tuum indigenti. Quanuis sic istorum causa licèt quandoque mortem sub conditione, si Deo placuerit, optare, ut tamen frequentius timendum sit, ne uel ex desperatione, uel Non esse simpliciter

Universidad de Deusto
Biblioteca

uel ex pusillanimitate eiusmodi desiderium procedat, quod tunc esset iniquum. Qui tamen illa prædicta ratione recta mortem desiderant, non cupiunt simpliciter non esse, sed in aliam traduci uitam ab eiusmodi calamitatibus liberam. Cóclusio uerò nostra non solum hoc asserit, uerùm quòd damnatis optabile recta ratione sit in nihilum redigi aut natos non fuisse quàm in illis perpetuò tormentis absque ulla liberationis spe uiuere. Nam profectò adeò illa sunt urgentia & horrenda, ut liberari ab illis, etiam per annihilationē eligibile sit. Et quicunq; hoc secum perpendat: ita sentiet. Et confirmatur loco illo Apoca. 9. In diebus illis desiderabunt homines mori: & fugiet mors ab eis. Et Matth. 26. De proditore Iuda bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Ecquis enim, quanuis euangelium hoc non diceret, non potiùs eligeret non fuisse natum, quàm sic fuisse mortuum? Et Hiero. super illud Ieremiæ. 20. Maledicta dies in qua natus sum. Melius, inquit, est non esse, quàm malè esse.

Solut. arg. ¶Vnde ad argumentum proximè factum respondetur, solùm probare, quòd, non esse, quatenus est essendi priuatio, non est eligibile: sed quatenus est miseriæ liberatio Sicut pharmacum non est per se uolitum, sed quia causat sanitatem. Atque id ipsum docet loco citato Aug. Nempe, quod esse, adeò per se bonum est, ut etiam miseri illud cupiant. Loquitur tamen de miseria huius uitæ, quæ non solet esse tanta, quin homines malint eam pati, quàm non esse, & præcipuè arguit contra eos, qui se enecant. Sed illud esse, quod tanti facit Aug. ut ab omnibus appetatur, non est intelligendum de esse malo & corrupto (ut 9. Ethi. ait Phil.) sed de bene esse & bona uita.

Sol. 5. arg. ¶Ac per hoc solutum restat quintum argumentum principale. Concedimus enim rectè posse damnatos uelle non esse, sed tamen illa uolitio uitiosa est, propter obstinatam adhæsionem ad ultimum finem, in quem esset, saltim in uirtute referenda.

ARTICVLVS. VI.

Vtrùm & damnati beatorum gloriam uideant, & beati ipsorum miseriam.

Andem quæritur de mutua inter se beatorum damnatorumq; notitia. Vtrùm scilicet se mutuò uideant. Et arguitur à parte affirmatiua. Multò maiori interuallo distant à damnatis beati, quàm ea quæ apud nos aguntur, sed damnati nec nos nec nostra uident ergo neque uident beatorum gloriam. Mediam propositionem affirmat Grego. 12. Mora. super illud Iob Siue fuerint nobiles filij eius, &c. Dicens, quòd sicut ij qui adhuc uiui sunt, mortuorum animæ quo loco habeantur ignorant, ita mortui, qui carnaliter uixerunt, uitam in carne positorū, qualiter post eos disponatur, ignorant. 1. Argum.

¶Secundò arguitur, quòd nec beati uideāt damnatorum miseriam: simili argumento. Maiori distantia damnati à beatis absunt, quàm nos uiatores, sed beati non omnia quæ apud nos geruntur uident: ergo nec quæ patiuntur damnati. Mediam propositionem affirmat glossa super illud Isaiæ. 43. Abraham nesciuit uos, dicens. Nesciūt mortui, etiam sancti, quid faciant uiui, etiam eorum filij. Argum. 2

In cōtrar. ¶In contrarium autem de damnatis adducitur illud de epulone, qui uidit Lazarum in sinu Abrahæ. Et de beatis Esaiæ ultimo. Egredientur & uidebunt cadauera eorum, qui prœuaricati sunt in me. Vbi ait glossa, quod egrediētur beati ad uidendum damnatos intelligentia uel uisione manifesta.

Decisio articuli. ¶Ad quæstionem tribus conclusionibus respondetur. At de primo membro utrùm damnati beatorum gloriam uideant: aliquid certum est, atque alia sunt sub iudice. Ex sacra enim scriptura constat, quòd dānati nonnunquam uidebunt beatos. Habetur enim Sapient. 5. Quòd stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerint: illi autem nequam uidentes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis. Item fides catholica est, quòd in die iudicij (ut habetur Matt. 25.) Cū uenerit filius hominis, congregabuntur ante eum omnes gentes. Et tunc damnati Christum atque beatos uidebunt: iuxta illud Ioan. 19. Videbunt in quem transfixerunt. Et in illa die satis uerificabitur illud citatum Sapient. 5. Atque illud uicissim psalmi. Lætabitur iustus cùm uiderit uindictam peccatorū. At uerò, quòd obtrusi in inferno inde uisuri

ri sunt existentes in cælo, nullibi in sacra scriptura affirmatur. Et in primis nunc animæ non possunt corporeis oculis illos uidere: quia oculos non habent. Quòd autē per mentis intelligentiam beatas animas uideant, nulla est repugnantia: quia animæ separatæ possunt aliàs animas separatas, sicuti & angelos intueri. Veruntamen cum sint finitæ limitataeq; potentiæ, profectò naturaliter non possunt à tanta distantia mentis aciem protendere. Imò quanuis fœlices illas animas cernerent, ne quirent earum gloriam uidere: quippe quæ supernaturalis est. Et ideo nemo illā nouit nisi qui possidet, iuxta illud Apocal. 2. Vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum: quod nemo scit nisi, qui accipit. Et Paulus, Oculus non uidit, nec auris audiuit, quæ præparasti diligentibus te. Sunt autem qui dicant, Deum damnatis sanctorum gloriam reuelare, ut acriùs contorqueātur, quod illam amiserint. Sed profectò, quod aliqua supernaturalis reuelatio fiat damnatis, nescio an sit absq; maiori probabilitate asserendum. Augu. ergo quem Magist. sentent. dist. præsenti citat, fuit qui huic opinioni ansam obtulit. Affirmans enim damnatorum animas in tenebris esse exterioribus, nihil uidentes eorum quæ in gloria sunt beatorum, opponit de illo diuite Luc. 16. Qui eleuans oculos uidit Abraham & in sinu eius Lazarū. Et respōdet, illud ante iudicium factum legitur. Sed post iudicium, inquit, in profundioribus tenebris erunt impij, ubi nullam Dei lucem uidebunt. Cui subscribens Gre. Hom. 40. super Luc. Infideles, inquit, in imò positi ante diem iudicij fideles super se in requie attendunt, quorū gaudia post contemplari non poterunt. ¶Ob autoritatem ergo horum sanctorum patrum solet affirmari conclusio quam hic nos sub hoc tenore statuimus primam. Damnati, si seclusa reuelatione loquamur quanuis de inferno intuitiuè non uideant sanctorū gloriam, imò fortè nec sanctos ipsos singulariter: eatenus tamen eorum fœlicitatē uidere censentur, ut in genere & in confuso intelligant esse maximā: quod ad eorū afflictionē & intimum dolorē satis est. Priorem partē satis credimus probasse. Quia nec naturaliter illuc uidēdo attingere possunt, nec reuelatione digni sunt, neq; ad eorum tormentū est necessaria. ¶Secunda uerò pars probatur: quia dęmones & Christiani bene norunt, licèt non intuitiuè, quāta sit illa gloria. Et qui in lumine naturali obierunt, uidentes illuc ubi ipsi tenentur, non occludi nisi illos qui corruptis moribus Deum offenderūt ex magnitudine tormentorum quæ sciunt sibi tanquam in exilio à regno cælesti exclusis, per iustitiam Dei distributiuam infligi, intelligunt quanta gloriæ claritate, & gaudiorum magnitudine, & bonorum amplitudine eos remuneret, qui eius regno & præsentia potiuntur. Imò quanuis non aliud intelligerent, quàm Deo esse præsentes, satis esset ad reliqua conijcienda. ¶Illud autem de epulone diuite non usque adeò mouet ad probā dum quò beatos uideant. Primum quòd parabolam non est necesse ad literam in omnibus esse ueram. Secundò quod Abraham tunc & Lazarus nondum tunc erant beati sed existebant in limbo, ubi poterant ab epulone uideri. Quare non subsequitur, ut possint eos uidere qui sunt in cælo. Ac demum poterat illud per singulare priuilegium contingere. Discrimen autem quod Aug. ponit inter ante & post diem iudicij, profectò uix intelligitur, nisi diuina admittatur in damnatis reuelatio. Nam tenebræ non erunt tunc spiritualis cæcitatis maiores in inferno. Idemq; ignis erit quāuis auctus per accessionem ignis conflagrationis. Quare si modò non impedit, quin damnatorum animæ beatas uideant nescio quomodo impediat ne postea beatos uideant. Nisi dicamus (quia aliter Au. & Greg. defendi non uidentur) quod post diem iudicij solum in damnatis durabit memoria eiusdem diei in qua uniuersam beatorum gloriam uidebunt, quæ quidem memoria sufficiet ad eorum tormentum. Sed quia ante illum diem necesse est, ut etiā cō templatione illius gloriæ torqueantur, nunc habent animæ miseræ aliquam illius gloriæ reuelationem, quę deinde, tāquàm nō necessaria cessabit. ¶Quod si arguas. Id quod sanctis in hac uita tanquàm singulare priuilegiū conceditur nō est affirmādū cōcedi dānatis: Paulo uero, ut 2. ad Corin. 12. legitur tāquàm admirabile priuilegiū indultum est, ut arcana uerba audiret quæ nō licebat homini loqui: ergo hoc non est de dānatis credendū. Respondetur latissimum esse discrimen. Quoniam Paulus ad illam gloriam raptus est, ut spes eius perpetuo

De epulone.

Auguſt. & Gre. exponuntur.

Auguſt.

petuò possidendi roboraretur. imò ut illo priuilegio tanquam initio futuri præmij donaretur. Damnatis uerò reuelatur, ut anxius crucientur. ¶ Ad primum igitur argu.

Sol. 1. arg. respondetur, quòd quanquam nos minus à beatis quàm damnati distemus: non tamen ad eorũ cruciatum tanti refert scire quæ nos agimus, quã sanctorum gloriam. Vnde super Psal. 108. Aug. historiam epulonis enarrãs, qui suorũ fratrũ curã hẽe uidebatur, ait quod licet damnati curam uiuorum habeant, ut pote quod neq; in locis pœnarũ, neq; in requie beatorũ uident: non tamen consequens est eos scire quæ circa charos suos aguntur hic, uel læta, uel tristia.

Augustꝰ.

Conclu. 2. ¶ Secũda conclusio Beati dãnatorũ pœnas uident, quia nihil eis negandũ est, quod ad eorum fœlicitatem spectat: cõducit aũt eis, ut cruces damnatorũ intueantur: tum, ut plus gaudeant inde esse exemptos: tũ ut cumulatiores gras Deo referãt. Possunt aũt illas nõ solũ in uerbo, uerum & in proprio genere cõspicere. Nõ tamen opus est, ut semper sint illas intuentes, sed sufficit, ut quando uoluerint, illo recreentur solatio. Cõclusio ꝓbatur ex illo citato Esaiæ ult. cũ gloss. Egredientur uidere, &c.

Sol. 2. arg. ¶ Ad secundum igitur argumentũ respondetur, quòd glossa illa sic intelligitur, ꝙ quantum est ex natura rei, mortui non sciunt ea quæ apud nos fiunt. Secùs autem beati ratione sui status. Vnde Gregorius 12. lib: Mora. super illud Iob. Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, nesciẽt &c. Qui intus (inquit) habent Dei charitatẽ, nullo modo credendum est, quòd sit foris aliquid, quod ignorent. Scilicet ad suum pertinens statum.

3. Conclu. ¶ Tertia conclusio. Beati damnatorum miseriam uidentes ad misericordiam non cõmouentur: imò lætantur. Prior pars probatur: quoniam misereri quandam participationem miseriæ designat, quæ in beatis esse non potest. Ad cuius planiorẽ intellectũ notandum quòd misericordia duo dicit: nimirum passionem: compatitur enim ille quem alterius miseret. Et hæc in beatis esse nequit: sicut neque in Deo. Sed præterea dicit electionem uoluntatis ad tollendam alterius miseriam. Et isto modo tam Deus quàm beati miserentur nostri, dum hic uiuimus, quia potest nostra miseria subleuari. Illa uerò damnatorum minimè. Et ideo aut modo neutro Deus aut beati ipsorum misereri possunt.

2. pars. ¶ Secunda uerò pars conclusionis sic probatur. Damnatorum supplicia bifariam considerantur. Vno modo per se inquantum rationem habent mali, nempe damni. Et isto modo lætari de illis est indicium odij. Quare sub hac ratione non delectant beatos: sed per accidens ratione adiuncti: uidelicet, quatenus sunt uindicta diuinæ iustitiæ, iuxta illud Psalmi. 57. Lætabitur iustus cùm uiderit uindictam. Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui nos ad illam perducat lætitiam sempiternam.

OPVS ergo, quod Dei nutu auspicatus sum, eius tandem ductu absolutum est. Hunc meus mihi præsagit animus laborum futurum meorum postremum. Vitam in chartulis prælegendis, exarandis, interlineandis, reuisendisq; & lambendis penè insumpsi. Exilitatem ingenij mei pauperiemq; prodidi, quare neque ignorantiam excuso. Fidẽ autem Domini mei Iesu CHRISTI, testis ipse esto, quanta cum fide, synceritate & candore seruare, elucidare, protegere, tutari, & pro meo exiguo talento magnificare, ubiq; semperq; curauerim: cuius (ut secundùm insipientiam meam ad Dei laudem loquar) nonnullum in Concilio Tridentino testimonium perhibui. Igitur qui animum meum Deo meo probatum esse confido, diffidere non possum, quin si cubi hallucinatus in aliquod offendiculum impegerim, misericordiam sim consecuturus, quia ignorans feci. Sancta orthodoxaq; eius ecclesia errata mea, etsi oportuerit, me ipsum castigare dignetur. Optauerim equidem si quæ dixerim quibus castigatione uel retractatione opus esset, ut cuncta mihi modò memoriæ occurrerent, quæ meo proprio obelisco confoderem. Collimare nanq; & ad iustam normam tã multa exigere, quàm esse in meis operibus credo limatu polituq; necessaria, non est possibile. Quæ uerò mihi occurrunt, hæc paucæ sunt, quæ si prælo sunt iterum mandanda, corrigantur. ¶ Præter illa quæ in Dialecticam & Philosophiam Aristotelis edidi commentaria, minutioriaque alia, in causa pauperum, & de Iuramento & id genus reliqua, quinque maiora uolumina in publicum euulgaui: nempe,

pe, in epistola ad Romanos: mox De natura & gratia ad sanctum Concilium Tridentinum tres libros: De ratione tegendi & detegendi secretum tres itidem: De iustitia & iure decem: atque opus hoc in Quartum Sententiarũ, in duos Tomos diuisum. ¶ Super epistolam ad Romanos capite. 9. in illa percontatione. Vtrùm reprobationis sit ulla in nobis causa, partem tutatus sum affirmatiuam propter autoritatẽ Augustini ad Sixtum dicentis. Quærimus meritum indurationis, & inuenimus. Meritò nanque peccati uniuersa massa damnata est. Vnde colligitur permissionem, qua Deus Adam primum permisit, ac subinde nos delinquere sinit, non esse per se effectum reprobationis, sed per accidens, per se uerò nostræ prauæ uoluntatis, diuinis inspirationibus resistentium, iuxta illud Oseæ. 13. Perditio tua Israel. At uerò quanuis sententia hæc probabilis satis sit, tamen fortasse contraria nonnullis erit probabilior: nempe, quòd reprobationis nulla sit causa, quemadmodum nulla est prædestinationis: sed quòd permissio peccati Adam ac perinde nostrorum sit reprobationis effectus. Quanuis non eodem modo, quo eius auxilia sunt effectus prædestinationis. Et nescio si calamum iterum quæstioni admouerem, an mentem mutarem, ut in hanc sententiam irem. Veruntamen illa asserta opinio (ut sub ecclesiæ sapientiumq; censura id dixerim) adeò non censetur errori tribuenda: ut sit Augusti. germana, & Diuo Thomæ super eundem. 9. ca. Pauli, ac subinde sit aliorum probabilis opinio.

¶ In libro. 9. De iustitia & iure. q. 2. art. 2. illam disputauimus quæstionem insignẽ, utrùm sacrificium altaris pro pluribus oblatum perinde singulis ad satisfactionem prosit, ac si duntaxat offerretur pro uno. Vbi reliqua pro meo captu uerè concluisse arbitror: præterquam quòd in responsione cuiusdam celebris argumenti, quod nomine Sylueſtri intulimus, non satis rem explicuimus. Fuerat nanque nostra cõclusio, satisfactionem sacrificij, perinde atq; gratiam sacramenti sub certo gradu esse taxatam. Et obiectum argumentum erat. Quo plures sunt offerentes sacrificium, eo id ipsum sit auctius: ergo nullus per consortiũ aliorum suo defraudatur fructu: alias consultius esset illi sacrificio interesse, cui pauciores assisterent. Cui utiq; argumento respondendum fuisset, omnes sacrificio assistentes idem sacrificium offerre. Et ideo neminem propter aliorum consortium aliqua parte suæ satisfactionis fraudari. Atq; illa ratione quo plures sunt offerentes, auctius fit sacrificium. Et ideo in primo Tomo huius quarti. d. 13. quæstio. 2. articu. 1. eandem repetentes quæstionem: hoc & reliqua ad ipsam pertinentia luculentiùs enucleauimus. ¶ In relectione de ratione tegendi & detegendi secretum nihil modò animaduertendum meminimus. ¶ Sed lib. 1. cap. 15. inter confirmandam sententiam de libero arbitrio quartum adiecimus argumentum, quòd si in adultorum iustificatione assensione nostra & libero arbitrio non opus esset, non redderetur causa proxima cur unus conuerteretur, & non alius. Suprema enim & remota causa, prædestinatio quidem est. Vnde August Quare hunc trahat, & illum non trahat noli dubitare, si non uis errare. Sed tamen causa præterea reddenda est proxima, per quam destinauerit unumquemlibet in regnũ recipere. Hæc ibi. Ad maiorem tamen explicationem addatur: quæ sit ad iustificationem materialis dispositio. Vbi, causa per quam, non dicit causam prædestinationis, sed dispositio ad primam gratiam iustificationis, quæ est effectus eius: quæ ideo dispositio est itidem effectus eiusdem prædestinationis. Etenim sicut in paruulis baptismus est causa cur unus saluatur, & non baptizari est causa cur non saluatur, pariter in adulto qui per actum interiorem ante sacramentum conuertitur, cùm Deus paratissimus sit quemcunque conuertere, præsentissimumq; misericordia ex duobus utrunque aspiret, cur iste cõuertatur & non ille reddi non potest causa, nisi, quia unus præbet assensum, alter uerò minimè.

¶ Quidam uerò hoc taxare uoluerunt, dicentes, quòd nimium tribuerim libero arbitrio in iustificationis causa. Et tamen salua semper Catholicæ ecclesiæ censura, arbitror necessariò sic dicendum. Assensus enim liberi arbitrij non est causa præueniens motionem Dei, sed effectus eiusdem motionis, idem præuenientis liberum arbitrium. Est enim pulsatio & aspiratio Dei ad corda nostra, similis aeri in fenestram clausam aspiranti. Sed quia non aperit nobis eadem corda ex necessitate, sed nobis

liberè consentientib. quanuis causa prior efficiens, quæ nos conuertit, sit eius spiratio & motio præuenjens, tamen dispositio materialis (quæ hoc modo dici potest causa) est assensio nostra. Sicuti causa efficiens præueniens cur fenestra aperitur est aer intrans, sed causa materialis cur aer intrat, est quia fenestra aperitur. Et est exemplum ad propositum necessarium, ex Philosophia accersitum: quæ ideo philosophia non deberet in Theologia nihili fieri. Hæc ergo Theologia non asserit assensum nostrum, ut est à libero arbitrio, meritum gratiæ (hic enim fuit Pelagianus error.) Sed ut procedit ab auxilio speciali, est sicut dispositio materialis natura præcedens primam gratiam: & ut subsequens eandem gratiam est meritum de cõdigno gloriæ. Vnde quanuis Deus apud Ezechielem dicat. Auferam ab eis cor lapideum & dabo eis cor carneum: nihilominus Psalmista ait, Hodie si uocem eius audieritis nolite obdurare corda uestra. Primũ quia ipse aperit: secundum, quia non nisi nobis consentientibus aperit. Et ideo postquam dixit Christus Ioannis. 16. Nemo potest uenire ad me nisi pater qui me misit, traxerit eum, subiunxit. Qui audit & discit, uenit ad me. Quasi in nostra potestate sit trahenti assentire, aut dissentire. Vnde Augustinus, postquam dixit. Quare hunc trahat, illum non trahat noli dubitare, subiunxit. Si non es tractus, ora ut traharis: insinuans, quòd etsi assensus noster non sit causa prædestinationis, sit tamen aliquo modo materialis causa iustificationis. Et hæc est doctrina Sancti Thomæ. Imò uidetur sententia Oseæ capitulo. 13. Perditio tua Israel, ex me tantùm auxilium tuum. Vbi docemur causam iustificationis in Deum referri: est enim hic aut ille iustus quia Deus illum iustificauit: sed causa cur homo non iustificatur, referenda est in ipsum hominem. Ob id enim Iudas non est iustificatus, quia inspirationibus diuinis non assensit: iustificatio enim non est prædestinatio, quæ nullam habet causam, sed eius effectus, quæ in nobis habet materialem dispositionem. Eadem ratione causa cur Magdalena fuit ad maiorem gratiam etiam primam cõuersa quàm alius tepidus pœnitens, licèt efficiens fuerit motio ipsa diuina, tamen dispositio materialis fuit feruentior eius motus auxilio diuino præuentus, quod riuulus lachrimarum eius testatus est. Hæc autem subsequẽti capitulo. 16. & libro. 2. capi. tertio. & 4. & primo tomo huius operis distinctio. 14. quæst. 2. artic. 5. & dist. 17. quæst. 2. latius exposita sunt.

¶ Libro. 2. eiusdem operis c. 11 in impressione Veneta illa mihi uisa fuit probabilis sententia in quam citra pertinaciam descendi, quod in lege naturæ homo per cognitionem naturalem, qua Deum esse nosset, & remuneratorem, adhibito auxilio speciali Dei, uoluntatem conuertentis potuisset saluari. Id tamen postea in impressione Parisiensi, ac deinde in Salmantina retractaui: & latius in primo Tomo huius quarti dist. 1. quæst. 2. ar. 3. sanè necessarium existimans neminem unquam absq; supernaturali reuelatione fidei in gratiam Dei potuisse reconciliari. ¶ In eodem lib. 2. ca. 6. prope finem dixi. Quo quisque gradu credit, eodem & confidit. Dicendum tamen fuisset, & sic est calculis recudendum. Quo quisque gradu credit, fide per charitatem uiua. Sic enim illico cap. 7. illud expressi dicens. Si solùm fidei ingenium spectes (scilicet nisi nostra uoluntate impediatur) quo fuerit ipsa maior: maiorem ingenerat charitatem. Et lib. 3. cap. 13. sic multo explicatiùs. Fiducia, licèt à fide incipiat oriri, non tamen firmatur nisi ex charitate & rebus gestis.

¶ In primo Tomo huius quarti dist. 1. qu. 1. articu. 1. circa finem dixi. Quod sacramenta causa nostræ salutis existant ad necessariam confessionem fidei & religionis minimè pertinet sed sub disputatione cadit. Nolui negare esse de fide, quòd per sacramenta nostra iustificemur: sed quod modus quo sacramenta sunt causa gratiæ, scilicet, aut tanquam instrumenta concurrentia in genere causæ efficientis, aut solùm tanquàm signa, non est expressum in sacra scriptura. Quare, ut quæstione. 3. articu. 1. retulimus omnes ferè Theologi præter Sanctum Thomam opinati sunt non esse causam, sed solùm certa signa. Nihilominus ibidem monstrauimus esse uerè causam. Alioqui non differrent à modo quo circuncisio erat signũ gratiæ. Idq; præsertim ex Concilio Florentino, & Tridentino confirmauimus. Et ideo ille noster locus sic est corrigendus. Quod autem sacramenta causæ eiusdem salutis nostræ existant

existant priuilegium sacramentorum nouæ legis est. Vt duæ lineæ intermediæ deleantur. Eadem dist. quæ. 2. art. 1. circa medium sic scriptum reliqui. Nobis adeò fuit Christus noster mirifice beneficus, ut sacramenta institueret, per quæ, si modo à nobis digna suscipiantur, non quidem peteremus, sed certo certius consequeremur &c. gratiam. In quibusdam paucis deest, si modo à nobis digne suscipiantur. Additur. Eadem quæstio. ar. 3. dixi. Passio Christi fuit causa salutis, tam antiquorum quã nostræ: non solùm finalis, uerum meritoria & efficiens. Quòd planè ait Sanctus Tho. 3. par. q. 49. arti. 1. Imò sic necessariũ est dicere. Quoniam per passionem redemit uniuersum humanum genus: redemptio autem fit per gratiam: & redimere dicit efficere. Item quia passio Christi, etiam præuisa, fuit instrumentum diuinitatis efficientis gratiam. Et ideo passio in genere causæ efficientis concurrit ad illam: concurrebatq; præuisa. Vnde ad Roma. 3. Paulus ait Christum fuisse propitiatorem in sanguine ipsius propter remissionem præcedentium delictorum. Videtur autẽ huic contrarium, quod eadem distinct. postea quæ. 3. art. 6. dixi, uidelicet, quod antiquis applicabatur passio per fidem: & ideo non applicabatur nisi in genere causæ finalis per actum internum, & ideo sacramenta uetera: non erant eiusdem passionis instrumenta, ut nostra. Nulla tamen est contradictio, quod passio fuerit causa efficiens instrumentalis gratiæ antiquorum: fidei autem & sacramentorum non nisi finalis. Et hoc ait Diuus Thomas quæst. citata in solutione ad primum. Et quæst. 62. art. 6. Et ideo qui nõ erat antiquitus exhibita non concurrebat effectiuè per sacramenta acsi sua essent instrumenta sicut cõcurrit per nostra sacramenta. Et ideo in prædicto arti. 6. consulto ait D. Tho. Illud quod non est in rerum natura non mouet secundum usum exteriorum rerum. Insinuans quòd passio licèt non applicaretur per fidem & sacramenta nisi in genere causæ finalis: erat nihilominus causa efficiens gratiæ. ¶ Eodem ipso artic. 3. in solutione secundi ubi ait S. Thom. quod post peccatum & ante Christum secundum rationem fidei semper unus & idem status permansit: quia iustificabantur homines per fidem futuri Christi aduentus. Adieci ego. Per unam fidem. Vbi unam non excludit opera subsequentia: scilicet spem & charitatem: sed significat eandem fuisse fidẽ Christi semper necessariam, sine qua nulla opera legis sufficiebant ad salutem. Et sicubi (quod non memini) dixerim. Per nulla opera ullius legis homines saluari, sed per solam fidem: sola, non excludit motũ spei & charitatis, sed opera naturalia. Hoc enim idiomate locuti sunt sæpè sancti: ut D. Tho. 1. ad Timot. 1. Ait quippe, In operibus non est spes iustificationis: sed in sola fide: iuxta uerbum Pauli ad Ro. 3. Arbitramur hominem iustificari ex fide & non ex operibus. Quare in Conci. Floren. uerbum. Sola fides, non fuit simpliciter condemnatum, sed cum moderamine. Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ uoluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit. Sess. 6. Can. 9. Nunc autem propter temporum calamitatẽ uerbum in suspicionem uenit. Et ideo melius est in similibus locis dicere. Per nulla opera legis hominem iustificari nisi per fidem aut per solam uiuam fidem quæ per charitatem operatur. ¶ Eodem modo corrigendum uerbum est quod eadem dist. q. 3. arti. 5. circa finem dixi. Virtus Christi simpliciter sicuti & Christus ipse, formaliter copulatur nobis per fidem: quod intellexi per fidem concurrentem in genere causæ formalis. Iuxta illud Pauli ad Ephe. 3. per fidem habitat Christus in nobis. Sed tamen ad explicandum apostolicum sensum dicendum est. Per uiuam fidem quæ per charitatem operatur. ¶ Quod autem dist. 5. arti. 2. Dixi nimirum, quòd qui ignorantia inuincibili euangelij (si qui sunt) laborant, sine fide explicita per solam implicitam, quem admodũ gratiam, ita gloriã obtinere possunt, solam non excludit spem & charitatem: sed necessitatem explicitę fidei.

¶ Quasdam præterea annotationes in Ferrum super Ioannem edidi: uirum profectò aliàs pium, disertum, & doctum. Sed quia ipse in prima impressione confessus est multa ab hæreticis, quæ sibi catholica uidebãtur, collegisse, loca nonnulla, non mihi tantùm, uerùm alijs doctis & pijs uia sunt, in quibus esset lector admonendus. Solus zelus fidei (coram Deo loquor) ne-

Universidad de Deusto Biblioteca

ſcio an ſecundum ſcientiam,me compulit: honore,ut par erat, religioſi uiri ſeruato, & præcipuè religioſiſsimi eius ordinis: qui mihi ſemper fuit reuerendus. Quidam tamen bonus pater conſtituit canos meos neſcio quibus atris floribus reſpergere. Ego uerò,ut os mihi libentiùs obtruderem, oculos etiam claudere conſtitui, ne apologiam cernerem:idq; non ſolùm, ne meam potiùs,quàm publicam cauſam defendere iudicater,uerum ne bos longo iam iugo decaluatus cum eleganti uitulo corrixari uiderer. Si aliqua in ipſo ſunt (ut fertur) adnotatu digna,illi quibus ex officio incumbit,uiderint:ne quæ ſemel ſata ſunt, contentione,ut fieri ſolet,coaleſcant. Nam illa quæ in me maledicta congeſsit, facilè condono.In multis enim delinquimus omnes,& indigemus gratia Dei. Sed ſi hanc mihi ueniam religioſus pater dederit, caueat deinceps precor tam amarulenta in quempiam iactare conuitio. Phraſis enim illa tum religionem denigrat, tum & uim eneruat perſuadendi.

¶Rudimenta præterea fidei in breui chartula uulgari idiomate ſimpliciſsimoq; ſtylo conſcripſi. Hanc apud Compoſtellam prælo commiſſam impoſtores quidam hæretici commacularunt, calculis nomine meo imprimentes,quod ſacratiſsima Deipara uirgo non eſſet tanquam adiutrix & aduocata noſtra imploranda. Cuius contrarium ego in proxima præcedenti pagina ſecundum Catholicam fidem admonueram.Sed ille chalcographus, ob aliam id genus impoſturam,patibulo fuit ſuſpenſus.Si in cuiuſpiam manus illa chartula incideriт,meminerit blaſphemiam illam falſo mihi ſcriptam.

¶Complura alia manu ſcripta nomine meo circunferuntur, quæ dum publicitus prælegebam,auditores in ſuis alueolis excipiebant.Præterea commentarios in Matthæum bona ex parte ſcripſi: nulli tamen iſtorum operum poſtremam manum adhibui. Et ideo ſi poſtquá me Deus ab hac luce elocauerit quiſpiam eiuſmodi uolumina euulgauerit, proteſtor non fore mea. Quia nec collimata ſunt,nec polita:& multis ſcaturiunt mendis:multa denique continent examine & cenſura & caſtigatione digna.

Finis ſecundi Thomi. F. D. Soto, In Quartum Librum Sententiarum.

REGISTRVM.

⁂ ⁂ ⁂ ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ.

AAA BBB CCC.

Omnes ſunt quaterniones præter ⁂ qui eſt Ternio & CCC. qui eſt duernio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca